
P. M. Fr. Felipe Gonzalez de Candamo.

Hijo del Real Monasterio de

HUERTA.

BIBLIOTECA PROVINCIAL
SOFIA



CISTERCIENSIVM,

SEV VERIVS

ECCLESIASTICORVM

ANNALIVM

A CONDITO CISTERCIO,

TOMVS QVARTVS,

CONTINENS ANNOS CISTERCII XXIV.

Atque occasione Abbatum Palaciolensium.

COMPENDIVM,

REFORMATIONIS HISPANIÆ,

QVÆ PRIMA SVB CISTERCIO, PER ANNOS CC. XII. CONTINVATVM.

Cum duplici Indice, altero Annalium; altero Compendij Congregationis Hispanæ.

Authore FR. ANGELO MANRIQVE BVRGENSI, olim eiusdem Ordinis in alma Hispaniarum Obseruantia Generali, Concionatore Regio, atque in Salmanticensi Academia Sacræ Theologiæ primario Antecessore. Nunc verò S. Pacensis Ecclesiæ indigno Ministro.

LVGDVNI,

Sumptibus LAVR. ANISSON, & Io. BAPT. DEVENET.

M. DC. LIX.

Cum permissu Superiorum.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA



SYNCERVM
ANGELICÆ AVTHORIS
VITÆ COMPENDIVM.

ILlustrissimus, ac Reuerendissimus D. M.F. Angelus Manrique, Burgis sortitus fuit ortum, generis nobilitate clarissimum, cum eius Progenitores maximis Castellæ Proceribus, & præcipuè Excellentissimis Ducibus del Infantado, sanguine fuerint, ac agnatione permixti; nobilior tamen tanto filio Manricorum prosapia remansit. Paruulus adhuc infantilia in parentum domo tractabat, cùm illud Sanctitatis miraculum Hispaniæ gloria, Sancta Theresia de Iesu hospitio ab eis excepta, Angelum nostrum repetita benedictione cumulauit, eiusque manum est osculata, absque dubio gnara futuri, Antistitemque iam indè communi cultu venerata. Quam felicitatem, non absque pia lachrymarum effussione ipse postmodum non semel memorabat; quasi à Theresiæ manibus sanctitatis auspicatus exordium.

Impubes adhuc Complutum missus, in Illustri Manricorum Collegio, quòd alienum à suo sanguine nullum sustinet, commoratus, litterarum pensum est orsus. Ibi Cistercienses Monachos familiarissimè conueniens, paulatim amore sectandi Diui Parentis Bernardi spiritum incensus (quem in præcordijs toto vitæ decursu habuit) sæculi pompis, spei ab ingenio, à fauore, à familia conceptæ, renuncians, generoso conatu in Monachum adscribi popposcit, & obtinuit in Regio Monasterio Deiparæ de Horta, obseruantia inter primos totius Ordinis florenti. Ibi per annorum nouæ militiæ tyrocinium fausté expleuit; nec eum diutiùs latère animi præclaræ dotes tulerunt, quare illicò ad litterarum studia insequenda fuit destinatus.

Philosophiæ triennium in Cisterciensis Meiræ Collegio, quod in Regno Galleciæ est situm, expleuit; litterarijs commilitonibus longè præstantior; adeò vt ferè absque labore didicerit, quæ multa animi fatigatione comparantur. Sed indè ei ad spiritualia exercitamenta tempus supererat, quod sedulus, otium auersatus, in animo virtutibus excolendo, vacans Deo, insumebat. Theologiam vtpotè supremam scientiam accuratiùs Salmanticæ à suis Magistris hausit, aliquando eam prorsus exhausturus. Theologicas

Theſes defendentem è ſella miratæ ſunt Academia Salmantina, ac Complutenſis; ſed mox è Cathedra eas docentem amplius ſunt veneratæ. Quippè infulis Magiſterij in Salmanticenſi lycæo ornatus annis quadraginta, tum in Collegijs Ordinis, tum in publicis gymnaſijs Theologiam edocuit; eo quidèm plauſu, ac ſtudioſorum frequentia, vt eos ampliores aulæ non caperent, & ſi feſtini locum præoccupare contenderent; felicitati imputãtes, quòd tam egregij viri recenſerentur diſcipuli, & à tanto omnigenæ diſciplinæ fonte puros latices ebiberent.

Scoti Cathedram prima publica lectione obtinuit; decebat enim, inſignem adeò Theologum non priùs eſſe candidatum, quàm Cathedræ moderatorem; & credam, non ipſum contendiſſe de præmio, ſed præmia certatim illum ambijſſe; nam cæteras etiam Cathedras, præter primariam, eodem fuit pacto conſecutus. Quin non minùs ei gloriæ fuit, ſuper hac (quam poſteà fuit moderatus) priùs decertaſſe, quàm obtinuiſſe; cùm ſolùm antiquitate inferior fuerit iudicatus, non meritis; & litterarium Certamen vnierit cum eximijs Auguſtinianæ Sacræ familiæ Magiſtris, Fratre Franciſco Cornejo, & Baſilio Ponce Legionenſi, quibus mens altera mentis Auguſtini, ſi quæ par illi fuiſſet, poſſet adſcribi.

Nec mirùm felici adeò euentu tot Cathedras, quæ repetitis ſolent conſtare ſudoribus, ſibi noſtrum Angelum adſciuiſſe; cùm non deberet ſolita rerum ſerie inſolita ſapiẽtia, & ingenium progredi. In primo litterario Scotico Certamine propè miraculũ fuit, quod abſque duce peregit; Scoti nimirùm textum, qui commilitonibus obtingebat, poſt diariã elucubrationem explanandum, ipſe illicò publicè per Horam integrã exponebat, quaſi plurimum temporis in eo exenterãdo inſumpſiſſet; & cùm, diuerſis diebus diuerſæ ſemper materiæ ſeſe offerrent, eumdem ſegerebat in cunctis; è pectoris ſcrinio Theologicas quæſtiones, Scripturæ, & Patrum teſtimonio, Doctorumque Authoritates, velut è promptuario Sapientiæ prõptus eructans. Nec tamen viuida ingenij acies, elegans, & compta dicendi facundia illum vmquam reddidere inurbanum; qui à diſceptationum acrymonia non ſibi excuſationem parabat; ſed erga ipſos aduerſantes comem, modeſtum, & vrbaniſſimum ſe non abſque admiratione præbebat, vt numquam comitate vinceretur, qui alijs animi doctibus numquam victus euaſit.

Vtrumque ſuggeſtum pariter illuſtrauit. Quippè Verbi Diuini eximius præco, non minus concionibus Auditorum animos mouebat, delectabat, imbuebat, quàm ſuis litterarijs expoſitionibus mentes informabat. Paulum crederes, cùm ab eius ore ignitas charitate voces audires; Chryſoſtomum cenſeres, cum eloquentiæ flumina erumpentia ſpectares: legito eius opera, quæ in lucem publicam prodierunt, vt lucem afferrent concionantibus, viamque aperirent acumini excogitandi ſolidiori.

Vt egregias adeò dotes ornaret, hiſtorica fuit eruditione præclarus; ea maximè, quæ pietatem redoleret,

ne

ne inanibus vetustatis comentitijs pretiosas temporis particulas dissiparet. Quatuor integris tomis nostri Ordinis Cistercienſis historiam exorsus est, nec vnguem à rerum veritate discordans, cum improbo labore antiquissima è toto Orbe instrumenta congesserit; è quibus ad tres alios tomos ad amussim elaborandos materiem comparauit; mihi id præcipiens, vt in Ordinem eos digererem, oculorum enim cæcies defatigata satis, ac plurimum in dies decrescens, ipsi antiquos codices, litteris subobscuris exaratos, legere non permisit. At post Angelum Historiographum, quis non Angelus valeat eius vestigia sectari?

Duos itidem de Theologiæ Scholasticæ controuersijs tomos concinauit; qui iam propè prælum expectãt: optantque cuncti præmanibus habere nostri Authoris specialem de Auxilijs sententiam, quam ipse post tot in ea quæstione celebres disceptationes, hinc & illinc à sapiẽtissimis sæculi retroacti Authoribus excogitatas nouiter ad inuenit, Salmãtino lyceo sæpiùs illi gratulante, & plaudente, licet tamen ab vngue leonem dignoscere, & controuersias hasce ex opusculis Theologicis, quæ dici iã publicæ vtilitati prodierunt, dimetiri.

Spiritualis vir fœminæ spiritualis vitam digessit, communi omnium exceptam gratitudine, scilicèt, Matris Annæ de Iesu Carmelitanæ. Fas enim erat, vt qui Theresiam puer coluerat, senex alumnam Theresiæ, dignam tanta Matre prolem, scriptis veneraretur, obsequium Matris in filia prosecutus. Nec alti spiritus cogitationes, animique virtutes ingentes alius facilè assequeretur, nisi qui eadem ferè tractabat.

In Beatissimam Virginem deuotissimo ferebatur affectu, & pro eius immaculata Cõceptione à Sede Apostolica definienda, iubente Catholico nostro Hispaniarũ Rege Philippo IV grauissimum pariter, ac eruditissimum tractatum elaborauit, quem Academiæ Doctores, ac Magistri per totam Hispaniam subscribentes eximijs laudauere præconijs. Nec id solùm Catholica Maiestas, sed plura alia grauissima negotia iniunxit, eius sententiam in rebus arduis scrutatus. Et cur non consuleretur in rebus ad conscientiam collimantibus consumatus Theologus, qui iuuenis ferè adhuc Compluti nõ tàm tessis, quàm arbiter inter contentiosas disceptationes Magistri Petri Lorcæ, & Patris Gabrielis Vazquez florentissimorum Theologiæ luminum interfuit, iam indè ad cuncta Theologica communi suffragio iudex rectus existimatus? Hinc procul ab assentatione, ac timore, modestus quidèm, sed integer suum propalabat arbitrium. Quod Regi nostro adeò fuit gratum, vt, nullo alio poscente eum in suum cõcionatorem elegerit; cumque ipse Excellentissimo Comiti Duci de Oliuares gratias humilis referret, ab eo audiuit, beneficium illud soli Regi fore imputandum, qui ideò se præbuerat ipsi gratum, quia verum absque adulationis labe, & absque impudentiæ nota promebat. Etenim quid aliud per longa annorum spatia peregit, nisi veritatem toto conatu in dubijs indagare? eius solli-

citus amator ab euoluendis libris numquam cessabat; nullis alijs delicijs allectus, nulli recreationi, aut ludo (nec vllum calebat) vel festiuiori tempore, addictus, totus vacabat lectioni, totus deuotioni insistebat. Contigit aliquando ægra eum valetudine laborantem iacere; ac dum postulat sibi aliqua litteraria fragmenta lectitari, velut suam ægritudinem pertæssus, lectum deseruit, & amica sibi volumina in suo Musæo, vt solebat, euoluit, illud affirmans, molestiorem sibi in valetudinem videri, ab studio cessare, quàm acutis febribus vri. Altera abs dubio erat ei natura litterarum prosecutio; indè ægrotũ se iudicabat, cùm huic naturæ suum pabulum deficiebat.

Optabant Curiæ Proceres, ac Dynastæ, vt Madridij commoraretur, eius consilio semper vsuri, & id Regi pergratum fore constabat; attamen ille poscentibus restitit, offerentibus ibi ad victus congruitatem Ecclesiasticas pensiones amplissimas numquam fuit assentitus, tum quia longissimè ab ambitione distabat: tum quia suæ æternæ saluti inter adulandi, timendi, expectandi, & ambiendi illecebras cautè timebat. Quare malebat è longinquo veritatem propalare consultus, quàm è vicino eam obtenebrare candidatus. Hinc Comes Dux de Oliuares non immeritò stupebat, numquam ab Angelo nostro quidquam præmij fuisse expetitum, ab ipsoque dignum accepit profatum: se præmiorum auidum non posse absque pudore cẽseri, cùm, vel si ambitio eius animum tangeret, Cisterciensis Cucullus prorsus eam extingueret. O verè Bernardi alumnum, qui candidam vestem cãdidato animo præferebas!

Academia Salmãticensis ad grauiora peragenda momenta frequenter eum destinabat. Hoc, vt munere fungeretur, simul cum Lycei Rectore, alijsque Magistris Madridium aduentauit, cùm, eo inscio, ac inuito de promouendo ipsum ad infulas sacras iam sermo increbuisset. Quod vbi resciuit, noluit cum Academicis die designata Regem alloqui, ne indè eum sui memorem redderet. Et prætereà ægrè tulit, quòd amicus, Reuerendissimo Regis Confessario præcipiente, quasi per fraudem, ab ipso munia peracta, in consultatione præfigenda, inquisiuit; qui tantùm non iratus illum à se reiecit. Sed honor sequitur, velut vmbra, fugiẽtem. Adscriptus ergo est Angelus in Antistitem Pacensis Ecclesiæ; postquam, improuidus omninò, sacri Conuentus, & militiæ Calatrauensis, Magnus Prior fuerat institutus.

Illustrissimus Episcopus Angeli nomen operibus adæquauit; sui gregis vigilans custos, subditorum sedulus defensor, ægrotantium ouium salutaris medicina, egenorum parens: virtutum specimen, non alius à se ipso, sed semper Religione, abstinẽtia, paupertate, oratione, & humilitate Monachus Cisterciensis. Eleemosynas non tàm largiri, quàm profundere videbatur, sed pius animus iam diù liberalitatem protẽderat. Quippè, dum Ordinis esset Generalis, tres nobiles virgines per decennium adhuc in tyrocinio Monialium commoratas, auxilio Parentum, qui

inopportunè obierant, destitutas, copiosis dotibus, & iuxta generis claritudinem supellectili, munerauit. Cœnobia, & Collegia, in quibus aliquando vixit, non exiguis ditauit Eleemosynis. Iamque parabat Collegium sæcularium Theologorum, nisi obitus eum præocupasset. Ex his tamen, quæ supererant, insigni Manricorum Collegio Complutensi mille ducata legauit: suo Cœnobio Deiparæ de Horta Bibliotecam: Capellæ Academiæ Salmanticensis duplicatas præsentibus conferendas distributiones infesto Diui Parentis Bernardi, ad quod ibi celebrandum sumptus annuos reliquit, id ipsum præstitit in Ecclesia Matrice Pacensi, & itidem in Zafrensi: ac demum in nostro Salmantino Collegio ad Abbatis arbitrium piam memoriam instituit.

Erga cunctos ferè prodigus, erga se parcissimus erat; itinerans ferè numquam alio cibo, nisi ouis victitabat, quadragenarius cæpit vinum modicum libare, vsque ad eam ætatẽ, aqua dumtaxat vsus; nullas in epulis delicias sibi permittebat, imò eorũ quibus indigebat, defectus vitam abstulit, mortem præuenit 73. annos natus Angelus obijt; miraque Dei prouidentia, die festo Angelo Custodi dicato fuit natus; die eodem initiatus est presbyter, eodemque die fuit sepultus; vt constaret, Angelum suæ vitæ, & itineris comitem, nec post mortem eum deseruisse, sed similẽ simili charum ad patriam duxisse cœlestem. In Pacensis Ecclesiæ Sacrario Sepulchrum ei destinatum fuit, cui totus noster inuidet ordo; & cœnobium Hortense de corpore eius decertat, cuius animum in primæua origine informauit, ambijtque solatium à filio defuncto, quẽ viuum totis visceribus adamauit, mortuum luxere pauperes, milites, viduæ, populus, clerus, sed non lugendus est ipse, qui Angelicæ vitæ periodum Angelici obitus clausula perficit: functus sæculo, functus officio, æternitati victurus.



EXCELLENTISSIMO, ET VERE REGIO

PRINCIPI D.D. ANTONIO IOANNI LVDOVICO DE LA CERDA

AVGVSTO-BRIGENSI,

ATQVE ARCILACENSI MAGNO DVCI,

Marchioni de Alcala & Cogolludo, Comiti Magni Portus, vulgò de Sancta Maria, &c.

FR. ANGELVS MANRIQVE,

PACENSIS ECCLESIÆ MINISTER,

vtrorumque bonorum, sed maximè cœlestium, incrementum.

DESTINAVERAM, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, *nomini Tuo dicandum Annalium Tomum (quicumque ille esset) in quo, temporis serie continuata, pandendum foret, qualiter Serenissima Infans* ELISABETHA, *cognomento* DE LA CERDA, *Ludouici Infantis Castellæ filia, Alphonsi illius neptis, quem exhæredem, quia Regno defraudatum, aliàs hæreditario, cognominarunt; Bernardo Bearnensi Principi nupta, & Lilia Gallica Leonibus, & Castellis Hispaniæ iungens,* ILLVSTRISS. AVGVSTO-BRIGENSIVM DVCVM *familiæ, vulgò de* MEDINA COELI, *cui Te Deus præfecit, initium dedit, qualiterque Diadema* AVO *debitum, (vtpote filio filij Primogeniti) sed quo viuens caruisset, potentia patrui, in morte saltem filia præstetulit: electa in* REGIA DOMO *sepultura, in Hortensi nimirum, quam ab Imperatore* ALPHONSO *primùm, mox ab* ALPHONSO VIII. REGE *conditam, dotatamque, atque vtrique, sed huic præcipuè charam, ideo vterque videtur reliquisse, vt nepotibus exturbandis* AVITO REGNO, *vacuum cederent locum; & quo viuentes, destituendi forent, vel vmbram soly post mortem reseruarent. Hunc, inquam, Tomum dudum destinaueram Tuo sacrandum no-*

mini ; in quo & Tuorum Progenitorum glorias , qui Hortam illustrarunt , & Tuam nouissimam in ipsos pietatem , in successores curam, largitatem in nostros , demum in omnes verè REGIVM *animum, nec minus verè prouidum , distinctiùs paululum , & fusiùs propalarem. Sed cum me iam senilis ætas grauet , atque alia tum studia , tum negotia, præcipuè oculorum obtusa acies, prosequi non permittant incœptum opus: placuit , si non quem volui , tamen quem habui , & qui solus restabat, animo reuerenti Tibi offerre ; atque hunc Quartum , qui & nobis vltimus sub Tuo patrocinio in lucem dare ; quo & me Hortæ alumnum, quamuis indignum (& ideò fortè à gremio matris exulem ante penè, quam natum , certè non postea) & Hortenses vbique terrarum tuos, quibus possem indicijs demonstrarem. Accessere priuata votis communibus, & me iam olim genitrici Tuæ deuictum (inclytæ illi Heroinæ, verè magnæ , quæ vita heu ! breui functa , æternum tamen illustrium fœminarum , neque vnquam perituru exemplar fuit) mox obæratum Tibi tot alijs titulis , & debere gaudentem eò adduxerunt , vt qui soluendo nunquam stare possem , quod vnum poteram , memorando starem ; & illud saltem grati animi specimen præferre gestirem : non obliuisci:* Quippe ad reddendam gratiam *(ait Seneca)* facultate opus est , & tempore , & fortuna. Qui meminit , sine impendio gratus est. *Addere posset , & si publicè fateatur nonnihil reddit. Ego non solum fateor , verum & glorior ; neque oneror his beneficijs ; sed extollor. Ergo hoc meum qualecumque obsequium suscipe. Et dum adest , qui Historiam prosequatur , vt pignus habe , nunquam anticipatum , quia semper debitum. Videri poterunt, magnorum more fluminum, Annales nostri currere , ad eum locum, vnde exeunt, reuersuri ; & à* REGIO PHILIPPI MAGNI SOLIO , *quem ô vtinam ! nobis* DEVS *conseruet , ad Te vsque fluentes ; dum* ATAVOS *communes* VTRIQVE *produnt , nec dissimilia stemmata; credere se ad ortum peruenisse; nempe vt iterum fluant; quod Te auspice , Te duce, maiori perficiendum calamo , opto, speroque; nec defuturum , qui eo vsque perducat , quo Te inueniat. Interim omnia Tibi salua esse diuinum illud Numen , à quo cuncta procedunt, supplex oro. Vale. Datum in Ædibus nostris Pacis-Augustæ quarto Kalendas Iulij , Anno M. DC. XLVI.*

LECTORI

LECTORI BENEVOLO.

I. HVIC adhuc quarto Cistercienſium Annalium Tomo, diuerſa inter ſtudia, negotiaque, quem potui, locum feci, LECTOR amice; vt me tandem ſponſione facta, exoluerem, atque obiter tibi demonſtrarem, non tempori, vt pleraque alia ſolent, ceſſiſſe Ciſtercium; non ſenio inueteratum defeciſſe, quamuis plus ſolito ætatem prolatauerit; quo longius à primordiis ſuis diſtans, eò copioſius fluens; & ſecunda, quam priori annorum centuria, abundantius inundans Eccleſiæ agros. Manſiſſet integrum forſan ad hanc diem, ſi non duplici peſte, velut inuaſum, tunc demum declinaſſet, cum ne aliæ familiæ recentiores aduerſus ſimplicem potuerunt prævalere. Corporali graſſante per Europam, abſumpti Monachi, neque prius defecit diſciplina, quam homines deeſſent, qui obſeruarent. Atque hæc Ciſtercio cum cæteris communis, quamuis longè recentibus: Verum alia ſpecialior, nocentiorque (Commendarum abuſus) ne ex cineribus extinctorum Patrum flammæ rurſus erumperent, ſucceſſorum feruorem accenſuræ, vix longo tempore potuit prævalere.

II. Certè ante vtramque nunquam in ſtatu, ne dum declinatione; ſed ſemper in augmento continuo fuit. Non alium Tomum ex his, quos antea dedimus, pauciores implent anni: non qui viuentem, illuſtrem Eccleſiæ facem BERNARDVM PATREM, atque orbem permiſſum eius arbitrio, tot ac tantis exemplis propalarunt. Non inquam eis tam multa ſeſe obtulit diuagandi materia: & vt exceſſerint rerum magnitudine, at varietate haud dubiè ſuperantur. Quatuor & viginti annorum euentus profert, Eccleſiaſticos æquè, prophanoſque vndequaque refertos Ciſtercij filiis. Quippe temporibus Innocentij, Honoriique vtriuſque Papæ I I I. atque Gregorij I X. qui vix quid magnum in orbe vnquam tentarunt, quod non vel ex Ciſtercio habere vellent, vel ſaltem per Ciſtercium exequendum: excerpti tamen ex Regeſtis horum Pontificum, & eorum Epiſtolis, ſicut nihil omittunt, ſic non tam exitus rerum, quam initia; nec quid Ciſtercium peregerit in ſingulis, ſed vix in cunctis ſine ipſo quicquam actum, dum tot ei, tam graueque iniunguntur, prodere poſſunt. Etſi Annales Regnorum ſingulorum, & Eccleſiarum, litteris Pontificiis, vt par erat, reſponderent per omnia, copioſa planè multiplicium geſtorum ſeges, atque vtilis materia, falce licet obtuſa, metenda foret.

III. Aſt nobis nihil ſcripturis ex proprio cerebro, dum inſtrumenta, authoreſve deficiunt, præſtitit in ſuſpenſo manſiſſe, quam diuinare, aut pro veris ſomnia obtrudere. Vt pedem, quamuis vltra progredientem, honeſtius, ſiue retrahas, ſiue teneas, quam luto infigas; ita calamum; quem cœno figmentorum fœdatum ſemel, ægrè ad vera conuertas, niſi vt maculeſ; id eſt, vt ſuſpicioni obnoxia reddas. Itaque interrupta ſæpè hiſtoria defectu Authographorum, dolorem nobis pariet, ſed non dedecus. Quin &

fragmenta sparsa per hos Annales, dum aliis conferentur, nectenturque, in singulis prouinciis vsu venient, atque lucem accipient, simul & dabunt. Quod & non paucis decisionibus Pontificum ex libris Decretalium euenturum, ipsa, vt spero, experientia demonstrabit.

IV. Ergo nos vndequaque, quæ potuimus in huius Tomi horreum (quid enim vetat Annales horrea dici, in quibus reponuntur prudentiæ grana?) quæ potuimus, inquam, congregauimus: sequentium vberiorem adhuc segetem (ô vtinam non desit, qui prosequatur!) reliquis reseruantes: sed implendis ab alio, non à nobis: quibus multiplicem, continuam lectionem, qualem petit Historia, imbecilles ab ætate tenera oculi, sed iam præsenio simul, laboreque in caliginem ferè declinantes, penitus interdicunt; atque ad alia applicare animum faciunt, quæ minus oblectantia (non negabo, fortè & minus vtilia) altius tamen ab adolescentia nostra imbibita, mente quam oculis valeant perlustrari. Vtinam vtraque cum aliquo profectu! Certè vt prodesse nobis, aliisque concederetur, dudum elaborata; vt non laudem, (neque enim eam appetimus) saltem quam petimus veniam merebuntur.

V. Interim duo, quæ nobis obiiciuntur, vtcumque purgabimus: alterum deprecantes, confitebimur; atque LECTORI cum libris ipsis calamum supplices offeremus, vt deleat, addat, corrigat, inuertat, quæcumque his viderit remediis indigere. Arguor, quod sæpè ad minima descendam, veluti per minutias Annales producturus; quod vt in rara illustrium euentuum sege tolerabile sit; in densa tamen silua, quis non condemnet? *Ex dignitate*, inquit Cornelius Tacitus, *Populi Romani est, res illustres Annalibus, minora vero diurnis mandare actibus.* Numquid non idem Cistercio etiam aptabimus? Et Plutarchus. *Reputemus animo, qualis quisque & quantus fuerit: & quæ præcipua sunt cognita, & pulcherrima ex rebus eorum gestis excerpamus.* Omittenda ergo alia maximè semper ad grauia progressuris. Sed ad hæc ego facilè respondeo: damnandum forsan hunc descensum fore: sed si sine delectu: aliàs quis dubitet, multa, quantumuis leuia occultissimos animorum affectus, mores, iudiciaque, & sæpè plusquam grauia manifestare? *Neque semper clarissimæ quæque res*, ait Plutarchus, *virtutes, vel vitia repræsentant; sed exiguum subinde factum, dictum, & iocus aliquis, citius specimen edat morùm, quam funestissima prælia*, &c. Quippe in grauioribus maior consultatio: leuiora, quo plerumque, minus ab arte, eo certiora naturæ indicia produnt.

Annal. lib. 13.

In Alexandro.

VI. Alij, si quando rationes, & causas tradimus dictorum, aut factorum, nimirùm condemnant; neque interpretes voluntatum aliorum nos, sed narratores gestorum tantum agere, quasi muneris metas transgrediamur, seuerè obiectant, nec quidquam esse, quod non inuerti possit, si pro arbitrio depingatur, aut coloretur. Ego vero Agellium illis oppono. *Narrare, inquit, bella, gesta, euentus; non prædicare autem, quid Senatus decreuit, aut quæ lex, rogatiove lata sit; neque quibus consilijs facta rimari; id fabulas pueris narrare est; non Historiam scribere.* Et Pontanus. *Illud rerum scriptori seruandum maximè, atque in tota rerum serie est, vt pro locis, rebus, occasionibus, iudicis ipse personam induat, & laudet, condemnet, admiretur, deprimat, misereatur*, &c. Itaque id præstare necessarium fuit, & vt in modo fortè excesserimus, in re vix possumus.

Noct. Attic. lib. 5.

VII. Erratum tamen à nobis in multis aliis, quod inficiari nec possumus, nec volumus, etiam in his, quæ aduertisse debueramus. Nam quis in tanta

rerum

rerum euentuumque, & personarum, ac locorum, tum copia, tum varietate, non aliquando, vel memoria lapsus, vel indiciis deceptus, aut dicta repetat, aut dicenda omittat, etiam promissa? Quis non alicubi, dum ab authoribus contrariis contraria haurit pugnantia etiam scribat? Quis non personas, euentusve confundat? & aut ex vno plures, aut ex pluribus vnum non nunquam conflet? Quodve non semel à me ipsa deprehensum corrigere curaui: sic prætermissum ab aliis corrigendum supplex exoro. Nec tam me Annalium imaginem pinxisse, quam delineasse volo rudi Minerua; cui doctiores litteras, vbi excessuro, aut à vero aberrauero; vbi defecero, lineas superaddant. Haud aliter res magnæ peragi valent; & vel sic, rarò. VALE.

CENSVRA SAPIENTISSIMI, ET ELOQVENTISSIMI Doctoris D. D. IOANNIS DE LA GVERRA, in alma Pacensi Ecclesia Canonici Magistralis, atque Examinatoris Synodalis, &c.

INTER tubarum clangores, quarum per vniuersam Hispaniam, tum maximè hac nostra in Vrbe clarescunt sonitus (Præsul amplissime) dum armorum tum Rebellium, tum nostræ gentis vndique Martis ingruit horror, dum nihil vspiam videre est, nisi cristatas militum galeas, & strictas ensium acies, atque pila minantia pilis, proh dolor! sudantia sanguine Christianorum: Nos tu, (quæ tua pietas est) ad lectionem tuæ historiæ, potius Catholicæ Ecclesiæ nimirum Cistercij Tomum quartum Religiosus inuitas. Iam sapio, credo à Bernardo Parente doctus præstas. Sic ille ad milites Templi fatur, memini: *quia lancea non liceret, stylum vibrarem* (rogauerat eum Hugo eius militiæ magister) *asserens, vobis non parum fore adiutorij, si quos armis non possum, litteris animarem.* Sed enim tu, præclarissime Antistes, primum gladio Verbi Dei priuatis sæpe sermonibus, publico aliquando è suggestu ad pietatem milites nostros informans dimicaueras; at longe præclarè dedactitas, dum hos annales edis virtutum plenos, iuxta illud à Trasea dictum iam moriente. *Specta iuuenis, & omen quidem Dij prohibeant*; cæterum in ea tempora natus es, vt firmare animum expediat constantibus exemplis. Maioribus illis refertos annales tuos, qui non oscitanter legat, passim videat, necesse est. Nam tum à materia, tum à calamo id minimùm inter cæterorum alios suum sibi proprium vendicant, vt ex eorum lectione lector non solum commotior; sed ad vitam etiam componendam euadat instructior. Quæ gloria Sallustio est præ Liuio & aliis, Lipsio iudice. *Iam vero princeps historiarum* (inquit) *audit Liuius. Si magnitudinem operis, & varietatem rerum spectamus; recte; sed tamen (quod more maiorum liceat) à Liuij lectione semper commotior surrexi, non semper melior, aut ad vitæ casus instructior. Sallustius vnus*, &c. Hoc ergo primum, Religiosissime Princeps, idque maximum bonum nobis à tuis annalibus proficiscitur; & quidem aliis alia; militibus vero nostris illorum imagines proponuntur, qui cum in sæculo quondam generis nobilitate, opum fulgore, & gratia cunctorum ordinum apud Populos præualuissent, mortificationem Christi in corpore suo circumferentes ad meliorem vitæ frugem se spretis voluptatibus, & diuitiis (fallor, nisi vita quoque ipsa) receperunt. Quod aliud ergo ad milites animandos efficacius argumentum? Quæ præsentior antydotus tantis morbis? Quid enim vel viuens; vel moriens metuat, *Cui viuere Christus est, & mori lucrum.*

Bern. ser. ad milites Templi.
Thraseas.
Iust. Lipsius nuncupat ad Annales. Taciti.
Ad Philip. 1.

Qui cæteras horum tuorum Annalium laudes velit perstringere, par alterum simul volumen curet ex ipsis texere; industrius omnino est, & disertus, quin etiam fidissimus hic tuus labor. Veritatem vbique amans, & inuestigãs. Nihil enim veri non audes, nihil audes, falsi, ne qua gratiæ suspicio, ne qua simultatis in scribendo esse videatur. Eoque semper locupleris alicuius Auctoris filo quoquouersus latebrarum in obscurissimo quamuis longorum retrò temporum labyrintho cæca ducis vestigia Theseo cautior. Iure enim optimo à Cryticis sugillantur, qui multa sine auctore, vt de suo cerebro dicant aliqua, historiis inserunt, quas scribunt, neglecta sine pudore, *Quæ historia pes, & caput est, veritate*, vt inquit Lipsius. Seruat etiam eruditissimum hoc tuum opus in tanta varietate rerum concinnum ordinem annalibus nimirum textum, quo splendidior rebus abditis lux affulget. Prudentissimorum virorum eius sæculi accuratè consilia explicat, & ea quasi manu demonstrat. In rebus gestis non solum quid dictum sit, vel actum aperit, sed etiam quo modo. Cum de euentibus loquitur, causas ostendit omnes vel casus, vel sapientiæ, vel temeritatis; hominumque ipsorum tum gesta, tum mores, & ingenium summa dexteritate proponit, verborum rursus rationem, & delectum in rebus etiam pietate claris, religione conspicuis nequaquam spernens retinet genus orationis fusum, atque tractum cum lenitate quadam æquabili iugè fluens. Res valdè cognitu dignas, & multis nominibus salutares mira perspicuitate in medium profert, breuitate iusta: neque enim opus est longum; sed vere multum. Quæ tandem aliis scientiis ferè singula; hac legitima historia Cistercienses plenis vniuersa nobis manibus proponuntur. Poëta, si appositè ad delectationem, Orator ad fidem, Philosophus ad curiositatem, Iure Consultus ad polytiam, Theologus ad vitam, adde beatam, disputauerit: impleße munus suum videntur; Tu verò sapientissime Præsul, tua in historia hæc omnia simul misces, & arte mira temperas. *Quapropter auguror, nec me fallit augurium* (verba sunt Plinij nepotis ad suum Tacitum) *historias tuas immortales futuras.* Quò magis omnes tui (vt nunc de exteris taceam) inseri cuperent. *Nam si esse nobis cura solet, vt facies vestra ab optimo quoque artifice exprimatur: nonne debemus optare, vt operibus nostris similis tui scriptor, prædicatorque contingat? Felices, ac vere beati, quibus contigit.*

Lipsius sup.
Plin. lib. 7.

Sed enim Censorem ago (ita, illustrissime Princeps, voluisti) non Panegyristam; nec, me hercle, viribus meis tantum adulor; verum enimvero fateor ingenuè, me, quem tua ipsius iura præscripsere Censorem, tam absoluti operis merita laudatorem impare effecisse. Censui; non laudaui. Pacem Augustâ postridie Kal. Octobr. anno M. DC. XLVI. nostræ salutis.

D. D. IOANNES DE LA GVERRA.

Censura

Censura R. admodum P. Mag. Fr. IOANNIS DE CEA ex alma Prædicatorum familia in Sacro Diui Patris Dominici Conuentu Pacensi meritißimi Prioris, atque Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris.

PRÆCLARVM elaboratißimumque opus (Cistercienſium ſeu verius Eccleſiaſticorum Annalium à condito Cistercio Tomus quartus) nuncupatum; à Sapientißimo Illuſtriſſimoque Domino Fratre ANGELO MANRIQVE, huius Pacenſis Eccleſiæ digniſſimo Antiſtite, olim in Salmanticenſi Academia Primariæ Cathedræ Moderatore emeritiſſimo, ac ſui Ordinis in Hiſpaniæ Regnis generali obſeruantiſſimo, ipſius iuſſu perlegi: Etſi quod elegantiæ, ponderis, & veritatis in illo, laudans notani, quod omnigenæ eruditionis inueni (ſiquidem Angelicam cognitionem æuo menſurandam ſapit) demirans ſupra captum humanum extuli. Plane placidum opus, vtiliſſimus & veluti apis argumentosè melificatus labor, in quo poma omnia noua, & vetera Ciſtercij pomarij dilucide intertexta videntur, ſicut vetera noua vita, & noua ad inſtar veterum, viuere intueantur. Sic tomus iſte quartus primis venuſtatem accumulat, vt cum Seneca de beneficiis cap. 28. *Res ſua principia magno gradu tranſit.* Fidem aſtruit validiſſimis fundamentis, mores exemplis inſtruit, & non ſine magno fœnore, ad clariſſima ſpecula componit: Vnde digniſſimum hoc opus, quod typis mandetur, cenſui, vt æternitati detur. Datum in prædicta ciuitate Pacenſi, in hoc almo cœnobio Diui Dominici die vigeſima tertia Septembris anno M. DC. XLVI.

FR. IOANNES DE CEA.

Censura R. admodum Patris IOANNIS XIMENEZ DE ZALAMEA Seraphicæ familiæ Sacræ Theologiæ Præceptoris emeriti, Custodis Prouinciæ S. Michaëlis, & in almo cœnobio Vrbis Pacenſis digniſſimi Antiſtitis, ac Sanctæ Inquiſitionis Qualificatoris.

CISTERCIENSIVM ſeu verius Eccleſiaſticorum Annalium à condito Ciſtercio Tomus quartus (ab Illuſtriſſimo Reuerendiſſimoque Domino Fr. ANGELO MANRIQVE BVRGENSI, olim eiuſdem Ordinis in alma Hiſpaniarum obſeruantia digniſſimo Generali, Declamatore Regio, atque in Salmanticenſi Academia Sacræ Theologiæ Primario Anteceſſore, & nunc Sanctæ Pacenſis Eccleſiæ vigilantiſſimo Præſule) elogia potius, quam cryſin aut cenſuram exoptat. Quis enim auctorem, vel opus iudicare præſumat, & non potius laudare contendat? Auctorem ſi attendas Præſulem vigilantiſſimum, beneuolum paſtorem, largum ac munificum egenorum parentem, aſſiduum diuinarum laudum decantatorem, fortiſſimum in defeſſis precibus, coluctatorem inuenies. Quid plura? Auctor ille eſt qui (*vt de Monachis Orientalibus olim dicebat Sulpitius*) *totus ſemper in lectione, totus in libris, non die ac nocte requieſcens, ſemper omnibus profecturus, aut legit aliquid, aut ſemper ſcribit.* Quid ni? cuncta ſiquidem (vt verbis vtar Caſſiodori) *vnde famam capit humanitas in eo geminata ſederunt; Patria, genus, inſtituta præclara*, &c. *Vt merito morum exemplum, mundique Magiſter exiſtat.* Talis apparet Manrique. Mirabimur ergo an potius feremus cenſuram? Et miremur, & laudemus, non vtique proferamus iudicium, tantoque operi, talem ac tantum aſſignemus artificem; & ſuæ ſacræ familiæ totus orbis inuideat honori, cui tam pulchram, tamque venuſtam, Angelicæ ſuæ eloquentiæ floribus coronam intexit. Quid de opere? nonne Angelicum plane? nonne virtutis oraculum? nonne morum Lycæum, & omnium pene deſiderabilium pulchra ſupellex? pulchra certè, & piorum norma, & fidei columna, quæ æternum doctrinæ pondus operetur in nobis. Cætera omnia, & pleraque alia, quæ ſilentium modeſtè premit, opus reddunt laudabile. In quo nihil contra fidem inueni, plura pro fide, aduerſus religionem, & mores nulla, pro religione; & moribus plura ſatis, & egregia, quæ ædificent, quæ proſint, quæ inſtruant, quæ delectent. Et vt, multa paucis concludam pro operis, & Auctoris excellentia dicam cum Seneca vnico, ſed pro multis verbo; *Maior ille eſt qui iudicium abſtulit, quam qui meruit.* Quæ omnia opus reddunt, vt luce, & laude ita prælo dignum. Hoc meum iudicium, in hoc ciuitatis Pacenſis cœnobio Seraphici Patris noſtri Franciſci. Kalendis Octobris anno M. DC. XLVI.

FR. IOANNES XIMENEZ DE ZALAMEA.

LICENTIA ORDINARII.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in ſacra Theologia Magiſter, in Eccleſia S.Crucis Cuſtos,& D. D. Alphonſi Ludouici du Pleſſis de Richelieu, Eminentiſſimi Cardinalis, ac Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Lugdunenſis Prouicarius Generalis: Librum, qui inſcribitur: *Ciſtercienſium, ſeu verius Eccleſiaſticorum Annalium à condito Ciſtercio, Tomus IV. Authore R. P.* ANGELO MANRIQVE, à Theologis approbatum in lucem edi facultatem concedimus. Lugduni, 26. menſis Auguſti, 1648.

DEVILLE.

CONSENSVS.

OPus inſcriptum: *Ciſtercienſium, ſeu veriùs Eccleſiaſticorum Annalium à condito Ciſtercio, Tomus IV. Authore R.P.* ANGELO MANRIQVE, Ego Regis Conſiliarius & Procurator in Lugdunenſi Præfectura, in lucem edi non impedio. Lugduni die 25. Septembris, 1648.

LORIN.

PERMISSIO.

VIſo Procuratoris Regis conſenſu, hunc Librum, qui inſcribitur: *Ciſtercienſium, ſeu veriùs Eccleſiaſticorum Annalium à condito Ciſtercio, Tomus IV. Authore R.P.* ANGELO MANRIQVE, typis mandari LAVRENTIO ANISSON concedimus: & ne quis, vltra conceſſam facultatem, denuò excudat, prohibemus. Lugduni. 26. Septembris, 1648.

SEVE.

INDEX

INDEX
ANNORVM, ET CAPITVM
TOMI QVARTI.

Iesu Christi annus 1198.
Cistercij 116.

CAP. I. 1. PETRVS Rex Aragonum ad Duces Crucesignatorum Legatos mittit? Cum eis colloquium habet 3. Quæcumque postulat ad scriptum rogatus redigit. 4. Pro Comite Fuxensi, Tolosanoque & Conuennarum 5. Multa promittit, quæ ignaros mouerent. 6. Responsa Patrum pro Comite Tolosæ, 7. & Conuennarum 8. Fuxensique, 9. & pro Gastone de Bearno 10. Demum monita sancta pro ipso Rege.

II. 1. Noua petitio Regis Aragonum 2. de nouo negata à Patribus 3. eiusdem Regis prætermissa appellatione 4. Grauis & elegans Archiepiscopi Arnaldi ad eundem Epistola 5. sed fructu prorsus vacua 6. Interim Innocentius circumuentus per nuntios Regis, 7. primum Arnaldo bello procedat contra Hæreticos 8. Mox Comiti Monfortio, 9. vt Castra restituat: 10. Demum Arnoldo ab Episcopo Regiensi 11. præmissis Aragonensis Regis querelis, 12. vt congregent Concilium 13. & quid ex vsu videatur ipsi rescribant.

III. 1. Patres Concilij Innocentio Papæ mittunt nuntios, & litteras 2. in quibus de hæresibus 3. & Tolosano Comite, à quo nihil non tentatum contra Catholicos 4. deque eius complicibus, 5. vna cum omnium iudicio, & petitione 6. Fulco & Guido per Galliam crucem prædicant; 7. & Ludouicum Regis Franciæ filium cruce signant 8. Rex Aragonum impedire conatur prædicationem 9. Sed Innocentius veritate exactiùs cognita 10. ad eum fæuerè scribit, 11. & Tolosanos Episcopo Fulconi, 12. Reliquos omnes Arnaldo Narbonensi absoluendos, puniendosve remittit. 13. Demum innouat prædicationem Crucis contra hæreticos.

IV. 1. Rex Angliæ Abbates Cistercienses mittit ad Innocentium. 2. Dubium an in cautela. 3. Innocentij responsum 4 graue, 5. & sæuerum 6. Eiusdem Pontificis litteræ ad Pandulphum, 7. atque Durandum, 8. Legatos ad Regē missos. 9. Forma satisfactionis Regi præscripta, 10. & restitutio Stephani, Pontigniacum, Præsulum Cantuariensium notum asylum 11. Collatus Stephanus Thomæ Edmundoque 12. & de operibus eius nonnihil dictum. 13. Promissa Regis exacta per Legatos, è quibus vnus Cisterciensis etiam fuit.

V. 1. Abbatibus de Spina, & de Vrsaria in Regem Lusitaniæ causa commissa, 2. remissa ad Pontificem. 3. Sed iterum ad ipsos reuocata. 4. Quid in eadem ab eis pro Sanctia, atque Tarasia sororibus. 5. Fulco in Leodium rediens, quo tempore ægrotabat Maria de Ognies. 6. Mirus illius affectus in Cistercienses, 7. & in Sanctum Bernardum 8. Qualiter Monialem Cistercienſem 9. à Dæmone, per preces liberauit? 11. Quid in Monacho? 12. Et qualiter etiam restitutus? 13. Decedens Sancta Cistercienses consolatur, 14. Et vita eius, hortatu Fulconis, scripta.

VI. 1. Martini Seguntini quondam Episcopi mors. 2. Loco inter Ouilam, & & Hortam, 3. quo funus deductum 4. Miracula frequentia post sepulturam 5. De Capite Sacerdotis cuiusdam Sancti Seguntiam delato post breue tempus. 6. Quid Presbyter Iulianus, & quid ipsa Ecclesia Seguntina? 7. Sed vtrumque difficile, 8. nec conforme Ecclesiarum traditionibus, 9. creditum vulgo caput Beati Martini, 10. quod ex corpore eius post CCC. LXV. annos translato, & incorrupto

corrupto inuento, ſed acephalo, efficaciori indicio, comprobatur.

VII. 1. Proſperati hæretici 2. impedito aduentu Ludouici, qui Crucem ſumpſerat, 3. & mutata aduersùs Orientales Sarracenos prædicatione. 4 E contra Petro Rege Aragonenſium ſub titulo oppreſſorum, affiniumque 5. eorum defenſionem aſſumente, 6. & bellum indicente Monfortio Comiti: 7. Coactæ copiæ, 8. & tradita qualeſcumque cauſæ ſuſcepti belli 9. Tum obſeſſo per Regem Caſtro Maurelli 10. Monfortius Monaſterium Bolbonæ adit, & ſe, ac ſuos & cauſam Deo commendat. 11. quæ illi, ſupra alias, cauſa fiduciæ, 12 qua non obſtante, teſtamentum condit, & tradidit Abbati, ad Innocentium, ſi obiret perferendum.

VIII. 1. Arnaldus Epiſcoporum, & Abbatum Concilium congregat, per quos, ſi poſſet, Petrum emoliret 2. Noſtri Murellum intrant: & diem Crucis deſignant Crucis victoriæ 3. vix anceps pugna: 4. & Petrus rex occiſſus in ipſa acie 5. Monfortius Comes aduerſus auguria fœlix 6. Crux adoranda militibus producitur à Fulcone Epiſcopo. 7 Dein contritis, ſi in eo prælio decedant, repromiſſa ſalus 8. Toloſani ignorantes ſuorum cladem; & pacem reſpuunt & miſerè occiduntur, 9. euadentibus paucis, 10. Corpus Petri delatum in Xigenam, vbi ante paucos annos repertum integrum, 11. Hieronymus Blanche ſingularis ſententia de hac victoria.

IX 1. Hiſtorica Epiſcoporum, & Abbatum 2. ad omnes Chriſti fideles ſcripta Epiſtola 3. Toloſam in dolo obſequium offerunt. 4. Quid Petrus Aragonius, cum Epiſcopos venientes operiretur. 5. Toloſatus Epiſcopus Arnaldi Narbonenſis vices exequitur, 6. ingens victoria, & occiſus Rex Aragonum. 7. Numerus vtrinque occiſorum penè incredibilis, 8. Arnaldum & Guidonem non affuiſſe. 9. Quid Fulco egerit adhuc pro Toloſanis 10. ſed qui ſtare renuunt promiſſis. 11. Et dictum de loco, quo Rex interemptus.

X. 1. Innocentius, reuocatis indulgentiis conceſſis Albigenſium impu[illegible]oribus. 2. Crucem in Sarracenos [illegible]es per Abbates Ciſtercij præ[illegible]t 3. raptis à monaſteriis [illegible]ibus. 4. Hinc exercitus Chriſti pene deficiens, 5. & Guido, Arnolduſque ad Pictauiam digreſſi, 6. dum nuptias Amalrici tractant, hæreticos reparari per otium ſinunt. 7. Interim detento à Monfortio Iacobo puero 8. proceres Aragonum diuiduntur. Dictum de patruis, 9. & delegatione miſſa ad Pontificem, 10. & an hæc prior Monfortio Comiti facta.

IX. 1. Carentia Virgo Genua Plazenciam rediens, 2. Monaſterium ex propria dote conſtruit. 3. Gaufredus Siluanectenſes abdicatis infulis, Monachum induit. 4. Idem Adam Bolonienſis in Clara-Valle, 5. iniuncta quædam Abbati Longipontis, 6. Itemque Abbatibus Ciſtercij, Morimundi, de ægris, & Prioribus Ciſtercij, & Fontis frigidi, 7. & de Salem, Boncia, & Sconaugia, 8. Ioannes Treuirorm Pontifex in Hemmenrode ſepultus, 9. atque demum correctus Rades Andradius.

XII. 1. Acta Capituli; 2. & ad querelam Epiſcopi Quinque-Eccleſienſis. 3. Recitata Innocentij Papæ Epiſtola, 4. quæ noſtris temperandæ exemptionis decimarum occaſio, 5. Et temperatio confirmata in conuentu, atque ad alios exemptos, extenſa fuit. 6. Eſcarpenſis Abbatiæ in Catalonia origo. 7. Sancti Andreæ de Valle-benigna tranſlatio ad Palatiola, 8. inſtrumentis productis, 9. Demum fundatio cœnobij Olobokenſis.

Ieſu Chriſti annus 1214.
Ciſtercij 117.

CAP. I. 1. Balduinus Toloſani Comitis fater, ſed verè pius, 2. in proprio Caſtro proditur, vincitur 3. Tum ſociis eius atrociter occiſis, 4. Sacræ Euchariſtiæ cõmuninone negata, ad Fratrem ductus, patibulo ſuſpenditur, 6. infamia Raymundi ex fratricidio, 7. Sed hæreticis ex vindicta, reſumpti animi. 8. Tum prædicatio crucis aduerſus ipſos iterum reſtituta 9. Et Guidonis induſtria multi ſignati. 10. Concurſus omnium, & de numero ſub dubio animaduerſum.

II. 1. Induciæ primùm pactæ cum Narbonenſibus, 2. & à Comitibus Fuxi, & Conuennarum caſtra accepta. 3. Guido in Rutinenſes, & Caturcenſes miſſus, 4. graſſatur in hoſtes. 5. Inde Monfortio iunctus, Legati vices gerens in exercitu,

exercitu, 6. Hæreticorum castra, 7. multa deuastant. 8. In expugnatione Casanolij 9. labor insolitus. 10. sed tandem nostris hymnos decantantibus, 11. fœlix victoria & parta sine sanguine.

III. 1. Expugnatum à nostris castrum domæ, 2. & Castrum Monti-fortis, laborans sub tyrānide impiorum coniugum, 3. Vtrumque dirutum, atque item Castrum nouum 4. Quid de Benatio? 5. Et qualiter post hæc pax terræ reddita? 6. Petrus Cardinalis Beneuentanus Aragonenses visitat. 7. Interim Fulco Tolosanus Tolosam intrat. 8 Narbonensem arcem occupat. 9. Sancto Dominico Sancti Romani Ecclesiam donat, 10. atque item sextam decimarum partem ad victum.

IV. 1. Apostolorum Prusiæ mirus fructus. 2. Fugatorum in ea Prouincia dæmonum, 3. atque virtutis mysteriorum fidei clara indicia 4. Petrus creatus Patriarcha Antiochenus 5. Monasterium de Iubino Cistercio donat, 6. appositis quibusdam conditionibus, 7. quæ tamen statim veniunt reuocandæ. 8. Græcorum de Locedienſibus querelæ. 9. Innocentio propositæ. 10. Innouatis excessibus, expulsi nostri, sed restituti. 11. Et vt illi ferebant, per subreptionem. 12. Demum Cardinali Episcopo Albanensi inquisitio, sententiaque commissæ.

V. 1. Expugnata Alcantara, & donata Calatrauensibus, 2. quos ingens fames vexat. 3. Animaduersus error Recentiorum 4. Alphonsi Magni Castellæ Regis mors, 5. Sepultura in Huelguensi Monasterio; 6. ad quod funus deductum. 7. Translatio corporis, & signa sanctitatis 8. Eleonoræ Reginæ sequutus obitus, 9. atque opera vtriusque satis magnifica. 10. In Lusitania Alphonsus absolutus. 11. Sed spoliatus arcibus, & ingenti pecuniæ summa multatus, iterum interpellat summum Pontificem.

VI. 1. Consummato cœnobio Montis Lanæ 2. Sancta Francha Cistercium profitetur 3. Placentini interdicti propter bella. 4. Lachrymis eius vtramque pacem impetrant. 5. In Hispania Sanctus Bernardus Caluonius habitum suscipit. 6. Epistola Francisci Abbatis ad Galcerandum Viquensem 7. de eius actis, 8. studia sancti ante habitum assumptum. 9. Parentum, propinquorumque suasiones. 10. Qualiter eorum laqueos euaserit?

VII. 1. Monasterium Kerckem Monialium in Theutonia. 2. Virginis Idæ patria parentesque, 3. Misericordia, 4. amisso patre, carnales nuptias fugit 5. Inter Virgines degit. 6. Triennio post elapso, matrem amittit. 7. Virtutes eius, sed præcipua charitas. 8. Monasterium Kerken hoc anno intrat. 9. Theutonicæ linguæ in principio prorsus ignara. 10. Translata domus in Brabantiæ locum, dictum Pameya. 11. Pactum Idæ cum Christo satis lucrosus. 12. & lucri interius accepti signa externa.

VIII. 1. Guidonis Claræ Vallensis Abbatis mors, 2. & Conradi successio. 3. Pro quo in Villario suffectus V Valterus, 4. cuius miræ virtutes, 5. & donum lachrymarum incomparabile 6. Dunensis V Valsasensis electiones. 7. In Hemonenrode visio, 8. hoc anno facta Monacho cuidam, 9. atque altera Priori eiusdem loci. 10. Vdardus, Margaritaque translati ad superos. 11. Chronologia. 12. Et de Sancto Georgio dictum, atque Curciaco, quæ eadem cum dicta capite quarto.

Iesu Christi annus 1215.

Cistercij 118.

CAP. I. 1. Coacta Synodus in Monte Pesulano 2. in qua relatum de dominio vrbis Tolosæ, 3. quod votis omnium cessit Monfortio Comiti: 4 missusque Ebredunensis Archiepiscopus, qui confirmari curaret ab Innocentio 5. Actum & de Iacobo Aragonensi. 6. Destinato interim in Galliam Guidone Præsule. 7. Pontificis decretum de Iacobo 8. Quid illi Cistercienses dum in custodia? 9. Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede semina iacta. 10. Iurata pax, 11. & redditus Iacobus Aragonensibus, 12. atque ab eis susceptus cum magno gaudio.

II. 1. Confirmata electio Simonis Comitis, 2. & literæ Pontificis ad ipsum, 3. laudantes virum 4. feudum confirmantes, 5. & exhortantes ad belli continuationem, 6. Diuersæ hæ ab his, quæ pro Iacobo. 7. Guidonis reditus cum Ludouico Principe; 8. occurrentibus Simone, Arnaldoque; 9 Inter quos progrediente illo, 10. dissensio orta super muris Narbonæ, 11. qui tandem diruti. 12. Tolosa tradita, 13. & muri etiam euersi; 14. atque alia nonnulla ibi peracta.

Index Annorum, & Capitum.

III. 1. Concilium generale Romæ coactum. 2. Ioachimi Abbatis in Petrum Lombardum liber 3. qua occasione scriptus, 4. & quo excessu? 5. In eodem Concilio damnatus est, 6. & conuicta doctrina, 7. Salua authoris persona, 8. qui omnia Ecclesiæ iudicio ante submiserat 9. Subscripta ad hoc Epistola notanda, 10. Aliæ eiusdem Abbatis excusationes, 11. vt non omnino certæ, non improbabiles.

IV. 1. Fulco Dominicum ad Concilium Romam adducit. 2. Pontifici præsentat. 3. Egregiam pro eodem operam nauat. 4. De ipsoque testimonium insigne perhibet, 5. Quid statim Pontifex pro noui Ordinis Prædicatorum constitutione? 6. Et quod eius officium ex Cæsario. 7. Alnensis Simon vocatus ad Concilium, 8. qua occasione 9. & quam multis Propheta probatus fuerit. 10. Pax inter nostros occasione chartæ charitatis cœpta turbari, 11. resarcita in Concilio, 12. emendatus Chrysostomus Henriquez, qui Alanum magnum eidem affuisse tradit.

V. 1. Capitula, aut conuentus generales indicti Monachis, 2. quibus Abbates Cistercij præsiderent; 3. extensique ad Canonicos Regulares, 4. cum ampla præsidentium iurisdictione, 5. Plures huius decreti innouationes. 6. Confirmatæ, & extensæ Cistercij leges decimas concernentes. 7. Quid in causa Albigensium hæreticorum, 8. contra quos Vinius congregatum Concilium putat. 9. Abbas de Bello-loco ab Anglia missus, 10. in Stephanum Languetenium, pro Rege prævalet. 11. Demum quid Rodericus Toletanus pro sua sede, atque totius Hispaniæ Primatia.

VI. 1. Lutgardis Virginis ingressus in Aquiriam. 2. Patria, Parentes, primaque educatio, 3. à Deo mire præuenta: 4. Monachatus in Monasterio Sanctæ Catherinæ, 5. Victoria parta de iuuene impudico: 6. atque de alio milite. 7. Dein ex Dæmonis suggestione pusillanimitas, 8. cui Beata Virgo, & Catherina Martyr occurrunt. 9. Ingens eiusdem cum Christo familiaritas, 10. & duo signa miranda visa in ipsa.

VII. 1. Eximium Curationis donum Lutgardis Virgo pro dono intelligentiæ; 2. sed hoc mox pro augmento charitatis libens permutat, 3. adaucto interim intelligentiæ dono. 4. Christi in cruce pendentis amplexus suscipit. 5. Dein pœnitentia agenda pro peccatoribus, & septem ieiunia illi iniuncta, 6. in quo ingens miraculum. 7. Itemque aliud erga egregium virum Iacobum de Vitriaco, 8. stillat oleo: 9. & Christo consecratur. 10. Miraculum continuum in eius cantu.

VIII. 1. Lutgardis in Priorissam electa sui cœnobij, 2. quod diu conceperat Cistercium intensius ardet. 3. Dein orta occasione etiam accelerat. 4. Consultatum statim de Monasterio, 5. & electa Aquiria; 6. vbi mutato habitu pro relictis filiabus orat, & exauditur. 7. Aquiriæ, atque Cistercij ingens encomium. 8. Noui timores Virginis, & noua ad eam de cœlo facta oracula. 9. Confirmata miraculo patenti, 10. Cum cuperet dissolui, reseruatur oratura pro mundo. 11. Demum quomodo relicta suæ quieti?

IX. 1. Ioannis Angliæ Regis in Ecclesiam contrarius animus; 2. nec minus in Cistercium. 3. Mors in Suuinshede, quam propinato per Monachum veneno, 4. seu suæ domui, seu Angliæ prouidentem, sunt qui attribuant. 5. 5. Quamuis Arsefeldius, & alij aliter sentiant. 6. Conuersi cuiusdam supplicium satis pauendum. 7. Alterius visio, 8. & Monacho decedenti sine cuculla, 9. dilata gloria; 10. Priuilegium Florensibus indultum, 11. & de Ioanne Valcellensi dictum in dubio.

X. 1. Acta Capituli concernentia diuinum cultum, 2. & quædam specialia. 3. Chronologia, & de loco Sanctæ Mariæ. 4. Abbatia de la Vega, 5. Donatio loci, 6. & pauca quædam in ea animaduersa. 7. De Parco Dominarum Monialium prope Leodium. 8. Atque item in Belgio de Nouo Bosco. 9. Cellense Monasterium in Lusitania, 10. & dictum obiter de tempore Monachatus Reginæ Sanctiæ.

Iesu Christi annus 1216.

Cistercij 119.

CAP. I. 1. Status rerum, 2. & Fulco suis restituens Sanctum Dominicum, 3. Cuius consilio ab eis electa Regula, constitutionesque, 4. & primum Monasterium ipsius dono 5. Monfortij Comitis prospera fortuna, 6. stare diu nescia. 7. Belli quadrum obsessum; 8. & tandem captum, (vbi & dictum de Guidone

Guidone Carcassonensi) 9. Tolosa rebellis, 10. Fulco reconcilians Simoni ciues. 11. sed facto prius pretio, quod non exigui post mali occasio fuit.

VIII. 1. Brunonis Capellani Sancti Antonij peregrinatio, 2. Mors, & post mortem miracula. 3. Iacobi Cisterciensis Abbatis obitus, 4. & nonnulla sub ipso. 5. Guillelmi successio, & qualis sub eo decor Cistercij fuit. 6. Brunubardus ad superos translatus. 7. Christianos Cruciferos aduersus Prusios vocat, 8. & multa illis largitur, nec sine fructu. 10. Olomacensis, & Frisingensis Episcoporum, atque Ducis Brabantiæ causæ nostris iunctæ. 11. Casæmarium à Ciuibus Soranis multa passum: 12. super quibus Gregorius Papa scribit. 13 Gesta, & successio Magistrorum Alcantariensium.

IX. 1. Loci Sanctæ Mariæ translatio celebris, 2. Grauamina, & molestiæ, 3. à quibus ad Mariam est appellatum. 4. Cælestis visio 5. comprobata ipso euentu, 6. & pauenda vindicta 7. de cunctis, qui inuadebant Cœnobij bona. 8. Recusata translatio per Theodoricum Treuirorum Pontificem, 9. & tandem indulta. 10. & dictum de Hermanno, & eius obitu.

X. 1. In Capitulo paucæ, aut nullæ leges. 2. Regalis Mons, sancti Ludouici opus insigne. 3. Notata quædam de eadem fundatione. 4. Iguotæ aliæ, sed notior Maris stella. 5. Viridarium, Monasterium Sanctimonialium. 6. Pounduni initia, 7. Progressus, translationes, 9. atque aliæ notitiæ. 10. Demum de Abbatia Viuarensi.

Iesu Christi annus 1228.

Cistercij 131.

CAP. I. 1. Murmur in nostros, molestiæque ab Episcopis; 2. & Guillelmi pro eis solicitudo. 3. Priuilegia impetrata, 4. quantum ad dietas 5. quantum ad exemptionem à Generalibus, 6. pro Eleemosinis, 7. pro sepulturis, 8. Coniectata Romani Cardinalis interceſſio ad hæc omnia: 9. & declaratum quod ex eis illustrius, antiquiusque, & quatenus à Gregorio relatum in corpus iuris.

II. 1. Rex Ludouicus Romanum Cardinalem aduersus Albigenses Legatum petit. 2. Responsum eius, & iustæ petitiones. 3. Gregorius ad Capitulum generale Cistercij scribit. 4. atque item ad Regem gratulans puero, 5. & nihil aliud illi, de negans. 6. Legatus Grandis-siluæ Abbatem sibi associat, 7. per quem Tolosam missum, cunctos reducit. 8. Sera, sed seria obedientia Raymundi. 9. per priores Ludouici litteras patens, 10. eiusque humilitas, & prudentia singularis.

III. 1. Capitula per Legatum iniuncta Raymundo Comiti, 2. pro Ecclesia, pro fide, 3. pro bono publico, 4. satisfactiones aliis exhibendæ; 5. sed præ aliis Cistercio. 6. Eruta Academia Tolosana ad instantiam Fulconis; 7. & confirmatæ donationes eidem factæ. 8. quædam alia mandata intra Hæreticos. 9. Raymundi obedientia: & Cistercium pro aliis commendatum in eius litteris.

IV. 1. Elisabetha à quibusdam consanguineis, 2. honorificè satis, 3. mox interuentu Procerum Siciliæ, ab affinibus etiam honoratur. Gregorij Pa-

pæ litteræ ad ipſam, 6. & eiuſdem profectus ab ipſis litteris. 7. Innouata obedientia, & aſſumptus habitus griſeus. 8. Quæ Franciſcanam probent? 9. Quæ Ciſtercienſem. 10. Reſponſum ad priora, 11. & obiter in eis conuicta aliqua. 12. Demum iudicium de vtraque ſententia latum.

V. 1. Arnulfus imminentia Eccleſiæ mala prædicit. 2. Ante mortem, exquiſito cilicio, corpus macerat. 3. in febrim incidit. 4. diſſolui, & eſſe cum Chriſto ardenter optat. 5. Sanctè obdormit. 6. Sancti viri funus, & ſepultura. 7. Apparitio poſt mortem: 8. eaque duplex. 9. Miraculum per cilicium eius patratum. 10. Qui authores illius vitam ſcripſerunt? 11. Et qualiter impedita ſit eius canonizatio?

VI. 1. In Villario cum aliis Abundus floret. 2. De Villarienſibus gloriioſam viſionem videt. 3. De conſanguineo extremè laborante admonetur à Virgine 4. & ei mentem, & pœnitentiam veram impetrat; 5. atque cuidam nouitio perſeuerantiam 6. Quas orationes à Virgine didicerit? 7. neque ſimplices tantum, ſed multiplices 9. Demum quali fauore, quantoque per hoc tempus à Deo donatus ſit?

VII. 1. Eligendo Archiepiſcopo Biſuntino, Guido Morimundenſis deſignatus: 2. & ſe eligi impedit, 3. & electionem de Collega factam, declarat irritam. 4. Tum litiganti electo Archiepiſcopus Viennenſis, & Abbas Firmitatis 5. iudices dantur. 6. Rodulphi, Coggeshalenſis Abbatis mors; 7. itemque Stephani Cantuarienſis Archiepiſcopi, 8. & reprobato Gualtero, Richardus ſuffectus. 9. Dedicatio Eccleſiæ Besbenſuſenſis, 10. atque dotis augmentum; & prima Abbatiſſa electa in Nouo Voſco.

VIII. 1. Ferdinandus coniurantes in Regem eidem reconciliat. 2. Quæ coniuratio, & qualis? 3. Ferdinandi conſilium, Regi propoſitum, à cunctis acclamatum. 4. Vtriuſque colloquium, 5. & cum Guillelmo Moncada, cæteriſque, 6. Regis clementia in omnes. 7. Quæ vtrinque propoſita, 8. Quæ pacta, 9. Relaxati ab vtriſque, qui bello capti; atque aliæ querelæ. 10. Quid cum vrbibus pactum, 11. & qualiter vbique firmata pax?

IX. 1. Prouiſa quædam concernentia diuinum cultum, 2. & Abbatiæ tenues ſupprimi iuſſæ. 3. Quid de Monialibus, & leges pro eis latæ. 4 Chronologia, 5. Et dictum de Bello-prato iuxta Gerardi mentem. 6. Fundatio domus 7. amplaque dotatio, 8. & dotis incrementa. 9. Aleidis fundatricis, atque ipſius Monaſterij notitia breuis. 10. Roſtenium ad Alortum, & Nazareth in agro Placentino.

Ieſu Chriſti annus 1219.
Ciſtercij 132.

CAP. I. 1, Golbertus, Aſperi Montis Comes, cruce ſignatur. 2. Gregorius Fridericum excõmunicatum denuntiat. 3. Fridericus pro ſe primum reſpondit, deinde traiicit, 4. nec quicquam prohibente Summo Pontifice. 5. Gobertum Comitem, ſocium viæ captat. 6. contra Eccleſiæ fideles debachatur. 7. In Templarios, & Hoſpitalarios ſæuit. 8. Qui Gobertum implorant, & tandem ab eodem defenduntur. 10. Imperatoris pacta cum Sultano, 11. De quibus varia iudicia. 12. Goberti pietas, & morbus in ſacrorum locorum viſitatione.

II. 1. Guillelmus parens ad Reges Galliæ & Angliæ inter ſe diſſidentes, 3 atque bello certantes, legatus mittitur; 4. & vt pacem reformet inter eoſdem, 5. Summi Pontificis Gregorij litteras accipit: 7. Henricum, & ſi difficilius etiam perſuadet; 8. à quo tandem deſerti rebelles Galliæ, 9. Ludouico ſubduntur, & pax firmatur.

III. 1. Geſta hoc anno in Hiſpania per Ciſtercienſes. 2. Virtutes Sanctiæ, & laudes, 3. atque miracula, 4. tum ſancta mors, 5. atque funus delatum vſque Lourbanum. 6. Solemnes exequiæ, & Taraſiæ in Cellenſes magnificentia; 7. & de Sanctia diuerſæ viſiones, glorioſæ omnes. 8. Retardatus Taraſiæ Monachatus: 9. ſed maturatus à ſororis morte, atque illius Conſiliis acceleratus, 10. Eiuſdem largitas in Calatrauenſes. 11. Gregorij litteræ, 12 & quædam obſeruata notatu digna.

IV. Iacobus Eleonoram faſtidiens, & faſtiditus, 2. in Concilio coram Cardinali Legato, diuortium petit. 3. Declaratio Concilij, Regis per omnia votis ſe conformans. 5. Et maturata Balearia expeditio. 6. Alphonſi Legionenſis in coniugem priorem mirus affectus. 7. Taraſiæ Monachatus in litteris Gregorij Papæ expreſſus. 8. Ratio tẽporis, & notata alia quædam, licet in dubio.

V. 1. Beatæ

Index Annorum, & Capitum.

V. 1. Beatæ Elisabeth Houensis Acta perdita. 2. Quo tempore, quantumque præfulserit? 3. Defunctus quidam glorioſus ei apparet. 4. Quis ille? Et quid de Beato Hermano, ſeu Ioſepho. 5. Mors ſanctæ imminens. 6 Reuelatio ipſam præcedens. 7. Glorioſus obitus, 8. & notata quædam de Sancta Virgine. 9. Adam Morinorum Epiſcopus, infulis abdicatis, Monachum induit. 10. Acta eius, 11. & quem, & quando habuerit ſucceſſorem?

VI. 1. Beati Simonis Alnenſis Conuerſi obitus. 2. Antea, nec ſemel à Parricidis imminens, ſed ſancto liberato per Dei gratiam. 3. An Romam, ad Honorium Papam venerit; 4. & quid tunc illi cum quodam Cardinali? 5. Illuſtratus intellectus eius diuinitus, 6. & reuelata mors. 7. Timor & conſolatio de cœlo veniens. 8. Glorioſus obitus; 9. viſiones, & ſepultura. 10. Miracula: 11. Memoria ſanctitatis, & quædam dubia. 12. atque obiter de ætate hominis dictum.

VII. 1. Iacobus Rex in Baleares traiicit. 2. Initia belli improſpera; 3. quæ fœlix tandem victoria eſt conſequuta. 4. Viſibiliter fauente Chriſtianis Sancto Georgio. 5. Dictum de victis, 6. & de ſpoliorum æquali diſtributione: 7. ſed Prælatis Templariis. 8. Moncadarum ad Sanctas Cruces deducta funera: 9. & ſequutum miraculum. 10. Dictum de Raymundo Populetano.

VIII. 1. Abbas Petroſæ cum Petragoricenſi, Pictauienſi Eccleſiæ ordinandæ præfectus, 2. Gregorium conſulit. 3. ab eodem litteras, & reſponſum dubiorum accipit. 4. Flagitium atrox in Lugdunenſem Præſulem; 5. Cui vindicando Guillelmus Ciſtercienſis, & Abbas Firmitatis deſtinantur. 6. Gregorij litteræ; 7. & vindictæ modus impoſitus. 8. Velæ Regis Vngariæ priuilegium, 9. & ſucceſſio Magiſtrorum Auiſienſium in Luſitania. 10. Acta Capituli, 11. & Chronologia Abbatiarum. 12. Dictum de Pietate Dei. 13. & tandem VValteri Brauia Sanctimonialium domus.

Ieſu Chriſti annus 1230.
Ciſtercij 133.

CAP. I. 1. Iacobus peſte, & ſuorum diſceſſu minutus viribus, 2. ex Aragonia, & aliunde copias reficit, 3. Sarracenos Montanos ad deditionẽ cogit. 4. Quos inſularibus in mancipia donat. 5. Redux ad patriam, Populeti ſe primum ſiſtit. 6. Acclamatur ab omnibus; 7. Populetum repetit. 8. vbi ſuper Epiſcopatu Maioricenſi ſuborta diſcordia; 9. per Abbates Populeti, & Sanctarum Crucium; ipſo compromittente, terminatur.

II. 1. Alfonſi Legionenſis victoriæ de Sarracenis, 2. atque ad Sanctum Iacobum peregrinatio, & mors. 3. Contrarij affectus in Taraſiam, & Berengariam. 4. Illius filia Iacobo antea ſponſa, 5. poſt mortem Patris ſpreta 6. Bellum imminens ſuper Regni ſucceſſione: 7. in quo ſuſpecti Epiſcopi: 8. ſed Tharaſiæ conſilia prævaluere. 9. Inita concordia 10. Dictum de Sanctia maiori natu filia, 11. & de ſorore Dulcia; & miraculis Sancti Antonij Patauini.

III. 1. Iulianæ Cornelienſis mira viſio; 2. labores corporis, & vitæ abſteræ tenor. 3. Amor vſque ad deliquium mentis, & corporis. 4. eximia puritas, cœleſtium contemplatio, 5. fruitioque: 6. de animarum ſalute zelus ingens, 7. oſtenſus per miracula. 8. Compaſſio, & in omnes tentatos miſericordia. 9. Euam per Euangelium Chriſto generat. 10. Non ſolis viuis, ſed defunctis prodeſt. 11. & ieiunium per triginta annos protractum.

IV. 1. Illuſtris profetiæ dono Iuliana, 2. occulta cordis Euæ manifeſtat. 3. Salutem illi in vtroque prædicit homine. 4. Diſtantis Clerici pericula agnoſcit. 5. Heduuigi recluſæ multa reuelat. 6. Impurum Dæmonem oratione fugat. 7. Reſtituit oculum prominenti carne obſtruſum. 8 Quibus actibus communis hoſtis inuidens, 9. ſenſibiliter infeſtat Virginem Sanctam 10. Ignominiã reportans, & confuſionem.

V. 1. Iuliana electa in Prioriſſam Montis Cornelij, nullum optimæ Matris munus omittit. 3 Inuidia Dæmonis, machinamentaque; 4. longè ab ipſa præuiſa, 5. atque prædicta 6 Tum ſpeciales fauores ab Euchariſtia, 7. atque illius cognitio, diſcretioque. 8. Quibus ad eius feſtum promouendum, præparabatur. 9. Præceptum Chriſti, & declaratio præhabitæ viſionis.

VI. 1. Paganorum ex Monte Sancti Ioannis, aduerſus Caſſæmarium 2. flagitium atrox: 3. Caſſæmarienſium ad Gregorium Papam querela. 4. Eiuſdem indignatio: 5. qui grauem per vtrumque gladium vindictam parat. 6. Epiſcopi

in Ciſtercio reſidentes: 7. & impetratum pro ipſis indultum Summi Pontificis. 8. Proceſſus pro canonizatione ſancti Virgilij noſtris iniunctus. 9. Monaſterium Sancti Damiani, cum adiunctis, 10. incorporatur Monaſterio Sancti Matthæi, 11. impoſito perpetuo ſilentio Hoſpitalariis. 12. Dictum de Monaſterio Sancti Anaſtaſij. Et Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Orbitello.

VII. 1. Guido Cardinalis, qui olim Abbas Ciſtercij, ſanctè obdormit, 2. Acta eius, & laudes. 3. Dionyſij, Kaliſitani, 4. Mariæ primæ Abbatiſſæ Carricenſi mos, 5. atque huius encomium. 6. Mannes ſancti Dominici, Germanus ad Gumielem ſepultus. 7. Roderici Toletani donatio facta Hortenſibus. 8. Philippus Abbas, ad habitum admiſſus in Clara-Valle; 9. Et parricidium à militiis ſacris auerſum.

VIII. 1. Ida in Rameca florens, & fructus faciens, 2. occultiſſima quæque, 3. abſentiaque per Prophetiam noſcit. 4. Dæmones aduerſarios habet, 5. & eis imperat, 6. in Refectione, 7. ſicut in oratione puerum Ieſum videt; & eo fruitur, 8. Eundem à Maria Virgine 9. ſuſcipit. 10. Qualiter ſit à ſancto viro viſa, & cognita. 11. Septem Spiritus ſancti donis repleta, 12. menſe Octobri in grauem morbum incidit.

IX. 1. Acta Capituli, & Sanctæ Trinitatis feſtum promotum. 2. Chronologia. 3. Et Reformatio S. Mariæ de Plani: 4. De aliis breuiter. 5. Dictum de Fonte-claro, domo Hiſpaniæ. 6. Cœnobia Virginum de Soliers, & Vinea noſtræ Dominæ. 7. De Soliers plura. 8. De alio Flandriæ, ſed dubio Monaſterio. 9. Et inſtauratum Sanctę Crucis-Vallis.

Ieſu Chriſti annus 1231.
Ciſtercij 134.

CAP. I. 1. Templariis Hoſpitalariiſque ſpoliatis à Friderico, 2. Abbas Caſſemarienſis, à Pontifice ad ipſum 3. Legatus mittitur. 4. Friderici verſutia, 5. & ſtatus vrbis 6. Remiſſus Abbas ad eundem Imperatorem; 7. atque Archiepiſcopus Regienſis fruſtra adiunctus. 8. Friderici fraudes, & ſtatus turbidus. 9. ſed nihilominus à Gregorio omnia paccata.

II. 1. Rebellantibus in Imperatorem Italiæ Vrbibus, 2. atque Filio Henrico, Germaniſque; 3. ipſe ad fraudes conuerſus, Gregorium adit. 4. Ille ad Germaniæ Principes ſcribit. 5. Deinde Iacobum Sancti Anaſtaſij Abbatem, 6. Cardinalem creatum, 7. ad Lombardiæ vrbes legatum mittit. 8. Quid Fridericus. 9. Quid nouus Cardinalis; atque alia de hoc ipſo remiſſiuè.

III. 1. Sanctorum ad hunc annum glorioſi obitus. 2. Vocata à Chriſto Eliſabetha Vngarica, 3. & lecto decumbens, 4. ante mortem, vt olor, dulce canit. 5. De cœleſtibus diſputat: Dæmonem fugat, ſancteque obdormit. 7. conuerſus ad Feretrum, ſepulturamque; 8. & miracula ibidem à Deo facta. 9. Dictum de aliis, & de eius canonizatione remiſſiuè.

IV. 1. Ida poſt ſeptem infirmitatis menſes, abundantiori, ſuperfuſa gratia, 2. augeri ſibi morbum petit, & impetrat; 3. rapta in ſpiritu, 4. mortem præſtolatur. 5. Sanctè obdormit. 6. Ratio temporis, & inſcriptio ſepulturæ. 7. Miracula 8. poſt mortem, 9. multa 10. & varia. 11. Scriptores vitæ, & duplex Rhameyenſis Ida diſtincta. 12. Niuellenſi ibidem cultus exhibitus. 13. Commendatus Brito, atque iterum reſumpta ratio temporis.

V. 1. Fulconis Toloſani Præſulis obitus. 2. Et vitæ deſcriptio. 3. ſcripta, 4. atque memoria ſanctitatis. 5. Arnaldi Populetani Abbatis in Epiſcopum Agatenſem promotio. 6. Monachi Angli aſtutia, ſeu proditio, 7. cuius Cumhir cœnobium 8. pœnam luit. 9. Priuilegium Theobaldi, Campaniæ Comitis, pro domo Claræ-Vallis; 10. & pro Ciſtercio Gregorij Papæ Noni, in litteris quibuſdam notanda clauſula.

VI. 1. De reſidentia Clericorum litteræ, 2. præcipuè in Anglia, per noſtros exequendæ. 3. Inquiſitio pro coronatione Regis Noruegiæ: 5. & pro Venerabilis Lucæ Strigonienſis, 6. in numerum Sanctorum relatione. 7. Abbas Vallis paradyſi in Hiſpania, ad Regem Luſitaniæ; 8. Firmitatis, & Pruliaci in Gallia, ad componendas diſcordias Grandimontenſium; 9. Eleemoſynæ, & Fulcardi Montis, ad Tironenſes: 10. Amalfitanus in Italia Iudex, ad Pontificum lites decernendas; à Gregorio Nono deſtinantur.

VII. 1. Iacobus Aragonenſis, atque Sanctij VVaſconij mutua adoptio 2 Acta Capituli. 3. Grandis-prati initia, 4. atque inſtrumentum illius fundationis. 5. Sancti Stephani de Cornu Monaſterium, 6. ex Nigris Monachis, ad noſtros

noſtros reformatum; 7. atque ſanctæ Mariæ de Palaciolis, ex Eremitis Auguſtinianis, 8. primum in Prioratum Sancti Anaſtaſij, mox in Abbatiam filiam; 10. quas mutationes multæ aliæ ſunt ſequutæ.

VIII. 1. Pratenſe Virginum Cœnobium iuxta Trecas, 2. Recens erectum Epiſcopo ſubiicitur, 3. vt cum Trecenſi Capitulo componat. 4. A Ciſtercio reſpuitur, 5. mox admittitur; 6. temperata priori ſubiectione. 7. Seligental à Duciſſa Bauariæ Ludmilla conditur, 8. atque opimè dotatur. 9. Dictum de Spirenſi cœnobio Montis Salutis. 10. Villabona, Reginæ Taraſiæ opus, 11. & eius confirmatio: 12 ac filiæ Dulcis Monachatus in ipſa domo. 13. Demum nominis, 14. locique mutatio.

Ieſu Chriſti annus 1232.
Ciſtercij 135.

CAP. I. 1. Iacobus ſemel, 2. & iterum fruſtratus Legatiæ ſuæ fructu penè deſperat. 3. Tandem optatam pacem conditionibus vtrinque æquis componit, 4. non tamen firmam, Friderici dolo, 5. perfidiaque. 6. Actum Patauiæ de canonizatione Sancti Antonij, 7. de qua Legati ad Pontificem ſcribunt, 8. & præter ſpem inquirendi litteras impetrant: 9. properata reliqua, atque Antonius adſcriptus ſanctorum numero: 10. Inde inſtituta vniuerſa Lombardia, & Veronenſes diſcordes, concordati.

II. 1. Actum de Eliſabetha adſcribenda Sanctorum canoni, 2. cum miracula plura, in Ciſtercienſi Henrico, 2. aliiſque ad illius 4. Sepulchrum patrarentur. 5. Suſcitati; & præuenti mortui ſex; & collata Martino fœmina ſancta. 7. Super quibus Conradus Gregorio ſcribit, 8. Ille è contra cunctorum inquiſitionem, 9. Moguntino Archiepiſcopo, Abbati Eberuacenſi, 10. atque eidem Conrado libens commendat, 11. Demum Conradus hoc officio functus, priuſquam ſacrilego hæreticorum gladio perimeretur.

III. 1. Illuſtres Sanctitate viri, ex his, qui minus noti, circa hoc tempus. 2. In Valcellis Lambertus Pater noſter, 3. Et VValterus Baumontius. 4 Prioris memoria, 5. & Fuſniaci, orante conuentu, ingens miraculum. 6. Ac ſimile ex Cæſario. 7. Dictum de Monacho celebrante pro defunctis, 8 & de alio conſequuto peccati veniam interuentu Mariæ. 9. Virgo quædam Ciſtercium æmulata in quantum potuit; 10. de Dæmone triumphat, mox gloriam mundi fugiens, patriam deſerit. 11. Roberti Olomucenſis mors. Acta, ſepulchrum. 12. Vladiſlai funus, laudeſque: 13. Demum Henrici mors, & ſepultura.

IV. 1. Lauriſſa Abbatia Imperialis Benedictina, 2. Principatu Imperiali deſtituta 3. (qui in Moguntinum tranſit Archiepiſcopum) 4 vnire ſe Eccleſiæ Moguntinæ 5. petit, Et impetrat; 6. mox viſitata; 7. & Monachis expuſis, 8. Ciſtercienſibus traditur, 9. præueniente Pontifice Gregorio 10. Capituli Generalis authoritatem. 11. Inde noſtris per priores expulſis. 12. ſemel & iterum, 13. tandem vtriſque vacua per duodennium, canonicoſque admiſit Præmonſtratenſes.

V. 1. Rex Ferdinandus pro cœnobio Belli-fontis in Caſtella ſolicitus, domum ædificat, 2. & locum, & nomen mutat. 3. Gregorius Monaſterio Rheatino Sanctum Benedictum de Fundis vnit 4. Pro quo & Narnienſi Epiſcopo aliud, ex immediate ſibi ſubiectis, donat; 5. & Abbati, atque Monachis Fundenſibus 6. de mutato inſtituto congratulatur. 7. In Græcia Abbatia de Rufiniano ob diuturnam Græcorum pertinaciam 8. noſtris accreſcit; 9. Gregorij litteræ, 10. & ex eis, quæ ad Hiſtoriam facere poſſunt. 11. Aliæ demum, quibus Pontifex Caricampi Monaſterium ſibi reſeruat; & qua occaſione.

VI. 1. Fiterij, & Oliuæ Abbates in Hiſpania: 2. in Gallia de Alta Ripa, & Bello-loco, Claromontenſi, 3. Bethaniæ, & Firmitatis: 4. In Anglia, Stratæ Floridæ; in Italia Sancti Galgani: in Germania de VVers VVirle, 5. & Hemmenrode: in Auſtria, Sanctæ Crucis; in Vngaria, de Ægris: grauibus cauſis à Gregorio præficiuntur. 6. In Liuonia, qui forent defenſuri in Liuoneos graſſantur, 7. Pro quibus Epiſcopus Oſſilienſis, & Abbas, atque Prior Montis Sancti Nicolai, Ordinis Ciſtercienſis, conſtituuntur Legati 8. Prohibitum examen ferri candentis, 9. & quæ ab Epiſcopo fuerant ablata, iuſſa reſtitui.

VII. 1. Petrus de Albalate, & Guillelmus Cerbera Populetani, alter Achie-

piſcopus Tarraconenſis, 2. alter tutor Alphonſi Regis, Iacobi hæredis, conſtituitur, 3 Populeti ea tempeſtate, ingens authoritas. 4. Beatarum Virginum Tudecæ, Annæque in Pounduno ſucceſſio, 5. & Ioannis, ex Abbate Ioiaci quarto in Meldenſem Epiſcopum promotio. 6. Acta Capituli, Chronologia, 8. & dictum de Honeſta valle, 9. & tribus fontibus, vtraque Vngariæ domo. 10. cœnobia Virginum, Subiectio ſacræ Vallis, 12. & Vallis Virginum tranſlatio ad Aldenardam.

Ieſu Chriſti annus 1233.
Ciſtercij 136.

CAP. I. 1. Graſſante per Italiam fame & bellis, 2. ad Ciſtercium vocati viri potentes, diuites, coniugati, 3. & locus eis diuinitus oſtenſus, 4. impetratus à Gregorio, qui datis litteris ad Abbatem Sancti Galgani, 6. Abbatiam quandam admitti ab ipſo in filiam, 7. & in ea viros ad Ciſtercij habitum iubet; 8. ſatisfacturus Eccleſiæ Lucanenſi, pro ablato cœnobio, & coniugibus alia prouiſurus. 9. Antiqui habitatores, cum ægrè in domibus aliis admitterentur, 10 per Archiepiſcopum Piſanum 11. admitti iuſſi; 12. atque alia de eadem Eccleſia remiſſiuè.

II. 1. Dum reliquiæ Albigenſium noſtros moleſtant, exagitantur, & tandem extinguuntur. 2. Quo tempore à lamento, Lurgardis, 3. quod pro eis ſuſcepiſſet, ceſſare iuſſa. 4 Frequentes ad eam de cœlo viſitationes, 5. non ſolum ipſi, ſed aliis manifeſtæ. 6. In morbos animarum mira efficacia; 7. Linguarum domum, & alia ad hoc facientia. 8. Regina Blancha referendæ gratiæ pro hæreſi extirpata, Ciſtercium eligit; 9. atque ingrediendi, tempore Capituli, cœnobij eiuſdem ſepta, licentiam impetrat.

III. 1. Sancto Ludouico temporalia inuadente Rhotomagẽſis Præſulis, quod à quadam violentia non ceſſaret, 2. triplices Gregorius Papa Legatos mittit. 3. Litteræ ipſius ad Tornacenſem, & Pontigniacenſem Præſules: 4. In quibus ſeriem totius facti narrat, 5. & eos ad Regem mittit, 6 reſtitutionem quibus modis poſſent, procuratores. 7. Tum aliæ ſimiles Abbati Sabigniaci, 8. atque Priori Prædicatorum Pariſienſium. 9. Diſceptatum vtrinque de facto Regis; 10. & tandem ipſe obediens iuſſis Pontificis.

IV. 1. Gregorio reformante religiones per Diœceſanos, Præmonſtratenſes ſupplicant, 2. & ſui Ordinis Viſitatores obtinent: ſed ab eorum mandatis reſilientes, 3. viſitatoribus noſtri ſuperadduntur. 4. Gregorij litteræ vniuerſum factum narrante, 5. committentes negotium, 6. & pœnam præſcribentes his, qui deliquerant. 7. Quæ vtrique geſſerint? & quid Gregorio ſcripſerint? 8. Eiuſdem litteræ ad Abbatem Præmonſtrati, 9. & reſtituta illi adminiſtratio. 10. Demum perpenſa quædam de hoc euentu.

V. 1. Hermani, aliàs Ioſephi, Præmonſtratenſis cum noſtris familiaritas, 2. Aduentus ad Houenes diuino monitu, 3. ſancta dormitio, 4. & fœlix ſepultura. 5. Tranſlatio corporis, & in ipſo miracula plura. 6. Emmengardis Scotiæ Regina, in Aber Morechnoto, 7. & Ferdinandus Flandriæ, & Hannoiæ Comes, in Marcheta ſepulti. 8. Dictum de ipſo, & Scanna, ipſius vidua, Ciſtercienſi futura, 9. & de Gualteri Carnotenſis Præſulis, ac Petri Eger Alcobacienſis Abbatis, funere.

VI. 1. Rodulphum ex Abbate Claræ-Vallis in Aginenſem Epiſcopum promotum 2. excepit Drogo, quondam Grandi-montenſis. 3. Abbas de Ile, aut Ilda, Friſſonibus inteſtinis bellis, diuiſis, 4. cum aliis à Gregorio Legatus mittitur. 5. Eccleſia quædam à noſtris repudiata glorioſo titulo, 6. Congregationi Florenſi 7. tandem adiuncta. 8. Perſequutio in noſtros, 9. & duplices Gregorij, 10 pro eis litteræ in Sueſſionenſem Epiſcopum, 11. atque aliæ in Rhemenſem Archiepiſcopum.

VII. 1. Abbates Firmitatis, & Maceriarum defendendo Matiſconenſi Epiſcopo, 2. De Gratia Dei, Monaſterij Angebiacenſis, formandis moribus, 3. & debitis ſoluendis; 4. de Spina, viſitandis Monaſteriis exemptis Regni Caſtellæ; Mataplanæ, electioni Sancti Facundi; 5. Frigidi-montis, pro ſancti Cucufati, 6. De Tileto pro Eccleſia Viginti-millienſi; 7. De Fontana-viua, pro reformando cœnobio Sancti Alexandri Parmæ: 8. Tunæ Claræ-Vallis Mediolanenſis Abbas, Priorque, hæreticis Lombardiæ compeſcendis præficiuntur. 9. Inquiſitum de vita, atque miraculis Stephani Dienſis, 10. & inquiſitio commiſſa Abbati, Vallis-creſcentis.

VIII. 1. Acta Capituli, & breuis Ecclesiarum virilium Chronologia. 2. Dictum de Sancto Petro de Ferentillo. 3. Aula Dei in Frisia Sacrarum Virginum, 4. Et Eppachium in Constantiensi Diœcesi, 5. in qua & Monasterium Scotorum, 6. Virorum olim, postea fœminarum. 7. Sancti Syri Parmensis reformatio, 8. translatio, 9. atque protectio 10. pro soluendis antiquis debitis. 11. Coniectatum de occasione reformationis, 12. & dictum de alio cœnobio Vltraiectino.

Iesu Christi annus 1234.
Cistercij 137.

CAP. I. 1. Vexationes nostrorum ab Episcopis in electionibus, 2. inseruientibus, colonis, & familiaribus. 3. Compulsi promulgare censuras contra potentes, 4. grauiter ab eisdem molestantur, 5. Guillelmi Patris sollicitudo prouida, 6. & quatuor vna die indulta impetrata; 7. pro electionum, & electorum immunitate. 8. Pro familiaribus, 9. & quouis modo à nostris, 10. dependentibus. 11. Obuiatum delegatorum 12. grauaminibus, 13. atque item aliis, 14. quæ à sæcularibus nostris inferebantur.

II. 1. Plura alia priuilegia nostris indulta: 2. & declaratum à Gregorio Nono, 3. Quid nomine exemptorum cœnobiorum, cum visitari iubentur, intelligitur. 4. De sigillis Abbatum, conuentuumque, 5. Constitutio pro nostris: 6. De decimis, 7. & Viceparochorum augenda congrua, 8. & de dote in Græcia Ecclesiarum Cathedralium. 9. Impetrata, & nonnulla, in proprios Monachos, 10. & de fœminis in conuersas, saltem in Grangiis vicinis Monasteriis, non admittendis.

III. 1. Sancti Bernardi Abbatis Sanctarum Crucium laus. 2. miracula, 3. & donum Prophetiæ, 4. Tum vitæ puritas, & de salute animarum eximius zelus, 5. Promotio in Episcopum, & alia remissiue. 6. Sanctus Dominicus adscriptus Sanctorum Canoni: 7. & Cistercienses in Bulla ipsa laudati. 8. Festum illius Tolosæ celebratum. 9. & nostri ab ipso Sancto illuc adducti. 10. Notata quædam de vtriusque familiæ necessitudine.

IV. 1. Iterum inquisitum de miraculis Elisabethæ Vngariæ, 2. atque occasio innouandæ inquisitionis, 3. ex quibusdam Conradi Fratris excessibus, 4. Pro quibus Romam adiisse supplex dicitur. 5. Iteratæ Gregorij Papæ litteræ ad Abbates Cistercij, 6. & quinam illi? 7. Comprobata miracula illustria, & remissiuè de canonizatione. 8. Brũbacensis cœnobij deuastatio, restitutioque, 9. Iacobi Bertinensis Abbatis Monachatus; Præfectura abdicata. 10. Et promotio Matthæi, Ioachimi Abbatis in Flore successoris.

V. 1. Tarasia Vidauria, Cistercio tandem seruanda, 2. diu à Rege Iacobo solicitatur. 3. Sed nisi credito viro, non consentit. 4. ex contubernio duos ei filios parit. 5. Rex Iolantem, Vngariæ Regis filiam, super inducit: 6. Ferdinando occulte, pro Eleonora, 7. Conuentu habito Hortæ: 8. Tarasia publicè nuptias impedientibus, 9. Demum initia Monasterij Bonifazani.

VI. 1. Imminente in Hispania atroci bello inter Aragonenses, Nauarrosque, 2. Gregorius duos Cistercienses Abbates, vtrumque Regem Legatos mittit, 3. per quos pax stabilita. 4. In Anglia inquirendis miraculis Sancti VVilelmi, duo alij præficiuntur, 5. quibus negotium secundo etiam remissum. 6. In Polonia Cracouiensis Episcopus, 7. Monachum, de licentia Gregorij, induit. 8. Verum ad petitionem Cleri, populi, 9. atque Capituli, Ecclesiæ Cracouiensis, 10 iubetur in pastorali cura perseuerare. 11. Quis ille? Atque eiusdem notitia breuis.

VII. 1. Multa hoc anno in Gallia nostris iniuncta, 2. itemque in Italia, 3. Germaniaque. 4. Alia in Hispania, 5. In Sabaudia, & in Vngaria. 6. In Anglia adeo frequentes commissiones, vt vel Priores eximi curauerint, 7. Sed neque in Græcia immunes ab his functionibus: 8. Retractata vnio Monasterij Sancti Benedicti de Fundis, 9. & præcedenti congruente compensatione. 10. translatio Sancti Matthæi Reatini ad Ecclesiam Sancti Pastoris, eiusdem domus.

VIII. 1. Sancti Cerbonij Monasterium Sancti-monialium in Lucanensi diœcesi, 2. è cœnobio vicino Sancti Syri ante annum reformato, Magistras petit, 3. per quas Cistercij ritus edoceretur, 4. sub Abbatis Sancti Pantaleonis visitatione, 5. cui super eo scribit Gregorius Nonus. 6. Mutationis occasio, 7. & lis suborta, 8. per eumdem

dem Pontificem dirempta: 9. Quem & Moniales de Gratia noſtræ Dominæ, pro Ciſtercio accipiendo, 10. ad Guillelmum interponunt interceſſorem; 11. eiuſdem litteræ ad Abbatem de Tileto, pro aliarum Monialium gubernatione.

IX. Vallis Eccleſiarum Abbatia in Regno Toleti, 2. inſigni pietate Caſtellæ Regis, opimam poſſeſſionem ab Abulenſibus, 3. atque aliam ab eodem Rege ſuſcipit. 4. Florenſes cum ab noſtros paſſim tranſirent, 5. non recipi iubentur. 6. Et in indulto notata obiter quædam. 7. Calatraua ad Orientem tranſire parans, 8. pro qua Gregorius Papa ad Antiochenum Patriarcham ſcribit. 9. Demum ſucceſſio Magiſtrorum Calatrauenſium, & deceſſoris, atque ſucceſſoris notitia breuis.

X. 1. Acta Capituli, de Abbatum electione, depoſitioneque, 2. & quædam in irregulares, & in conuerſos. 3. Chronologia, 4. & notitia, ſancti Auguſtini de Monte alto; 5. quæ domus, antea poſſeſſio Claræ-Vallis: 6. mox cum noſtris veniret auferenda, 7. tandem retenta eſt ſub Abbatis ſancti Anaſtaſij viſitatione. 8. Reformatum cœnobium Sancti Saluatoris de Monte acuto, 9. & ſubiectum Ciſtercio immediatè, 10. cum aliis, quæ illud concernunt remiſſiuè. 11. Ignota nobis duo alia Monaſteria, ſed ſubrogatum in Polonia vnum; 12. alterum in Sabaudia, non ſine multa vtriuſque dubitatione.

XI. 1. Honor noſtræ Dominæ Monialium iuxta Orchies, Margaritæ Conſtantinopolitanæ opulenta fundatio, 2. tranſlatio ad Flinas, 3. & dedicatio Eccleſiæ. 4. Monachatus Mariæ filiæ, & ibidem ſepulchra multorum Principum. 5. Mons ſanctæ Mariæ, 6. & litteræ ad Guillelmum Parẽtem Gregorij Papæ, 7. atque aliæ notitiæ eiuſdem domus. 8. Tres Abbatiæ Monialium in Germania 9. Dubia vna in Italia. 10. Et per Abbatem Tileti, illius conuenientia diſcutienda. 11. in Græcia Monaſterium de Percheio, in ſpecialem filiam Ciſtercij datum, 12. & cura eius ſancti Angeli Conſtantinopolitani Abbati commiſſa. 13. Porta cœli in Morania, Cœnobium Virginum.

Ieſu Chriſti annus 1235.
Ciſtercij 138.

CAP. I. 1. Præmiſſa à noſtris, & Ildesheimenſi Epiſcopo, exacta inquiſitione, de miraculis ſanctæ Elizabetæ, 2. à Gregorio Nono ſanctis adſcribitur. 3. litteræ eius, ad totius Eccleſiæ Præſules. 4. Encomia Sanctæ. 5. Dictum de miraculis, 6. & feſtum celebrari iuſſum per totum orbem. 7. Eiuſdem ad Beatricem Reginam aliæ. 8. atque ad Regem Angliæ Andream; ſed quorum neuter diu ſuperuixit. 9. Religio in Elizabetam totius orbis. 10. Andreæ funus in Ægrenſi Monaſterio, 11. eleemoſyna præuia: 12. & in Huelguenſi, Reginæ Beatricis: emendata in Mariana ratio temporis.

II. 1. Status Eccleſiæ, & pericula ab hæreticis. 2. Conradi olim Magiſtri nimius zelus, 3. ex quo alia à Catholicis, 4. & Toloſæ à Raymundo Comite, 5. & ſuis. 6. In Liuonia defectu operariorum, ceſſabat conuerſio: 7. In Palæſtina diſcordes Cruceſignati, neque accedebant noui. 8. In Græcia imperium Latinum conflictabatur; 9. ſed in hæreticos deſignatus in Hiſpania Bernardus Caluonius, 10. in Gallia Abbas Grandis-ſiluæ, 11. atque alij ad alias partes remiſſiuè.

III. 1. Compeſcendæ præſumptioni Germanorum, Buchenſis Abbas, 2. cum duobus Pontificibus, 3. à Gregorio tranſmiſſi; 4. perpenſa neceſſitas, 5. recurrendi in dubiis ad ſedem Apoſtolicam, ſuſpenſum iudicium, 7. & in Conradi Maſpurgij parricidas animaduerſum. 8. Gregorij litteræ, 9. atquè aliæ ad Abbatem Grandis-ſiluanum, 10. de exceſſibus Raymundi Toloſæ Comitis. 11. Perpenſa late illius obſtinatio, 12. & Abbas compeſcendæ ipſi præpoſitus.

IV. 1. Prouiſum Liuoniorum Conuerſioni 2. per Gregorium Pontificem, 3. & prior Redageshauſanus illuc remiſſus. 4. Iniuncta noſtris prædicatio Crucis, pro locorum ſanctorum propugnatione, 5. & pro Imperio Conſtantinopolitano 6. per Abbatem ſancti Thomæ de Torcello. 7. Iranciensis Theobaldo Regi Nauarræ, 8. aduerſus coniuratos 9. Maceriarum, Niuernenſi Comiti aſſiſtunt. 10. Bello imminente inter Gallum, & Anglum Reges. 11. Abbates de Boxeleia,

&

& de Ponte Roberti, ab Henrico ad Gregorium, 11. de Alta-Cumba, à Gregorio legatur, ad Ludouicum.

V. 1. Edmundo per miraculo florente, 2 etiam longè insolita, 3. Richardi Cantuariensis morte, sedes totius Angliæ prima vacat. 4. suffecti tres, 5. sed reprobatis cunctis, electus Edmundus, 6. atque tractus ad sedem, licet inuitus. 7. virtutes eius, in Episcopatu, & Patris, 8 & iudicis: 9. sed præcipuè abstinentia ab omni munere. 10. Noua miracula, atque alia de ipso remissiuè.

VI. 1. Luthgardis vndecim ante mortem annis corporali orbata lumine, 2. non sine fœnore lucis specialis. 3. Beatrix ad Monasterium suum reuertitur, & sacrata ab Episcopo, Christum, Pontificis vices gerentem, videt. 5. Multis à Deo illustrata consolationibus, 6. tentari permittitur, 7. de tentationibus victoriam reportatura. 8. Pactum cum Deo facit, adimpletque? 9. De Idæ Niuellensis morte dolet. 10. Rapta in extasim, in potentias Domini intrat. 11. Indéque penitus à se aliena erit, neque aliam voluntatem habens, nisi diuinam.

VII. 1. Franciscanorum ad nostros frequens transitus, 2. obuiante Gregorio, 3. atque aliqui nostrorum etiam ad ipsos. 4. Admissi pro secundis messibus, redditus non sine scrupulo, & principio vitæ degeneris. 5. In Gallia quædam negotia nostris commissa, 6. neque pauca in Italia. 7. In Austria visitatum graue cœnobium, reformatumque; 8. In Germania sedes Magdeburgensis administrata, 9. atque in Vngaria graues aliæ causæ decisæ.

VIII. 1. Prosperitas Henrici Barbati, per Heduvigim 2. turbata repente; sed nihilominus per eam etiam redacta. 3. Tyranni Principis in Polonia pauenda mors, 4. atque Henrici virtutes illi oppositæ. 5. Hedvvigis tum victus, tum vestitus, 6. & summa humilitas, 7. approbata miraculo insigni. 8. Drogonis Claræ-Vallensis Abbatis mors, 9. atque Hugonis Monachi Valcellensis. 10. Calatrauensium de Priore Gallo querelæ. 11. Gregorij litteræ ad Abbatem Morimundi; 12. & in eisdem quædam notatu digna.

IX. 1. In Capitulo celebrari iussum festum de sancta Elisabetha. 2. Chronologia, & de Benifazano quædam, 3. tum de Regali; & de aliis subobscurè. 4. Belli-loci Regis S. Saluatoris de Monte Acuto, alterius in bonis, in ædificiis alterius restauratio. 5. De Tifferdinge in Treuirensi Diœcesi; 6. Monasterio Virginum; 7. fundatio, dotatioque; 8. & de Valle S. Bernardi, ac de Rothemio, cœnobiis Brabantinis.

Iesu Christi annus 1236.
Cistercij 139.

CAP. I. 1. Vltimus annus nobis scribendus, 2. primitiua Bernardi tempora refert, 4. & prouiso cœnobio per coniugibus, filiabusque, 5. ad quas Gregorius scribit 6. Notanda in litteris; 7. & collata incrementa Montis Acuti primitiuo Cistercio: imo & in aliquo etiam antelata: 9. quamuis prælatio in dubio relinquatur. 10. fauores Christi; 11. & dictum de quodam Monacho, qui puerum Iesum in niue reperit 12. Ratio temporis vtcumque demonstrata. 13. & visio alia ostensa de B. Virgine.

II. 1. Beatæ Elisabetæ Landtgraviæ ossa leuata, 2. ingenti Principum, populorumque concursu: atque aliæ eiusdem festi circunstantiæ. 4 Actum de Canonizatione Beati Ioannis de Monte mirabili, 5. & expeditæ litteræ, 6. Parisiensi Episcopo, & Abbati sancti Victoris, commissa per Gregorium inquisitione, 7. ac comprobata miracula, 8. etiam in non petentes 9. Dictum de sancta Lutgarde Aquiriana, cui Beatus Iordanus apparens in magna gloria, 10. orationes pro filiis suis iniungit, 11. atque obiter perpensa eius petitio.

III. 1. Ebrardus Claræ-Vallis Abbas ad Regem Galliæ, 2. à Gregorio legatur, 3. pacem aut trequas, 4. cum Theobaldo Nauarræ compositurus. 5. Oratio eius, 6. & responsio Ludouici. 7. Idem Ebrardus iudex designatur, coram quo possit Theobaldus conueniri. 8. Lubensis Abbatis ad Henricum Barbatum Legatio fœlix. 6. Egriensis de Rege Vela querelæ, & Litteræ Gregorij. 10. De Licador ad Colomanum, Rutenorum Regem, 11. semel & iterum; 12. Colomani effugia, 13. & dubius adhuc fructus legatiæ.

IV. 1. Grandimontensibus iterum discordibus, 2. iterum ex Cistercio censor datus, Montisfrigidi Abbas, 3. Pictauiensi Episcopo adiuncto, 4. & prouinciali

uinciali Patrum Prædicatorum; 5. ampla eis delegata iurisdictione. 6. Nigris per prouinciam Rhemensem Monachis, Abbas Fusniacensis, 7. de quo & Gregorius 8. ad eorum scribit Capitulum. 9. Quid in Ecclesia quadam Canonicorum, Maceriarum Abbati, 10. super excedente attrocitate criminum, 11. in quæ seuere inquirere iubetur, 12. delegatæ eidem potestatis limitationem; & remissiuè de Abbate Cistercij, misso ad Præmonstratum.

V. 1. Multa nostris per Galliam, 2. Italiamque 3. in Sabaudia, & Belgio, 4. in Anglia, aliqua; 5. Germaniaque iuncta. 6. Actum de diuidendo Archiepiscopatu Treuirensi, 7. atque nostris commissum; sed impeditum per ipsorum consultationem. 9. Imperij Constantinopolitani periculum, 10. & subsidia belli, per Abbatem de Sacra, distribuenda.

VI. 1. In Calatraua intrusus Hispanus Monachus, 2. & querelæ ad Gregorium de Magistro. 3. Dubio iure inter Abbates S. Petri, & Morimundi, visitationem extraneam extorsere. 4. Guidonis prouidentia, & visitatio externa primum obuiata, 5. mox renuntiata in Capitulo Paternitas Militiæ Calatrauæ: 6. Sed à renuntiatione magis asserta. 7. Obtentæ litteræ, & Prior abire iussus. 8. Quæ præsentata in Curia, 9. à Pontifice confirmata sunt. 10. Roderici Toletani Præsulis dolor, accelerata lis, 11. atque daræ ad ipsum Gregorij litteræ.

VII 1. Calatrauenses in bello faciliores, & Corduba expugnata, 2. Lupum Fiterij Monachum, primum illius vrbis Præsulem vident 3. Apostolatus eius, 4. confirmatus Gregorij Noni litteris. 5. Dotatio Ecclesiæ, 6. Consecratio Episcopi, & subsequutum statim augmentum dotis. 7. Ecclesiæ eiusdem n Lupum eximia pietas. 8. De Monachatu eius dubia leuia, 9. & responsiones faciles. 10. Cessio & successio Abbatum in Populeto. 11. Rodulphi, Lugdunensis Præsulis, mors, 12. & cœnobium fundatum à nostris, Prædicatoribus.

VIII. 1. Acta Capituli, 2. & Chronologia accrescentium Ecclesiarum. 3. De Paradiso, 4. & de Capite-Laci, 5. ex litteris Gregorij, 6 certa notitia, 7. Vniuersam historiam continens. 8. Canonica sancti Petri in Amalfia, 9. & sancti Saluatoris de septimo in Florentia, 10. variæ notitiæ. 11. Dictum de Monasteriis sancti Cassiani, 12. atque sancti Damiani, nostris vnitis. 13. Item de alio in suburbio VVormacienſi, quod Moniales Cistercij, *Canonicis Regularibus subrogauit.* 14. Demum Authoris votum, & excusatio.

CISTERCIENSIVM,

SEV VERIVS,

ECCLESIASTICORVM

ANNALIVM

A CONDITO CISTERCIO,

TOMVS QVARTVS.

IESV CHRISTI ANNVS M. CC. XIII.

CISTERCII ANNVS C. XVI.

1. *Petrus Rex Aragonum ad Duces Cruce signatorum Legatos mittit.* 2. *Cum eis colloquium habet.* 3. *Quæcumque postulat ad scriptum rogatus redigit.* 4. *Pro Comite Tolosæ, Fuxensique, & Conuennarum.* 5. *Multa promittit, quæ ignauos mouerent.* 6. *Responsa Patrum pro Comite Tolosæ,* 7. *& Conuennarum.* 8. *Fuxensique;* 9. *& pro Gastone de Bearno.* 10. *Demum monita sancta pro ipso Rege.*

CAPVT PRIMVM.

ECce iam interruptum opus, resumo, & Quartum hunc Cistercienſium Annalium Tomum, qui nobis tandem vltimus, (neque enim in materia tam lata progredi vltra, prouecta ætas, crebraque negotia, & penè iam caligantes oculi sinunt) Quartum hunc, inquam Cistercienſium Annalium Tomum auidus repeto, bellum, & arma aduersus Albigenses, Arnaldo Patre Duce; prædicationem Crucis, excidia vrbium, condignas pœnas sumptas de rebellibus, reconciliatos supplices, extirpatas hæreses; tum restitutam gloriam Christiani nominis; propagatum per orbem Euangelium, reformatas Ecclesias, prouinciásque, pacatos Reges, Regnáque composita; nihil sine Cistercio: atque hæc omnia, quod fortasse verius, communicata exteris; solicitatas, & promotas nouas familias, ad quas extenderentur, prosequuturus. Vtinam eo auctore scribantur, quo facta creduntur, neque studio ostentandæ paternæ gloriæ, sed imitandæ virtutis; & degeneres animos à filiis (si qui fortè irrepserunt) per domestica exempla reparandi. His autem omnibus fœlix, etsi non lætum initium dabunt, duo illustres euentus, priuatus & publicus; hic auspicatus à celebri victoria Cruce signati exercitus, conserto prælio cum inimicis Crucis, in quo Petrus occubuit Rex Aragonum; ille à sancti Martini, quondam Abbatis Hortæ glorioso obitu, qui lætus spiritibus cœlestibus, atque ipsi Sancto fœlix; sed nihilominus filiis dolendus fuit. Atque hic vltimus nobis peculiaris, quod Hortæ illius planta, licèt indigna, agnoscamus Martinum velut Satorem. Ergo quidnam vtraque gestum sit, cum aliis, quæ euenerunt; fideliter ex more referamus.

1.

Instabat tempus Prophetiæ sancti Dominici, quæ vnius Regis mortem, ante expiandas Narbonensis Galliæ partes à fæce Hæreticorum, comminata Petrum Aragonensem præstolabatur; fœlicem sanè, si anno antecedenti Sarracenorum impetu occubuisset; nec ab ipsis illæsus seruatus esset, Catholicorum armis obruendus; & quod meruerat *Catholici* cognomen, hæreticorum societate maculaturus. Sed diuinis secretis quis resistet? Tentauerat Raymundus

contra Ecclesiam omnes illius hostes ; quippe Agarenos ex Africa ad Europam, sacrilegus adduxerat : in Germania Ottonem , in Anglia Ioannem ; in Italia Sauaricum, omnes tunc temporis auersos ab Innocentio,& ab eo damnatos, ingenio discolos , atque omne ad malum pronos , prouocauerat. Verùm cum nihil horum succesisset , reuersus ad Petrum, veluti affinem; & qui complicibus suis omnibus ferè aliquo, siue dominij , siue sanguinis , siue amicitiæ adstrictus titulo esset ; illius pro omnibus auxilium implorauit. Oppressos se sub typo Religionis, in quam nihil peccassent ; aut si peccassent , emendare parati essent : deceptósque fortasse hactenus fuisse ; sed rebelles non esse ; cupientes magis , quæ credere deberent edoceri ab Ecclesia ; nec tantùm edoceri , sed addiscere, & firmiter tenere,quæ docerentur. Nunquam fidem illorum per bella quæri , quam vltroneam offerrent ; sed possessiones, sed vrbes, & castella; nec Christi imperium, sed proprium velle extendere, quicumque eos, vt hostes aggrediebantur. Deberi sibi affinitatis titulo , atque iure feudorum auxilium Petri , quod nunquam contrà Ecclesiam implorabant , sed contra inuasores suarum vrbium. Hæc & similia ad Regem in dolo Comites. Ille , vt erat in suos propenso animo,& aliàs fortè credulo,vix Christo Domino nascente , & circuncisо intrabat annus millesimus , ducentesimus tertius decimus , qui fuit Cistercio decimussextus, atque centesimus; cum Comites Tolosanum, Fuxensemque,atque alios Hæreticos defendendos suscipiens , sub Sancto Pacis nomine , bellum Ecclesiæ , & Comiti Monfortio ; ac sibi ipsis excidium machinabatur : atque ipso sacræ Apparitionis die Tolosam intrans, suos ad Duces Ecclesiæ Legatos misit. *Mandauitque* (ait Petrus Vallsarniensis,[a] qui cunctis interfuit) *Archiepiscopo Narbonensi Apostolicæ Sedis Legato , & Comiti nostro, quod volebat habere colloquium cum eis ; & de pace , & compositione inter Comitem nostrum , & hostes fidei tentare. Igitur assignata fuit communi assensu dies , & locus, inter Tolosam , & Baurum, vbi colloquium celebrari deberet.*

a Cap. 66.

2. *Cum igitur venissemus ad locum Concilij , Rex cœpit rogare Archiepiscopum Narbonensem , & Archiepiscopos,de restituendis terris Comiti Tolosano , Conuennarum, & Fuxensi, & Gastoni Bearno: nam omnes hi eorundem criminum complices , plus minusve in eadem etiam erant damnatione. Archiepiscopus autem Narbonensis respondit Regi , vt omnes petitiones suas redigeret in scriptum, & scriptas & sigillatas mitteret Episcopis apud Baurum. Rex vero Aragonensis , postquam applausum magnum fecerat Comiti nostro, & fratri , & filiis eius, rogauit ipsum Comitem , vt octo diebus desisteret à malefaciendo inimicis suis ; cui nobilissimus & vrbanissimus respondit : Non desistam , inquit , à malefaciendo ; sed ob reuerentiam vestram cessabo , his octo diebus à benefaciendo. Similiter autem & Rex promisit ex parte hostium nostrorum, quod ipso tempore colloquij non facerent nostris malum.* Hæ breues octo tantum dierum induciæ pactæ, quandiu & Rex Petrus, quæ petebar scribi, & sacri Milites, quid forent responsuri, deliberabant. Sed neque illæ , ex æquo seruatæ sunt , nostris abstemiis ab omni hostilitate. *Sed infidelissimi hæretici* (pergit idem Petrus Vallsarnienſis.[b]) *Cum scirent nostros conuenire ad colloquium , licet nos per Regem fecissent securos ; discurrere cœperunt per terram nostram , versus Carcassonam, & multa mala facientes , plurimos etiam occiderunt.* Sic seuerum supplicium subituri suis interim culpis, quibus Catholicos magis irritarent permittebantur. Pergit author [c].

b vbi supra.

c Idem.

3. *Die tertio postquam recessit Rex à loco colloquij, & intrauit Tolosam scripsit petitiones suas ad Archiepiscopos,& Episcopos nostros in hæc verba.*

PETITIONES REGIS ARAGONENSIVM AD PRÆLATOS IN CONCILIO APVD BAVRVM CONGREGATOS.

QVoniam Sacrosancta Mater Ecclesia , non solum verba , sed verbera quoque docetur habere , deuotus Ecclesiæ Filius Petrus , Deo miserante, Rex Aragonensis , pro Comite Tolosano ad sinum Matris eiusdem Ecclesiæ cupiente redire, à Sanctitate vestra petit humiliter,& rogat instanter, quatenus faciendo satisfactionem personalem pro excessibus quibuscumque , prout ipsi Ecclesiæ visum fuerit expedire , ac pro damnis , & iniuriis illatis diuersis Ecclesiis , & Prælatis satisfaciendo in eo , quod clementia matris Ecclesiæ ipsi Comiti duxerit iniungendum , restituatur clementer , & misericorditer, ad possessiones suas & alia , quæ amisit. Quòd si fortè.....Comitis nollet Ecclesia ipsius Regis petitionem audire , petit, & rogat hoc idem pro filio, ita tamen , quod puer nihilominus satisfaciat personaliter pro excessibus , vel in frontaria Sarracenorum cum militibus eundo in subsidium Christianorum, vel in partibus transmarinis , secundum quod Ecclesia melius arbitrabitur expedire & infans in terra sua in tam diligenti custodia , & tam fideli cum ad honorem Dei , & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ habeatur vsquequo de bonitate sua signa compareant manifesta.

4. *Et quoniam Comes Conuennarum neque fuit vnquam hæreticus , neque eorum susceptor ; sed potius impugnator ; & ideo terram dicitur amisisse , quod adstiterit consobrino, & Domino suo Comiti Tolosano : petit idem Rex & rogat pro eo, sicut pro Vassallo suo , vt restituatur ad terram suam ; satisfaciendo quoque ad arbitrium Ecclesiæ , si eum apparuerit in aliquo deliquisse. Item Comes Fuxensis , cum nec sit,nec fuerit hæreticus , pro eo Rex petit & rogat,sicut pro consanguineo suo charissimo , cui sine verecundia in iure sic deesse non potest ; quatenus pro reuerentia ipsius , & gratia restituatur ad sua ; satisfaciendo nihilominus Ecclesiæ in his , & pro his, quibus Clementiæ Matris Ecclesiæ eum apparuerit deliquisse. Item pro Gastone de Bearno Vassallo suo petit sæpè dictus Rex,& rogat affectuosè, quatenus restituatur ad terram suam , & fidelitates suorum Vassallorum ; maximè cum paratus sit parere, & ad arbitrium Ecclesiæ satisfacere coram iudicibus non suspectis , si nobis causam ipsius audire , & expedire non licet.*

5. *In omnibus tamen promissis, dixit memoratus Rex misericordiam potius , quam iudicium inuocandum, mittens ad Clementiam vestram Clericos , & Barones suos super præmissis ratum habiturus quidquid à vobis cum eis fuerit ordinatum. Supplicans , vt talem habere dignemini circunspectionem , & diligentiam in hoc facto , vt in negotio Christianitatis in partibus Hispaniæ, ad honorem Dei, & Sanctæ Matris Ecclesiæ dilatationem prædictorum Baronum, & Comitis Montisfortis subsidium ..... possit. Datum Tolosæ*

Tolosæ decimooctauo Kalendas Februarij. Hactenus petitiones Regis in speciem honestæ : sed quæ verbis illuderent promissionis, eò largioribus, quò nulla ex parte implendæ offerebantur. Quippe fallere suetos, & peierare, si belli semel pericula euaderent, & præterita mala impunè ferrent; nihil omnino erat, quod contineret.

6. Itaque lectis in Concilio à Patribus, collatísque ad inuicem; atque ex præteritis, & coniectis, quæ nondum venerant; taliter cuncti censuere respondendum [d].

d *Vallsarn. cap. 66.*

Illustri & dilecto in Christo Patri Dei gratia Regi Aragonum, Comiti Barchinonensium, Concilium apud Baurum; salutem, & synceram in Domino dilectionem.

Petitiones, & preces vidimus, quas pro Comite Tolosano, & eius filio, & Fuxensi, & Conuennarum Comitibus, & nobili viro Gastone de Bearno. Vestra Regalis serenitas destinauit : in quibus etiam litteris inter cætera, Ecclesiæ filium dicitis vos denotum : super quo Domino Iesu Christo, ac Regali vestræ celsitudini gratiarum referimus actiones; & in cunctis, quibus secundum Deum possemus, propter illam mutuam dilectionem, qua vos Sancta Romana Ecclesia, sicut intelligimus amplectitur, & vos ipsam; necnon & ob reuerentiam Excellentiæ vestræ Regalis admitteremus affectuosius preces vestras. Super eo, quod pro Comite Tolosæ petistis, & rogastis, hoc duximus serenitati Regiæ respondendum. Quod tam causa Comitis, quàm filij, quæ pendet ex facto Patris, auctoritate Superioris à nobis est exempta, cum idem Comes Tolosæ Regiensi Episcopo, & Magistro Theodosio à Domino Papa negotium suum fecerit sub certa forma committi. Vnde sicut credimus memoriter retinetis, quot, & quantas gratias dicto Comiti post multos excessus ipsius Dominus Papa fecit : nec non & quam gratiam ad interceſſionẽ vestram, & preces Venerabilis Archiepiscopus Narbonensis, Apostolicæ Sedis Legatus, tunc Abbas Cistercij apud Narbonam, & Montem Pessulanum eidem Comiti faciebat, biennio, si benè meminimus iam transacto. Volebat siquidem idem Legatus omnes dominicaturas, & proprietates eidem Comiti remanere integras, & illæsas : & vt illa iura, quæ habebat in Castris Hæreticorum, quæ de feudo eius erant, sine alberga, sine quista, sine Caualgata, eidem integra remanerent. De illis præterea Castris, quæ erant aliorum Hæreticorum, quæ de feudo eius non erant, quæ idem Comes dicebat esse quinquaginta, volebat præfatus Legatus, vt quartalis & tertia pars earum caderet in proprietatem Comitis supradicti. Spreta verò, Comes, illa magna gratia Domini Papæ, ac prædicti Legati, & Ecclesiæ Dei, veniens directè contra omnia iuramenta, quæ olim præstiterat in manibus Legatorum, & addens iniquitatem iniquitati, crimina, criminibus, mala malis. Ecclesiam Dei, & Christianitatem, fidem, & pacem cum hæreticis, & ruptariis seruans, impugnauit, & damnificauit, adeo vt omni gratia & beneficio reddiderit se indignum.

7. *Quod autem pro Comite petistis Conuennarum, taliter super hoc duximus respondendum. Pro certo intelleximus, quod cum post excessus multiplices suos, & iuramenti transgressionem, fœdus cum hæreticis, & eorum fautoribus contraxisset, & ipsam Ecclesiam, licet nunquam in aliquo læsus esset, cum eisdem pestilentibus impugnasset, licèt postmodum diligenter fuerit admonitus, vt cessaret à cœptis, & rediens ad cor tandem reconciliaretur Ecclesiasticæ vnitati : nihilominus idem Comes in suæ nequitiæ exstitit, excommunicationis, & anathematis vinculo alligatus : de quo etiam, vt dicitur, Comes Tolosæ asserere consueuit, quod ipse Comes Conuennarum eum ad guerram impulit, & induxit. Vnde idem Comes auctor per hoc guerræ, & malorum, quæ Ecclesiæ multipliciter prouenerunt. Veruntamen, si talem exhibuerit, vt absolutionis beneficium mereatur, postmodum, cum fuerit absolutus, & habuerit potestatem standi iudicio, si de aliquo quereretur, Ecclesia ei iustitiam non negabit.*

Petit præterea Regia Celsitudo pro Comite Fuxensi, ad quod taliter respondemus : quod constat de ipso, quod hæreticorum exstitit à longo tempore receptor, præsertim cum non sit dubium, quin credentes hæreticorum, hæretici sint dicendi : qui etiam post multiplices excessus suos, post præstita iuramenta, post obligationes tam personarum, quam rerum, post iniectionem manuum in Clericos, & detrusionem eorum in carcerem, pro quibus cansis, & aliis multis anathemate est percussus : post illam etiam gratiam, quam idem Legatus ad intercessionem vestram olim ipsi Comiti faciebat, cruentam cædem exercuit in signatos, tam laicos, quam Clericos, qui paupertate, & simplicitate sua contra Bauri Hæreticos in Dei seruitium ambulabant. Qualis autem, & quanta erat illa gratia, benè recolit, sicut credimus Regia Celsitudo, ad cuius preces cum eodem Comite compositionem faciebat dictus Legatus. Sed quod non fuit facta illa compositio, per ipsum Comitem stetit. Exstant enim litteræ ad Dominum Comitem Montisfortis Regali sigillo munitæ, talem clausulam continentes. Dicimus etiam vobis, quòd si Comes Fuxensis noluerit stare placito illi, & vos postea non audieritis preces nostras pro eo, non erimus inde vobis depacati : verumtamen si dederit operam, vt absolutionis beneficium consequatur, & postmodum, cum absolutionis fuerit gratiam consequutus, de aliquo quereretur, iustitiam ei Ecclesia non negabit. 8.

Postulatis insuper, & rogatis pro Gastone de Bearno, vt restitueretur ad terram suam, & ad fidelitates vassallorum suorum; super quo vobis taliter respondemus. Vt alia multa, imo potiùs infinita, quæ in ipsum Gastonem dicuntur ad præsens, silentio transeamus; confœderatus tamen hæreticis, & receptoribus, seu defensoribus eorum contra Ecclesiam, & signatus est Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum manifestissimus persequutor. Venit in auxilium Tolosanorum ad obsidionem Castri-noui. Interfectorem Fr. P. de Castronouo Apostolicæ Sedis Legati, habet secum; ruptarios diu tenuit, atque tenet. In anno præterito ruptarios in Cathedralem Ecclesiam Oleronis induxit, vbi amputato fune, de quo pendebat pyxis continens corpus Domini nostri Iesu Christi in terram cecidit, &, quod nefas est dicere, ipsum corpus Dominicum est per terram expensum; transgressus iuramenta, manus in Clericos violentas iniecit : pro quibus, & aliis causis pluribus, quas ad præsens tacemus idem Gasto excommunicationis, & anathematis est nexibus innodatus. Veruntamen, si satisfecerit Ecclesiæ prout debet, & absolutionis beneficium consequetur, & si conquestus fuerit de aliquo, audietur de iure suo. Aliter siquidem pro prædictis sic excommunicatis, clarissime Princeps vestram Regiam Maiestatem intercedere non deceret; nec nos pro talibus, & in talibus audemus aliter respondere. 9.

Ad hæc serenitatem vestram Regalem monemus, 10.

& hortamur in Domino, quatenus ad memoriam reuocare dignemini honorem, quem vobis fecit Sedes Apostolica, & illum, quem inpræsentiarum Illustri Regi Aragoniæ sororio vestro facit; quid etiam D. Papa in vestra promisistis vnctione, & quid vobis Sedes Apostolica dederit in mandatis: Oramus, vt Deus ad suum honorem, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ per multa tempora vos conser-net. Quod si per hanc nostram responsionem, vestræ Regiæ Maiestati non fuerit satisfactum, nos ob reuerentiam vestram, & gratiam D. Papæ curabimus intimare. Datum Vauri decimoquinto Kalendas. Februarij. Hactenus Patrum ad Regem Aragonensem responsa grauia, pietatem, & indulgentiam non negantia, sed prudentiam & zelum præferentia.

---

1. *Noua petitio Regis Aragonum* 2. *de nouo negata à Patribus* 3. *eiusdem Regis prætermissa appellatione.* 4. *Grauis & elegans Archiepiscopi Arnaldi ad eundem epistola,* 5. *sed fructu prorsus vacua.* 6. *Interim Innocentius circumuentus per nuntios Regis,* 7. *primum Arnaldo, ne vltra bello procedat contra hæreticos.* 8. *Mox Comiti Monfortio,* 9. *vt castra non restituat:* 10. *Demum Arnaldo & Episcopo Regiensi;* 11. *præmissis Aragonensis Regis querelis,* 12. *vt congregent Concilium,* 13. *& quid ex vsu videatur, ipsi rescribant.*

CAPVT SECVNDVM.

1. DELVSA primùm Regis petitione; secundam aggressus, inducias saltim dari postulauit. Neque ea minus in speciem honesta erat, si non virus lateret; quod vt ab ipso nequaquam præcisum credo, sic à Comitibus machinatum, dolum extenuando Catholico exercitui, & Cruce signatorum deuotioni planè non dubito. Vallsernensis rem istam ita prosequitur. [a] *Audiens Rex Aragonum responsiones Prælatorum nostrorum, videnſque petitiones, quas fecerat, penitus refutatas, affectúmque suum non posse perduci ad effectum, alium circumuentionis modum inuenit. Misit itaque Nuntios ad Prælatos mandans, & rogans, quatenus inducerent Comitem Montisfortis, ad hoc vt Comiti Tolosano, cæterisque fidei Christianæ inimicis treguas daret vsque ad futurum proximum Pentecostem, vel saltem vsque in Pascha; quod audientes Prælati nostri animaduertentésque, quod Rex ob nihil aliud peteret hoc, nisi vt hoc audiretur in Francia, sic & deuotio tepesceret signatorum; petitionem istam, sicut & primas fecerant, refutarunt.*

a Cap. 66.

2. *Quia verò longum esset omnia enarrare per ordinem, quæ Rex ille mandauit, & nostri ei respondenda duxerunt: istud breuiter dicamus: quod hæc fuit tota intentio dicti Regis, laborare videlicet, vt Comes Tolosæ, & alij Christianæ Religionis inimici restituerentur ad terras suas, vel saltem ipsis treguæ darentur à nostris ob intentionem superiùs memoratam. Nostri vero viri prouidi, & constantes, nec treguas concedere, nec terras reddere voluerunt.* Hæc Vallsarnensis. Quibus tamen ex his, quæ inferiùs narrat addendum puto. Concessas nihilominus inducias ad tempus Concilij, atque à nostris seruatas; sed prorogationis, si quæ fortè spes erat, præclusas ianuas hæreticis grassantibus in Catholicos, inermes, & incautos, ac si nullæ inducíæ intercessissent. *Non credimus omittendum* (ait paulò inferiùs [b]) *quod cum essent nostri prope dictum colloquium apud Vaurum, Comesque Montisfortis ob reuerentiam Regis diebus colloquij inimicis treguas dedisset, & Rex similiter ex parte aduersariorum treguas firmasset; ipso tempore colloquij, manentibus treguis, nostrisque non cauentibus, equitarunt Hostes pluries per terram nostram, prædámque multam capientes, plurimos insuper homines occidentes, multos captos ducentes, mala vbique grauissima intulerunt: super quibus malis, cum Rex sæpiùs requireretur à nostris, non fecit vllatenus emendari.*

b *ibidem.*

Itaque denegatis ob vtramque causam induciis. *Videns Rex* (pergit idem qui supra Petrus) *quod mihi proficere potuisset, in graue dispendium famæ suæ pariter, & honoris, apposuit, quod excommunicatos, & terras eorum, quas adhuc tenebant, in sua protectione reciperet, & vt suam nequitiam aliquantulum palliaret, Sedem Apostolicam appellauit. Prælati autem nostri, huic appellationi, quia multiplicibus ex causis friuola erat, & inualida minimè detulerunt.* Verùm quamuis appellationi vtpote vanæ & friuolæ, & quæ à nullo grauamine appellaret; nequaquam sibi putarent deferendum: at Regem fide, & nomine Catholicum, hæreticorum protectionem suscipere; ipsi nociuum; fidei iniuriosum: potentem, & in bellis exercitatum, ac recenti ad Tolosæ Nauas Victoria (in qua haud dubiè & ipse magna pars fuit) animosiorem rebellibus addere; negotio Ecclesiæ incommodum putantes, à proposito auertere, quibus potuerunt mediis, procurarunt. Præcipuè Arnaldus totius negotij Dux, & supra alios deuotus Hispano nomini; quippe qui Abbatem in Populeto egerat, priùs quàm in Grandi-silua, & proximo anno in Hispania militauerat. Ergo hic charitatis zelo accensus, talem ad eum epistolam scripsit, quam idem etiam auctor vulgandam censuit. [c]

3.

c *eodem cap. 66.*

Illustrissimo Domino Petro Dei gratia Regi Aragonensi, Frater à Diuina miseratione Narbonensis Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus, salutem in charitate animi, & visceribus Iesu Christi.

Intelleximus non sine turbatione multa, ac amaritudine animi, quòd ciuitatem Tolosæ, ad Castrum Montis Albani, & terras propter crimen hæreseos, ac alia multa, & nefanda facinora traditas Sathanæ, ac ab omni communione matris Ecclesiæ separatas, & Cruce signatis auctoritate Dei, cuius nomen in his grauiter blasphematur, expositas, disponitis in protectione vestra recipere; ac eas contra Christi exercitum defensare. Cùm igitur hæc si vera sint (quod Deus auertat) non solum in salutis vestræ dispendium, sed in honoris Regij, ac opinionis vestræ, ac famæ possint cedere detrimentum: nos qui salutem vestram, & gloriam,

3.

&

& honorem zelamus, totis visceribus charitatis, celsitudinem Regiam rogamus, consulimus, monemus, & hortamur in Domino, & in potentia virtutis eius, ex parte Dei redemptoris nostri Iesu Christi, ac sanctissimi Vicarij eius Domini nostri Summi Pontificis, auctoritate legationis, qua fungimur, inhibemus, & modis quibus possumus obtestamur, ne per vos, vel per alios terras recipiatis, vel defendatis prædictas. Optamus autem, quatenus tam vobis, quam & ipsis taliter dignemini prouidere, ne communicando excommunicatis, & maledictis hæreticis, & fautoribus eorundem, labem excommunicationis incurrere vos contingat. Vnum autem nolumus serenitatem vestram latere, quod si quos de vestris, in defensionem prædictæ terræ duxeritis relinquendos, cum omnes excommunicati sint ipso iure, vos denunciari excommunicatos, tanquam defensores hæreticorum publicè faciemus.

5. Hactenus quondam Abbas Cisterciensis, tunc Narbonensis Præsul magnus Arnaldus, in spiritu vehementi Petrum, quantumuis petram, si emollire non posset, vel contriturus. Sed induratum semel eius cor, ferro, quam minis conteri; morte, quam precibus emollire præstolabatur. Igitur, ait idem, qui supra Auctor. [d] *Rex Aragonensis in nullo respiscens, sed quæ malè proposuerat, peius adimplens, hæreticos omnes, & excommunicatos Comites Tolosarum videlicet, Conuennarum, & Fuxensem, Gastonem de Bearno, omnésque milites Tolosanos, & Carcassonenses, qui pro hæresi exhæredati Tolosam confugerant; ciues etiam Tolosanos in sua protectione suscepit, & ab ipsis iuramentum recepit: ciuitatem etiam Tolosanam, quæ est propriè de Dominio Regis Franciæ, & totum illud terræ, quod illi adhuc tenebant, in sua custodia recipere præsumpsit.* Hæc Rex ibidem.

d *vbi supra.*

6. Verum qui semper suspectum habuisset & Concilium Patrum, quibus res Comitum eo infensiores, quo magis notæ, & qui adeò in eorum causa tractanda, minus facile possent reconueniri: quod ab eis obtinere desperasset, eodem tempore petebat ab Innocentio, per nuntios per literas, de Legato, & Monfortio Comite querulas: pro hæreticis, modestas adeò, & humiles, atque omnem offerentes satisfactionem, vt vel ipsa prudentissimi Pontificis solers semper sagacitas tunc nihilominus fuerit circunuenta: & plura fere eidem Regi indulserit, quàm ipse petierit; nedum quàm ius, & æquum consentirent. Narrat id paucis idem qui supra Auctor totidem verbis [e] *Rex Aragonum per nuntios suos circumuenire intendebat simplicitatem Apostolicam, & per suggestionem falsitatis, & veritatis suppressionem, impetrauerat litteras, in quibus D. Papa indulgentiam, quam fecerat proficiscentibus contra hæreticos Albigenses videbatur reuocare.* Hæc tantum ille. At nos excerptas eas ex Regesto litteras Innocentij Pontificis, cum ipsa narratiua nuntiorum Regis; duplices ad Arnaldum, ad Comitem Monfortium simplices, in gratiam Lectorum, & rei totius notitiam pleniorem, in lucem dabimus. Igitur primas Arnaldo Narbonensi quinta decima die mensis Ianuarij, petitione Regis Aragonum suppressa, ne contra hæreticos procederet bellum mandans, his verbis dedit [f].

e *ibidem.*

f *Regest. lib. 15. & apud Boschet. lib. 3. epist. 213.*

Archiepiscopo Narbonensi, Apostolicæ sedis Legato.

7. *Cum iam captis vulpeculis demolientibus vineam Domini Sabaoth, in prouincia, quam virus infecerat hæreticæ prauitatis & instantia bellicæ cladis satis per Dei gratiam sit negotium prosperatum, quia causa nunc magis vrgens occurrit, expedit, vt ad illam manus Christiani populi conuertantur. Accepimus siquidem, quod Rex Sarracenorum partes suas armat ad prælium, nitens fortius ad fidei Christianæ actiones insurgere, quò lapsu grauiori succubuit sub populo Christiano: & hæreditas Dominica, cum auxilio multum indigeat, expetit, & expectat suffragia populi Christiani. Quia tamen frequenter, & quidem frequentius vires collectæ proficiunt, in quibus sparsa de leui deficerent; vt Christicolarum generali, ac speciali negotio, contra Sarracenæ gentis perfidiam, tanto efficacius intendamus, quantò minus crimus aliis occupati; Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus habito cum charissimo in Christo filio P. illustri Aragonum Regi, & tam Comitibus, quam Baronibus, aliisque viris prudentibus, quos ad hoc nouerit necessarios, de pace ac treguis, sollicito, ac diligenti tractatu, per pacis fœdera, vel treguarum, firma seueritate vallata, studeas diligenter, toti prouinciæ prouidere; sicque per indulgentias Sedis Apostolicæ, quæ aduersus hæreticos emanarunt, Christianum populum non conuoces, aut fatiges; nisi fortè à Sede Apostolica super hoc mandatum suscipies speciale. Datum Laterani decimo octauo Kalendas Februarij Pontificatus nostri anno decimo sexto.*

8. Has primum litteras ad Arnaldum datas, & velut aliud agentes, aut intendentes, expediuit Innocentius; quibus nulla habita mentione querelarum Aragonensis Petri, nec Comitum Tolosæ, Fuxénsisve, & aliorum consortium; quasi sub alio titulo, Rex Petrus obtinebat, quidquid optabat. Verum cum ne his quidem nuncij contenti essent; & suis adhuc querelis, nemine respondente, acrius insisterent, sequenti die, ad Comitem Monfortium alias seueriores, & tandem alias sequenti alio immediato, ad eundem Arnaldum vnà cum Episcopo Regiensi, quæ nihil prorsus silerent, aut præterirent. Exemplar porro litterarum ad Simonem, ad decimam sextam diem Mensis Ianuarij, hoc est. [g]

g *Ex eodem Regesto Vaticano, & apud Bosch. epist. 221.*

9. *Nobilissimo Simoni Comiti de Monteforti.*

Ex parte charissimi filij nostri P. illustris Regis Aragonum per nuntios eius fuit propositum coram nobis, quod tu conuertens in Catholicos manus tuas, quibus suffecisse debuerat in homines hæreticæ prauitatis extendere, per cruce signatorum exercitum ad effusionem iusti sanguinis, & innocentium iniuriam, prouocans, terras vassalorum suorum, & Gastonis de Bearno in eius graue præiudicium occupasti, licet in eis neque hæretici aliqui habitarint, nec habitatores earum, super hæreticæ pestis errore, infamia essent notati. Asserebant præterea nuncij Regis præfati, quod cum ab hominibus terrarum illarum fidelitatis exigas iuramenta, & terras patiaris inhabitare prædictas; eos esse Catholicos tacitè confiteris, vt hæreticorum abneges te fautorem, vel hæreticos te fouere quodam modo profitearis, si legitimè te occupasse terram illorum alleges. Firmabant nihilominus ex eo querimoniam spiritualem, quod dum Rex seruitio Iesu Christi contra Sarracenos insisteret, & effusioni suum, & suorum sanguinem exponeret pro reuerentia fidei Christianæ; tu bona Vassalorum eisdem impropria vsurpabas; eóque fortius ad vsurpationem insistebas eorum, quò minùs Rex poterat eis opem suæ protectionis impen-

dere; *vires suas expendens contra Sarracenæ gentis perfidiam in auxilium populi Christiani. Et cum adhuc Rex partes suas contra Sarracenos intendat armare, vt aduersus eos Deo duce efficacius possit insurgere, quanto maiori, quoad alios quiete gaudebit in pace: sibi restitui per sedem Apostolicam, quæ vassalorum eius extiterant, postulabat. Nolentes ergo ipsum suo iure fraudare, nec iam dictum eius propositum impediri; nobilitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Regi, & vassallis eius terras restituas supradictas; ne ad tuum speciale, non generale Catholicæ fidei laborasse profectum per retentionem illicitam videaris. Datum Laterani decimo septimo Kalendas Februarij, Pontificatus nostri anno decimo sexto.*

10. Vix nuncij Regis has litteras extorserant ab Innocentio, cum audaciam ex successu ipso sumentes, quod in his frequens, alias dari ad Arnaldum petierunt, quæ clarius eum, & prioribus seuerius alloquerentur. Atque hæ quidem difficilius impetratæ, sed impetratæ tamen: prono Innocentio in fauorem Petri Regis; nec dubitante, quâ semel incæpisset, vlterius progredi. Haud tamen aliquid mandatum exequendum, sed consulendum tantum, Prouinciali Concilio congregato, (quod ipse vltro faciebat) & quod decernerent, sibi remittendum, quo ipse instructior expediret tantum negotium. Itaque, qui quinta decima die Mensis, Arnaldo, sexta decima Monfortio Comiti scripserat; decima septima alias expediuit ad Arnaldum eundem, & Episcopum Regiensem in hunc tenorem [b].

[b] *Item ex ratic. Reg.*

11. *Archiepiscopo Narbonensi Apostolicæ sedis Legato, & Episcopo Regiensi,*

Accepimus per litteras, & nuntios charissimi in Christo filij nostri Regis Aragonum, quod postquam aduersus Prouinciales hæreticos mandatum Apostolicum emanauit, cruce signatis Terram ingredientibus Vicecomitis Biterrensis, eidem ipsius Regis subsidium imploranti, tanquam Domini temporalis, dexteram subtraxit auxilij, & omnis consilij remedium denegauit. Et ne super hoc Ecclesiæ propositum impediret, elegit tunc quosdam de eis Catholicos, ne adesse commixtis hæreticis videretur. Vnde Vicecomes prædictus Terram perdidit auxilio destitutus; ad vltimum miserabiliter interfectus. Cum autem tu Frater Archiepiscope, & nobilis Vir Simon Montisfortis cruce signatos in Terram Tolosani Comitis inducentes; non solum loca, in quibus habitabant hæretici recuperastis, sed ad illas nihilominus Terras, quæ super hæresi non notabantur infamia, manus auide extendistis: & cum ab hominibus Terrarum illarum fidelitatis exigeretis iuramenta, & Terras sustineatis inhabitare prædictas, hæreticos illos existere, verisimile non videtur.

12. *Dicebant præterea prædicti nuntij, quod sic indifferenter aliena contra iustitiam minus prouide vsurpastis, quod vix remanserunt Comiti memorato Castrum Montis Albani, & ciuitas Tolosa. Interea vero, quæ idem Rex sic asseruit occupata, ex ipsis vocabulis designauit. Terram quam claræ memoriæ Rex Anglia in dotem suæ sororis, Comiti dederat supradicto. Item Terras Comitis Fuxensis, Comitis Conuenarum, & Gastonis Bearnæ. Deduxit etiam specialiter in querelam, quod tu Frater Archiepiscope, ac nobilis memoratus, licet iam dicti tres Comites vassalli Regis eiusdem existerent, ab hominibus Terrarum, quas iidem amiserant, petebatis, vt iuramentum fidelitatis, ex ipsis terris alij exhiberent. Adiecit etiam, quod eum, de bello Sarracenorum obtenta victoria, redeuntem, Comes adiit supradictus; & ex prædictis damnis ei per crucesignatos illatis, imputabat suorum solum granitati peccatorum, quod satisfactionem eius non admittebat Ecclesia, cum paratus esset facere quæcumque sibi possibilia mandaremus, & ne solus tantæ confusionis ferret opprobrium, terram, filium, & vxorem (sororem Regis ipsius) relinquebat eidem, vt eos si vellet defenderet, vel permitteret exulare. Sed quia ex hoc confusio sibi non minima immineret? Et pœna suos tenere debet auctores, ne vltra extendi vindicta, quam inueniat in excedenti delictum; humiliter supplicabat, Tolosanum Comitatum filio memorati Comitis reseruari; qui nec vnquam venit, nec veniet Deo dante, in hæreticæ pestis errorem: promisit præterea, quod tam filium Comitis, quam etiam Comitatum in sua tenebit, quandiu nobis placuerit, potestate, vt circa fidem plenius, & moribus bonis faciat melius informari. Et Aragonensibus terram totam iam dictam committet, vt hæreticæ contagionis sordibus penitus expurgatam, ad cultum plene reducant fidei orthodoxæ, securitate oblata super his omnibus obseruandis, quam sedes Apostolica decreuerit exhibendam. De Comite quoque ne dubium sit, quod paratus est agere pœnitentiam de commissis, qualem decreuerimus iniungendam; siue quod partes adeat trans marinas; siue quod sit in Hispania circa Frontaream contra gentis perfidiam Sarracenæ.*

13. *Cæterum quia negotium arduum est, & multa in eo fuit deliberatione processum, cum per Dei gratiam satis est prosperatum; ne deleri, quod absit, aut perire valeret, quod multis laboribus est paratum, in ipso non decet sine graui cautela, & maturitate procedere. Quocirca mandamus, quatenus in loco securo, & aperto Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Comitum, Baronum, Consulum, & Doctorum, & aliorum Virorum prudentum, quos ad id necessarios & idoneos esse videritis, Concilio conuocato, & propositis coram eis, quæ Rex proponit, & offert; odio, timore, gratia, & amore, carnalibus omnibus postpositis, quæ super præmissis prouisa, & liberata fuerint, in eo, in quo conuenerint omnes, vel pars consilij sanioris, nobis fideliter res scribatis: vt intellecto vestro consilio, statuamus, quæ secundum Deum viderimus statuenda: Cum videatur proculdubio expedire, vt hoc modo, vel alio dicta terra de rectore idoneo consulatur. Datum Laterani, decimo sexto Kalendas Februarij Pontificatus nostri anno sexto decimo.* Has litteras impetrabant Romæ nuncij Regis, dum Arnaldus, & Patres apud Vaurum, velut Papam audirent, eadem, quæ mandabat, exequebantur. Nam & statim ad eum nuncios miserunt, litterásque de actis in Concilio, vt capite sequenti memorabimus.

1. *Patres Concilij Innocentio Papæ mittunt nuntios & litteras* 2. *in quibus de hæresibus*, 3. *& Tolosano Comite, à quo nihil non tentatum contra Catholicos*, 4. *déque eius complicibus*, 5. *vna cum omnium iudicio, & petitione.* 6. *Fulco, & Guido per Galliam crucem prædicant*; 7. *& Ludouicum Regis Franciæ filium cruce signant* 8. *Rex Aragonum impedire conatur prædicationem.* 9. *Sed Innocentius veritate exactius cognita*, 10. *ad eum seuerè scribit* 11. *& Tolosanos Episcopo Fulconi*, 12. *reliquos omnes Arnaldo Narbonensi absoluendos, puniendosve remittit.* 13. *Demum innouat prædicationem crucis contra hæreticos.*

CAPVT TERTIVM.

1. DVM nuntij Regis extorquerent hæc à Pontifice, qui apud Vaurum conueniſſent Eccleſiæ Patres, quaſi præſentem haberent mandatum eiuſdem Innocentij ſuos ad eum mittere nuntios ſtatuerunt, cum litteris, in quibus omnia, quæ hactenus geſſiſſent, cõtinebantur. Exinde vero, ait Petrus Vallſarnienſis. [a] *Videntes, quod Rex detineret eos nuntiis, litteris, & etiam appellationibus ſuperfluis; & nihilominus tempore colloquij, & treguarum, noſtros ab excommunicatis, quorum cauſam fouebat, permitterent apertiſſimè, & ſapiſſimè infeſtari; à Vauro receſſerunt. Verumtamen, antequam recederent, ſcripſerunt D. Papæ de communi negotio Eccleſiæ, & de præfato colloquio in hunc modum.*

a cap. 66.

Litteræ Synodi Vaurenſis ad D. Papam Innocentium.

2. *Sanctiſſimo Patri in Chriſto, ac Beatiſſimo ſuo Innocentio Dei gratia Summo Pontifici, deuoti, & humiles ſerui eius, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & alij Eccleſiarum Prælati, apud Vaurum pro Sanctæ fidei negotio congregati, cum omni affectione, longum vitæ ſpatium, & ſalutis.*

Ad agendas paternæ veſtræ ſollicitudini grates dignas, cum nec lingua nec calamus nobis ſufficiant, retributorem omnium bonorum exoramus, vt noſtrum in hac parte ſupplcat defectum, & abundè vobis retribuat omne bonum, quod nobis, & noſtris, aliiſque partium noſtrarum Eccleſiis tribuiſtis. Cum enim in partibus iſtis peſtis hæretica, antiquitus ſeminata, noſtris partibus vſque adeo ſuccreuiſſet, quod cultus Diuinus ibidem haberetur in opprobrium, & deriſum; & in clerum, & bona Eccleſiaſtica, hinc hæretici, inibi ruptarij graſſarentur; & tam Princeps, quam populus, in reprobum ſenſum datus, à fidei rectitudine deuiauit; vt per veſtros exercitus ſignatorum, quos ad emundandas ſpurcitias peſtis huius ſapientiſſimè deſtinaſtis, & Chriſtianiſſimum eorum Comitem Montisfortis, intrepidum omnino athletam, & inuictum Dominici prælij bellatorem, Eccleſia, quæ tam miſerabiliter ibi corruerat, caput inibi cœperit releuare, & in parte maxima deſtructis aduerſitatibus, & erroribus vniuerſis, terra dudum à cultoribus horum dogmatum conculcata, demum Diuino cultui aſſueſcat.

3. *Reſtant vero adhuc reliquiæ dictæ peſtis, Toloſa videlicet ciuitas cum Caſtris aliquot, vbi tanquam ſordes in ſentinam cadentes, reſiduum prauitatis hæreticæ ſe collegit: quorum Princeps, Comes ſcilicet Toloſæ, qui ab antiquis temporibus, ſicut multoties iam audiſtis, hæreticorum & fautor extitit, & defenſor: & pro viribus, quæ ſibi remanſerunt, impugnat Eccleſiam, & quoad poteſt, pro fidei hoſtibus, eius cultoribus ſe opponit. Ex quo enim rediit à ſanctitatis veſtræ præſentia cum mandatis, in quibus, vltra omnium meritorum exigentiam ſuorum, egeratis miſericorditer cum eodem, introiuit, ſicut manifeſtè videtur, Angelus Sathanæ in cor eius, & gratiæ veſtræ beneficiorum ingratus, de his, quæ coram vobis promiſerat, nihil impleuit; imo pedagia ſæpius abiurata, vehementer adauxit, & ad omnes, quos ſciuit noſtros, & Eccleſiæ aduerſarios ſe conuertit. Sanè per Ottonem Dei, & Eccleſiæ inimicum, opinatus contra ipſam Eccleſiam vires aſſumere, ſub ipſius confidentia manifeſtè, ſicut aſſeritur, minabatur, quod Eccleſiam de finibus ſuis, & clerum radicitus extirparet, hæreticos & ruptarios, quos multoties abiurauerat, ex tunc feruentius ſolito fouere ſtuduit, & tenere. Cum enim Catholicorum exercitus obſideret Vaurum, vbi ſedes erat Sathanæ, & quaſi huius erroris hæretici Prouinciæ; ipſe in ſubſidium peruerſorum, miſit milites, & clientes, & in Caſtro ſuo, quod Caſſer appellatur, fuerunt inuenti, & combuſti à Cruce ſignatis, pluſquam quinquaginta hæretici, præter credentium eorum multitudinem copioſam. Innocauit etiam contra Dei exercitum Sauaricum inimicum Eccleſiæ, Regis Angliæ Seneſchalum; cum quo Chriſti pugilem, prædictum Comitem Montisfortis, apud Caſtrum nouum Arrij obſidere præſumpſit. Sed Chriſti dextera faciente, cito fuit eius præſumptio in confuſionem conuerſa; ita quod pauci Catholici infinitam Arrianorum multitudinem effugarunt.*

Prædictorum autem Ottonis, & Regis Angliæ confidentia defraudatus, vt qui baculo arundineo nitebatur, cogitauit iniquitatem abominabilem, 4. *& ad Regem Marrochitarum nuntios deſtinauit, ſubſidium eius non ſolum in terra noſtra, ſed totius Chriſtianitatis exitium implorando; ſed conatum ipſius Diuina pietas impediuit. Epiſcopum Agenenſem à Sede propria expellendo bonis omnibus ſpoliauit, & Abbatem de Moſiaco cœpit, & Abbatem Montis Albani ferè per vnum annum tenuit captiuatum. Ruptarij quoque ipſius, & complices peregrinos Clericos, & laicos innumerabiles variis tormentis affecerunt, & nonnullos detinent, ac diutius tenuere captiuos. In his omnibus non auerſus eſt furor eius, ſed adhuc manus eius extenta, ita vt fiat quotidie ſemetipſo deterior, & omnia mala, quæ poteſt, per ſeipſum, & filium, & complices ſuos Fuxenſem, & Conuennarum Comites, & Gaſtonem de Bearno viros ſceleratiſſimos, & peruerſos, contra Dei Eccleſiam operetur. Cum autem vltione Diuina, & cenſura Eccleſiaſtica memoratus athleta fidei, Comes Chriſtianiſſimus, terras ipſorum, tanquam hoſtium Dei, & Eccleſiæ Sancto,*

& iusto occupauit prælio ferè totas ipsi adhuc in sua persistentes malitia, & humiliari sub potenti manu Dei contemnentes, nuper ad Regem Aragonum recurrerent, per quem fortè intendunt vestram reconuenire clementiam, & Ecclesiam suggillare. Adduxerunt enim ipsum Tolosam nobiscum, qui de mandato Legati, & de Legatorum nostrorum apud Vaurum conueneramus, colloquium habiturum; qui quæ, aut qualia proposuit, & quæ nos eidem duxerimus respondenda, ex rescriptis, quæ vobis sigillata mittimus, plenius cognoscetis.

5. *Omnes igitur vnanimiter, & concorditer, hæc præmissa Sanctitati vestræ intimamus liberantes animas nostras, ne per defectum significandi, in negotio fidei, de contingentibus aliquid omittatur: pro certo namque sciatis, quod si terra, quæ dictis Tyrannis cum tanta iustitia, & multa Christianorum effusione sanguinis est ablata, ipsis, aut hæredibus eorum restituatur, non solùm fieret nouissimus error peior priore, sed exinde excidium clero, & Ecclesiæ inæstimabile immineret. Adhæc quoniam enormitates abominabiles, & alia scelera prædictorum, per singula præsenti paginæ non credimus annotanda, ne librum texere videremur; quædam in ore nunciorum posuimus, quæ Sanctis auribus vestris poterunt viua voce referre.* Hæ litteræ Patrum Vauri congregatorum ad Innocentium, præter quas etiam speciales aliæ ab aliquibus, quas vulgauit Boschetus tali vni illarum præfixo titulo. *Saluo Comite Tolosano, Fidem Catholicam in tuto esse non posse.* Atque hæc est Archiepiscopi Arelatensis, atque nouem aliorum Episcoporum. Accessere & ipsæ petitiones Regis Aragonensis, atque Patrum responsa, cum quibus omnibus nuncij destinati (ait Vallsarnienſis [b]) Venerabilis Conuenarum Episcopus, Abbas de Claraco, Archidiaconus Parisiensis, Guillelmus, M. Theodosius, & clericus quidam, qui diu fuerat corrector litterarum in curia D. Papæ, & dicebatur Petrus Marci.

b *Lib. 4. Epist. 39. & 40.*

6. Prædictis nunciis directis ad Innocentium Venerabiles Episcopi Fulco Tolosanus, & Guido Carcassonensis, ex Cistercio vterque, in Galliam profecti sunt contra hæreticos crucem prædicaturi: cum nondum litteras Innocentij Papæ suscepisset Arnaldus; eoque nihil esset, quod eos posset à cœptis retardare. Mense Februario Parisios, vbi iactantes rete Verbi Dei, primum omnium ceperunt ingentem piscem Ludouicum Philippi Augusti filium, quem cuncti Principes Galliæ sunt sequuti. Narrat hæc idem Petrus Vallsarnienſis, inuerso quamuis ordine, sed qui nihil omnino prætermittat. [c] *Anno ab Incarnatione Domini M. CC. XIII. (sic enim corrigendum est, etsi XII. per errorem sit excusum) Mense Februarij Ludouicus filius Regis Franciæ mitissimus Iuuenis, & bonæ indolis adolescens, signo crucis signauit se contra hæreticos: quo audito infiniti milites, eius amore, & æmulatione prouocati, signum Crucis viuifica assumpserunt.* Et paucis interiectis. *Erant tunc Parisiis Tolosanus, & Carcassonensis Episcopi, Viri totius Sanctitatis, qui tunc venerant in Franciam, vt promouerent negotium fidei contra hæreticos pestilentes.*

c *Cap. 68.*

7. Bellane, quibus Philippus Galliæ Rex ab Ottone, atque Ioanne impetebatur, altero Imperatore, altero Anglorum Rege, de quibus supra; an aliæ causæ occultiores ipsum mouerint? in dubio est. Constat ægre tulisse filium Cruce signatum: & verosimile doluisse ob eam causam, quæ postea eiusdem impediuit profectionem. Certè quandiu ea minus vrgebat & licentiam indulsit, & necessaria itineri prouidit. Regio apparatu, & paterna sollicitudine. Nam audi quod sequitur. [d] *Rex Franciæ audiens, quod filius suus Cruce signatus esset, multum doluit, sed causam doloris eius non est nostrum exponere. Prima verò die Quadragesimæ celebrauit Rex generale colloquium in ciuitate Parisiensi, vt ordinaret de motione filij sui, & sciret qui, & quanti, & quales irent cum eo.* Et paulo inferiùs. *Rex autem Franciæ, qui sicut diximus, conuocarat Barones suos Parisiis, ordinauit de peregrinatione filij, & aliorum, qui Cruce signati erant, & motionis diem præfixit, in octaua videlicet Dominicæ resurrectionis.*

d *ibidem.*

8. Inter hæc autem, cum & litteræ Pontificis ad Regem Aragonum, & Patrum apud Vaurum congregatorum litteræ, & nuncij ad Innocentium Papam peruenissent; vtrobique mutatus status rerum, & hæretici, prohibita prædicatione Crucis aduersus ipsos, insolentiores: Pontifex ex Concilij litteris cautior, solertiorque, & cognita per nuncios veritate, pietatem in zelum commutauit. Sanè Rex Aragonum, susceptis litteris, conatu licet irrito, Legatos suos in Franciam destinauit Philippo Regi, & Campaniæ Comitissæ, & multis aliis eadem mittens litteras, [e] *Sigillatas sigillis multorum Episcoporum Terræ suæ, in quibus D. Papa intendebat reuocare indulgentiam, quam fecerat contra hæreticos sæpius memoratos, litteraſque illas faciebat publicari per Franciam, vt à peregrinatione contra hæreticos animos omnium reuocaret.* Dixi autem conatum illius irritum, ex his, quæ auctor subiungit in hæc verba. *Videns Episcopus Barchilonensis, & alij nuncij Regis Aragonum qui venerant ad hoc, vt laborarent, quod peregrini non irent contra hæreticos, quia Ludouicus filius Regis Franciæ, & multi nobiles cum eo contra hæreticos se signassent, non fuerunt ausi etiam mutire de reuocatione nostrorum à deuotione peregrinationis prædictæ.*

e *Vallsarn. supra.*

9. Ast Innocentius, diligenter examinatis vtrisque nunciis, nam, & qui à Petro dudum missi fuerant, in eius adhuc Curia demorabantur, & collatione litterarum, & responsionum veritate comperta; priores litteras subreptionis antè damnatas, reu ocauit in irritum; indulgentias Cruce signatorum contra hæreticos innouans; & Tolosanos Episcopo Fulconi; reliquos omnes Arnaldo Narbonensi (Cistercienſi vtrique) examinandos, absoluendosque, siue reconciliandos, si mererentur, sin minùs puniendos delegauit. Quæ omnia Petro Aragonensium Regi scripsit, per litteras seueras, graueſque, quæ in Regesto Vaticano extant, [f] & adducuntur à Petro Vallsarnienſi. [g] Sunt autem tales.

f *Lib. 15.*
g *Cap. 66.*

Innocentius Episcopus, seruus seruorum Dei Petro illustri Regi Aragonensium.

Is, in cuius manu sunt omnium corda Regum, inspiret tibi humiliter exoratus, vt prudenter attendens, quod iuxta mandatum Apostolicum nos oportet arguere, obsecrare, increpare; nostras increpationes, quas paterna affectione in te depromimus, deuotione recipias filiali; & sic obtemperes salubribus monitis, & consiliis; vt correctionem Apostolicam recipiendo, demonstres te in his affectum habuisse sincerum, in quibus absque dubio per effectum nosceris deliquisse.

10. *Sanè ad totius ferè mundi notitiam iam peruenit, nec serenitatem tuam credimus ignorare, aut etiam*

etiam differeri, quod inter cæteros Principes Christianos te specialiter studuimus honorare; per quod, & potentia tibi accreuit, & fama: & vtinam cum his & prudentia, & deuotio pariter accreuissent: quod licet nobis gratum existeret, tibi tamen amplius expediret. Verum in hoc nec tibi præ ouidisse dignosceris, nec nobis, vt decuit, detulisse; quia cum Tolosani ciues, tanquam putrida membra sint præcisi, excommunicationis mucrone, & ipsa ciuitas supposita sit interdicto, pro eo quod quidam eorum manifesti sunt hæretici, plures vero credentes, fautores, & receptatores eorum, ac defensores, adeo, vt alij quoque, quos Christi exercitus, imo verius ipse Christus, quem contra ipsos suis adinuentionibus prouocarant, à suis fecit tabernaculis emigrare, ad Tolosam quasi ad quandam sentinam erroris, confugerint ciuitatem; tu Diuini timoris oblitus, quasi prævalere valeas contra Dominum, vel auertere manum eius contra eos, exigentibus suis culpis, extentam; ipsos in defensionem, sub specie pietatis impietatem exercens, in scandalum populi Christiani, & propriæ famæ dispendium recepisti.

11. *Nuper igitur auditis, quæ Venerabilis Frater noster Segobiensis Episcopus ac dilectus filius Columbus Nuncij tui, ac Nuncij Legatorũ nostrorum, & Comitis Montisfortis in præsentia nostra proponere voluerunt; & litteris hinc, inde directis plenius intellectis, habito cum Fratribus tractatu, ac consilio diligenti; volentes honori tuo, quantum ad famam, saluti, quantum ad animam, indemnitati, quantum ad terram, paterna sollicitudine præcauere: Serenitati tuæ in virtute Spiritus sancti, sub obtentu Diuinæ, ac Apostolicæ gratiæ prouidimus iniungendum, vt prænominatos deseras Tolosanos, non obstante promissione, vel obligatione quacumque præstita, in elusionem Ecclesiasticæ disciplinæ, ipsis, quandiu tales extiterint, non impensurus consilium, auxilium, vel fauorem. Si vero iidem ad Ecclesiæ redire desiderant vnitatem, prout fuit à dictis Nunciis tuis propositum coram nobis; nos Venerabili Fratri nostro F. Tolosano Episcopo, Viro integræ opinionis, & vitæ, qui testimonium habet, non solum ab his, qui intus, sed ab his etiam, qui sunt foris, nostris damus litteris in mandatis, vt adiunctis sibi duobus, eos, qui voluerint, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta redire, sufficiente ab eis cautione recepta, reconciliet Ecclesiasticæ vnitati; illos vero, quos in erroris sui tenebris persistentes, idem Episcopus de labe ..... hæreticæ prauitatis, exterminari faciat à ciuitate iam dicta, & bona eorum omnia confiscari, ita quod nullo vnquam tempore recipiantur in ipsa, nisi fortè diuinitùs inspirati, se veros fidei orthodoxæ Christianos, exhibitione bonorum operum demonstrarent; & sic ipsa ciuitas reconciliata pariter, & purgata, sub Apostolicæ Sedis protectione consistat, non molestanda de cætero à Comite prædicto, vel aliis Catholicis; sed defendenda potius, & fouenda.*

12. *Miramur insuper, & monemur, quod pro terra nobilium vestrorum Comitis Fuxensis, & Conuenarum, & Gastonis de Bearno restituenda sibi, per nuncios tuos, Apostolicum, suppressa veritate, mendacium exprimentes, subripi fecisti mandatum; cum præter multa, & magna eorum flagitia, ob hæreticorum fauorem, quos manifestè defendunt, excommunicationis sint vinculo innodati: vnde cum mandatum pro talibus sic obtentum non teneat, illud tanquam subreptum penitus reuocamus; si vero iidem Ecclesiasticæ vnitati reconciliari desiderant, prout dicunt, Venerabili Fratri nostro Narbonensi Archiepiscopo Apostolicæ Sedis Legato, nostris damus litteris in mandatis, vt recipiens ab ipsis, non solum iuratoriam cautionem, cum suæ iam sint iuramenta transgressi, sed & aliam, quam viderit expedire, beneficium absolutionis impendat; & iis ritè præmissis, quasi veræ deuotionis indiciis, Legatum de latere nostro virum honestum, prouidum, & constantem, ad partes illas curabimus destinare, qui non declinans ad dexteram, vel ad sinistram, sed incedens regia via, semper, quæ rectè facta inuenerit, approbet, & confirmet, errata corrigat, & emendet, & tam nobilibus ante dictis, quam aliis conquerentibus exhiberi faciat iustitiæ complementum.*

13. *Interim ergo inter te, & terram tuam, & dictum Comitem Montisfortis volumus, & mandamus firmas tregnas fieri, & seruari. Mandantes nihilominus Comiti ante dicto, vt pro terra, quam à te tenet, reuerenter exhibeat, quod exhibere tenetur. Illud autem Excellentiam tuam volumus non latere, quod si Tolosani, & nobiles supradicti, adhuc quoque in errore suo duxerint perstendum, nos per indulgentias innouatas, Cruce signatos, & fideles alios excitabimus, vt ad extirpandam pestem hanc, Diuino freti auxilio insurgentes, tam contra ipsos, quam contra quoslibet alios receptatores, & defensores ipsorum, qui plus ipsis hæreticis sunt nociui, procedant in nomine Domini Sabaoth. Monemus igitur Serenitatem tuam, rogamus, & obsecramus in Domino, quatenus, quæ promisimus prompto animo, quantum ad te pertinet, exequaris, pro certo sciturus, quod si aliter (quod non credimus) duceres faciendum, præter indignationem Dominicam, quam ex hoc contra te proculdubio euocares, graue, & irreparabile posses incurrere detrimentum, nec nos quantumcunque diligamus personam, tibi contra fidei Christianæ negotium, possemus parcere, vel deferre. Quantum enim tibi immineret periculum, si Deo, & Ecclesiæ præsertim in causa fidei, te opponeres, & consummationem Sancti operis impedires, non solum vetera, sed etiam moderna possunt te exempla mouere. Datum Laterani XII. Kalendas Iunij Pontificatus nostri anno XVI.* Hactenus Innocentius ad Regem Petrum, profutura haud dubiè, si non Rex ipse morti destinatus, vinculis leuitatis, atque ferreis elationis catenis obstrictus esset.

1. Rex Angliæ Abbates Ciſtercienſes mittit ad Innocentium. 2. Dubium an in cautela. 3. Innocentij reſponſum graue, 4. & 5. & ſeuerum. 6. Eiuſdem Pontificis litteræ ad Pandulphum, 7. atque Durandum, 8. Legatos ad Regem miſſos. 9. Forma ſatisfactionis Regi præſcripta, 10. & reſtitutio Stephani Pontigniacum, Præſulum Cantuarienſium notum aſylum. 11. Collatus Stephanus Thomæ, Edmundóque, 12. & de operibus eius nonnihil dictum. 13. Promiſſa Regis exacta per Legatos, è quibus vnus Ciſtercienſis etiam fuit.

CAPVT QVARTVM.

1. DVM ita ſe haberent res Albigenſium, & Petri Aragonenſis duritie nondum completa, differretur iudicium mortis illius, intra hunc licet annum exequendum: in Anglia Ioannes Rex, ſiue Tyrannus, qui Stephanum Cantuarienſem Archiepiſcopum exagitatum Regno, nedum Sede, egerat in exilium; & Pontigniaci coegerat commorari; qui in Eccleſiam, qui in clerum debacchatus, ſacra æque, ac prophana in prædam egerat, qui in Ciſtercienſes fatali quadam rabie, exarſiſſet præ aliis, quippe, quò ſibi chariores dictitabat, eò in ipſos auidius deſæuiebat: *adeò durus exactor, improbuſque in conflanda pecunia (ait Nicolaus Arsfeldius [a]) vt Ciſtercienſes ad eam conficiendam, cucullas, & tunicas vendere cogerentur.* Cum ſe ob hæc, atque alia, haud diſſimilia, Sathanæ primum ab Innocentio traditum, mox à proceribus etiam ſæcularibus deſertum videret: demum eoſdem in ipſum rebellantes, etiam Philippum, Alexandrúmque, Galliæ, & Scotiæ Reges, habere fautores, etiam & Regno, & ſaluti ſuæ timeret, ad Eccleſiæ, & Ciſtercij, ianuas confugit; & Innocentium, vt ſui miſereretur; Belli-loci Abbatem, & ſtrata Marcelli, cum paucis aliis, vt intercederent, & quæcumque petierat Summus Pontifex, rata, & firma haberent ipſius nomine, ſupplex tandem orauit, &, vt dicebat, verè reſipiſcens.

[a] Sæculo 3. cap. 3.

2. Arténe, an fortuito euenerit, vt non omnes Legati Romæ adeſſent, in quos Rex compromiſit, in dubio eſt; conſtat, cum tres eorum transfretaſſent, in quibus vterque Abbas; cæteris retardatis, nec comparentibus, dubitatum in curia de firmitudine eorum, quæ Ioannes ſe promittebat obſeruaturum. Quippe compromittens in omnes, & non in ſingulos, quocunque deficiente, poterat à promiſſis reſilire. Sed nihilominus iniuncta ab Innocentio Ioanni fuit ſatisfactio præſtanda, ſub qua, & non aliter veniret abſoluendus: datæque litteræ, tum ad ipſum Regem ſeueræ, & graues, tum ad Legatos Pandulfum, & Durandum, eiuſdem Innocentij familiares (nam ſic eos appellat) peruenturos in Angliam, per quos ei, ſatisfactione præmiſſa, abſolutionis petitæ beneficium impenderetur. Vtraſque litteras ex Regeſtis Innocentij in Vaticano; necnon ex vulgatis à Franciſco Boſcheto Iuriſconſulto per omnia concordantes, accipiat Lector, & quidem litterarum ad Regem hic tenor erat.

3. *Ioanni Illuſtri Regi Angliæ, ſpiritum conſilij ſanioris.*

Auditis verbis Nunciorum tuorum, qui ad noſtram præſentiam peruenerunt, & ſi non illa nobis ex parte tua ſufficienter obtulerint, quæ ſunt ad ſatisfactionem ſufficientia competentem; ſuper multis, & magnis iniuriis, & iacturis, quas multo iam tempore intuliſti Eccleſiæ Anglicanæ contra Diuini nominis gloriam, & Apoſtolicæ Sedis honorem, in periculum animæ, ac diſpendium famæ tuæ: adhuc tamen experiri volentes, vtrum te reuocare poſſimus ab errore ad veritatem; ecce tibi benedictionem, & maledictionem proponimus, eius exemplo, qui per Moyſem ſeruum ſuum benedictiones, & maledictiones propoſuit filiis Iſraël, vt eligas, quam malueris, vel benedictionem, ſi ſatisfeceris ad ſalutem, vel maledictionem, ſi contempſeris, ad ruinam.

4. *Licet enim quaſdam nobis litteras deſtinaueris, quibus aſſeruiſti habiturum te ratum, quidquid Abbas de Bello-loco, & Frater A. de Strata Marcelli, & alij quatuor Nuncij tui ſuper negotio Cantuarienſis Eccleſiæ agerent coram nobis; quia tamen ex his nonniſi tres ad noſtram peruenere præſentiam, ij ſine aliis nihil facere poterant; ſecundum earundem præſentiam litterarum. Præterea non agitur tantum de negotio Cantuarienſis Eccleſiæ, ſed totius Eccleſiæ Anglicanæ, quam nunc perſequendo niteris annullare: propter quod anathematis meruiſti vinculo innodari. Hi vero tres Nuncij nobis ad vltimum obtulerunt, quòd ſecundum illam formam ſatisfacere promittebant, quam per dilectum filium Pandulphum Subdiaconum, & Fratrem D. familiares noſtros tibi curauimus deſtinare.*

5. *Verum cum per te ſteterit, quominus ſecundum eandem formam, pax ſit re firmata, & poſtea peiora prioribus attentaueris, nos ad eam, quæ pro maiori parte gratiam continebat, minimè iam tenemur. Cum ipſa gratia reddideris te indignum. Vt autem vincamus in bono malum, & omnem tibi excuſationis materiam auferamus, adhuc eam parati ſumus ſeruare tibi, ſi vſque ad Kalendas Iunij proximè venturas, per iuramenta quatuor Baronum tuorum iurantium, te præſente, ac mandante, in animam tuam, & per patentes tuas litteras repromiſeris, quod eam fideliter, & efficaciter adimplebis, ſecundum expoſitiones, & explanationes, quas ad omnis dubitationis ſcrupulum remouendum, duximus adhibendas. Et infra hunc terminum hoc totum ſignificaueris per tuas patentes litteras Venerabili Fratri noſtro, Cantuarienſi Archiepiſcopo, & qui cum eo ſunt, Epiſcopis ſuis. Alioquin eius exemplo, qui populum ſuum de ſeruitute Pharaonis in manu valida liberauit, Anglianenſem Eccleſiam in forti brachio, de ſeruitute tua ſtudebimus liberare: prædicentes tibi veraciter, & conſtanter, quod ſi pacem recipere, cum vales, non vis; cum volueris, non valebis: erítque inutilis pœnitentia poſt ruinam, &c. Datis Laterani tertio Kalendas Martij Pontificatus anno VI.* Hæc ad Ioannem

Ioannem Innocentius Romanus Præsul. Porro ad Legatos Pandulphum, & Durandum, hæc quæ sequuntur. [b]

b *Lib.16.Regest.& apud Bochet.epist. 272.lib.3.*

6. *Illam gerimus de vestra discretione fiduciam, vt secure vobis ardua negotia committamus: pro certo sperantes, quod ea secundum Deum, ad honorem, & profectum Sedis Apostolicæ curabitis promouere. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus proficiscentes in Angliam, vna cum Venerabili Fratre nostro VVintoniensi Episcopo & dilecto filio Priore Conuentus Cantuariensis, vel eorum altero, si forsan ambo interesse non possent, Regis præsentiam adeatis, monentes, & exhortãtes eundem efficaciter, & prudenter, vt Deo, & Ecclesiæ satisfaciat, secundum formam subscriptam inter nos, & nuncios suos, multimoda deliberatione prouisam. Ipse quidem cum suas patentes litteras vobis tradiderit, & vos vestras patentes litteras tradatis secundum capitularem tenorem, quem ei pridem duximus, sub alphabeto distinctum, vobisque tradimus ad cautelam. Sed si Rex ipse maluerit, vt neque ipse tradat huiusmodi litteras suas vobis, neque vos tradatis huiusmodi litteras nostras sibi, acquiescatis eidem: & sic cum prædicto Episcopo, & Priore, seu eorum altero, recepto ab eo primum iuramento, quod super his pro quibus de mandato nostro excommunicatus extitit, nostris mandatis absolutè parebit. Tu fili Pan. supradictum ei beneficium absolutionis impendas, reconcilians eum Ecclesiæ vnitati.*

7. *Deinde recipientes ab ipso tam pro Venerabili Fratre nostro Cantuariensi Archiepiscopo, quam pro Episcopis eius, & Monachis Cantuariensibus, ac omnibus aliis ad hoc negotium pertinentibus plenam securitatem, ac idoneam cautionem, per honorabiles nuncios faciatis eos in Angliam reuocari; quibus idem Rex omnem rancorem, & indignationem remittat, ac recepto à prædicto Archiepiscopo iuramento, quod à suis prædecessoribus consueuit illius progenitoribus exhiberi; vniuersa ei concedat, & tradat, & faciat ab eo pacifice possideri, quæ ad ipsum pertinere noscuntur, ita quod super ablatorum restitutione damnorum, satisfactionem plenariam, tam ipsi, quam aliis vniuersis faciat exhiberi: & sic tu relaxes sententiam interdicti.*

8. *Si verò circa horum aliquid, de quo merito valeat dubitari, dubia quæcumque emerserint, nostro reseruetur mandato: iniungendo super hoc ipsi Regi ex debito præstiti iuramenti, ne propter huiusmodi dubium relaxatio interdicti nimium differatur. Quod si fortè præfatus Rex infra mensem præscriptam formam non duxerit acceptandam, sed in sua maluerit duritia perdurare; vos ex tunc recedentes ab ipso, significetis ex parte nostra prædictis Archiepiscopo, & Episcopis, vt negotium Ecclesiæ, prout melius potuerint, prosequantur. Vosque non differatis vlterius ad nostram præsentiam remeare. Datum Laterani Tertio Kalendas Martij Pontificatus nostri, Anno XVI.* Hæc ad Legatos Innocentius Pontifex.

9. Formam satisfactionis exhibendæ, per Abbates condicta, promissáque: eadem fuisse coniector ex ipso facto, quæ ei antea Innocentius præscripsisset per Pandulfum Legatum, habetúrque in eisdem ipsius litteris, quæ etiam Nicolaus Arsfeldius prodit, ita scribens. [c] *Promissiones, quas Principes, & Episcopi ratas habuere huc ferè recidunt. Vt Stephanus Cantuariensis, cum Monachis Cantuariensibus, Episcopis, aliisque omnibus exulibus, secure redirent; Monasteriis, dignitatibus, bonis, & possessionibus libere, & quiete vterentur, frueretur: vt damna illis interim illata, ad assem resarcirentur. Ex qua (satisfactione) octo millia librarum quàm primum Ioannes Sacra nota, & anathemate liberaretur, mox in partem solutionis repræsentaret. Vt Ioannes, & hæredes Romanæ deinceps Ecclesiæ clientes constituerẽtur, & beneficiario iure Regnum ab ea possiderent, annuumque pro Anglia, & Hyberma mille librarum censum præstarent.* Hæc pacta conuenta inter Regem Legatumque, quæ postmodum adeò exacta esse dicuntur, vt Ioannes accepturus Regnum Ecclesiæ nomine, & diadema exuerit, & capite detractum Pandulpho tradiderit, vt Ecclesiæ ministro procuratorique, non ante quintum diem restituendum.

c *Sæculo 13. cap.2.*

Porrò quod attinet ad Stephani, & sociorum restitutionem, Ioannisque absolutionem, ipsa præmissa Nicolaus Arsfeldius his prodit verbis. 10.

d *Sæculo 13. cap.5.*

[d] *Miserat Ioannes ad Stephanum, & alios, vt maiori fiducia venirent, litteras amoris, beneuolentiæque plenas. Signis, & nomine viginti quatuor Procerum.* Et paulo inferiùs. *Postquam itaque Stephanus cum reliquis Episcopis in Angliam appulisset, Regem apud VVintoniam adiit, cui ille obuiam prodiens ad pedes se eius supplicem demisit, lacrymisque oppletus rogat eum, & reliquos, vt dilaceratæ, labefactatæ, & perditæ Reipublicæ misereatur, curamque suscipiat, ad quam Regis ille demissionem, vt nec reliqui Episcopi lacrymas reprimere potuere. Ioannes deinde ad templi fores per Stephanum (qui Romani tunc Pontificis auctoritate ad eam rem muniebatur) stipantibus eum vtrinque Episcopis, ductus est, & per eum execratione illa exceptus. Quo ille tempore, & cætera, de quibus diximus promisit, & clientelæ, obseruantiæque sua in Romanam sedem promissionem repetiit. Cantuariam deinde Stephanus profectus, & rerum suarum possessionem capessit, Monachosque veteri suo loco restituit.* Hunc habuit finem Stephani Languetoni longum exilium, quippe ab Anno M. C C. X I I. gloriosè exactum in Pontigniaco: vt sequentis vestigia Martyris Thomæ; sic Beatum Edmundum, antecedentis vitam in consimili exilio consummaturum, quod suo loco à nobis dicendum erit, vt verè Pontigniacum exulum Archiepiscoporum Cantuariæ asylum vnicum & salubre refugium censeretur, illis temporibus; quod omnes æque eligerent & in quo æqua etiam pietate, atque veneratione exciperentur.

11. Ex his tribus Cantuariæ Pontificibus, & doctis, & Sanctis, sanctitate haud dubie excelluerunt Edmundus, & Thomas: doctrina Stephanus, multis editis libris, quos in aliquibus Angliæ Bibliothecis, hodiéque M. S. perseuerare, Ioannes Pitsæus, & alij testificantur. Certè quæ traditur scripsisse, tam multa sunt, vt vix de alio plura referantur. Quippe præter constitutiones Ecclesiasticas, quadraginta, & octo, quibus Anglia vsa per multa tempora: centum viginti illius libri leguntur, quos memorat Pitsæus in suo illo opere, de illustribus Angliæ scriptoribus. Facit & ad illius commendationem, quod idem auctor narrat, hodie etiam in vsu cunctis fidelibus, nempe quod *omnes tum veteris, tum noui testamenti libros primus omnium in capita, vti nunc habemus, ad eorum, qui Sacris litteris studeant, vtilitatem, multo cum iudicio distribuit, & distinxit. Quod ante illum fortè vix quisquam illud*

cogitauit

cogitauit vnquam, & in his post illum nemo mutandum aliquid iudicauit. Quo suo laudabili facto, quantum iudicium ipse ostenderit, quantum lumen attulerit, quantum Sacrarum litterarum studiosis adiumentum suppeditauerit, Doctorum hominum iudicium esto. Hæc ille.

12. In ea, quam Rodericus Toletanus, eius sæculi gloria, lumenque, dum vixit, collegit perpulchrè sanè instructam Bibliothecam MM. SS. cum nondum adhuc prælum inuentum esset: quæ in Regio Hortensi Monasterio, in quo & ipse quieſcit, conseruatur; ingentia volumina visuntur in membrana descripta, quæ Stephani Languetonij nonnulla opera continent, ea sunt. In primo tomo, commentaria in Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros. Deuteronomium, Iosuë, & Lib. Iudicum. In secundo, commentaria in Esdram, Machabæos, Isaiam, Ezechielem, Ieremiam, Danielem, & Baruch. In tertio, in Paralipomenon, Tobiam, Iudith, Esther, & octo Prophetas minores. Porrò ex his libris plures, aut saltim aliquos Pontigniaci scripsisse credendus est; quorum meditatione tempus exilij aut redimeret, aut falleret, & ingruentibus procellis persequutionum, sese ad patientiam, virtutémque componeret: quod & nonnulli videntur præseferre. Hactenus de Thoma.

13. Vaticanus Codex de rebus Angliæ, quem Bzouius transcribit, multus est in perpendenda Ioannis in Ecclesiam, Ecclesiasticósque, sed maximè in nostros persequutione [c] *Caterùm* (ait) *ab Episcopis admonitus (scilicet Ioannes) adeò ab omni emendatione, & resipiscentia abfuit, vt furiosas voces iactaret, & nihil nisi sauũ, & atrox cogitaret, diceret, faceret, perque dentes Domini (is enim illi iurandi mos erat) si quidquam id genus, vel per ipsos, vel per alios accideret, se Episcopos, & clerum omnem, bonis, & possessionibus eorum sibi vindicatis, exilio proscripturum: & Romanos, quoscunque reperisset, oculis, & manibus mutilatos Romam amandaturum. Lato itaque ab Episcopis interdicto, & ipsi & alij clam è Regno discessere. Ioannes verò mox Episcopatus, cœnobia, Cistercienſium præsertim, aliásque cleri possessiones violenter inuasit, easque suis vsibus applicauit &c.* Nam multa ibi prosequitur: ex quibus omnibus facilè coniicias, Cistercienses Abbates à Ioanne missos, non solùm in fauorem Cantuarienſis, sed & aliarum etiam Ecclesiarum, atque Ecclesiasticorum pepigisse pro Rege, & cunctis exhibendam satisfactionem sacramento firmasse. Quam tamen postea, cum minus adimpleret, per Legatos exigit Innocentius, destinato ad hoc munus Nicolao Cardinale Episcopo Tusculano, cum Ioanne Abbate Sancti Martini de Monte VViterbiensi (ne vel hoc saltem ageretur sine Cistercio) quod idem etiam Codex testatum habet.

[c] ad annum 1212.

Post Pandulfum, ait, [f] *venit in Angliam Nicolaus Tusculanus Episcopus, Innocentij Legatus, coram quo Ioannes pacta conuenta renouauit; & certa ratione de damnis clero satisfecit.* Hæc Codex ille, qui quamuis Ioannis Abbatis non meminerit, eum tamen venisse cum Nicolao, idem Ioannes testatur, litteris datis ad Episcopos, & Principes, quibus confirmat donationem à se factam prædicto Monasterio Sancti Martini, ad eiusdem Abbatis petitionem, *Ad petitionem*, inquit, *Venerabilis Ioannis eiusdem loci Abbatis, qui cum Venerabili Patre nostro, Nicolao Tusculano Cardinali, ad nos venit in Angliam, &c.* Sed has litteras nos inferiùs dabimus.

[f] loco supra.

---

1. *Abbatibus de Spina, & de Vrsaria in Regem Lusitaniæ causa commissa*, 2. *remissa ad Pontificem*, 3. *sed iterùm ad ipsos reuocata.* 4. *Quid in eadem ab eis pro Sanctia, atque Tarasia sororibus.* 5. *Fulco in Leodium rediens, quo tempore ægrotabat Maria de Ognies.* 6. *Mirus illius affectus in Cistercienses*, 7. *& in Sanctum Bernardum.* 8. *Qualiter Monialem Cistercienſem* 9. *à Damone* 10. *per preces liberauit?* 11. *Quid in Monacho?* 12. *Et qualiter etiam restitutus?* 13. *decedens Sancta Cistercienses consolatur*, 14. *& vita eius, hortatu Fulconis, scripta.*

CAPVT QVINTVM.

1. IN Lusitania, in Tarasiam, Sanctiámque, vtramque sororem Alphonsus Frater; in Alphonsum Innocentius inuehebatur: ille, dum arces à Patre Legatas filiabus inhumane vsurpabat, hic dum vsurpatorem anathemate, & Regnum eius interdicto supponebat, quoad vsque desisteret, & se ab iniusto bello, nec honorifico (quippe contra sorores) cohiberet, quod anno præcedenti memorauimus. Alphonsus interim, cum seu vi, seu fraude (neque enim satis constat, & hoc vltimum innuunt antiquæ tabulæ) cepisset oppida, pro quibus arma sumpserat; atque Tarasiam Reginam Montemaiori, Alenquerio Sanctiam spoliasset, potitus votis, deponere se arma, atque Apostolicis mandatis parituram, nunciis ad curiam missis, significauit. Deleget Innocentius causam, quibus voluerit: veniant, videant, iubeant; nihil se detrectaturum, vt beneficium absolutionis adipiscatur. Diris se impetitum per longum tempus, & Regnum totum interdicto fuisse suppositum. Meruerit eam pœnam inobedientiæ, quam excusare nequit; sed neque vult: ast pœnitenti, & parato iurare de parendo, laxandam merito, neque vnquam præcludendam viam salutis, dummodo resipiscat, Ecclesiæ filio. Lætus accepit Innocentius nuncios, quos dudum expectasset, nec mora electis à Castellæ, & Legionis Regnis, Cistercioque, Viris Doctis, & Sanctis, quos neutri parti suspectos non dubitabat, Abbatibus de Spina, & de Vrsaria, in mandatis dat, vt accedentes ad Regnum Lusitaniæ, conueniant Alphonsum, sororésque; & si ita inueniant, vt asserebat, nempe cessatum, ab iniusto bello per Regem, suscepto priùs ab ipso iuramento de parendo mandatis, illum absoluant, & Regnum eius interdicto diuturno liberent. Hæc summa litterarum Innocentij, quantum ex sequentibus (nam primæ perierunt)

perierunt) licet coniicere. Abbates obedientes præcepto Summi Pontificis Lusitaniam intrant, Regi & sororibus litteras ostendunt, & iam iam iuramentum ab Alphonso statim absoluendo parabant suscipere; cum ecce reclamantibus Sanctia, Tarasiáque ablatas sibi arces, nec restitutas, Regiæ fraudes detectæ, quippe qui à bello solum abstinuisset, quod nil iam vltra esset, pro quo bellaret. Tunc Reginæ obreptionis incusant litteras, si vera Innocentio narrata fuissent, nunquam ab eo impetrandas. Porro obreptitias, subreptitiasve, inde probabant, quod vt in ea parte, qua narratur, cessatum iam à bello, vera contineant; at dum non produnt arces à Rege captas, pro quibus præliabatur, per veri suppressionem affectas vitio; si exprimeretur, nequaquam obtinendas. Quid enim refert vim facere, vt capias, an vt capta retineas? Furtum non aliter certius continuari, quam iniusta ablatorum retentione. Restituat primum omnia quæ vsurpauit, deinde iuret; cum vtrumque præstiterit, tunc demum per Legatos absoluendus. Econtra Rex, nil sibi tale præcipi Innocentij litteris: neque Abbates quid amplius posse exigere, quam Pontifex præcipiat exhiberi. Se, si iubeatur, redditurum arces, & oppida, quod tunc etiam iurabat; sed nequaquam mandatum, ante venturum. Conuenit causam referri ad Innocentium per litteras Abbatum, necnon per vtriusque partis procuratores. Quibus auditis idem Summus Pontifex tale ad eosdem Abbates responsum dedit. [a]

[a] *apud Brandaoni. Tom. 4. in Append.* 2.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei; dilectis filiis de Spina & de Vrsaria Abbatibus Palentinæ, & Auriensis Diœcesum, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Accepimus ex litteris vestris, quod cum causam, quæ inter illustrem Regem Portugaliæ ex parte vna, & nobiles mulieres T. & S. sorores ipsius ex altera super Castris Montis maioris, & Alanguer damnis, & rebus aliis vertitur, sub certa forma vobis duxerimus committendum, vos ad locum debitum accedentes, cum velletis, ad Regis, & Regni absolutionem procedere: dictæ Regis sorores proposuere per litteras, scriptum Apostolicum, vobis exhibitum falsitate suggesta, & veritate tacita impetratum, & ad hoc probandum locum securum, & competentem terminum postularunt. Vobis autem de prudentum virorum consilio diem, & locum congruum eis, & Regi volentibus assignare Rex ex hoc asserens se grauari, cum crederet se, ac Regnum suum, præstito Sacramento, quod suis pareret mandatis, ab excommunicationis, & interdicti sententiis sine dilatione absolui debere: petiit, & impetrauit à vobis, vt totum negotium ad nostram audientiam referretur.

3. *Constitutis itaque procuratoribus partium coram nobis, & auditis tunc inde propositis, vtrique parti volentes in sua iustitia prouidere, discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus accedentes ad locum, & recepto ab ipso Rege corporaliter iuramento, quod super his, pro quibus excommunicatus existit, & terra eius supposita interdicto, nostris mandatis absolutè parebit; excommunicationis, & interdicti sententias relaxetis: inter ipsum, & prædictas sorores ipsius treguarum fœdera statuentes; quæ iuramentis, & aliis idoneis cautionibus faciatis. Vtrinque firmari, & ad illa firmiter obseruanda, eos per districtionem Ecclesiasticam, sublato cuiuslibet contradictionis, & appellationis obstaculo, compellatis: vt nec per se, nec per alios, sibi inuicem nocere præsumant. Ac deinde facientes vtrique parti de manifestis damnis, & iniuriis satis fieri competenter; super dubiis audiatis, quæcunque dixerint proponenda: & nisi per vos inter eos amicabilis potuerit concordia reformari, causâ sufficiêter instructâ ad nostrum remittatis examen, præfigentes partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui representent, mandatum Apostolicum receptura. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per districtionem eandem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Vos denique filij Abbates super vobis ipsis, & creditis vobis gregibus, taliter vigilare curetis, extirpando vitia, & plantando virtutes, vt in districto nouissimi examinis die coram tremendo Iudice, qui reddet vnicuique secundum opera sua, dignam possitis reddere rationem. Datum Laterani XII. Kalendas Iunij Pontificatus nostri anno sextodecimo.*

Hactenus litteræ Pontificis ad Abbates, quas etsi mense Iunio datas constat, nihil tamen earum virtute factum (incertum, quam ob causam) vsque ad initium anni subsequentis, ipsa gestorum series declarabit. Non iussit Innocentius restitui castra, vt Sanctia, atque Tarasia postulauissent: credo vt Regi deferret, nisi cum eo mitius ageretur, forsan in contumacia permansuro; seu mauis dicere in manifestis damnis, quæ restitui iubebat, comprehendi; quippe præcipua spoliatarum sororum bona, sine quorum præcedenti restitutione nullatenus veniret absoluendus. Cæterum quod ad Abbates ipsos attinet, L. & A. nominatos ab Innocentio, quod supra vidimus, & infra etiam videbimus, animaduertendum censui meum Lectorem L. Laurentium esse, de quo superius, quartum Vrsariæ Abbatem, qui Garsiæ successisset (præcesserunt Garsias alius, Sanctiúsque) ad annum Christi M. CC. XVI. & eam domum per septem supra decem, nempe vsque ad M. CC. XXIII. egregia cum laude administrauit. A. vero Arnaldum, quartum item Abbatem Monasterij de Spina, qui ab anno M. C. XC. V. vsque ad annum M.C.XXI. per sex, & viginti integros, & clauum tenuit & post Balduinum, Guillelmum, Ioannémque legitur promouisse cœnobium vtrisque bonis.

4.

Sub idem tempus, mense nimirum Maio, Iunióque, cum multos iam per Galliam Cruce signasset Venerabilis Fulco Tolosanus in partes Leodij secundo profectus est, inuisurus Mariam Ogniacensem, atque Sanctam Lutgardim, aliásque, quarum eximiam gratiam, & virtutes admiratus fuisset ante biennium; atque piis earum orationibus negotia fidei commendaturus, & Ecclesiæ. Præsensne fuerit obitui glorioso, & funeris officio? in dubio est: constat affuisse in extremis laboranti Mariæ Ogniacensi, quæ Iunij vigesimatertia die migrasse traditur. Porro quæ, ac quanta Cistercium concernentia, in eius sacra morte referuntur (vltra ea, quæ ad Fulconem spectant, tempore infirmitatis, de quibus supra) à Iacobo de Vitriaco propalata, non absre erat in præsenti descripsisse. Et quidem, quod ad rationem temporis attinet, hæc ille. [b] *Anno incarnati Verbi milleſimo, ducenteſimo, tertio, decimo, non. Kalendas Iuly, pridie natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ, die Dominico sub horam nonam, pretiosa Christi margarita, Maria Ognacensis,*

5.

[b] *lib. 2. c. 13.*

siue de Oegnies, annum circiter trigesimum sextum ætatis agens, ad Regis sempiterni palatium introducta est: vbi vita sine morte, dies sine nocte, veritas sine mendacio, gaudium absque mœrore, &c. Hæc de tempore.

6. Insigni eam ferbuisse deuotione in Cistercienses Monachos, à prima etiam infantia testatum habeo: *Adeo enim* (ait [c] auctor vitæ ipsius) *ab ipsa infantia, cum illa creuit miseratio, adeóque naturali quadam pietate diligebat Monasticam Religionem, vt fores paternæ domus eius interdum prætereuntibus fratribus Cistercienſis Ordinis; illa suspiciens & admirans eorum habitum, clam illos sequeretur, & cum nihil posset aliud, suos pedes in illorum vestigiis, præ desiderio defigeret.* Hunc eundem affectum conseruauit per totam vitam, adeo vt vix alios Magistros spirituales sibi quæsierit, vix, quos Deo acquirebat vtriusque sexus curauerit per alios instruendos. [d] *Tunicam habuit laneam coloris albi, & eiusdem coloris pallium simplex, absque vlla vel pellium, vel alterius panni subductione.* Hinc factum est, vt ab aliquibus auctoribus, [e] inter Cistercium professas commemoretur. Nam quod pallio vteretur pro cuculla, nequaquam deuiasse probat ab instituto. Cauto nimirum in Ordinis decretis, quod suo loco dicemus, vt Moniales quæcumque Cistercienses, præter tunicam habitum portarent albi coloris, *vel cucullam sine mantello, vel mantellum sine cuculla.*

c *lib.1. c.1.*

d *lib.1.c.11.*

e *apud Henricum Iubij 23.*

7. Atque mortales filios venerata, multo magis parentem gloriosum sanctum Bernardum, ardenti charitatis affectu complectebatur; à quo & miras accepisse legitur consolationes. [f] *Apparuit ei quandoque Beatus Bernardus, Cistercienſis Ordinis pater, & lumen, aláque suas quibus præditus videbatur, circa eam expandit: cúmque diu cum illa intra Ecclesiæ cancellos sedisset, sciscitanti ei, quid sibi vellent alæ istæ? respondit: se instar Aquilæ, sublimi volatu, sublimia, & subtilia Diuinæ Scripturæ attigisse; multáque arcana cœlestia Dominum sibi reseraſſe.* Prætereo alias.

f *lib.2. c.8.*

8. Non minus nostris fauoris, & auxilij exhibuit, quàm reuerentiæ. Probant id planè Monialis, Monachúsque, restituti per ipsam, cum penè de vtriusque spirituali salute desperaretur. [g] *Puella quædam in Monasterio Cistercienſis Ordinis, inter sanctimoniales sub habitu Monastico Domino seruiebat. Inuidit vero illi tanto acerbius antiquus serpens, quod in sexu fragili, & ætate iuuenili, tam ardua viæ institutum eam complexam videret. Itaque cernens illam simplicem, formidolosam, & humilem; vt per pusillanimitatem, & immodicum timorem, eam in desperationem adduceret; blasphemiis & sordidis cogitationibus eius animum vexauit. Illa vero, vt erat meticulosa, & talium tentationum rudis, ac imperita; in ipso eiusmodi cogitationum primo accessu putabat, se fidem amisisse: & diu quidem multo cum dolore restitit; sed tandem virulenti serpentis sibilum amplius ferre non sustinens, nec interim pectoris sui vultus, vt medicinam acciperet, aperiens præ pusillanimitate, in desperationem prolapsa est iámque adeo eius mentem malignus hostis depressérat, vt nec orationem Dominicam, nec Symbolum Apostolicum dicere posset. Nec voluit confiteri peccata sua: etsi nonnunquam vel blanditiis adducta, vel minis compulsa, quædam confiteretur, nulla ratione promoueri potuit, vt veniam peteret. Non potuit interesse Sacramentis Ecclesiæ, non Christi corpus percipere: nec raro præ animi turbatione, sibi ipsi manus adferre conata est: Verbum Dei, & salutares admonitiones spernebat: omnis boni odio laborabat: multas per os eius Diabolus blasphemias euomebat.*

g *lib.1.c.10.*

Fiebant quidem à piis sororibus eius multæ ad Dominum preces pro illa, sed Columbam suam è faucibus tartarei accipitris extorquere, & illud genus Dæmonij precibus, & ieiuniis eiicere nequibant: non quod clemens sponsus tot Sanctarum Virginum orationes sperneret, sed quod Dæmonium atrocissimum singulari ancillæ suæ vincendum, & profligandum seruaret, qua precum suarum efficacia maxillas Leuiathan perforaret, & ab eius ore prædam illam vi extraheret. Adducta est itaque puella ad eam: illa vero, vt erat spiritu commiserationis, & melle spiritualis dulcedinis affluens, eam benigne suscepit, non modo in cellulam suam studio hospitalitatis, sed etiam in cor suum charitatis spiritu, & beneuolentia: cúmque multum pro ea rogaret Dominum, nequaquam spiritus, quam se fortiter tenere existimabat, relinquere voluit. Tum illa seipsam Domino prolixius immolans, quadraginta diebus in lacrymas, preces, & ieiunia incubuit; sed ita tamen, vt bis, vel ter hebdomadibus singulis, cibum acciperet. Eo ieiunio absoluto, terrimus ille spiritus, relicta puella, ad Christi annulam, cum dolore, & ignominia, venit conctus, & ab Angelo Domini mirabiliter vinctus, & tortus, ita vt videretur quasi reiectis per vomitum visceribus, omnia inteſtina sua ad collum gestare. Quod enim inuisibiliter Dominus in spiritu operatur, id quandoque per signa quædam exteriora visibiliter ostendit. 9.

Rogauit autem gemebundus Christi amicam, vt ipsius misereretur, & mulctam ipsi irrogaret. Aiebátque, quidquid ipsa iniungeret, id sibi necessario faciendum incumbere. Illa vero, vt quæ nunquam quicquam sibi arrogaret, neque aliquid vellet sine consilio facere, accitit ad se magistrum quendam, ipsius familiarem amicum, cui bene confidebat. Illo consulente, vt eum iuberet ire in desertum locum, vbi nulli vnquam vsque ad supremi iudicij diem nocere posset, alius quidam superuenit vtrique satis familiares: qui cum rem cognouisset, pro maiori spiritus vehementia, & feruore: Nequaquam, inquit, sic euadet ille furcifer, sed iubeas illum confestim abire in profunda inferorum. Illa ergo id præcipiente, & Dæmone cum vlulatu descendente, tantus tartareorum spirituum clamor excitatus est, ipsa in spiritu audiente, quod magnus, & potens quidam de suis Princeps ad ipsos veniret; vt multum illa obstupesceret, & Domino gratias ageret. Porro puella eadem hora liberata facta confessione peccatorum suorum, Christi corpus accepit, & Deo gratias agens ad suum Monasterium reuersa est. Hæc pro Moniali, verùm pro Monacho audi, quæ sequuntur. [h] 10.

h *lib.2.c.3.*

Monachus quidam Cistercienſis instituti, immoderato quodam innocentiæ & puritatis zelo impulsus; præ spiritus feruore, ad statum primi Parentis Adæ pertingere nitebatur. Suscepit ea causa laboris plurimum, affligebat se inedia, vigiliis, & precibus: sed cum hæc omnia frustra essent, nec posset ad illam innocentiam peruenire; primo incidit in tædium, & acediam, volebat ille cibum ita sumere, vt nullam inter edendum sentiret delectationem. Primos sensitiuæ portionis, siue sensualitatis motus conabatur non solum reprimere, sed etiam extinguere penitus. Contendebat absque vllo veniali peccato 11.

peccato vitam in perfecta puritate transigere. Erat ea tentatio Dæmonij meridiani, ad impossibilia eum instigantis. Laborabat sanè permultum; sed nullo labore potuit eò, quò intendebat pertingere. Itaque præ mœrore tandem in desperationis foueam prolapsus est, cum persuasum haberet, se in eo corruptionis statu, in quo esset, salutem nulla posse ratione adipisci. Veniales enim culpas, quas in hac vita omnes vitare non possumus, ille mortiferorum criminum loco habebat: nec volebat propterea sumere corpus Christi etiam illis diebus, quibus id Monasticus canon vult percipi. En morbum iuuenis audacis, & superbi, sed audi medicinam fœminæ sanctæ. [i]

[i] *vbi supra.* 12.

Eius autem animi morbum pius quidam, & bonorum omnium fautor Abbas, vbi cognouit, cum aliis multis Dominum pro illo deprecabatur: sed præualuit inimicus; & quem laqueo forti constrinxerat, eum sine intermissione vexabat. Tandem Abbas ille, quod non solum ancillæ Christi esset amicus, sed etiam virtutem eius, quippe quam in se ipso expertus erat, non ignoraret, Monachum eum ad illam curauit adduci. Et ecce orante illa pro Monacho cum lacrymis, & suspiriis, cum ille ante Missæ introitum, Confiteor, *diceret & ea instantius pro illo oraret, quasi atri quidam lapilli, ad singula confessionis verba ex ore Monachi decidere videbantur. Tum illa animaduertens in hac visione, obstinationem desperationis, & tristitiæ nigredinem à Monacho recessisse, Domino gratias egit, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Monachus vero peracto sacrificio, tanquam è longinqua Regione ad se reuersus Christi corpus accepit, & ea salutari percepta medicina, perfectè curatus est.* Mitto alia, quæ longum esset referre.

13. Ergo quæ in vita Cistercio adeo adhæserat, noluit decedens nostros prætermittere: namque primum, qua hora ad Deum migrauit. [l] *Monachus quidam vidit in somnis ab eius re calicem aureum prodire, vnde plerisque amicis suis potum præberet.* Velut plus se post mortem, quam in vita profuturam charissimis amicis Cistercienfibus, quos semper dilexisset, gratularetur. Sed Moniali cuidam Cistercienfi, Ducissæ Louanienfi quondam illustri, quod antea promisisset implere voluit, se nimirum ab ea rursus videndam: quod etiam narrat Iacobus de Vitriaco. [m] *Illustris quadam matrona Louanienfis Ducis quondam coniux, quæ contempto sæculo, Ordinis Monasterium Cistercienfis petierat, Monasticam in illo vitam professa, longè ante eius obitum, cum adhuc esset in Velembroc, eam vidit, recedénsque ab ea, dixit: Nescio Domina, an posthac vnquam te visura sim. At illa respondit: imo videbis me. Itaque vt audiuit, procul à nobis versus Coloniam habitans, Sanctam mulierem in extremis agere: Confido,* inquit, *in Domino, quemadmodum promisit mihi, illam me adhuc conspecturam: & ita factum est. Quando enim illa venit ad nos, iam pro defuncta campanæ pulsabantur: attamen præsens affuit, cum eius corpus lauaretur, & monumento conderetur.*

[l] *lib. 2. c. 13.*

[m] *ibid. 2. c. 12.*

Hæc nobis collegisse sufficiat raptim, ex actis 14.
sanctæ fœminæ, animo atque affectu Cistercienfis, atque omnia Cistercium concernentia ab infantia complexæ. Vitam illius, quod sæpè repetiuimus, Iacobus de Vitriaco scripsit, Anconenfis Episcopus, antequam Collegio Cardinalium aggregaretur. Scripsit autem ad instantiam Fulconis, seu tunc præsentis, seu quod paulò ante obitum eius discessisset; in quo nil certum; nisi quod hoc posterius verosimilius. Cæterum priusquam discederet à loco, eundem Virum Iacobum de Vitriaco impensè rogauit, vt vitam fœminæ post discessum eius scriberet; quod & ipse perfecit duobus libris: atque idem opus Fulconi consecrauit, præfixa epistola, in qua hæc inter alia alloquens ipsum: [n] *Cum enim iam ferè ad dies quadraginta nihil penitus manducans (*scilicet beata fœmina*) beatum obitum suum iam propinquum, cum desiderio, & mentis hilaritate expectaret, & tu de eius vita multa admiranda & vidisses, & audisses; impensissimè rogasti, vt post eius decessum vitam eius describerem, vt qui ei familiaris fuissem, multáque de eius virtutibus memoriæ commendassem: nec eius duntaxat vitam, sed etiam aliarum Sanctarum fœminarum, in quibus mira sanè in Leodienfi ditione Dominus operatur. Esi autem affirmares tu, & sibi, & aliis cum primis hoc esse commodum, & opportunum, si ea, quæ Deus in Sanctis nostræ ætatis hominibus efficit, pro concione publicè posses annunciare: non tamen volui ego earum, quæ adhuc super sunt, virtutes, & actus scripto comprehendere, certus nulla ratione id eas toleraturas. Ne tamen penitus tuæ sanctitati immorigerus videar, fretus precibus tuis, compulsus desiderio tuo, multorum etiam, qui hæc lecturi sunt, vtilitate incitatus, præsens opusculum aggredior, sarmenta cum Apostolo collecturus, quibus & me, & alios calefaciam: tametsi non dubito, fore, vt à serpente mordear: sed neque Apostolus à vipera læsus est, nec ego ex obtrectatorum morsibus, aliquod me damnum passurum pertimesco.* Hactenus Vitriacus. Verum iam nos ad alia transeamus.

[n] *Apud Surium Mens. Iun.*

---

1. *Martini Seguntini quondam Episcopi mors,* 2. *loco inter Ouilam, & Hortam,* 3. *quo funus deductum.* 4. *Miracula frequentia post sepulturam.* 4. *De capite Sacerdotis cuiusdam Sancti Seguntiam delato post breue tempus.* 6. *Quid Presbyter Iulianus, & quid ipsa Ecclesia Seguntina?* 7. *Sed vtrumque difficile,* 8. *nec conforme Ecclesiarum traditionibus.* 9. *Creditum vulgo caput Beati Martini,* 10. *quod ex corpore eius, post CCC. LXV. annos translato, & incorrupto inuento, sed acephalo efficaciori indicio comprobatur.*

CAPVT SEXTVM.

1. HIc item annus Seguntinum quondam Episcopum Venerabilem Martinum de viuis rapuit, plenum dierum, æque ac meritorum, & multa gloria in cœlis coronandum. Annum, & diem Richardus memoriæ prodit, in illis, quæ de eius vita, & morte carminibus scripsit;

scripsit, rudibus pro barbarie illius temporis.

Anno milleno, bis centum cum duodeno,
Vno coniuncto numeri non exule puncto,
Insuper Octobris sexto decimoque Kalendis,
Est numerus plenus, quo vocat hunc Dominus.

Consonat epitaphium antiquorum, quod infra, dabo, nisi quod vltimis litteris abrasis, annum decimum notat, pro tertio decimo, sic enim habet. *Anno ab Incarnatione Domini millesimo, ducentesimo, decimo.* Et procul dubio tertio additum erat, sed abolitum præ nimia antiquitate. Hæc de tempore. Obiit annos natus LXXV. ex quibus XX. in sæculo; reliquos omnes, tum Monachus, tum Abbas demum Pontifex, sed plures abdicatus sancte peregit.

2. De loco obitus non minus certum est, obiisse Subdosæ, vulgo Sotocam dicunt, pàruum oppidulum, quod situm est inter Ouilam, & Hortam, medio itinere; cum, vt creditur, præscius suæ mortis, ex Ouila, quo visurus charos filios paulò ante diuerterat, ad chariorem sibi Hortam remeasset. De eius morte Richardus hæc habet metra.

Præsul deuotus bonitatis nomine notus,
Febribus arctatus, super athera corde leuatus,
Exiit ab Ouila, ne sit moriturus in illa.
Rectam, non tortam festinus tendit ad Hortam
Venit ad Aldeolam, qua nunc Subdosa vocatur
Vir sanctus: siquidem lassus requieuit ibidem.
Morbo depressus, & toto corpore fessus,
Incipit arctari magis, ac magis, atque grauari.
Corpore suscepto Iesu Christi, iustus inepto
Mundo subtrahitur, & cœlesti sorte potitur.
Morte Patrum veterum, fœlix plenusque dierum
Ad patriam tutus migrauit, carne solutus,
Et manet in superis electis associatus,
Pro nobis miseris orans sine fine beatus.

3. Monachorum Hortensium traditio est, quo tempore Subdosæ Sanctus obiit, manifestatum Hortæ fœlicem transitum, dubium an exteriori aliquo signo, siue aliqua interna reuelatione. Corpus statim Hortam delatum est, deducentibus filiis parentem charum: & in communem attestatæ Sanctitatis acclamationem, sepultum in Ecclesia coram altari maximo; in qua tamen ex præscripto domus inuiolata seruato consuetudine, non nisi Sanctis, aut Regibus patebat sepulchri locus. De sacri funeris ad Hortam delatione hæc tantum Richardus.

Subdosæ moritur, sed in Horta mox sepelitur.

Ad eius tumulum in loco sepulturæ hoc Epitaphium scripsere antiqui quadrato lapidi, quod in diem vsque ho diernum perseuerat.

Martinum fortis rapuit vesania mortis
Pontificem Sanctum, iustum sobriumq; beatum.
Impetrare pia Virgo dignare Maria,
Vt vita viuat Monachus tuus hic cœnobita,
Cuius in hac fossa carnes conduntur, & ossa.
Octo bis Octobris dissoluit membra Kalendis.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo decimo.

4. Miraculis claruisse post sepulturam, in libro sepulchrorum Hortensium testatum video, vbi inter reliqua primum recensetur Sancti Sarcophagum idiomate vulgari, sed perantiquo. *Primeramente Iaiçe ante el altar de la Virgen Sancta Maria el cuerpo santo del Obispo Don Martin que puso la primera piedra en este Monasterio, con el Rey Don Alonso nieto del Emperador. El qual cuerpo Santo a fecho, & face cada dia muchas virtudes*, id est, vt transtulit Henriquez in Menologio. [a] *In primis iacet ante altare Sanctissimæ Virginis Mariæ corpus Sanctum Episcopi D. Martini, qui primum lapidem in hoc Monasterio posuit, vna cum Rege Domino Alphonso, Imperatoris Alphonsi nepote, ad cuius tumulum plura patrata sunt, & in dies patrantur miracula.* Hæc ex antiquis tabulariis eusdem domus. Quibus constans traditio adstipulatur. Nec dubium, sanctitatis viri famam, miraculorúmque latiùs sparsam; vsque ad Burgundiam etiam penetrasse; quandiu inter Cistercienses familiæ Sanctos, beatósque recensetur Martinus à multo tempore: & vt à Ioanne Abbate omissus sit; at eum alij successores eius commemorant, maximè in chartis confraternitatem ad Hispaniam transmissis, quæ ita habent. *Confisique de omnipotentis Dei misericordia, & Beatissimæ Virginis Mariæ Matris eius intercessione, beatorúmque Patrum nostrorum, Benedicti, Roberti, Alberici, Stephani, Bernardi, Malachiæ, Edmundi, Guillelmi, Henrici, Gofridi, Petri Tarantasiensis, Raymundi Fiterij, Martini Vallis Paradisi, Martini Hortæ, &c.*

a *Septembris* 16.

5. Non multo post in Ecclesiam Seguntinam delatum est, incertum quo labore, & communiter Angelo putato, sub specie peregrini, cuiusdam, magni Sacerdotis caput, quod multis ibi miraculis illustre, concursu primum populi, venerationéque, mox annua cœpit celebrari festiuitate ad tertium nonas Maij, qua die sacrum pignus illuc peruenit. Atque hæc festiuitas illic continuata etiam Martyrologio Romano inseri meruit. *Eodem die Sancti Sacerdotis Episcopi Seguntini.* Sic Martyrologium, siue id putetur fuisse nomen Sancti, siue aliàs incognitum, ex Sacerdotio noto designetur, dicatúrque Seguntinæ Sedi præfuisse. Chronicon Iuliani Archipresbyteri, & nomen proprium putat non dignitatis; & Sedem Seguntinam Viro confirmat, cui asserit præfuisse ante Hispaniam inuasam à Sarracenis, nempe circa annum D. L. VII. *Venit*, ait, *Sanctus Pontifex Sacerdos Lugdunensis, ad Regem Athanagildum VVisigothorum, missus à Regibus Gallis, & factus est Seguntinus ab eodem Rege. Vir Sanctus obiit 3. die Septembris anno Domini D. LXX. eius caput asseruatur ab eadem Sede, corpus vero Lugduni.* Fieri potuit, vt reuersus Lugdunum Pontifex Sanctus, ante reditum è viuis sublatus sit, atque ibidem sepultus. Vnde postmodum, Deo ita prouidente, diuiso capite, & Seguntiam transmisso, vtramque Ecclesiam voluerit illustrare sacris pignoribus.

6. Cæterùm in Ecclesia Seguntina, atque in ipsis lectionibus officij proprij, quo Sanctum Præsulem ante aliquot annos venerabatur (nam hodie communiores alias substituit) non Seguntinum, sed Lemouicensem Præsulem dicit. *Factus deinde Vir (sic in Breuiario almæ Ecclesiæ Seguntinæ ibidem excusso, ad annum Christi M. D. LXI.) & Monasterium ingressus circa præfatam Vrbem, ita mirificè se habuit, vt, mortuo Abbate, Sanctus Sacerdos in Abbatem ab omnibus esset electus. Factum*

ctum est tamen eo tempore, vt bonæ memoriæ Agericus Lemouicensis Episcopus diem clauderet extremum. Cuius Ecclesiæ dispositione diuina, Beatus Sacerdos sanctitate insignis, famáque clarissimus, cunctis Deo gratias agentibus, subrogatur. Quam cum verbo pariter, & exemplo mirabiliter gubernaret, tamen migrauit ad Dominum Nonas Maij. Cuius corpus, cum mater eius (quæ cæca fuerat) attrectaret, statim vidit, & dedit gloriam Deo. Sepultus est autem in Ecclesia Lemouicensi, sed tractu temporis postea in Hispaniam in hanc Ecclesiam Seguntinam (vbi hodie veneratur) caput eius translatum est. Hactenus ibi.

7. Traditio vtraque difficilis apparuit, Viris temporum gnaris, rerumque: non quod non fuerint Sancti illi Episcopi, nomine pariter, & officio Sacerdotes, alter Lugduni, alter Lemouici: sed quod quæsiti videantur ex solo nomine, quibus caput Seguntiam delatum, tribuendum foret: cum in cæteris repugnantia magna appareat. Nam primò quidem, quod ad Lugdunensem attinet, vt omittam illius notitam nullam apud Seguntiam, quod sequutæ inuasioni Sarracenorum, quæ cuncta obliterauit, facilè tribuas: quis vnquam credat primũ Archiepiscopum, vel saltẽ vnum de primis totius Galliæ, cum maximè florebat, Lugdunensem sedem deserturum, vt Seguntinæ Ecclesiæ longe minori, neque vlla id poscente necessitate, exul, & peregrinus præficeretur? Deinde Sancti illius Sacerdotis, qui Lugdunensem Ecclesiã administrauit, in catalogo Archiepiscoporum illius sedis illustris mentio; at non vt eius, qui Sponsam deseruerit, quam semel assumpsit, quod illis temporibus prorsus inusitatum: adeóque nunquam silentio prætereundum: sed qui illi adhærens quandiu vixit, decesserit Parisiis, sola morte ab ea separandus. *Sacerdos*, ait, *Archiepiscopus Lugdunensis XXX. sedit Anno D. XLVI. præfuit V. in Aurelianensi Prouinciali Concilio. Anno D. LIII. pridie idus Septembris. Reconditur in Ecclesia Sancti Nizetij.* Atque in hæc eadem Petrus de natalibus, aliique auctores graues testificantur. Quid quod caput Seguntiæ, longè recentius, quam Chronicon Iuliani? Vt vel inde videatur

8. esse suppositum.

Iam neque Historiam, quæ dictum caput tradit Sancti Sacerdotis Episcopi Lemouicensis satis constare, duo alia indicia persuadent: alterum, quod Sacerdos ille, cuius caput allatum Seguntiam, in eadem Ecclesia veneratur, ab ipso eiusdem capitis aduentu, traditus est, ad Seguntinam Ecclesiam pertinuisse: & tamen constat Lemouicensi cum ea nihil commune, vt qui nec patria, nec habitatione, nec demum dignitate, aut officio Hispanus fuerit. Adde, quod neque Lemouici sepultus, vt Seguntini tradunt, sed in Ecclesia Cathedrali Sarlatensi, vbi hodie asseruatur illius corpus. De eo hæc habet Catalogus Episcoporum Lemouicensium, post Agericum Episcopum XXIX. *Sanctus Sacerdos Sarlatensis, corpus eius iacet in Ecclesia Cathedrali Sarlatensi, in qua maximo honore veneratur.* Demum accedit Martyrologij Romani maior auctoritas, quæ Sacerdotem illum, cuius Festum anniuersaria solennitate celebrat Seguntina Ecclesia, Episcopum illius fuisse affirmat, à qua non facilè nobis recedendum.

Hinc factum est, vt multi coniectauerint, eun- 9.
dem Sanctum non ex proprio nomine: sed ex officio Sacerdotem cognominatum, fuisseque Insignem Virum Beatum Martinum Seguntinum Episcopum, ad superos translatum, non multo antè quam illud caput Seguntiam adduceretur. Sed adhuc magis conualuit hæc coniectura circa Annum M. D. LVIII. à morte Sancti tricentesimo quadragesimo quinto, in quo corpus Sanctissimi Episcopi frequentibus adhuc miraculis exigentibus, de terra leuandum, effossum est, atque inuentum acephalum; nulla prorsus notitia Sancti capitis, sed vacua penitus ea parte lapidis, quam prius occupauisset, reliquo corpore illæso, integróque, atque Pontificalibus induto, non minus integris, ac si ante paucos dies sepultum esset. Insignis pietate, & scientia vir, qui tunc præerat Hortæ Ludouicus de Strada, proximi sæculi decus haud contemnendum, quem non soli hi annales memorabunt, si sit, qui prosequatur, sed exteræ etiam nationes cum laude memorant, scriptum reliquit talem, ac tantam fragrãtiam prodiisse ex aperto sepulchro Viri Dei, vt non solum patentem late Ecclesiam statim perfuderit; sed & in ea per plures postea dies perseuerauerit. Nec dissimilem ex se odorem mittebat baculus pastoralis, qui ex eodem sepulchro, atque dextera Sancti fuit extractus. Ergo ex ea die pro certo habitum est, eius corporis esse caput illud, quod sibi debitum ex officio Pastorali, eoque à Deo missum per Sanctos Angelos, Ecclesia Seguntina veneratur.

Corpus, vt erat marmori inclusum, eleuatum 10.
à terra, ad sinistram altaris locatum est, superposita eiusdem Sancti imagine respiciente altare, è regione consimilis sepulchri, duo corpora Sacra continentis duorum Martyrum, quæ Rodericus Toletanus Præsul adduxisset ex Vrbe, suo apud Hortam sepulchro anteponenda. Martini tumulo subscripta sequentia verba. *Vir pius ac Venerandus Martinus primus Abbas, ac translator huius Sancti cœnobij, Episcopus deinde Seguntinus, cuius Sanctitati simul, ac magnificentiæ cana illa antiquitas accepta retulit omnia ferè, quæ in hunc vsque diem hæc Sancta domus possidet hoc editiori sepulchro tegitur. Nam Viri Beati corpus trecentis XLV. annis inno loco latuerat. Obiit Anno M. CC. XIII. Tandemque translatus Anno M D. LVIII. Octauo idus Augusti.* Hæc amantissimo Patri maiores nostri, quamuis, quod asserunt de domus translatione, & primo Hortæ Abbate, haud dubiè corrigendum veniat ex supradictis.

1. *Prosperati hæretici*, 2. *impedito aduentu Ludouici, qui Crucem sumpserat*, 3. *& mutata aduersus orientales Sarracenos prædicatione.* 4. *è contra Petro Rege Aragonensium sub titulo oppressorum, affiniumque*, 5. *eorum defensionem assumente*, 6. *& bellum indicente Monfortio Comiti.* 7. *Coactæ copiæ* 8. *& traditæ qualescunque causæ susceptæ belli.* 9. *Tam obsesso per Regem Castro Maurelli*, 10. *Monfortius Monasterium Bolbonæ adit, & se ac suos, & causam Deo commendat.* 11. *Quæ illi, supra alias, causa fiduciæ*, 12. *qua non obstante testamentum condidit, & tradidit Abbati, ad Innocentium si obiret perferendum.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. INTER hæc ipsa, in Gallia Narbonensi, varij & aduersi casus exercebant Catholicos, dum fidei negotio retardato, hæretici, & eorum fautores prosperarentur. Tollebantur in altum, vt lapsu maiori ruerent. Sed verè tollebantur, extollebanturque: & nostri, etsi fortiores surrecturi, deprimebantur. Philippo Rege intestinis bellis intento, impeditus aduentus Ludouici, Procerumque, qui paulo antè cum ipso Cruce signati præfixam ab eodem Rege diem, qua pergerent ab bellum, præstolabantur. Sed & plebeij in orientem destinati, procurante Innocentio, cui loca Sacra infidelibus auferre, ab initio suscepti Pontificatus in cura fuit. Inde Catholicis auxilia omnia substracta, & quotquot Crucem ibidem prædicabant contra hæreticos, exanimatos omnes, vno Guidone Carcassonensi Præsule dempto, retrocessisse, eius sæculi auctores prodidere. E contra verò hæreticorum partes promouebantur: & à quo vno penderent spes omnium, Petrus Aragonensis, offensione in Pontificem, qui matrimonium, quod ipse irritum vellet, validum declarasset, & alias concessas ante gratias, Comitibus Tolosæ sociisque, quas vellet permanere, reuocauisset, seu proprio forsan genio præcipitatus; nec posse se decore Regio saluo, deesse Principibus sanguine sibi iunctis, qui iam ad ipsius vmbram confugissent, concipiens animo; Simoni Comiti per feciales bellum indixit; recens victricia arma pro fide Christi, aduersus fidem repente conuersurus: & fauturus hæreticis, qui paulo antè pro Catholicis pugnasset in Sarracenos. Narrat hæc omnia Petrus Vallsarnensis eius temporis auctor, qui cunctis adstitit, aut hausit ab assistentibus.

2. Et quidem de aduentu Ludouici, Principumque ad Castra Ecclesiæ occasione bellorum impedito hæc scribit verba [a] *Fit ingens Christianorum gaudium, & exultatio, hæreticis autem mœror, & timor magnus: sed heu! Post modicum cithara nostra in luctum conuertitur; luctus hostium in gaudium commutatur; antiquus enim hostis generis humani Diabolus videns, quod negotium Christi esset, quasi in consummatione, mediante labore, & industria Cruce signatorum, nouum nocendi artificium inueniens impedire voluit, quod doluit consummari; suscitauit enim Regi Franciæ guerras, & occupationes tot, & tantas, quod oportuit eum retardare filium suum, & Cruce signatos ab exequutione propositæ peregrinationis.* Et paulò inferiùs. *Rex Franciæ per intestinas guerras, quas habebat, non permittebat, quod milites, qui se iam diu Cruce signauerant contra hæreticos, attingerent ad perficiendum vota sua.* Hæc de impedito per Regem auxilio Principum. Verùm de omissa etiam prædicatione contra hæreticos, ab omnibus, qui operi instabant, dempto Guidone, loquês de Innocẽtij Legato in Galliam misso Roberto de Corceone, qui expeditionem in Orientem solicitabat, hæc habet verba. [b] *Postmodum etiam misit Dominus Papa Legatum suum in Franciam Magistrum Robertum de Corceone, Anglicum natione, cum multis paribus litterarum, & indulgentiarum, vt sollicitè prædicaret, & prædicari faceret pro succursu terræ Hierosolymitanæ, qui Legatus veniens in Franciam, sollicitudine non pigra, iniunctum exequens officium, cœpit discurrere per Franciam, Archiepiscoporum, & Episcoporum Concilia celebrare, prædicatores instituere, modisque omnibus terræ Sanctæ negotium promouere. Prædicatores quoque illos, qui laborabant pro negotio fidei, contra hæreticos sæpe dictos, eidem negotio abstulit, & fecit eos pro terræ Sanctæ negotio prædicare; & ita quantum ad humanum iudicium, quasi in abolitionem venit, negotium fidei contra hæreticos pestilentes. In tota siquidem Francia, nisi vnus Venerabilis, scilicet, Carcassonensis Episcopus, Vir eximiæ Sanctitatis, qui pro sæpe dicto fidei negotio laborarat: ipse enim cum magna instantia discurrebat per Franciam, & negotium fidei, ne in obliuionem veniret, omnimodè, in quantum poterat, promouebat.* Hactenus ille. Atque hæc quidem causa adeo vrgens fuit, adeo cunctos inuoluit, vt etiam Tolosanum Episcopum, Fulconem à prædicatione reuocatum ad exercitum traxerit; quod ex statim dicendis apparebit.

Ergo dum nostri nutarent sub hoc conflictu; 4. & causa fidei ab aliis destituta pauciſſimorum curæ relinqueretur: quod vltimum malorum videbatur, Petrus Rex Aragonum, qui Catholicus dictus à longo tempore, qui Comiti Monfortio, vnicum filium (lumen illud futurum Hispani orbis, quod vxor propria furto concepisset) educandum tradiderat; de quo optimè Ecclesia merita erat: Ecclesiæ Duci, filiique nutritio, ac catholicæ fidei defensori bellum indixit, à quo nullis obsequiis, nullis precibus, nullis suasionibus potuit reuocari. *Post paucos vero dies* (ait idem, qui supra auctor) [c] *præfatus Rex misit nuntios ad Comitem, ferentes ipsius litteras, in quibus continebatur, quod Rex diffidabat Comitem, & ei quantum poterat comminabatur. Verum tamen Comes noster, licet Rex illum cum tanta superbia diffidasset, nullum damnum voluit inferre terræ Regis, à quo diebus singulis mala multa, & grauia sustinebat; homines siquidem Cathalonenses intrabant terram nostram, & eam, quantum poterant, infestabant.*

[a] Cap. 68.

[b] Cap. 70. 3.

[c] Cap. 67.

Post

5. *Post aliquot vero dies, misit Comes noster ad Regem, Lambertum de Turreio, probum militem, & discretum; quærebátque à Rege per prædictum militem, vtrum super diffidatione præmissa per nuntios Regis, res ita se haberet; mandabátque etiam ei, quod in nullo vnquam ei iniuriam fecerat, sed paratus erat ei reddere, quod debebat. Offerebat insuper, quod si de ipso Rex conquereretur, super terris hæreticorum, quas de mandato Summi Pontificis auxilio cruce signatorum acquisierat, paratus erat stare iuri in curia Domini Papæ, vel in curia Domini Narbonensis Archiepiscopi, Apostolicæ Sedis Legati: quasdam etiam litteras tradidit militi prænotato, quas Regi præsentari præcepit, si in sua obstinacia duceret permanendum. Continentia autem litterarum hæc erat. Scribebat Comes Regi, absque salutatione, significans ei, quod ex quo ipse post tot iuris, & pacis oblationes sibi factas, in sua diffidatione, & obstinacia permanebat, Comes eum similiter diffidabat, dicens, quod nullo ei de cætero iure seruitij tenebatur; sed per Dei auxilium tam de ipso, quam de aliis se defenderet Ecclesiæ inimicis.*

6. *Veniens sæpe dictus miles ad Regem, coram ipso, multísque Baronibus terræ suæ, diligenter, & prouidè omnia, quæ Comes in eius ore posuerat, per ordinem enarrauit: obstinatus autem Rex omnem respuit modum pacis, neque à diffidatione sua contra Comitem animum voluit reuocare. Statim sæpè dictus nuntius, litteras Comitis super diffidatione Regi præsentauit, quæ in communi, tam ipsius Regis quam Baronum suorum audietia sunt perlecta: quibus lectis, & plenius intellectis, Rex, & sui in iram versi sunt, & furorem. Post hæc emisso nuntio ab aula Regia, & diligenter custodito, quæsiuit Rex à suis consilium, quid facere deberet de nuntio supradicto. Consuluerunt autem eum quidam Barones sui, quod mitteret ad Comitem nostrum, mandans, & præcipiens, vt veniens ad ipsum in sua curia faceret ei, vt suo Domino, quod debebat: quod si Comes nollet venire, iudicabant ipsum nuntium reum mortis. In crastino autem venit nuncius ad curiam, & quæ die præcedenti ex parte Comitis dixerat, diligentius replicauit: audacter se etiam obtulit, quod si quis de militibus Regis vellet dicere, quod Comes noster Regem iustè offendisset, vel extitisset ei aliquando infidelis, paratus erat in ipsa curia Regis Dominum super fidelitate defendere per duellum: sed cum nullus auderet eum impetere, omnes tamen clamarent durius contra illum, tandem ad preces quorundam Aragonensium militum, quibus aliquantulum erat notus, dimissus à Rege, post multa mortis pericula ad Comitem remeauit. Ex tunc sæpè dictus Rex, quia retroactis diebus, persequutus fuerat Comitem Iesu Christi, sed tantum in occulto, cœpit ipsum grauare in omnibus, & persequi manifestè.* Hæc Auctor ibi. Sed plura adhuc inferiùs. [d]

d Cap. 70.

7. *Dicebatur*, ait, *in tota terra Albigensium, & celebri iam erat sermone vulgatum, quod Rex Aragonensis, congregabat exercitus suos, vt intraret cum superbia terram nostram, militésque Christi de terra illa penitus extirparet.* Et infrà. *Ea tempestate nobilis Comes Montisfortis, & Episcopi terræ Albigensis, duos Abbates miserunt ad Regem Aragonum, qui litteras, & mandatum Domini Papæ deferrent ad eum, supplicantes ei iuxta mandatum Apostolicum, vt ab hæreticorum auxilio desisteret, nec Christianitatem impugnaret. Rex autem, vtpote fallax, & subdolus respondit in dolo, quod omnia quæcunque mandabat ei Summus Pontifex libenter adimpleret. Sed licet semper promitteret mandatum Apostolicum libentissimè se facturum; noluit tamen reuocare milites suos, quos præterita hyeme Tolosam miserat; per quos cum Tolosanis, & aliis hæreticis Christianitatem impugnaret: sed & alios plures Tolosam misit milites. Præterea de terra sua, quos poterat, adunabat: & insuper, sicut audiuimus, partem terræ suæ non modicam pignori obligauit, vt haberet, vnde conducere posset stipendiarios in auxilium hæreticorum, & Christianitatis impugnationem.*

8. Non fuit, qui crederet, Regem verè Catholicum, Raymundo Tholosati, vti impiæ gentis Duci, fautoríque, atque eorum perfidiâ commaculato tulisse opem: sed vt affini, & coniugi sororis, atque amico assideret, & vt ipsius auxilium implorantem, à bellicis tueretur inuasionibus, quàs haud dubiè qui dicerent iniustas, eóque repellendas à potentiori; etiam ex Theologis, & Iurisperitis, à ministris consulti, non defuere. Adeo seruilia ingenia fuerunt omnes ætates, quæ nihil prorsus illicitum inueniant, quod lubet Principibus. Guillelmus de Podio coæuus Auctor, [e] vltra superiùs à nobis commemoratas, aliam causam adducit suscepti belli: Tolosatem puellam pulchram nimis, quam Rex thalamo vagus, & inquietus, quo longius aderat, ardentius deperiret, & cum non aliter frequentare posset Tolosam, vel pretio belli, & sanguinis Christiani, atque ô vtinam non & propriæ vitæ! occasiones quæsierit, quibus posset habere familiarem. Et bellum aliàs impium, iniustúmque, quod nulla posset excusare causa; saltem ex cæcitate, quæ his solet adnecti cupidinibus, vel ex parte minueret, vel à perfidiæ nota liberaret. Vtcumque fuerit, processum totius prælij, in quo nil ferè factum sine nostris, his Annalibus debitum, eiusdem Vallsarnensis verbis propalo. [f]

e *in sua historia.*

f *Cap. 71.*

9. *Anno Domini nostri Iesu Christi M. CC. XIII. quarto idus Septembris, Feria tertia post Natiuitatem Beatæ Mariæ, Rex Aragonum Petrus, congregatis Comitibus Tolosano, Conuennarum, & Fuxi, & copioso exercitu Aragonensium, & Tolosanorum, Murellum obsedit: erat autem Castrum Murelli situm super Garonam fluuium propè Tolosam ad tres leucas versus Vasconiam. Accedentes aduersarij ad Castrum Murelli statim primo incursu, primum Castri burgum intrauerunt; quia obsessi nostri non poterant illud munire; pauci quidam erant, & se in aliud burgum aliquantulum fortius receperant; ipsum tamen primum Castri burgum hostes citius dimiserunt. Statim milites nostri de Castro miserunt ad nobilem Comitem Montisfortis significantes ei, quod obsessi erant; & rogantes, quod succurreret eis, quia modica, imo quasi nulla habebant victualia, & de Castro egredi non audebant. Erat Comes apud Castrum, quod dicitur Fanum Iouis, distans octo leucis à Murello: proposuerat enim ire Murellum, vt muniret illud tam hominibus, quam victualibus, pro eo, quod de aduentu Regis Aragonum, & de obsidione Murelli aliquid suspicaretur.* Et infrà, nam quæ minus ad rem faciunt, consulto prætereo. *Igitur exiuit Comes à Fano Iouis, & properabat cum suis Saburdunum versus, & dum esset in via, venit ad eum nuncius missus à militibus, qui in Castro Murelli erant obsessi, ferens eorum litteras continentes, quod Rex Aragonum obsidionem firmasset antè Murellum.*

l um. Hæc de nunciis ad Monfortium Comitem m iſſis.

10. Verùm quid ipſe ſtatim accinctus prælio, qualiterque ſe, & ſuos apud Bolbonam, Abbatiam Ciſtercienſem, cauſamque ſuſcepti prælij Deo commendauerit, pergit Auctor dicere in ſequentibus. g *Comes autem noſter, & qui cum eo erant, properantes Sabordunum, venerunt prope quandam Abbatiam Ciſtercienſis Ordinis, quæ dicitur Bolbona, ad quam diuertens Comes noſter, intrauit Eccleſiam cauſa orationis, vt etiam ſe, & ſuos orationibus Monachorum commendaret; & cum prolixiùs, & diutius oraſſet, arripiens enſem, quo erat præcinctus, poſuit illum ſuper altare dicens. O bone Domine, O Ieſu benigne, tu me, licet indignum, ad tua prælia elegiſti; de ſuper altare tuum hodie arma accipio, vt prælaturus prælia tua, à te accipiam iuſtitiam præliandi. His dictis exiens Comes cum ſuis venit Sabordunum.* His auſpiciis ſuffultus miles Chriſti ad inimicas acies, viribus quamuis inferior properabat.

g *cap.* 21.

11. Sed erat illi fidendi alia occaſio, quam Guillelmus de Podio his verbis narrat. h *Ego*, inquit, *audiui per plures annos Dominum Maurinum Abbatem Apamiæ, virum fide dignum, qui prius Sacriſta Apamiæ Caſtri habebat cuſtodiam, ipſe apud Bolbonam exiuit obuiam eidem Comiti venienti; & audito, quod veniret ſuccurſurus obſeſſis; & etiamſi eum expectarent in Campo, cum obſeſſoribus commiſſurus: ait Sacriſta. Vos habetis paucos ſocios reſpectu aduerſariorum, in quibus eſt Rex Aragonum, vir in bellis expertiſſimus, & probatus, habens ſecum Comitem, & exercitum magnum valde: & non eſt par cum tam paucis contra Regem, & tantam multitudinem experiri. Qui ad hanc vocem protulit litteras de ſua almoneria dicens: Legite iſtas litteras, quas cum legiſſet, inuenit in eis, quod Rex Aragonum quandam nobilem vxorem cuiuſdam nobilis Toloſanæ Diœceſis ſalutabat, perſuadens, quod ob amorem eius ad expellendos de terra Gallicos veniebat; & alias blanditias continebat. Quibus lectis, reſpondit ei Sacriſta, quid vultis dicere propter iſtud? qui ait, quid volo dicere? Sic Deus me adiuuet, quod ego Regem non vereor, qui pro vna muliercula venit contra Dei negotium inuertere. Quo dicto repoſuit litteras in burſa diligenter.* Atque alacer, & velut de victoria ſecurus profectus eſt.

h *cap.* 21.

12. Cæterumne de victoria præſumptuoſus, aut de rebus humanis minus prouidus poſſet inueniri; priuſquam aciem cum hoſtibus conſereret, vocauit Capellanum ſuum, ait Petrus Vallſarnienſis, i *Faciénſque confeſſionem, ordinauit teſtamentum ſuum, ipſumque teſtamentum ſcriptum, & ſigillatum miſit ad Dominum Abbatem Bolbonæ, mandans, & ordinans, quod ſi contingeret, ipſum in bello occumbere, mitteretur Romam prænotatum teſtamentum, & confirmaretur à D. Papa.* Sic miles Chriſti, quaſi nihil timens, cauſam Chriſti ſuſcepit. Sed nihilominus, velut vltima paſſurus, ſe religiosè ad mortem præparauit.

i *cap.* 21.

---

1. *Arnaldus Epiſcoporum, & Abbatum Concilium congregat, per quos, ſi poſſet, Petrum emolliret.* 2. *Noſtri Murellum intrant: & diem Crucis deſignant Crucis victoriæ.* 3. *Vix anceps pugna:* 4. *& Petrus Rex occiſus in ipſa acie.* 5. *Monfortius Comes aduerſus auguria felix.* 6. *Crux adoranda militibus producitur à Fulcone Epiſcopo.* 7. *Dein contritis, ſi in eo prælio decedant, repromiſſa ſalus.* 8. *Toloſani ignorantes ſuorum cladem; & pacem reſpuunt, & miſere occiduntur,* 9. *euadentibus paucis.* 10. *Corpus Petri delatum in Xigenam, vbi ante paucos annos repertum integrum.* 11. *Hieronymi Blanchæ ſingularis ſententia de hac victoria.*

CAPVT OCTAVVM.

1. INTER hæc omnia Arnaldus, Fulcóque, vterque ſollicitus, hic pro ſuis Toloſanis, quos quamuis exul, pulſúſque de ſede, vero affectu paterno proſequebatur; ille pro Petro Aragonenſi Rege, quem ex quo Abbatem in Populeto egerat, & colebat, vt Dominum, & innouatis charitatis vinculis, ex communi victoria proximo anno parta de Sarracenis, hoſtem tunc experiri ægrè dolebat; hic Toloſanos, vt redirent ad Eccleſiam; ille Petrum Regem, ne ab illa exiret fauens hæreticis, quibus poterant mediis ſollicitabant. Et quidem Arnaldus plurimorum Epiſcoporum, & Abbatum congregauit Concilium, quorum auctoritate primum, mox etiam precibus, ſuaſionibúſque, Regius animus, quantumuis induratus, emolliretur. *Erant autem* (ait Petrus Vallſarnienſis a) *cum Comite noſtro ſeptem Epiſcopi, & tres Abbates, quos Archiepiſcopus Narbonenſis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, congregari fecerat, vt cum Rege Aragonenſi; de pace, & concordia loquerentur.* Ita Arnaldus: Fulco per nuncios, per litteras, per viros religioſos, nobiléſque, quos nouerat rebelles ſibi, & Deo, corripiebat, arguebat, increpabat, atque in omni potentia, & doctrina deprecabatur. Singulares vtriuſque actiones mitto, quia in litteris Epiſcoporum, & Abbatum, latè à nobis inferiùs tradendæ erunt.

a *cap.* 71.

2. Potuiſſe noſtris impediri ab aduerſariis ingreſſum Murelli, compertum eſt, cum à tot millibus armatorum hominum, facilè pauci venirent repellendi. Ingreſſi tamen vllo ſine periculo, ſiue excœcatis Aragonij Regis Ducibus, quos Diuina vindicta per noſtros exercenda præſtolabatur: ſeu placuit, Caſtro victualibus carenti plures includi, quo tenui annona celerius abſumpta, nec ſuccedente noua, quod ipſis facilè erat impedire, inedia magis, quam armis opprimerent; & ſine ſanguine victoriam compararent. Vtcumque fuerit, noſtris ingreſſis Caſtrum, tentata pax: ſed præcipuè cum Petro Aragonenſi, quem planè hoſtem habere recuſarent; ſed cum hanc conſequi nequaquam potuiſſent. *Crucis pugiles bello crucifixi* (ait Guillelmus de Podio b) *inſtantem Sanctæ Crucis diem eligunt: & factis confeſſionibus peccatorum, & audito ex more Diuino officio, cibo ſalutari altaris refecti, & prandio ſobrio confortati, arma ſumunt,*

b *cap.* 21.

sumunt, & ad prælium se accingunt. Pergit de belli ipsius euentu dicere. [c]

c Cap. 22.

3. *Igitur Rex Aragonum parauit se ad prælium Comite Tolosano in contrarium consulente, vt infrà Castra consisterent, & venientium equos telis, & iaculis vulneratos debilitarent, debilesque securius inuaderent, & inuasos facilius contererent: qui in Castro non possent defectu victualium remanere. Quem Rex audire noluit, metui adscribens, & ignauiæ quod dicebatur. Ordinatis ergo aciebus à Rege, ad pugnam veniunt, dato primo congressu, Comiti Fuxensi cum Cathalanis, & copiosa multitudine bellatorum. Ex aduerso autem, sicut audiui referentem Dominum Raymundum, vltimum Tolosæ Comitem, qui tunc tanquam ætate inhabilis ad pugnandum, eductus fuit de Castris in equo, ad locum eminentem, vnde commissionem videre poterat. Comes Simon venit tribus ordinibus, vsu, vt nouerat militari: & posteriores properantes in vnum, ad primos ictus cum prioribus effuerunt, docti satis, quod pugna vnanimiter aggressa victoriam parit: adeoque hostes primo ictu subuerterunt, quod eos campo, vt ventus a facie terræ pulueream, perpulsarunt; qui vt licitum fuit, se in posteriores acies collocarunt.*

4. *Deinde ad Regis aciem, vbi vexillum eius nouerant, se conuertunt; tantaque pressura in ipsum irruunt, quod armorum collisio, & sonus ictuum ad locum, vbi erat ipse, qui hæc dicebat, aere ferebantur, ac si multæ secures nemora detruncarent. Mortuusque est ibi Rex, & Magnates plurimi de Aragonia circa eum. Cæteri autem terga fugæ dederunt; & infinitos dum fugerent, occiderunt. Ipsi quoque Comites Tolosanus, & Fuxensis; & alij fugæ præsidio euaserunt.* Hic finis mansit Regem glorioſissimum, si pro meliori causa cecidisset, aut se hæreticis non vnquam associasset.

5. Censuere dignum animaduersione omnes antiqui, ominosum hoc prælium Monfortio Comiti, si ominibus, aut auguriis standum esset. In primis nanque *in ipsa nocte, qua Comes proposuerat egredi à Fano Iouis in auxilium Murelli, ait* [d] *Vallsarnensis Comitissa, qua ibi erat, somnium vidit, vnde perterrita fuit valde: videbatur enim ei, quod ab vtroque brachio suo in magna abundantia exibat sanguis.* Dein cum iam ingressus Castrum Murelli equum ascenderet, in hostes fidei potenter irruiturus. *Stupa sellæ rupta, ait Guillelmus,* [e] *cecidit Comes, & terræ tandiu hæsit, quandiu iterùm stupa resarciretur.* Mox eodem in equum ascendente. [f] *Equus ipsum capite in fronte percussit, adeò vt permanserit aliquantulum stupefactus.* Addit Vallsarnienſis, [g] viso eminus ictu à Tolosanis. *In derisionem Comitis vlulatum maximum emisisse.* Hæc, & similia, quæ memorant auctores, æquo marte pugnantem, aut pugnaturum deterrerent quemcunque, quamuis magnanimum: nedum viribus adeò inferiorem, vt nisi omnes antiqui mentiantur, vix inter equites, peditesque, ad mille quadringentos haberet milites: cum ex parte contraria crederentur, ad centum vsque millia pertingere. Certè occisorum, qui minorem numerum notat, quindecim millia, alij decem, & septem, alij etiam viginti fuisse scribunt. Cum multo plures euasisse credendi sint, maximè Rege celeriter percusso, eóque cæteris statim dispergendis. Illud etiam admirationem omnem excedit, vix octo, aut nouem ex Cruce signatis desideratos: eosque vno dempto, Gregarios milites, & quos: seruientes solent appellare.

d Cap. 72.

e Cap. 21.

f ibidem.

g Cap. 72.

Notat etiam Petrus Vallsarnienſis, [h] quod dum iam iam in hostes irruituri. *Comes & milites nostri mutuo loquerentur, & de bello tractarent, ecce Episcopus Tolosanus aduenit habens mitram in capite, in manibus vero vinificæ lignum Crucis. Mox nostri cœperunt descendere de equis, & singuli Crucem adorare: Episcopus autem Conuenarum, vir miræ Sanctitatis, videns quod in ista adoratione Crucis à singulis nimia fieret mora, arripiens de manu Tolosani Episcopi lignum Crucis, ascendens in locum eminentiorem, significauit eis dicens. Ite in nomine Iesu Christi, ego vobis testis sum, & in die iudicij fideiussor existo, quia quicunque in isto glorioso occubuerit bello, absque vlla purgatorij pœna, æterna præmia, & Martyrum gloriam consequetur, dum modo confessus sit, & contritus, vel saltem firmum habeat propositum, quod statim peracto bello, super peccatis de quibus nondum fecit confessionem, ostendet se Sacerdoti. Qua promissione, ad instantiam nostrorum militum, reperita sæpius, & multoties ab Episcopis confirmata, statim nostri per cordis contritionem, & oris confessionem mundati à peccatis, donantes sibi metipsis, si quis aduersus aliquem querelam haberet, egrediuntur de Castro; & tribus aciebus dispositis, in nomine Trinitatis contra hostes intrepidi procedebant.*

6. h Cap. 72.

Episcopi autem, & clerici intrauerunt Ecclesiam deprecaturi Dominum pro seruis suis, qui se pro eius nomine, morti exponebant imminenti. Qui orantes, & clamantes in cœlum, tantum pro imminenti angustia mugitum immittebant in cœlum, quod vlulantes dici deberent potius, quam orantes. Cum Episcopis, & viris religiosis in Castro permansisse Sanctum Dominicum, qui à Fulcone vix vnquam discedebat, plures auctores tradunt. Quamuis non desit aliquis, qui dicat, discurrisse per acies, Christi in Cruce pendentis sacram imaginem præferentem militibus, atque eos ad prælium animantem. Quin Crucem ipsam obseruari hodieque lego, [i] sagitta confixam in ipso prælio, ex his, quæ ab aduersariis iactabantur. Quod tamen ab antiquis prætermissum, Guillermum Catell, & alij suspectum habent.

7.

i Ferdin Castillo in hist. Ordin. S. Domin.

Addit & idem, qui supra Vallsarnienſis Aragonensibus in fugam semel versis, cautum à nostris, nequis fugientes cæderet, velut qui inuiti sanguinem Christianum eatenus fudissent, neque vt effunderent, sed tantum, vt se defenderent. Hinc fortè factum, siue vt Guillelmus mauult. [k] *Ex curribus, & aliis impedimentis, quibus vallati erant, vt Tolosani ciues per multum tempus, cui adhuc cessisset victoria, penitus ignorarent.* Quin potius, vt testatur Vallsarniēsis, [l] post profligatos socios, *adhuc in expugnando Castro totis viribus laborarent. Quod videns Episcopus Tolosanus, qui erat in Castro, vir bonus, & mitis, eorumque miseriæ compatiens; quendam virum religiosum misit ad eos, monens, & consulens, vt iam tandem conuerterentur ad Dominum Deum suum, armaque sua deponerent, & ipse eos eriperet à morte imminenti, in cuius assecurationis testimonium, misit eis cucullam suam, Monachus quippe erat. Illi autem, vtpote obstinati, & Diuinitus obcæcati, responderunt, quod Rex Aragonensis vicerat omnes nostros, Episcopus autem volebat eos morti tradere, non saluare, & hac de causa, auferentes cucullam nuncio, ipsum lanceis grauiter vulnerarunt.*

8.

k vbi supra.

l Cap. 17.

Interea

Interea milites nostri reuertebantur à cæde cum victoria gloriosa, veniente sque ad ipsos Tolosanos, ex ipsis plura millia occiderunt. Sic Vallsarnienſis.

9. Guillielmus autem de Podio cuaſionis quorundam; ſed & multorum mortis genus explicuit, nam *redeuntium*, ait, [m] *ex trophæo vexilla notantes, ad nauigium, quod habebant in Garumnæ littore concurrerunt, & qui potuerunt egredi, euaſerunt. Cæteri, vel ſubmerſi, vel in campi planitie caſi, gladiis ceciderunt: ita vt occiſorum numerus vbique eſſe quindecim millia dicerent.* Sic quos idem æquauerat flagitium, velocior, tardiórve pœna diſcreuit; fortè & hæc quoſdam pœnitentiæ reſeruauit.

m Cap. 22.

10. Corpus Regis ipſa in acie inuentum, alij nudum, armatum alij perhibent. Bernardinus Gomezius nihil determinat. Sed *Mortuo Rege* ait, [n] *proceres, atque reliquiæ exercitus in Caſtra reuertentes, illius cadauer planctu, & eiulatu magno, humo ſuſtulerunt; illudque hoſpitalariis equitibus Sancti Ioannis Ieroſolymitani, quorum Ordini Rex Caſtra, oppidaque multa dono dederat, honorifice, Regioque more ſepeliendum tradiderunt. Quod ipſi magna pompa humeris geſtantes in cœnobium Xigenenſe, (quod Sanctia mater ingreſſa olim, & ſacris initiata, non multo antea obierat) magnifico ſtructo ſepulchro condiderunt; iuſta illi, cum ſacro nouemdiali, ſumptuoſa nimis, & lamentabilia reddentes.* Ita Gomezius. Sed Hieronymus Blanca vlterius addit. [o] *In excellentiſſimi Archiepiſcopi Ferdinandi ſcriptis, quorum ſæpe meminimus, teſtatum inueni; à ſeſe huiuſce Regis monumentum Anno M. D. LV. perluſtratum fuiſſe, in eoque ipſius Regis corpus integrum totum præter naſi extremitatem, inuentum, adeò ingentis, licet æque compactæ magnitudinis, vt inſpicientibus magnam præſeferret decoris maieſtatem.* Tribuenda ne incorruptio arti, an naturæ? non auſim dicere: ſanctitati non credo: quamuis nec dubitem actus contritionis, quandocunque elicitos, abolere potuiſſe maiora crimina: atque ipſam eandem gratiam remiſſiuam denotari per ſigna; ſi Deus eam voluiſſet manifeſtari. Voluiſſe ſepeliri apud Eſcarpium, cœnobium Ciſtercienſe, de quo ſtatim auctor grauis Antonius Beuterus teſtificatur. Sed rebus turbidis, immutata omnia, maximè Rege inteſtato decedente, abſente coniuge, nec præſente filio, quibus ea cura maior futura foret.

n Lib. 2.

o in Petro 2.

Verùm quod idem Hieronymus Blanca alibi tradit, ſtetiſſe pro Petro victoriam primum: ſed inſequentem fugitiuos hoſtes, dum ſeſe nimium à ſuis elongaret, occiſum à fugientibus; qui plures numero in vnum tantum hominem, auxilio deſtitutum, haud difficile potuerint irruere: indeque ſtatim mutatam faciem belli, & è victis victores, è victoribus victos emerſiſſe: reclamantibus omnibus antiquis: neque fidem meretur, neque indiget ſpecialius confutari. Certè, qui tunc præſentes cunctis fuerunt, Epiſcopi, & Abbates, præter auctores alios, quos retulimus, rem in hunc modum ſcripſere per totum orbem; litteris de eadem victoria datis, quæ & plures circunſtantias eius deſcribunt. 11.

---

1. *Hiſtorica Epiſcoporum, & Abbatum,* 2. *ad omnes Chriſti fideles ſcripta Epiſtola.* 3. *Toloſani in dolo obſequium offerunt.* 4. *Quid Petrus Aragonius, cum Epiſcopos venientes opperiretur.* 5. *Toloſanus Epiſcopus Arnaldi Narbonenſis vices exequitur,* 6. *ingens victoria, & occiſus Rex Aragonum.* 7. *Numerus vtrinque occiſorum pene incredibilis.* 8. *Arnaldum, & Guidonem non affuiſſe.* 9. *Quid Fulco egerit adhuc pro Toloſanis.* 10. *Sed qui ſtare renuunt promiſſis.* 11. *Et dictum de loco, quo Rex interemptus.*

CAPVT NONVM.

1. LITTERÆ Prælatorum, qui in exercitu Simonis Comitis erant, cum de fidei hoſtibus triumphauit. [a]

a *Apud Petrũ Vallſarn. cap. 73. Matthæũ Pariſ. in ſua Anglic. hiſt.*

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus, qui Sanctam Eccleſiam bona diligunt voluntate. Deus fortis, & potens, Deus potens in prælio. Quinta feria infra octauas Natiuitatis B. Mariæ Virginis, Sanctæ conceſſit Eccleſiæ, deuictis miraculoſe inimicis fidei Chriſtianæ, victoriã glorioſam, & triumphum glorioſum in hunc modum. Poſt correptionem affectuoſiſſimam zelo paternæ pietatis à ſummo Pontifice diligentiſſime Regi factam Aragonenſi, inhibitionemque diſtrictiſſimam, ne inimicis fidei præſtaret auxilium, conſilium, vel fauorem; ſed ab eiſdem recederet indilate; & treguas haberet firmiſſimas cum Comite Montisfortis; quibuſdam etiam litteris, quas eiuſdem Regis nuncij per falſiſſimam ſuggeſtionem, contra Comitem Montisfortis impetrarant de terris reddendis Comitibus Fuxenſi, Conuenarum, & Gaſtoni de Bearno poſt veritatis cognitionem, caſſatis à D. Papa, & tanquam nullius valoris penitus reuocatis: idem Rex correctionem Patris Sanctiſſimi, non deuotione recipiens filiali, ſed contra mandatum Apoſtolicum, ſuperbe recalcitrans, quaſi cor habens durius indu-

ratum, licet Venerabiles Patres, Narbonenſis Archiepiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus, & Toloſanus Epiſcopus, ſibi litteras, & mandatum Summi Pontificis tranſmiſiſſent, mala, quæ pridem conceperat, voluit poſtmodum parturire: quia in terram, quæ per virtutem Dei, auxilio ſignatorum contra hæreticos, & eorum defenſores fuerat acquiſita, intrauit cum exercitu, eamque contra mandatum Apoſtolicum ſubiugare, ac prædictis inimicis reddere attentauit.

Parte eius iam ſibi aliquantulum ſubiugata, cum pars multa reſidua ob ipſius ſecuritatem apoſtatare intenderet, & ſe ad apoſtatandum iam pararet: congregatis in ſimul, Comitibus Toloſæ, Fuxi, & Conuenarum, & Toloſanorum exercitu magno valde, feria tertia poſt Natiuitatem B. Mariæ Murelli Caſtrum obſedit: quo audito Patrum Venerabilium Archiepiſcoporum, & Abbatum, quos Venerabilis Pater Narbonenſis Archiepiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, propter ſanctum negotiũ fecerat congregari, qui vt de dicto negotio, & de pace tractarent, diligenter aduenerant, in Chriſto vnanimes, & deuoti: Simon Comes Montisfortis, habens ſecum quoſdam nobiles, & potentes Cruce ſignatos, qui nuperrime de Francia venerant, ipſi, & Chriſti negotio in ſuccurſum, 2.

succursum, suámque familiam, quæ in Christi negotio diu secum laborauerat, iter arripuit ad Castrum obsessum viriliter succurrendum. Et dum die Martis infra octauas supradictas venisset ille Christi exercitus ad quoddam Castrum, quod dicitur Sauordunum Venerabilis Episcopus Tolosæ, cui commissa erat à Summo Pontifice Tolosanorum reconciliatio, licet de reconciliatione ter, vel quater monuisset, cuius admonitionibus, licet salubribus, acquiescere postponebant, respondentes super hoc, nullatenus respondere: ad dictos Regem, & Tolosanos in obsidione Murelli assistentes suas misit litteras, significans eis, quod Episcopi memorati veniebant, vt de pace, & concordia diligenter tractarent, & petebat sibi dari ducatum securum.

3. *In crastino autem, prima die Mercurij subsequente, quia res sic vrgebat, supradictus exercitus exiit Sauorduno, festinans ad succursum Murelli celeriter aduenire; dicti vero Episcopi memorati proposuerant, apud quoddam Castrum, quod dicitur Alta ripa, quod medium inter Sauordunum & Murellum, distátque ab vtroque duabus leucis, vt ibi missum nuncium expectarent: qui nuncius rediens, ex parte Regis respondit, quod ex quo Episcopi cum exercitu veniebant, non daret eis ducatum: ipsi quidem alio modo non poterant ire, sine manifesto periculo propter guerram. Cum Episcopi, & Christi exercitus Murellum accederent, ex parte ciuium Tolosanorum, Prior hospitalis Tolosæ ad Episcopum Tolosanum missus venit, ferens eorum litteras in quibus continebatur, quod modis omnibus parati erant D. Papa, & ipsius Episcopi facere voluntatem, quod quidem eis bonum fuisset, si compensarent verius facta dictis. Eidem vero Priori statim remisso ab Episcopo, respondit Rex, quod ducatum Episcopo non præberet, sed si vellet ire Tolosam, vt cum Tolosanis loqueretur, eum concederet illuc ire; & hoc derisorie fuit dictum: ad quod Episcopus. Non decet, inquit seruum ciuitatem intrare, de qua Dominus suus exul est electus; nec ego cum corpus Christi de ciuitate illa electum fuerit, illuc reuertar, donec Deus meus, & Dominus meus reuertatur.*

4. *Verumtamen dicti Episcopi cum exercitu Murellum intrauerunt die Mercurij superius memorata: qui sollicitudine non pigra, duos religiosos viros ad Regem, & ciues Tolosanos destinarunt, qui à Rege tale habuere responsum; quod propter quatuor ribaldos, quos Episcopi secum adduxerunt, petebant colloquium habere cum ipso; & hac dixit in derisum, & contemptum signatorum. Tolosani vero prædictis nunciis responderunt, quod in crastino super hoc responderent, & hac de causa eos vsque in crastinum tenuerunt. In crastino autem prima die Iouis, responderunt, quod ipsi Regi Aragonensi erant confœderati, & nihil facerent nisi Regis in omnibus voluntatem: quod cum redeuntes manè, ipsa die Iouis nuncij retulissent, Episcopi, & Abbates, discalceatis pedibus, ire proposuerunt ad Regem: & cum quendam religiosum mitterent, ad nunciandum Regi aduentum ipsorum in hunc modum, patefactis ianuis, cum Comes Montisfortis, ac Cruce signati essent inermes, pro eo, quod de pace, Episcopi, & Abbates in simul loquebantur, hostes Dei superbè, ac fraudulenter armati, vicum subintrare cum impetu attentarunt, sed per Dei gratiam à suo fuerunt desiderio defraudati. Quorum superbiam Comes, & Cruce signati videntes, cum sine periculo, & damno maximo, & vlterius differre non possent, per cordis contritionem, & oris confessionem, vtpote viri cultores fidei Christianæ, mundati salubriter à peccatis, armis suis se viriliter accinxerunt.*

Venientésque ad sæpè dictum Tolosæ Episcopum, 5. *qui auctoritate Domini Narbonensis Archiepiscopi, Apostolicæ Sedis Legati, Legationis officio fungebatur, exeundi licentiam contra hostes fidei humiliter petierunt; qua, quia negotium erat in arcto constitutum, necessitatis articulo compellente, concessa, pro eo, quod ipsam domum in qua Episcopi morabantur, ipsi hostes erectis iam machinis, aliisque bellicis instrumentis, festinabant protinus impugnare ballistarum iaculis, atque lanceis emissis hastilibus circumquaque. Christi milites reuerendi, ligni Dominici signaculo, cum insigniis Pontificalibus consignati in nomine sanctæ Trinitatis, tribus aciebus dispositis, exierunt. Hostes vero è contrario multas habentes acies, & multum magnas, suis iam muniti armis, tentoria sunt egressi. Quos licet multos milites, & populum multum nimis; clientes Christi, de ipsius auxilio confidentes, & licet illorum respectu pauciissimi, magnam multitudinem non verentes, armati ex alto viriliter sunt aggressi.*

Statim virtus altissimi, per manus seruorum suo- 6. *rum, hostes suos confregit, & comminuit in momento, terga enim vertentes, in fugam facti sunt, tanquam puluis ante faciem venti, & Angelus Domini persequens eos erat: hi turpiter fugientes, turpi fuga mortis periculum euaserunt, alij vitantes gladios, aquæ periculo perierunt, quamplures vero fuerunt in ore gladij deuorati. De illustri Rege Aragonensi, qui cum interfectis occubuit, plurimum est dolendum, quia Princeps tam potens, & nobilis, qui si vellet posset, & deberet, Ecclesiæ sanctæ vtilis multum esse, nunc Christi aduersus hostibus, Christi amicos, & sanctam Ecclesiam improbè perturbabat. Cæterum cum victores, à cæde, & persequutione hostium reuerterentur cum victoria gloriosa, sæpè dictus Tolosanus Episcopus, Tolosanorum stragi, & miseriæ, charitatiuè, & miserabiliter compatiens, corde pio eos, qui de stragis residuo, adhuc intra sua tentoria morabantur, saluare cupiens, ne perirent, vt saltem tantorum flagellorum verbere castigati, citum periculum euadentes, conuerterentur ad Dominum, & viuerent in fide Catholica permansuri; missa eis per quendam religiosum virum cuculla, qua indutus erat, mandauit eis, quod nunc demum arma sua, & suam deponerent feritatem, & inermes venirent ad ipsum, vt eos saluaret de morte; qui adhuc quoque in sua perseuerantes malitia, & se, qui iam victi erant vicisse Christi populum autumantes, non solum parere sui Episcopi commonitionibus contempserunt, verum etiam ablata cuculla, ipsum nuncium austerius verberarunt: post quos Christi militia recursum faciens, circa sua diffugientes tentoria interemerunt.*

Certus hostium interfectorum, tam nobilium, 7. *quam aliorum numerus præ multitudine nullatenus sciri potest: de militibus autem Christi vnus solus interemptus est in conflictu, & pauciissimi seruientes. Omnis igitur populus Christianus, pro Christianorum victoria, mente pia, & toto cordis affectu gratias agat Christo, qui per paucos fideles infidelium multitudinem superauit; & sanctam Ecclesiam suam de hostibus suis concessit fideliter triumphare. Ipsi honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen. Nos Tolosanus I. Narbonensis II. Vicensis*

uensis III. Lodouensis IV. Diterrensis V. Agathensis VI. & Conuennarum Episcopi, & de Claraco, Villa magna & Sancti Tiberij Abbates, qui mandato Venerabilis Patris Narbonensis Archiepiscopi, Apostolicæ Sedis Legati veneramus, & de pace, ac concordia tractare, cum summa diligentia, summoque studio nitebamur, præscripta omnia, sicut quæ vidimus, & audiuimus, esse verissima, in Verbo Dei perhibemus, consignantes ea nostrorum nomine sigillorum, vtpote reseruari digna, in memoriam sempiternam. Datum Murelli, in Crastino victoriæ gloriosæ, scilicet sexta die infrà octauas Natiuitatis B. Mariæ Anno Domini M. CC. XIII. Hactenus litteræ Patrum congregatorum de mandato Legati apud Murellum, tractandæ cum Catholicis paci, si obtinerent; aut si non possent, promouendo, qua possent, negotio fidei. Extant in Vaticano totidem verbis: adducunturque à Matthæo Paris in sua Angliæ historia, à Petro Vallsarnensi, aliisque, vniformes, atque adeo integra fide.

8. Porrò ex eisdem litteris constat, Arnaldum, post intentatam pacem, neque obtentam ab Rege Aragonensi, discessisse ab exercitu, quasi subtractum Diuino beneficio, funeri Regio, quod iam iam præsagiebat, & deplorabat; & cui adeo impediendo laborasset. Quippe si affuisset, subscripsisset litteris primus: sed neque Fulco vices illius ageret, qui per se ipsum præsens, alieno vicariatu non indigeret. Sic & Guidonem Carcassonensem Præsulem abfuisse certamini, duplex aliud indicium, persuadet; alterum cum Arnaldo illi commune, quod non subscripsit; alterum peculiare, quod Vallsarnensis sub initium sequentis anni, Christi nimirũ M.CC.XIV. [b] tradat rediisse ex Gallia. *Cum toto præcedenti anno pro negotio fidei contra hæreticos discurrendo, & prædicando laborasset in partibus Gallicanis.* Ergo ex Episcopis, solus ex nostris Fulco sed qui aliis præesset, personæ meritis, & officij dignitate.

b Cap. 78.

9. Eius item industria factum est, vt Tolosani, quos intimius diligebat charitatis visceribus, egregius Pastor, vel post partam victoriam iterum, sed heu frustra! ad Ecclesiæ vnitatem inuitarentur. Induratas in malum eorum mentes, idem qui supra Petrus Vallsarnensis his versibus narrat. [c] *Post gloriosam victoriam septem Episcopi prænotati, & tres Abbates, qui adhuc erant in Castro Murelli, credentes, quod ciues Tolosani tanto miraculo, Dei pariter & flagello territi, citius, faciliusque, à suis possent erroribus reuocari ad gremium Matris Ecclesiæ, secundum mandatum, potestatem, & seriem mandati Apostolici; rursum tractarunt rogando, monendo, terrendo eos inducere ad Ecclesiæ vnitatem; cumque promitterent Tolosani se mandatum Apostolicum adimplere, viua voce; petierunt ab eis Episcopi sufficientem cautionem standi mandato Apostolico, videlicet obsides ducentos de ciuibus, quoniam iuratoria cautione nullatenus possent esse contenti, cum multoties Tolosani sua iuramenta super hoc eodemque negotio fuerint transgressi: qui post multas altercationes verborum, sexaginta tantum obsides de suis ciuibus se daturos promiserunt.*

c Cap. 74.

Episcopi vero ob maiorem securitatem, propter magnitudinem ciuitatis, & dolosam, indomabilemque populi multitudinem; & quia etiam alia vice datos obsides super eodem negotio de ditioribus ciuitatis, in commissum cadere permiserunt; vsque ad ducentos petebant, ipsi subterfugium quærentes, sexaginta se daturos, & non plures promittebant. Statim Episcopi ne aliquam causam excusationis habere possent Tolosani, aut occasionem aliquam subterfugiendi & suos errores palliandi, responderunt Episcopi sexaginta obsides, quos promittebant, se libenter suscipere; & sic eos reconciliare, & in pace Ecclesiæ, & vnitate fidei Catholicæ conseruare. Ipsi autem iam amplius suas malitias, non valentes velare, responderunt, quod nullo modo obsides darent, per hoc manifestè denudantes, quod non nisi in fraudem. & intentionem dolosam de LX. obsidibus, priorem facerent promissionem. 10.

Matthæus Paris auctor est, adeò nihil timuisse Petrum Regem à congressu Simonis, vt classium vtrinque signis canentibus, ipse mensæ pransurus assideret, veluti de victoria prorsus. *Per exploratores*, inquit, [d] *nouerat, Comes Simon, quod Rex Aragonum se parauit, (tam securus fuit) vt ad mensam sederet pransurus; vnde Comes iocosè dixit, super hoc certificatus cum exiret: certè seruiam ei de primo ferculo. Vnde primus ipse Rex Aragonum gladio transfossus, antequam tres buccellas panis deglutiret, interemptus occubuit.* Ego pugnantem cecidisse facilius credam Principem bellicosum: sed quamuis dubium, notatum tamen ab alio maximè antiquiori, necis euentum, in tanto Rege placuit non prætermittere. 11.

d *in sua hist. Anglic.*

---

1. *Innocentius reuocatis indulgentiis, concessis Albigensium impugnatoribus.* 2. *Crucem in Sarracenos Orientales per Abbates Cistercij prædicari iubet,* 3. *raptis à Monasteriis prædicatoribus.* 4. *Hinc exercitus Christi pene deficiens:* 5. *& Guido, Arnaldusque ad Pictauiam digressi,* 6. *dum nuptias Amalrici tractant, hæreticos reparari per otium sinunt.* 7. *Interim detento à Monfortio Iacobo puero,* 8. *proceres Aragonum diuiduntur, dictum de patruis,* 9. *& delegatione missa ad Pontificem:* 10. *& an hæc prior Monfortio Comiti facta.*

CAPVT DECIMVM.

1. INTER hæc Innocentius siue Petri Regis morte commotus, siue insigni nostrorum victoria velut satiatus; seu tandem quam fortunam semel in Sarracenos infestantes Hispaniam: iterum in hæreticos, & eorum fautores expertus esset; extendere ad Orientem concipiens animo, & Crucis armis vincere iam suetus, Crucis Dominicæ damna reparare: quam semel cœperat innouare expeditionem, feruentius prosequi: quo nullo exinde prætextu retardaretur, quascunque alias concessas remissiones, ob alios Sanctos aliorum bellorum fines ad regnicolas solos

solos limitauit, litteris datis in quibus hæc inter alia continebantur.[a] *Quia verò subsidium terræ Sanctæ multum impediri, vel retardari contingeret, si ante susceptionem Crucis examinari quemlibet oporteret, an esset idoneus, & sufficiens ad eiusmodi votum personaliter prosequendum; concedimus, vt, regularibus personis exceptis, suscipiant quicumque voluerint signum Crucis; ita quod cum vrgens necessitas, aut eiusdem vtilitas postulauerit, votum ipsum de mandato Apostolico possit commutari, aut redimi, vel differri. Et propter eandem causam, remissiones, & indulgentias hactenus à nobis concessas procedentibus in Hispaniam contra Mauros, vel contra hæreticos in Prouinciam, reuocamus; maximè cum illis concessa fuerint ad tempus, quod iam ex toto præteriit: & istis ob causam, quæ iam maiori parte cessauit, vtroque negotio per Dei gratiam adeo prouecto, vt vehementem instantiam non requirat; etsi fortè requireret, nos ingruenti necessitati respicere curaremus. Concedimus tamen, vt huiusmodi remissiones, & indulgentiæ apud Prouinciales remaneant, & Hispanos.*

a apud Bzouium hoc anno n. 18.

2. Ita Innocentius. At ne hoc quidem, nisi per Cistercienses exequi voluit, innouata Abbatibus, præsertim de Salem, & emerito de Nouo Castro, quam antea dederat, ampla commissione; atque additis sub eiusdem epistolæ finem, verbis sequentibus. [b] *Ad hæc igitur exequenda dilectos filios de Salem, & quondam de Nouo Castro Abbates, & Decanum Spirensem, & Præpositum Augustensem, viros vtique probatæ honestatis, & fidei deputamus; qui ascitis secum viris prouidis, & honestis, auctoritate nostra statuant, & disponant, quæcumque ad hoc negotium promouendum viderint expedire; facientes, quæ statuerint, in singulis Diœcesibus per viros idoneos, ad hoc specialiter deputatos, fideliter, & solicite procurari. Quocirca vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & obsecramus in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, & in virtute Spiritus Sancti indulgentes, quatenus eis pro Christi Legatione fungentibus, tales vos exhibere curetis, necessaria ministrantes eisdem, quod per vos, & in vobis fructum faciat exoptatum.* Hactenus ibi.

b ex Regesto Vaticano lib. 16.

3. Verùm vltra prædictos duos viros, ingentis procul dubio auctoritatis, qualem tantum negotium exigebat; alij passim Abbates Monachique à cœnobiis abstracti, huius expeditionis prædicationi, velut à Deo electi deputabantur. Narrat, qui tunc Homilias scribebat, Cæsarius Heisterbacensis, in illa verba Lucæ cap. 10. *Rogate ergo Dominum Messis, &c.* [c] *Quàm magnum Dei donum sit verbum Sanctæ prædicationis impendere proximis, Dominus ostendit, cum subiungit: Rogate ergo Dominum Messis, vt mittat operarios in Messem suam. Matthæus verò non dicit, vt mittat, sed vt eiiciat. Maioris gratiæ iudicium est, prædicatores ad prædicandum, eiicere, quam mittere. Quasi vim patitur, qui eiicitur. Multi his temporibus, vt scitis, tam Monachorum, quàm Abbatum, de suis cellulis, & Monasteriis contra propositum, & voluntatem, ad prædicationem Crucis eiecti sunt, ex præcepto Summi Pontificis, & quia eandem eiectionem considerabant esse fructuosam, eiici, vel mitti ad Messem Dominicam non renuerunt.*

c Sermone de Sancto Luca Euang.

4. Hinc profligatis ad Murellum populis, otium primùm, & quies reducibus post victoriam ad propria Cruce signatis, nec succedentibus aliis eorum loco (cum alij requiem à præterito labore; alij diuersam pararent expeditionem) mox viribus resumptis per interualla, etiam audacia, & præteritæ cladis vlciscendæ animus fuit: maximè digresso ad Pictauiam Simone Comite, cum Arnaldo Archiepiscopo penes quos solos mansit Christi negotiũ. Et quidem de Cruce signatorum omnium ad propria reditu, hæc Vallsarnensis.[d] *Omnes autem Cruce signati iam recesserant à Comite, nec habebat nisi secum paucos stipendarios, & Archiepiscopum Narbonensem.* Hæc de deserto ab aliis negotio Christi.

d Cap. 75.

5. At de digressu ad Pictauiam Simonis Comitis, & Arnaldi Archiepiscopi, Ademarum Pictauiensem Comitem, & si non palam aduersum negotio fidei; ast in occulto, (quæ Principum conuenientiæ plerumque sunt) fauentem hæreticis, in suas partes si possent pertrahendum, latiora adhuc, quæ longum esset in præsenti recensere. Satis pro instituto, si dicamus, cum Dux Burgundiæ Simonem, & Arnaldum inuisurus venisset; minus potius quàm monitis, tandem peregisse, non solum vt petitis obtemperaret: verum,[e] *Vt traderet etiam quædam Castra sua pro securitate, quæ Comes commisit duci custodienda.* Cæterùm (quod & hos Annales concernere videtur, quia interuentu Arnaldi tractatum est) in hoc colloquio pactæ futuræ nuptiæ Amalrici, Simonis primogeniti, cum filia Delphini, de quibus idem auctor hæc habet verba [f] *Interea Venerabilis Pater Narbonensis Archiepiscopus, vir consilio prouidus, & omnino virtuosus, ad cuius monitionem, etiam prædictus Dux Burgundiæ ad partes venerat Viennenses, cœpit tentare cum Duce de negotio, pro quo ipsum vocauerat, de contrahendo videlicet matrimonio inter primogenitum Comitis nostri nomine Amalricum, & filium Delphini, qui erat Princeps potens, & Frater Germanus ipsius Ducis. Acquieuit Dux consilio, & voluntati Archipiscopi.* Hactenus ibi, sed redeo, vnde diuerti.

e vbi suprà.

f Ibidem.

6. Deficientibus ergo peregrinis, & absentibus à partibus Tolosæ Simone, Arnaldoque, vt eiusdem auctoris verbis vtar.[g] *Arragonenses ruptarij, & alij fideiinimici, cœperunt discurrere per terram Comitis nostri; venientesque vsque ad Biterrim, fecerunt mala, quæcunque potuerunt: sed & plures de militibus terræ Comitis nostri periurij effecti, & innatæ sibi malitiæ recidiuum patientes à Deo & Ecclesia, & dominio Comitis nostri recesserunt.* Hæc in hoc anno, nam quæ in sequenti mala superuenere, & quo se polluit atrox Fratricidium, Raymundus Comes, in Crucem acto Balduino Comite, per immane flagitium, veluti manibus Petri Aragonensis, piaculo execrando satisfacturo, suo loco de more dicenda erunt.

g Cap. 75.

7. Interim de Iacobo puero adhuc defuncti Regis filio, dicenda pauca, quia multis titulis concernit hos Annales. Conueniunt omnes, Patre adhuc viuente, Simoni traditum educandum catholicè, & dotibus imbuendum egregij Principis, quod nos etiam superiùs memorauimus. Sunt qui addant, inuisum patri filium, quippe ex matre inuisa, per furtum genitum, & quæ, vt non posset vagis libidinibus, tentatis saltem nuptiis obstitisset; cum indecore apud ipsum educaretur, subtractum à Pontifice, & traditum Simoni, siue ad instantiam matris, siue propria electione, cum non in alio Principe putaret, aut Regias artes puriores inueniendas; aut inuen-

tas indemnius propinandas. Vtcumque fuerit, victo ad Murellum Rege, Iacobus filius in Dominio, & custodia victoris mansit, non quasi captus, imò neque vt obses: sed veluti de quo, iure timeret, qui patrem occidisset; cóque vinctum, quàm paternæ vindicem cædis, quod de iuuene Regio non dubitabat, facilius, & securius experiretur. Quid si & auunculi, dum sibi quisque Regnum, aut intendit, aut parat, vrgebant volentem? Certè spes Regni, quo iure, quave iniuria, vtrique arriserat, Sanctio nimirum Ferdinandóque: illi, quia post Petrum natu maximo, & vocato ad Regnum Alphonsi tabulis, si Petrus sine liberis abiret: huic, quia semel destinato Regno Siciliæ, quod diximus superius, & parem animum sceptris, Imperióque quæuis vita priuata cruciabat. Pulchrè Mariana.[h] *Erat in vtroque fortitudo, auctoritas, ingenium, conciliandæ hominum gratiæ, & promerendæ mirum, & efficax studium; iura quì deesse poterant de Regno litigantibus? Iacobum vterque illegitimis procreatum nuptiis excusabat, Sanctius Ferdinandum Monachum esse bello, & rebus agendis inutilem dictitabat. Ramiri Regis exemplo suam Ferdinandus causam tuebatur; & Iacobo excluso disputabat sanguine proximum esse.* Irrepsit in Bernardino Gomezio, Auctore aliàs in his, quos scripsit, libris de vita, & gestis Iacobi expugnatoris, haud contemnendo, irrepsit, inquam, error non tolerandus. [i] *Quod Ferdinandus Regis Petri Frater, spe regnandi, Monachatum abdicauerit.* Cum tamen constet ante plures annos, donatum Abbatia montis Aragonis ab Innocentio tertio, quod supra à nobis ostensum per instrumenta.

h *lib.* 12. *cap.* 14.

i *lib.* 12. *in principio.*

8. Proceres Aragonum, & Cataloniæ diuisi in partes; & quidam Sanctio, Ferdinando alij fauentes, provt quisque gratia pollebat apud alterutrum: erant tamen qui Mariam Monsepulaneam fœminam Sanctam, Thoro, & Regno exturbatam ægrè tulissent; nec dubitarent de valore matrimonij, quod validum Innocentius declarasset: siue ergo iustitia causæ permoti, quod rarum in his casibus, seu fortè innato morbo pleriscque subditis, fastidire nota, & sola illa, quæ ignorant anteponere; Iacobum puerum altè suspirabant: & mouissent Monfortio Comiti bellum liberando hæredi, magis, quàm morti patris vindicandæ; si non in causa iusta, iure, quàm armis agendum sibi censerent; ne per bellorum turbida deficeret, qui in pacis sereno, tranquillóque nequaquam posset ratione superari. Placuit Legatos ad Monfortium Comitem primum; dein si renueret, ad Innocentium mittere, cui Monfortius vel nolens obtemperaret. Petrum Regem re, & nomine Catholicum, nequaquam pro hæreticis, sed pro sororibus, non in Ecclesiam, sed pro affinibus suis arma sumpsisse: si iusta, nulla ideo pœna mulctandum; si iniusta, luisse, qua potuit, vita: quid puer innocens in custodia Ecclesiæ positus? Quid Romæ litigans Sancta mater eius demereri potuerunt, vt illa à causa matrimonij cadat, quam semel obtinuisset; hic à Regno? Occiderit Monfortius Patrem in bello iusto, cóque iustè occiderit: an ideo non iniustè detineat filium succedentem in Regno, qui sibi tantum in Regem educandus traditus fuit? Non condemnandam matrem incesti thori, post mortem auersantis; cui causa adiudicata ipso viuente. Thoro legitimo genitum Iacobum, nec posse Regno negari; nec illi Regnum. Si detineatur, quæsito quouis colore, per intestina bella omnia turbanda; & solis Sarracenis consultum iri, qui facilè in discordes prælualebunt.

9. *Hæc, & similia ad Pontificem deferre, libenter susceperunt* (ait Bernardinus Gomezius [k]) *Semenius Cornelius, Guillelmus Ceruera, & Petrus Ahonesius, Aragoniæ, & Cataloniæ Primates; ac etiam Guillelmus Monredonius Magister equitum Templariorum; potestate data, vt si Monfortius Pontificis imperata facere recusaret, bellum grauissimum, audiente Pontifice, in illum promulgarent: ac, vt moris erat, pro belli semente iaciendo à Petro Ahonesio, vno ex Legatis, ad singulare certamen ille proditionis, perfidiæque nomine incusandus prouocaretur. Verum qui legationem hanc impensius, quam alij sollicitarunt, fuere Hispanus Pontifex Albarracinensis, & Petrus à Sagra eiusdem vrbis Dominus; vt Sancty, & Ferdinandi factionibus, Iacobi restitutione festinata, occurrerent, quas illi, cupiditate regnandi maximas excitabant, Regnaque in partes diuiserant.* Hactenus ille.

k *lib.* 2.

10. Non video expressum ab Auctoribus rerum Aragonensium, nedum ab exteris, vbi conuenerint Legati Monfortium Comitem; imo neque Bernardinus Gomezius, Zuritave, quid cum eo egerint, vel leuiter insinuant. Hieronymus Blanca, suppresso loco, & tempore, non exauditos, ad instantiam Patruorum; eóque Romam profectos, his verbis tradit. [l] *Nostri illico ad Simonem Comitem de puero Rege postulando, Legatos miserunt, seuera ipsis mandata dantes, vt Comiti non solum acre bellum indicerent, sed eum ad singulare etiam certamen prouocarent, nisi Legatorum nuncio paruisset. Comes ea omnia aspernatus Regem puerum Legatis tradere renuit; percitus, vt creditur patruorum consiliis, qui Regnum à puero abstrahere totis viribus nitebantur.* Sic Hieronymus Blanca dubium, an colligens, ex mandatis ante datis, exequutionem; an reuera ex antiquo aliquo sumens? Ex Comite, profecti ad Innocentium. Sed quæ tandem ab ipso impetrauerint, anno sequenti, quo euenit, dicemus.

l *lib.* 2. *post init.*

1. *Carentia Virgo Genua Placentiam rediens*, 2. *Monasterium ex propria dote construit*, 3. *Gofredus Siluanectensis, abdicatis insulis Monachum in Kalisio induit.* 4. *Idem Adam Bolonensis in Clarauallé*, 5. *iniuncta quædam Abbati Longipontis*; 6. *Itémque Abbatibus Cistercij, Morimundi de ægris, & Prioribus, Cistercij, & Fontis frigidi.* 7. *& de Salem, Bongartia, & Sconaugia.* 8. *Ioannes Treuirorum Pontifex in Hemmenrode sepultus*, 9. *atque demum correctus Rades Andradius.*

CAPVT VNDECIMVM.

1. CONCERNVNT minutiora quædam præsentem, quæ & ipsa breuiter sunt nobis expedienda. Carentia Virgo, cum annum fermè integrum ad Rapallum, cœnobium ad littus maris, in Genuensi districtu peregisset: & Cistercienses imbuta disciplinas, arderet institutum, quod spe maius inuenisset, & fama melius: Placentiam ad Magistram suam reuersa, de nouo Monasterio condendo, & in eo Cistercio radicando deliberauit; impetrata à parentibus licentia, dotéque: vt quam, cum filia (cuicumque collocarent) daturi forent; non denegarent Christo, à quo ad sanctiores nuptias assumeretur. Consulebat vtrique beata Francha, vt quæ se etiam Cistercio præparabat. De huius Monasterij fundatione, vtramque Virginem tandem suscepturi, hæc in legenda Romana Sanctæ Abbatissæ [a] *Carentiam nobilem Virginem Placentinam Christum sponsum habere cupientem, vt nouum sacrarum Virginum Monasterium extrueret, induxit; cui illa post, superiorum iussu Ordinis Cistercienses habitu suscepto, religiosissime præfuit.* Hactenus ibi.

a *Lectio 5.*

2. Petrus Maria Campi Auctor est, [b] quo tempore inter Francham, Carentiámque hæc nouæ fundationis arcana conferebantur, cœpisse in eadem Vrbe Abbatiam construi (Valeria loco nomen) non longè à templo Archangeli Gabrielis, Virginibus Cistercienses disciplinæ, quam sub visitatione, & correctione Abbatis Monasterij de Columba profiterentur. Neque alium sibi patrem eligebant Carentia, & Francha; vt merito potuerint dubitare, an nouum ipsæ conderent, an ei, quod iam tunc surgebat, nomina darent? Placuit (quamuis permansurum) consilium primum: & propriam sibi mansionem ædificare, multa, & grauia induxerunt vtramque Virginem. Ne Christus fraudaretur dote Carentiæ: atque ipsa & parentes fructu orationum, meritorúmque, quæ ex noua illa familia prouenirent; ne vtraque ex aliarum teneritudine, si simul miscerentur, aliquid laxamenti admitterent; quod à rigore, Ordinis, ad quem solum tendebant, deuiaret. Demum, ne domum intra vrbis commercium sitam inhabitarent, quæ solitudinis quietem adpetentes, instituta Cistercij, vel in his etiam externis æmulabantur. Ergo deliberata noua fabrica in vertice montis Lanæ (sic locum dicunt ab vrbe longè dissitum) inchoata est parentibus ministrantibus Carentiæ necessariis sumptibus, quoad vsque tam ædificium, quam vtensilia, & reliqua ad cultum Dei, & victum requisita disponerentur. Verum de his, & ingressu sancto Monialium sub Abbatissa Francha, quæ tandem habitum gloriosè commutauit, anno sequenti, quo euenit, dicemus.

b *lib. 5. Frãc. cap. 6.*

3. Hoc item anno Virum Venerabilem Gofridum Syluanectensem Præsulem, cum eidem Ecclesiæ triginta annos, sancte, & laudabiliter præfuisset, senio tandem fractum cessisse oneri, atque in Kalisij, siue Caroli-loci Monasterio, priuatam elegisse vitam lego; fœliciter ibidem consūmandam. Resignatæ dignitatis annum tradit Guillelmus de Nangia, [c] his paucis verbis. *Anno M. CC. XIII. Gofridus Syluanectensis Episcopus renuncians Episcopatui; apud Abbatiam Caroli-loci se transtulit.* Hæc tantum ille. Verum Seguinus, & ipse Kalisianus, paulò diffusiùs. [d] *Gofridus*, ait, *Siluanectensis Episcopus, vir ætate, & corpore grauis, Episcopatui (quem iam per triginta annos administrauerat) impetrata ab Innocentio tertio Summo Pontifice licentia, renunciauit, séque Kalisij Monasterio mancipauit, anno Domini millesimo, ducentesimo, decimotertio. Erat enim vir totius prudentiæ, in sermone verax, iustus in iudicio, in consilio prouidus, in commisso fidelis, in interuentu strenuus, in bonitate conspicuus, in vniuersa morum honestate præclarus. Hunc vniuersi confratres charissimo venerabantur affectu. Itaque cum reliquum vitæ cursum in Diuinis laudibus transegisset, senio graui confectus, ad æterni Regni est delatus palatium.* Annus obitus hactenus ignotus. Verùm inter illustres Cistercij memorat Chrysostomus Henriquez, ex quo Philippi Seguini verba hausimus.

c *in Chronico.*

d *apud Henr. Decembris 5.*

4. Eodem anno legimus promotum ad Bolonienſem Sedem, ex Archidiacono Ecclesiæ Parisiensis, Venerabilem Virum Adamum nomine, quem sequutum Gofridi exemplum, relicto Episcopatu, & Monachum induentem in Clarauallé, Ioānes Chenu testatur in suis tabulis. [e] *Adam*, inquit, *Ecclesiæ Parisiensis Archidiaconus: & anno M. CC. XIII. Episcopus, at senio confectus, cessit Episcopatum, & in Abbatia Clareuallensi secessit. Obiit anno M. CC. XXIX.* Quo anno cesserit, adhuc ignoratur. Quod si integra fides prædictis tabulis, iudicandus cessisse paulò ante obitum; quippe, quem habuit anteceſſorem, Petrus qui eodem ipso anno M. CC. XXIX. non antea, dicitur conscendisse sedem, quæ vacauisset Adami resignatione. Nobis sufficiet adnotasse hoc anno Virum, quandiu non constat de tempore cessionis.

e *In Episc. Gall.*

5. Hoc ipso anno, [f] *Cum inclytæ recordationis Henricus Cvmpaniæ, & Briæ Comes, traiecturus in Syriam, Baronibus, & militibus suis iussisset, vt si eum de transmarinis partibus contingeret non redire, claræ memoriæ I. Fratri suo illustris D. Comitissæ Campaniæ filio, vtpotè terræ Domino, obedirent, faciens, eos super hoc præstare corporaliter iuramentum; cumque post mortem eiusdem Comitis præfato I. tanquam Campaniæ, ac Briæ Comiti, terris suis receptis ab ipso fidelitatem, & homagium præstitissent: quia tamen præfatus Henricus in partibus transmarinis, duas filias, ex claræ me-*

f *Ex Reg. Vatic. lib. 16.*

moria Regina Hierosolymitana sibi, vt dicebatur, minus legitimè copulata, susceperat Comitissa præfata B. & filius eius, timentes sibi ab illis, siue à viris earum, si fortè nuberent, moueri super eisdem Comitatibus quæstionem; ne pro defectu testium ius periret, Summo Pontifici humiliter supplicarunt; vt valetudinarios testes, & senes recipi faceret. Porro Innocentius ne veritas ob testium defectum obscuraretur, Episcopo Suessionensi, & Abbati Longi Pontis, Cistercien-sis Ordinis, Suessionensis Diœcesis, in mandatis dedit. *Quatenus testes senes, & valetudinarios, quos super his ducerent producendos, incunctanter admitterent, & diligenter examinantes eosdem, eorum depositiones sigillorum vtriusque munimine roboratas facerent custodiri. Datis Laterani VI. idus Decembris. Pontificatus ipsius anno XVI.*

6. Multa alia præterea nostris iuncta, quæ etiam breuiter nobis expedienda. Diffamatus per iuridicam denunciationem Decanus Diuionensis exceptionem apposuit, quod nulla eum charitatiua correctio, iuxta Euangelij mandatum præmonuisset; nec quicquam aliud voluit respondere. Cumque res peruenisset ad Innocentium, nouo Abbati Cistercij, Priorique Pontifex delegauit (quod ô vtinam Ecclesiastici omnes Iudices exequerentur. *Quatenus, si denunciator præfati monitionem charitatiuam præmisisse super obiectis probare nequiuerit, prædictum Decanum, sublato appellationis obstaculo, ab eorum impetitione absolucrent. Datum Laterani, idibus Ianuarij, Pontificatus ipsius anno XV.* Maria illustri Regina Aragonensi, quæ separata à Viro adhuc viuēte in Monte Pessulano, proprio ipsius dominio, demorabatur, querelam deferente ad Innocentium, de eiusdem vrbis ciuibus, quod Regi infensam, etsi propriam Dominam, contra ius & contra fas aspernarentur: Prior Fontis frigidi, inter alios datus est iudex, qui Reginam defenderet, & pro illatis iniuriis, curaret exhiberi satisfactionem. Laterani sexto idus Aprilis, Pontificatus anno VI. Vesprimiensi Episcopo, & Capitulo Strigoniensi, super decimis quibusdam litigantibus, Abbas de ægris, cum aliis datus est iudex, & extant litteræ datæ Laterani, septimo Kalendas Iunij eodem anno. Et post triduum Guido Abbas Morimundi repurgationem Canonicam indicit Bisuntino Archiepiscopo, qui multa laborabat infamia, designatur exacturus eandem ab eodem per nouas, &c. per nouas litteras datas Laterani, sub initium anni sequentis.

7. Salemitanis Abbati, Prioríque, vltra prædicationem Crucis in Sarracenos, ardua alia negotia commissa sunt, alteri octauo, alteri tertio idus mensis Aprilis, atque huic vltimo Abbas de Bongartia collega datus. Prædicatio Sconaugiæ Abbati iuncta, addita clausula. *Vt incendiarios, & his, qui manus temerarias in Clericos, & alias personas Ecclesiasticas iniecissent, volentibus suscipere signum Crucis, satisfactione passis iniuriam exhibita, auctoritate Apostolica beneficium absolutionis conferre posset: nisi tamen forsan, aliquorum excessus adeo graues existerent, & enormes, quod merito essent ad Sedem Apostolicam transmittendi. Datum Signiæ, quinto idus Septembris, Pontificatus nostri anno XVI.* Hæc, & similia, quæ per se non poterat exequi Innocentius, more solito nostris commendabat.

Sub idem tempus Ioannes Treuirorum Archiepiscopus Ordine LXXXVII. tres, & viginti annos officio functus egregia cum laude, tandem decessit; & in Hemmenrodensi Monasterio inter Sanctos sepultus, resurrectionem voluit præstolari. De eo, hæc Gaspar Bruschius in epitome. & *Ioannes Imperatoris Cancellarius, ita præfuit, & profuit, vt tum Prouinciæ, tum ipsi ciuitati non parum contulerit. Hanc muris cinxit, & turribus per circuitum ornauit. Chorum Summæ adis Treuiris ampliauit, & tunicam Domini Iesu ex altari Diui Nicolai sumpsit, & in supremum recondidit, quia nondum totum erat reuelare. Fecit hic vt Episcopus Treuericus perpetuus esset pastor Andernacensis. Cum vero Diœcesim summa cum laude annos XXIII. gubernasset, anno M. CC. XIII. obiit. Et in Monasterio Hymelrot Ordinis Cistercienſis celeberrimo sepeliri voluit.* Hæc ille. & *Archiepiſc. Treuirenſ.* 8.

Hinc item nobis corrigendus venit Rades Andradius, qui Eborensis militiæ subiectionem respectu Calatrauæ, quam supra memorauimus, hoc primum anno notat: nec gratuitam prorsus, vltroneamve; sed arcibus acceptis in Lusitania, quæ prius pertinuissent ad Calatrauam. Occasio errandi litteræ Apostolicæ ante hunc annum datæ, in quibus arces Eboræ, aliæque inter reliquas Calatrauæ possessiones commemorantur. Quod fundamentum, si aliquid probaret; nihil vnquam habuisse militiam Eboræ; quod non à Calatraua acceptum planè conuinceret. Quippe cui Ebora natale omnino solum, atque arx vetus in litteris expressa, prima omnium, quas habuit, possessio fuit. Ergo Eboræ filiatio longè antiquior, atque ipsa militia comprehensa sub Calatraua, confirmanda cum ipsa; propriáque non minus bona numerantur, vt non minus sub Apostolicæ Sedis patrocinio collocarentur. Haud aliter Castrum de Alcaniz, in tractu Aragonensi, non multo post, atque alia memorantur, in quibus Calatrauensium Fratrum Conuentus non semel fuit. Certè cum Ecclesiæ matrices confirmabantur, numerari etiam filias inter bona vidimus supra in Cistercio, & Morimundo, & infra etiam non semel experiemur. Præter hoc autem leue fundamentum, & aliàs falsum, non vllum aliud Rades habere potuit, vt eam gloriam antiquiorem negaret suæ militiæ. 9.

1. *Acta Capituli*, 2. *& ad querelam Episcopi Quinque-Ecclesiensis.* 3. *Recitata Innocentij Papæ Epistola*, 4. *Quæ nostris temperandæ exemptionis decimarum occasio,* 5. *& temperatio confirmata in Conuentu, atque ad alios exemptos, extensa fuit.* 6. *Escarpensis Abbatiæ in Catalonia origo:* 7. *Sancti Andreæ de Valle benigna translatio ad Palatiola,* 8. *instrumentis productis.* 9. *Demum fundatio cœnobij Olobokensis.*

CAPVT DVODECIMVM.

1. IN Capitulo de clausura Monialium relatum video: & taliter in futurum cautum pro suscipiendis, vt etiam quæ susceptæ hactenus essent, coarctarentur. Decretum itaque fuit in hunc tenorem.[a] *Moniales incorporatæ Ordini nostro, non habeant liberum egressum, nisi de licentia Abbatis, sub cuius cura consistunt. Quæ vero fuerint incorporandæ, non admittantur ad Ordinis vnitatem aliter, nisi penitus includendæ.* Ex eiusdem Capituli actis constat, nostris, non solos conuersos, seu donatos, oblatosve; verum, & familiares admitti solitos, in habitu, & tonsura: sic enim habet alia definitio hoc item anno lata. [b] *Familiares, qui habitum, & tonsuram, in aliqua domorum nostrarum susceperunt, in aliis domibus Ordinis nostri non suscipiantur, nisi ex licentia proprij Abbatis.* Hæc in Capitulo; reliqua perierunt.

[a] in Collectaneis.

[b] ibidem.

2. Lectæ præterea Innocentij Papæ Epistolæ, occasione querelæ ad eum delatæ, ad Vngaros scriptæ, neque ad omnes, sed ad pauca tantum Monasteria Quinque-Ecclesiensis Diœcesis; cætera tamen haud dubiè commonentes, ne dicam cæteris palam comminantes abolitionem eius exemptionis, de qua semper Cistercio detrahebatur: nimirum super retentione decimarum. Et earum occasione lata lex, sancta omnino, & modesta, quæ in Concilio generali Lateranensi laudata, & approbata intra biennium, atque extensa ad quoscumque alios exemptos; demum in corpus iuris transferri meruit, in quo hodiéque proprium locum habet, vt statim dicam. Querelæ Episcopi non de nostris tantum, sed de Hospitalariis datæ sunt, aut Innocentius inuolui eos curauit, siue forsan Episcopus, ne nostros solum carpsisse videri posset. Porro Innocentij litteræ sic habent.[c]

[c] lib. 16. epist. 85.

3. *Monachis Cistercienſis Ordinis, & Hospitalariis Quinque-Ecclesiensis Diœcesis.*

Venerabilis Frater noster Quinque-Ecclesiensis Episcopus nobis intimare curauit, quod vos extendentes ad lucra turpia manus vestras, multitudinem emitis vinearum, de quibus sibi, vel Ecclesiæ suæ Diœcesis decimæ solui solent. Quarum vinum, licet nequaquam in vsus vestros expendatis, sed vendendum faciatis ad alias Prouincias deportari: decimas tamen sibi, vel ipsis Ecclesiis subtrahitis ex eisdem. Cum igitur ex hoc Ordini vestro plurimum detrahatur, vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ab his de cætero taliter desistatis, quod materia scandali auferatur, & super hoc de vobis clamor ad nos vlterius non ascendat; scientes, nobis esse merito formidandum, ne propter clamores huiusmodi sacrum Concilium, auctore Domino, in proximo celebrandum priuilegia vestra coarctanda prouideat, vel etiam reuocanda; cum priuilegium mereatur amittere, qui concessa sibi abutitur libertate. Datum Laterani duodecimo Kalendas Iulij, Pontificatus nostri anno decimosexto. Hæc Innocentius.

4. Retulere ad Capitulum has litteras Quinque-Ecclesienses Abbates, nec dubitarunt cæteri ad omnes æquè scriptas paucorum nomine. Vnum omnium salubre consilium fuit, fauoris, & potentiæ parcere velis, neque experiri vires, tum demum aduersariis contemnendas, cum aliquid, quod non potuissent, cognitum habeant. Ponendum esse modum libertati, sicut & auaritiæ, & ne inuisi, & graues cæteris sint, imo quia tales essent suamet priuilegia temperanda. Illud præcipuè, quod imminues prouentus cæterorum exponebat inuidiæ totius cleri. Ergo præscribunt, decimas soluendas ex cunctis prædiis, quæ deinceps acquirerent, siue pretio empta, siue donata fidelium largitione: sufficere, quæ hactenus habebant, tam sibi, quam hospitibus, pauperibúsque (pro quibus exemptio ea, seu verius commutatio, placuisset Sedi Apostolicæ; eam nimirum portionem immediatè accepturi, quam decimarum Domini mediantibus deberent accipere) reliqua vero vel omnino respuenda, vel subituta onus, quod nisi alios supramodum grauent, nunquam effugiant; aut si vellent grauare, merito vel inuiti defraudarentur. Hæc sub Arnaldo secundo prima lex, quo modestior, prudentior & plausibilior, eo quod digna ea, quam apud omnes habuit, acclamatione.

5. Extat decretum Innocentij III. in Concilio generali post biennium coacto, quod refertur in cap. *nuper Abbates.* XXXIV. de decimis, in quo & lex ipsa ad litteram refertur, & confirmatur, atque ad omnes alios extenditur, quos exemptionis eius priuilegium tangere poterat, sic autem habet. *Nuper Abbates Cistercienſis Ordinis in generali Capitulo congregati, ad commonitionem nostram prouidè statuerunt, ne de cætero Fratres ipsius Ordinis emant possessiones, de quibus decimæ debeantur Ecclesiis, nisi fortè pro Monasteriis de nouo fundatis, etsi tales possessiones eis fuerint de nouo collatæ, aut emptæ; committantur aliis excolendæ, à quibus Ecclesiis decimæ persoluantur, ne occasione priuilegiorum suorum, Ecclesiæ vlterius prægrauentur. Decernimus ergo, vt de alienis terris, & amodo acquirendis, etiamsi eas propriis manibus; aut sumptibus excolant, decimas persoluant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea soluebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum. Et hoc ipsum ad alios Regulares, qui gaudent similibus priuilegiis, extendi volumus & mandamus: vt Ecclesiarum Prælati promptiores, & efficaciores existant ad exhibendum eis de suis malefactoribus iustitiæ complementum, eorúmque priuilegia diligentius, & frequentius studeant obseruare.* Hactenus in textu. Quam confirmationem, etsi tempore biennio posteriorem, ne materiam diuiderem, decreto Capitulo censui subiiciendam.

6. In Chronologia naſcentium Eccleſiarum, vnicam lego hunc annum concernentem, eámque in Hiſpania, in Catalonia, inter Sineam, & Segrem, parua flumina, quæ magni patris Hiberi aquas adaugent. Fundator domus, quibuſdam Petrus Rex, quibuſdam eius filius Iacobus dicitur; non quod inceperit, vt palam fit ex tempore, quo tener adhuc Iacobus, detentúſque non potuit Monaſterium ædificare: ſed quod inceptum à parente, poſtea perfecerit, & Regia munificentia conſummauerit. Adde Antonium Beuterum, grauem ſcriptorem, qui tradit, Petrum ſepeliri iuſſum apud Eſcarpium, quamuis id poſtea nequaquam impletum fuerit. Monachi ex Ciſtercio illuc adducti, quæ erat Regi cum Arnaldo familiaritas. Domus in Illerdenſi Diœceſi ſita ſexaginta Florenis notatur in libris Cameræ. Perſeuerauit vſque ad commendarum tempeſtatem religioſum cœnobium, grauéque vtriſque bonis auctum. Aſt vbi ſæcularibus ſubeſſe, atque vtraque bona diſſipari per eos cœpta; in eam dicitur miſeriam peruenisſe, vt Ioannes Aluarus Solſonenſis poſtea Epiſcopus, in eo, quem de Coronæ Aragonum Abbatiis tractatu edidit, memoriæ prodat viſitantis Abbatis Ciſtercij dictum, incertum cuius, ſed cuiuſcumque pudendum, atque dolendum, cum omnia ibidem peſſundata inueniſſet. *Inter Sineam, & Segrem inuenimus Scorpionẽ, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Hodie ſubeſt Prælato regulari inſtaurare curanti, quæcumque poteſt.

7. Hoc ipſo anno Monaſterium ſancti Andreæ, propè Valliſoletum, in Valle Benigua, ad alium locum inde non longè diſſitum, tranſlatum lego, iuxta littus Piſoricæ, in Villam Palacuelos, quam Rex Alphonſus Alphonſo Tello Proceri, ipſe Abbati, & Monachis donauit, in eum locum cœnobio transferendo. Extant adhuc in Archiuis eiuſdem domus, vtriuſque inſtrumenta donationis, quæ breuia, & grauia, quamuis parum culta, pro maiori notitia dictis ſubiungo. Atque ecce primum. [d] *Grandibus, fidelibúſque ſeruitiis, condignis eſt præmiis reſpondendum, eapropter ego Aldefonſus, Dei gratia Rex Caſtellæ, & Toleti, vnà cum vxore meà Alionor Regina, & cum filio meo Domino Henrico, libenti animo, & voluntate ſpontaneà, pro multis, & gratis ſeruitiis, quæ mihi hactenus exhibuiſtis, & quotidie exhibere nihilominus laboratis, facio chartam donationis vobis, Aldefonſo Telli dilecto, & fideli Vaſſallo meo, & vxori veſtræ Dominæ Tereſæ Sancij, filiis veſtris, &c. Dono itaque vobis Villam illam, quæ dicitur Palacuelos. Si quis vero chartam, &c. Facta charta apud Palentiam, Era M. CC. LI. XXVIII. die menſis Iulij, ſecundo videlicet anno, quo ego ſupradictus Rex A. Almiramomelinum Regem Chartaginis Campeſtri prælio ſuperaui cum Dei miſericordia, & meorum auxilio Vaſſallorum.* Ita donatio per Alphonſum Regem Alphonſo Tello facta.

[d] *Ex Archiuis domus.*

Aſt quæ ab Alphonſo Tello Abbati, & Monachis, de transferendo cœnobio, hæc habet verba. *Quoniam multi ſunt falſitatis inſertores, & pauci veritatis defenſores, eapropter dona Regum, ſiue Ducum, ſiue Principum memoriæ litterarum ſunt commendanda, &c. Ea propter ego Alphonſus Telli, vna cum vxore mea D. Thereſa Sancij, & filiis meis Tello Alphonſi, Alphonſo Alphonſi maiore, Alphonſi, & Thereſia Alphonſi, annuente Rege Alphonſo Caſtellæ, & Toleti, vna cum vxore ſua Alionore Regina, cum filio ſuo Domino Henrico, ex beneplacito D. Telli Palentini Epiſcopi, & ex aſſenſu totius Capituli Palentini, pro remedio animarum noſtrarum, Patrum, & Parentum noſtrorum facimus chartam donationis Deo, & Monaſterio ſancti Andreæ de Valle B. & vobis Dominico inſtanti Abbati, &c. ſub Ciſtercienſi Ordine ibidem Deo ſeruientibus, de Villa, quæ dicitur Palacuelos, quam obtinuimus à Sereniſſimo R. Alphonſo, qui inter cæteros actus ſuos magnificos Regem Miramomelinum Campeſtri bello deuicit, & pro ſeruitio ſufficienti, & congruo, quod ei in bello feci, ab illo prædictam Villam accepi. Damus inquam, & concedimus prædictam Villam, cum collatiis, cum terminis ſuis tali conditione, quod Monaſterium illud, quod nunc eſt in loco, qui dicitur ſancti Andreæ de Valle B. totaliter commutetis in locum prædictum, qui dicitur Palacuelos, vt Monaſterium Ciſtercienſis Ordinis ſemper ibidem* (ſcilicet in Palacuelos) *vigeat, & & Ordo Ciſtercienſis in perpetum obſeruetur. Facta charta apud Palentiam prima die menſis Auguſti, Era M. CC. L I.* Perſeuerat cœnobium eo loco, ædificiis haud paſſum dilatatum, quippe in quo hodie de triennio, in triennium, celebrantur capitula totius obſeruantis Congregationis. Sed de his ſuo loco. 8.

In hiſtoria Polonica collecta ex Bibliotheca Ioannis Piſtorij, notatum item lego, circa hunc annum fundatum Monaſterium Olobokenſe ſanctimonialium, auctore Vladiſlao Duce. Sed verba eius præſtat hic tranſcribere. [e] *Anno*, inquit, *Domini M. CC. XIII. Vladiſlaus Ottonis Dux Kaliſienſis, XIII. Kalendas Nouembris Monaſterium ſanctimonialium in Olobok, Ordinis Ciſtercienſis, Diœceſis Negznenſis fundauit, pro dote aſſignans ei Villas Olobok, Tikadlouuo, Zidouuo, Pole, Vuroſle, Rablauy, & contulit eidem Villam Staun, à Filij Laurentij Dobrogoſtio, & Ezeſacha, pro tribus Villis Chotinino, Golikouuo, & Tyeniazcouuo commutatam. Item Virzbyatha filius Clementis militis eidem Monaſterio contulit quatuor Villas, videlicet, Canarouuo, Grzibouuo, Myſlacouuo, & Druſkouuo. Henricus autem Archiepiſcopus Gneſnenſis conſecrans Baſilicam in Olobok, ad petitionem Ducis Vladiſlai, contulit præfato Monaſterio Decimas Archiepiſcopales de conſenſu ſui Capituli in Villis inter flumina Olobok, & Barciz incluſis.* Hæc nobis nomina penitus ignota; & ſatis tranſcripſiſſe ex auctore terræ perito. 9.

[e] *Tom. 2. lib. 3. c. 33.*

ANNVS CHRISTI M. CC. XIV. ANNVS CISTERCII C. XVII.

1. Balduinus Tolosani Comitis Frater, sed vere pius, 2. in proprio Castro proditur, vincitur. 3. Tum sociis eius atrociter occisis, 4. Sacræ Eucharistiæ communione negata, 5. ad Fratrem ductus, patibulo suspenditur. 6. Infamia Raymundi ex Fratricidio. 7. Sed hæreticis ex vindicta, resumpti animi. 8. Tum prædicatio Crucis aduersus ipsos iterùm restituta. 9. Et Guidonis industria multi signati. 10. Concursus omnium, & de numero sub dubio animaduersum.

CAPVT PRIMVM.

1. QVARTO decimo, ducentesimoque supra millesimum ab orbe reparato; ab initio Cistercij anno centesimo decimo septimo, Balduinus Tolosani Comitis Frater secundum carnem, sed moribus, & fide longe dissimilis, suspensus in patibulo; dum aliis animos, quasi iam vindicata recenti clade, & morte Petri Regis Aragonum; aliis vindictæ zelum, iustitiæque aduersus, parricidam acrius infundit; iam pene extinctum bellum instaurauit. *Iste* [a] ait Petrus Vallium Sarnay Monachus, *Comes Balduinus, Frater comitis Tolosani, & Regis Franciæ consobrinus, longè à Fratris malitia, & in Christi militia totis viribus se exercens, Comitem Montisfortis, & Christianitatem, contra Fratrem suum, & alios hostes fidei, quantum poterat, adiuuabat. Quadam igitur die, secunda videlicet feria, post primam Dominicam Quadragesimæ, venit prædictus Comes ad quoddam Castrum, in Caturcensi Diœcesi, quod Olima dicebatur. Statim milites de Castro illo, qui erant homines ipsius Comitis, miserunt ad ruptarios, & quosdam milites indigenas pessimos traditores, qui erant in quodam vicino Castro, quod dicitur Mons Lenardus, & significarunt eis Comitem Balduinum. Hoc idem significauerunt cuidam traditori pessimo, sed occulto, Raterio videlicet de Castro-Nouo. Iste Raterius iamdiu inierat fœdus cum Comite Montisfortis, & iurauerat ei fidelitatem. Comes etiam Balduinus de ipso, quasi de amico confidebat.*

[a] Cap. 75.

2. *Quid plura? venit nox, & Comes Balduinus securus, vt poteinter suos sõno se dedit, & quieti. Erat autem cum Comite Balduino miles quidam Francigena, nomine Guillelmus de Contris, cui Comes Montisfortis dederat Castrum quoddam, quod dicitur Sarracenum. Quidam etiam seruiens Francigena custodiebat Castrum, quod Moysiacum nominatur. Quiescentibus igitur Comite, & qui cum eo erant, in diuersis domibus ab inuicem separatis; Dominus Castri clauẽ cameræ, in qua Comes Balduinus dormiebat, arripiẽs, obserato ostio, de Castro ad prædictum Raterium, & ruptarios properauit; quibus clauem ostendens dixit. Quid tardatis? Ecce hostis vester in manibus vestris; properate, & eum vobis tradam dormientem, pariter & inermem. Nec solum ipsum, sed plures de vestris hostibus vobis tradam. Quo audito, gaudentes ruptarij, & velocissime concurrentes, ad portas Olimæ deuenerunt. Statim Dominus Castri, qui erat Dux eorum, qui comprehendere volebant Comitem (videlicet alter Iudas) conuocatis secretissime hominibus Castri, diligenter quæsiuit à singulis, quot de sociis Comitis Balduini quisque haberet apud se hospitantes? Quo diligenter quæsito, ad ostia domorum duplo plures de ruptariis armatos poni fecit, quam essent de nostris dormientes inermes: statim accensis candelis innumerabilibus, clamor attollitur, hostes in nostros irruunt imparatos.*

Raterius autem de Castro-Nouo, & prænotatus 3. *Dominus Castri, venientes ad Cameram, in qua Comes nobilis Balduinus dormiebat, aperientéque ostium, cœperunt ipsum dormientem inermem, imo nudum. Quidam autem de nostris, qui erant per Castrum occisi sunt, alij capti, nonnulli, fuga opitulante, euaserunt. Nec prætereundum, quod quidam de nostris quem viuum cœperant, præstitoque iuramento, ipsum de vita securum fecerant, & de membris, in ipsa postmodum Ecclesia latitantem occiderunt. Arripientes aduersarij Comitem Balduinum, duxerunt eum ad quoddam Castrum ipsius Comitis, quod dicitur Mons Eua in territorio Caturcensi. Homines autem Castri, vtpote pessimi, ruptarios, qui Dominum suum ducebant captum, libenter receperunt. Mox ruptarij dixerunt Comiti Balduino, vt faceret eis reddere turrim Castri, quam quidam Francigenæ de mandato ipsius custodiebant. Ipse autem Comes districtissime inhibuit Francigenis illis, ne aliqua ratione turrim redderent, etiamsi viderent ipsum Comitem suspendi in patibulo, sed se instantissime defenderent, donec haberent succursum à nobili Comite Montisfortis: O virtus Principis! O mirificum robur mentis! Quo audito ruptarij irati sunt valde, ipsumque Comitem per duos dies ieiunare fecerunt.*

Quibus transitis fecit vocari Comes Capellanum 4. *quendam diligentissimum, eique puram fecit confessionem: qua facta communionem postulauit Corporis Iesu Christi: sed cum Capellanus afferret Diuini mysterij Sacramenta, superuenit quidam pessimus ruptarius, iurans, & firmissime contestans, quod Comes Balduinus non comederet, nec biberet, donec redderet ruptarium quendam, quem cœperat, & teneri in vinculis faciebat. Ad quæ Comes. O crudelissime, inquit, nunquid panis, aut vini abundantiam, aut frustum carnis quæsiui, qui nihil ad corporis sustentationem, sed animæ salutem, Diuini mysterij communionem petij? Iterùm carnifex cœpit firmiter asserendo iurare, quod nec comederet, nec biberet, nisi faceret, quod petebat. Ad quæ denuo vir nobilis: ex quo, inquit, mihi diuinis Sacramentis communicare non permittitur, ostendatur mihi saltem Eucharistia, videlicet, salus mea, vt in vita ista videam saluatorem meum: quâ à Capellano leuata, & ostensa, Comes eam deuotissime adorauit.*

Dum hæc agerentur, illi qui erant in turri Ca- 5. *stri, timore mortis tradiderunt turrim ruptariis,*

recepto tamen prius ab ipsis iuramento, quod ipsos abire dimitterent, sanos, pariter & indemnes: sed traditores pessimi spreta religione iuramenti, ipsos statim patibuli morte turpissima condemnarunt. Quo facto arripientes Comitem Balduinum, duxerunt eum ad quoddam Castrum Comitis Tolosani, quod dicitur Mons Albanus: vbi eum tenentes in vinculis, aduentum Tolosani Comitis expectabant. Post paucos vero dies, venit Comes Tolosanus habens secum illos pessimos traditores, Comitem videlicet Fuxi, & Rogerium Bernardi filium eius, & quendam militem de terra Regis Aragonensis, qui dicebatur Bernardus de Portellis: statim ad mandatum Comitis Tolosani, eductus de Castro Montis Albani Comes nobilissimus Balduinus. Id autem, quod sequitur, quis vnquam sine lacrymis legere poterit, vel audire? Mox Comes Fuxi, & filius eius, à patris malitia non degenerãs, & Bernardus de Portellis ligauerunt funem in collo Viri nobilissimi, ipsum de voluntate, imo de præcepto Comitis Tolosani suspensuri. Quod videns Vir Christianissimus, instanter, ac humiliter quæsiuit confessionem, & viaticum, sed canes crudelissimi virumque ei penitus denegarũnt: quibus miles Christi. Ex quo, inquit, non licet me ostendere Sacerdoti? testis est mihi Deus, quod prompta voluntate semper, & ardenti Christianitatem, & Dominum meum Comitem Montisfortis (Catholici exercitus ducem) sequutus sim, & pro hac, & in hac defensione volo mori. Vix verba compleuerat, & ecce tres prænotati traditores, eleuantes eum à terra, ad nucis arborem suspenderunt. Hactenus ille.

6. Vltionem hanc de proprio Fratre sumptam, gloriosam sibi putauit Raymundus Comes, quasi proprio sanguini non parceret, vt Regis sibi amici fautorisque occisi in acie mortem vlciscereturSed penitus contrarium accidisse adnotauit Guillelmus, qui post indignum facinus relatum, hæc subdit verba. [b] *Cuius, id est, Balduini Comitis corpus Fratres Templarij, petitum, & concessum deposuerunt de arbore, & apud Villam Dei in Castro suo tradiderunt sepulturæ. Multum enim Comes opinionem suam ex illius Fratricidio aggrauauit; qui saltem de suspendio ei parcere debuisset.* Sic, quod putauit sibi in gloriam fore, ad ignominiam cessit vel inter suos.

b Cap. 23.

7. Reuera tamen resumpsere animos ab ipsa vltione, cum maximè, conuersis in orientem Christianis viribus, non vllos iam timerent Cruce signatos, à quibus iterùm possent profligari. Hinc Haymerico Narbone quondam Domino, amissam Vrbem repetere in consilio: & Narbonensibus obiurata obedientia Simoni Comiti, Ecclesiæque promissa, quamuis pastore suo renitente, eiusdem reditus etiam in votis fuit. Multis aliis admissis ex omni gente, sicariis, & hæreticis, qui non nisi per turbas permitterentur. Narrat, qui supra Petrus Vallsarnensis, hæc scribens verba. [c] *Circa idem tempus Aymericus Dominus Narbonæ, & ciues Narbonenses, qui nunquam dilexerant negotium Iesu Christi; vt iniquitatem, quam longe conceperant, parturirent, recesserunt manifestè à Deo; receperuntque in ciuitatem suam ruptarios, nec non Aragonenses, & Cathalonenses, vt per eos expellerent, si possent, nobilem Comitem Montisfortis. Aragonenses siquidem, & Cathalonenses persequebantur dictum Comitem in vindictam sui Regis. Malitiam autem istam perpetrauerunt: Narbonenses non quia Comes eos læderet in aliquo, vel læsisset; sed quia putabant, quod Cruce signati de cætero non venirent.*

c Cap. 76.

Hæc facies terræ per Galliam Narbonensem, cum ecce, Deo ita prouidente, inuersa consilia; & qui non timebantur Cruce signati, iusto aduersus rebelles concepto zelo, solito frequentiores aduenere. Nam in primis, ait idem, qui supra, Petrus [d] *Magister Robertus de Corcone Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, qui sicut superius diximus, laborabat in Francia, quantum poterat pro negotio terræ Sanctæ, prædicatoresque nostros, qui pro negotio fidei cõtra hæreticos prædicare soliti erant, nobis abstulerat, faciebatque illos pro succursu terræ Sanctæ instantius prædicare, ad bonorum, & prudentum virorum consilium, quosdam de prædictis prædicatoribus nobis reddidit, vt pro negotio fidei prædicarent. Ipse etiam ad expugnandos hæreticos Tolosanos, suscepit in pectore viuica signum Crucis: Quid vltra? Reuixit prædicatio pro negotio fidei in Francia: multi se Cruce signant, sit Comiti, & nostris gaudium valde.* 8.

d Cap. 75.

Sed & Guido Venerandus Antistes Carcassonæ, & Vir insignis Iacobus de Vitriaco, quos plurimos per vtramque Galliam signauerant, ea obtenta licentia conduxere; præfixis die, & loco, in quo, & per quem ad aciem properarent, denuo hostes Christi, si possent, profligaturi. De his, idem, qui supra, Petrus hæc habet. [e] *Anno Verbi Incarnati M. CC. XIII. Venerabilis Carcassonæ Episcopus, qui toto præcedenti anno pro negotio fidei, contra hæreticos discurrendo, & prædicando laborauerat in partibus Gallicanis, circa octauam Dominicæ resurrectionis, iter ad partes arripuit Albigenses: ipse etenim omnibus Cruce signatis, tam illis, quos signauerat, quam aliis, qui de manu Magistri Iacobi de Vitriaco, viri per omnia laudabilis, & quorundam aliorum susceperant signum Crucis, diem motionis alligauerat, ita quod in quindena Paschæ, essent pariter congregati, profecturi cum eo per partes Lugdunenses contra hæreticos pestilentes: sed M. Robertus de Corceone Apostolicæ Sedis Legatus, & Venerabilis Archidiaconus Guillelmus, Cruce signatis suis diem præfixerant, vt essent in quindena Paschæ Bitteris contra prænotatos hæreticos, per partes alias profecturi. Mouentes igitur à Niuernis Episcopus Carcassonensis, peregrinique supradicti, itinere prospero, ad montem deuenerunt Pessulanum. Ego autem eram cum Episcopo Carcassonensi, ibi inuenimus Parisiensem Archidiaconum, & peregrinos, qui cum ipso venerant à partibus Gallicanis.* 9.

e Cap. 78.

Demum ipse etiam Cardinalis Legatus Robertus de Corceone, qui se, vt diximus, Cruce signauisset contra hæreticos; ipsos debellaturus, tandem aduenit: quod idem etiam auctor memoriæ prodit. [f] *Nec silendum, ait, quod Magister Robertus de Corceone, Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, de quo supra fecimus mentionem, venit ad exercitum in obsidione Cassanolij, & paucos ibi faciens dies; laborabat prout potuit, vtpote homo bonæ voluntatis, ad expugnationem Castri, sed negotiis iniunctæ sibi delegationis ipsum reuocantibus, non expectauit vsque dum caperetur Castrum* Numerum irrepsisse per errorem in Petro Vallsarnensi nequaquam dubito: id quod Nicolaus Camuzæius etiam notauit. Haud tamen negem fuisse supra communem, de quo lego in eodem auctore scriptum, [g] cum iam vndequaque omnes conuenissent. *Proficiscentes à Monte Pessulano, venimus prope Biterrim ad Castrum*

10.

f Cap. 79.

g Cap. 78.

Castrum S. Tiberij, ibique occurrit nobis Comes Montisfortis: eramus autem, tam equites, quam pedites circiter centum millia peregrini. Certè, vt centum millia pugnatorum multa apparent: sic centum supra modum pauca existunt; si ad tot, tantosque prædicatores, atque apparatus præuios comparentur, & fortè decem millia legendum foret. Ita vnde cœperunt hostes insolescere, in desperationem magis acti, nec mutire audentes; eo solum euaserunt secundâ cladem, fortè & vltimam, quo nullis prorsus mãdatis repugnarunt. Sed iam de aduentu Petri Beneuentani Cardinalis Legati missi ab Innocentio, quæ idem Auctor recenset producamus.

---

1. *Inducia primum pactæ cum Narbonensibus* 2. *& à Comitibus Fuxi, & Conuennarum Castra accepta* 3. *Guido in Rutinenses, & Caturcenses missus,* 4. *grassatur in hostes.* 5. *inde Monfortio iunctus, Legati vices gerens in exercitu.* 6. *Hæreticorum Castra,* 7. *multa deuastant* 8. *In expugnatione Casanolij* 9. *labor insolitus.* 10. *Sed tandem nostris hymnos decantantibus,* 11. *fælix victoria & parta sine sanguine.*

CAPVT SECVNDVM.

1. IGITVR, ait, Petrus Vallsarnensis [a] *Dum hæc agerentur, Magister Petrus Beneuentanus, Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, à D. Papa veniebat ad partes Narbonenses, vt de his, quæ pacis erant, & fidei ordinaret. Audiens autem Legatus, quomodo se habebant Narbonenses, mandauit eis, & districte præcepit, vt firmas treguas haberent cum Comite Montisfortis, quousque ipse veniret. Idem etiam mandauit Comiti nostro, ne scilicet læderet in aliquo Narbonenses. Post paucos autem dies, venit Legatus, & intrauit Narbonam; viso tamen prius Comite nostro, & habito cum ipso colloquio diligenti:* Hæc Narbonensibus nondum desperatis.

a Cap. 77.

2. Ast Comitibus Fuxi, & Conuennarum, aliisque, quamuis de eorum correctione desperaretur, non minus suauiter: nisi quod tamen iuratoriæ cautioni addita Castra, quæ à nostris possessa, munitaque, suetos fallere in officio continerent. *Statim,* inquit, [b] *acceperunt ad eum hostes fidei, Comes scilicet Conuennarum, & Fuxi, & alij multi, qui exigentibus meritis fuerant exhæredati, pro restitutione sua ipsi Legato supplicaturi: Legatus sapiens, & discretus omnes reconciliauit, recipiens ab eis non solum iuratoriam cautionem standi mandato Ecclesiæ, sed etiam quædam Castra fortissima, quæ adhuc remanserant hostibus prænotatis.* Easdem inducias Tolosanis concessas ciuibus, obsidibus acceptis, & Narbonensibus, præcipua vrbis arce per eos tradita, capite sequenti memorabimus.

b *vbi supra.*

3. Hactenus, quæ à Legato firmata, pacis intuitu, cum his, qui pacem, etsi interius odissent, exterius tamen se velle, & parere mandatis prosequebantur: non quia speraret, sed vt nihil omitteret, quod posset eam prudenter promouere. In reliquos, vt in manifestos Ecclesiæ hostes, Monfortio Comiti, & suis data potestas, ferro, & igni grassari quousque deficerent, aut, quod difficilius putabat, conuerterentur. Monfortius Comes, qui nihil sine nostris, diuisit exercitum, & peregrinos cum Episcopo Guidone Carcassonensi, Guidoni Fratri suo; reliquos cum Arnaldo Narbonensi, sibi, & filio retinuit; illis Rutinense, & Caturcense territoria (namque plena hæreticis) inuasuris viriliter: his, celebrandis Amalrici nuptiis, quæ pactæ anno præterito, nubili iam puella, maturabantur. Narrat hæc idem Petrus Vallsarnensis verbis sequentibus. [c] *Cum fecissent peregrini paucos dies Carcassonæ, nobilis Comes Montisfortis rogauit eos, vt cum Episcopo Cacassonensi, & Guidone de Monteforti Fratre Germano ipsius Comitis, ad partes Rutinenses accederent, & etiam Caturcenses; vt terras tam Ratery de Castro Nouo (qui nobilissimum & Christianissimum Comitem Balduinum, crudelissime prodiderat) quam aliorum hostium Christi penitus deuastarent. Ipse vero Comes cum suo primogenito Amalrico, descendit vsque Valentiam, inuenitque ibi Ducem Burgundiæ & Delphinum; habitoque super præfato matrimonio consilio, & assensu, Comes noster, quia non erat tempus congruum ad contrahendum, nec ipse propter multimodas guerræ necessitates, ibi poterat facere multos dies, dictam puellam duxit secum Carcassonam, ibique fuerunt nuptiæ celebratæ.* Hactenus ibi. Nec dubium affuisse nuptiis Arnaldum, cuius omnia interuentu, vt olim pacta, sic & nunc etiam vtrinque impleta fuerint.

c Cap. 79.

4. De vtriusque Guidonis incursionibus, queis videoetiam associatum Robertum de Corceone, hæc idem auctor? [d] *Peregrini vero, qui iamdiu à Carcassona exierant, & iam Episcopatũ intrauerant Caturcensem, terras hostium fidei, quæ timore eorum erant derelictæ vacuæ, vastauerunt. Nec prætereundum est, quod cum transiremus per Episcopatum Rutinensem, venimus ad quoddam Castrum, quod Mauriliacum vocatur: illi autem de Castro voluerunt nobis resistere, quia miræ fortitudinis, erat Castrum, & penitus inaccessibile. Erat autem in exercitu nostro Magister Robertus de Corceone Apostolicæ Sedis Legatus, de quo supra tetigimus, qui nuperrime venerat à partibus Gallicanis: mox nostri in suo aduentu accesserunt ad Castrum, & cœperunt hostes suos acriter impugnare. Videntes illi de Castro, quod amplius resistere non valerent, reddiderunt se ipsa die Legato, ad ipsius per omnia voluntatem: nostri vero de voluntate Legati, Castrum penitus destruxerunt. Nec silendum quod ibi inuenimus septem hæreticos de secta illa, quæ VValdensium dicebatur. Qui ad Legatum adducti, suam incredulitatem plenius sunt confessi; quos nostri arripientes peregrini, cum ingenti gaudio combusserunt.* Hæc vterque Guido, dum nuptiæ apud Carcassonam celebrabantur. Inde Monfortius, Amalricusque redditi exercitui, & Guido Præsul Legati vices exequens (Cardinalis, vtputo, Beneuentani, qui interim ad Aragonum partes perrexerit) Aginensem Prouinciam intrauerunt. Quid porro in ea ab illis factum sit, eadem acta scribunt, his plane verbis. [e] *Post hæc nunciatum est Comiti nostro, quod quidam milites Aginenses, qui*

d Cap. 79.

e *vbi supra.*

qui præcedenti anno ab eius dominio receſſerant, Caſtrum quoddam munierant, quod dicitur Mons Piſatus. Acceſſimus ad illud obſidendum: prænotati vero milites de Monte Piſato audientes aduentum Cruce ſignatorum, venientes ad Caſtrum, illud penitus deſtruxerunt. Mouens Comes noſter à Monte Piſato, cœpit vlterius progredi per Epiſcopatum Aginnenſem, vt Caſtra, quæ præcedenti anno, à ſuo dominio receſſerant, occuparet: omnes autem aduerſarij timore ducti, antequam Comes accederet ad eos, reddiderunt ſe illi. Comes autem ob maiorem ſecuritatem, ne iterum apoſtatarent, ſicut conſueuerant, ferè omnes turres, & muros dirui faciebat, exceptis paucis de fortioribus Caſtris, quæ ipſe tam ſibi, quam Francigenis munire voluit, & tenere.

6. *Veniens Comes ad obſidendum Caſtrum Marmandæ, inuenit illud contra ſe munitum: miles enim quidam Regis Angliæ, quoſdam ſeruientes in Caſtrum adduxerat, vexillúmque ſuum in ſummitate Caſtri poſuerat, vt Caſtrum defenderet contra noſtros, ſed appropinquantibus noſtris, & in ipſo aduentu ſuo ad muros accedentibus, poſt modicam defenſionem de Caſtro fugere cœperunt, recipientéſque ſe in nauibus per Garonam fluuium celeriter deſcendebant ad quoddam Caſtrum proximum Regis Angliæ, quod Regula dicebatur: ſeruientes vero Regis Angliæ, qui ad defenſionem Caſtri venerant, ſe in tuto receperunt. Noſtri verò intrantes Caſtrum, bona illius omnia diripuerunt: ſeruientes vero Regis Angliæ, qui erant in turri, Comes viuos, & ſanos abire dimiſit. Poſt hæc datum fuit Comiti à ſuis conſilium, vt non funditus deſtrueret Caſtrum, eo quod eſſet ſatis nobile, & in extremitate terræ ſuæ; ſed conſuluerunt, vt turrim maiorem muniret, cæteráſque turres, & partem murorum dirueret, quo facto reuerſus eſt Comes Aginnum.*

7. *Erat autem Caſtrum Caſanolij nobile, & fortiſſimum in territorio Aginnenſi, in pede ſiquidem cuiuſdam montis in amœniſſima planicie ſitum erat; ſed & aquis circumfluentibus, & natiuis rupibus cingebatur: erat in Caſtro illo Sedes hæreticorum, vna de principalibus, & fuerat ab antiquo. Homines autem Caſtri illius erant pro magna parte raptores, & periuri, repleti omni iniquitate, & genere peccatorum: iam enim ſemel, & iterum, reddiderant ſe Chriſtianitati; nunc etiam & tertia vice Chriſtianitati, & Comiti noſtro reſiſtere attentarunt. Erat autem Caſtri illius Dominus maior, Hugo de Rominiaco, Frater Epiſcopi Aginnenſis: hic Comitis familiaris fuerat, & amicus, ſed ipſo anno rupta familiaritate, & ſacramento per proditionem, à Deo receſſerat, & Comite memorato: Collegerant etiam ſe alij proditores quamplurimi in Caſtro illo. Veniens igitur nobilis Comes Montisfortis cum exercitu ante Caſtrum, in vigilia Apoſtolorum Petri, & Pauli, obſidionem firmauit ex vna parte, ſuper montem, non enim ſufficiebat exercitus eius, ad Caſtrum in circuitu obſidendum.*

8. *Poſt paucos autem die fecit Comes machinas erigi ad diruendos muros Caſtri: machinæ autem illæ, & ad murum, & intra Caſtrum inſtantius iacientes, in breui domus Caſtri plurimas diruerunt. Poſt aliquot autem dies ſuperuenientibus peregrinis, decedens Comes de monte, fixit tentoria in planicie propè Caſtrum, partem exercitus habens ſecum; plures vero remanſerunt in monte, cum nobiliſſimo, & probiſſimo iuuene Almerico filio Comitis, & Venerabili Epiſcopo Carcaſſonæ Guidone, qui ibi Legati fungens officio, ad expugnationem, & captionem Caſtri, inſtantiſſimè, atque efficaciſſimè laborabat. Fecit autem Comes in planicie, vbi ſe locauerat, erigi machinas, quæ petrariæ nuncupantur, hæ die noctúque iacientes muros Caſtri debilitabant plurimum. Quadam autem nocte circa auroram exeuntes plures ex aduerſariis de Caſtro aſcenderunt in montem, impetum facturi vnanimiter in exercitum, venientéſque ad tentorium in quo Almaricus filius Comitis dormiebat, irruerunt in eum validiſſimè, ipſum capturi, vel occiſuri, ſi poſſent; ſed currentes noſtri, & hoſtes viriliter infeſtantes: ad Caſtrum ſuum redire compulerunt.*

9. *Dum hæc agerentur in obſidione illa, Rex Angliæ Ioannes, qui dolens de exhæredatione nepotis ſui, videlicet filij Comitis Toloſani, bonis noſtris ſucceſſibus inuidebat, acceſſerat propè partes illas, ad Petragoricenſem videlicet ciuitatem, habens ſecum exercitum magnum valde; confugerant enim plures de hoſtibus ad ipſum, qui peccatis ſuis exigentibus, iuſto Dei iudicio fuerant exhæredati; quos idem aſſumpſit, & diu tenuit, non ſine multorum ſcandalo, & graui propriæ famæ ſuæ iactura. Illi vero, qui erant in Caſtro obſeſſi, frequentes nuncios mittebant ad Regem prædictum petentes ſuccurſum; & ipſe eos per nuncios, & promiſſiones plurimum animabat. Quid plura? Fit rumor celebris in exercitu noſtro, quia Rex ſapè dictus volebat in nos irruere; & feciſſet forſitan ſi auſus fuiſſet. Comes autem fortiſſimus Montisfortis, in nullo perterritus eſt de auditis, ſed firmiter propoſuit, quod ſi Rex vellet irruere in exercitum, non ideo recederet ab obſidione, ſed & ſuos defendens pugnaret contra eum. Sed ſapè dictus Rex, ſaniori vſus conſilio, nihil de his, quæ dicebantur, & quæ forſitan propoſuerat agere, tentauit.*

10. Longum eſſet in præſenti cuncta narrare, quæ in illa obſidione, tum ab exercitu, tum à Guidone Epiſcopo qui, vt ait idem, auctor paulò inferiùs. [f] *Diu, noctuque laborabat in his, quæ obſidioni opus erant,* geſta ſunt: quæ machinæ applicatæ muris, qui pontes flumini? Id vnum nobis ſatis ſupérque ſit, quo tandem vltimo victoria noſtris illuxit. [g] *Cogitans Comes noſter, ne fortè aduerſarij de nocte comburerent machinam ipſam, eadem die Dominica circa Veſperam fecit armari ſuos, & omnes, concrepantibus tubis, vocari ad inſultum. Epiſcopus Carcaſſonæ, & Clerici, qui erant in exercitu cum eo, conuenerunt in locum eminentiorem propè Caſtrum, clamaturi in cœlum, & pro noſtris pugnantibus oraturi. Mox igitur noſtri intrantes machinam, ruptis anterioribus machinæ cledis, cum multa probitate tranſiere foſſatum. Interea Clerici noſtri* Veni Creator Spiritus, *cum deuotione maxima decantabant: aduerſarij autem videntes irruentes noſtros, receperunt ſe intra muros, & cœperunt noſtros per deſuper muros iactu lapidum creberrimo grauiter infeſtare: noſtri vero, quia imminebat nox, & quia non habebant ſcalas, muros conſcendere nequiuerunt; ſed intra muros, & foſſatum, immodica quadam planicie ſtantes, brabacanas, quas hoſtes extra muros fecerant, ipſa nocte deſtruxerunt.*

f cap. 79.

g ibidem.

11. *In craſtino vero tota die laborauerunt artifices noſtri in ſcalis faciendis, & aliis machinis, vt die tertia Caſtrum aſcenderent per inſultum, quod ſcientes, & timentes milites ruptarij, qui erant in Caſtro,*

Castro, sequenti nocte exeuntes cum armis, quasi insultum facturi in exercitum, omnes fugerunt; plures autem de nostris, insequuti sunt eos diutius, sed comprehendere nequiuerunt. Reliqui vero accedentes ad Castrum media nocte, vt intrauerunt; apponentésque ignem combusserunt illud, & quos inuenire potuerunt, in ore gladij peremerunt. Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios, etsi non omnes. Post hæc fecit Comes noster, quasi solo tenus, destrui in circuitu muros Castri, sicque captum est, & cassatum Cassanolium XVI. Kalendas Septembris, ad laudem Domini nostri, cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Hic longæ, laboriosæque obsidionis Monfortio, atque Guidoni finis fuit. Verum quæ alia postea sequuta sint, vsque ad aduentum Cardinalis Beneuentani, vices eius gerente Guidone Præsule, sequenti Capitulo nobis dicenda erunt.

---

1. *Expugnatum à nostris Castrum Domæ,* 2. *& Castrum Montisfortis, laborans sub tyrannide impiorum coniugum.* 3. *Vtrumque dirutum, atque item Castrum nouum.* 4. *Quid de Bænatio?* 5. *& qualiter post hæc pax terræ reddita?* 6. *Petrus Cardinalis Beneuentanus Aragonenses visitat.* 7. *Interim Fulco Tolosanus Tolosam intrat.* 8. *Narbonensem arcem occupat.* 9. *Sancto Dominico sancti Romani Ecclesiam donat,* 10 *atque item sextam decimarum partem ad victum.*

CAPVT TERTIVM.

1. HIS ita gestis (pergit qui supra Auctor [a]) *significatum est Comiti nostro, quod in Epi-*
a cap. 80. *scopatu Petragoricensi, erant Castra, in quibus habitabant pacis, & fidei inimici; & verè sic erat. Proposuit igitur Comes progredi, & inuadere Castra, vt per Dei gratiam, & auxilium peregrinorum, expulsis ruptariis, & raptoribus relegatis, pacem Ecclesiis, imo toti terræ Petragoricensi relinqueret. Omnes autem Christi, & nobilis Comitis nostri aduersarij, audito, quod captum esset Cassanolium, tanto timore percussi sunt, quod in nulla munitione, etiam fortissima, aduentum Comitis, & exercitus, ausi sunt expectare. Mouens igitur exercitus à Cassanolio, venit ad vnum de Castris, quod Doma dicebatur, & inuenit illud vacuum, & absque defensore. Erat autem Castrum nobile, & fortissimum super Dordoniam fluuium, in amœnissimo loco situm. Statim Comes noster, turrim Castri, quæ erat altissima, & pulcherrima, & penè vsque ad summum munita, suffodi fecit, & dirui.*

2. *Ad dimidiam vero leucam erat Castrum aliud miræ fortitudinis, quod dicebatur Monsfortis. Dominus verò Castri, nomine Bernardus de Casuacio, homo crudelissimus, & omnium pessimus, timore ductus, fugerat à facie Comitis nostri, Castro suo vacuo derelicto: tot enim, & tantæ erant crudelitates, rapinæ, enormitates illius nequissimi, & crudelissimi, quod vix possent credi, aut etiam cogitari. Et cum talis esset, procurauerat ei Diabolus adiutorium simile sibi, vxorem, videlicet, quæ erat soror Vicecomitis Turennæ. Hæc altera Iezabel, imo longè peior, & crudelior, quam Iezabel, omnium malarum erat pessima fœminarum. Et viro incredulitate non impar, & malitia. Ambo igitur, cum essent nequissimi, spoliabant, imo destruebant Ecclesias, peregrinos inuadebant, membris innoxios detruncabant; ita quod in vno Monasterio Monachorum nigrorum, quod Sarlatium dicitur, inuenti sunt à nostris centum quinquaginta inter viros, & mulieres, qui manibus, vel pedibus amputatis, erutis oculis, siue cæteris membris cæsis, à prædicto Tyranno, & vxore eius fuerant mutilati. Ipsa enim vxor Tyranni, totius pietatis oblita, pauperibus mulieribus, vel mammillas faciebat extrahi, vel pollices abscindi, vt sic ad laborandum inutiles redderentur. O crudelitas inaudita! Sed his omissis, cum neque milleſimam malitiarum dicti Tyranni, & vxoris eius partem possemus exprimere, ad propositum redeamus.*

Destructo igitur, & euerso Castro Domæ, voluit 3.
Comes noster subuertere Castrum Montisfortis, quod erat, sicut diximus, præfati Tyranni. Mox Episcopus Carcassonæ, qui totum pro negotio Christi se laboribus exponebat, assumens secum partem peregrinorum, abiit, & fecit dirui Castrum illud. Adeo autem fortissimi erant muri illius, quod vix poterant dirui, eo quod cæmentum in lapide obduruisset. Vnde etiam multos dies oportuit nostros facere diruendo Castro. Ibant peregrini mane ad operandum, & sero reuertebantur ad locum Castrorum, exercitus enim non recesserat à Doma, eo quod aptior, & competentior erat locus exercitui. Erat præterea propè Montemfortem aliud Castellum nomine Castrum nouum non impar cæteris in malitia, & hoc ipsum timore exercitus fuerat derelictum. Proposuit autem Comes noster tenere, & occupare Castrum illud, vt per hæc melius posset pacis compescere turbatores: sicut cogitauit, ita & fecit.

Erat insuper quartum Castrum satis forte nomine Bænatium, huius Castri Dominus pessimus 4.
erat, & Ecclesiarum molestissimus oppressor: dedit autem ei Comes noster optionem, vt vnum eligeret de duobus; videlicet, vt infra terminum à Comite, & ab ipsis, qui ibi erant, præfixum, restitueret male ablata, aut humiliarentur muri Castri ipsius: & ad hoc exequendum data fuerunt inducia per plures dies: Sed cum intra dies illos de rapinis non feciſſet restitutionem, voluit Comes noster humiliare munitionem Castri Bænatij, inuitóque Tyranno, & multum dolente, fecit Comes noster humiliari turrim, & muros Castri Bænatij: allegabat enim maleficus sæpè dictus, Castrum suum non debere humiliari, eo quod ipse solus erat in terra illa, qui inuaret Regem Franciæ, contra Regem Anglorum: sed Comes allegationes istas, vanas sciens, & frinolas, non destitit à proposito. Iam etiam allegationes prædictas Tyrannus memoratus exposuerat Regi Franciæ, sed nihil proficere potuit.

In hunc modum subiugata sunt quatuor Castra 5.
illa, Doma videlicet, Montisfortis, Castrum nouum, & Bænatium. In his quatuor Castris à centum annis, & antea, Sedes fuerant Sathanæ, ab his egressa fuerat iniquitas super faciem terræ. Istis igitur subiugatis per peregrinorum laborem, & probita-

tem

tem expertissimam Comitis Montisfortis, reddita est pax, & tranquillitas, non solum Petragoricensibus, sed etiam Caturcensibus, & Aginnensibus, & Lemouicensibus pro magna parte. Pergit auctor de aliis gestis Comitis, & Guidonis Monfortij Fratris eius, quæ minus faciunt ad præsens institutum.

6. Inter hæc Innocentius, susceptis nunciis, quos Proceres Aragonenses & Cathalani proximo anno ad Romanam curiam miserant, Petro Beneuentano Cardinali in mandatis dat, vt Iacobum eductum à custodia Monfortij Comitis, Aragonensibus, Cathalanisque restituat, legitimum successorem vtriusque Regni: præuiáne aliqua facienda inquisitione, qua ius hæreditarium constaret clarius? in dubio est. Constat Iacobum non ante suis traditum, quam Petrus Aragoniam peragraret: quippe in Concilio ad montem Pessulanum legitur restitutus, celebrato initio sequentis anni, vt suo loco dicemus. Et tamen constat ex Petro Vallsarnienfi, Beneuentanum longè ante Concilium inter Aragonenses commoratum, nec idem celebrasse Concilium nisi reuersum. *His omnibus*, ait, [b] *rite peractis, Magister Petrus Beneuentanus Apostolicæ Sedis Legatus, de quo supra fecimus mentionem, reuersus à partibus Aragonensibus, in quibus pro grauibus negotiis fecerat longam moram, conuocauit celeberrimum, & generalissimum Concilium in quindena Natiuitatis Dominicæ apud Montem Pessulanum.* Crediderim intendisse Legatum iuri inquirendo, in Regni successione; atque obiter Sanctij, & Ferdinandi pacandis animis, ne Regis pueri sceptra perturbarent.

b Cap. 80.

7. Non satis constat quid egerint hoc tempore Arnaldus, & Fulco Narbonensis Antistes, & Tolosanus. Nam abfuisse ab exercitu Catholico argumento est, quod nulla eorum mentio apud auctores, si interfuissent nequaquam omittenda. Vtrumque, vt credo, vrgebat desiderium propriæ Ecclesiæ, & commissarum sibi ouium cura, si fortè possent ad caulas reuocari. Et Narbonensi post inducias pactas facilis aditus, maximè ciuibus minus obstinatis, atque in Arnaldum pronis; quem boni amarent; discoli, vel qui non timerent reuererentur. Fulconis longũ, prolixumque exilium, & ab eius discessu continua mala fecerant desiderium Tolosanis, & tanto se pastore destitutos, ipsi etiam, qui eiecerant, dolebant. Pactas etiam inducias cum Tolosatibus, interuentu Cardinalis Beneuentani, atque obsides acceptos hoc ipso tempore, Guillelmus de Podio Laurentij scriptum habet; tuncque Fulconem Tolosæ restitutum, etiam arcem maiorem, quæ Narbonensis dicitur, Romanæ Ecclesiæ nomine occupasse. *Magister*, inquit, [c] *Petrus Beneuentanus, Cardinalis Ecclesiæ Romanæ, mittitur Legatus, de pace acturus: obsides Tolosani mittuntur Arelatum in Prouinciam; & Castrum traditur Narbonense. Castrum vero prædictum tenendum, & custodiendum nomine Ecclesiæ Romanæ commendauit Episcopo Tolosano.* Hæc ille pluribus.

c Cap. 14.

8. Petrus vero Vallium Sarnay, Fulconis ad Tolosam aduentum paulisper differt, Ordine, vt puto, nonnihil immutato; verum hunc ipsum reditum eiusdem, atque Arcis maioris, siue, vt vocabant, Narbonensis (ad differentiam Regiæ minus munitæ) enucleatius tradit his plane verbis. [d] *Interea Legatus Episcopum Tolosanum misit Tolosam, vt ex parte ipsius occuparet, & muniret Castrum Narbonense, sic enim vocabatur munitio, & palatium Comitis Tolosani. Ciues autem Tolosani, ad mandatum Domini Legati, imo potius, timore ipsius, filium Comitis Tolosani fecerunt exire à munitione iam dicta, quam hactenus tenuerant, & tradiderunt eam ex parte Legati Episcopo suo. Qui intrans munitionem tenuit eam & muniuit eam militibus, & seruientibus; tamen insumptibus Ciuium, & expensis.* Hæc Vallsarnienfis: quæ eadem Katell in sua historia; nisi quod milites arci custodiendæ, à Comite Simone Monfortio missos; eoque Tolosanis adeo infensos tradidit, vt, sero licet, actorum pœnituerit, nihil iam penitus valentes retractare. Hic reditus Fulconis ad suam sedem post prolixum exilium, glorioſus, & dignus zelo, ac Constantia Præsulis Sancti.

d Cap. 81.

Restitutus Tolosæ vir Beatus, quo nullũ prorsus omitteret officium boni pastoris; imo quo in vno Viro, Sancto Dominico, vniuersum sibi deuinceret Christianum orbem, iam, iamque parturienti suam familiam, totius Ecclesiæ futurum lumen, & columen, Sancti Romani fanum dedisse legitur, vbi cum suis degeret. Porrò ad libros, & alia comparanda, imo ad agendam in communi vitam (quæ prima erant conceptæ religionis glorioſa semina) sextam decimæ partem (dubium illius, an aliorum etiam locorum eiusdem vrbis) quæ Tolosanum clerum concernebant, tradidit liberali donatione, eiusdem cleri consensu confirmata. Narrat vtrumque Theodoricus de Apoldia Dominicanus in vita Sancti Patris, quam suis operibus inseruit Laurentius Surius. Et quidem de Ecclesia Sancti Romani, quæ breui creuit in primum Monasterium totius Ordinis, anno sequenti nobis dicendum erit, vbi constabit, post generale Concilium Lateranense, adiunctas cellas, officinasque in modum cœnobij; sed in Ecclesia, quam iam antea obtinerent Fulconis dono. Interim de decimalibus redditibus, ex quibus incœpere vitam communem, hæc ab eodem auctore scripta profero. [e]

9.

e Lib. 1. cap. 11.

10. *Porrò* (ait) *Episcopus Tolosanus, Vir bonus, & Sanctus, zelator fidei, Sanctum Dominicum impense amans, lætus nouam oriri salutem, consentiente collegio suo, ad libros, aliaque necessaria comparanda, sextam decimarum omnium partem ei donauit. Obtulerunt se etiam illi duo Tolosani boni viri, Frater Thomas, homo facundus, & gratioſus, & Frater Petrus de Salare, qui insignes ædes, quas Tolosæ habebat, ei largitus est. Tum verò, qui cum Beato Dominico erant, cœperunt se ad religioſorum siue Monachorum mores accommodare. Nec dum enim prædicatorius ordo institutus erat; sed quædam iam concepta erant, & de illo instituendo deliberabatur.* Hæc summa gloria familiæ Cistercienſis, hoc Fulconis trophæum incomparabile, quod tãtæ fabricæ tãtis fundamentis cooperatus; & sine ipso nec concepta, nec nata fuit. Quippe in conceptu animando fœtui pabulum, in partu cunam præstitit vagienti. Etsi Dominicum deductum ad Innocentium, atque ipsi commendatum consideremus, impetrandæ instituti confirmationi; velut obstetricantem inueniemus Episcopum Fulconem; vt nullum prorsus officiũ præterierit, quo possit de sanctissima familia, atque tot titulis orbi suspicienda bene mereri.

1. Apostolorum Prussiæ mirus fructus, 2. Fugatorum in ea Prouincia Dæmonum, 3. atque virtutis mysteriorum fidei clara indicia, 4. Petrus creatus Patriarcha Antiochenus. 5. Monasterium de Lubino Cistercio donat, 6. appositis quibusdam conditionibus, 7. quæ tamen statim veniunt reuocandæ. 8. Græcorum de Locedienſibus querelæ. 9. Innocentio propositæ, 10. Innouatis excessibus, expulsi nostri, sed restituti. 11. Et vt illi ferebant, per subreptionem. 12. Demum Cardinali Episcopo Albanensi inquisitio, sententiáque commissæ.

CAPVT QVARTVM.

1. INTER hæc Prussiæ Apostolus Christianus ab Innocentio Papa, nouis coapostolorum copiis auctus, non hos, aut illos ciues Christo donat, vt hactenus feciſſet, ſed integras Prouincias, Principibus Berniſo, atque Beruſio conuerſis ad fidem, poſt quos conſueto more quibuſque populis, ſubditi ad eorum mores, & religionem, aui de certatimque componebantur. De his ab antiquioribus perpauca: & à Gaſpare Bruſchio, in Catalogo Epiſcoporum Cuſnenſium, quorum primus Chriſtianus, vt ex Cromero ſupra etiam notauimus, hæc ad hunc ipſum annum ſcripta Lego [a] *Anno M. CC. XIIII. conuerſus ad fidem Chriſtianam Berniſo nomine, Surbaono, in Baptiſmate Paulus nominatus, primo Beruſiæ Epiſcopo Chriſtiano Regionem Lubauiam; item alius Beruſius Vrarpoda, in Baptiſmate Philippus nominatus, terram Luſabiam donauit, & exhibuit.* non quod Prouincias Dominio eius ſubiecerint, ſed homines doctrinæ; intellectum, in obſequium fidei captiuaturos. Hæc incrementa recentium Apoſtolorum, atque Chriſtiani Ducis in vinea Domini, atque agro ſpirituali. Nam quæ acquiſiuit etiam temporalia ſuæ Eccleſiæ anno M. CC. XXII. quo firmata inueniuntur per inſtrumenta, fideliter ex more etiam reddemus.

a Pol. mihi 68.

2. Cæterùm, quæ de ſenſibili ſimul, & horribili Dæmonum ab eiſdem Prouinciis fuga, ſub fidei ingreſſum in Additis ad exordium Magnum ſcripta ſunt; deque virtute myſteriorum noſtræ ſalutis; quia conuerſionem gentis promouerunt; & aliâs multum faciunt ad Chriſti gloriam, nequaquam duxi ſilentio prætereunda. Aduerto tamen in exemplari noſtro, errore amannuenſium pro Lubauia Liuoniam, in aliis Slauoniam irrepſiſſe: ſed reuera ad Lubauiam referendam ipſa temporis ratio manifeſtat; ſic autem habent. [b] *In Regione Slauoniæ, quæ nouiter eſt ad fidem Chriſtianam conuerſa, magna ex parte & plurima Ciſtercienſis Ordinis Monaſteria conſtat iam eſſe fundata. Porro Monachi iſti, qui ibidem Domino ſeruiunt, ob quotidianam conuerſionem gentium baptizandi poteſtatem à ſummo Pontifice acceperunt. Factum eſt autem, vt aliqui de fratribus illis à quibuſdam fidelibus inuitati, ſtatuta die venirent ad vnam de proximis Villis paganorum multitudinem in ea baptizare: quæ, nuper fide recepta, regenerationis gratiam flagitabant. Præcedenti itaque nocte, antequam illuc peruenirent, auditus eſt ſonus & fremitus ingens, quaſi exercitus grandis tota nocte, per vicos, & plateas eiuſdem perſtrepentis, qui velut ab alio exercitu fortiter impugnatus, tandémque ſuperatus, terga vertere, atque cum magna turbulentia exire videbatur. Porro homines loci recedentium ſtrepitum, & fugam communiter audientes, & neminem videntes ſtupebant, ac metuebant, nimirum ignorantes, quæ iſta nouitas eſſet, aut quid boni, malíve portenderet.*

b §. 63. & 64.

3. *In chriſtinum venientes Monachi ad eandem villam baptizauerunt ibi promiſcui ſexus turbam copioſam. Tunc vero cunctis fidelibus manifeſte innotuit quia tumultus ille nocturnus nihil aliud extitit niſi Dæmonum legiones ab obſeſſis hominibus, increpente Domino, fugientes, qui Beatorum Angelorum præſentiam, & Sancti Spiritus aduentum ſuſtinere non poterant. De qua re multum in Domino conſolati ſunt vniuerſi, præcipuè vero Neophyti illi, qui ab immunda damnatione fuerant liberati. Quædam mulier gentilis cœtui fidelium mixta, caſu aſperſa eſt aqua benedicta; quam ſentiens, & multum abhorrens, protinus ſenſit dolorem, & ardorem intolerabilem, ac ſi collo tenus fuiſſet immerſa in Caldariam aquæ bullientis; quæ cum diutiſſime cruciaretur, & inuocaret ad opem idola ſua, nec incendium minueretur, ſed potius ageretur, tandem vexatio illa dedit ei intellectum, & cognouit in veritate, quia non eſſet ei ſalus in Diis, vnde inuocato nomine Saluatoris, & percepto lauacro ſalutari, ſalutem corporis, & animæ ſine mora percepit, & ita fidelis effecta, coniuncta eſt fidelium turmis.* Hactenus, qui Exordium magnũ produxit coæuus author. 3.

4. Quo anno aſſumptus? ignotum hactenus nobis. Conſtat hoc, neque recens tunc promotum præſediſſe Antiochiæ Venerabilem Petrum, qui, vt ipſe ait, ab infantia in Ciſtertio nutritus, ſuaue religionis iugum tolerauiſſet. Hunc cum per obedientiam Innocentius acceptare compelleret, vnam tantam excepit conditionem, à Ciſtercio auellendus, vt Ciſtercium, qua poſſet illuc adduceret ſibi, in ſolatium ſimul, & adiutorium, non reformandis illius tractus cœnobiis, ſi in eius leges, & iura tranſire vellent. Conſtat id ex ipſius quibuſdam litteris relatis à Gregorio Papa nono in Epiſtola ad Albertum Antiochenum (Petri ipſius ſucceſſorem) in qua introducitur loquens in hæc verba. [c] *Petrus Dei gratia, Sanctæ, & Apoſtolicæ Sedis Antiochenæ Patriarcha, cum ad ſuſcipiendum onus regiminis Sanctæ Sedis Antiochenæ, nos licet immeritos, & inuitos, per diſtricta mandata Sedes Apoſtolica compuliſſet, ſuper eo, quod nos vergentes in ſenium grauabat plurimum à Ciſtercienſis Ordinis Societate, in qua nutrito eramus ab adoleſcentia, in longinquis partibus ſegregari, vna cum Beatiſſimo Patre noſtro ſummo Pontifice, viua voce familiariter conferentes, tandem ab eo meruimus impetrare, quod ſi qua de Abbatiis Nigræ Montanæ Ordini Ciſtercienſi vellet incorporari, nos eius aſſenſu, & authoritate poſſemus concedere, ac firmare.* Hæc Petrus loquens de ſua promotione.

c In Regeſt. Greg. 9.

5 Ergo, qui talia ab initio proposuisset, hoc tandem anno nactus occasionem, concessa sibi ab Innocentio facultate,& Abbatis, atque conuentus Cœnobij de ubino (quod in partibus illis illustre erat) consensu vsus cum reuera indigeret reformatione, reformari ad Cistercium, & Monachos adducendos, ex Firmitate (propria fortasse domo) per quos institueretur, deliberauit, Res vtrique Capitulo proposita, Cistercienſi nimirum, & Antiocheno, atque ab illo impetrati facile Monachi, qui locum, gentem, & mores considerarent; & si ita expedire videretur, contractui assisterent, non nisi caute cum Græcis ineundo, sed in Petrum secure reuocando. Canonicorum difficilior consensus fuit, & exquisitæ nonnullæ conditiones, quæ rem turbarunt, & nisi Petrus ab eis retrocessisset, omnino suo desiderio frustrandus esset. Prima pars constat ex eisdem ipsis litteris, quæ ita prosequuntur designantes in fine sequentem annum. [d] *Post aliquanta itaque nostri Patriarchatus tempora, Venerabilis Abbas de Iubino, cum quibusdam fratribus, de consensu aliorum ferè omnium, ad nos accedens, postulauit humiliter, ac deuote, vt Abbatiam Iubinensem, quæ multum egebat Ordinis disciplina; sub prædicto pateremur Ordine salubriter in melius reformari. Nos vero, licet ex tota dilectione, & affectione deuotionis Præfatum Ordinem in vera Charitatis visceribus amplexemur; pensantes tamen Ecclesiæ Antiochenæ necessitates, cui, Domino authore, quamuis immeriti præsidemus, quam inter cæteras, & præ cæteris magis honorare, & diligere tenemur; sic prædictorum petitiones duximus admittendas; ne quod pro bono vnius fieret, redundaret in alterius detrimentum. Considerantes igitur religionis argumentum, apud Iubinum, sed nihilominus Antiochenæ Ecclesiæ in quibusdam commodi temporalis iacturam, & Patriarchalis iurisdictionis, in aliquibus diminutionem; cum dilectis filiis Antiocheno Capitulo, & Canonicis deliberatione habita diligenti, de maioris, & sanioris partis consilio concessimus prænominatam Abbatiam Ordini Cistercienſi subiacere.*

d *vbi suprà.*

6. *Sub hoc modo, videlicet, quod Abbas, & eius successores, nobis, nostrisque successoribus obedientiam faciant manualem; & si Antiochena Ecclesia necesse habuerit, vel à Patriarcha, & à suo Capitulo præuisum fuerit, pro communi terræ commodo, vltra, vel citra mare, Abbatem, vel suos Fratres in expensis propriis laborare; ipsi ad hoc iuxta consuetudinem, & statuta Cistercienſis Ordinis, contradictione postposita tenebuntur. Ordinationes quoque, & consecrationes, Ecclesiarum, & cætera huiusmodi spiritualia, ab Antiochena recipient Ecclesia.* Pergit deinde ad solutionem decimarum eamque Capituli Generalis decreto, præcedenti anno expedito conformem statuit, & tandem concludit. *Hæc siquidem omnia, sicut supra scripta sunt, tuenda inuiolabiliter, & seruanda Abbas & conuentus de Iubino præsentibus, & consentientibus Monachis, & fratribus Cistercienſibus, qui à Generali Capitulo ad ipsam Abbatiam in sua societate recipiendam, specialiter missi erant, firmiter promiserunt, & vnanimiter consenserunt. Datum, & actum anno Dominicæ Incarnationis, millesimo, ducentesimo, quarto decimo, Indictione prima coram fratribus apud Abbatiam Subirnensem vndecimo Kalendas Aprilis.* Hæc ad hunc annum constantia per instrumentum.

Reliqua ex his, quæ sub Gregorio nono, & Petri successore tractata sunt, facilè nobis erit coniectari. Qui missi fuerant ad Arnaldum parentem reduces pacta conuenta produnt, & conditiones, quibus consensissent, quod à Patriarcha, cui fidere deberent, subiectæ essent, proponunt. Verum Arnaldus indignum omnino ratus, quod Cistercienſes Monachi arbitrio Clericorum sæcularium subiicerentur, nec solum Græcorum dolis expositi, qui semper cauendi, sed voluntati obnoxij, qui sub honesto communis boni prætextu, huc, illúcque ab eisdem trahi possent; conditiones repellendas omnino censuit. Quin ad Patriarcham, velut ad oblitum Cistercij iura, quæ nihilominus deberet meminisse, adeo seueras, & graues litteras dedit, vt ipse statim à præfatis conditionibus resilierit, missis ad Galliam nuntiis, qui de præteritis veniam postularent, futura omnia emendanda pollicerentur, obiterque, quod impense optabat, Monachos adduceret, qui in Iubino Cistercium plantare possent. An reuocationi præbuerit consensum Antiochenæ Capitulum Ecclesiæ? in dubio est; Constat, conditiones repetitas, à successore excitasse sub Gregorio nono litem, cui hæc debemus; quæ, quia proprium locum ibidem habet, in eum integram placet reseruare, nunc quædam alia minus honorifica (si tamen vera) sed non ideo occultanda proferamus. 7.

Peridem tempus, de Abbate Locedienſi (dubium Oglero adhuc, an successore?) & Monachis, ab eo in Græciam missis, ad Monasterium Sanctæ Mariæ de Cortaco, quod tomo præcedenti, [e] Græcis eiectis, siue vltro fugientibus, nostris à Marchione Montisferrati, datum commemorauimus, graues querelæ pulsarunt aures Pontificis, quasi subditi, non Monachi, sed fures, non Pastores, sed Lupi, non Patres, sed prædones inuenirentur. Vera ne hæc, aut falsa relatione prodita sint? Non temere quis audeat affirmare. Et vt qui querebantur Græci essent, in quos suspicio doli; de quibus querebantur Cistercienſes, pro quibus præsumendum illis temporibus: at his degenerare facile fuit; præcipuè terra, marique remotis ab his, per quos potuissent & coërceri: & si decima ex parte, verum erat, quod de eis dicebatur, satis supérque Græcos excusaret. Certè Innocentius impendendum iudicium censuit, atque altè inquirendam veritatem, velut in re, quam ita non credebat, vt tamen verè contingere potuisse non dubitaret. Ea inquisitio Cardinali Episcopo Albanensi, qui tunc Legatum agebat in illis partibus, inuenitur commissa, nec quid inuenerit, adhuc in aperto. Nos satis fidei, historiæque faciemus, si litteras Pontificis, cum insertis querelis, provt ab eo sunt scriptæ, propalabimus, postmodum autem, quod coniectari cet, ex ipsomet euentu subiiciemus. Litteræ ita habent. [f] 8.

e *An M.CC. IV. cap. 9. num. 1.*

Albanensi Episcopo Apostolicæ Sedis Legato. Ex relatione dilecti filij Abbatis, & Monachorum Monasterij Sanctæ Mariæ de Cortaco Thessalonicensis Diœcesis, nos, noueritis, accepisse, quod cum ipsorum Monasterium, sicut, & alia multa iuxta morem patriæ à iurisdictione quorumlibet Ecclesiasticorum Prælatorum exemptum fuerit ab antiquo, & soli Constantinopolitano Imperatori subiectum, tanta quondam bonorum affluentia redundabat,

f *Lib. 16. Epist. 162.* 9.

dundabat, quod idem magna temporalium vbertate refertum, & iucunda spiritualium venustate præclarum, ducentorum Monachorum collegium sustentabat. Sed olim claræ memoriæ Marchione Montisferratis partium illarum, sicut Domino placuit, Dominium obtinente, ipsisque à facie hominum fugientibus in solitudinem præ timore; P. Abbas Locedij Cisterciensis Ordinis ab eodem Marchione dari sibi dictum Monasterium interim impetrauit; & ipsius Ecclesiæ præsumens infringere libertates G. Monachum suum instituit in eodem, qui tanquam lupus rapax, & prædo crudelis, ablatis Thesauro, & omnibus Ecclesiæ ipsius ornamentis, venditisque victualibus, & cæteris bonis, quibus ipsa Ecclesia copiosissimè affluebat, exinde furtiuè recessit; nec quæsitus à Marchione, vt pœnas solueret de commissis, potuit inueniri.

10. *Verùm quia peccatis exigentibus in his omnibus auersus furor Domini nondum erat, sed ad percutiendum extenta fortius manus eius, pessimus successit iniquo. Nam R. Monachus de Locedio tunc temporis superueniens, & nequiter se humilians, cum interiora eius existerent plena dolo, ac se in lucis Angelum transfigurans, ab eodem Marchione obtinuit Monasterij custodiam ante dicti, cuius iniquitas postmodum tanta fuit, vt prioris prædonis non videretur frater, vel discipulus, sed Magister. Nempe cellis dirutis, & domibus desolatis, ac eradicato quodam funditus olineto, quod repræsentabat quodammodo terrestris delicias Paradisi, tanquam mercator improbus, ligna vendebat clibanis impudenter. Nec sic tamen potuit eius inexpleta cupiditas satiari, quin omnibus animalibus venditis, & inique distractis, ita consumpserit omnia bona domus, quod nouissimi exactoris crudelitas priore peior exitit in vniuersum, quia lupi rapacitas præcedentis subsequentis respectu somnium potuit reputari.*

11. *Cúmque ad aures Marchionis hæc omnia peruenissent, idem considerans, se fore à dictis Monachis circumuentum, & dolens per se factam ruinam miserabilem tantæ domus, exinde dictum Monachũ expelli præcepit & supradicto Abbate, & Monachis conuocatis, ipsis Monasterium disposuit resignare perpetuo possidendum. Sed eodem morte præuento, Clarissimus Filius Noster H. Imperator Constantinopolitanus illustris, cui præmissa constabant, ipsos restituit in eodem, confirmans postmodum factum suum priuilegio aurea Bulla munito. Porro cum ipsi nihil inuenissent ibidem, vnde possent, vnius diei esuriem saturare, ac propter hoc ad elemosynarum suffragia conuolantes, multa ibidem denuo congregassent, pestis alia superuenit quorundam videlicet Monachorum de Locediis, qui se spoliatos dicto Monasterio asserentes, autoritate litterarum nostrarum, se in ipsos restitui, & exinde Monachos Græcos expelli fecerunt, quibus ob reuerentiam Apostolici mandati non fuit ausus Imperator contradicere. Cum igitur tantæ calamitatis immensitas, non solum ad compatiendum corda mouere, sed auribus horrorem incutere debeat ex auditu, nobis humiliter supplicarunt, vt tantis ipsorum miseriis, atque malis finem imponere dignaremur, sub nostra protectione suscipientes eosdem, & à dicto Monasterio electis eisdem maligris inuasoribus memoratis, ipsos in eodem restitui faceremus, & pacifica possessione gaudere.*

Quia vero nobis non constitit de præmissis, Fraternitatis tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita plenius, & cognita veritate authoritate nostra super iis statuas, & disponas, quæ secundum Deum videris expedire, contradictores, si qui fuerint, & rebelles, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Tu denique Frater Episcope, super te ipso, &c. Datum Laterani 2. idus Ianuarij Pontificatus nostri anno XVI. 12. Hæc summus Pontifex ex Græcorum relatione, quam, vtrùm vera, vel ex parte esset, an falsa penitus, non immerito in dubium reuocauit, ac piè inspiciendum Legato suo remisit. Aliquod fundamentum habuisse, credibile est. Quis enim tot, ac tanta sine illo coram summo Pontifice imponeret? Haud tamen tale, ex quo Cœnobium restituendum Græcis iudicaretur. Certè Abbatia firma Locedio mansit, atque inter eius filias memoratur, quod videbimus infrà. Priores litteras Innocentij Papæ, quibus Cœnobium restitui Locedienſibus, non ad eorum, sed ad instantiam Marchionis Montisferrati antea iussisset, inter alias vulgauit Franciscus Boschetus, datas Laterani octauo Kalendas Iunij Pontificatus ipsius anno XV. Christi M. CC. XII. Nisi quod in eis non de Cortaco, sed de Curiat Monasterium cognominatur, quod tamen idem constat ex circumstantiis: sed de his satis. Nunc quædam nobis extero-Domestica recensenda se offerunt, sine quibus Annales constare nequeunt.

---

1. *Expugnata Alcantara, & donata Calatrauensibus:* 2. *quos ingens fames vexat.* 3. *Animaduersus error recentiorum.* 4. *Alfonsi Magni Castellæ Regis mors?* 5. *sepultura in Huelgensi Monasterio;* 6. *ad quod funus deductum.* 7. *Translatio corporis, & signa Sanctitatis.* 8. *Eleonoræ Reginæ secutus obitus, atque opera vtriusque satis magnifica.* 10. *In Lusitania Alfonsus absolutus.* 11. *sed spoliatus arcibus, & ingentis pecuniæ summa mulctatus, iterum interpellat summum Pontificem.*

CAPVT QVINTVM.

1. HOc, an præterito anno? non satis constat; altero certè, Alfonsus Castellæ Rex, quietis impatiens, atque extirpandis Hispaniæ Sarracenis semper intentus. *Congregato exercitu* (ait Rodericus Toletanus a) *Castrum Dominorum impugnatum machinis occupauit, & restituit, quorum fuerat, Fratribus Calatraua.* Nec multò pòst. *Cùm Aldefonso Rege Legionensi,*

a *Lib. 8. cap. 13.*

olim genero, fœdus initum innouauit, & restituit ei Rex Castellæ Carpium, & Montem Regalem, vt dirutæ, de cætero non starent. Et dato ei in auxilium Didaco Lupi de Pharo, Magnate nobili, & potente, Reges pariter condixerunt, vt vterque per confinia Regni sui exercitum duceret contra Maures: & Rex Legionensis in eo introitu cepit Alcantaram, munitionem nobilem, quam dedit

postea Fratribus Calatrauæ. Crediderim Calatrauenſes cum Legionenſi Alfonſo ad bellum miſſos, adeò ſe ſtrenuos in hoſtes exhibuiſſe, vt eo præmio digni habiti fuerint. Alias arci à paganis cuſtodiendæ, quis putet omittendos Sant-Iulianeos eiuſdem Regis ſubditos. vt alienigenæ expugnatæ tunc Vrbi præficerentur? Rades Andradius in vtroque [b] Chronico, Calatrauenſium nimirum, Alcantarenſiumque, [b] author exiſtit, datam primis ſub pacto arcem Alcantaræ, vt ibidem conuentum Fratrum haberent, Calatrauenſi ſimilem, in quo Conuerſi, Capellanique; illi militiæ, hi Sacris mancipati, ſub Priore aſſiſterent, vt Sarracenorum incurſibus oppoſiti, murum ſeſe præſtarent fideli populo. Addit de facto impletam conditionem, & conuentum tranſiniſſum, qui vſque ad annum M. CC XVIII. Alcantaræ conſiſtens, Calatrauenſem militiam propagauit.

b *Calat. cap. 16.* b *Alcantar. cap. 4.*

2. Eodem anno in ipſa Calatraua, laboratum fame; victualibus adeo deficientibus, vt niſi Rodericus Toletanus ſubueniſſet egenis, religioſi æque ac ſeruientes ſæculares conſumpti eſſent. Compulerat Alfonſum Caſtellanum non multo ante componere cum Mauris apud Beaziam: Verùm cum latius adhuc deſæuiret, Calatrauam inuaſit, eodem Roderico ita ſcribente.[c] *Cum Diu Beatiæ obſidio traheretur, nec à patria victualia portarentur omnibus fere fame deficientibus, ſuorum Conſilio Rex nobilis tregua cum Arabibus reformata, rediit Calatrauam: & cum Fratres, & ſæculares, qui inibi morabantur, fame, & inedia laborarent, Magnates, & milites, & cæteri populorum, prout vnuſquiſque potuit, ſubuenerunt, ſicut tanta aduerſitas tolerabat. Rodericus etiam Toletanus Pontifex attendens Verbum Ioannis Apoſtoli;* [c] *Qui viderit Fratrem ſuum neceſſitatem habentem, & clauſerit viſcera miſericordiæ ſuæ, quomodo Dei Charitas eſt in illo? Et item dicit ſcriptura:* [d] *Paſce fame morientem, quem niſi paueris occidiſti. Totum argentum, quod apud ſe potuit inuenire Fratribus erogauit. Et ne Caſtra frontariæ remanerent habitatoribus deſtituta, elegit ipſe cum indigentibus indigere, & cum Fratribus in terræ ſolatium, & ſubſidium eo tempore remanere. Rege itaque cum exercitu ad patriam redeunte, prædictus Pontifex omnibus ſæcularibus remanentibus Calatrauæ, à Feſto Epiphaniæ, vſque ad octauas Sancti Ioannis omni die edulium miniſtrauit. Sed in quadrageſima ad tantæ neceſſitatis anguſtias peruenerunt, quod ipſe Pontifex cum Fratrum Capitulo potius carnes comedere, quàm terram deſerere decreuerunt, niſi Dominus aliter prouideret. Sed Dei abundantia pietatis miſericorditer ſic prouidit, vt prædicto Pontifici alimonia non deeſſet. & Fratrum indigentiam ſupportaret, vſque in diem, qua terra Domini dimittibus, & pauperibus fructum dedit.* Hactenus concernentia Calatrauam, quæ, quia mortem Alfonſi præceſſerunt, hic nobis etiam venerunt præiacienda.

c 1. *Ioan.* 3

d *S. Ambroſ. lib. 1. de offic. vt refertur in cap. Paſce* 85. *diſtinct.*

3. Addiderim (quia de ea ſemel egimus) adnotare errorem, qui in diffinitionibus vulgatis anno M. D. L XXVI. oſcitantia collectoris irrepens ad cæteras pertranſiit, tranſibitque, donec ſit, qui aduertat, atque emendet. Is eſt in litteris Innocentij Papæ III. confirmantibus Ordinem, quæ hoc anno expeditæ eſſe dicuntur.[d] *Romæ apud Sanctum Petrum per manum Bernardi Acolyti, & Capellani Domini Innocentij Papæ III. tertiodecimo Kalendas Iunij Indictione II. anno Incarnationis Domini M. C C. XIV. Pontificatus ipſius Domini Innocentij anno XVII.* Ita in litteris. Tamen ex eis conſtat expeditas, cum adhuc Fratres apud Saluaterram demorarentur. *Locum, inquiunt, de Saluaterra, in quo ad ſeruiendum Deo, Diuino eſtis obſequio mancipati ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, &c.* Quare cum procul dubio certum ſit antè hunc annum reuerſos ad Calatrauam, relinquitur corrigendus apertus error, qui alias difficile valeat excuſari. Maximè cum in aliis diffinitionibus vulgatis anno M. D. L X. VIII. quas Michaël Maranonius; Vir ſanè doctus, & ab inſigni illuſtrique Doctore Martino Azpilcueta Nauarro multum laudatus, Capituli Generalis iuſſu collegit; eædem litteræ inueniantur ſcriptæ ſub propria data, anni nimirum M. C. X C. IX. quo eodem à nobis deſcriptæ ſupra, ab Henriquez[e] in antecedenti expeditæ commemorantur. Sed hæc nobis ſufficiat indicaſſe.

d *Cap. 5.*

e *tom. 2. Menolo.*

4. Nunc Magni Principis lugendum orbi funus, in paruo oppido veteris Caſtellæ, indéque Burgos ad Huelgenſe Cœnobium Virginum, quod permagnificum ipſe condidiſſet, & tot prærogatiuis ampliaſſet, Regio faſtu deductum, eiuſdem Roderici Toletani,[f] qui cunctis affuit, verbis proſequamur. *Conſummatis autem quinquaginta tribus annis in Regno, Rex nobilis Aldefonſus generum ſuum Regem Portugaliæ ad colloquium conuocauit. Cumque eſſet in procinctu itineris eundi Placentiam, vltimam ſui Dominij Ciuitatem, in Aldea quadam Arenali, quæ dicitur Guterrius Munionis, cœpit grauiter infirmari. Vbi demum febri correptus, vitam finiuit, & ſeuum gloriam Caſtellæ ſepeliuit, facta prius confeſſione Roderico Pontifici, & ſumptò Summi Viatici Sacramento, aſſiſtentibus Epiſcopis Tellio Palentino, & Dominico Placentinenſi. Sequenti die in præſentia Aleonor Vxoris ſuæ Chariſſimæ, & Reginæ Berengariæ filiæ ſuæ dulciſſimæ; cum Enrico Filio, & Aleonor Filia, & nepotibus ſuis Fernando, & Alfonſo in ætate conſiſtentibus puerili æra M. CC. L. II. in die Fidis Virginis ſecunda Feria, decimo Kalendas Octobris, non plenus dierum, ſed virtutibus, & honore, Beatum Spiritum, ſuo, qui dederat, reſtituit Creatori. Et factus eſt luctus omnium, & deſolatio Magnatum, nec non & omnium populorum.*

f *Lib. 8. c. 15.*

5. *Et corpore eius in decenti Sarcophago collocato, ea die peruenimus Vallemoletum. Deinde ex omnibus Regni partibus, Pontifices, & Abbates Religioſi, & ſæculares, milites, & Magnates, humiles, & maiores, ad exequias tanti funeris deuenerunt. Sic enim corda hominum vulnerauit relatio mortis eius, quaſi quilibet improuiſæ ſagittæ iaculo feriretur. Sic enim ſtrenuitas, largitas, curialitas, ſapientia, & modeſtia eum ſibi ab infantia vindicarant, vt poſt mortem eius ſepulta credantur omnia cum ſepulto. Omnes enim non tantum in ſuis, ſed in aliis Hiſpaniæ finibus effrenatis ſtudiis, & laxatis habenis licentiæ, quod buit abierunt, & nihil ſibi retinuerunt cum Theſauros verecundiæ amiſerunt. Sepultus eſt autem in Regali Monaſterio propè Burgis à Roderico Toletano, Tellio Palentino, Roderico Segontinenſi, Menendo Oxomenſi, Girardo Segouienſi Epiſcopis, & aliis religioſis, officioſa obſequia funeris filia eius Regina Berengaria impendente: quæ tanto dolore eius exequias conſumma*

consummauit, quod ferè dilaceratione, & lachrymis se extinxit. Et sicut in vita Regnum virtutibus adimpleuit, sic in morte totam Hispaniam, imò mundum lachrymis madefecit. Sepultus est autem in prædicto Monasterio à Pontificibus supradictis, vbi laudum eius præconia, nec inuidia, nec obliuio poterit abolere. Hæc Rodericus.

6. Ioannes Mariana in sua Historia notat. g *Vim morbi alioqui grauissimi auxisse vehementer nuncium à Lusitano Rege missum, Placentiam se venturum negante, atque ad vtriusque Regni fines, si tanti esset, accessurum pollicente.* Quod in Rege magnanimo vix credam, quamuis & spreta Maiestas à subæqualibus ingentia etiam pectora solicitat, quò sublimiora, eò magis obnoxia æmulationibus. Idem Mariana in Roderico Toletano per errorem notauit, irrepsisse oppidi nomen Gutierre Munionis, cum potius Garsi Munozium dicendum foret. Verum & ipse castigatione eget in hac parte; nec enim Garsias, sed Martinus Munozius nomen dedit, exiguo aliàs oppidulo, vulgo *Martin Munos*, quod Regis inclyti funus nobilitauit. In Huelguensi Cœnobio turbata omnia, & gloria mixta lacrymis, Moniales simul torquebat, & delectabat. Alfonso mortuo, quid sibi vltra sperandum? Sed & Alfonso inter ipsas sepulto, quid iam timendum? Quippe Principe æquè sancto, & inclyto; cuius, qui mortui Maiestatem contemneret, reuereretur numen; qui numen sperneret, gloriam saltim nominis, & gestorum memoriam veneraretur. Alfonsi morte iactura nulla acerbior. Sed cum tot, tantáque ab ipso accepissent, non vllum donum maius Alfonsi corpore. Dederat viuens quæcunque extra se potuit; in morte seipsum: atque hoc vltimum amoris ostentamentum lacrymas extorquebat, frenabatque, amisso Rege, Domino, Patrono, sed quem sciebant non forè permansurum; & acquisito qualicunque pignore, quod non vltra amittendum formidarent.

g *Lib.12.c 3.*

7. Corpus, primùm in Capella secretiori sepultum est, inde per Regem Ferdinandum cognomento Sanctum Alfonsi nepotem, ad medium Chori translatum Sanctimonialium; tumulo à terra parumper eleuato; vbi Virgines Sacræ congregatæ ex more officia celebraturæ, non vnquam Deum alloqui, quin ipsum adspiciant; non ipsum intueri possint, quin Deum videant in altari præsentem, & propitiabilem. Idem cum transferendum detegeretur, incorruptum inuentum, atque eum ex se spirans odorem, qui non nisi Cœlestis crederetur. Eadem porrò fragrantia, & incorruptio comprobata nuperimè, cum anno M. D. LXXXVII. Sebastianus Perezius Oxomensis Episcopus, Sacrum illud Cœnobium, & in eo venerandum Regis sepulchrum, iussu Philippi secundi visitaret. Quin gloriam eius reuelatam Sancto Vincentio, atque publicè ab ipso prædicatam in eadem Ecclesia; vnde excitata fidelium deuotione per miracula etiam innotuisse in litteris Vrbani Octaui Papæ expressum video, quas ad Annæ Austriacæ instantiam (tum Abbatissæ Cœnobij supradicti) miraculis eisdem comprobandis expediri mandauit, circa annum Christi M. D. C. XXIV. vt verè eundem in Cœlis protectorem, patronumque obtinuisse credantur, quem habuissent in terris: nec amisisse iudicandæ sint, sed ad Regnum sublimius transmisisse.

8. Alfonsum breui Eleonora Regina sequuta est, fato, an dolore? intra mensem sublata post casum Viri (nam cecidit Alfonsus captus amore mulieris Hebrææ) neque in morte ab ipso diuidenda: consepulta marito simili pompa luctum luctui coniunxit aut cumulauit. De eius morte, sepulturáque, hæc Lucas Diaconus. h *Regina verò Aleonor expletis post mortem Viri sui, viginti septem diebus, Burgis mortua est, & sepulta circa Virum suum.* Paulò diffusius Ioannes Mariana. i *Regina pridie Kalendas Nouembris die Veneris extincta est Burgis. Dolor, quem de Viri obitu ceperat, mortem accelarasse visus est, cum quo coniunctissimè vixit, morte, sepulchróque iuncta est, nepotibus fœlicior, quam filiis.* Verè nepotibus, quam filiis fœlicior vterque coniux, quippe, qui ex filiis Ferdinandum, Henricumque; alterum præmisisset ad sepulturam (Principem Ferdinandum:) præuenit alterum, quem vndecimum annum vix agentem hæredem reliquit, sed intra breue tempus sequuturum: Nepores ex filiabus duos susceperit, terrena gloria, an Cœlesti? potiores: ex Berengaria nimirum Ferdinandum; ex Blanca, Ludouicum; vtrumque Sanctum, vtrumque inclytum Regem, illúmque qui Regna Legionis, & Castellæ glorioſus vniuit, atque Hispalim expugnauit à Sarracenis: hunc Galliæ & totius Ecclesiæ gloriam, ac post coronam Regni temporalis, tandem ab ea adscribendum Cœlestium numero.

h *Ad Eram M.CC.L.II.*

i *Lib.12.c.3.*

9. In eisdem Vrbani Octaui litteris scriptum video, Alfonsum Eleonoramque, antequam decederent, duo, & triginta Monasteria nostris fundasse, nimirum Monachis octo supra decem, Monialibus quatuordecim, præter Xenodochium, seu Hospitale Regium, per conuersos Cistercij administrandum, quod Abbatissæ Huelguensi subiectum voluit. Sanè quod attinet ad Cœnobia Monachorum, multa illos construxisse compertum est; multa ab auo constructa locupletasse. De Monialibus suspectum mihi facit, quod videam nullum ab eo conditum esse, quod non subiectum Huelguensi Monasterio; porrò ex subiectis (quæ nequaquam pertingunt ad eum numerum) constat nonnulla ab aliis ædificata, quod supra vidimus: quædam post Alfonsi, & Aleonoræ mortem cœpisse, quod in sequentibus fusius declarabimus. Multa alia fecere prædicti Reges, quæ prosequi, nec vacat, nec ratio exigit præsentis instituti. Alfonso in Regno successit Henricus huius nominis primus, ætate Puer: sed, vt dixi, non diu superuicturus.

10. Sub huius item anni initium contigit, delegatos ab Innocentio tertio Iudices in causa Alfonsi Regis Lusitani, sororúmque, Abbates de Spina, & de Vrsaria aduenire Conimbricam, Pontificia mandata prætedenti expedita exequuturos. Sponte nè, an eisdem compellentibus, reddiderit Tarasiæ, Sanctiæque Montem maiorem Alfonsus, & Alanquerium? in dubio est. Constat, cum postea Templariorum fidei committi Innocentius iuberet, non ab Alfonso tradenda, sed à sororibus in Bullis Pontificiis memorari, quas sequenti anno dabimus: vt indè facilè coniectari liceat restitutas hoc tempore, antequam Rex ab excommunicatione, Regnum ab interdicto liberarentur. Redditis arcibus, & iuramento præstito de parendo Pontifici, nihil vltra recusantem Alfonsum absoluerunt Abbates: eiusque absolutionis testimonium

scripto mandarunt, quod, provt ex publicis Regni tabulariis à Brandaonio transcriptum [k] circunfertur, hæc verba continet. *In Dei nomine. Notum sit præsentibus, & futuris, quod nos L. de Vrsaria, & A. de Spina dicti Abbates, Iudices à Domino Papa delegati in causa, quæ versatur inter A. illustrem Regem Portugaliæ ex vna parte, & T. & S. sorores eius ex altera, præstito ab eodem Rege corporaliter iuramento, & recepto à nobis secundum formam Apostolici rescripti, absoluimus prædictum Regem, & absolutum denunciamus ab omni vinculo excommunicationis; & relaxamus omnes interdicti sententias, quibus prædictus Rex, & eius Regnum excommunicationis, & interdicti vinculo tenebantur. Datum apud Colimbriam Dominica in septuagesima, æra M. CC. L. II.*

k *Lib. 13. c. 4*

11. Laborandum deinde fuit Abbatibus in æstimandis iniuriis, damnisque, quæ vtrique accepissent, & quæ pars alteram iniustè prouocasset: quod antè omnia necessarium videbatur, vt secundam suæ legationis partem exequerentur. Multa à Rege allegata, multa à sororibus, producti testes, & euentus omnes discussi. Tamen perpensis momentis totius causæ, hæc Iudicis vtriusque sententia [l] fuit *Quod Rex pro damnis, & iniuriis manifestis vtrique sorori illatis (nam de eis tantum iudicare concessum erat) centum quinquaginta millia aureorum eisdem solueret.* Ingentem summam, si tempus illud attendas, & quæ vel hodie non exigua iudicaretur. Illud mirabile, quod appellantem Regem à tam grandi grauamine, maximè, quia Innocentius præcepisset, in rebus dubiis ad ipsum recurrendum: nihilominus soluere iusserunt, quasi qui nihil dubium in tanto debito, nil controuersum, aut anceps reperirent. In recusantem taxatam mulctam promere anathema de nouo indictum est; vt verè non ablatum, sed interruptum, idque ad breue tempus videri posset. Hinc Innocentius rursus adeundus, & tam de facta oppidorum restitutione, quam de summa pecuniæ solui iussa interpellandus iterùm: atque iterùm missi ad curiam procuratores; pro parte Regis, Mediolanensis quidam iurisconsultus, ingentis Vir ingenij, facundiæque: Pro Sanctia, atque Tarasia, R. Hispanus, Benedictinus Monachus, ex veteri Cœnobio Cellæ Nouæ. Forsan, qui se auderet Regi opponere, nullus iuris peritus, imo nec sæcularis inuentus est: adeò iidem homines semper, & iidem mores. Ergo hi duo Romam profecti sunt. Cæterùm quid vterque ibidem fecerit, & qualiter Rex tandem, si non per omnia, ex parte prævaluerit, longas licet post moras, anno M. CC XVI. quo prodiit iudicium ab Innocentio, Deo dante, commodius referemus.

l *apud Brandaonio. vbi supr.*

---

1. *Consummato Cœnobio montis Lanæ, 2. Sancta Francha Cistercium profitetur. 3. Placentini interdicti propter bella, 4. lacrymis eius vtramque pacem impetrant. 5. In Hispania Sanctus Bernardus Caluonius habitum suscipit. 6. Epistola Francisci Abbatis, ad Galcerandum Viquensem, 7. de eius actis. 8. studia Sancti ante habitum assumptum. 9. Parentum, propinquorumque suasiones. 10. Qualiter tandem eorum laqueos euaserit?*

CAPVT SEXTVM.

1. IN monte Lana cœptum Monasterium adaptatum, vtcunque Moniales suscepit, Carentiam fundatricem, cum aliis nouem, queis data Francha in Magistram, & Abbatissam, optato tandem Cistercio potitura. Indutæ omnes Sacris, & albis vestibus, ab Abbate Columbæ; sub cuius obedientia nouum illud sponsarum Christi Collegium instruebatur. Francha etiam per vota sacrata denuo, promissa stabilitate, perseuerantiáque, in Sanctæ regulæ strictiori (cui adhærebat Cistercium) obseruatione. Inter reliquas iniunctum, & Carentiæ Priorissæ officium, seu quia ætate, prudentiáque maturior, seu quia docta Cistercium in alia domo, cæteris instruendis aptior iudicabatur. Doluere Moniales Sancti Syri iacturam Matris, necnon & ipsa doluit orbari filiis, quas Christo genuisset: à quibus post tot annos Sancti conuictus, maternam pietatem præseferentem solus amor Cistercij separaret. Prouisum tamen vtrarumque teneritudine: & datum Franchæ, vt in monte Lanæ viueret, desideratos ritus accepturа; sed nihilominus indultum filiabus, vt sub eiusdem imperio remanerent, atque è nouo cœnobio montis Lanæ, gubernaret antiquum, nunquam, dum viueret, ab eius obedientia discessurum. Ita Petrus Maria Campi in Vita Sanctæ,[a] quod multa etiam instrumenta testificantur.

a *Cap. 6.*

2. Verùm est tamen aliquibus placere Francham, Monialésque in monte Lanæ non antea indutas albas Cistercij vestes, quàm ad Valeriam inde transmigrarent. Quod tamen constat dilatum infra biennium. Mouentur verbis cuiusdam responsorij Cistercienſis officij, in quo id, vtcunque videtur insinuari.[b] *De Lanæ Montis vertice bene consulta condescendit, & cum suis sodalibus, albis indutis vestibus Valeriam se transtulit, in qua mansit per modicum.* Hæc ibi. Quibus verbis indicari videtur Francham, & socias tunc primum albis indutas, cum forent ad Valeriam descensuræ. Verum cum constet in Cœnobio Montis Lanæ induisse Cistercium, longe rationi, exemplisque conformius, in ingressu id, quam in exitu fuisse, Carentia maximè nullam aliam ob causam Rapallum missa, nisi vt Cistercij mores, quos iam ante ardebant, edoceretur; nec biennium, quo ibi moratæ sunt, tam longum internallum censendum est, vt etiam ab ingressu albis indutæ non possint dici, tunc recenter mutasse, cum exierunt. Vtcunque fuerit, quo anno Montis Lanæ, eodem, & Valeriæ Monasterium perfectum est, quod Placentiæ iuxta Gabrielis Archangeli Ecclesiam cœptum ædificari superius diximus. Id ergo hoc anno Moniales etiam accepit, sub eiusdem Abbatis Columbæ, & successorum illius visitatione. Porrò quod tunc à Carentia, & Francha omissum, quæsitum postea; cum locum Montis Lanæ incertum quibus causis,

b *Lectionis 11.*

sis, Moniales importunum experirentur. Quare biennio in eo solum transacto, descenderunt Valeriam, mansuræ ibidem, si non alium aptiorem haberent locum; aut si haberent, in eum transmigraturæ. Sed de his suo loco erit agendum.

3. Inter hæc Placentinis, ac Parmensibus, inuicem in seipsos debacchãtibus, dum primi Ottonis excommunicati ab Innocentio, partes sequuntur: secundi in ipsum eiusque fautores, pro iuribus Ecclesiæ præliantur. Placentini anathemati subiecti, atque à fidelium pro sua contumacia communione præcisi, & siue vincerent, siue vincerentur, spiritualia damna deplorabant. Sensere tamen aduentum nouæ hospitis, sociarúmque, & pace sibi, ac communione reddita, quas incolas acceperant experti sunt, apud Deũ interuentrices. De bellis intestinis ita Sigonius.

c De Regib. Ital. lib. 16. c *Anno M.CC. XXIV. Cremonenses Parmensibus, Regiensibusque assumptis, vt acceptas ab Othonianis vlciscerentur iniurias, cum exercitu in agrum Placentinum introruperunt, ac Castris ad Columbæ Monasterium positis, effuse omnia prædati, se retulerunt. Mediolanenses autem, vt amissi Carrocij decus recuperarent, Placentinis aduocatis, in finem Cremonensium innaserunt, atque ad Zeneuoltam obuios nacti, nonis Septembris acie cum eis congressi sunt. Eo prælio Cremonenses, licet fortissimè dimicarent, tamen incumbentium hostiũ molem sustinere non potuerunt. Quare in fugam versi, plurimis ex suis amissis, proprio etiam Carrocio spoliati sunt. Hæc vero tanta clades, Sicardo Episcopo Cremonensi Authore, tanta fuit, vt nullo vnquam è prælio Cremonenses afflictiore fortuna excessisse, testatus sit. Quo facto Placentini fines eorum libere pernagati illatas sibi populationes fœlicissimè retulere.* Hactenus ibi, atque alia multo plura, quæ apud ipsum, qui volet, videre potest.

4. Non video in hec Authore mentionem fieri Placentinorum reconciliationis, quin bella, & dissensiones vltra progressas, varia, vt solet, fortuna alternante successus vtriusque partis. Cæterũm Petrum Mariam Placentinum Authorem habeo,[d] Ciuitatem anathemati subiectam, & interdicto, precibus tandem Beatæ Franchæ Virginis in vigilia natalis Christi anni sequentis, millesimi nimirum, ducentesimi, & decimiquinti, restitutam fidelium communioni; commissa ab Innocentio absolutione Parmensi Episcopo, litteris datis, quæ hodiéque leguntur in Regestis Oberti Ozolæ Notarij, & quas Placentinæ Ciuitatis Archiuia adhuc conseruant. Itaque vt olim Sanctus Gregorius Magnus cum suis Monachis, pacem Romanis, lacrymis, quam armis stabiliuit, sic tunc Francha cum suis sanctimonialibus spiritualem Placentinis pacem, atque Ecclesiæ vnionem impetrauere; iam veræ ciues, & veræ habitatrices Placentinæ ditionis, propter quas etsi paucas, quia tamen iustas, parcendum esset vniuersæ multitudini. Hæc per anticipationem à nobis dicta, conciliando Lectori, nam reliqua in tempore dicemus.

d Cap 6. vitæ Sanct. Franc.

5. Vt in Italia Francha ad nostros transiens illustrauit Cistercium, sic Bernardus Caluonius in Hispania hoc anno veniens ad Cœnobium sanctarum crucum, ingens haud dubiè incrementum illius fuit. Hic ille Magnus Episcopus Viquensis post annos aliquot Monachatus, & Abbatiæ, quem sanctitate illustrem, atque miraculis certatim ambiunt Catalonia, Valentiáque, illa quod tantum Virum Ecclesiæ dederit, hæc quod sibi elegerit, & spirituali coniugio desponsauerit. Protulit hunc Bernardum Catalonia, Valentia tenuit præsentem corpore vsque ad finem sæculi, spiritu adhæsurum sine fine, quia nescit Charitas terminis arctari, nescit limitibus vitæ contineri. Charitas nunquam excidit. Ergo hoc ingens vtriusque Regni lumen, totius Hispaniæ decus eodem anno illustrasse Cistercium, quo Francha creditur: nisi quod illa ex Moniali, & Abbatissa, hic ex sæculo venit, vterque Sanctus. Et quidem cum Hispania illis temporibus, armis, quàm calamis, sanctitate, quàm scriptis frequentaretur; haud dubium, quin multa Sancti Viri gesta perierint, quæ hos forent annales illustratura. Tamen, quæ ex certa, & probata traditione, in Authorum defectu Franciscus dictus Abbas sanctarũ Crucum, vtipse ait, Galcerando Pontifici Viquensi, ante trecentos annos, Christi nimirum, M.CCC. XXXVIII. cum de Bernardo adscribendo sanctorum Canoni impensius ageretur, scripta reliquit, quibusdam additis ex Antonio Vincentio Dominicano, hic mihi ex more fideliter reddenda. Producam primum Epistolæ initium, quam hodiè vtriusque Ecclesiæ Archiuia seruant, quo maior inde fides dictis accrescat, mox quæ ex ipsa illustrant Sancti vitam, suis locis inserta propalabo. Porro Epistola Abbatis ad Episcopum, quo dixi anno scripta, ita se habet.

6. *Reuerendo in Christo Patri, ac Domino Galcerando Diuina prouidentia Viquensi Episcopo. Frater Franciscus dictus Abbas Monasterij Sanctarum Crucum æternam in Domino salutem.*

Venerandæ Paternitatis vestræ litteras dudum suscepimus reuerenter, inter cætera continentes, quod ex eo, quia Beatus Bernardus, qui fuit Episcopus Viquensis, & Monachus, primo dicti Monasterij sanctarum Crucum, oriundúsque de Manso Calbo Tarraconensis Diœcesis, habetur ibi in magna deuotione, & reuerentia propter miracula multa, quæ Dominus Iesus Christus ibi eius meritis fecit, & operatur. Rogabatis attentius, vt etiam de miraculis, vt intellexeratis, pro eo hic factis, nec non de vita, & actibus eius, prout hic scripta essent, aut scirentur, vos plenarie certiorare vellemus; intendentes ipsum facere canonizari. Quibus, & aliis in dictis litteris vestris contentis, diligenter, & solicitè perlectis, singula pleno percepimus intellectu. Vnde Paternitati vestræ ducimus præsentibus respondendum.

7. *Quod nos cupientes, vt conuenit, tam vota deuotionis vestræ implere, quam Sancti illius merita, quantum humana patitur nostra infirmitas extollere; perquisiuimus, & perquiri fecimus solicitè, & attentè in dicto Monasterio diuersa scrinia, si forte inuenirentur miracula scripta aliqua dicti Sancti, seu vita, vel actus eiusdem. Et inquisitis cum diligentia, inuenimus in quodam libro sermonum Beatæ Mariæ quendam quaternum papireum antiquatum, in quo scripta sunt plura miracula dicti Sancti. Quem quidem quaternum vestræ ducimus Paternitati destinandum, vt de ipsis potius eadem Paternitas legendo possit infirmari. Vltra hæc autem nihil aliud de vita, vel actibus ipsius relatione digna potuimus inuenire; aut scire, nisi ea, quæ inferius continentur.* Hactenus prima

pars illius Epistolæ, quæ de vita Bernardi sæculari nil prorsus habet: de religiosa pauca, ex quibus, quæ sequuntur coniicere facilius, quam affirmare.

8. Parentes illi ex medio hominum genere; quos nec illustris extollere prosapia, nec abiecta deprimere potuisset; opes nec supra, nec infra genus fuere. Cognomen à natali solo sumpsit pro more sæculi. Hinc Caluonius, à Manso Caluo dictus oppido, nec exiguo, nec contemnendo. Ingenium à pueritia acre, & viuidum parentes, vt in studiis exercerent, solicitauit. Parisiis ne, tum celebri Academia, an Tarraconæ intra proprios sibi lares, sacris litteris operam nauarit? in dubio est; & primum illud videtur verosimilius homini Catalano, cui facilis ad Galliam patebat aditus, quo tempore vel à Castellanis remotioribus loco, frequentabatur. Constat, antequam ordinem intraret, Theologum consummatum, & de quo spes haud exiguæ conciperentur. Antonius Vincentius author est, nunquam ad libros nisi ab oratione transire solitum: adeo nihil in eo non religiosum, antequam religiosus, adeo, quæ sciuit, non tam ab hominibus, quam vnctione magistra didicisse credendus est; aurora forsan magna illius solis, Thomæ Aquinatis, atque eius in discendo certus præcursor, qui non alibi melius quæstiones, quam in ipsa oratione, non alias subtiliores docturus erat, quam quæ ad Christi in Cruce pendentis pedes hausisset deuotus, & prius affectu illustratus, quam intellectu. Ergo siue Parisiis, siue in Hispania, hæc Bernardi Caluonij Schola fuit.

9. Cum iam conspicuus ætate, formáque, sed longe magis, doctrina, & religione, multi eum Episcopi ambirent, suis Ecclesiis in Canonicum cooptandum: ipse terrena omnia alte conculcans, nec sitire dignatus nisi cœlestia, ad Monasterium accedens sanctarũ Crucum in Monachũ se admitti postulauit, & facilè obtinuit: congratulantibus sibi Abbate, & Monachis, quod tantus Vir, ac tantæ expectationis, eorum se consortio destinauisset; cuius haud dubiè, & proficerent Doctrina; & sancta conuersatione, etiam in his, quæ docerent, promouerentur. Ea proprietas bonorum spiritualium, communicata crescere; & vbi semen in terram bonam cadit, vel supra spem serentis fructificare. Sed vnde creuit lætitia Monachorum, inde luctus affinium, dum ea mutatione spes frustratas, & quæ per ipsum temporalia bona sibi promiserant, in spiritualia conspicerent transire, quæ non curabant. Se tenues opibus impendisse multa promouendis studiis hominis Dei; & pene exhaustos reputari diuites, qui eius ex tunc affluentia, quam si vellet, haberet, perfruerentur. Haud æquum esse in sæculo vixisse, quandiu oneroſus; cum primum vtilis esse potuisset, ad aliud vitæ genus transuolare. Commoda eis deberi iure naturæ, qui damna senserunt; neque parentes senes, & inualidos, qui illi laborassent, quandiu potuissent; relinquendos tunc orbos, & destitutos, cum iam nec sibi possent, cum solam quietem, & senectam tranquillam præstolarentur.

His, & similibus pulsabant Bernardi animum 10.
retracturi ab incœpto, qui debuissent firmare vel in proposito; cum ecce Iuuenis, siue hærens, dubiusque; quippe deceptus per speciem pietatis; siue fortè irridendis suasoribus, quos compescere seriò non potuisset, per iocum repressit, relicto ad tempus Monachali habitu, sed resumendo statim, neque vsque ad mortem vltra deserendum. Narrat hæc idem qui supra Abbas Franciscus ad Galcerandum scribens in hæc verba. *Audiuimus nos, & multi de Monachis nostris à senioribus, qui non diu defuncti sunt plenius enarrari, quod anno nouitiatus ipsius accidit sibi istud. Cum enim ipse esset litterali scientia sufficienter imbutus, parentes, consanguinei, & amici eius attendentes, quod ex eius scientia, si ipse remaneret in sæculo, possent vtilitatem non modicam, & subsidia reportare multipliciter; cum pluries eum infestassent, vt ordinem, & habitum desereret: consentiendo aliquando eorum suggestionibus, quadam die venit ad ianuam Monasterij, vbi exutus vestibus Ordinis, & indutus laicalibus ornamentis, interrogauit vnum de circunstantibus sæcularem, quales vestes melius sibi erant? qui Diuinitus non dubium inspiratus, respondit, quod vestes Ordinis. Vnde statim abiectis vestibus sæcularibus, & resumptis regularibus, rediuit ad claustrum, ibique quàm sancte, quam honestè, quam laudabiliter se habuerit vitæ successus declarat:* Hactenus de Bernardo Caluonio vsque ad hunc annum. Reliqua suis locis dicenda erunt. Sed iam Cistercio natis ad hunc annum in Italia, & Hispania, tertiam Idam in Belgio subiungamus.

---

1. *Monasterium Kerckem Monialium in Theutonia.* 2. *Virginis Idæ patria, parentésque,* 3. *misericordia,* 4. *amisso Patre, carnales nuptias fugit.* 5. *Inter Virgines degit,* 6. *triennio post elapso Matrem amittit.* 7. *virtutes eius, sed præcipua Charitas.* 8. *Monasterium Kerckem hoc anno intrat.* 9. *Theutonicæ linguæ in principio prorsus ignara.* 10. *Translata domus in Brabantiæ locum, dictum Rameya.* 11. *Pactum Idæ cum Christo satis lucrosum,* 12. *& lucri interius accepti signa externa.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. RAMEIENSIS Cœnobij fausta initia, sanctæ Idæ de Niuella consecratione præuenta, hunc item annum reddiderunt Cistercio celebrem. Assumpto quippe religionis habitu in Kercken Monasterio, quod recens tunc susceperat Cistercij iugum: crescenti in breui numero sororum, intra annum probationis illius translatum est in amœniorem locum, quem ramoso virgulto vndique consitum, antiquiores Rameiam appellarunt. Cœnobium ipsum alibi antea conditum, & sub alio instituto laxiori, Authores produnt. Namque de loco in vita Beatæ Idæ hæc scripta lego [a] *Erat quoddam Monasterium Ordinis Cisterciensis, quod Kerken*

[a] apud Henriquez. c. 2.

Kerken dicitur, quo in loco pusillus adhuc conuentus Monialium erat, quæ relicto situ vlterius loci, quem primitus ad habitandum elegerant, ad hunc locum, se, & sua transtulerunt. Hæc de loco ille.

b *in Gallobraban fol. 35.* Nec minus clare Gramaius de instituto. b *Virgines (nempe Kerckenses) cum antea more aliarum liberius, & ferè seorsim viuerent, rigidiorem disciplinæ modum (scilicet Cistercienſem) amplexæ sunt.* Hic status domus tenellæ adhuc, & paruulæ, cuius incrementis Deus Idam præparabat. Nunc Sacræ Virginis infantiam, & pueritiam, vsque ad præsentem annum, qui fuit ætatis illius decimus-sextus, ex eiusdemmet actis, quæ ab Anonymo Authore olim descripta, Chrysostomus Henriquez euulgauit, more nostro fideliter reddamus.

2. Patria illi Niuella, Brabanciæ oppidum. Genus neque illustre, nec inhonestum; substantia pro statu mediocris; quæ nec naturæ cederet, nec quicquam ad superbiam, aut luxum suppeditaret. Casu, an mysterio, quis audeat affirmare? Ad Matris vbera, Monialis à vicinis, & Theutonica per iocum appellabatur: adeo, vt maiuscula in Theutonicæ cognomen commutauerit patrium, nec vulgo, nisi ex illo dignosceretur. Ab ipsa infantia seuera, grauisque: in pueritia deuota; & quæ Ecclesiam frequentaret supra ætatem. *Huius ætatis tempore* (ait Author vitæ c eius) *cœpit mane ire ad Ecclesiam, vt sanctarum celebrationi missarum interesset, erátque amicta palliolo statura corpusculi sui commensurato, quod Pater suus vi fecerat ad portandum. Æstiuo quidem tempore, quoniam Solis ardores, desiccatis paludis humoribus, planiorem habebat viam ad gradiendum, tunc facilius perueniebat ad Ecclesiam sanctæ Gertrudis, quam frequentare solebat: sed tempore hyemis, multi luti congerie viam occupante, tanta in eundo difficultate impedichatur, vt pedem luto infixum præ debilitate corpusculi sui, vix retrahere posset, nisi ab aliquo iuuaretur.*

c *apud Henri. cap. 1.*

3. *Sicut religio, sic etiam ab infantia, cum ipsa creuit innata misericordia. Si quando contingebat eam in manibus habere panem, vel aliud quid, quod manducare deberet; subtrahebat ori suo, & peregrinis transeuntibus dabat.* Hæc adhuc tenera sub patria potestate: nam quæ maiuscula, & sui iuris effecta, post mortem Patris in pauperum obsequium, vsque ad mendicitatem demissa gesserit, latiori à nobis narratione tradenda erunt.

4. Anno M. CXCIX. natam inde coniector, quod anno M. CC. XXXI. obiisse dicitur, cum annos duos vixisset, supra triginta. Sic consummandæ in breui properatum; haud aliter expleturæ multorum momenta temporum. Anno M. CC. VIII. ætatis eius nono, Patrem amisit, vt eo affectuosius cœlestem inuocaret, quo solum haberet; nec iam alterius, veluti sensatiori consortio distraheretur. *Cognati illius videntes eam Patris solatio orbatam, accepto inter se consilio, eam filio cuiusdam ciuis Niuellensis matrimonio coniungere disposuerunt. At illa quæ in castitate Domino seruire concupiebat, laqueum, quem sibi tendebant præcauens, de domo Patris sui per fenestram occultè est egressa, & fugit, nihil omninò secum deferens, nisi Psalterium, quod nuper discere cœperat; & simplicem vestem, qua induebatur.* Hoc primum eius in tenera ætate, adultæ iam virtutis initium fuit.

5. Substracta thalamo, cum necdum nubilis esset; Virgo sequutura agnum quocunq; iret, ad Virgines, sed pauperes confugit; quæ septem numero in Vico eiusdem oppidi, iuxta Ecclesiam, quæ sepulchrum dicitur, in puritate cordis, corporisque, se ipsas offerebant hostiam Deo viuenti. *Cognati vero eius* (pergit idem, qui supra Author) *nolentes eam turbare, licet adhuc paruula, & infra annos discretionis esse videbatur, quærentem pacem cum mulieribus pacis in pace reliquerunt.* Cœterùm qualiter sese in illa ætate, cum eisdem Virginibus habuerit, qualitérque superante gratia naturam, omnibus se, & singulis aptauerit, eadem eius acta his narrant verbis. *In domo, aiunt, in qua habitauit, erant septem Virgines, quibus secundum modum conuersationis earum, siue feruentiorem, siue remissiorem condescendere studens, pacem earum cum tanta diligentia seruauit, vt miro modo gratiosa, & dulcis omnibus, sicut amabat omnes, ita ab omnibus pariter amaretur.*

6. Triennio Virgo inter Virgines morata, nec Matris adhuc solatio destituta, quæ illi prouideret de necessariis, tandem anno salutis M. CC. XI. ætatis suæ duodecimo, Matrem amisit, fœminam religiosam, & quam totius virtutis incentiuum experta esset. Tum vero ipsa cognatæ cuidam tradita, atque eius fidei commissa, hæreditate, quam non multam habebat; quo humano auxilio destitutior, eo in Deum propensior, excellentiora quotidie meditabatur. De eius humilitate multa, & magna; déque patientia cognata humilitati, & veluti innata mansuetudine. *Recluſa de Heylonbineth, Maria nomine, quæ quondam fuit vna ex habitantibus cum ea, testabatur, quod per quatuor annos, quibus simul habitauerunt, nunquam vidit eam in ira, vel indignatione moueri.* Supremus ille humilitatis gradus, si non se ipsum quis humiliat, quod multi faciunt, sed (quod paucis contingit) ab aliis humiliari patienter ferat. Et sibi quisque facilè ignoscit cæteris ægre. Haud dissimilia de cæteris virtutibus.

7. Verum de Charitate, quæ quasi anima earum omnium est, quæ sequuntur narrantur in eius actis. *Erat etiam tam compatiens suis consodalibus debilibus, & egenis, vt quasi noua quædam Martha, circumiens vicos, & plateas oppidi, mendicaret tam à cognatis, quam ab alienis, nunc vestes, nunc calceamenta, nunc panem, nunc carnes, & cætera esui necessaria, quæ reportans in sacculo, omnibus, prout cuique opus erat, distribuebat. Si autem fortè contigisset propter discursiones suas, eam reuerti fatigatam interdum, & aliqua sodalium diceret, illas, vel illas ægrotantes vino indigere, aut aliis rebus statim ancilla Christi, vt bonæ voluntatis sacrificium Domino sine reprehensione offerret, tranquillo animo recurrens ad opus pietatis, iniunctum ministerium diligenter exequebatur. Et vt purè intuitu Dei, non adulatoriè infirmis succurrere videretur, quædam puella, quæ tunc temporis infirmabatur, in Hospitali ad Sanctum Nicolaum Odam nomine, tentabat eam verbis iocosis, vtrum vellet aliqua sibi mendicare, qua ad manducandum, vel ad bibendum ei erant necessaria? Cui Ida sine simulatione respondens, nosti, inquit, bona soror, quod aliquam sustineas indigentiam, ego parata sum, sicut volueris, tibi necessaria mendicare.* Hactenus ibi.

8. Iam sextumdecimum agebat ætatis annum, qui erat Christi M. CC. XIV. quem nunc describimus,

d Cap. 2. cribimus, cum. *Considerans,*[d] ait, *sedula cogitatione sedula Christi margarita, quod non contuntur Iudei Samaritanis; & quia onerosum est filiabus Israël Ægyptiis commorari mulieribus, vt ostenderet multo perfectius relinquere mundum, quam antea fecerat; cum esset annorum decem, & sex, vale dicens suis, intrauit quoddam Monasterium Ordinis Cistercienſis, quod Kercken dicitur: quo in loco pusillus adhuc conuentus Monialium erat.* Hactenus ibi de aduentu ad Cistercium sanctæ virginis, quam in hunc annum constat incidisse. Mota præterea ab eodem Authore dicitur duabus aliis causis, vt veniret ad Ordinem. *Vt scilicet omnibus expedita curis, nihil omnino proprium haberet; & vt etiam frequenter à sacerdote in Missa sanctam acciperet Eucharistiam, sicut Monialibus in Ordine consuetudo est. Laudabat præterea inter cetera Ordinis instituta, hanc bonam consuetudinem; quæ scilicet, dum gloria Patri cantatur à Monachis atque Monialibus, Cancellatis Brachiis, inclinatur per quod congrue significari dicebat, quod Monachi, & Moniales, sic agendo Beatam Trinitatem debent amplexari,*

9. Sic tandem siue Prophetia, siue iocus de lactante inualescens, Monialem Idam, Theutonicamque, appellantibus vicinis, mirabili Dei prouidentia impleri visa. Quippe Moniales ex Theutonica illuc translatæ Theutonice loquentes, & ipsam tandem Theutonice docuerunt. Verum de initiis conuersionis, & conuersationis eius, cum adhuc eam linguam ignoraret, mira leguntur. *In hoc ergo Monasterio, cum esset Venerabilis Ida, audiebat sorores barbara quædam, & ignota sibi verba loquentes; nec intelligebat linguam eam, eo quod omnes ferè lingua Theutonica loquerentur. Et quamuis linguam Theutonicam nesciret, tamen cum interdum audiebat Viros religiosos lingua Theutonica prædicantes Verbum Dei, flante Spiritu Sancto interius in animam eius fluebant ab oculis suis lacrymæ, nec poterat se continere, quoniam magna cordis suauitate tenebatur. Et quoniam, vt dictum est, non intelligebat ea, quæ à sororibus suis dicebantur, frequenter Deo soli, & sibi loquebatur; & miro modo orationem habens meditatiuam, ac meditationem oratiuam, in consideratione mētis suæ, creaturas visibiles, & corporales considerabat. In quarum quodam modo admiratione perfusa, contemplabatur earum creatorem vt hoc studio posset paulatim ad altiora, quasi quibusdam graduum profectibus, ascendere.* Et paulo inferius adhuc de hoc ipso. *Si quando videbat aliquam sororum suarum solito tristiorem, quamuis ei loqui, Theutonice nesciret, tamen residebat iuxta eam, & obnubilationem faciei eius, exteriori saltem serenabat hilaritate. Religiosi siquidem, & non religiosi, tam Viri, quam mulieres, venientes ad videndum ipsam, ex honestis eius moribus, & ex abundantia gratiæ, quam in ea esse credebant, consolationem magnam reportabant. Ipsa autem paulatim didicit linguam Theutonicam, vt tam sororibus suis, quam eiusdem linguæ gentibus congrue loqueretur.*

10. Creuit Cœnobium ab ingressu Idæ, & nondum situ loci satis accommodo, actum de eius secunda translatione. *Eodem itaque anno* (pergũt acta[e]) *quo prædictum clausstrum intrauit, Moniales adiutorio cuiusdam Viri potentis roboratæ Gerardi nomine migrarunt à loco illo, quoniam quidem aridus erat; & pergentes ad alterum locum, iuxta riuum quendam, Monasterium sibi statue-*

e Cap. 3.

runt; quod quia ramoso virgulto consitum erat, Rameiam nuncupauerunt. Verum de hac secunda translatione, & authoribus eius clarius, atque distinctius Ioannes Gramaius. f *Huc, inquit, referenda est Cisterciensis instituti Abbatia fœminea. Illa quidem primitus in Kerken loco ab Abbate Sancti Cornelij Indensis* (sic arbitror, quia ei etiam nunc censum pendit) *accepto fundata; vbi veteris Cœnobij, & murorum vestigia conspiciuntur. Sed cum habito Virginum numero, aquæ defectu locus ineptus iudicaretur; loco per Heluindam Abbatissam Niuellensem, & Gerardum Toparcham donato, clausstrum cum Ecclesia struxerunt.* Hactenus ille de secundo, & tertio loco insignis Monasterij, & quod (vt idem paulo inferius addit) nulli in tota Brabantia cessurum sit, siue amplitudinem spectes, siue quid aliud commendabile.

f in Gallo-Brab.

11. Crediderim ad constructionem domus concurrisse, fidelium elemosynas, quod valde vsitatum illis temporibus: quin & Monialium, si quæ habebant bona, applicata ædificio. Constat, quæ Virginem Idam concernebant, cum Monasterio cederent, fælicem illis fuisse materiam scrupuli, non aliter sedandi, quam per accepta bona, quæ ipsius animum altiùs impinguarunt. De his in actis Sanctæ sic scriptum video: g *Nunc arbitror congruum facere mentionem de pecunia quadraginta librarum, ex patrimonio suo, sibi pertinente, quam contulit Monasterio, quam pecuniam minus iustè acquisitam existimans, turbata est in corde suo, & consuluit super hoc quosdam fideles Viros ex amicis suis, qui cuius conuersationis Pater eius fuisset satis admodum nouerant. Hi ergo à corde eius omnem ambiguitatem amouentes, certificauerunt eam, dicentes pecuniam illam non esse de anathemate fœneratorum congregatam, sed iustis Patris eius commerciis; ideóque ei licitum esse ex eadem pecunia facere eleemosynas, quomodocunque vellet. Quorum verbis illa, cum minimè credens, scrupulum adhuc in corde retineret: consiliarium vnum de mille adiit, Dominum Christum, cum quo pactum fecit huiusce modi dicens. Mi dulcissime Domine, ecce pro pecunia ista turbata sum in corde meo, si dignatus fueris propter ineffabilem bonitatem tuam, augmentare spiritus tui sancti gratiam in me, satisfactum mihi erit à te, nec de cœtero causabor prædictam pecuniam sordido lucro congregatam fuisse: alioquin nullam cor meum in angustia sua poterit admittere consolationem. O mirabilis, & Deo grata prudentia, quamuis onerosum esset huic Beatæ detineri in hoc sæculo nequam, & à summa gloriæ deliciis differri, non tamen in instanti postulauit à Domino bonam vitæ suæ consummationem, vt in fine daret ei videre Deum Deorum in Sion: sed ordine congruo petiit sibi augere gratiam, qua peruenire posset ad gloriam. Vt autem Dominus demonstrasset, sibi esse acceptum laudabile cordis eius propositum, multiplicauit gratiam suam in anima eius, in tantum, vt fons pæruus crescceret in fluuium magnum; & ex modica scintilla, non modicus ignis accederetur.*

g Cap. 4.

12. Cæterum quàm ex tunc Deo dilecta, quàm familiaris manserit, quæ sequuntur insinuant non obscurè. *Crescente itaque gratia Domini in ea, cum adhuc esset nouitia, & quadam vice orationi insisteret, cœpit ex ardentis desiderij vehementia liquescere repente anima eius, ita, vt viribus corporis destitueretur; & in mentis transiens alienationem: sursum erecta raperetur in Cœlum.*

Vbi

Vbi sicut sibi videbatur assistens, dilecto, & dilectori suo, Domino virtutum, & Regi gloriæ, cœpit mellito susurro rogare eum pro quadam sorore dilecta sua, quæ sicut audierat ab ea, graui quadam incommoditate mentis grauabatur; cui Dominus respondit: Quid quæris à me filia? si de peccatis eius vis facere mentionem, iam & dimissa sunt. Ad hæc illa; Domine, inquit, non sufficit mihi hoc, sed si inueni gratiam in oculis tuis, certum saluationis eius mihi signum ostende. Tunc Dominus sua dulci benignitate respondens, ecce, inquit, ostendo tibi glorioſum ineffabilemque iucunditatis locum, quem ei in fine daturus sum. Dic igitur ei ex parte mea, vt non turbetur penitus in conscientia sua, sed in omni pace conuersetur, hic interſignis, quod ego iuxta ostium Ecclesiæ misi ei tam copioſam gratiæ meæ benedictionem, vt ipsa corpore deficiens, & inter brachia sancti amoris obdormiens, de loco eodem se mouere non posset. Quibus auditis, Christi Virgo gauisa est, & ex occasione huius reuelationis, etiam reuelationem accepit futurorum; de statu scilicet quorundam amicorum suorum, quibus postmodum ea, quæ in spiritu præuiderat, acciderunt. Hactenus dicta de primordiis Idæ, & anno probationis. Nam cætera incrementa donorum, atque charismatum, quibus in dies creuit, suis à nobis locis dicenda erunt.

---

1. *Guidonis Claræ Vallensis Abbatis mors*, 2. *& Conradi successio.* 3. *Pro quo in Villario suffectus Vualterus*, 4. *cuius miræ virtutes, &* 5. *donum lacrymarum incomparabile.* 6. *Dumensis, atque Vualassensis electiones.* 7. *In Hemmenrode visio.* 8. *hoc anno facta Monacho cuidam,* 9. *atque altera Priori eiusdem loci.* 10. *Vdardus, Margaritaque translati ad superos.* 11. *Chronologia.* 12. *Et de sancto Georgio dictum, atque Curciaco, quæ eadem cum dicta capite quarto.*

CAPVT OCTAVVM.

1. EXERCVIT Claræuallenses amara mors, Guidonem illis Abbatem de medio tollens, Regio sanguine virum secundum carnem (sic in Cathalogo Abbatum Claræuallensium) sed spiritu longe clariorem. Obiit autem nono Kalendas Septembris in die sancti Bartholomæi Apostoli, quod Claræuallis obseruat Martyrologium, cum annis ferme decem, nouémque, nempe à milleſimo, centeſimo, nonageſimoquinto, sancte, atque laudabiliter præfuiſſet. Plura haud dubiè dicenda nobis forent de magno Viro, si non iniuria temporum, aut incuria antiquorum obsoleuiſſent.

2. Successorem habuit æquè clarum sanguine, sed virtutibus adhuc clariorem, magnum Conradum, Abbatem Villarienſem, quem filij orphani in Patrem elegere. Haud facilè inueniri possit alius, qui dignitates quærat à Deo solicitè, atque ipse Conradum; non vlli vnquam tandiu adhæsurum, breui à superiori alia præriperetur. Profeſſionem excepit Prioratus; Prioratum, Villarienſis Præfectura: vix hanc acceptat, *Cum Leodienſi sede vacante* (ait Chronicon Villarienſe) [a] *aliqui Canonicorum eum in Præsulem elegerunt. Sed alij resistentes dicebant, quod Ecclesia Leodiensis non indigeret Præsule cucullato.* Impedito Leodienſi Epiſcopatu Clara-Vallis vocauit Præſulem sanctum: haud tamen diutius in ea permanſurum: quippe triennio nondum conſummato, ad Ciſtercium vocatus, inde æquali interſtitio ad sacram purpuram; & in electoribus ipse reſtitiſſet, iam in Christi Vicarium promotus erat, sed de hoc suo loco. De aſſumptione ad Eccleſiam Claræ-Vallis, hæc in eodem Villarienſi Chronico. [b] *Cum domus Villarij sub tanto Pastore proficeret in temporalibus, & spiritualibus; à nobis abstrahitur non sine lacrymis, & gemitu, & in Abbatem Claræ Vallis eligitur.* Hæc de electione. Tempus in Catalogo Abbatum Claræ Vallis notatum video apud Robertum Claudium conſueta licet illi conciſione. [c] *Vndecimus scilicet Claræ-Vallis Abbas Conradus, ex Abbate Villarij, anno M. CC. XIV. Postea Abbas Cistercij XIII.*

[a] *Lib. 1. c. 9.*

[b] *ibidem.*

[c] *In Gall. Christ.*

3. Villarienſes Paſtore fraudati Venerabilem Virum Vualterum de Traiecto ſubrogauerunt; illũ, inquam, Vualterum, per quem, Simonẽ, conuerſum ſanctũ de Alna, Conrado adhuc nouitio inſtantes prædixiſſe tentationes, ſuperius diximus. Multa de eo in Villariẽſi, quæ Henriquez, redigit ad ſummã his plane verbis, *Beato Conrado successit Beatus Vualterus, de Traiecto inferiori oriundus loco, qui anno M. CC. XIV. Villarienſibus Monachis Abbas Præfectus est. De quo legitur, quod dum meditaretur, aut oraret per dimidiam, vel per integram aliquando diem, in tanta mentis tranquillitate erat, vt nec vna saltem transmiſſa cogitatione eius animus pulsaretur: Spatio enim quadraginta annorum, nec mortale, nec veniale quidem graue peccatum commiſit. Cúmque senectute caligarent oculi eius, & videre non posset, miraculosè Miſſam celebrabat. Interiora hominum, & cogitationes aliorum cognoſcebat.* Hactenus ille multa paucis complectens, eadem, atque eiuſdem vide humilitatem laudat Cantipratanus in ſuo libro de bono vniuerſali verbis ſequentibus [c] *In hoc Monasterio multos vidimus sanctos* (loquitur de Cœnobio Villarienſi) *& pleroſque, qui Prophetiæ ſpiritu, & miraculis claruerunt, inter quos Vualterum quendam vidimus, dictum de Traiecto, qui cum esset Vir nobilis genere, diues, & delicatus in ſæculo, optimè litteris, & maximè in quadriuialibus inſtitutus, nunquam tamen adeo vilem in oculis ſuis, & verè humilem vidi. De eo quidam Robertus Abbas Valcellenſis, me coram poſito referebat, quod ab ore illius frequenter audiſſet, cum per dimidiam vel totam diem meditaretur, aut oraret, in tanta mentis ſerenitate, & tranquillitate fuiſſe, vt neque ſaltem vna leuiſſima cogitatione eius animus extrinſecùs pulſaretur, & hoc ſuper hominem fuiſſe non ambigo.* Plura de eo Cæſarius in ſuis Dialogis, ex quibus tamen domum lacrymarum, quod interuentu aliorum, tũm Monachi, tum Monialis ſibi obtinuit, quia reuera quid habet peculiare, & Annalibus dignum, hic interſeram. Porro in vtroque euentu eundem

[d] *Lib. 1. Faſcic. diſt. 4. cap. 30.*

[c] *Lib. 2. c. 26.*

Vualte

Vualterum loquentem introducit Cæsarius in
f Lib. 2 c. 21. hunc modum.[f]

4. *Dum intellexissem supradictum Monachum gratiam illam lacrymarum percepisse à fœmina tali religiosa, rogaui Abbatem meum, tunc recenter factus Monachus, vt liceret mihi tales visitare fœminas, & concessit mihi statim. Veniens itaque ad domum cuiusdam honestæ Brabantiæ matronæ, hospitandi gratia, cum intellexisset desiderium meum, dixit in ioco: Quid quæritis videre istas beginas? si vultis ego ostendam vobis mulierem bonam, quæ quidquid vult obtinet à Deo? Respondi: talem multum desidero videre. Et statim ad verbum eius, mulier quædam de cubiculo suo egressa, veniens ad me, cœpit mecum loqui. In cuius aduentu, cum mihi sentirem gratiam adesse, rogaui eam, vt oraret pro me, qua cum diceret: Quid vultis, vt orem pro vobis? Respondi, vt possim deflere peccata mea: Et illa, nunquid non estis Monachus? qui peccata sua non potest deflere, Monachus non est. Et cum instarem quatenus gratiam mihi hanc obtineret; Respondit: Ite, abundanter habebitis. Proxima nocte orans ante lectum meum, cum de peccatis meis cogitarem, nec tamen mulieris promissum attenderem, cœpi ita abundanter, & supra morem solitum flere pene vsque ad mediam noctem, vt tandem timens capiti meo, vix me cohibere possem à fletu. Quæ cum mihi mandasset, quod tali nocte gratiam illam lacrymarum mihi impetrasset, iterum reuersus ad eam sum, & scisciatus sum ab ea dicens. Dicite mihi in Charitate, qualiter mihi obtinueritis gratiam illam - Quæ respondit mihi sub his verbis: Primo quidem Dominum durum inueni, sed dixi ei: Domine non euadas manus meas, nisi Monachus ille habeat gratiam lacrymarum, & statim concessit tibi.*

5. Hactenus prima fœminæ intercessio: sed aliam similem cuiusdam sancti Monachi, ex pluribus, qui in Villario florebant circa hoc tempus, nec dissimilem sortitam effectum, eo-
g Lib. 2. c. 22 dem referente producamus.[g] *Alio*, inquit, *tempore, rogaui vnum ex Monachis nostris, bonæ opinionis Virum vt rogaret Deum pro me, qui cum mihi daret optionem, quid mihi vellem à Deo impetrari? volens sermoni eius fiduciam probare, respondi ei: volo, vt obtineas mihi post Missam gratiam lacrymarum, quibus peccata mea deplangam: & promisit mihi multum confidenter. Sequenti die, cum post Missam, moram facerem ante quoddam altare, & essem solus in oratione, tanta mihi affuit abundantia lacrymarum, vt mirarer. Postea, cum vidisset me supradictus Monachus, corpore quidem inuenis, sed moribus valde maturus, cœpit mihi signare, si bene esset mecum, gratiam notans mihi collatam: ego signum eius non intelligens, & ante Priorem illum ducens, quæsiui quid signaret? qui dixit mihi: Nunquid non copiosè hodie habuisti lacrymas? quem cum interrogassem, si vidisset me lachrymantem, respondit: Estis vos tam stultus, quod putatis me vidisse? Ego minui sanguinem, nec licuit mihi dictis Missis morari in oratorio. Tunc interrogatus à me, quomodo mihi gratiam obtinuisset, respondit pene, sicut supradicta mulier: Dominum, inquit, primo durum inueni, sed illi: Ecce Domine, non dimittam te, nisi facias, quod rogo, his verbis placatus exaudiuit me.* Hactenus in persona Vualteri Cæsarius, quibus, & gratiam à Deo illi concessam, & merita impetrantium facilè videas: sed supra modum Diuinam dignationem, quæ adeo seruorum suorum precibus defert. Plura de eodem sancto Viro Chrysostomus Henriquez aliique, & nos nonnulla in sequentibus dicemus.

6. Hoc item anno Dunensis fundamenta templi iacta lego per Petrum Abbatem, sed qui eodem anno esse desierit. Proferam verba Chronici Dunensis, quæ Henriquez adducit.[h] *Post Eliam Monachus quidam Petrus nomine, ad Abbatialem apicem ascendit, Vir egregiæ virtutis, & scientia sacrarum litterarum ornatissimus, qui vltimo anno regiminis sui, fundamenta nouæ Ecclesiæ iecit, anno Domini millesimo ducentesimo, decimoquarto, quam successores sui per annos ferme sexaginta perfecerunt. Obiit eodem anno.* Post mortem eius successisse Amelius dicitur, Vir laudabilis vitæ, & post quinquennium officium Marthæ pertæsus, resignaturus. In VValdesaso electus item Hermanus, de quo hæc Bruschius:[i] *Fuit Vir magnæ deuotionis & plurimæ cum sanctis Dei Angelis conuersationis; de quibus tractatum composuisse scribitur.* Porro quo anno promotus in Abbatem, duo impetrasse priuilegia legitur eidem Monasterio, quæ non exiguo incremento illi fuere. Sed de eo iterum anno M.CC.XXII. Nunc, quæ hoc anno factæ sunt visiones in Hemmenrode ex Cæsario Heisterbacensi, qui res illius domus, vtpote suæ Matris, exacte nouit, atque ipsius verbis describamus. Constabit clarè non esse volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, quodcumque bonum.

h Lib. 1. Fascic. dist. 5. cap. 9.

i in Chron. Monast. Germaniæ.

7. *In claustro*, ait,[k] *Monachus quidam in magna erat deuotione, & videbatur bonam Dei manum super se habere: erat quippe in opere manuum strenuus, in oratione, & psalmodia deuotus, potens ad vigilandum, & feruens ad quodlibet iniunctum: Cúmque tam bonum circa festum omnium sanctorum habuisset spiritum, eiusque nullum, aut modicum per plures dies sensisset detrimentum, cœpit non tam audacter, quam reuerenter à Domino precibus exigere vt eum in festo sanctissimæ Natiuitatis, qualicunque consolaretur visitatione. Aderat iam vigilia Natiuitatis Dominicæ, & ille nec dum tepuerat à deuotione, nec à supra dicta defecerat intentione, præsumens, & præsagiens aliquid de Diuina dignatione. De nocte autem vbi surrectum est ad matutinas, tantus torpor inuasit corpus eius, & animam eius, vt etiam taderet eum viuere: intrauit tamen chorum cum aliis, nil psallere valens, aut volens: dulcissimam illam solemnitatem ex toto, vt sibi videbatur amissurus, à desiderio suo frustratus. Accessit vero ad eum alius Monachus, innuens ei, vt pro ipso responsorium decimum cantare debuisset: at ille non infirmitate præpeditus, sed desidia deiectus, signum refutabat. Sic ergo fœlices illas vigilias, & solemne gaudium, infœlici torpore transigebat: quippe quem nec psallere, nec ad responsoria surgere libebat. In decima lectione sedebat, sibi vigilans quidem, sed clausis oculis, & cogitabat suas molestias in amaritudine animi sui, dicebat q; sibi secum ratiocinando: Ecce sic, & sic habuisti, hæc, & hæc petisti, vbi nunc est illa deuotio? vbi spes illa, & pia de Diuina pietate præsumptio? Quid nunc agitur tecum? & adiecit: Petieras, vt aliqua tibi reuelatio fieret, & si modo fieret, quid potissimum videre eligeres? vtique Dominum Christum, vel dulcissimam eius Matrem, aut certè ambos simul.*

k Lib. 8. c. 1.

Cúmque his, & huiusmodi cogitationibus occupatus, sederet vigilans, vt supra dictum est, sed clausis

clausis oculis ; Lector dixit : Tu autem Domine, &c. *& cantor surgens subiunxit responsorium.* Benedictus, qui venit in nomine Domini, &c. *Et ecce astitit ante illum torpentem Monachum matrona quædam reuerendi vultus, & incomparabilis pulchritudinis, habens in brachio infantulum adeo paruulum, quasi recenter natum, inuolutum fasciolis vilibus valde & abiectis, in tantum, vt etiam super vilitate earum ille compassionem acciperet: stabat autem quasi retro ipsam senex amictus pallio, indutus tunica, & pileus non acuminatus super caput eius, quæ omnia videbantur esse de lana alba, & munda, vultum tamen senis videre non potuit, situ pilei impediente. Vidit etiam fusum cum licio pendere à latere matronæ, sed colum vidisse se non meminit. Vidit, & quia clarius videre voluit, quam vidit, nihil vidit. Aperuit enim carnales oculos, & gloriosam illam visionem perdidit : & intellexit, quod Beata Virgo fuisset illa matrona, infans Christus, & senex Ioseph : & recepit in illa hora spiritum suum bonum, & reliquum Sanctæ solemnitatis transegit in gaudio magno. Anno gratiæ M. CC. XIV. facta est visio hæc.*

9. Huic sanè Monacho, & currenti negatum, & desperanti concessum, & scrutanti subtractum. Verum Priori eiusdem domus, neque constat, quis hic fuerit, nil tale cogitanti, vel præsumenti (puto in eadem nocte) oblatum video, eodem Auctore ita prosequenti.[l] *Alteri cuidã Sacerdoti supradictæ domus, tunc Priori existenti, Dominus sub alio typo Natiuitatis suæ mysterium ostendit. Cum in quarta Dominica Aduentus cantor responsorium.* Intuemini quantus sit iste, qui ingreditur ad saluandas gentes. *inciperet, & pars Conuentus, ad librum stans incœptum perficeret; in choro Abbatis super formam, cui cantantes innitebantur, circulum lucidum vidit, & circulo Stellam clarissimam radiantem : & mox intellexit, sicut intelligere debuit, quod Stella eadem designaret Christum ; circulus vero lucidus orbem terrarum illius aduentu illuminatum.* Hæc in Hemmenrode.

l *Lib. 8. c. 6.*

10. In Scotia hoc anno ad superos translatum lego Beatum Voardum ex Monacho Cuprensi, Episcopum Brechinensem, de quo superius. Virum memorant Boëtius in sua historia,[m] atque ex ipso Demsterus,[n] Arnoldus, Wionius,[o] & plures alij. Floruit æque doctrina, ac sanctitate, cuius & monumenta reliquit posteris. *Scripsit enim* (ait Thomas Demsterus) *in cantica Salomonis lib. 1. Epistolas ad diuersos lib. 1. Floruit anno M. CC. XVI.* Ita Demsterus. Henriquez Menologio suo virum inseruit ad quartam diem mensis Nouembris, nec nos plura de eo habere potuimus : Vdardo adiungo Margaritam Hierosolymitanam, cuius supra meminimus, hoc anno consummatam, cum post longam satis peregrinationem, sub legibus Cistercij vixisset annos duodeviginti plus, minusve, vt Frater eius Thomas memoriæ prodit.[p] Eandem etiam inseruit Menologio idem Henriquez ad vigesimam octauam diem mensis Decembris.

m *Lib. 13.*
n *in hist. Scot.*
o *Lib. 1. lig. vit. c. 74.*

p *in Sancta vita.*

In Capitulo nil noui decretum video, secundo Arnaldo primum imitante; & præferente primitiuam simplicitatem nouis legum latarum cauillationibus, quæ dum præcauent, aliquando peccare docent. Chronologia nascentium cœnobiorum quinque recenset. Sed tria prima eiusdem ferè nominis, haud facile distingues. Ita habent. II

Anno M. CC. XIV. septimo Kalendas Aprilis fundata est Abbatia Grenad in Hybernia.

Eodem anno, & die Abbatia Grenart.

Eodem anno, & die Abbatia de Granath.

Eodem anno Abbatia Sancti Georgij in montana nigra.

Eodem anno quinto Kalendas Iulij Abbatia Sancti Marci de Curciaco, alias de Cocirco. Hactenus ibi : & quidem prima tria Monasteria similitudine nominis, & temporis identitate, satis suspecta. Nisi quod tamen in Genesibus duo reperiuntur, alterum, dum Fermelin in Hibernia genitum, alterum incerta matre, Prouinciaque, atque vtrumque de linea Claræuallis ; sed forte idem vtrobique error irrepsit. Cæterum de cœnobio Grenad, siue Granardi, in Hybernia, hæc in notitiis vulgatis à Iongelino notata lego. *Larhe, vel litteris transpositis Ierah, antiquitus Granardi, in comitatu Longfoldiæ fundatur anno M. CC. XI. à Richardo Fuite milite, loci Domino ; cuius posteri etiam nunc florent in comitatu VVesmidiæ. Primi Monachi cum suo Abbate ad hunc locum venêre ex cœnobio S. Mariæ iuxta Dublinium de linea Claræuallis. Flatsburtius in suo chronico hanc fundationem refert ad annum M. CC. XII. factam ab eodem Richardo, qui Athloniæ irruente turri interiit.* Hæc ille. Sed Sarha in Chronologia recensetur anno M. CC. XI.

Sancti Georgij in Montana nigra Cœnobium hauddubie exiftimo idem, quod Iubinum, quod, Sancto Georgio forte consecratum, Sanctus Georgius de Iubino dici consueuerit. Moueor, quod videam in linea Firmitatis hoc Monasterium facile ex loco, & signis denotari ; sic enim habet: *Sancti Georgij in nigra Montana iuxta Antiochiam, filia Firmitatis.* Ita Tabulæ, quas edidit Henriquez in Fasciculo. Accedit, quod in aliis eiusdem lineæ legatur, *Sanctus Georgius de Iubino* licet alia ibidem menda irrepserunt ; quippe Ianuensis, non Antiochenæ Diœcesis, nec Firmitatis, sed Locedij filia dicitur, facili errore, & qui ex litteris Petri Patriarchæ, atque Gregorij IX. certiori fide veniat corrigendus. Sic Monasterium Sancti Marci de Corciaco absque dubio idem est, quod Sanctæ Mariæ de Chortaco, siue de Curiat, aliàs Curciaco : & forte *Marci* pro *Mariæ* irrepsit scriptorum inscitia, aut Caracterum inuersa delineatione : cuius meminit Innocentius in suis litteris, quas supra dedimus : Id quod non solum temporis identitas, & nominum manifesta similitudo, sed filiatio Locedij, in qua in aliquibus tabulis Geneseos, & quidem correctioribus notatur. 12

ANNVS CHRISTI M. CC. XV. ANNVS CISTERCII C. XVIII.

1. Coacta Synodus in monte Pesulano, 2. in qua relatum de dominio vrbis Tolosæ, 3. quod votis omnium cesſit Monfortio Comiti: 4. missusque Ebredunensis Archiepiscopus, qui confirmari curaret ab Innocentio. 5. Actum & de Iacobo Aragonensi. 6. Destinato interim in Galliam Guidone Præsule. 7. Pontificis decretum de Iacobo. 8. Quid illi Cisterciensis dum in custodia? 9. Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede semina iacta. 10. Iurata pax, 11. & redditus Iacobus Aragonensibus, 12. atque ab eis susceptus cum magno gaudio.

CAPVT PRIMVM.

1. SALVTIS anno milleſimo, ducenteſimo, quinto decimo, qui fuit Ciſtercij decimus octauus ſupra centeſimum, Petrum Cardinalem Beneuentanum duo grauia negotia ſolicitabant: res Albigenſium, ad quas præcipuè miſſus; & Principis Iacobi reſtitutio, quæ illi iuncta Aragonenſibus Proceribus facienda. Qualiter autem peregerit vtrumque, quia vtrumque etiam concernit noſtros Annales, ex probatis auctoribus pandemus. Et primum quidē, quod ad res Albigenſium attinet expedite & feliciter tractandas non aliam ſecuriorem viam ſibi patere, aut putauit, aut voluit, quam quæ à ſanctioribus totius Prouinciæ viris, communicato conſilio, ſterneretur, itaque tanto negotio conſultando, etſi daretur etiam perficiēdo; ad montem Peſulanum intrante anno congregauit Concilium, in quo Archiepiſcopi quinque, Epiſcopi duo de triginta, Abbates innumeri: porro ex his vnus & primus Archiepiſcopus, Arnaldus Narbonenſis, duo Epiſcopi, Guido, Fulcoque, Abbates plures Ciſtercienſes numerabātur. Diem, & locum, perſonaſque ibidem congregatas, qui cum Guidone auunculo interfuit, Petrus Vallſarnienſis in ſua Albigenſium hiſtoria, ita deſcribit [a] *Anno ab Incarnatione M. CC. XIV. in quindena Natiuitatis Dominicæ, conuenerunt apud montem Peſulanum, Archiepiſcopi, & Epiſcopi vocati. M. Petro Beneuentano Apoſtolicæ Sedis Legato ad Cōcilium, vt de his, quæ pacis erant, & fidei, idem Legatus ſecundum Prælatorum concilium ordinaret. Conuenerunt autem ad illud Concilium quinque Archiepiſcopi, videlicet Narbonenſis, I. Accitanus, II. Ebredunenſis, III. Arelatenſis IV. Aquenſis V. Fuerunt Epiſcopi XXVIII. pluresque de Baronibus Terræ ibi affuerunt.* Hæc Vallſarniēſis, qui dum quintam decimam à die natalis Chriſti M. C C. XI V. celebrando Concilio, morem Gallicum ſequens, deſignat diem, haud dubie tradit celebratum fuiſſe die octaua Ianuarij præſentis anni.

a *Cap.* 81.

2. Quod ad res Albigenſium attinet in eo Concilio hæretici, & rebelles abdicati Dominiis, inter quos primus Raymundus Toloſæ Comes, quod toties iam decretum, non video eguiſſe deliberatione. Quare in hac parte præcipua conſultatio; cui nam cederent illæ ditiones? cuinam Toloſæ vrbs, cæteræque, quas ab hæreticis Catholici expugnaſſent? Ia qua re primum Legati propoſitionem, dein cunctorum vnanime conſilium, idem, qui ſupra, auctor his verbis narrat. [b] *Igitur conuenientibus, vt prædictum eſt, Legato, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, apud montem Peſſulanum, fecit Legatus Sermonem in Eccleſia Beatæ Virginis Mariæ. Poſtea vocauit in domo, in qua manebat, Archiepiſcopos quinque, & Epiſcopos XXVIII. Abbates, & alios Eccleſiarum Prælatos innumerabiles, quibus in vnum congregatis, primo eos alloquutus eſt in hæc verba. Repeto, & requiro à vobis, ſub obteſtatione Diuini iudicij, & obedientiæ debito, quo Romanæ Eccleſiæ tenemini, vt omni gratia, odio, & liuore poſtpoſitis, detis nobis fidele conſilium ſecundum ſcientiam veſtram, cui melius, & vtilius ad honorem Dei, & Sanctæ Matris Eccleſiæ, & pacem Terræ ad expugnandam, vel expurgandam ſturcitiam hæreticorum concedi, & aſſignari debeat Toloſa, quam Comes Toloſanus tenuit, & aliæ Terræ, quas occupauerunt exercitus Chriſtianorum, Cruce ſignatorum.* Hactenus prima Legati propoſitio.

b *vbi ſuprà.*

3. Sequuta exinde longa conſultatio, adeo inconfuſa, vt ſinguli Epiſcopi, cum Abbatibus, quiſque ſuarum Diœceſum, conſultarent ſeorſim; & quem ex omnibus aptiorem inuenirent, deliberarent. Itaque in tres, & triginta partes diuiſi, pro numero Pontificum, omnes in ſcriptis ſuffragia ſua tulere. Rarum, & pene à ſæculo inauditum, quod tot homines in vnum conuenirent Monfortium Comitem; adeò, vt vnus ex illis non diſcreparet, aut alium iudicaret apriorem dominio vrbium. Sed Petrum ipſum loquentem audiamus. [c] *Omnes Archiepiſcopi longam, & diligentem deliberationem habuerunt, vnuſquiſque cum Abbatibus ſuæ Diœceſis, & familiaribus clericis ſuis; & quia bonum videbatur, & rectum ſuffragia omnes in ſcriptum redigere; & in hoc tandem omnium, & ſingulorum vota, & conſilia conuenerunt, vt nobilem Comitem Montisfortis eligerent in totius Terræ illius Principem, & Monarcham. O res mirāda! ſi creandus eſt Epiſcopus, aut Abbas, vix in vnam perſonam conueniunt pauciſſimorum conſenſus; & ecce in electione Principis tantæ Terræ, tot, & tantæ perſonæ in memoratum Chriſti pugilem ſine aliqua diſſenſione vota ſua vnanimiter contulerunt: à Deo proculdubio factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

c *vbi ſuprà.*

4. Voluiſſent conſiliarij, ſiue electores ſtatim Terram tradi Monfortio Comiti: *Sed habito recurſu* (ait idem auctor) *ad litteras D. Papæ, quas miſerat Legato, inuentum eſt, quod Legatus non poterat iſtud facere, inconſulto D. Papa: & hac de cauſa communi aſſenſu tam Legatorum, quam Prælatorum Ebredunenſis Archiepiſcopus, Girardus, vir multæ ſcientiæ, & totius bonitatis, miſſus*

missus est Romam, & quidam clerici cum eo, litteras tam Legati, quam Prælatorum ferentes secum, in quibus supplicabant Prælati omnes D. Papæ instantissimè, vt nobilem Comitem Montisfortis, quem vnanimiter elegerant, concederet eis in Terra Dominum, & Monarcham. Hæc Vallsarniensis de gestis in hoc Concilio. An autem in eodem etiam iussi dirui muri Narbonæ, Tolosæque, affirmare non ausim: quamuis euerti iussos satis innuat Arnaldi Præsulis obsistentia anticipata, atque imploratus Ludouici fauor, quæ capite sequenti daturi sumus. Certè hanc pœnam luisse vrbes rebelles hoc ipso anno, sequentia declarabunt.

5. Credidetim in eodem Concilio actum de Principis Iacobi restitutione: sed in qua non tam facile omnium Patrum suffragia conuenirent, imo neque ipse, in cuius siue tutela, siue custodia detinebatur, Monfortius Comes; seu generum ambiret, quod sunt qui velint, [d] eóque vt aptiores matrimonio annos suos intra penates præstolaretur; siue, quod mihi longe probabilius, à Regio iuuene timendum sibi putaret, cuius patrem occiderat; haud dubie, si ad ætatẽ maturiorem perueniret in Regno, eandem cædem, qua posset, vindicaturo. Non erat animus Comiti Simoni detinere inuitum; aut Regem puerum, hæreditario Regno; Regnum, debito Rege defraudare. Sed vitæ suæ, & suorum præcauere, ius naturale; bellorum imminentium communia mala, etiam charitas vitare persuadebant: maximè homini nullius conscio culpæ in morte Petri; quem propria temeritas, arrogantiaque occidissent, non arma Comitis; & peremptorem magis sui ipsius, quam ab alio percussum declarassent, Aragonensibus longe aliam mentem; & quominus, quam putarant summam iniuriam vlciscerentur, Truces; sola Iacobi custodia, compescendos; hunc velut obsidem firmaturum fœdera pacis, si detineatur. At si semel accipiant, & coronent imbuendum memoria paterni sanguinis, nec quicquam aliud, quam ferrum, & vltionem, in vtriusque Regni perniciem imbibiturum.

d Bargas lib. 1. c. 12.

6. Hæc, & similia detinebant Simonem Comitem, quominus puerum Regem statim traderet. Nec displicebant Patribus Concilij, quos præter ingruentium bellorum mala, deterrebant hæretici, nulla alia via vires resumpturi, quam si sub occasione vindictæ Patris, crescentis Filij potentia protegerentur. Ebredunensi tamen Archiepiscopo in mandatis dedere Simonis nomine, vt postquam omnia Innocentio retulisset, cui cura omnium, nihil eius arbitrio non permittat, vt iudicauerit statim exequendum. Cæterum quoniã paci stabiliendæ arma plerumque solent inseruire, ne deficiente exercitu Catholico, insolescerent hostes; quem toties opportunum verbi ministrum Monfortius Comes Simon expertus fuisset, Guidonem Episcopum Carcassonensem ad Galliam misit, quoscunque posset, Cruce signaturum. Memorat hanc quartam prædicationem Guidonis Pontificis idem, qui supra, Petrus Vallsarniensis paulo inferius, dum de his, qui veniebant cum Ludouico, nam & ipse inter milites, hoc anno scribit ita. [e] *Fuit etiam ibi (scilicet Lugduni,) Venerabilis Episcopus Carcassonæ Guido, qui ad preces nobilis Comitis Monfortij, paulo ante pro negotio fidei ad partes descenderat Gallicanas, & cum Ludouico veniebat.* Ergo hi duo Pontifices à Concilio profecti, & alter Romam missus, alter in Galliam, quid vterque in vtroque negotio egerit? de altero in hoc capite, de altero in sequenti disseramus.

e Cap. 81.

7. De Ebredunensi, quod attinet ad Iacobum Regem pauca antiqui; plura de terra confirmata Monfortio Comiti. Verum qui vtrumque negotium intertexuit, Bernardinus Gomezius, grauis, quamuis recentior, hæc habet verba. [f] *Decreuit Synodus (scilicet ad montem Pesulanum) vt ciuitas Tolosana, vniuersusque eius Comitatus, & iura, Simoni Monfortio Comiti cederent: modo id Summi Pontificis decreto confirmaretur, cuius stabiliendi gratia Archiepiscopus Ebredunensis Romam à Synodo missus est. Vnde Pontifex decreto audito Concilij Prouincialis, atque donatione Comitatus Tolosani, tam iustis causis Monfortio facta, eandem confirmauit, & ratam habuit; modo mandato Synodi Iacobus Princeps, Petri Regis Aragonum filius, qui à Monfortio in custodia tenebatur, Proceribus, ac exercitui Aragonensium, & Catalanorum libere restitueretur. Promittente Ebrunensi Archiepiscopo, illico Pontifex Legatis Procerum (scilicet Aragonensium, & Catalonorum) venire iussis, litteras dedit, eosque cum Archiepiscopo dimisit. Quibus Monpellerium regressis, pacto, & confirmatione renunciatis, Monfortius obtemperare se velle dixit; ac protinus vna cum Legato Cardinali Carcassonam profecti sunt; vbi biennio detentus fuerat Iacobus; indeque ab eis honorificè deductus Narbonam: quo iam multi Proceres, cum vniuersis Legatis ciuitatum, & oppidorum Catalonia conuenerant: à quibus Legatus fide publica accepta de fideli custodia, & tutela præstanda, Iacobum eis tradidit, annum iam sextum habentem.* Hactenus Bernardinus Gomezius, qui tamen Regem minorem ætate facit, quam vere esset.

f Lib. 2. post init.

8. Eundem puerum, dum Carcassonæ detineretur, visitatum à suis per internuncium Monachum Cistercienſium, Petrus Antonius Beuterus auctor extitit, in antiquioribus historiæ suæ exemplaribus, quæ Ramonius, [g] & alij transcripsere. Porro aliàs arcendum ab ingressu, dum socium simulat religiosi viri, qui sacras pueri audiret confessiones, per errorem admissum à custodibus pia fraude decèptis, forte neque offensura Simonem Comitem. Hinc mihi facilis subest coniectura, Iacobo, dum ibidem detinetur, pœnitentiarium ex Cistercio datum; quippe cuius socius Monachus Cisterciẽsis putari valuit. Nam, quod idem Ramonius paulo post subdit credere se eum fuisse Sanctum Dominicũ, à ratione videtur deuiare: cum tunc adhuc Canonicus Regularis, & cuius socij pauci, atque adeo noti, præcipuè in domo Comitis, vt non de facili alius supponeretur, etiamsi habitum voluisset immutare. Certè Monfortius Cistercienſibus adhærens in vrbe Carcassona, Cistercienſi Pontifici subjecta, Cistercienſem adhibuisse Magistrum puero facilius fuit, quam Beatum Dominicum Tolosæ adhuc manentem, & primam suis mansionem præparantem (nec dum enim cœnobium) & disponentem Romam proficisci approbando instituto, quod iam ab annis octo meditabatur.

g Lib. 2. c. 34.

In eadem custodia Iacobum positum captiuitatis damna considerantem, (nam patientem non dicam) eiusdem confessoris consilio ferunt multa Deo promisisse, multa Virgini, si inde ad Regnum, & optatam libertatem extraheretur, sed inter alia concepisse votum, redimendi, qua posset captos à Sarracenis, idem, qui supra

h *Lib.2.c.2.* i *Lib.2. c.8.* Petrus Antonius Beuterus, [h] Bernardinus Gomezius, [i] aliique eisdem adhærentes testificantur: nec deest, qui votum ipsum his verbis tradit. [k] *Dicebat (Iacobus) in corde: si ego Princeps, qui parentes habeo Reges, & honeste detentus, & ab omnibus honoratus, delicatus cibo, & potu recreatus, parum solatij, aut nullum in hac mea iniusta detentione habeo; quæ consolatio poterit esse miseris captiuis, in dura Sarracenorum potestate detentis, catenis ligatis, fame, & siti afflictis? Faxit Deus, quod libertati restituar, nam promitto suæ Diuinæ Maiestati, eiusque Sanctissimæ matri, Sarracenos, & fidei Catholicæ inimicos me insequuturum, & miseros captiuos de eorum manibus erepturum.* Ita Bernardus Vargas sequutus alios, qui omnes putant, hoc votum, velut fœtum, ex quo Sanctissimus ordo Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis captiuorum intra quatuor annos firmatus fuerit. Certè votum complures alij negant. [l] Verum in ea detentione semina iacta, siue per occasionem, seu per propositum, ex quibus fructus ille pullularet extendendus per orbem ingenti bono totius Christiani nominis, non est qui possit in dubium reuocare. De hoc fœlici Iacobi Regis germine anno M. C C. X V I I I. quo pullulare cœpit, plura dabimus.

k *Vargas lib.1.c.12.*

l *Ramonius c. 4. multis citatis.*

10. Demum aduertunt aliqui scriptores, [m] Iacobum Regem non antea suis traditum, quam vtrique solemniter iurarent, neque ipsos, neque alios eorum nomine ad Petri Regis vindicandam mortem, quæ sola ipsius culpa contigisset, processuros, aut permissuros ab aliis, processum iri. Quod feudum Comitatus Tolosani commendatum Simoni, atque eius successoribus, numquam impedient, aut si possint, patientur impediri: demum quod contra exercitum Catholicum, quandiu impugnat hæreticos, non ibunt: quin potius se se illi colligabunt, cum opus fuerit. Constat à Rege numquam arma sumpta contra Simonem. Quin potius illum in suis commentariis, quibus nulla instructiora, nec veriora, laudasse ægregiè, ac declarasse innoxium in morte patris, quem nulla Præsulum, nullæ ipsius Comitis supplicationes, obsequiave diuerterint, à conserendo prælio prorsus iniusto, & in quo adeo merito occubuisset.

m *Ramonius cap.3.*

11. Quanto amore, & quanta suorum fide Iacobus puer susceptus, tradunt scriptores rerum Aragonensium. Referam pro coronide huius partis Hieronymi Blanchæ verba in suis commentariis, qui ad compendium redegit, quæ alij tradunt. [n] *Nostris*, ait, *aduersus Comitem magna propterea molientibus, tandem Innocentij III. Pont. Max. iussu, puer Rex, Petro Beneuentano Cardinale Apostolicæ Sedis Legato, ad id nominatim decreto, traditus est, ab eoque saluus, & incolumis Ilerdam delatus. Ad eam enim vrbem, quæ tunc Aragonij circunscribebat fines, generalia totius Regiæ ditionis Comitia, ad ipsum excipiendum conuocata fuerant. In quibus à Cardinale Beneuentano, Iacobus puer propositus fuit, & ab Aspargo, Tarraconensi Archiepiscopo, in vlnas susceptus, incredibili omnium lætitia, & alacritate salutatus Rex. Ac quo magis turbulentis illis temporibus, de illius cura, ac defensione omnes anxios, & solicitos esse oportebat: nouo, & inusitato fidelibus signo iurisiurandi, nempe interposito fœdere, omnes se vltro, & sponte deuincientes promiserunt fore, pueri Regis vitam, ac commodum se pro virili parte defensuros, vt Iacobus ipse fuerit primus Rex, cui Aragonenses fidelitatis iuramentum præstiterint. Vnde apud nos mos ille manauit huc vsque seruatus: vt Regibus regnare incipientibus, fidelitatis iuramentum præstemus, dummodo Reges ipsi nobis leges, libertates, patriaque instituta maiorum seruaturos iureiurando promittant. Ob puerilem autem Regis ætatem, nostros ad id faciendum inductos ferunt: quod nouis his erga Regiam fidelitatem adhibitis signis, turbidos quorumdam, & præcipue patruorum, concitatosque motus arceri oporteret.*

n *Ad hunc ann. in Iacobo 1. Reg. 14.*

12. *Ipsum itaque Regem puerum vniuersi Regnorum ordines institutioni, ac tutelæ Gulielmi Monxedonij, in his partibus Templariorum supremi, quem illa ætas Magistrum appellabat, commendarunt. A quo in suam fidem receptus, statim ad Montionis arcem, maximo ob id firmatam præsidio, delatus est. Quosdam etiam gubernatores constituerunt, interea dum ex pueris Rex non excederet, singulis Prouinciis præpositos. Ac Aragonij quidem Regni gubernationem prapotens, ac nobilis vir quidem suscepit, Petrus Ahonesius, Sanctij Ahonesij, Cæsaraugustanensis Episcopi Frater. Aliarum vero Prouinciarum alij. At vero vniuersorum Regnorum supremæ potestati Sanctius ipse Ruscinonensis Comes pueri Regis patruus, præfectis fuit. Dedita autem opera, præcipuaque Cardinalis Legati industria factum id proditur, vt huius tantæ dignitatis munere Comes delinitus, à propositis Regni occupandi consiliis recederet: cum se videret, si non Regis, inter-Regis saltem personam sustinere.* Hactenus Blancha, qui etsi patruos incusat nouarum rerum: plus tamen suspicionis aduersus Sanctium, quam contra Ferdinandum conceptum vulgo, ipsa Legati cautio manifestat. Sedandis nouis motibus valuere colligationes vrbium, Procerumque, quæ zelo pacis, & fidelitatis pro Rege factæ. Sed de his plura scriptores Aragonenses. Nunc ad alteram partem Legatiæ Ebredunensis Præsulis, & quæ ipsam sequuta, transeamus.

1. *Confirmata electio Simonis Comitis*, 2. *& litteræ Pontificis ad ipsum*, 3. *laudantes virum*, 4. *feudum confirmantes*, 5. *& exhortantes ad belli continuationem*, 6. *Diuersæ hæ ab his, quæ pro Iacobo.* 7. *Guidonis reditus cum Ludouico Principe*, 8. *occurrentibus Simone, Arnaldoque*; 9. *inter quos progrediente illo.* 10. *Dissensio orta super muris Narbonæ*, 11. *qui tandem diruti.* 12. *Tolosa tradita*, 13. *& muri etiam euersi*; 14. *atque alia nonnulla ibi peracta.*

CAPVT SECVNDVM.

1. CONVENIVNT omnes, confirmatam electionem Patrum ab Innocentio III. adiudicante Comitatum Tolosæ Monfortio Comiti: non tamen absolute, independenterve, vt putauit Gomezius lapsus errore, quo credidit præcessisse Concilium Lateranense; sed vsque ad ipsum, quod instabat celebrandum mense Nouembris, cum dominium Aprili concederetur; in Concilio infirmandum, aut confirmandum prout Patres conducentius iudicarent. Actæ præterea à Pontifice gratiæ militi Christi, laudata eius constantia, laborque, atque excitatus ad perseuerantiam animus aliàs acer, & qui vel vltro non foret destiturus. Narrat hæc omnia Petrus Vallsarnensis, productis litteris Pontificis ad ipsum. Sed eundem loquentem audiamus. [a] *Legatus, ait, & Archiepiscopi, & Episcopi, Patriæ Prouincialem miserant ad Dominum Papam, postulantes sibi Dominum, & Monarcham nobilissimum, & Christianissimum Comitem Montisfortis. Dominus autem Papa misit litteras Legato, & Prælatis, & etiam Comiti Montisfortis, sub eadem forma, quibus continebatur, quod ipse Dominus Papa, totam Terram, quam Comes tenuerat Tolosanus, Terras etiam illas, quas Cruce signati acquisierant, & quas Legatus tenebat per obsides, & custodes, commendabat Comiti Montisfortis custodiendas, donec in Concilio Generali, quod in Kalendas Nouembris illius anni Romæ conuocauerat, de Terris prædictis plenius ordinaret. Hoc audito Ludouicus, & Comes noster significarunt Legato de aduentu nunciorum. Legatus autem tunc erat prope Sanctum Ægydium cum pluribus Episcopis in ciuitate Arelatensi.*

2 *Cap.* 82.

Forma litterarum Domini Papæ ad Comitem Montisfortis, hæc est.

2. Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilecto filio suo nobili Viro S. Comiti Montisfortis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Nobilitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus, qua pura dilectione, mente sincera, & viribus indefessis, tanquam verus, & strenuus miles Christi, & inuictus Catholicæ fidei propugnator, prælia Domini laudabiliter præliaris. Vnde in omnem ferè Terram tuæ virtutis, & fidei sonus exiuit, propter quod super caput tuum multæ benedictiones effunduntur, ad gratiam tibi amplius acquirendam, & totius Ecclesiæ precamina congeruntur; & multiplicatis intercessoribus, corona tibi gloriæ conseruatur, reddenda tibi à iusto iudice in futurum, quam propter tua merita speramus esse tibi repositam nunc in cœlis.

Eia miles Christi, ministerium tum imple, 3. *currens per propositum tibi stadium, donec brauium comprehendas; nec in tribulationibus vnquam deficias, sciens collateraliter assistere Deum Sabaoth, Dominum videlicet exercituum, ac Principem militiæ Christianæ, nec velis bellicos sudores abstergere, antequam palmam victoriæ consequaris. Quinimo, cum bene inchoaueris bonum principium, ac media, quæ postmodum laudabiliter prosequi curasti, per longanimitatem, & perseuerantiam, quæ coronat, laudabilius optato fine studeas consummare; sciens iuxta Verbum Apostoli, neminem esse coronandum, nisi legitime decertantem.*

Cum igitur totam Terram, quam Comes tenuit Tolosanus, cum aliis Terris à Cruce signatis obtentis, quæ à dilecto filio nostro Petro Sanctæ Mariæ in Aquito Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato tenentur per obsides, vel custodes, vsque ad tempus Concilij Generalis in quo de ipsis consilio Prælatorum, plenius possimus salubriter ordinare, prudentiæ tuæ duximus committendas, vt eas conserues, custodias, & defendas, concedentes tibi redditus, & prouentus earum, cum iustitiis, & aliis ad iurisdictionem spectantibus, cum nec possis, nec debeas propriis stipendiis militare, saluis expensis, pro munitione & custodia Castrorum, quæ de mandato nostro tenentur; nobilitatem tuam cum 4. *omni diligentia commonemus totis affectibus in Domino postulantes, pro numine, ac sub obtestatione Diuini numinis obsecrantes in remissionem peccaminum iniungendo, quatenus non refugias hanc pro Christo Legationem recipere, cum ipse pro te, à Patre Legatione susceptâ, tanquam Gigas cucurrit vsque ad Crucis patibulum, & ad mortem, cum te totum deuoueris in Christi obsequio non deficies fatigatus, nec recuses vsque ad finem, bonam pro Christo militiam exercere; nec vnquam in cor tuum ascendat, vt tam dulcibus paternis obuies monitis, & mandatis, sed potius toto desiderio, & affectu amplecti studeas, quæ mandamus, vt in perpetuum Christi amplexibus foueari, qui te ad amplexus inuitans, extendit pro te brachia indefessa.*

Prouida etiam deliberatione diligenter attendas, 5. *ne in vacuum cucurreris, aut etiam laboraueris, si per tuam negligentiam locustarum multi-*

tudo, quæ de abyſſi puteo ſunt egreſſæ, ſed per tuum miniſterium de terra, quam occupauerant deiectæ, ipſam, quod abſit, iterum occupauerint, in exterminum plebis Dei. Nos autem quia pro certo ſperamus, quod de tua ſalute ſolicitus, numquam debeas mandatis Apoſtolicis obuiare, Baronibus, Conſulibus, & aliis Chriſti fidelibus in terris ſuis prædictis conſtitutis dedimus in mandatis, in virtute ſpiritus Sancti præcipientes diſtricte, quatenus plenarie intendentes mandata tua, ſuper negotio pacis, & fidei, & aliis, quæ ſuperius ſunt expreſſa, inuiolabiliter obſeruare procurent; contra impugnatores Catholicæ fidei, & pacis diſturbatores, magnifice, ac potenter tibi conſilium, & auxilium impendentes; ita quod eorum cooperante ſubſidio, negotium pacis, & fidei ſalubriter exequaris; quod prædicto quoque Legato præcipiendo mandamus, vt ſuper his ſtatuat, & diſponat, quidquid ipſi negotio viderit expedire; impendens tibi conſilium, & auxilium opportunum, & quod ſtatueris, faciat firmiter obſeruari, contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles, ſublato cuiuſlibet conditionis, vel appellationis obſtaculo, ad id quod viderit expedire, diſtrictione compellens. Datum Laterani, quarto nonas Aprilis, Pontificatus anno XVIII.

6. Hactenus litteræ Innocentij datæ ad Simonem; in qua eadem forma ſcriptum reliquis, qui eas adducit, Petrus teſtificatur. Nihil in his de Iacobo Aragonenſi, quod ſatis miror non alias efficacius commendando, ſeu reſtitui iubendo, quam in his litteris, in quibus nihil Innocentius negat Monfortio Comiti. Crediderim diuerſis diuerſas datas quibuſque concernentes negotia propria: & Archiepiſcopum Ebredunenſem miſſum à Synodo Monſpeſulanea, pro confirmanda electione Principis terræ, reportaſſe has ipſas, nullo alio negotio illis admixto; nunciis porro Aragonenſium Procerum, qui ſui Principis inſiſtebant reſtitutioni, traditas alias, in quibus ea ſola, neque vllum aliud negotium contineretur. De horum reditu, & traditione pueri iuxta tenorem Apoſtolici mandati, reliquiſque ſequutis ſatis dictum: de reditu Archiepiſcopi Ebredunenſis, & tradito Dominio Simoni Comiti, non multo poſt dicendum in hoc capite. Nunc de Guidone Carcaſſonenſi Præſule interim Crucem per Galliam prædicante, & nobilem prædicationis ſuæ fructum metente, ac reportante Ludouicum Principem, cum multis ex prima Galliæ nobilitate, quæ idem auctor ſcripſit, producamus. [b]

b Cap. 82.

7. *Anno Verbi Incarnati M. CC. XV. Ludouicus filius Regis Franciæ primogenitus, qui triennio iam tranſacto, Crucem contra hæreticos aſſumpſerat, ſed multis, & grauibus guerris fuerat impeditus; ſopitis pro magna parte guerris, quas contra hoſtes multos, & multum graues habebat pater eius, ipſe iter arripuit ad partes Albigenſium, vt votum ſuæ peregrinationis expleret. Venerunt cum eo multi nobiles, & potentes, qui omnes ad diem; quam eis præfixerat, in die Sanctæ Dominicæ reſurrectionis, conuenerunt ad Lugdunum. Fuerunt ibi cum Ludouico, Epiſcopus Beluacenſis, Philippus Comes S. Pauli, Galterius Comes Pontiui, Comes Sagienſis, & de Alancone, Robertus, Guiſcardus de Bello loco. Matthæus de monte Mauriniaco, vice Comes Maleduni, & multi alij probi milites, nobiles, & potentes. Fuit etiam ibi Venerabilis Epiſcopus Carcaſſonæ Guido, qui ad preces nobilis Comitis Montisfortis, paulo ante pro negotio fidei, ad partes deſcenderat Gallicanas, & cum Ludouico veniebat. Ludouicus autem, & qui cum eo erant, ipſum tenerrime diligebant, eiuſque voluntati, & conſiliis in omnibus acquieſcebant.* Hactenus fructus Guidonianæ prædicationis, ingens profecto, & tanto Viro dignus, cuique inde ſequendi ſucceſſus rerum, qui hoc anno fœlices, proſperique, non immerito valeant imputari.

Cæterum Ludouici, & cærerorum, quos adducebat Guido, velut itinerarium ab eodem auctore deſcriptum breuiter, vbi oportuerit, quibuſdam aliis additis, non iniucundum hic tranſcribere. [c] *In Craſtino Paſchæ, mouens Epiſcopus cum ſuis à Lugduno, venit Viennam: Comes autem Montisfortis occurrebat Domino ſuo, Ludouico, videlicet, lætabundus, & gaudens, & deſcenderat vſque Viennam, quanta autem fuerit in mutua illa obuiatione, & viſione exultatio, non eſſet facilè exprimere.* Hæc tantum ibi. At Ludouico etiam occurriſſe Arnaldum Archiepiſcopum, muros Narbonæ, ſi poſſet (nam diruendi ob perfidiam ciuium ferebantur) eius auctoritate conſeruaturum, idem auctor commemorat, & nos ex ipſo inferius adnotabimus. 8.

c vbi ſupra.

Progrediens Ludouicus (pergit Vallſarnienſis [d]) *cum ſuis, Vienna venit Valentiam: Legatus aptè de quo ſupra tetigimus, ſcilicet Magiſter Petrus Beneuentanus, occurrebat Ludouico, & venerat vſque Valentiam. Sicut in ſuperioribus expreſſimus, memoratus Legatus, ciues Toloſanos, & Narbonenſes, & alios, qui fuerant contra Chriſtianitatem, & Comitem Montis fortis abſoluerat, ſecreto ſuo, & prouido conſilio, quod ipſe nouit: Toloſanam inſuper, & Narbonenſem ciuitates, & alia Caſtra hoſtium Chriſti in partibus Albigenſibus in manu ſua, & protectione tenebat; timebatque ne Ludouicus, vtpote primogenitus Regis Franciæ & totius terræ, quam Legatus tenebat, Dominus Principalis, aliquid poteſtatiue vellet facere contra conſilium, & ordinationem Legati, aut occupando ciuitates, & Caſtella, quæ Legatus tenebat, aut etiam deſtruendo; ideoque ſicut dicebatur, & erat veriſimile, non placebat Legato aduentus, & præſentia Ludouici. Nec mirum. Cum enim tota terra ſæpius memorata veneno hæreticæ prauitatis infecta fuiſſet, Rex Franciæ, vtpote Dominus principalis admonitus fuerat, & multoties requiſitus, vt tanto morbo manum apponeret expulſiuam, & ab hæretica ſpurcitia purgare intenderet Regnum: ipſe vero non appoſuerat conſilium, vel auxilium. vt deberet. Et ideo cum terra illa per D. Papam auxilio ſignatorum fuiſſet acquiſita, non videbatur Legato, quod Ludouicus deberet, aut poſſet, contra ordinationes eius aliquid attentare. Videbatur etiam Legato, quia Cruce ſignatus erat, & tanquam peregrinus veniebat; vnde non deberet eius diſpoſitioni in aliquo contraire. Ludouicus autem, vtpote mitis, & benigniſſimus reſpondit Legato, quod ad voluntatem ipſius, & conſilium ſe haberet. Exiens Ludouicus à Valentia, venit ad Villam S. Ægydij. Dum eſſet Ludouicus in Villa S. Ægydij & Comes nobilis Montisfortis cum eo, venerunt à Curia Romana nuncij, quos ſicut ſupra memoratum eſt, Legatus, & Archiepiſcopi, & Epiſcopi Patriæ Prouincialis miſerant ad Dominum Papam poſtulantes ſibi Dominum, & Monarcham nobiliſſimum & Chriſtianiſſimum Comitem Montisfortis.* Hæc ille. 9.

d eodem ta.

Pergit deinde narrare, quæ ſupradiximus, de aduentu Ebredunenſis Archiepiſcopi, & litteris 10.

ris reportatis ab Innocentio. Verum quam subdit subortam controuersiam propter muros Narbonæ dirui iussos, inter Arnardum, & Simonem Comitem, cum ille siue patris affectu, siue iure Domini, seruare conaretur, quos hic diruere; nequaquam licet silentio præterire. *Progrediens*, ait, [c] *Ludouicus à Villa S. Ægydij venit ad Montem Pessulanum, & inde Biterrim: ciuitas autem Biterris distabat quatuor tantum Leucis à Narbona: ciues autem Narbonenses timore ducti, miserant ad Ludouicum significantes ei, quod parati erant ad faciendum eius in omnibus voluntatem. Nec silendum, quod Archiepiscopus Narbonensis Arnaldus, quantum poterat laborabat ad hoc, quod muri Narbonæ non diruerentur; ob hoc etiam descendebat obuiam Ludouico vsque Viennam: dicebat si quidem, quod sua erat Narbona, & hoc pro parte verum erat: insuper etiam Ducatum Narbonæ, quem ab antiquis temporibus Comes tenuerat Tolosanus, vsurpauerat sibi Archiepiscopus, & tenebat. Quamuis autem homines Narbonenses essent pro parte de Dominio Archiepiscopi, tamen contra Deum, & Christianitatem, Comitem Montisfortis, imò Christum impugnauerant toto nisu; ob hoc etiam in Villam suam intromiserant hostes Christi, & diu tenuerant, Archiepiscopo etiam, qui pro conseruatione murorum ita ardenter laborabat, graues præcedenti anno intulerat metus mortis; vnde videbatur nostris, quod Archiepiscopus contra vtilitatem Ecclesiæ, & suam etiam instabat, ne muri caderent Narbonæ. Propter hoc, & alia quædam, quæ non est necessarium replicare, aliquantulum discordiæ interuenerat inter Archiepiscopum, & Comitem Montisfortis: videbatur ferè omnibus, quod Archiepiscopus; quoad prædicta, non satis in futurum prouidebat vtilitati negotij fidei Christianæ.* Si licet exemplis, in paruis, grandibus vti, haud aliter inter Petrum, & Paulum orta dissensio, cum ille pro Iudæis zelaret, hic pro gentilibus.

c *Cap.* 2.

11. Verum quis tandem effectus sequutus sit, ex eodem Auctore referamus. [f] *Cum essent Bitteris Legatus, & Ludouicus, & Comes Montisfortis, & peregrini omnes de voluntate Legati, & Concilio Prælatorum, qui plures illuc conuenerant, ita est ordinatum, quod Ludouicus de voluntate, & auctoritate Legati, faceret dirui muros Narbonæ, Tolosæ, & quorumdam Castrorum; eo quod per munitiones illas, Christianitati euenerant multa mala. Inhibuit autem Ludouico, ne homines dictarum ciuitatum perturbaret in aliquo, nisi tantum in dirutione murorum. Quod, vt posset melius obseruari, Ludouicus mandauit ciuibus Narbonæ, vt ipsi ad arbitrium duorum militum, quos ad hoc misit Narbonam, infrà tres septimanas diruerent muros suos; quod nisi facerent, scirent se graniter puniendos. Cœperunt igitur Narbonenses diruere muros Iericho, Narbonæ, videlicet ciuitatis,* Hæc de Narbonæ muris solo æquatis, nec quidquam obsistente Arnaldo Præsule.

f *Cap.* 82.

12. Dum muri caderent Vrbis Narbonensis, Cardinalis Legatus Carcassonæ in Palatio Guidonis, iuxta mandatum Innocentij Papæ Guidoni Comiti Terram commendauit, quod eadem historia ita prosequitur. [g] *Ludouicus autem mouens à Bitteris, venit cum suis Carcassonam, vbi cum per aliquot dies moram fecisset, venit Legatus. Quadam igitur die conuocauit Legatus ad se in domum Episcopi Carcassonensis Episcopos, qui aderant, Ludouicum, & Comitem Montisfortis, & nobiles, qui erant cum Ludouico. Quibus omnibus Congregatis, Legatus iuxta formam mandati Apostolici, commendauit Comiti Terram, vsque ad Concilium generale.* Hæc Auctor ille, qui cunctis præsens fuit. Tum verò Comes ad Tolosam mittens Guidonem Fratrem claues vrbis accepit, eiusdem muros statim subuersurus.

g *ibidem.*

13. Minus Iuris Fulconi in propria Vrbe, quàm Arnaldo Narbonæ, seu maior forsan zelus iustitiæ fuerit? in dubio est: subuersioni murorum obstitisse, nequaquam lego. Et tamen constat subuersos ipso tempore, quod idem Auctor narrat paulo inferius. [h] *Nec silẽdum, quod ante quam exirent Legatus, & Ludouicus à Carcassona, Comes Montisfortis misit Guidonem Fratrem suum, & milites cum eo ad recipiendam, & occupandam ex parte eius Tolosam. Post hæc receperunt ex parte Comitis nostri Sacramenta fidelitatis à ciuibus, & præceperunt eis, vt diruerent muros ciuitatis; acquieuerunt ciues licet inuiti, nimiumque dolentes, & plus timore impulsi, quam amore inducti, cœperunt diruere muros suos. Ab illo igitur tempore humiliata est superbia ciuitatis Tolosanæ.* Hæc quidem omnia præsente Ludouico, iubenteque per quietem exequuta; si ab fuisset, per bella, & seditiones, aut tarde, aut nunquam forsan exequenda.

h *ibidem.*

14. Narrat hæc eadem Guillelmus de Podio paulo distinctius, quem adeo duxi in præsenti transcribendum. [i] *Anno*, ait, *M. CC. XV. fuit terra adiudicata Comiti Montisfortis, priuato inde per sententiam Comite Tolosano: & fuit traditum Castrum Narbonense eidem Comiti, & ipse nominatus, & iuratus Comes Tolosanus: atque à notariis ponebatur Comes Tolosæ in publicis instrumentis. Fecitque dirui muros ciuitatis, & pariter Burgi, & aquari fossata, & turres domorum fortium destrui infra Villam, vt vltra non auderent insurgere, contra ipsum, & Castrum Narbonense, quod tunc solidum erat, vsque in altum, sicut nunc est, vacuari tellure; iussitque fossata fieri inter Castrum, & ciuitatem.* Hactenus ibi. Porrò ex dictis corrigendus venit Abraham Bzouius, [k] qui vtriusque Vrbis murorum demolitionem posteriorem putauerit Concilio Generali Lateranensi, cuius contrarium ex Petro Vallsarnensi facile constat. Tum quia præsente Ludouico Principe, Legatoque, quorum alter infra Paschæ tempus aduenies, expleta quadragena dierum, adeóque circa mensem Iulium reuersus est, Concilio celebrando mense Nouembri: alter post redditum Concilio ipsi interfuit. Tum quia Concilio celebrato sub finem anni, si murorum euersio sequuta fuisset, ad sequentem spectaret, cum tamen factam hoc ipso M.CC. XV. ipse etiam Bzouius cum aliis confitetur.

i *Cap.* 26.

k *Ad hunc annum.*

1. *Concilium Generale Romæ coactum* 2. *Ioachimi Abbatis in Petrum Lombardum liber,* 3. *qua occasione scriptus,* 4. *& quo excessu?* 5. *In eodem Concilio damnatus est,* 6. *& conuicta doctrina:* 7. *Salua auctoris persona,* 8. *qui omnia Ecclesiæ iudicio ante submiserat* 9. *subscripta ad hoc Epistola notanda* 10. *Aliæ eiusdem Abbatis excusationes,* 11. *vt non omnino certæ, non improbabiles.*

CAPVT TERTIVM.

1. INDIXERAT Generale Concilium Romæ Pontifex Innocentius, ad Kalendas Nouembris celebrandum. Bzouius hunc annum à fine illius orsus, celeberrimum vocat.[a] *Omnium, quæ vnquam fuerunt, numerosissimo Patrum Romæ in Basilica Lateranensi celebrato Concilio.* Matthæus Paris, atque Abbas Vspergensis eius sæculi Auctores, eisdem ferè verbis, illud describunt.[b] *Eodem anno, id est, Dominicæ Incarnationis millesimo, ducentesimo, decimo quinto celebrata est Romæ Sancta, & vniuersalis Synodus in Ecclesia Sancti Saluatoris, quæ Constantiniana appellatur, mense Nouembris, præsidente Papa Domino Innocentio III. Pontificatus eius anno XVIII. In quo fuerunt quadringenti Episcopi, & duodecim; inter quos fuerunt de præcipuis, Patriarchæ duo, Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus. Antiochenus verò, (Petrus, vt puto, Cisterciensis, de quo superiùs) graui languore detentus, venire non potuit, sed misit pro se Vicarium suum Antididensem Episcopum. Alexandrinus verò sub Sarracenorum dominio constitutus, fecit, quod potuit, mittens pro se Germanum Diaconum suum. Primates vero, & Metropolitani LXXVII. Abbates, & Priores vltra octingentos. Procuratores quoque Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Priorum, & Capitulorum absentium, non fuit numerus Legatorum verò Imperatoris Constantinopolitani, Regis Siciliæ in Romanorum Imperatorem electi, Regis Franciæ, Regis Angliæ, Hierosolymitani, Cypri, Arragonum, nec non aliorum Principum, & Magnatum ciuitatum, & aliorum locorum, ingens adfuit multitudo.* Hactenus illi.

a num. 1.

b apud Seuer. Vini.

2. In hoc Concilio concernentia Cistercium multa, prospera, aduersa, media; quæ in his Annalibus veniunt memoranda. Ioachimi Abbatis in Magistrum sententiarum condemnatus libellus, deferentibus nostris, vt dicebatur: quod aut prædixerat ipse, aut coniectauerat. Scripsisse contra Petrum Lombardum superiùs diximus, atque eum libellum inter opera eius memorauimus. *Causam scribendi* (ait Seuerinus Vinius[c]) *ei, id est, Ioachimo, dedisse videtur Alexander Papa, qui cum relatu aliorum accepisset, quod Magister Petrus Lombardus, in quibusdam scriptis suis, ab articulis fidei recederet, Auctore Matthæo Paris prædicto loco, ad VVilhelmum Senonensem Archiepiscopum sub hac forma litteras direxisse scribitur.*

c in notis ad hoc Concilium.

Alexander Episcopus, Seruus Seruorum Dei VVilhermo Senonensi Archiepiscopo salutem.

3. *Cum in nostra olim esses præsentia constitutus, tibi viua voce iniunximus, vt suffraganeis tuis Parisiis tibi adscitis, ad abrogationem praua Doctrinæ Petri quondam Parisiensis Episcopi, qua dicitur: Quod Christus, secundum quod est homo, non est aliquid: omnino intenderes, & efficacè operam adhiberes. Inde siquidem est, quod Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, quod tibi, cum præsens, præcipimus: suffraganeos tuos Parisios conuoces, & vna cum aliis viris religiosis, & prudentibus, præscriptam Doctrinam studeas penitus abrogare, & à Magistris scholaribus ibidem in Theologia studentibus, Christum, sicut perfectum Deum, sic & perfectum hominem, ac verum hominem, ex anima, & corpore consistentem præcipias edoceri: vniuersis firmiter, & districtè iniungens, quod Doctrinam de cætero illam nequaquam docere præsumant, sed ipsam penitus detestentur.* Hactenus Alexander ad Senonensem.

Coniectatur ergo Vinius prædicto loco, ex hac Epistola exhortatū ab VVilhelmo Ioachimum Abbatem, vtpotè virum magnum, & Doctrina inter primos illius æui, impugnasse Magistrum: neque solum in illo, de quo Alexander, sed in aliis articulis: siue hominis in aliquo damnati suspecta omnia, eóque refellenda iudicaret: siue impugnantes plerumque morbus inuadat, vt in omnia inuehantur, nec satis, habeant in vno, aut alio lapsum, quem sibi semel hostem proposuere, si non in omnibus à veritate deuium, errantemque multimodis argumentis comprobauerint. Et fortè ob hoc Ioachimus permissus labi, vt proprio experimento tandem disceret, vix vllum hominem immunem ab errore: vix in omnibus verum assequentem, aut ne vix quidem. Haud tamen adeò desipere putandos, qui in aliquo desipiunt, vt in omnibus errent, & posse salua fide, falli in aliquo, etiam spectante ad fidem, si absit contumacia, & solus intellectus decipiatur, voluntate parata ipsum corrigere. Certè idē Ioachimus non aliunde ab Innocentio indemnis declaratur, quam ex hac voluntatis præparatione ad corrigendum omnia iuxta Sanctæ Matris Ecclesiæ diffinitionem. Vtcumque fuerit, damnatus in hoc Concilio, non ipse, sed libellus ab ipso editus contra Petrum Lombardum, inserta vtriusque sententia, damnationi, quæ postmodum translata ad corpus iuris, atque à multis auctoribus transcripta, post declaratos nonnullos fidei articulos sic habet.[d]

4.

Damnamus ergo, & reprobamus libellum, seu tractatum, quem Abbas Ioachim edidit contra Magistrum Petrum Lombardum de vnitate, seu essentia Trinitatis,[e] *appellans ipsum hæreticum, & insanum; pro eo quod in suis dixit sententiis, quoniam quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; & illa non est generans, nec genita, nec procedens: vnde asserit, quod ille non tam Trinitatem, quam quaternitatem astruebat in Deo, videlicet tres personas, & illam communem essentiam, quasi quartam: manifeste protestans, quod nulla*

d de summa Trinitate, & fide Catholica.

5.

e Lib. 1. distinct. 5.

nulla res est, quæ sit Pater, & Filius & Spiritus Sanctus, nec est essentia, nec substantia, neque natura, quamuis concedat, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt vna essentia, vna substantia, vnaque natura. Verum vnitatem huiusmodi non veram, & propriam, sed quasi collectiuam, & similitudinariam esse fatetur; quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles, vna Ecclesia; iuxta illud; multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna; & qui Deo adhæret vnus Spiritus est cum illo. Item ille, qui plantat, & qui rigat vnum sunt: & omnes vnum corpus sumus in Christo. Rursus in libro Regum: Populus meus, & populus tuus vnum sunt. Ad hanc autem suam sententiam adstruendam, illud potissimum verbum inducit, quod Christus de fidelibus inquit in Euangelio. Volo pater, vt sint vnum in nobis, sicut, & nos vnum sumus, vt sint consummati in vnum. Non enim (vt ait) fideles Christi sunt vnum, id est, quædam vna res, quæ communis sit omnibus: sed hoc modo sunt vnum, id est, vna Ecclesia propter Catholicæ fidei vnitatem, & tandem vnum Regnum propter vnionem indissolubilis charitatis, quemadmodum in Canonica Ioannis Apostoli Epistola legitur: quia tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres vnum sunt. Statimque subiungitur: Et tres sunt qui testimonium dant in Terra, Spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres vnum sunt. Sicut in quibusdam codicibus nos habemus,

6. *Nos autem sacro approbante Concilio, credidimus, & confitemur cum Petro: quod vna quædam summa res est, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres simul personæ, ac sigillatim quælibet earundem: & ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas: quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet, substantia, essentia, seu natura Diuina: quæ sola est vniuersorum Principium, Pater, quod aliud inueniri non potest: & illa res non est generans, neque genita, neque procedens; sed est Pater, qui generat: & Filius, qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit: vt distinctiones sint in personis. & vnitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus: non tamen aliud, sed id quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus idem omnino: vt secundum Orthodoxam, & Catholicam fidem consubstantiales esse credantur. Pater enim ab æterno Filium generando, suam substantiam ei dedit: iuxta quod ipse testatur: Pater, quod dedit mihi, maius omnibus est. Ac dici non potest, quod partem substantiæ suæ illi dederit, & partem ipse sibi retinuerit: cum substantia Patris indiuisibilis sit: vtpotè simplex omnino. Sed neque dici potest, quod Pater in filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi, alioqui desiisset esse substantia. Patet ergo, quod sine vlla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit: & ita Pater, & Filius habent eandem substantiam: & sic eadem res est Pater, & Filius, nec non & Spiritus Sanctus ab vtroque procedens.*

7. *Cum ergo veritas pro fidelibus suis orat ad Patrem: volo (inquiens) vt ipsi sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus: hoc nomen vnum: pro fidelibus quidem accipitur, vt intelligatur vnio charitatis in gratia: pro personis vero Diuinis, vt attendatur identitatis vnitas in natura: quemadmodum alibi veritas ait: Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est: ac si diceret manifestius: Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester cœlestis perfectus est perfectione naturæ; vtraque videlicet suo modo: quia inter creatorem, & creaturam, non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda. Si quis igitur sententiam vel doctrinam præfati Ioachim in hac parte defendere, vel approbare præsumpserit, tanquam hæreticus ab omnibus euitetur. In nullo tamen propter hoc Florensi Monasterio (cuius ipse Ioachim extitit institutor) volumus derogari: quoniam ibi & regularis est institutio, & obseruantia salutaris; maximè cum ipse Ioachim omnia scripta sua nobis assignari mandauit, Apostolicæ Sedis iudicio approbanda; seu etiam corrigenda; dictans Epistolam, quam propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur, se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia: quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est, & Magistra.* Hactenus diffinitio Sacri Concilij.

Protestationem Ioachimi Abbatis superius dedimus, quo anno ab ipso facta, Christi nimirum millesimo, ducentesimo. Cæterum, cum quæ Concilio suffecisset absoluendæ personæ, atque soli libello commendando, detractoribus eius non sufficeret: ne in Ioachimum, atque in Congregationem ab ipso ortam inuecherentur, Honorius Papa III. intra sexennium aliam vlterius expediuit declarationem in fauorē vtriusque, quam suis scholiis inseruit Franciscus Peña, protestationi subiiciens sequentia verba: *Illud hic non omiserim, Honorium Papam III. anno Domini M. CC. XXI. declarasse, quod per huiusmodi condemnationem, de qua in dicto cap. Damnamus, ipse Ioachim non hæreticus, sed propter confessionem, & protestationem præfatam Catholicus reputetur. Item quod nullum præiudicium Monasteriis, & personis Ordinis Florensis, cuius ipse extitit institutor, factum censeatur. Honorij autem declaratio, ex Regesto eiusdem in Bibliotheca Vaticana, & Bibliotheca item Illustrissimi Iulij Antonij Sanctorij Cardinalis Sanctæ Seuerinæ, qui nunc successor est eiusdem Abbatis Ioachim in Abbatia; ita habet.*

Honorius &c. Cosentino Archiepiscopo, Bisiniacensi.

Ex parte dilectorum filiorum Abbatum, & Conuentuum de Ordine Floris, tam capitis, quam membrorum, fuit propositum coram nobis, quod is, qui saluti hominum inuidet, & quieti, occasione assumpta, ex eo, quod libellus, quem Abbas Ioachim contra bonæ memoriæ Magistrum Petrum Lombardum edidit, in Generali fuit Concilio condemnatus, contra eos nonnullos, tam clericos, quam laicos, Prælatos, & subditos, concitauit: qui, vt ipsos ab otio contemplationis auertant, & funes extendendentes in laqueum pedibus eorumdem, ponat eis scandalum iuxta iter, ipsis obiiciunt exprobrando: quod idem Abbas, qui Pater, & institutor fuit Ordinis eorumdem, hæreticus ab Ecclesia Dei habetur: propter quod non solum simplices lactis participes; à consortio eiusdem Ordinis auertuntur, sed etiam fortes, qui vti cibo solito didicerunt, & ad discretionem boni, & mali exercitatos pro consuetudine habent sensus, circa instituta eiusdem Ordinis incipiunt fluctuare. Licet igitur prædictus libellus, siue tractatus, condemnatus fuerit in Concilio memorato; quia tamen idem Ioachim omnia scripta sua Romano mandauit Pontifici assignari, Apostolicæ

8.

9.

lica indicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans Epistolam, cui propria manu subscripsit, in qua firmiter confessus, se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ (disponente Domino) cunctorum fidelium mater est, & Magistra. F. T. per Apostolica scripta mandamus, quatenus per totam Calabriam faciatis publice nunciari, quod eum virum Catholicum reputamus, & regularem obseruantiam, quam instituit, salutarem. Eos qui Ordini memorato ex hoc detrahere, vel insultare præsumpserint, mo. præm. sub. Apost. ob. Castigantes. dat. Laterani XIII. Kalendas Ianuarij anno V. Ergo Ioachimus indemnis à nota hæresis, quamuis in illo libello, atque eius doctrina, humana fragilitate deceptus fuerit.

10. Certè virum alienum à contumacia, præter illam Epistolam plura alia argumenta manifestant, maximè autem continua illa petitio, quam suis adeo voluit familiarem, vt Litaniis insereret, testante in eius vita Iacobo Græco. [f] *A spiritu superbiæ Libera nos Domine. A duritia cordis Libera nos Domine.* Haud alia vitia propiora contumacibus, quam superbia, & duritia: sed neque alia detestata Ioachimo magis, aut à quibus se liberari, aut peteret intensius, aut affectuosius, & ardentius desideraret. Atque hæc quidem, si reuera ita censuit. Nam quid, si aliter? Quid si defunctus non potuit explicare, quæ viuens scripserat: eóque in alio sensu interpretata meruere censuram, quem fortè in suo (quod euenit non semel) potuissent euadere; & solo alicuius notæ additamento, velut antidoto præuio sustineri? Quid si in opusculo aliqua supposita, scribentium insciția, malitiave, quod palam est contigisse aliis auctoribus? Ego vt non ausim in hoc iudicium ferre: sic neque dubitantes damnare possim, Iacobum Græcum, & Franciscum Biuarium, qui illum refert. Huius vltimi verba, quia omnia complectuntur, proferre libet. §

f *Sect. 46.*

g *In Apol. gia n. 12.*

Cæterùm quantum ex lectura operum Ioachimi coniicio, quorundam sui ordinis Monachorum astu, quos zelus imprudens vrebat, apud Innocentium, & Concilium accusatus est, & verba libri de vnitate Trinitatis, in alienum à mente auctoris sensum distorta fuere: vt ita in pleno Patrum consessu erroris insimularetur: aut forsan aliquid suis libris dolo malo additum fuit. Ita certè ante nos suspicatus est Iacobus Græcus sectione 22. inquiens: An verò aliquid fuisset oppositum in opere illo, antequam Concilio præsentaretur, Dei iudicio examinandum relinquatur. Nam hoc ipsum prædixisse videtur in cap. 11. Hierem. ad illa verba; ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam. Et paulò inferiùs. *Detulerunt igitur causam eiusmodi ad Concilium, à quo in eo sensu, quem verba eius prætendere videbantur, liber præfatus anno Domini M. CC. XV. sententiam damnationis accepit. Sed verò Ioachimus minus se defendere potuit, cum anno superiori ab Incarnatione Domini M. C C. XIV. vltima Martij diem clausisset extremum, vti Iacobus Græcus aperit in eius Chronologia sectione 36. Nihilominus ab octodecim annis condemnationem suam perspicuis verbis prædixerat, anno scilicet M. X C. XVII. quo ipse Commentaria in Hieremiam celebrauit, ipso teste, dum ad caput 24. dixit: Agitur enim nunc MC. X C V I I. annus, &c. Prophetia verò extat ad caput 11. Et tam manifesta est, vt librum, & materiam libri postea condemnandi, accusatores itidem, & Romanum Pontificem, qui eum condemnaturi erant propriis exprimat nominibus.* Ita Biuarius satis luculenter. Qui statim pergit ad Ioachimi prophetiam de sua damnatione, quam nos, quo anno facta, iam tradidimus. Hæc in gratiam tam Ioachimi, quam historiæ, nè quid Annalibus dignum, atque nostros concernens prætermittamus.

---

1. *Fulco Dominicum ad Concilium Romam adducit.* 2. *Pontifici præsentat.* 3. *Egregiam pro eodem operam nauat* 4. *De ipsóque testimonium insigne perhibet.* 5. *Quid statim Pontifex pro noui Ordinis Prædicatorum constitutione?* 6. *Et quod eius officium ex Cæsario?* 7. *Alnensis Simon vocatus ad Concilium,* 8. *qua occasione.* 9. *& quam multis propheta probatus fuerit?* 10. *Pax inter nostros occasione chartæ charitatis cœpta turbari,* 11. *resarcita in Concilio,* 12. *emendatus Chrysostomus Henriquez, qui Alanum magnum eidem affuisse tradit.*

CAPVT QVARTVM.

1. IN eodem Concilio cœptum agi interuentu nostrorum, sed præcipuè Fulconis Tolosani, de approbando in Ecclesia nouo Ordine, Prædicatorum titulo, quem magnum illud totius Ecclesiæ lumen Dominicus Gusmanius, paucis sociis assumptis concepisset. Cum enim Fulco eundem virum Dei, ob animi virtutes eximio charitatis amore prosequeretur, Romam hoc anno ad Concilium profecturus, ad Pontificem duxit, & difficilem nouis institutis (Diuina, vt ferunt, cooperante reuelatione) testimonio gestorum, à Dominico, & sociis, deliniuit; & vt non quam petebant approbationem, quæ parumper dilata; at eius promissionem impetrauit. Quod omnes ferè illius ævi auctores memoriæ produnt: Theodericus de Apoldia Dominicanus. [a] *Anno Christi millesimo ducentesimo, decimo quinto, cum ex omnibus orbis partibus ad Concilium Generale Romam proficiscerentur Episcopi, & Prælati. Venerabili, & Sancto Viro Fulconi Tolosano Episcopo eo contendenti, piissimus Christi minister Dominicus adiunctus est; quos ita charitas inter se colligarat, & spiritus I E S V moderabatur, vt salutem animarum ardentissimo zelo sitirent. Tempus igitur opportunumm rati se adeptos, quod iam pridem conceptum, & deliberatum erat de instituendo ordine Prædicatorum, summo Pontifici explicare statuerunt. Cumque ea, qua par erat, humilitate, & reuerentia Pontifici sua vota exposuissent, visus est initio non nihil se opponere Domini dispensator.*

a *Apud Sur. lib. 1. c. 12.*

Eadem habet Vincentius Beluacensis, ex eadem familia: sed de visione sequuta paulo distinctius.

b lib.3.c.65. stinctius. b *Ad hoc autem Concilium*, ait, scilicet Lateranense, *proficiscente Fulcone Tolosano Episcopo, adiunctus est ei vir Sanctus Dei Dominicus, qui ab eodem Episcopo, propter suæ meritum Sanctitatis tenero dudum fouebatur affectu. Cum quo etiam Summum Pontificem Innocentium adiit, atque ordinem, qui Prædicatorum diceretur, & esset, confirmari sibi, suisque sequacibus postulauit. At iste ad postulationem huiusmodi visus est aliquantulum primitus se difficilem exhibere; quod tamen sine nutu Diuino factum non est, vt nimirum ex reuelatione sequenti Vicarius Iesu Christi cognosceret, quam necessarium esset vniuersali, cui præsidebat Ecclesiæ, id ad quod vir Dei Dominicus inspiratus Diuinitus aspirabat, sic enim à pleriſque fide dignis compertum est. Quadam nocte idem Summus Pontifex, Deo sibi reuelante, videbat in somnis, quod Lateranensis Ecclesia, quasi suis compagibus resoluta, grauem subito minaretur ruinam. Quod cum tremens simul, ac mœrens aspiceret, ex aduerso vir Dei Dominicus occurrebat, humerisque suppositis, totam illam fabricam casuram sustentabat. Cuius visionis, & nouitatem admirans, & significationem prudenter intelligens, sine vllo dilationis obstaculo viri Dei, & commendauit propositum, & petitionem hilariter acceptauit.* Hactenus ex Vincentio Beluacensi.

3. Cæterum de eximia, quam idem Fulco nouo ordini instituendo nauauit opera, præstat, quamuis recentem Thomam Maluendam, atque apud ipsum Sebastianum Olmedam, Dominicanæ vtrumque familiæ, auctorem in medium producere. c *Verumtamen*, ait, *considerandum est, Fulconem Episcopum adiunxisse sibi Comitem Sanctum Dominicum, eo consilio, vt fundati Ordinis firmationem vterque à Romano Pontifice postularet; nam id quoque Fulconem summopere concupisse iam superiùs notauimus. Voluit namque vir Apostolicus scilicet Sanctus Dominicus tanto patrono vti, Sanctissimo nimirum, & magni nominis Episcopo, quo & facilior sibi ad Pontificem pateret aditus, & maior dictis ipsius fides adhiberetur, ex optimi Præsulis auctoritate. Fulco autem, cui Dominici virtutes notæ satis, atque perspectæ erant, abundè apud Pontificem cuncta referebat, causámque hominis Dei egregiè iuuabat.* Hæc in propria persona Thomas Maluenda.

c Ad hunc annum.

4. At Sebastianus Olmeda ab eodem citatus paulò inferiùs; Fulconem etiam, post reuelationem consultum à Pontifice, egregiè respondisse pro Sancto Patre; atque eidem cooperantem reuelationi, promouisse instituti approbationem, aureis verbis, scriptum etiam habet, dum sic vtrumque loquentem introducit. d *Pontifex ergo euigilans, (scilicet à somno in quo ei facta fuerat reuelatio) clam vocato ad se Fulcone, quæsiuit ab eo dicens: Vnde est iste? & quæ religio hæc noua? Cui ille. Vir est*, inquit, *genere Hispanus, origine clarus, vita Apostolicus; quem Didacus olim Episcopus secum in Galliam, non tam in suæ peregrinationis socium, quam Sanctæ conuersationis transuexit. Hunc post vidimus in medio praui, & peruersæ nationis, in assidua Euangelij promulgatione, ac defensione magna vitæ puritate, & austeritate diu perseuerantem, docemémque cum Ioanne fugere à ventura ira; qui fide feruens, charitate flagrans, manum misit ad fortia, salutis proximorum factus vehemens æmulator. Habet & in Sancto proposito nonnullos sectatores, quos Tolosæ in vnum congregatos reliquit.* Hoc testimonium Fulconis apud Olmedam. Papirius Massonius nequaquam renuit scribere, quidquid hoc anno factum pro nouo ordine in gratiam Fulconis ab Innocentio. *Hic enim*, ait, e *est ille Fulco, in cuius gratiam Innocentius annuit Dominico sectam suam instituere meditanti*, &c.

d ibidem.

e In Philipp Augusti.

Igitur Pontifex reuelatione motus, & tanti viri testimonio, velut impulsus, placidum magno Patri responsum dare statuit. Reuertatur ad socios, eligat regulam, quam sibi aptiorem putet ex approbatis, & si quas velit instituto accommodas, aliquas superaddat constitutiones: tum vero demum ad ipsum reuertatur; discussurum proposita, & quæ ex vsu clementer approbaturum. De his hæc habet Vincentius eodem loco. f *Pontifex*, ait, *sine vllo dilationis obstaculo, viri Dei, & commendauit propositum, & petitionem hilariter acceptauit; hortans eum, vt ad fratres suos rediens, & diligenter deliberans, cum eisdem pari voto regulam sibi aliquam approbatam eligerent, super quam inchoandi ordinis promotionem firmarent. Et sic deinde ad ipsum veniens, confirmationem ad libitum reportaret. Quod sapienter sanè, nec sine spiritu Sancto suggerente, considerauit vir Sanctus: sciens nimirum validiora esse ædificia, quæ fundamentis ex antiquo suppositis innituntur, viásque antiquas, & regias nouis semitis tutiores, dicente Domino per Prophetam, State super vias vestras, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Eadem habent Theodericus, aliique. Qualiter autem reuersus Beatus Pater cum Fulcone Episcopo, atque eius per omnia consilio vsus, & elegerit regulam, & constitutiones quasdam à Cistercio desumptas maiori parte superaddiderit, atque in Ecclesia Sancti Dominici à Fulcone accepta, noui Ordinis Monasterium primum condiderit; anno sequenti, quo euenit, dicemus.

f lib. 3. c.65.

5.

6. Nunc, quæ noster Cæsarius Heisterbacensis de sacræ huius familiæ institutione, paulò pòst scripsit; quia ad tempus maximè Innocentij refert, velut noui ædificij lineamenta pro Coronide veniunt transcribenda. g *Occasione igitur hæreticorum, Albiensium maximè sub Innocentio Papa institutus est inspiratione Diuina ordo Prædicatorum. Qui veraciter, & merito nubibus volantibus comparantur, eo quod mente superiores, nihil in hoc mundo possideant: propterea mundanum timorem abiicientes, minis tonant; per quorum ora, necnon & aliorum Sanctorum Prædicatorum Crucem prædicantium, filius hominis venit, & quotidie venire non desinit, innumerabilium ad peccatorum corda cum potestate magna, peccata illis remittendo, & Maiestate virtutes illis infundendo.* Ita Cæsarius argutè satis, & verè de nouo Ordine.

g Domini 2. Aduentus.

7. Ad idem etiam Concilium veniſſe lego Venerabilem Simonem conuersum Alnæ, cuius suprà meminimus, vocatum à Pontifice, cum fama eius iam vrbem repleuisset. Cæterùm quis præcipuè eam extenderit, atque illuc adduxerit, idem, qui suprà Cæsarius his verbis narrat. h *Notarius quidam Romanæ curiæ, cum eundem Simonem ex relatione multorum didicisset spiritum habere Prophetiæ, desiderio videndi eum ab vrbe venit in Alnæ Monasterium, volens, illo præsente, peccata sua confiteri, sperans ab eo corrigi; si aliquid omitteret, animari, si minus plenè diceret. Quem cum non inuenisset in Abbatia, ductus*

h lib. 3. Dialog. c. 33.

ductus est in grangiam eiusdem cœnobij, quæ Celenies vocatur, in qua ille Magister erat. Quem mox, vt Frater Simon respexit, causam aduentus eius intellexit; & ait: Domine expectate me hic; ego enim ibo pro negotio domus meæ ad talem locum, & cum rediero, paratus vobis ero ad omnem vestram voluntatem. Iuit, & rediit, & cum à Clerici ore didicisset, quod tamen ignorauit, misit ad Monasterium petens sibi transmitti confessorem discretum. Cui, cum præsente conuerso, idem Clericus peccata sua satis deuotè confiteretur, & in diuersis locis aliqua per obliuionem transiliret, quædam etiam per erubescentiam minus integraliter cum suis circumstantiis exprimeret, interrumpens eius confessionem iam dictus Simon ait: Quare hæc, & hæc peccata subticetis? Ista in tali loco ex leuitate, nulla ex necessitate fecistis, vbique eum corrigens, ita vt valdè miraretur, & cum Regina Austri mediam partem gratiæ eius non audisse fateretur.

8. *Rediens vero ad vrbem cum gaudio magno, per totam curiam in tantum suum Prophetam magnificauit, vt Dominus Innocentius Papa ad Concilium suum Generale illum vocaret. Vocatúmque de pluribus interrogaret; à quo tam ipse, quam cæteri Cardinales didicerunt experimento, quod spiritu polleret Prophetico. Hæc mihi retulit bonæ memoriæ VValterus de Birbach. Monachus in Hemmenrode, qui ei familiarissimus fuit, & plura de illo recitare consueuit.* Addit Cæsarius, quod contigit Notario, peccatrici etiam cuidam contigisse, Simone coram peccata sua confessæ, *quam non sinebat aliquid per obliuionem, siue per erubescentiam supprimere, vtique eius corrigens confessionem.*

9. Addam & aliud eiusdem serui Dei, & doni, quo pollebat Prophetiæ experimentum satis admirandum, quod ab eodem auctore memoriæ proditum, nec certum tempus habens, in hoc commodius venit referendum. [i] *Die quadam cum idem Simon in choro Villarienſi staret inter cæteros conuersos, conuersus quidam Euergildus nomine, Frater carnalis Beatæ memoriæ Vlrici eiusdem domus Monachi, ex opposito eius stans, cœpit in eo scandalizari, & dicere in corde suo: Non videtur mihi talis esse conuersus iste, sicut ab omnibus prædicatur, neque ea, quæ dicit spiritu dicere Prophetico, sed tantum coniiciendo, & cœpit eum despicere. Mox finita hora, assumpto Vlrico Monacho, cœpit ei per ordinem replicare, quæ ille tractauerat in corde suo, dicens: Monete Fratrem vestrum, ne de cætero tam insipienter gratiam Dei in aliis iudicet, ne fortè ex hoc vindictam sentiat. Quod cum feciſſet, expauit Euergildus, discens experimento, quod altis nauantibus credere non potuit de illo. Horum autem, quæ dicta sunt, testis est dominus VValterus Abbas Villarienſis, cuius superiùs feci mentionem, à cuius ore ea audiui.* Hæc de Simone Alnensi viro Sancto, vocato ad hoc Concilium ab Innocentio. Reliqua eius, aut superiùs diximus, aut, Deo dante, infra commemorabimus.

[i] Lib. 3. c. 33.

10. Circa hoc tempus controuersia orta inter nostros, dum extra erumpit, atque in Concilio dirimenda venit, quos mundus hactenus Angelos putarat, ostendit homines: maiori heu opinionis amissæ damno, quam fructu iustitiæ; quæ vix, aut nunquam per exteros sarcitur, sine aliqua animorum (etiam pacatissimorum) irritatione. Iecerant prima semina discordiæ primi Cistercij Patres, ita communis hostis procurauerat, vt ab his, quasi ab Ordinis Capitibus, in totum corpus facilius grassaretur. Eius occasio charta charitatis: adeo nullæ leges tam prouidæ esse possunt, vt in contrarium non valeant retorqueri. Arnaldus Pater dum litteræ insistit, in quatuor primos, non secus ac in alios Cistercij filios animaduertere, à sede, atque ab officio remouere, deponere, exigentibus causis, sibi concessum: illi è contra speciale priuilegium, vt nullus eorum, nisi cum aliorum trium consilio deponi posset, præseferebant Id consuetudine longa comparatum, & rationi subnixum. Cur enim cæteris æquentur primi Abbates, qui cæterorum omnium parentes essent? aut cur eandem in ipsos iurisdictionem Cisterciensis obtineat, quem ipsi visitarent, & cui adeò suspecti, aut quem è contra suspectum habere possent. Visitet, & procedat ad alia solus non nisi ab omnibus quatuor visitandus. Sed ad depositionem non procedat sine aliorum consilio: vt vel sic sciant omnes quæcumque fecerit, non liuore, sed zelo, iustitia, non vindicta exigente esse sancita. Rem ne in publico coram Patribus Concilij discuteretur, aut forte ad eum delatam ante Concilium, Cardinali Episcopo Hostiensi Innocentius commisit: non tamen iudicandam (adeò tunc omnes Cistercium venerabantur) sed inter partes amice componendam.

11. Igitur Cardinalis neutri cõsentiens, vt vtrãque facilius conciliaret, hanc fecit de vtriusque consensu cõpositionem. [k] *Quando aliqua de quatuor primis Abbatiis vacauerit, Abbas Cistercienſis ad electionem celebrandam aduenias: ibidemque secundum chartam charitatis electio celebretur. Si autem Abbas Cistercienſis aliquem de quatuor primis deponere, exigentibus culpis intenderit; ad domum illius ducet secum, quos volet Abbates, & domus illa ab eodem Cistercienſi Abbate quatuordecim diebus ante præmonita, vocabit de filiis suis, quos ei placuerit. Et tunc Cistercienſis cum consiliis hinc, inde congregatorum causam tractabit, & deinde faciat, quod fuerit faciendum.* Hactenus coram Cardinali inita concordia, quæ siue animos omnino non pacauerit, seu remouendis dubiis, quæ emergere possent, perlata ad Innocentium in hoc Concilio, atque ab eodem confirmata est, hac superaddita tantum declaratione. *Vt Cistercienſis Abbas prædictas causas, Abbatibus hinc inde congregatis, tractet: & cum eorum omnium, vel sanioris partis ipsorum consilio faciat, quod fuerit faciendum: quæ tamen pars sit sanior ipse decernat. Sed si (quod absit) minus sanæ partis consilio vsus processerit, referatur ad Capitulum generale, & à Diffinitoribus Capituli, prout dignum fuerit, corrigatur.* Hæc additio Innocentij non minus deferentis vtrique parti, sed neutri consentienti, vt vtraque alterius repulsam sibi adscriberet. Porro hæc in Concilio esse tractata, decretaque constat litteris Honorij Papæ III. Datis cum primum Innocentio succesſit sequenti anno: itemque ex aliis ab eodem expeditis non multo post, quas in tempore dabimus. Interim adnoto erumpentem semel discordiam nullis potuisse sedari compositionibus, nullis secretis tractatibus occludi, quominus iterùm, iterúmque repullularet, & causa ipsa denuo dirimenda Apostolicæ Sedis iudicio præsentaretur: sed de his tempore suo dicemus.

[k] Ex Regest. Vatic. Epist. Honor. lib. 1.

12. Vltimo loco castigandus venit Henriquez in Menologio, ad trigesimam diem mensis Ianuarij,

vbi

vbi huic Synodo affuisse magnum Alanum (conuersum inquam illum Cistercij celebrem) ac disputasse coram Innocentio, Patribusque, cum discipulis Amalrici hæretici damnati, memoriæ prodit: incertum vnde haustum? cum Alanum vniuersalem doctorem cognominatum, & Cistercij Conuersum, de quo inferiùs sub finem huius sæculi floruisse, nempe circa annum M. CCC. omnes fere asseuerent quotquot de ipso. Ipsam disputationis eius historiam, quamuis, vt credo, Apocrypham, in tempore dabo. Nunc satis admonuisse meum Lectorem, ne vagus erret. De hoc Alano, vt multa sine dubio, sic non pauciora certa referuntur, vtraque à nobis danda suis temporibus. Sepulchrum hodie Cistercij visitur, sub celebri inscriptione, quæ Viri tum doctrinam, tum opinionem ante, & post conuersionem, orbi illustrem, satis ostendit. Sed de his loco suo dicendum erit.

---

1. *Capitula, aut Conuentus Generales indicti Monachis, 2. quibus Abbates Cistercij præsiderent, 3. extensique ad Canonicos regulares, 4. cum ampla præsidentium iurisdictione. 5. Plures huius decreti innouationes. 6. Confirmatæ, & extensæ. Cistercij leges decimas concernentes. 7. Quid in causa Albigensium hæreticorum 8. contra quos Vinius congregatum Concilium putat. 9. Abbas de Bello loco ab Anglia missus 10. in Stephanum Languetenium, pro Rege prævalet. 11. Demum, quid Rodericus Toletanus pro sua sede, atque totius Hispaniæ Primatia.*

CAPVT QVINTVM.

1. IN hoc eodem Concilio Lateranensi actum de Regularium tam Monachorum, quam Canonicorum reformatione. Atque his omnibus Cistercienses Magistri dati, tanquam plenius instructi, celebri illo decreto, quod postea in corpus iuris; redactum est, in cap. *In singulis*: de statu Monachorum: cuius hic tenor. Est autem actorum Concilij Caput duodecimum. *In singulis Regnis, siue Prouinciis fiat de triennio, in triennium, saluo iure Diœcesanorum Pontificum, commune Capitulum Abbatum, atque Priorum, Abbates proprios non habentium, qui non consueuerunt tale Capitulum celebrare; ad quod vniuersi conueniant, præpeditionem Canonicam non habentes, apud vnum de Monasteriis ad hoc aptum; hoc adhibito moderamine, vt nullus eorum plus, quam sex electiones, & octo personas adducat. Aduocent autem charitatiue in huius nouitatis primordiis duos Cisterciensis ordinis Abbates vicinos, ad præstandum sibi consilium, & auxilium opportunum, cum sint in huiusmodi Capitulis celebrandis, ex longa consuetudine plenius informati. Qui absque contradictione duos sibi de ipsis associent, quos viderint expedire. Ac ipsi quatuor præsint Capitulo vniuerso, ita quod ex hoc nullus eorum auctoritatem Prælationis assumat: vnde cum expedierit, prouida possint deliberatione mutari.*

2. *Huiusmodi vero Capitulum aliquot certis diebus continuè iuxta morem Cisterciensis ordinis celebretur, in quo diligens habeatur tractatus, de reformatione ordinis & obseruantia Regulari, & quod statuũ fuerit, illis quatuor approbantibus, ab omnibus inuiolabiliter obseruetur, omni excusatione, & contradictione, ac appellatione remotis; prouiso nihilominus, vbi sequenti termino debeat Capitulum celebrari. Et qui conuenerint, vitam ducant communem, & faciant proportionabiliter simul omnes communes expensas; ita quod, si non omnes potuerint in eisdem, saltim plures simul in diuersis domibus commorentur. Ordirentur etiam in eodem Capitulo religiosæ, ac circunspectæ personæ, quæ singulas Abbatias eiusdem Regni, siue Prouinciæ non solum Monachorum, sed etiam Monialium, secundum formam sibi præfixam, vice nostra studeant visitare, corrigentes, & reformantes, quæ correctionis, & reformationis officio viderint indigere. Ita quod si rectorem loci cognouerint, ab administratione penitus amouendum, denuncient Episcopo proprio, vt illum amouere procuret: quod si non fecerit ipsi visitatores hoc referant ad Apostolicæ Sedis examen.*

Hoc ipsum Regulares Canonicos secundum ordinem suum volumus, & præcipimus obseruare. Si verò in hac nouitate quicquam difficultatis emerserit, quod per prædictas personas nequeat expediri, ad Apostolicæ Sedis iudicium absque scandalo referatur, cæteris irrefragabiliter obseruatis, quæ concordi fuerint deliberatione prouisa. Porrò Diœcesani Episcopi Monasteria sibi subiecta ita studeant reformare, vt cum ad ea prædicti visitatores accesserint, plus in illis inueniant, quod commendatione, quam quod correctione sit dignum; attentissime præcauentes, ne per eos dicta Monasteria in debitis oneribus aggrauentur. Quia sic volumus superiorum iura seruari, vt inferiorum nolimus iniurias sustinere. Ad hoc districte præcipimus tam Diœcesanis Episcopis, quam personis, quæ præerunt Capitulis celebrandis, vt per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compescant aduocatos, patronos, vicedominos, rectores, & Consules, Magnates & milites, seu quoslibet alios, ne Monasteria præsumant offendere in personis, aut rebus. Et si forsitan offenderint, eos ad satisfactionem compellere non omittant, vt liberiùs, & quietiùs omnipotenti Deo valeant famulari: Hactenus decretum Concilij Lateranensis, in quo dum dicitur illis tantum præcipi, quibus Capitula in vsu nondum fuerant, manifestè excipiuntur Præmonstratenses, qui ea dudum à nostris accepissent; forsan, & Cluniacenses, quamuis ab eis etiam vsurpatum in diuersis Prouincis inferiùs dicam. 3.

In eodem decreto obiter noto, nihil omnino iussum obseruari, quod non fidei, & prudentiæ 4.

noſtrorum, in re tam graui exequendum committeretur. Quippe etſi non ſoli duo ex illis Abbates præſiderent Capitulis, ſed cum aliis duobus ex reformandis: hos tamen duos non ab aliis electos accipiebant coniudices, ſed eligebant ipſi, quos ad id munus aptiores exiſtimabant. Ibi. *Qui abſque contradictione duos alios de ipſis ſibi aſſocient, quos viderint expedire, ac ipſi quatuor præſint Capitulo vniuerſo.* Deinde ſemel ab eis nominati, ſi à vero tramite forte deuiarent, ad eorum arbitrium amouebantur. Ibi. *Vnde cum expedierit, prouida poſſint deliberatione mutari.* Deinde ab his quatuor diffinita, obſeruanda ab omnibus. *Omni excuſatione, conditione, & appellatione remotis.* Quarto; Capitulum ad normam Ciſtercienſium obſeruari iubetur: ibi. *Huiuſmodi vero Capitulum aliquot certis diebus continue, iuxta morem Ciſtercienſis ordinis celebretur.* Demum eiſdem præſidibus Capituli: in Cœnobiorum, atque Congregationum defenſionem ampla datur poteſtas, ad procedendum, etiam per cenſuras contra quoſcumque eorum perturbatores. Ibi, *Perſonis, quæ præerunt Capitulis celebrandis præcipimus, vt per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compeſcant aduocatos, patronos, vicedominos, rectores, & Conſules, Magnates & milites, ſeu quoſlibet alios, ne Monaſteria præſumant offendere in perſonis, ac rebus. Et ſi forſitan offenderint, eos ad ſatisfactionem compellere non omittant, vt liberiùs, & quietius valeant omnipotenti Deo famulari.* Ergo quæ Præſides, quæ conſeruatores, latores legum, & cauſarum iudices, etſi quæ alia munia habent Capitula; nec Monachorum tantum, ſed & Canonicorum Regularium; omnia per Ciſtercienſes, in eius nouitatis primordiis mandata exequi, non ſine ingenti prouentu Religionum.

5. Cæterùm, qualis ille, & quantus fuerit, inde vel maximè licet coniectare, quod breui experientia ipſa Magiſtra deriuatum ad Regna, Prouinciaſque, in ſingulis receptum certatim legitur. Certè in Hiſpania inſertum Caſtellæ legibus. [a] *Maguer, que laorden de Cluniego es mas anciana, porque los de Ciſtell vſaron mas de facer eſtos Cabildos, e ſon ende mas ſauidores; por eſſo tobo por bien la Sancta Igleſia, que fueſſen llamados dos Abbades de la orden de Ciſtell, los quales dos Abbades deben eſcojer otros dos del Cabildo, los que fueren mas ſufficientes, y eſtos quatro ande ſer los maiorales, &c.* Idem etiam receptum legibus Angliæ, atque per Belgium, Germaniam, Teutoniámque, Matthæus Paris, [b] & alij teſtificantur. Extant & litteræ Honorij Papæ III. non multo poſt ſcriptæ, ad Abbates Hemmenrodenſem & Villarienſem (Euſtachium, & Walterum fuiſſe puto) duóſque alios ex nigris à ſe aſſumptos, increpatoriæ, quo minus diligenter id munus impleuiſſent per Trenirenſem Prouinciam, & Lotharingiam, iubenteſque procedere vſque ad ſingulorum Cœnobiorum viſitationem, quas in maiorum dictorum confirmationem, non pigebit ad litteram tranſcribere. [c] *Sancti Matthiæ Treuirenſis, & Sancti Apri Tullenſis, Nigri ordinis: & de Hemmenrode, & de Villario Abbatibus Ciſtercienſis ordinis, Treuirenſis, & Metenſis diſceſſum. Etſi curam Paſtoralis officij teneamur genere ſuper omnia, quia tamen ad exploranda perſonarum delicta, & vnà omnium corrigendos exceſſus, conditionis humanæ contradicente natura, noſtrum minime ſufficit imperfectum; nuper fuit in Concilio Generali prouiſa deliberatione ſtatutum, vt in ſingulis Regnis, vel Prouinciis, celebrato Capitulo Abbatum, atque Priorum, qui non conſueuerunt tale Capitulum celebrare, per quatuor Abbates, qui debent Capitulo ipſi præeſſe: religioſæ, & circumſpectæ in eodem Capitulo ordinentur perſonæ, quæ per ſingulas Abbatias eiuſdem Regni, ſeu Prouinciæ tam Monachorum, quam Monialium, vice noſtra officium viſitationis impendant. Cum igitur ſicut noſtris auribus eſt delatum, vos qui eſtis in Prouincia Treuirenſi, vt in huiuſmodi Capitulo præſideretis, electi ſuper hoc, eiuſdem ſtatuta Concilij tranſire videamini negligenter, cum ad reformationem Monaſteriorum eiuſdem Prouinciæ, quæ in temporalibus, & ſpiritualibus plurimum ſunt collapſa, nullam adhibueritis adhuc curam, vt religionis lucerna, quæ velut extincta iam fumigat in eiſdem Monaſteriis, valeat reaccendi: diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & in virtute obedientiæ præcipimus, quatenus per vos ipſos, aut per religioſas, circunſpectaſque perſonas, ſupradictis Monaſteriis viſitationis antidotum impendatis; reformantes & corrigentes in eis iuxta prædicti cœnobij ſtatuta, quæ correctionis, & reformationis officio videritis indigere. Datum Laterani, tertio Kalendas Aprilis Pontificatus noſtri anno II.* Hæc ſatis nunc de obſeruationibus decreti, nam plura forte in ſequentibus dicemus.

6. Habemus & inter acta huius Concilij confirmationem illius conſtitutionis in Capitulo Generali Ciſtercij editæ, moderandæ exemptioni decimarum, noſtris indultæ: atque eandem omnino moderationem extenſam ad omnes, queis ſimile priuilegium conceſſum eſſet. Extat in Cap. LV. indéque item extracta ad corpus iuris, vt ſuo loco ſuperiùs adnotauimus. [d] Confirmatio, & extenſio hæc habent verba. [e] *Nuper Abbates Ciſtercienſis ordinis in Generali Capitulo congregati, commonitionem noſtram proinde ſtatuerunt, ne de cætero Fratres ipſius ordinis emant poſſeſſiones, de quibus decimæ debentur Eccleſiis, niſi fortè pro Monaſteriis nouiter fundandis. Etſi tales poſſeſſiones eis fuerint, pia fidelium deuotione collatæ, aut emptæ pro Monaſteriis de nouo fundandis, committant excolendas aliis, à quibus Eccleſiis decimæ perſoluantur ne occaſione priuilegiorum ſuorum, Eccleſiæ vlterius prægrauentur. Decernimus ergo, vt de alienis Terris, & amodo acquirendis, etiam ſi eas propriis manibus, aut ſumptibus deinceps excoluerint, decimas perſoluant Eccleſiis, quibus ratione prædiorum antea ſoluebantur, niſi cum ipſis Eccleſiis aliter duxerint componendum. Nos ergo ſtatutum huiuſmodi gratum, & ratum habentes, hoc ipſum ad alios Regulares, qui gaudent ſimilibus priuilegiis extendi volumus, & mandamus, vt Eccleſiarum Prælati proniores, & efficaciores exiſtant, ad exhibendum*

eis

a *Leg. 17. tit. 7. part. 4.*

b *Ad ann. 1238.*

c *Epiſto. Honorij lib. 2.*

d *Ad an. 1613. c. 13. num. 4.*

e *de decim. in iure.*

eis de suis malefactoribus iustitiæ complementum, eorumque priuilegia diligentius, & perfectius studeant obseruare.

7. Relatum in eodem Concilio de Albigensibus déque Terris eorum, quæ Comitis Monfortij fidei commissæ, primum à Patribus Concilij Prouincialis ad Montem Pesulanum: deinde ab Innocentio vltimam Generalis Synodi sententiam, veluti decisiuam, præstolabantur. Affuere spoliati Raymundus, Comes quondam Tolosæ, & filius eius, tum Comes Fuxi, & pro Cruce signatis Guido Simonis Frater; & altercatum super hoc negotio, diuisis Patribus (adeo, qui suffragentur malis nullibi desunt) sed tandem vicit seuerior Concilij pars, & confirmatum Monfortio Comiti feudum, quod Petrus Vallsarnensis [f] narrat his scribens verbis. *Anno Verbi Incarnati M. CC. XV. mense Nouembri D. Papa Innocentius III. conuocatis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis, in Lateranensi Ecclesia, celebrauit in Vrbe Roma Generale Concilium, & solemne. Inter alia, quæ ordinata fuere in Concilio, & statuta, tractatum fuit de negotio fidei contra Albigenses: venerat etenim ad Concilium Raymundus quondam Comes Tolosanus, & filius eius: Comes etiam Fuxi, pacis & fidei manifestissimi turbatores, supplicaturi Concilio, pro recuperatione Terræ suæ, quam perdiderant diuina disponente censura, suffragante auxilio signatorum. Comes vero nobilis Montisfortis, illuc Fratrem suum germanum, Guidonem de Monteforti, aliosque fideles nuncios, & discretos, miserat. Verum quidem est, quod fuerunt ibi aliqui, etiam (quod est grauius) de Prælatis, qui negotio fidei aduersi, pro restitutione dictorum Comitum laborabant; sed non præualuit Concilium Achitofel, frustratum est desiderium malignorum. Dominus etenim Papa approbante pro maiori parte, & saniori Sacrosancto Concilio in hunc modum ordinauit de negotio memorato. Statuit siquidem, & prouidit, quod Tolosa ciuitas, & aliæ Terræ à Cruce signatis obtentæ concederentur Comiti Montisfortis, qui in prædicto negotio viriliter, & fideliter laborauit supra omnes: Terram vero, quam Comes Tolosanus habuerat in Prouincia, custodiri voluit Summus Pontifex, vt de illa fieret prouisio in parte, vel in toto, filio dicti Comitis Tolosani, si tamen per certa fidelitatis, & bonæ conuersationis indicia ostenderet, se misericordia dignum esse.* Ita prouisum à Patribus Concilij, vt pater obstinatus, contumaxque non solum in seipso mulctaretur, verum in filio, & filius, nondum adhuc desperatus correctioris spei vitæ reseruaretur.

[f] *Cap. 83.*

8. Seuerinus Vinius contra Albigensium sectam specialiter congregatum putat Concilium, hoc cuius duplicem in notis causam assignat. [g] *Tum quod in Capitulo primo, & vigesimo primo huius Concilij illa dogmata fidei, de principio creationis, corporum resurrectione, Baptismo, Eucharistia, Pœnitentia, inferno, de matrimonio, aliisque pluribus fidei articulis, hîc à Patribus Concilij asserantur, & definiantur, quæ Albigensibus auctoribus, vt suprà in Concilio Lateranensi III. notauit, impugnabantur: tum etiam, quod decreto eiusdem Concilij, vt refert Matthæus Paris, datus sit Comitatus Tolosanus Simoni Montifortensi Comiti, qui eosdem Albigenses Philippi Regis Francorum auctoritate, & Germanorum Principum subsidio fretus, duodecimo fere anno, postquam cœperunt bello oppugnari, vel ad pœnitentiam adegit, vel omnino fugauit, & extirpauit.* Sic ille omittens maiorem, & certiorem auctoritatem Innocentij. III. & Gallorum auxilia, qui in eo bello, eò frequentiores, quò proximiores. Certè Philippus hoc bellum in Albigenses per Comitem Monfortium, & Cruce signatos, non tam promouerat, quàm non impedierat etiam in proprio filio, quod supra vidimus. Sed nec Simonem extirpasse penitus Albigensium Sententiam, ante prælio ademptum, infra dicemus.

[g] *in notis ad Con. Later.*

Concernere videtur nostros Annales, quod ad idem Concilium missus secundò dicitur Abbas de Bello loco in Stephanum Languetonium, quamuis nostris ad dictum, causam acturus? nempe pro Rege, cœnobij sui authore, fautoréque, & cui non posset seipsum denegare. Porro quantum in causa ipsa profuerit, & quam sententiam tandem obtinuerit, narrat Matthæus Paris [h] his planè verbis. *Statuerunt contra Stephanum Cantuariensem procuratores Regis Anglorum, Abbas videlicet de Bello loco Thomas de Huntintona, & Godefridus de Croucumbe, milites, constanter accusantes eum de Conniuentia Baronum Angliæ; quodque ipsius fauore, & consilio iidem Barones dictum Regem à solio depellere molirentur. Et cum à Sede Apostolica litteras accepisset, vt dictos Magnates per censuram Ecclesiasticam à persequutione Regis refrenaret; ipse id facere dissimulans ab Episcopo VVintonienſi, & suis coniudicibus diuinorum celebratione, & ingressu Ecclesiæ suspensus est; sicque ad consilium properans manifestis indiciis sese fuisse præceptis Apostolicis rebellem ostendit. His, & aliis multis in hunc modum allegatis, Archiepiscopus quasi conuictus, & non mediocriter confusus, nihil respondit, nisi, quod á suspensione petit absolui. Cui Papa cum indignatione tale fertur dedisse responsum: Frater per S. Petrum non ita de facili beneficium absolutionis impetrabis, qui non solum ipsi Anglorum Regi, verum etiam Romanæ Ecclesiæ tot, & tales iniurias irrogasti. Volumus quoque cum plena Fratrum nostrorum deliberatione decernere, qualiter tam temerarium puniamus excessum. Tandem habito cum Cardinalibus super hoc tractatu, suspensionis sententiam in ipsum Archiepiscopum, subscriptis litteris, confirmauit.*

[h] *ad hunc ann.*

Innocentius Episcopus vniuersis Cantuariensis Ecclesiæ suffraganeis, Salutem.

Ad communem volumus notitiam peruenire, quod suspensionis sententiam, quam Venerabilis Frater noster Pater VVintonienſis Episcopus, & dilectus Filius Pater subdiaconus, & familiaris noster Noruuicensis electus, in Stephanum Cantuariensem Archiepiscopum, Apostolica auctoritate protulerunt; ratam habemus, & pacipimus inuiolabiliter obseruari, donec idem Archiepiscopus, qui eam humiliter seruat, mercator ab ipsa iuxta formam Ecclesiæ Canonice præstitam relaxari, vno vinculo in aliud commutato. Quocirca vniuersitati vestræ per Apostolica præcipiendo mandamus, quatenus & vos Episcopi

præscriptam sententiam firmiter obseruetis, cum interim nullam ei debeatis obedientiam exhibere. Datum Laterani pridie nonas Nouembris. Hactenus ille. Atque hæc est Abbatis, de Bello loco secunda illa pro Ioanne Rege Legatio ad Innocentium inita, cuius nos ex Arsfeldio supra meminimus: ex qua commotus Pontifex in Stephanum; quem hactenus fouisset, humiliauit, depressitque, velut qui eius mandatis sese opponeret. Porro de hac Innocentij mutatione, & Stephani fortuna varia, & aduersa, hæc breuiter Arsfeldius eodem loco.[i] *At Stephanum (O Euripum, & rerum humanarum instabilitatem) noua paulo post procella vehementer iactauit, cum in grauissimum, non Ioannis modo, sed, & Innocentij (qui tam acer hactenus illius erat patronus) odium incidit.* Sed de his satis. Plura qui volet, auctores Anglos consulat, in quibus multa inueniet non contemnenda.

i *sæculo 27. cap. 5.*

II. Sed neque aliena ab Annalibus Cistercij Roderici Toletani gesta in hoc Concilio, tum propter hominis intimum affectum in gentem nostram, præcipuè in Hortam, quam multis auctam, de quibus supra; pluribus item augendam, vt dicemus in tempore, dudum in sepulturam sibi elegerat: tum quia Arnaldum concernentia Narbonensem, cum quo inter alios plures, ab eo tunc, super primatia Hispaniæ litigabatur. Describit breuiter, & pulchrè Mariana[k] qui adeo nobis ad Verbum transcribendus. *Rodericus Præsul occasioni iuuandæ Ecclesiæ deesse noluit. Quin, peregrinatione suscepta, Romam abiit, & Patrum Concilio, quod mense Nouembri inchoatum in templo Lateranensi est, interfuit. In eo conuentu orationem ad Patres habuit, Latina lingua conceptam, cæterum aliarum linguarum, quarum expers non erat, Italicæ, Germanicæ, Anglicanæ, Gallicæ, floribus, sententiisque ornatam, distinctam luminibus: vt miraculi instar Patribus esset, tantam Hispanum hominem lingnarum facultatem assequutum esse, quantam ab Apostolorum ætate, vlli homini negabant contigisse. Actum præterea de primatu Ecclesiæ Toletanæ, quem agnoscere Tarraconensis, Bracarensis, Compestellanus, & Narbonensis Episcopi recusabant. Productæ pro Ecclesia Toletana veteres Pontificum Romanorum, & Conciliorum tabulæ. Producta argumenta ab ipsa prima Hispaniæ ad Christum conuersæ antiquitate: quæ in hominibus Venerabilis, in Vrbibus sacra est. Roderici orationem cum Bracarensis, qui aderat, & Austrianus Episcopus pro Tarraconensi, refellere aggressi essent: abessent alij, quorum intererat, lite integra discessum est, neutrò inclinatis sententiis, Roderico tantum Legati Pontificij partes per Hispaniam decennio implere datum: concessumque, si quando Hispalis piorum armis cederet (quod in ea Almo Gadum inclinatione, & casu fore prope diem sperabant) Toletano Episcopo subdita esset, quasi Primati: prouocandi, contraque disceptandi sublata penitus facultate. Adiecta potestas, trecentos nothos iure legitimo donandi: Episcopos, & Sacerdotes, in his Vrbibus creandi, quæcumque Mauris in Hispania essent ablatæ. Ex his rebus magnam Rodericus auctoritatem nactus est: quam Litterarum ille, atque eruditionis, vt ea ferebant tempora, eximia opinione tuebatur.* Sic Mariana, ex quibus etiam euideas, Arnaldum, siue morbo præpeditum, seu rebus Albigensium, & fidei forsan intentum, abfuisse huic Generali congregationi. Hactenus gesta à nostris in Concilio. Nunc extra ipsum, sed eodem tempore, atque in eadem vrbe prosequemur.

k *Lib. 12. c. 4.*

---

1. *Lutgardis Virginis ingressus in Aquiriam.* 2. *Patria, parentes, primaque educatio,* 3. *à Deo mire præuenta:* 4. *Monachatus in Monasterio Sanctæ Catherinæ.* 5. *Victoria parta de iuuene impudico:* 6. *atque de alio milite.* 7. *Dein, ex Dæmonis suggestione, pusillanimitas.* 8. *Cui Beata Virgo, & Catherina Martyr occurrunt.* 9. *Ingens eiusdem cum Christo familiaritas,* 10. *& duo signa miranda visa in ipsa.*

CAPVT SEXTVM.

1. INTER hæc ingens totius Belgij lumen quod suprà memoramus. Lutgardis Virgo, Cistercio præparatur. Monialis illa dudum Benedictina in Monasterio Hasbaniæ, quod Sanctæ Catharinæ nuncupatum, inter præcipua Prouinciæ celebre erat. Sed quæ arboris vitæ primum amore; mox à sororibus electa in Priorissam, velut onus recusans, suspirabat Cistercium: ad vltimum, vt conceptum semel impleret votum, vel sine occasione, aut cum leuissima quauis pertrahenda. Certè, quæ illam ad Aquiriam tandem perduxit, (nam ea domus suscepit Virginem Sanctam) haud multum grauis. Verùm fœminæ ardenti perfectionem, quæcumque etiam leuis, pro magna fuit. Vitam illius, virtutes, miracula Thomas de Cantiprato Dominicanus, qui ei perfamiliaris, tribus libris conscriptam nobis reliquit: Laurentius Surius inseruit suis tomis, vulgauitque adeò plenam prodigiis Diuinæ gratiæ, vt in prologo audacter pronunciauerit. *Plane mihi persuadeo multis retro annis, à nemine vitam alicuius conscriptam esse, quæ tot virtutum insignia complectantur.* Ex ipso nos, quæ tradit vsque ad hunc annum Sacræ Virginis acta, tam in sæculo, quam in Religione: tum transitum ad nostros hoc anno factum reddemus fideliter; cætera suis locis inserturi pro more nostro.

2. Lutgardim natam Anno M. C. XC. aut M. C. XCI. eiusdem vitæ series manifestat; quippe ingressam Cistercium hoc ipso anno, cum ageret ætatis suæ quartum supra vigesimum, siue, ipso expleto, quintum attingeret. Porro, quo loco, quibusque Parentibus? Thomas de Cantiprato ita describit.[a] *Lutgardis pia Virgo, ex illa quondam Tungrorum celeberrima ciuitate patre oriunde,*

a *Apud Surium mense Iunio lib. 1. cap. 1.*

ciue, matre nobili traxit originem. Hæc tantum de natalibus. Educationem, nisi à Deo præueniretur, sæculo, quam religioni aptiorem tradit. Quippe, *Pater tenerrime illam diligens, & secundum sæculi fastum, cupiens eam florere, & prosperos habere successus, cuidam mercatori, dum adhuc inuencula esset, viginti marcas argenti dedit, vt ex iis, donec ea adolesceret, multiplicatis copiis, lucrisque paratis, dos nuptura filiæ augeretur. Interim crescens puella, & quid eius causa fieret, animaduertens, quantum illa ætas patiebatur, ad nuptias inhiabat.* Sic pater Virginis, sic Virgo ipsa volebant, putabantque.

3. *Sed* (pergit auctor [b]) *pius Dominus futurorum præscius, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, frustrato patris eius consilio, de Lutgarde sibi potius desponsanda, aliter disponebat. Ille enim, qui Lutgardi destinatam pecuniam negociationibus augmentandam acceperat, crebro in Britanniam traiiciens, & per multos aduersos casus diffluens, ad vnam marcam redegit viginti, aliis plane dissipatis.* Sic qui Lutgardim sibi præelegerat, diuertebat ab aliis; quos pauperi, quantumuis alias pulchræ, quantumuis honestæ, quantumuis nobili, nequaquaquam ignorabat non adhæsuros. Verum auertis ab amore eius hominibus, restat ipsa ad Deum conuertenda; quod sola matris instantia est assequuta. *Nam neque sic*, ait item qui suprà Thomas, *aut patris propositum, aut effrontem filiæ impudentiam ea res retardasset, nisi matris instantia mentem filiæ, modo minis, modo blandimentis emollisset, ita illi dicentis: si Christo nubere volueris Monasterium tibi, quodcumque voles, honestissimum conciliabo: sin autem mortalem sponsum malueris, non nisi bubulcum habebis. His, atque huiusmodi verbis aliis, & mariti votum, & filiæ voluntatem ad salubrius propositum inclinauit.*

4. Ex tunc Lutgardis, sed paulatim, cœpit segregari à mundo, & nescio quid Diuinum in in ea latens, atque ad altiora vocans, quamuis ignaram, primum hoc conuersionis eius initium fuit. [c] *Delectabatur ornatu vestium, attamen fugiebat prorsus amatorias confabulationes, & ineptias puellares: & licet necdum cognosceret Dominum; in corde tamen, cum sola esset, intus, nescio quid, Diuinum sentiebat.* Ergo vt à Deo opere edocta, primum sponsos terrenos declinare, aut ab eis declinari; mox ipsum velle assequi: sic in operibus peccata sola fugere; delectari permissis, initio placuit. At vbi semel abstracta à malis fuit etiam ardua virtutis apprehendit. Nam, [d] *vbi annos duodecim excessit, id est anno M. C C. I I. in Monasterio Sanctæ Catherinæ, quod est prope oppidum Sancti Trudonis in Hasbania, inter Deo Sacratas Virgines Ordinis Sancti Benedicti, Diuino seruitio mancipatur.* Ergo, si Religionis vita Martyrio assimilatur, vt quidam volunt, fere de illa, ac de Sancta Agnete dicam,

Matura Martyrio fuit, matura vix dum nuptiis.

Certè non antea per ætatem matura viro, quam se ipsam in sponsam Deo dicaret.

5. Dicatam Deo sollicitauere, qui in sæculo spreuerant: siue quæ in coniuge inopia timeretur, in scorto inuaret; siue ea plerumque conditio hominum sit, aspernari permissa, & ad vetita semper aspirare. Constat, nisi à Deo præuenta fuisset, etiam specialissime, nequaquam euasuram instantes laqueos: nam audi quod sequitur. [e] *Cum iuuenis quidam genere, & opibus præstans illam procaretur, animum illius interdum verbis nonnihil permouere cœpit: obseruansque tempus, & locum, clam nocte quadam domum, in qua Virgo iacebat, adire tentauit: sed cum accessisset, repentino timore correptus aufugit.* Hæc in iuuene; sed cum non proficerent, adiecit Deus in Virgine maiora. *Instituit miris modis Diabolus, vt ad consensum animum puellæ inclinaret: sed non permittente Deo, eius conatus irriti fuerunt. Sedente autem quandoque simplice puella, & cum iuuene illo colloquente; apparuit ei Christus ea forma, qua olim inter homines versatus fuerat, pectorique vestem suam detrahens, qua tectus videbatur, vulnus lateris ei ostendit, quasi recens cruentatum; dixitque: Blanditias inepti amoris, post hac vide ne requiras: hic ingiter contemplare, quid diligas, & quamobrem diligas. Hic ergo totius puritatis delicias tibi polliceor obtinendas. Hac illa visione, & oraculo pauefacta, statim oculis cordis inhæsit illi, quem viderat; & vt eum acciperet, meditabatur, vt Columba: moxque supremo illustrata splendore, totius vanitatis à se sensit absersam caliginem.* Hæc prima Christi in Virgine victoria, nam Virginis vix dicam; per quam ad aliam, quæ vtriusque simul esset, disponebatur. Pergo ad illam. [f]

Alius quoque iuuenis, armis miles, eam iam Deo sincerius inhærentem nihilominus adamauit & cum multis annis renitentem animo procaretur, illa primum modeste, postea vero seueriter eum à se auertit. Cernens autem eum in stultitia pertinacem; etiam contumeliosis verbis eum à se repulit. Ille verò contemptum se dolens, cogitat, quidnam faciendum sibi sit. Et ecce Lutgardis accita à sorore sua, iter arripit. Id vbi resciuit iuuenis, obuiam illi proficiscitur cum turba satellitum, rapere illam volens. Sed puella ab equo desiliens, ex illius manibus multa vi se extorsit; totaque nocte fugiens per syluarum deuia, Angelo ductore ad domum matris suæ mane peruenit. Sic iam non solus Christus in ipsa vicit, sed & ipsa per Christum, id est vterque vicit. Porro hanc Virginis victoriam per fugam partam (quæ aduersus similes instantes occasiones arma fortissima) dono etiam Prophetiæ Deus illustrare dignatus est, qua exhibitione præsentium in Lutgardi, expectatio futurorum firmior esset. Nam. [g] *Cum iuuenis ab equo descenderet, eam rapturus, quidam eius satelles fræno tenens equum, suam ei ad eam rem operam nauauit. Clamauit ergo Virgo Lutgardis ad illum: Hac manu, qua nunc frenum tenes, equi militis me infestantis, tale quippiam breui designabis, quod tibi ignominiæ perpetuam in hoc sæculo notam inuret. Et ecce vbi ille domum fuit reuersus, mox ea ipsa manu propriam suam vxorem interfecit. Ea causa expulsus è patria, rebus omnibus priuatus est.*

Hinc iam Lutgardis in omni bono firmior: &

[b] *ibidem.*
[c] *vbi supra.*
[d] *ibidem.*
[e] *Lib. 1. c. 1.*
[f] *Lib. 1. c. 5. 6.*
[g] *vbi supra.*

quo ab illicitis tutior abstineret, etiam licita, & permissa deuitabat. Vnde: [h] *ad Monasterium reuersa ab omni ferè hominum colloquio, & consolatione se subducens, tota rebus cœlestibus inhiabat.* Inuidit Diabolus tantæ perfectioni, & quam non potuisset carnis illecebris, per Spiritus pusillanimitatem curauit deiicere, si fortè posset ab arctiori vita retractam, in profundum peccati præcipitare. [i] *Quibusdam enim amulis ex eiusdem cœnobij Sanctimonialibus, arctiorem eius vitam, quam imitari non possent carpentibus, atque dicentibus: Sinite eam dum feruor in motu est: vbi ille tepuerit, non absque rubore, redibit ad ea, quæ nunc stulta contemnit: Lutgardis id audiens, cum multa humilitate sibi ipsi timere cœpit, & pauida formidare, ne forte, quandoque occiderent, quæ ætate prouectiores de ipsa dicebant.* Hoc illi opus, hic labor haud leuis fuit.

h *Lib.1.c.4.*

i *vbi suprà.*

8. Verum quæ Christum, & Virginem Sanctissimam asciuisset patronos, adeò vtriusque fauorem experta est, vt veluti certantes intueretur, quis in maiori discrimine affuturus? vix sibi timuit à perseuerantia; *Cum ecce apparuit ei Beatissima Christi mater vultu gratulabundo, & ait non sic erit Christianissima filia, vt tu times. Non recides in peccata: sed mea te sollicitudine protegente, firmaberis in salutem: nec minuetur in te gratia, & virtus, sed cumulabitur.* Ingens profecto, & fere sine exemplo promissio hæc, quæ viæ gressibus, securitatem patriæ, securitati incrementa viæ coniungat; atque ex vtroque confortet pusillanimem, atque reddat ad omnia animosiorem. Haud dissimiliter Catherina Virgo, sub cuius patrocinio constructa domus, ab eadem Lutgardi rogata iterum, vt Dominum pro ipsa deprecaretur; oranti dicitur visibiliter apparuisse, dixisseque [k] *Confide filia, semper enim gratiam suam Dominus augebit in te, donec per summum vitæ fastigium, præcipuum inter Virgines meritum consequaris.* Sic velut duplicata promissione securior reddita; & quæ in ea flagrabat perfecta charitas, timorem omnem seruilem expellebat.

k *Lib.5.c.4.*

9. Quanta illi ex tunc cum Christo familiaritas, quam frequens commercium, non de facili valeat explicari. Mirum est id, quod idem auctor narrat. [l] *Quando in oratione Domino suauiter coniungebatur, & eam aliquod ingens negotium foras euocabat, quasi amico familiariter ei dicere solebat, cum magna cordis simplicitate, & puritate: Expecta me hic Domine IESV: vbi me expediero, celeriter ad te reuertar. Mira profecto Virginis simplicitas, mira saluatoris humanitas erga illam. Paratum enim illum in omni loco dominationis suæ, paratum in quouis negotio experta est.* Vix hominem conditione sibi æqualem tam secure alloqui, vix ab eo tam benigne, vt non tam obsequenter dicam, audiri posset.

l *Lib.1.c.4.*

Sed neque passus ab hominibus contemni (quæ vmbra solet solem virtutis sequi) quam sibi familiarem prælegisset. Quare in oculis omnium admirandam, imo & reuerendam duplici signo ostenso manifestauit, altero eleuata à Terra Virgine duos ad vsque cubitos, cum Sanctum Spiritum venientem præstolaretur; altero ingenti super ipsam lumine descendente de cœlo, quod solis etiam radios obscuraret, De primo habet Thomas de Cantiprato. [m] *In Sacratissima Pentecostes, Monialibus in choro cantantibus.* Veni Creator Spiritus, *ij, qui in choro erant, perspicue viderunt Lutgardem ad duos cubitos in aëre sublatam. Fœlicem illam, quæ tali miraculo meruit declarari; & corpore subleuari à Terra, quæ iam anima exultans in Domino, in cœlum sustollebatur.* De secundo vero ista paulo inferius. [n] *Ne autem in cordibus sororum, qua eam nonnihil amulari videbantur, suspicionis alicuius scrupulus hæreret, Christus sponsam suam eiuscemodi miraculo cohonestauit. Cum illa crebro vigilias continuaret, quadam nocte viderunt super eam Moniales, non breui spatio, quoddam luminis iubar, quod ipsum quoque solis splendorem vinceret. Quod quidem lumen intro diffusum non solum in illa, sed in aliis quoque, quæ illud viderunt, vitæ gratiam augmentauit.* Ab his initiis cœpit in iuuentute: vt inde facile liceret coniectari, ad quæ gratiæ incrementa disponebatur.

10.

m *Lib.1.c.5.*

n *vbi supra.*

---

1. *Eximium curationis donum Lutgardis Virgo. pro dono intelligentiæ; sed hoc mox pro augmento charitatis libens permutat,* 3. *adaucto interim intelligentiæ dono.* 4. *Christi in Cruce pendentis amplexus suscipit.* 5. *Dein pœnitentia agenda pro peccatoribus, & septenne ieiunium illi iniuncta:* 6. *in quo ingens miraculum.* 7. *Itemque aliud erga egregium virum Iacobum de Vitriaco.* 8. *Stillat oleo:* 9. *& Christo consecratur* 10. *Miraculum continuum in eius cantu.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. ADIECIT Dominus & variis aliis donis ornare Sacram Virginem, præcipuè curationis, & intelligentiæ; quorum vtrumque ex feruenti charitate, alterum in Deum alterũ in proximos acceptum; tandẽ eadem magistra charitate, commutauit in ipsam; velut nulli alteri exercitio vacatura. Igitur triplicem velut mutationem, ad eius siue petitionem, siue meritum, in his, à Deo factam ex eodem auctore proferamus [a] *Mouebatur,* (ait) *commiserationis affectu, & pietatis spiritu mirum in modum erga erga ægrotos, & debiles; adeo, vt ipsis afflictis condolens, plus ipsa spiritu affligeretur. Contulit ergo illi Deus ita generatim gratiam curationum, vt si quid esset vitij in oculo, vel in manu, aut pede, vel cæteris corporis membris, ad contactum saliua, vel manus eius, protinus curaretur. Cúmque ea causa hominum multitudine, & frequentia obrueretur sæpiusque in oratione impediretur, dixit ad Dominum: Quorsum mihi isthæc gratia Domine, cuius causa toties distineor, ne possim vacare tibi? auferam à me, sed ita, vt meliori munere commutetur. Respondit Dominus: Quid vis igitur eius loco accipere? Tum illa? Volo, inquit, vt pro maiori deuotione possim intelligere psalterium. Præstitit hoc illi Deus. Vt enim illo tempore probatum est, psalterium*

a *Lib.1. c.6.*

terium tanto perspicacius intellexit, quanto erat radiantiori luce illustrata.

2. *Sed cum postea nec dum tantum ex hac perfecta gratia se proficere comperiret, quantum sperarat, (reuerentia enim veluti mysterij, mater est deuotionis: & res collata auidius quæritur, & maiori veneratione concupiscitur) dixit Domino: Quorsum vero attinet me idiotam, & rusticam Monialem, scripturæ arcana nosse? At illi Dominus: Quid vis igitur? Et illa: Volo, inquit, cor tuum. Et Dominus: Quin ego potius, ait, Et cor tuum. Respondit illa: sit ita Domine; at sic tamen, vt cordis tui amorem cordi meo attemperes, & inte cor meum possideam, omni tempore tua protectione securum. Facta est igitur ab eo die quædam permutatio cordium, vel potius vnio spiritus creati & increati per gratiæ excellentiam. Deinceps enim ita Christus cordi Virginis inhæsit eam communiens, & protegens, vt neque tentatio carnis, imò ne turpis quidem cogitatio mentem eius, vel temporis puncto infestarit.* Hactenus, qui Lutgardim intime nouit Thomas de Cantiprato: vt vix homo homini adeo familiaris, inueniri posse; aut qui ei se tam facilem exhibeat, vel in quibusque leuibus, videatur.

3. Illud tamen oportet superaddere, sic nouam gratiam Lutgardi à Deo collatam, vt primam nõ amitteret, quippe à vendente non solum sine argento, sed sine vlla commutatione, tam lac doctrinæ, quam vinum charitatis. Et quidem donum curationis, ne ab occurrentibus infirmis impediretur, repressit, aut ad tempus suspendit magis, quam sustulit. Donum intelligentiæ, potius promouit, addita visione, præmissaue, ad mirandos effectus relictura, quam idem etiam Thomas ita narrat. [b] *Ad reuocationem illius acutissimi obtutus Aquilæ, nempe Ioannis Euangelistæ, qui fluenta Euangelij de ipso sacro Domini pectoris fonte potauit, apparuit ei in spiritu Aquila, tanto pennarum nitore refulgens, vt totus potuerit orbis claritatis illius radiis illustrari. Nimia igitur admiratione stupefacta, expectabat, vt Dominus pro captu infirmæ aciei, tantam visionis eius gloriam temperaret. Quod cum factum esset, visionis illius modum pressius contemplans, vidit Aquilam illam ori suo rostrum apponere, animamque suam tam ineffabilis lucis splendoribus complere, vt quatenus mortales capere possunt, nulla ipsam Diuinitatis secreta laterent. Tanto autem de torrente voluptatis illius hausit vberius, quanto in donis munificentior Aquila vas cordis eius maiori desiderio distentum reperit. Et certè testimonium ego perhibeo, licet in familiari sermone simplicissima videretur, numquam tamen me ex cuiusquam ore in secreto spirituali colloquio tam sincera, tam ignita & ardentia secundum veritatis spiritum verba hausisse, idque adeò, vt ad intelligenda dicta illius plane rudem, & hebetem sapissime me existimarim. Memini etiam num, & loci, & temporis, quando ad verborum eius subtilitatem, vsque adeò obstupui, vt si suauis illa, & ineffabilis admiratio diu me tenuisset, aut amentem me fieri oportuerit, aut è vita excedere,* Hactenus ipse Thomas, quem doctrina præcipuum, scripta probant, insignem pietate virum auctores prædicant; atque inter illustres sanctitate Brabantiæ numerant.

b *Lib.1.c.8.*

4. *Per idem ferme tempus* (pergit Thomas [c]) *cum adhuc, & corpore, & ætate esset tenerrima, nocte quadã circa tempus nocturnarum precum, quas Matutinas vocant, sudor eam vehemens, & naturalis inuasit. Cum ergo à precibus nocturnis abesse vellet, & postea ad seruiendum Deo fortior esset, credens illum sudorem corpori suo salutarem esse; subito ad eam vox facta est: Quid ita iaces? surge ocyus: oportet, vt pœnitentiam nunc agas pro peccatoribus, qui in suis sordibus iacent, non sudori indulgeas. Tum illa exterrita surrexit, & inchoatis iam matutinis ad Ecclesiam festinauit. In ipso autem Ecclesiæ ostio Christum obuium habuit, cruci affixum, & cruentatum, qui brachium de cruce deponens, eamque amplexans, os eius vulneri lateris sui applicauit. Vnde tantam hausit suauitatem, vt ex eo tempore in Dei seruitio, semper, & robustior, & alacrior fuerit. Retulerunt autem, qui, ipsa reuelante, eo tempore, diu postea probauerunt, salinam oris eius, mellis dulcedinem superasse: neque id mirum, quando cor illius, & Diuinitatis Christi mel, & humanitatis lac intus ruminabat.* Ingens profecto fauor amplexus Christi, & gustus eius sanguinis, si non cordium mutatio præcessisset.

c *Lib.1.c.7.*

Idem, qui supra Thomas Cantipratanus, hanc pœnitentiam à Deo Lutgardi iniunctam pro peccatoribus, à septenni ieiunio condistinguit, à Virgine præcepto, cum Albigensium hæreticorum pestis acrius serperet. Porro Priorem peractum sub nigro habitu: posterius in Cistercio, cum se iam ad Aquiriam contulisset. Mihi non dubium septenne etiam ieiunium pertinere ad hoc tempus, quippe imminente peste, quæ ante aliquot annos latius serpens, hoc, quo Lutgardis ad Cistercium venit, iam desæuiisset. Ergo hic etiam subiiciendum censeo, quod idem auctor tradit sequenti libro. [d] *Imminente peste sæuissima Albigensium hæreticorum, Beatissima Virgo Maria apparuit ei vultu lugubri obscurato. Compatiens autem ei in visione Lutgardis, cum magno cordis, & oris rugitu quæsiuit ab ea, quidnam haberet, & vnde tantus esset faciei pallor, quæ alioqui plena esset omnis gratiæ? Cui Beatissima Virgo respondit: Ecce ab hæreticis, & pseudo Christianis rursus conspuitur, rursus crucifigitur filius meus. Tu ergo assume tibi lamentum, & perpetuis septem annis ieiunato, vt sopiatur ira filij mei, quæ generatim vniuerso imminet orbi. Itaque toto septennio tale sibi illa indixit ieiunium, vt pane, & cereuisia contenta esset.* d *Lib.2.c.21.*

5.

Porro in huius ieiunij continuatione ingens item miraculum apparuit, quod idem venerabilis auctor memoriæ prodit. [e] *Sæpe Superiorum voluntate coacta, tentabat aliquid pulmẽti ore haurire, sed nihil inde, vel ad fabæ vnius quantitatem potuit deglutire. Et si autem ipsa mira quadam, & incredibili abstinentia sese afficeret, attamen latabatur, cæteras sorores commodum habere victum; dicebatque totum mensem rectius se valere, si vel pene largior cibus paulo illis appositus esset. Sciebat enim, & fatebatur, non posse omnes id præstare, quod ipsa singulari beneficio, pro multorum remedio diuinitus accepisset. Quanto autem magis sua continuabat ieiunia, tanto fuit & corpore, & animo robustior.* Hæc de ieiuniis, pœnitentiaque iunctis Lutgardi.

6.

e *vbi supra.*

Concernere videtur hoc idem tempus maius aliud miraculum, tum ex materia, tum etiam ex persona, quippe circa Iacobum de Vitriaco, qui inter primos illius æui Magistros, doctrina, & pietate numerabatur. Cæterùm quale & quantum illud fuerit, idem qui supra auctor his verbis narrat. [f] *Cum Iacobus de Vitriaco, vt ipse refert in vita Beatæ Mariæ de Oegnies, eius venerabilis fœminæ precibus concionandi gratiam esset adeptus, religiosam quandam mulierem, eamque*

7.

f *Lib.2.c.3.*

ægrotam, non quidem turpi, sed tamen plus satis humano amore prosequebatur; erátque illi consolandæ ita assiduè intentus, vt prædicationis munus segniter negligeret. At pia Lutgardis vinculum cordis eius, & machinas dissolui in spiritu sentiens, cum multis lachrymis Dominum pro illo deprecata est. Sed cum orando nihil proficeret, & Dominum quasi crudelem ex causa argueret, Dominus ei respondit: Homo iste, pro quo oras, ea conatur, quæ sunt contraria precibus tuis. Quod vt audiuit Lutgardis impatientius se gerens, magnis vocibus clamauit ad Dominum. Quid est hoc quod agis benignissime, & iustissime Domine? Aut separa me à te, aut hominem, pro quo te rogo, libera etiam non volentem. Mira res. Nulla mora inter preces, & effectum earum intercessit: sed penitus, & protinus liberatus ille, liberatori suo, & famulæ eius gratias egit. Túmque apertis oculis, iam liberatus, sensit periculum, quod antea humano cœcatus amore, videre non potuit. Nec grande postea tempus euolutum est, cum ille Venerabilis Iacobus in Transmarinis locis Anchonensis Episcopus creatus est.

8. His, & similibus illustrabat Christus suam sponsam, etiam ante quam sibi per Episcopum iuxta ritum Ecclesiæ consecraretur. At quod post mortem corporibus quibusdam Sanctissimorum aliquorum hominum legimus concessum, vt oleo manarent; viuenti illi indultum, atque miros in ea affectus excitans, consecrationem tandem accelerauit; nec satis constat, quo anno facta sit, tantum in ea quædam accidisse

g *lib.1.ep.9.* narrari digna. g *Est Hasbanie oppidum, quod Lossum vocant: ad cuius Ecclesiam quædam inclusa Domino seruiebat, pro vitæ merito Lutgardi cum primum familiaris. Apud eam mansit quandoque Lutgardis ad dies quindecim. Accidit autem, vt in orationis contemplatione, tanta dulcedine afficeretur, vt accersita inclusa manus suæ digitos illi ostenderet, eosque exprimens diceret: En soror mea, vt mecum agit omnipotens. Ex interiori abundantia, etiam digiti mei exterius ceu oleo distillant. Atque hæc dicens, quasi ebria, & verè ebria, cum gestu, & tripudio mirabili per inclusæ domicilium ferebatur. Inde summopere eo adspirauit, vt ministerio consecrationis, per manus Episcopi vni Viro Christo perfectius iungeretur.*

Obtulit autem sese opportunitas, Domino Huardo Leodiensi Episcopo complures sanctimoniales consecrare volente, quibus adiuncta est etiam Lutgardis. Vt autem eorum capitibus in signum coronæ aureolæ, Pontifex sertum ex zonis confectum imposuit, atque ad Lutgardem ordine peruenit, quidam vir Sanctus, & simplex, qui illic adstabat, perspicuè vidit Episcopum grandem coronam auream Lutgardis capiti imponere, eámque præ aliis, singulari quodam honore afficere. Cúmque putaret omnibus id videri, quæsiuit ex vicino presbytero, cur soli Lutgardi Episcopus coronam auream admoueret. Irrisit autem illum presbyter, & ait: vbi sunt oculi tui, vt auream coronam dicas, quam omnes lineam esse vident? Siluit vir Beatus, & risit, at in Lutgardi singulare meritum animaduertit. Ab eo die sponso suo perfectius adhærens Lutgardis sequebatur agnum, quocumque, iret. 9.

His Christus sponsus sponsam suam Lutgardim dudum præuentam, segregarámque, illustrem fauoribus, donísque insignem disponebat Cistercio, ad quod eam ab æterno præordinasset. Addam tamen, & aliud æquè admirandum, quod fortassis silentio præterirem, si non externa modulatione vocis, atque interna audientium deuotione inuenissem probatum, & dignum indicatum à Thoma integra fide. h *In Monasterio Sanctæ Catherinæ qualibet sexta feria in Vespertinis precibus, quas Veſperas vocant, in Beatissimæ Virginis Mariæ honorē certo numero deputatæ responsorium cum versu cantabant. Eum autem versum deuotionis causa Lutgardis sola cantare solebat: videbatúrque ei interim dum cantaret, & Christum in agni forma vnum pedem suum dextro, alterum sinistro ipsius humero imponere, atque os ori applicare: Sicque cantando cum ex Christi pectore surgeret, mirabilem melodiæ suauitatem resonare. Nec dubitare quisquam potuit Diuinum in hoc cantu adesse miraculum, cum in solo versu illo vox eius supra quam dici queat, solito gratior audiretur, & corda audientium ad deuotionem, & pietatem interim mirabiliter permouerentur.* Hactenus, quæ Monialis Benedictina annis duodecim. Nunc qualiter ibidem Abbatissa, sed mox curas pertæsa temporales, ad Aquiriam transierit, atque ibidem Cistercium amplexa sit, sequenti capite ex fide referamus. 10.

h *vbi supra.*

---

1. *Lutgardis in Priorissam electa sui cœnobij*, 2. *quod diu conceperat Cistercium intensius ardet.* 3. *Dein orta occasione etiam accelerat.* 4. *Consultatum statim de Monasterio*, 5. *& electa Aquiria*; 6. *vbi mutato habitu, pro relictis filiabus orat, & exauditur.* 7. *Aquiriæ, atque Cistercij ingens encomium.* 8. *Noui timores Virginis, & noua ad eam de cælo facta oracula.* 9. *Confirmata miracula patenti*, 10. *Cum cuperet dissolui reseruatur oratura pro mundo.* 11. *Demum quomodo relicta suæ quieti.*

CAPVT OCTAVVM.

1. SALVTIS annum ducentesimum, quintumdecimúmque supra millesimum, ætatis suæ quartum, & vigesimum agebat Lutgardis, cum suæ domui à sororibus præfecta, quod antea cōcepisset desiderium Ordinis Cisterciensis, velut laboriosioris, arctioríque, iam tunc quietis amore confirmauit: quippe illic docenda, non doctura; atque à Marthæ solicitudine libera, Mariæ potius otio perfrueretur. Electionem sic narrant ipsius acta. a *Et quia talem lucernam sub modio latere par non erat, posita est super candelabrum, vt fulgor gratiæ omnibus appareret, factáque est Priorissa in eodem Beatissimæ Catherinæ Monasterio, vno omnium consensu electa. Non enim habebat eius loci consuetudo, vt Abbatissam sibi crearent. Hinc acrius illi Cistercij desiderium. Nam, cum hac in re grauissima se affectam iniuria arbitraretur; decreuit, & locum, & institutum mutare.*

a *lib.1.c.20.*

Dudum desiderauerat Lutgardis Cistercienſe 2.

institutum,

institutum, sed eius desiderium retardabat innatus amor primæ vocationis, sorores charæ, nota sibi domus, cum quibus, & in qua educata esset: experta hactenus omnia, nec sine fructu: cum merito de ignotis dubitaret. Nam quid si ea diuersa inueniret, quam fama acceperat? Quid si eadem cum his, quæ relinquebat? Multa vitia naturæ magis esse, quam instituti, quæ adeo vbique veniant reperienda: in aliis solam materiam variari, non morbum fugi. Proprium vbique appetitum reperiri, qui cuncta turbat. Hunc si effrænis sibi relinquatur grassari in minimis, si cohibeatur, nec à magnis coinquinari. Non se de aliis rationem reddituram; & sibi vel in eo loco licere ad perfectionem regulæ, imo & si detur, supra peruenire. Demum perseuerandi in illo loco, vt non maior perfectio; at nullum crimen mutationem fortasse culpandam fore. Hæc, & similia, aut proponebat ratio, aut suggerebat hostis humani generis, vt à proposito Lutgardim reuocaret. Et in ingenio pacato, quietóque, ac nouitatum timido, facilè insedebat non innouare.

3. At postquam se substratam sibi vidit, & per hoc innouatum à sororibus, quæ proprio eam profectui mancipassent: cum is in dubio; iactura propriæ quietis certa haberentur; nec satis sibi crederet, de cæteris rationem reddituræ. Tum vero incaluit cor eius intra ipsam, & in meditatione Cistercij exarsit ignis, nullis iam aquis rationum extinguendus cineribus palliandus. Cæteris ad minora vocatis satis esse, si in illo cœnobio perseuerent: se non perseuerantem, sed pertinacem, nisi vltra progrediatur, quæ tot Diuinis resistat inspirationibus. Impulerit iam vltro consensuram, an præcedentem consensum maturauerit, in dubio est. Constat redeuntem à Concilio Lateranensi Abbatem Sancti Trudonis, cuius curæ cœnobium commissum erat, dum more Gallico extorsisset osculum pacis, quod ipsa recusabat, acceleraſſe votum, ac viam transitus non solum aperuisse, sed explanasse. Cæterum qua ratione ista contigerint, ex actis eius præstat transcribamus.

b *vbi supra.* Sic autem habent. b *Interea accidit, vt Abbas Sancti Trudonis, pater scilicet spiritualis eius Monasterij à generali Lateranensi Concilio veniens, cum processione à Monialibus exciperetur. Fusa autem in Ecclesia oratione, Moniales omnes ad modum Capitularem euocauit; & vt parum cauta inter simplices consuetudo obtinuit, singulas osculo excepit. Sed cum Lutgardis Priorissa osculari eum deberet, prorsus renuit: attamen per iocum ab omnibus retenta, passa est illud vi sibi extorqueri. Sed benignissimus Iesus ita manum suam interposuit, vt ne primi quidem motus contagionem ex eo osculo persenserit.* Hæc illi occasio, quantumuis alias leuis, concepti voti viam velut constrauit.

4. Deliberato transitu ad Cistercium, in quo iam nulla mora: restabat Monasterium eligendum. Et erant aliqua in partibus Theutoniæ, siue aliis vicinis, in quibus vsus linguæ, quam sancta nouerat. Sed Deus Nouum Aquiriæ Monasterium, quamuis Gallici idiomatis, huic ab æterno gloriæ destinauerat. Ergo cum Sanctum Virum Ioannem Lyranum, cum Christinam mirabilem, eius æui prodigium consuluisset; vterque Aquiriam petendam sibi respondet; neque propositis ab ea difficultatibus, cum multas opposuisset, ab eo potuerunt responso dimoueri: maximè approbante Deo consilium, & minante discessum, ni consentiret. c *Erat*, ait, *eodem tempore Magister Ioannes Lyranus Laodiensis Diœcesis, vir eximia sanctitate, qui non ignorans perfectissimum animi eius propositum, admonuit eam, vt abdicato Priorissæ Officio, ad Aquiriam Cisterciensis Ordinis Monasterium se transferret. Opponente illa diuersum Gallicarum Monialium idioma, eiusdémque Ordinis Monasterium in Herkenrade, vbi sermone Theutonico vtebantur, potius deligente, Dominus ait ad eam: volo, vt Aquiriam petas: nisi feceris, ego te deseram.* c *lib. 1. c. 10.*

5. *Quædam etiam Sanctissima Virgo Christina, cuius meminit Iacobus ille Venerabilis in vita Beatæ Mariæ Oegnies, cuius etiam vitam nos scripsimus, diuinitus compulsa eam adiit, dixitque ei: Quid cunctaris facere, quod Diuino instinctu iuberis? Obiicienti illa eadem, quæ diximus, quæque secundum hominem satis rationabiliter obiicere videbatur: Christina Deo inspirante, mox respondit: Ego vero, vel apud inferos mallem esse cum Deo, quam in cœlo cum Angelis sine Deo. Rectè nimirum, & congruenter illi respondit. Christi enim præsentia, quemuis locum, quantumuis inuisum, summè efficit delectabilem, atque ideo merito appetendum.* Hæc oracula præluxerunt Virgini Sanctæ, ne in cœnobij electione deuiaret ab eo, cui Deus ipsam destinauisset. *Igitur, pergit, Christinæ monitis confirmata Lutgardis ad omnia paratam se offert; parénsque supradicti Magistri Ioannis admonitioni Aquiriam se contulit, summa animi tranquillitate.*

6. Insalutatis filiabus, & sororibus discessisse Lutgardim, ne ab eis per vim lacrymarum, quæ grato animo vinculis fortiores, detineretur, verba sequentia indicant, non antea ab eis mutatione intellecta, quam exequuta. Verum cum tantæ matris tristem iacturam, eo magis dolerent, quominus præuidissent, atque id non lateret piam Lutgardim, dolori earum fertur condoluisse, & preces supplices ad Dominum fudisse, vt gregis à se deserti, quandiu pro eius obsequio, miseretur. Oranti fœminæ Maria Virgo apparuit. d *Promisitque se Monasterium Sanctæ Catharinæ propter ipsius preces, & temporaliter, & spiritualiter promoturam. Quod quidem in illo Monasterio vsque in hodiernum diem sic contingere videmus; quando illius Ordinis vbique tepescente disciplina, isthoc Monasterium magis, quam vnquam antea virtutibus floret, & rebus temporalibus copiosius auctum est.* Haud aliter Christus profectus à discipulis, misit eis Charismatum dona, quæ in eius præsentia nondum habebant. Et forsitan Lutgardiscum ipso potuit dicere. Expedit vobis, vt ego vadam. Certè quas semel accepit custodiendas, nunquam deseruit: quippe tali pro se relicta matre, tali procuratrice, cui multo cum maiori prouentu committerentur. d *vbi supra.*

7. Atque hæc quidem pro deserta ab ipsa domo. Verum quid pro assumpta Cistercióque? Haud credo maius illius aliud encomium, non huius nobiliorem prærogatiuam. Quippe eadem Virgo Lutgardi visa, quæ cœli Domina, quæ Angelorum Regina, quæ Mater Christi. e *Congratulabatur ei, id est, Lutgardi, quod Monasterium, & ordinem ipsi sibi specialiter addictum complexa esset.* Ita Cantipratanus, visionem referens & primum actorum Sanctæ Librum de his, quæ e *ibidem.*

ante

ante Cistercium, terminauit. Ergo hic annus, seu sequentis initium (nam vix bimestri, & peragi Concilium, & redire ab eo Abbas Sancti Trudonis, & Lutgardis omnia alia exequi potuit) quicunque tamen, nostris fœlix, & faustus, tum Lutgardis aduentu, tum matris Christi in propriam sibi familiam acclamatione. Maximè autem Aquiriæ Monasterio, cuius haud modice commendat perfectionem, quod recens tunc inceptum, inter addicta Virgini, non secus ac familia Cisterciensis computaretur. Vixit Lutgardis in Monasterio Sanctæ Catherinæ, dum ageret Monialem annos XLI. plus, minusve; dum Priorissam paucos tantum menses. Quare Cistercium, & Aquiriam ingressa est, cum vigesimum quartum explesset ætatis annum, ibidem vsque ad mortem, per alios quadraginta permansura.

8. Mutato habitu cœperunt noui timores, qui fermè ad pusillanimitatem declinantes, pauentem omnia Virginem, & nullius sibi, vt putabat, meriti conscium, neque semel, neque parum cruciabant. Firmatam se Mariæ Reginæ cœli, & Catherinæ Virginis responsis; sed in primo cœnobio, in quo talia ab eis audire meruit. Quid si mutato loco, & professione, mutantur promissa: & vt reuera nota, pro ignotis: sic & certa pro dubiis reliquisset? Perfectiorem ibidem vitam agi, sed non ideo fortassis feueriorem: vel si aliis, non sibi, quæ tales amisisset vades prioris vitæ. Ergo cum omnia opera sua, etiam transitum ipsum vereretur.

f *Lib. 1. c. 5.* f *Diu eiulans (ait auctor vitæ ipsius) quotidie Dominum precabatur, vt ipsam etiam in hac vita certam efficeret. Hoc desiderio cum multo tempore æstuaret, die quodam vocem audiuit apertissimè ad se dicentem: Secura iam esto charissima: placet Deo vita tua. Ad horam igitur exultans, deinde nihilominus, vt antea formidolosa fuit.* Diuturniori desiderio, nam tentationem non dicam, permittebatur, quo glorioſior, potentiórque consolatio responderet.

9. Ergo cum semel, & iterum admonita, & ad horam exultans, protinus redderetur timori pristino, talis ad eam vox de cœlo facta, ingenti miraculo, coram toto Conuentu confirmanda.

g *Lib. 1. c. 5.* g *Tranquillo animo esto. Prope diem reddes, & manifestè, & omnino secura.* At qualiter hæc promissio cœlestis impleta sit, quia rarum, atque Virgini gloriosum fauorem continet, ipsius Thomæ verbis pandere libet.

h *ibidem.* h *Vix* ait, *quatuor elapsi erant dies, cum ecce vir quidam spectabilis, sed omnibus ignotus in locum illum, vbi inter se colloquebantur sorores, ingreditur, salutatisque omnibus, Lutgardem, vt citius accersant, rogat. Eam venientem salutat, cunctisque audientibus, dicit: Hæc tibi mandat omnipotens: deinceps secura esto, quia Domino in te bene complacuit. His dictis repentè disparuit: nec necesse erat quærere vnde venisset, vel quisnam fuerit.* Certam reddidit Deus ancillam suam hoc aperto miraculo, de quo neque ipsa posset, sed neque ab aliis dubitare permitteretur. *Non diu post* (addit Cantipratus i) *homo quidam Sanctissimæ vitæ Diuina reuelatione edoctus, in Aquiriam veniens, eam in supradictis consolationibus confirmauit.*

i *ibid. m.* 10. Amore sponsi à quo talia susceperisset charitatis indicia; an reuelata sibi fruitura securitate; an tandem fugitura venerationem, quam ex his apud alias conciliabat, nam hæc omnia potuerunt mouere Virginem Sanctam.

k *Lib. 2. c. 6.* k *Cœpit optare feruentiori animo exire è corpore, & migrare in cœlos; pro quo, quotidie lacrymas fundebat. Dominus autem clamoribus eius modum ponere volens, celeriter apparuit ei, vulneribúsque manuum, ac pedum, & lateris detectis, dixit: En contemplare charissima, & vulnera mea clament ad te, ne frustra sanguinem fuderim; ne ve sine causa mortem perpessus sim. His, & visis, & auditis Lutgardis admodum exterrita, cum timore, & tremore quæsiuit, quis ille esset vulnerum Christi clamor? Et responsum est ei: Labore tuo, & lacrymis iram Patris iam accensam mitigabis, ne perdat peccatores, sed vt ipsius misericordia conuertantur, & viuant.* Ergo non sibi, sed vniuerso mundo victuram, cum semel reuelante Christo accepit, velut à prima petitione repulsa, eam sibi Prouinciam destinauit, vt continuas pro conuersione peccatorum preces ad Deum funderet, atque eius, quibus posset mediis, aut meritis, misericordiam, & gratiam promereretur.

11. Hinc ego puto Diuina prouidentia factum, vt huic muneri tantum vacatura, quod multa optabant, Galliæ Monasteria Lutgardim sibi adscire in matrem, sola linguæ ignorantia, quam addiscere per quadraginta annos nunquam præualuit, impediretur. Id, quod in eius vita notatum lego.

l *Lib. 1. c. 1.* l *Cum enim fama virtutum Lutgardis vndique increscret, noua Monasteria in Galliis construebantur, quæ, si vel parum aliquid Gallicè didicisset, mirum in modum eam sibi præfici cupiebant. Vbi ea id cognouit, multum exhorruit, rogauítque cum lacrymis matrem Domini, vt id auerteret. Apparuit autem ei mater Christi dicens, ne quidquam formidaret: se enim scutum protectionis suæ oppositurum.* Et addit auctor. *Vide autem, oro te, Lector, quo pacto isthuc impeditum fuerit; & videbis visionis huius purissimam veritatem. Vix annum ætatis quartum, & vigesimum attigerat, quando venit in Aquiriam, & tamen licet postea annis quadraginta inter sodales Gallicas vixerit, vix tantum potuit eius idiomatis perdiscere, vt esuriens commodè posset Gallicè panem petere. Quod vbi ad omnium notitiam peruenit, permissa est sponsa Christi in somno contemplationis quiescere.* Hactenus ibi. Prouidente Domino, vt nihil illi ex voto magis contigerit, quam ea, quam ab initio causabatur, ignorantia linguæ, cum recusaret Monasterium Aquirianum. Atque hæc satis pro nunc de beata Virgine. Nam reliqua dicemus suis temporibus.

1. *Ioannis Angliæ Regis in Ecclesiam contrarius animus : 2. nec minus in Cistercium. 3. Mors in Suuinshede, quam propinato per Monachum veneno, 4. seu suæ domui, seu Angliæ prouidentem, sunt qui attribuant. 5. Quamuis Arsfeldius, & alij aliter sentiant. 6. Conuersi cuiusdam supplicium satis pauendum. 7. Alterius visio, 8. & Monacho decedenti sine cuculla. 9. Dilata gloria. 10. Priuilegium Florentinis indultum. 11. Et de Ioanne Vallcellensi dictum in dubio.*

CAPVT NONVM.

1. IINE anni (quamuis non desint, qui putent ante Concilium, vt sententia in Stephanum Cantuariensem lata, quod minus illi in proceres faueret, non frueretur) Ioannes Rex Angliæ obiit, suis durus, hostibus facilis, vicinis inuisus, omnibus contemnendus : & qui vt Regnum, quod malè possidebat, peius administrabat, conseruaret, æquè pius, an sacrilegus fidelis, & apostata vilis esse, non dubitaret. Dum sibi à Gallis siue Angliæ Proceribus timeret, ad Ecclesiam confugit, & Regnum feudatarium fecit Vicariis Christi. Dum ab Ecclesia, & Episcopis Christianis, Agarenorum auxilium implorauit. *Quod si consequeretur,* ait Nicolaus Arsfeldius, [a] *professus est separatum à Christiana fide, ad Mahometanam superstitionem deficere. Cuius preces, tamque insignem perfidiam Agarenus ipse Princeps detestatus dicitur. Quod ego certè, vt pene incredibile, non referrem nisi probatum illius temporis authorem præeuntem haberem, qui id se ex vno Regiorum nunciorum audiuisse testaretur.* Ita Arsfeldius.

a Seculo 13. cap. 1.

2. In Cistercienses, idem qui in Ecclesiam : hostis, amicus, fundator, demolitor ; beneficus, emunctor vsque ad sanguinem : & nunc tyrannus, nunc obsequiosus ; quos altius oderat, profundius venerabatur. Habuit Ioannem Fordensem à confessionibus, Bellum locum fundauit, ditauitque ; eius domus Abbate in multis vsus, quæ supra memorauimus : & qui immensam substantiam (in quo omnes conueniunt) nostris abstulit, non pauca donauit ; nec suæ tantum ditionis Monasteriis, sed etiam exteris. Extat diploma expeditum hoc ipso anno, quippe decimo sexto sui Regni, quo Monasterio Sancti Martini de Monte, Viterbiensis in Tuscia (ad petitionem Ioannis eius Abbatis, qui cum Nicolao Episcopo Tusculano missus ab Innocentio, ad Regem venerat super medietate cuiusdam Ecclesiæ, quæ ad eum pertinebat) triginta marchas donat per annos singulos, vt ipse loquitur, æternum percipiendas. Diploma ipsum ab Honorio Papa firmatum, & litteris confirmationis insertum, quia Ioannis in Angliam, cum Nicolao Cardinali aduentum continet, cuius supra meminimus, hic etiam censui fore subiiciendum. Est autem tale. [b] *Ioannes, Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hyberniæ, Dux Normaniæ, Aquitaniæ, Comes Andegauiæ, &c. Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Iusticiariis, Vicecomitibus, Præpositis, & omnibus fidelibus suis, salutem.*

b *in Regest. Honor.*

Sciatis nos, intuitu Dei, & pro salute animæ nostræ, & animarum anteccessorum omnium, & successorum nostrorum, dedisse, concessisse, & hac charta nostra confirmasse Deo, & Beatæ Virgini Mariæ, & Abbati, & Monachis Monasterij Sancti Martini de Monte Viterbiensi in Tuscia, ad petitionem Venerabilis Viri Ioannis eiusdem loci Abbatis, qui cum Venerabili Patre nostro Domino Nicolao Tusculanensi Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato, ad nos venit in Angliam, in puram, & perpetuam eleemosynam, beneficium triginta marcharum singulis annis percipiendarum, de medietate Ecclesiæ Holcham in Episcopatu Norwicensi, quæ de nostra est procuratione, per manum procuratoris eorumdem Abbatis, & Monachorum, quem ad hoc assignauerint ; ita quod quicunque medietatem illam tenuerit, Abbati, & Monachis prædicti Monasterij triginta marchas singulis annis sine vlla difficultate persoluat, &c. Testibus Domino V. Burdegalensi Archiepiscopo, D. R. Petragoricensi Episcopo, &c. Datum per manum Radulfi de Niuelli, apud Partenay vigesimo sexto die Maij, anno Regni nostri sexto decimo. Hactenus Ioannes, quæ hic nos inserenda esse putauimus, tum ob Ioannis aduentum confirmandum, quod superius promisimus : tum, ne qui Ioannis mala recensuimus, bona, quæ fecit, silentio prætereamus.

3. Obiit in Monasterio Cistercienſi, quod Suuinsthede dicitur, quo, siue à suis, & Gallis profligatus (nam vtrique in ipsum coniurauerant) seu tædio rerum improspere gestarum, & melioris fortunæ desperatione, (neque enim iam, cui fideret, habebat neque quem falleret) sese receperat. Sunt qui affirment, (nam neque hoc silendum duxi) veneno à quodam Monacho super infuso vino, fuisse extinctum, quod vt hauriret, ipse prior gustasset ; libenter moriturus, dum communem Reipublicæ, & generis humani hostem occideret. Hector Boætius occisum Ioannem putat, quod idem Monasterium vellet destruere : [c] sic enim ait. *Ioannes Angliæ Rex pessimus tempore Innocentij Papæ III. ad annum Christi M. CC. XIV. quippe ante Concilium generale celebratum, obiit in quodam Cistercij cœnobio, veneno, vt ferebatur, à quodam Monacho impetitus.* Et paulo inferiùs : *Ferunt quidam clam à Monacho, cuius cœnobium destruere habebat in animo, dato veneno, necatum esse.* Ita Boætius, etsi tempus anteuertens, tamen rem ipsam pandens, vt ab antiquis ; nam cæteris, quæ fides ? Passus fuerat Ioannes à Francigenis non multo antea cladem, de qua hæc in sua historia Matthæus Paris. [d] *In hoc autem casu, Rex Anglorum quadraginta millia marcharum, quæ tempore interdicti à Monachis Cistercienſibus, consilio Ricardi de Marisco, & consimilium aulicorum, impudenter abstulerat, inaniter consumpsit, vt fidem faceret, prouerbio, quo dicitur, non habet euentus sordida præda bonos.* Vt inde appareat facilè ex præteritis potuisse Monachum futura formidare.

c *lib.* 13.

d *ad hunc ann.*

Cæterum

4. Cæterum Polydorus Virgilius ad hunc annum aliam veluti vniuerſaliorem cauſam aſſignat, quippe hæc habet verba. [e] *Sunt qui ſcribant Ioannem ira, & furore accenſum peruenisse ad cœnobium Monachorum Ordinis Ciſtercienſis, quod Suinshedum vocant; & ibi indignatum ob annonæ vilitatem (vtpote quo haud quiſquam id temporis Angliæ genti inimicitior erat) iracunde dixiſſe; ſe intra paucos dies ita facturam, vt multo charior eſſet, & ea voce Monachum quendam concitatum continuo Regi adminiſtraſſe venenum vino infuſum, à ſe prius degustatum, quo liberius ille hauriret; & ita ambos vno ferè temporis puncto animam efflaſſe.* Hæc Polydorus.

e *fol. mihi 287.*

5. Nicolaus Arsfeldius neutri adhæret: quin Ioannem Regem deſperatione rerum fractum incidiſſe in febrim: quam aliàs ex ſe grauem, & auctam intemperanti Perſicorum malorum eſu, recentiſque cideris potione accelerauit, teſtatum habet, ſubdens de veneno. [f] *Nam quod quidam veneno à Monacho ſublatum apud cœnobium Suinſthedium (& neſcio, quæ alia portenta tradunt) nullo certo, probato, illiúſque temporis authore, ſed Anglicano quodam recentiore, ignotique nominis authore nituntur.* Certè Matthæus VVeſt antiquus author nullam veneni facit mentionem. Sed *Ioannes*, (inquit [g]) *Rex Angliæ apud Helleſtrem bigas ſuas, & quaſdam clitellas, quas terra abſorbuit, irreſtaurabiliter amiſit. Quo audito dolens inconſolabiliter, & profunda geminans ſuſpiria, apud Suineſhedes Abbatiam Ordinis Ciſtercienſis, pernoctauit; vbi ſecundum conſuetudinem ſuam Perſicis cum muſto, & pumatio ingurgitatus, & dolore iacturæ recentis abſorptus, inuidit in magnam ægritudinem, de qua poſt breue tempus mortuus eſt ad Caſtrum de Neuverche.* Fieri potuit, vt mors acceleratior ex intemperie, tribueretur veneno, & Monacho ſublato per idem tempus, velut propinatori, hauſtoríque, ſparſa in vulgus fama, quantumuis veritate careret, imputaretur. Longelinus, [h] neminem licet pro ſuo more referens, Ioannem in eodem cœnobio ſepultum tradit; & ſepulchrali lapidi inciſum dignum viro epitaphium, quod tum mentis nequitiam operúmque, tum infœlicitatem, atque (quæ ſumma in hac vita miſeria eſt) commune omnium odium, à quo ne in morte liber manifeſtabat.

f *Sæculo 13. cap. 2.*

g *Ad ann. 1216.*

h *lib. 8.*

Hoc in Sarcophago ſepelitur Regis imago
Qui moriens multum, ſedauit in orbe tumultum,
Et cui connexa, dum vixit, probra manebant,
Hunc mala poſt mortem, timor eſt, nefata ſequantur.
Qui legis hæc, metuens, dum cernis te moriturum,
Diſcito quid rerum pariat tibi meta dierum.

6. Circa idem tempus contigiſſe lego in quodam Ciſtercienſi cœnobio ingens miraculum, ſimulque pauendum; quod à Cæſario narratum in ſuis Dialogis nequaquam licet ſilentio præterire. [i] *Non eſt diu*, ait, *quod in quadam domo Ordinis noſtri, ædificium quoddam ad vſus Monachorum factum eſt, quod quidam conuerſorum videns, & inuidens, Diabolo cor eius inflammante, aliquos ad deiectionem eiuſdem operis incitauit. Qui cum veniſſent cum inſtrumentis ſuis ante refectorium Monachorum, author tantæ conſpirationis corruit, & expirauit. Quo viſo, cæteri valdè timentes, cum multa feſtinatione, & humilitate venerunt ad pedes Abbatis, peccatum ſuum confitentes, à quo pœnitentiam ſuſceperunt; corpus verò conſpiratoris ſepultum eſt in campo. Poſtea ad petitionem conuerſorum, ſicut notis retulit Abbas noſter, qui audiuit, prædictus Abbas petiit veniam in Capitulo generali, vt liceret ei corpus proiectum ponere in cœmeterio; ſed non recordor, vtrum fuerit ei conceſſum, vel negatum.* Hactenus ibi.

i *lib. 11. cap. 57.*

7. Referam duo alia prodigia eiuſdem temporis, vera, an imaginaria; (nam hæc etiam probata ſignis externis) ex quibus facilè & commendetur feruor noſtrorum Patrum etiam ſecundi ſæculi, quibus vel leuia pro magnis imputabantur; & noſter obiter incuſetur tepor, qui vix de his curamus, quæ illos ab ingreſſu cœleſtis patriæ, vt non arcerent ſaltim retardabant. Vtrumque idem qui ſupra Cæſarius narrat, deſignatis cœnobiis, quæ tamen nobis penitus ignota, aut ita deprauata ab ſcriptoribus, vt vix poſſimus de eo quid coniectari. [k] *Conuerſus quidam*, ait, *de Cynna, ſiue Tynna, quæ domus eſt Ordinis noſtri, cum die quadam miſſus ab Abbate ſuo, vt nauigio tranſiret per fluuium Albim, qui fluit per Saxoniam, nauta ab eo naulum requiſiuit, qui cum diceret, nihil, ſed ad manum habere de pecunia: reſpondit ille. Date mihi pro pignore cingulum, vel cultellum veſtrum. Non poſſum, inquit, carcere his, & adiecit: Ego promitto vobis cum ordine meo, quod dimidium denarium vobis remittam; & dimiſit eum nauta. Recedens ab eo conuerſus, eo quod res modica videretur, promiſſum parui pendit, nihil remittens. Non multo poſt infirmatus, cum omnibus, qui aderant mortuus videretur; anima (vt ipſi videbatur) à corpore egreſſa, cum ad requiem aſcendere vellet, prædictum dimidium denarium, cuius in confeſſione non meminit, ante oculos habebat; qui adeo creuit, vt mundo maior videretur: cúmque ſurſum nitenti ſemper obſiſteret, neque aliud eſſet, quod impediret; ad Angelorum petitionem permiſſa eſt redire ad corpus. Mirantibus cunctis viſionem retulit, & miſſus eſt ab Abbate nauta integer denarius, ſub omni celeritate: quem, vt ille recepit, eadem hora ſecundum conſiderationem conuerſus expiranit. Hæc mihi narrauit Abbas Limoniæ aſſerens ſibi recitata à prædicto Abbate.* Addam & aliud mirabilius, quod idem author narrat verbis ſequentibus. [l]

k *lib. 11. cap. 35.*

l *lib. 11. cap. 36.*

Ante annos paucos in Regno Francorum, quadam domo Ordinis Ciſtercienſis, Monachus quidam bonæ vitæ laborabat in acutis: qui dum duplici calore torqueretur, infirmitatis, ſcilicet, & aëris, rogauit infirmarium, quatenus ſibi liceret cucullam exuere, & induere ſcapulare: quo ille conceſſit, compaſſus infirmo. Qui cum abiret, reuerſus infirmum reperit expiraſſe: non modicum ex hoc turbatus, domum clauſit, ſcapulare extraxit, reinduit ei cucullam; ſicque in matta illum ponens, tabulam pulſauit. Deportatus in oratorium, proxima nocte, cum Monachi ſecundum conſuetudinem circa corpus Pſalmos legerent, ille in feretro ſe erigens, & circumſpiciens, Monachos aduocauit: qui cum territi fugerent omnes in dormitorium excepto Suppriore, qui conſtantior erat, ait illi: Noli timere, ego ſum Frater veſter, qui mortuus fui, & reuixi; vocate mihi Abbatem. Interim ſignantibus Monachis, qui fugerant, quia ſurrexiſſet Monachus mortuus, factus eſt in dormitorio magnus motus, atque concurſus.

Accedente Abbate ad feretrum, ait ille: Domine

mine confiteor vobis, quod sic, atque sic mortuus sum; ductus vero ab Angelis ad Paradisum, cum putarem posse me libere intrare, accessit ad ostium Sanctus Benedictus, & ait: Quis enim es tu? Respondente me: Ego sum Monachus ordinis Cisterciensis: subiecit Sanctus: Nequaquam: si Monachus es, vbi est habitus tuus? Iste locus est quietis, & tu vis intrare cum habitu laboris? Qui cum gyrassem muros eiusdem fœliciſſimæ mansionis, & per fenestras seniores quosdam magnæ reuerentiæ illic conspexissem. Vni illorum, qui cæteris benignior videbatur, vt pro me intercederet, supplicaui, cuius interuentu permissus sum ad corpus redire, vt sic habitu à te accepto merear ad prædictam Beatitudinem introire. Quo audito Abbas cucullam, in qua iacebat, ei extraxit, cucullam, quam in infirmitate exuerat, ei reinduens: sicque accepta Benedictione, rursum expiraui. Vocatur autem domus, in qua contigerunt. Szere: Abbas de Relashusen, per nos transiens, nobis retulit hoc miraculum, dicens se audiuisse à Priore, & conuentu iam dictæ domus. Hactenus Cæsarius. In tabulis neutra domus inuenitur: verum cum creuerint vltra duo millia, in quo omnes conueniunt; nihil planè mirum, si in tabulis, quæ ad mille non pertingunt, non inueniantur. Leuia hæc retardare ingressum cœlestis patriæ, nisi condigna luantur satisfactione, dubitari non licet: neque dedecet fœlices illas animas, quandiu expiantur, ad corpora reuerti, & dum se detineri voce pronunciant, ipsiusque detentionis causam pandunt, à similibus alios deterrere. Quod si ipsa detentio (quod magis probo) & alia, quæ dicuntur non animabus separatis vita, sed immersis corporibus credantur, quamuis adeò alienatis ab omni sensu (sic disponente Deo) vt mortua putarentur, antequam essent, alium etiam effectum sortiri possunt, nempe talem dolorem in videntibus, vt nihil aliud remaneat expiandū in alia vita.

Hoc anno Constantia Romanorum Regina, Siciliæque, Florensi Monasterio bona confirmat; ipsúmque protectione Regia donat, innouatis iuribus, exemptionibúsque, quę illi à quibusuis aliis concessæ essent. Porro hæc omnia se facere affirmat ob reuerentiam Venerabilis Abbatis Matthæi, qui Ioachimo successit in præfectura. *Considerantes*, ait, [m] *diligentius religionem, & honestatem Matthæi Venerabilis Abbatis, & Conuentus Sacri Monasterij Beati Ioannis de Flore obtentu superni muneris, & spe retributionis æternæ, &c.* Vt facilè vel inde colligamus damnationem libelli Ioachimiani etiam recenter latam, nihil obfuisse filiorum æstimationi. 10.

m *Chronol. sect. 40.*

Sub idem tempus, defuncto Balduino, septimo Henniacensis cœnobij in Belgio Præsule. *In eius munere* (Ferreolus Locrius ait [n]) *iuit Ioannes, eo nomine secundus, Vallis-Cellæ Monachus, qui simul hoc, & Aroasiense Monasteria gubernauit.* Hęc tantum ille. Nec mihi constat, an ex Valle-Cellarum Cistercienſi, an ex alio cœnobio, Valle-Cellæ appellato, assumptus fuerit? 11.

n *ad hunc ann.*

---

1. *Acta Capituli concernentia Diuinum cultum, 2. & quædam specialia. 3. Chronologia & de loco Sanctæ Mariæ. 4. Abbatia de la Vega 5. Donatio loci, 6. & pauca quædam in ea animaduersa, 7. de Parco Dominarum Monialium propè Leodium: 8. atque item in Belgio de Nouo Bosco 9. Cellense Monasterium in Lusitania: 10. & dictum obiter de tempore Monachatus Reginæ Sanctiæ.*

CAPVT DECIMVM.

1. IN Capitulo nonnulla decreta lego pietatis intuitu erga Sanctos, quæ à Christo ad Apostolico; inde etiam ad alios transierunt. Pro reuerentia in Sacram Eucharistiam præceptū est, vt *quando minor campana pulsatur, in eleuatione hostiæ Saluatoris in Missis de Conuentu, omnes qui pulsatione audierint flectant genua, præter eos, qui in dormitorio fuerint, orationem, quam Deus inspirauerit, facientes.* Iussi deinde inuocari in Litaniis duo Apostoli, Iacobus, & Ioannes, qui hactenus cum aliis supprimebantur. Additi etiam Thomas Cantuariensis, & B. Catharina; ille velut Cistercio familiaris; hæc tanquam aucta à Deo cunctis Aureolis Virginis, Martyris doctrinis; eoque aptior singulorum protectioni. Atque hæc omnia inseruerunt sequenti titulo. *In Litania nominetur S. Iacobus ante S. Ioannem. Præcipitur, quod B. Ioannes Euangelista, B. Thomas Cantuariensis in Litaniis nominentur, & S. Catharina, de qua Festum XII. lectionum fiet, ibidem nominetur.*

2. Hæc generaliter omnibus iniuncta: aliis concessa specialiora quædam; quibusque respectiue pro suis locis. *Festū S. Martialis Lemouiensis Episcopi in Diœcesi Lemouiensi, eodem die, & vniformiter celebretur, sicut in Ecclesia matrice. Abbatibus Episcopatus Andegauensis conceditur, vt faciāt Festum S. Mauritij, ita tamen vt Conuentus laboret.* Quis hic Mauritius facilius Galli noscent. Certè in Martyrologio Romano nullus est, qui Andegauenses concernere videatur. Fortè Mauritius pro Maurilio scriptus, sexto eius Sedis Præsule, cuius Festum XIX. Octobris ibidem celebrari consueuit per annos singulos. Prodiit & quædam alia definitio de electione Abbatū in domibus, quæ ab Ecclesiis matribus distant. Sed quæ adeò corrupta inuenitur exemplaribus, vt nullum sensum faciat, vnde nec nobis venit transcribenda.

3. Sequūtur fundationes præsentis anni, quæ duæ nobis veniunt memorādæ; locus S. Mariæ in Treuirensi Diœcesi: (incidit nāque in eā prima fundatio) & in Hispania, & Diœcesi Legionēsi, S. Maria de la Vega; quā tamen domū Chronologia biēnio differt, incerta, vt alia, fide, sed minus aberrante, quàm solet alia. Locum S. Mariæ Heisterbachum protulit, seu vallis S. Petri, donante fundum, & domum construente Euerhardo, Burgrauio de Amberg, & vxore eius Aleyda; atque præfecto nouæ fundationi Hermanno Abbate, quem dudum ex Heisterbacho ad Hemmenrode promotum, nempe ex filia ad matrem, memorauimus. Cessisse prius, atque ad Heisterbachum secessisse, priuatam vitam ibidem peracturum, argumento est, quod aliàs numquam ex auia ad nepotem; & qui Heisterbachum visitabat paterno iure, eo descendisset, vt ab Abbate Heisterbachei visitaretur. Sed neque proli emissæ ex Heisterbacho, nisi degeret ibidem, præfectus esset Vtcumque fuerit, quem mater habuisset, eun-

dem habuit filia, velut Satorum longa experientia edoctum,& suetum fœtus teneros, non solum informare sed promouere. De fundatione loci
a *lib.7.Dialogor.c.6.* S.Mariæ,ita Cæsarius.[a] *Dum nobilis fœmina, Domina Aleydis de Molsberg, cum consensu mariti sui, Euerhardi Burgrauij, quædam allodia sua per inspirationem diuinam, ad nouam Abbatiam Ordinis nostri construendam, in manus Domini Henrici, Abbatis nostri, liberè, & sine vlla contradictione tradidisset ante ipsius mortem, domus, quæ vocatur locus S. Mariæ, constructa est.* Ita Cæsarius. Sed clarius, distinctiusque Tabella, quam
b *Suar. Notitiar.lib.7.* in eodem Monasterio seruatã, Iongelinus[b] vulgauit, quæ ita habet. *Per ministerium, & deuotionem Domini Euerhardi, Burgrauij de Amberg, viri ingenuæ conditionis, & vxoris eius, Dominæ Aleydis, fœminæ virtutis, anno M. CC. XV. in die S.Bernardi, de gremio Vallis S. Petri in Heisterbach, prodiit Conuentus duodecim Monachorum cum Abbate Hermanno decimotertio, ad locum, qui nunc Vetus claustrum dicitur, ad Abbatiam construendam tunc dispositum.* Ita in Tabella. Porrò, hunc Hermannum Abbatem, eundem esse, qui Heisterbachum fundauit, atque inde ad Hemmenrode promotus fuerat, constat ex multis aliis Cæsarij locis, sed ex illo præcipuè: *Dominus Hermannus, nunc Abbas loci S.Mariæ, quantæ sit vir religiositatis, quantæve grauitatis! bene nosti. Iste ante conuersionem Ecclesiæ Bonnensis erat Canonicus, vir nobilis, & de alto sanguine natus. Factus verò Monachus in Hemmenrode, non multo post, cum emitteretur Conuentus noster de eodem claustro, primus eius Abbas efficitur; & post paucos annos per electionem ablatus, eidem in Abbatem promotus restituitur.* Hæc satis nunc de prima fundatione loci S.Mariæ;nam, quæ ibidem contigerunt, & quanta passi Monachi, quoad vsque Hermannus Abbas,confirmatus oraculo cœlesti, & ipse potuit alios confirmare. Dæmum sæueram, pauendam vindictam, de Sacrilegis sumptam, qui bona Monasterij audebant inuadere, quam insinuauimus Tomo præcedenti, anno M.CC. XXVII. quo contigit translatio inde resultans,simulque mors Hermanni;dicenda erunt.

4. Transeo ad S.Mariam de la Vega, quam hoc anno cœpisse, non minus certum constat per instrumenta. Fundatores habuit diuites,& nobiles Rodericum Roderici,& Agnetem Pereziam coniuges,qui donum ab Henrico Rege Alfonsi filio, recens tunc acceptum,animo liberali Deo sacrarunt:Monachos ex valle viridi, aliàs de Benauides accitos sub Abbate Munione,multæ eius domus memoriæ asseuerant, concordantibus tabulis, quæ Ecclesiam Sanctæ Mariæ de la Vega in linea Claræ-Vallis,filiam Vallis viridis,& superaddi nepotem testificantur.Nomen loco *Lerones*, prisco vocabulo, inter Carrionẽ sito,Saldaniamque,haud ignobilia illius Prouinciæ oppida:mox à planicie, & riuo præterlabẽti Hispano nomine, Vega nuncupatur:quo item exigua,& tenuis aliàs domus, in descriptionibus Castellæ notata cernitur. Olim haud dubiè pinguior,& opulentior, palam fit ex ipsa dotatione,quæ hoc anno firmata per fundatores: nec multo post ab Honorio Papa priorum, mox à Gregorio IX. confirmata hodiéque perseuerat, & ita habet. c

c *Ex Archiu. eiusd. dom.* *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filij,& Spiritus Sancti, Amen.*

5. *Notum sit omnibus hominibus, tam præsentibus, quam futuris, quod ego Domnus Rodericus Roderici vna cum vxore mea Domna Agnete Petri damus, pro animabus nostris, Deo,& Monasterio S.Mariæ de Vega mercedem illam, quam dedit nobis Rex Henricus, & soror eius Domina Berengaria in Lerones, cum Ranedo,& eius Ecclesia:& partem illam, quam habemus in Ecclesia de Bacherim, & Ranadelo, Sancto Iuliano,& Casares,& Villa Moranta, & Rebollera,& in Sancta Marina. Et insuper damus quantum habemus en la Serna Villa, quæ est inter Carrionem, & Saldanniam. Et quantum in Frechiella, & Villalones, & vnam Ecclesiam in Anastade Iuso cum suo hæreditamento. Et Ceruatos aliam Ecclesiam cum defessa, & cum quanto ibi habemus, vel habere debemus, cum terris cultis, & incultis, vineis, molendinis, pratis, solaribus, populatis præter diuisam. Et quantum habemus in Robadella de Camino præter diuisam. Et quantum habemus in Plantada, & hæreditatem de valle salicis, & quantum habemus in Mannoco, & in Portellejo, & totum quantum habemus in fonte salice cum vassallis, cum montibus, fontibus, cum pratis, & omnibus pertinentiis suis, & quantum habemus in Villa Roano, & in Valle Bona, & in Aguero, & pratos, quos cõparauimus in Villa, quæ dicitur Casares. Et ego debeo facere Ecclesiam vestram, & Clausstrum, & Hospitium, & omnes officinas Monasterij. Et hæc omnia supradicta do vobis in promptu; & deinceps totum illud, quod ego dedero, aut comparauero, vel boni fecerim totum in potestate, & in defensione Regis. Quod neque ego, nec vxor mea, nec filij filiorum meorum, nec vllus homo ex genere nostro habeamus potestatem in supradicto Monasterio nec in rebus eiusdem Monasterij, aliud faciendi nisi bonum. Totas istas hæreditates supradictas & alia quæ supradicta sunt, vt scriptum est, damus Deo, & Sanctæ Mariæ de Vega, & ordini Cistercienſi, & Regi terræ; & in præsenti Domno Munioni Abbati, & Conuentui eiusdem loci. Facta Carta in mense Aprili, apud Carrionem, anno ab Incarnatione Domini M. CC. XV. Regnante Rege Henrico, cum sorore sua Regina Berengaria, in Toleto, & Castella.*

Hactenus prima illa donatio loci:qua primum videas, hoc iam anno Abbatem cum Conuentu aduenisse in locum, eiusdem donationem accepturos: secundò,quod vel in Regibus rarum illis temporibus,non solum locum,& alias possessiones eisdem traditas,verum & fabricam construẽdam per fundatores: tertiò ea omnia Regibus donata,qua tutior domus,atque in maiori populorum veneratione, sub Regia protectione conseruaretur. Quartò nihil iuris reseruatum à fundatoribus,nisi benefaciendi Monasterio: quippe quo liberalius donauissent, eo plura accepturos atque ex his etiam se plura donaturos non dubitabunt. Hanc donationem Honorius Papa III. post annos sex, nempe Pontificatus ipsius quinto;Gregorius IX. post paucos confirmarunt. 6.

Tria alia video cœnobia Sancti-Monialium dilatasse Cistercium,Cellas nimirum,Parcum Dominarũ,& Nouum Voscum.De Parco Dominarũ, hæc ab Auberto Miræo scripta video. d *Parcum Dominarum, quod est cœnobium Virginum primo lapide à Louanio, initia sua debet Ioanni Hugoni, & Beatrici, coniugibus, in Parco commorantibus: quibus proles cum deesset, visum fuit hæreditatem in pios vsus conuertere. Extructum ergo cœnobium Virginibus ex Augustiniana Regula præscripto victuris. Postea Raynero quodam equite adlaborante, & res Monasterij augente, circa annum M. CC. XV. florens id temporis institutum* 7.

d *in Chron. Cist. ad hunc ann.*

Cistercien

Cistercienſe eſt introductum. Itaque Henricus Lotharingiæ Brauantiæque Dux, Abbatiam Sanctæ Monialium in terra iuxta Louaniũ ſuis temporibus conſtitutam, anno M. CC. XVI. confirmauit Gregorio Pontifice maximo collaudante. Dotem poſtea quoque auxere vicini VVeſemaliæ & Potſelariæ Barones. Ita Miræus. Huius cœnobij initia conſecrauit ex Rachele Iudea, Catharina magni meriti Virgo, de qua nos plura in ſequentibus dicemus.

8. De Nouo Voſco Antonius Sanderus in ſuo libro de rebus Gandagauenſium, nam ad eas ſpectat, cum paulo ante egiſſet de Bilocano, de quo nos ſuo loco, hæc ſubdit verba. [f] *Nouus voſcus celebre Ciſtercienſis diſciplinæ cœnobium antiquitate Bilokam ſuperat; ex illo enim ad annum M. CC. XXVII. Abbas Bodeloenſis, iuſſu Roberti Claræ-Vallenſis, Abbatiſſam cum tribus Virginibus in Bilokam introduxit. De eo ſic domeſtica monumenta mihi tradita loquuntur. Anno ab Incarnatione Domini M. C C. XV. quinto Kalendas Maij inchoata eſt Abbatia Beatæ Mariæ in veteri Vuſco in Baſia, Eodem anno XVII. Kalendas Decembris: primo celebrata ſunt ibidem Diuina.* Monaſterium cœpiſſe ſub Prioriſſa, ſicque perſeueraſſe per annos tredecim, idem qui ſupra auctor innuit, dum primam Abbatiſſam Odam nomine, electam teſtatur anno M. CC. XXVIII. Fundatrix loci, & prima Prioriſſa inſignis Sanctitatis fœmina, dicitur Moniales rexiſſe per decem annos. Ea cedente anno M.CC. XXV. Oda, an alia ſucceſſit, titulo Prioriſſæ perſeuerante, quouſque tandem, eo, quem modo diximus, M. CC. XXVIII. in Abbatialem tranſiit, quod ea nomen omnium prima obtinuit. Hæc ſatis nunc: nam de morte Sancta prædictæ fundatricis, quam Margaritam vocatam memoriæ produnt, & tranſlatione domus, aliiſque; ſuis, & locis, & tempore dicemus.

[f] *ſol.mi.445.*

9. Vltimum ſequitur Cellenſe Monaſterium in Luſitania, illuſtri fundatrice Regina Sanctia, cum iam altius ad Lorbanum hauſiſſet Ciſtercij mores. Quippe vtraque ſoror, quam ſibi delegiſſet familiam, augere voluit; altera innouata veteri domo; altera, noua condita, in qua ſe vtraque Deo conſeraret. De anno fundationis non ſatis conſtat, niſi quod tamen inſtrumenta produnt ante M. C C. XIX. conditum eſſe: & Brandaonius hunc fuiſſe coniectatur, [g] quoniam ſopitis litibus, cum Fratre vtraque ſoror expeditor remanebat. Certè lites, neque hactenus quieuiſſe, nec tam cito quieturas compertum eſt, pendente hoc anno Romæ appellatione, & deceſſuro Innocentio, cauſa indeciſſa. Potuit, longa vexatione dante intellectum, ex præteritis futura coniectari: & quod ardebat condere cœnobium, in quo ſeu dilationes, ſeu ſententiam, cum minori ſpe, aut metu præſtolaretur. Dixerit Cellas vocabulo communi Monaſteriis antiquis, an ab incluſis ad illud confluentibus, quas *Encelladas* Luſitani vocant; in dubio nobis; & primum probabilius: etſi vulgo receptior ſecunda pars. Certè anno M. C C. X I X. iam eo gaudens nomine inuenitur, in quadam donatione vtriuſque Reginæ cuius fragmentum Brandaonius idem adducit. [h] *Ego Regina Domna Sanctia, vna cum conſenſu ſororis meæ Dominæ Taraſiæ dono Monaſterio de Cellas, quantum habeo in Zenia, quæ vocatur Petri Sueriy, &c.* Hæc inquam anno M. CC. XIX. cum tamen conſtet incluſarum aduentum ad eam domum non ante quindecim, nempe M. CC. XXXIV. & poſt obitum Sanctiæ contigiſſe, quod nos etiam in tempore dicemus. Potuit Sanctia, quas dudum elegiſſet ſuo cœnobio præuenire vocabulo; atque ipſo nomine velut inuitare, quo tranſitus faciliot appareret. Vtcunque fuerit fundatam à ſe domum Claræ-Valli ſubiecit, id quod ex literis Innocentij Papæ IV. habemus apertum, in quibus idem Cellenſe Monaſterium, ſub ſua, & Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſcepit, atque alia illi indulget priuilegia, præmiſſa relatione, Sanctiam Reginam eius fundatricem. [i] *Prædictum Monaſterium Ciſtercienſi ordini incorporaſſe, & feciſſe filium Monaſterij Claræ-Vallis.* Moniales, quæ docerent inſtitutum adductas ex Arouca, comectot magis, quam affirmo; reliquas ex ſæculo aduenisſe ſub earum Magiſterio militaturas.

[h] *loco ſuprà.*

[i] *Ex Regeſt. Vatic.*

[g] *lib. 14. cap. 19.*

An inter primas habitum ſuſceperit Sanctia Regina, an finem litis præſtolata fuerit, de rebus interim ſuis, & pingui, quod habebat, patrimonio, diſpoſitura? non video hactenus notatum ab auctoribus. Conſtat ante obitum Monialem induiſſe; conſtat & poſt hoc tempus multa donaſſe, quæ ſuis locis nos etiam producemus. Vt inde facilè liceat coniectari, profeſſionem, vt minimo dilatam vltra annum probationis: ſic diſponente Deo, vt ad multorum gentium ſubuentionem, atque alia opera inſignia perpetranda, promptior, & expeditior relinqueretur. Crediderim & induiſſe habitum, & diſtuliſſe vota, ob has, & alias cauſas; quod & ſororem eius in Arouca, & Sanctam Heduuigim in Treboniaco, adhuc poſt Viri obitum feciſſe, inſtrumentis productis, quo maior fides dictis, commemorabimus.

ANNVS CHRISTI M. CC. XVI. ANNVS CISTERCII C. XIX.

1. *Status rerum,* 2. *& Fulco ſuis reſtituens Sanctum Dominicum* 3. *Cuius conſilio ab eis electa Regula, conſtitutioneſque,* 4. *& primum Monaſterium ipſius dono.* 5. *Monfortij Comitis proſpera fortuna,* 6. *ſtare diu neſcia.* 7. *Belli quadrum obſeſſum,* 8. *& tandem captum (vbi & dictum de Guidone Carcaſſonenſi)* 9. *Toloſa rebellis.* 10. *Fulco reconcilians Simoni ciues.* 11. *Sed facto priùs pretio, quod non exigui poſt mali occaſio fuit.*

CAPVT PRIMVM.

1. DECIMVS ſextus annus ſupra milleſimum, ducenteſimumque ab orbe reparato, à condito Ciſtercio centeſimus decimus nonus, vitæ Innocentij Papæ vltimus fuit; nigro lapillo Eccleſiæ deſignandus, tanto orbatæ Paſtore; ſi non initia Prædicatoris Ordinis, ſub eius ſucceſſore pullulantis album depoſcerent, quo tanta digne incrementa memorentur Chriſtiani no-

minis. Neque vllus alius Cistercio glorioſior, cuius auſpiciis natus, cuius dono nutritus, & in cuius Eccleſia (nam commemorant Bullæ Pontificis) ab Honorio approbatus eſſe dignoſcitur. Hæc, & ſimilia eumdem concernentia, ordine nobis ex more dicenda erunt. Igitur illum Fulco Toloſanus, & Guido Carcaſſonenſis auſpicabuntur; hic innouato bello, intentus Caſtris: ille dum pariter bello, & pace ſtrenuus; in hac, quem ſecum ad Concilium Romam duxerat, Beatum Dominicum, Toloſæ, & ſuis reddidit; electurum (de eorum conſilio) regulam, & ſui ordinis fundamenta prima iacturum: in illo, orta in vrbe ſeditione in Comitem Monfortium, à ciuium iugulis auertit minantes gladios; in quo ô vtinam nequaquam præualuiſſet eius auctoritas.

2. Thomas Maluenda communem omnium auctorum conſenſum tradit. [a] *Sanctum Dominicum non reuerſum Toloſam, niſi peracto iam, & ſoluto Lateranenſi Concilio; & res ipſa ait, ſatis hoc ipſum perſuadet, niſi expleto Concilio, Romam virum non deſeruiſſe: Cum neque Fulconi Epiſcopo cui Dominicus Comes aderat, niſi dimiſſo Concilio recedere licuiſſet. Satis etiam conſtat Fulconem, Dominicumque, nonniſi ſequenti anno Toloſam rediiſſe: nam dum peragitur Concilium, aliaque negotia expediuntur; quis dubitet elapſos reſtantes duos menſes huius anni? Porro Sanctum Dominicum comitatum ſemper etiam in redditu, Fulconem, à quo ad Concilium ductus fuerat, nulla eſt ratio cur reuocemus in dubium.* Hæc ille præcedenti anno totidem verbis.

a *Ad ann.* 1215.

3. Toloſæ, & ſociis reſtitutus Beatus Dominicus, quo Innocentij præceptum adimpleret, communicato cum eis ante Concilio (nec mihi dubium quin etiam cum Fulcone) Sancti Auguſtini regulam elegit, ſub qua, quos inſtituebat prædicatores, militare vſque ad mortem profiterentur: ſuperadditis quibuſdam conſtitutionibus, quas à Præmonſtratentibus deſumptas, Ferdinandus Caſtillus, [b] Maluendaque, [c] & alij eiuſdem familiæ teſtificantur. Certè inſtituentem Prædicatorum Ordinem ſub Regula Auguſtini, à Notberto Prædicatore egregio, & ſub Regula eadem militante, ſumpſiſſe quædam, nequaquam à ratione alienum cenſeo. Verum quæ Thomas in exemplum adducit, abſtinentiam à Carnibus, ieiunium magnum, vt eius verbis vtar, à Feſto exaltationis Sanctæ Crucis, vſque ad Paſcha, & id genus alia, quæ numquam vſurpauit Sanctus Notbertus, nequaquam potuit ab ipſo deſumpiſſe. Porro cum ea omnia noſtris ex Regula obſeruanda iniungantur, facilius ego ab eis mutata crederem, Conſulente Fulcone: maximè cum Sanctiſſimus Patriarcha Præmonſtratenſibus raro, quod ſciamus, Ciſtercienſibus, ex quo ex Hiſpania venit, adeo frequens adhæſerit, vt numquam ſine ipſis inueniretur; in quo etiam poſt ordinem inſtitutum perſeueraſſe, quæ inferius dicemus, declarabunt.

b *in hiſt. Domini.*
c *in Annalibus.*

4. Vtcumque fuerit, conſtituto inter B. Viri ſocios, de ſuſcipienda Regula, & conſtitutionibus quibuſdam ſuperaddendis; cum officinæ, clauſtra, & dormitorium, quæ ad Sancti Romani Eccleſiam inchoauerant, in modum iuſti ædificij conſummaſſent; antequam Romam ad Innocentium Papam, pro obtinenda promiſſa confirmatione, reuerteretur, voluit iã Fratres ſuos in clauſtro cernere: & velut in cœnobio conuiuẽtes. Vt hæc Eccleſia à Fulcone Patre accepta, atque eius benedictione fundata, perfectaque, noui ordinis prima conſtitueretur, & velut ferret primitias confirmationis. De his Hæc habet Theodoricus de Apoldia Dominicanus. [d] *Mox Toloſæ in Eccleſia S. Romani, quam fœlix ille Fulco eius ciuitatis Epiſcopus illis attribuerat, extructum eſt Monaſterium, & in eo cellæ ſtudiis accommodæ, ſatiſque aptum dormitorium. Erant tum Fratres numero plus, minus ſexdecim.* Hæc Theodoricus, quæ eadem Humbertus, & alij teſtificantur. Quin hanc primam Eccleſiam ab Honorio hoc anno confirmatam, vna cum decimis ab eodem Fulcone acceptis, dicam in tempore.

d *Lib. 1. c. 12.*

Inter hæc innouato bello cum Albigenſibus, iterum nobis laborandum cum eis fuit. Perrexerat Pariſios Monfortius Comes, poſt reditũ nunciorum à Concilio. *Ad Dominum ſuum Regem, ait Vallſarnienſis,* [e] *vt ab eo terram reciperet, quæ de feudo illius erat.* Antonius Antiſiodorenſis aliam cauſam adducit. Dum *venit*, ait, [f] *contra Aragonẽſes auxilia petiturus, à quibus præter necem Petri Aragonenſis, graues ſuſtinebat inſultus. Venit etiã de re hæreditaria, & familiari diſponere: pro eo, quod in fata cõceſſerat Amicia mater eius.* Siue autem ſola prior aduentus eius, ſiue aliæ cauſæ extiterint, conſtat ſimul à Rege, regnoque, & gloriosè ſuſceptum, & quæ optabat, fœliciter peractis, ſtatim dimiſſum, rediturum ad ſuos, & belli, & pacis negotia firmaturum. Sic enim pergit Petrus Vallſarnienſis [g] *Quãtus enim honor ei exhibitus ſit in Francia, nec à nobis ſcribi, nec ab audienti de facile credi poſſet: in quamcumque enim ciuitatẽ, Caſtellum, ſeu Villam intrabat, exibant ei obuiam cum proceſſione clerus, & populus clamantes, & dicentes:* Benedictus qui venit in nomine Domini, *tantáque & talis erat copia, & religioſa deuotio populi, quod Beatum ſe eſſe dicebat, qui eius poterat tangere fimbriam veſtimenti. Veniens Comes ad Regem, ab eo benigniſſime & honorifice eſt ſuſceptus. Poſt iucunda vero gratæ familiaritatis coæquia, Rex inueſtiuit Comitem, & confirmauit Ducatum Narbonæ Toloſæque, ei, & hæredibus: eius totã etiam terram, quã in feudo eius acquiſierant Cruce ſignati, contra hæreticos, & defenſores eorum.* Hic ſtatus rerum Comitis Mdnfortij ſub huius anni initium.

e *Cap. 83.*
f *ad hunc ann.*
g *Cap. 83.*

5.

Verum fortuna ſtare diu neſcia (eóque cum non habet, quo aſcendat proximior caſui) inter hæc proſpera, aduerſa quædam miſcens, inclyti Ducis perniciem, heu cunctis bonis acerbam, meditabatur. Initium inſtaurandi belli, Raymundus Raymundi quondam Toloſani Comitis filius, qui vt Patri Toloſam reſtitueret, Aragonenſes Catalanoſque in occiſorem ſui Regis, hæreticos, in communem eorum hoſtem; fugitiuos ad patriam; ſubiectos Comiti, ad capeſcendam libertatem exhortabatur. Itaque ait Petrus Dallſarnienſis. [h] *Ad partes Prouinciæ acceſſit & facta coniuratione contra Deum, & iura Canonica, & ciuilia, cum Auenionenſibus, & Tarraconenſibus, & Maſſilientibus, conſilio, & auxilio quorumdam nobilium Prouinciæ occupauit terram illam, quam de commendatione D. Papæ cuſtodiebat nobilis Comes Montisfortis.* Hactenus ille audaciam iuueni fecit abſentia Comitis, ex Francia nondum reducis: tum vt Guidonem Fratrem Toloſæ ab eo relictum, euocaret per bellum, vrbemque deſtitutam auxilio, Raymundo Patri exponeret; odio in fidem & in eius ducem Simonem, facilè ad eius dominium tranſituram.

h *Cap. 83.*

Non

7. Non fefellit consilium nouum Ducem, quod ipse euentus certius comprobauit. Nam pergit
i *vbi suprà.* Petrus. [i] *Veniens Raymundus Belliquadrum, vocatus ab hominibus eiusdem Castri, qui nostro Comiti hominium fecerant; in Burgum est receptus. Statim confluentibus ad eum, quibusdam nobilibus Prouinciæ, ciuibus etiam Auenionensibus, & Massilienſibus, Burgensibus insuper, Virís perfidis, & malignis, Seneschallum Comitis Montisfortis, militésque, & seruientes, qui cum dicto Seneschallo munitionem seruabant, in ipsa munitione obsedit, cœpitque acriter impugnare. Quo audito, Guido Frater Comitis Montisfortis, & Almaricus ipsius Comitis Montisfortis primogenitus, cæterique Barones Comitis, & milites qui erant in partibus Tolosanis, festinanter venerunt versus Belliquadrum, vt suis, si possent, succurrerent obsessis.* Sic ne indefensos relinqueret obsessos ad Belliquadrum, Guidoni deferenda Tolosa fuit.

8. Ardua nimis, & longa illa obsidio, nec ea sine Cistercio, quippe Carcassonensis Præsul Guido sequutus Castra, auctoritate, consilióque apud homines, apud Deum precibus promouebat negotia belli. *Erat autem*, ait, [k] *cum eis Venerabilis Episcopus Carcassonæ Guido, qui sicut sæpe dictum est, erat in fidei negotio totus ardens.* Guidonem comitatus Petrus ipsius nepos inter medios gladios, missiliáque, vt palam constat ex tota narratione. Accidit autem in huiusmodi obsidione res plane mira, vt obsessores obsessi etiam existerent. Quippe adueniente Comite Monfortio, multo stipato milite, vterque Frater ex aduerso positus, vtrumque latus obsidentium obsidebat. Et nisi victualia intus deficerent, mansisset Belliquadrum, nostris indemne, atque Raymundus iunior suæ proculdubio luisset audaciæ pœnas; sed cum non possent perire hostes fidei sine Catholicis; his nempe fame citius defecturis, quàm illis gladio; vtrisque parcere, consilium Simonis fuit; suggerente Guidone Carcassonensi: & Castrum ipsum Raymundo tandem cessit, honestis conditionibus; & compensando damno non multo post aliorum Castrorum expugnatione.
k *ibidem.*

9. Verùm cum ipse non tam de Belliquadro, aut minoribus Castris decertaret, quam de Tolosa; quæ à Guidone deserta, facilè pateret patris inuasionibus, & ne hoc quidem latuisset Monfortium Comitem: visum est præuenire senis aduentum; nec fidem ciuitatis, experiri, quæ semper lubrica; nec tunc certior, aut firmior, vt multi referebant, expectabatur. Itaque, ait idem, qui supra Petrus [l] *Recedens nobilis Comes cum suis ab obsidione Belliquadri, venit Nemausum, ibique dimittens equites, qui custodientes ciuitatem, etiam discurrerent per Terram; ipse properauit Tolosam. Quod audiens Raymundus quondam Comes Tolosæ, qui & ipse veniebat ad occupandam Tolosam confusus aufugit. Accedens Comes Tolosam præmisit quosdam de militibus suis ad ciuitatem: ciues autem perfidi, & ad proditionem parati, ceperunt illos, & in vna domo tenuerunt concluſos: quod audiens Comes iratus est valde, videnſque quod Tolosani vellent resistere, fecit ignem apponi in parte ciuitatis, ciues autem fugerunt ad burgum adhuc volentes resistere: sed videntes, quod Comes vellet eos aggredi per insultum timore ducti exposuerunt se, & ciuitatem eius per omnia voluntati.* Hactenus sumptum ex Petro Vallsarnensi.
l *cap. 83.*

Hoc in conflictu Tolosanus Fulco, inter vtrosque medius, vt qui partes Comitis Monfortij, siue verius Ecclesiæ ita foueret, vt nihilominus commissas sibi oues, Tolosæ ciues, paterna charitate complecteretur; dum minus sagax (ita euentus docuit) à quibus ipse prorsus abhorreret, de nullo alio dolos suspicatur, vtroque concilians, vltimi pene vtrorumque excidij (quis id credere posset?) occasio fuit: comparata, per pecuniam exactam, pace, quæ ægre colligenda, vel à fidelibus, rebellium animos atrocius exasperauit, & tandem heu! Monfortio vitam ademit. Rem magna ex parte omissam à Vallsarnensi Guillelmus de Podio Laurentij ita prosequitur. [m] *Anno*, inquit, *M. CC. XVI. veniens Comes Simon contra Tolosanos, qui quadam se inobedientia subtrahebant, molestè ferentes iugum; ciuitatem inuasit, in locis plurimis igne immisso; vt duplici gladij & flammæ turbine terrerentur: & facilius turbarentur. Qui è contrario vires viribus opponentes, trabibus; & vasis in plateis, coram venientibus transuersalis, eorum impetum repulerunt: nec quietem vel ignem, vel in hostes laborantes, toto noctis spatio habuerunt. Manè autem facto venerabilis Pater Fulco Episcopus, adiunctis sibi quibusdam excubiis, vt periculis occurreret imminentibus, de pace tractauit & aliqui aciem ferri argento retundere probauerunt: & sic aliqui sub bona spe persuaserunt, vt reciperet à ciuitate, & à burgo triginta millia marcarum argenti, quæ bene solui poterant, vt eius gratiam obtinerent.* Hæc ille. 10.
m *cap. 29.*

Tantam summam argenti accepisse Monfortium, atque eius pactioni Fulconem interuenisse, duæ causæ potuerunt honestare: altera compescendæ perfidiæ rebellium Ciuium, sæuieriori mutata; & cui se exponere rursus formidarent: altera stipendarij militis sumptus haud excusabiles; & qui non facile aliunde prouenirent. Verum multa licere, quæ non expediant, vel tacente Apostolo, ipsa experientia magistra commonemur. Certè ea summa à primoribus vrbis promissa, non sine fraude; nempe vt vulgus irritatum per exactiones à Comite deficeret, & ad Raymundum propensior transuolaret. Hinc Guillelmus appellauit Concilium Achitophel, & Comitem consensisse, non nisi cæcum. Sic enim subdit. [n] *Cui*, inquit, *Concilio Achitophel libenter consensit: & excæcatus argento, periculum non præuidit.* Et post pauca. *Interim autem tractabatur secreto cum Comite veteri in Hispania peruaganti, qualiter Tolosam rediret, & fieret, quod optabat.* Hactenus gesta hoc anno per Catholicos; nam quæ inde sequuta, omnibus bonis tristis Monfortij mors, anno sequenti, quo nascitur euenisse, dicenda erit. 11.
n *vbi supra.*

1. *Mafalda Lusitaniæ infans Henrico nubit* 2. *(Emmendatus Episcopus Palentinus, & dictum de Legionensi Alphonso, & Berengaria)* 3 *ob consanguinitatem separata.* 4. *Arroucam intrat, vt illam ad Cistercij leges reformet.* 5. *Sorores cum Alfonso Fratre litigant.* 6. *Quid procurator Regius?* 7. *Quid Innocentius?* 8. *Commissio Abbatum,* 9 *& sententia per eos lata.* 10. *Sororum arces Templariorum fidei commissæ;* 11. *& de induciis eisdem datæ cautiones.* 12. *Protracta lis, sed minus amaris animis.*

CAPVT SECVNDVM.

1. PER idem tempus soluto matrimonio inter Henricum primum Castellæ Regem, ex Alfonso relictum, Mafaldamque Lusitani Sanctij filiam, cuius supra meminimus, quod in prohibito consanguinitatis gradu contractum esset; Innocentius Cistercio præparauit insignem gloriam. Quippe Mafalda siue post Henricum cæteros viros sperneret, siue omnes in ipso fastidiret; vt non repulsa, saltem non detenta; neque per nuncios missos ad Pontificem negando sanguini, aut impetrandæ illius dispensationi (cuius exemplar præcessisset in Ottone) solicitata; cœlestis sponsi thalamum, & solas spirituales nuptias concepit animo, in Cistercio tandem consummandas. Ergo Lusitani hæc Sanctij Regis filia, Alfonsi soror Henrico puero penè duodenni Palentiæ tradita; Virgo, an mulier effecta, maturiorem viri ætatem, & matrimonio aptiorem præstolabatur: Cum Berengaria Regina Legionensis, Henrici Soror, saluti Fratris metuens (nam impediendæ successioni Regni, alias ad liberos eius transituri, non est, qui asserat) saluti inquam Fratris piè metuens, si in ea ætate incontinentiæ frænalaxaret; seu mauis zelo obseruantiæ sacrarum Legum, aut timore vindictæ violati numinis, si matrimonium inter consanguineos, contra leges Ecclesiæ sustineretur; ad Innocentium Pontificem scripsit, qui posset obuiam ire nuptiis incestis. *Ex eius litteris,* (inquit Mariana,[a] *Romanus Pontifex, exceptione propinquitatis cognita, diuelli coniugium, quod male cohæserat, edicto mandauit; dicta omnia, nisi obtemperarent, minatus. Rei perficiendæ cura Episcopis duobus demandata, Tellio Palentino, Mauricio Burgensi.*

a *Lib.*12.*c.*5.

2. Rodericus Palētinus auctor est,[b] harum occasione nuptiarum editam fuisse ab Innocentio III. celebrem Decretalem, quæ habetur in capite, *Etsi necesse* 5. *de donationibus inter virum, & vxorem:* sed plane fallitur. Quippe in eo textu, non de Rege Castellæ, sed Legionis; nec de Regina Lusitani Principis filia, sed Castellani agitur, quæ Henrico nequeunt, & Mafaldæ conuenire. *Quia vero*, ait, *Castra quædam, quæ Rex Legionis, filiæ Regis Castellæ in dotem tradidisse proponitur, ita, vt si eam aliqua occasione relinqueret, ipsa caderent in ius eius, impedimentum præstare videntur, huiusmodi copulæ dissoluendæ: Cum Castra ipsa non tam ob turpem, quam ob nullam causam sint data, vtpote cum inter eos matrimonium non existat, & ideo nec dos, nec donatio propter nuptias; ne ad commodum ei cedat, quo debet in pœnam; Castra ipsa restitui volumus, & ad id puellam per excommunicationis sententiam coarctari.* Ergo hæc Decretalis, vt hoc obiter notem, quod nescio an alij antea animaduerterint; non pro Henriço, & Mafalda edita est; sed pro Alfonso Legionensi, & Berengaria, qui & ipsi separati iussu Innocentij, postquam iam quinque filios suscepissent. Certè non alius Rex Legionensis sub Innocentio, qui cum filia Castellæ Regis contraxerit, sed neque alia filia Regis Castellæ, quæ Regi Legionensi nupserit, Berengaria excepta, matre Ferdinandi qui vtrumque Regnum copulauit. Nec de diuortio dubitare licet inter vtrumque, vt ex infrà dicendis apparebit. Sed redeo ad Henricum.

b *lib.*3.*c.*38.

Quem supra ætatem prudentem, sunt qui affirment,[c] quamuis intra annum immatura morte raptum, semina magis virtutum, quam virtutes, & præter indolem, vix quicquam præsetulerit. Tertium decimum agens ætatis annum; quæ sane ætas Virginem Mafaldam, vt non conuincat, tamen permittit credi. (Et Rodericus Toletanus Præsul in hanc partem inclinat[d]) nec difficilis nuptiis, nec iniuncto diuortio rebellis fuit, in quo fortassis consultum eius honori Diuina prouidentia: ne si non coniugem retinuisset contra præceptum, quæ alias eum manebat violenta mors, irati numinis vindicta reputaretur. Vtcunque fuerit Mafalda separata, non alium sibi sponsum, quam Christum fore; non alium thalamum, quam eum, qui in Cistercio concipiens animo ad Lusitanos rediit, vtrumque ibidem effectui mancipatura. Ferunt priusquam deseret Castellam interpellatam de secundis nuptiis, si tamen primæ tales, ab Aluaro Lara procuratore Regni, quo Regia fœmina, & illustrium Regum filia, sororque, ac nouissime coniux, altius exturbata doleret à Regis thalamo, cum se priuatis videret fore expositam. Narrat idem, qui supra Mariana, hæc subdens verba.[e] *His, (id est duobus Episcopis) agentibus, Maphalda, mulier quamuis effecta (sic creditum est) in patriam demissa, in Ruchæ Monasterio, quod ipsa condidit, vitam exegit ad vltimam ætatem religionis studiis, repulsæ ignominiam tolerans. Aluaro in primis irata: Cuius fraude non tantum in calamitatem impulsa erat, sed & de coniugio appellare veritus non erat; fœlix, & Regina paulo ante, mox serui ludibrio, si consensisset, obnoxia. Hæc salutis anno millesimo, ducentesimo, sexto decimo agebantur.* Hactenus ille.

3. c *Mariana lib.*12.*c.*6.

d *Lib.*9.*c.*1.

e *eodem loco.*

Verum quod ait Maphaldam suis redditam, Monasticem professam in Monasterio Ruchæ, quod ipsa condidit, non video, qua ratione stare possit: nisi dicamus Ruchem pro Arouca corrupto vocabulo, amanuensium scitia positum esse. Sed neque id cœnobium ab ipsa conditum; quin olim duplex, & viris habitatum, fœminisque; tunc solas continens Sanctimoniales ab anno D. CCC.I. fundatum probat Brandaonius[f] instrumentis productis, quibus nequaquam liceat refragari. Verum est ergo Maphaldæ natu minimæ

4.

f *in Monarchia Lusitana.*

minimæ inter omnes sorores,duo, inter alia Monasteria, contigisse hæreditario iure possidenda, quod supra memorauimus, Aroucam,& Bouzas: super quibus cum ab Alfonso Fratre, siue eam arctius amaret, seu minus bona Ecclesiastica sitiret,nequaquam vt sorores Sanctia, Tarasiáque super Castris, & Villis molestaretur; libere potuit alterum eligere,in quo à commercio hominũ semota,cœlestis sponsi se nuptiis præpararet. Itaque in Lusitaniam reuersa Maphalda,vt Lourbanum Tarasia, Cellas Sanctia, Aroucam elegit in habitaculum: tunc Benedictinarum cœnobium Virginum; sed intra octo annos,eius consiliis in iura,& leges Cistercij transiturum. Cæterum de huius cœnobij initiis ante Maphaldam & transitu Monialium ad Cistercienses anno M. CC. XXIV. quo constat accidisse, plura dicemus. Nunc ad sorores Tarasiam, Sanctiamque transferamus sermonem,quæ iam hoc anno Innocentij Papæ sententiam, & longæ exitum litis præstolabantur.

5. Biennium pene datum allegationibus, exceptionibúsque, dum pars vtraque, & euentum rei timebat, nouas inter loquendi occasiones, seu nouas dilationum artes machinabatur. Et erat Innocentius in sorores, & testamentũ, quod ipse confirmasset, propenso animo. Cum ecce Mediolanensis iuris peritus Alphonsi procurator,vt sunt plerumque aduocatorum ingenia vafra, & viuida; cum vidit se si palam disceptaret, causa casurum, diuersam litigandi viam aggressus est. Et Regem nolle sororibus Legatas arces eripere: quin alias illis, si ita ex vsu appareat, libenter additurum, longa, & facunda oratione declamauit. Habeant,possideant fœminæ arces,vrbes, & si potuerint defendant à Sarracenis. Regi nihil vltra faciendum superesse,qui sororum ministrum voluisset agere; ne vel ipsæ oppidorum tantorum fructibus,vel Lusitani,qui Christo militabant, præcipuis munitionibus Regni destruerentur. Sibi si iura Regia concedantur, nil amplius quæsiturum ab illis oppidis; si negentur recursurum ad parentis testamentum, viisurumque an ea iura sororibus legârit simul cum locis. Sed neque ægrè laturum, si eis careat; carituras exinde obligatione subueniendi oppressis, obsessisve,quod citius euenturum non dubitabat. Non hanc ob causam appellasse Alphonsum ad audientiam Pontificis,in qua facile ipse ad vtramlibet partem se componeret.

6. Ingentem illam summam pecuniæ esse, quam rescindere vellet; quia temerariã, quia iniustam, quia impossibilem. Abbates, Sanctos; sed rerum externarum prorsus ignaros, centum quinquaginta millia aureorum iniunxisse soluenda; quæ nec si Rex vniuersum Regnum expilet, multo tempore valeat congregare. In non soluentem anathema indixisse, quod nisi in contumaces indici nequeat: & tamen constat non esse inobedientem, nedum contumacem: qui ea solum facere omisit, quæ non potuit. Hanc ipsam summam iniunctam ab eis Regi pro damnis manifestis(nam de eis solis licebat iudicare.)Pro dubiis quid vlterius addendum foret? Aut quidnam sibi Innocentius reseruauit, si non hanc summam? Quid si non Rex sororibus teneatur de resarciendis damnis, sed illæ Regi? Demum homines iuris imperitos appellationi interpositæ ad Pontificem nequaquam detulisse, sed post ipsam censuras promulgasse in Regem, in Regnum, quæ nulla iuris ratione constare possent. Biennium iam consumptum in litigando cum scandalo orbis, qui Lusitaniam interdictam videt, & dum hanc causam sufficientem iudicat, grauiorem aliam,aut præsumit, aut asseuerat.

Hæc, & similia Alphonsi procurator,non tam proloquebatur, quam exclamabat. Nec contra Monachus, vt pietate potior, sic litigandi arte longe inferior,aliquid opponebat, quod vim rationum eius eleuaret, Ergo Innocentius cum ex vna parte iustitiam pro sororibus stare persuasum haberet; ex alia tamen Regi deferre cuperet, cui absque dubio Abbates non solum non detulissent, sed iuri eius manifeste derogassent; tale temperamentum sumendum censuit. Vt reuocatis in irritum censuris,quod attinebat ad oppida, arcesque Templariis in depositum traderentur sororum nomine: & de redditibus eisdem responderent; Regalia Alphonso soluerent, ne se immunem ab eorum tutela existimaret. Tum vt damnorum summam, iustitiamque, Episcopus Burgensis & Compostellanæ Decanus, præmissa inquisitione prudenter taxarent; & parti iniuriam passæ,ab iniuste aggrediendi facerent solui. Hæc Apostolici mandati summa, à quo non video supplicatum ab ipsis partibus, consensisse sorores compertum est; Cistercij iam, & quietis appetentes; atque id solum à Pontifice petiisse, vt ad maiorem earum securitatem, tot, ac talia oppida Templariis traderentur ex parte Regis, quot, & qualia eisdem ipsæ tradebant. Quod licet Pontifex illis concesserit, iussit tamen inter Regem, & eas pacem firmari, præstito iuramento, atque aliis adhibitis cautionibus, quibus prudenter, & secure credere, possent. Hæc omnia hoc anno Innocentius mandauit exequi paulò ante suam mortem, litteris datis ad nouos Delegatos septimo idus Aprilis, quarum hic tenor. g

7.

g *apud eundem tom. 4. in appendice,* 8.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabili Fratri Episcopo Burgensi, & dilecto Filio Decano Compostellæ Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cum olim chariſſimus in Chriſto filius noſter Portugalliæ Rex illuſtris eſſet excommunicationis vinculo innodatus, & terra eius ſuppoſita interdicto, pro eo, quod nobilibus mulieribus, T. & S. ſororibus ſuis ſuper Caſtris Montis Maioris, & Alenker damna dicebatur grauia, intuliſſe; dilectis filiis de Spina, & Vrſaria Abbatibus dedimus in mandatis, vt excommunicationis, & interdicti ſententias, iuxta formam Eccleſiæ relaxantes, vtrique parti facerent de manifeſtis damnis, & iniuriis ſatisfieri competenter, ſuper dubiis vero audirent quæcumque ducerent proponenda. Et niſi per eos inter partes amicabilis poſſet concordia reformari, cauſam ad nos remitterent ſufficienter inſtructam, præfigentes partibus terminum competentem, quo per procuratores idoneos, noſtro ſe conſpectui præſentarent, mandatum Apoſtolicum recepturæ.

Poſtmodum verò dilectis filiis L. Mediolanenſi Regis ipſius, & R. Monacho Cellæ nouæ dictarum ſororum eius procuratoribus in noſtra præſentia conſtitutis, propoſuit procurator nobilium prædictarum,quod iudices ipſi relaxatis ſententiis ante

9.

dictis, ipsum Regem, pro damnis, & iniuriis manifestis, eisdem sororibus suis in quadam summa pecuniæ condemnarent, in eum, indictæ pecuniæ solutionem cessantem, excommunicationis sententiam proferentes; vnde postulabat procurator prædictus, vt iudicum ipsorum processum, firmitatem faceremus debitam obtinere. Procurator autem ipsius Regis proposuit ex aduerso, quod præfatis sororibus dicti Regis ei iura Regalia subtrahentibus, & aliàs multa inferentibus ei grauamina, & iacturas, idem earum prouocatus iniuriis, ipsis iuxta Terræ consuetudinem, iustum bellum indixit; compulsas per insolentiam earumdem subire labores non modicos, & expensas. Demum partibus in dictorum iudicum præsentia constitutis, ipsi post appellationem ad nos legitime interpositam, licet non contestata, ad receptionem testium procedentes, dictum Regem præfatis nobilibus condemnarunt in centum quinquaginta millibus aureorum, à quorum sententia Rege nihilominus appellante, ipsi excommunicationis eum, & in Regnum eius interdicti sententias promulgarunt, in iisdem sententiis impossibilitatem facti, & errorem intolerabilem exprimentes. Quare procurator ipsius humiliter postulauit vt easdem sententias denunciantes irritas, & inanes; nobiles supradictas ad satisfaciendum ipsi de damnis, & iniuriis irrogatis cogere dignaremur.

10. *Nos itaque præmissis, & aliis, quæ fuere proposita coram nobis plenius intellectis, denunciantes, prædictas excommunicationis, & interdicti sententias non tenere, super aliis de Fratrum nostrorum consilio, sic duximus prouidendum; vt videlicet nobiles prædicta Castra ipsa traderent in Templariorum manibus, suo nomine conseruanda, commoraturæ pacifice in eisdem. Ita quod ex illis nullum possit Regi, vel Regno dispendium prouenire. Ipse vero Rex, nec per se, vel per alios molestaret in aliquo, vel grauaret, quin imo eas, & iura earum defenderet, & seruaret. Deinde fieret diligens inquisitio, vtrum Rex iustum bellum indixisset eisdem, & nisi cum illis iustum bellum indixisse constaret, facta per viros idoneos, & fideles taxatione damnorum, ipse Rex competenter eadem resarciret. Si autem Rex ex iusta causa contra eas arma mouisset, ipsa dicto Regi damna lege simili resarcirent; vel alterutro ea sibi remitterent, si sic inter partes conuenire valeret. Nobiles quoque prædicta pro Castris ipsis exhiberent sine difficultatis obstaculo iura Regalia dicto Regi, cum per Patris testamentum nullatenus appareret, quod eadem à iurisdictione Regia exempta fuissent; cuius exequutionem negotij vobis duximus committendum.*

Nuper autem nobiles ante dicta, per suos nobis 11.
nuncios, & litteras supplicarunt, vt faceremus eis, prout pater disposuit earundem securitatem impendi, vel saltem ad securitatem ipsarum, & rerum suarum, tradi tot, & talia oppida in manus Templariorum ipsorum, quot, & qualia pro securitate ipsius Regis ab eis eisdem Templariis iussimus exhiberi. Nihilominus humiliter cum instantia postulantes, vt firmam pacem, vel saltem treguas perpetuas inter ipsas, & præfatum Regem ac successores eorum mandaremus fieri; & Archiepiscopi, Episcoporum, Baronum, ac aliorum fidelium Regni Portugalliæ iuramentis firmari. Cum igitur illius simus Vicarij, licet immeriti, qui non est Deus dissensionis, sed pacis. Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus illis in suo robore permanentibus, quæ super præmissis de Fratrum nostrorum consilio, prouide duximus statuenda, prout in aliis litteris ad vos transmissis plenius continetur: inter ipsum Regem, & prædictas sorores ipsius pacis, vel treguarum fœdera statuatis, quæ curamentis, & aliis idoneis cautionibus faciatis vtrinque firmari. Et ad illa firmiter obseruanda, eos post districtionem Ecclesiasticam sublato appellationis, & contradictionis obstaculo, compellatis. Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Datum Laterani VII. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno nono decimo.

Hunc fere finem habuit prolixa lis inter Al- 12.
fosum Fratrem, sororesque. Nam, vt reuera longius protracta ad Honoirum peruenerit, imò & tempora Alfonsi transgressa fuerit: cæterum iam Tarasia, Sanctiaque addictis Cistercio, atque vtraque Monasterium suum ingressa, non tam litigabatur inter Fratres, quam restabant reliquiæ litis præteritæ seu de nouo erumpebant, quas componere opus, aut declarare. Ergo ex hoc anno intestinæ liti exemptæ, & suæ quieti permissæ, ac deuotioni, vtraque altius Cisterciũ suspirabat. Cæterùm qualiter, quod mente concepissent, tandem peregerint, præeunte vtramque Maphalda Iuniore sequente Sanctia, atque omnium vltima Tarasia maiore natu (filiorum fortè cura retardante) suis tẽporibus, locísque dicemus.

---

1. *Innocentius Cistercio frequenter vsus.* 2. *Abbatibus de Alta Sylua, & Bello prato causam commendat,* 3. *quæ in corpore iuris extat, licet mutila, vt aliæ.* 4. *Grauiorem aliam Abbati Morimundi, & Lingonensi Episcopo:* 5. *litteræ Pontificiæ:* 6. *& dubium incidens in eorum exequutione.* 7. *Canonicæ purgationis forma qualis? Et cur credatur abiisse in desuetudinem.*

CAPVT TERTIVM.

1. VIx vllus alius Pontifex Romanus in Pastorali cura administranda Cistercio magis vsus, quam Innocentius, siue propria deuotio, affectusve trahebat ad nos hominem; siue nostri per merita, & virtutes, quibus tunc radiabant, vltro sese ingerebant illius animo; nec emergentibus in Ecclesia Dei negotiis, alij occurrebant, per quos possent idonius pertractari. Conuertendis Gentilibus Liuoniæ, atque Lubauiæ, & Prusiæ, Cistercienses quæsiti, nec actum tunc de aliorum conuersione: Extirpandis hæresibus Tolosæ, & vicinarum Vrbium, quibus non aliæ extitere pernicioſiores, Cistercienses præfecti: Cruci contra Albigenses prædicandæ, seu contra Sarracenos, Dominici sepulchri detentores, Cistercienses Legati: pacandis Regnis, consiliandis Regibus, vbi bella emergebant, iidem missi; demum qui Ecclesias, qui cœnobia visitarent

visitarent, qui lites componerent, qui reformarent deformatos mores, qui Episcopos successores Apostolorum corrigerent, deponerent, & pro depositis alios substituerent, qui Regularium cuiuscumque generis Capitulis præessent, aut frequenter, aut soli destinabantur. Vt verè nullus, non dico Ecclesiæ Annales sub hoc Pontifice, sed neque vnius, alteriusve Prouinciæ, vnius, aut alterius Episcopatus, vnius ordinis, & pene addam cœnobij, scire possit, qui Cistercium nesciat; nullus, qui sciat, possit ignorare. Illustriora; quæ inuenimus tradidimus: communiora silemus. Quis enim cuncta, aut sparsa colligere, aut legere collata non fastidiret? Quædam tamen, vel pauca propalabimus, quia extracta ad corpus iuris, vel quia aliquam tangunt, aut præferunt, iis Annalibus dignam antiquitatem.

2. Decreuerant Canonici Tullenses primiceriatus in Ecclesia sua dignitatem supprimere, quam suppressionem auctoritate Alexandri III. qui tunc Pontifex erat, Confirmauerãt. Hinc Primicerio defuncto nullus suffectus, & nisi suppressio viribus subsisteret, ius eligendi per lapsum præscripti temporis, ad Innocentium Papam deuoluebatur. Affuere præbendarum candidati, qui nunquam desunt, & quod mireris ex eadem Ecclesia, vt dignitatem suppressam impetrarent; &, qui mos ambientium esse solet, suppressionem celabant, vacante prodita. Innocentius nolens Tullensibus canonicis præiudicare in aliquo, sed neque suæ Sedis iure cedere, duos Cistercienses familiæ Abbates misit, Altæ Syluæ nimirum, & Belliprati, qui de vacante, & vacantis tempore inquirerent; neque vt referrent, sed vt ipsi procederent, vbi esset procedendum, etiam ad Primicerij pro suo arbitrio eligendi institutionem. Affuere Abbates, & lapsum temporis certum inuenere: nec dubium quin à multis molestati super Primiceriatus institutione: qua semel facta longa lis maneret Canonicos Tullenses & institutum. Verum vbi insinuata illis fuit dignitatis suppressio, Innocentio pro Ecclesiæ facto rescribunt; eorúmque interuentu effectum est, vt vsque hodie inconcussum perseueret. Inserta hæc omnia, vt dixi corpori iuris, ex Capite, *cum accessissent*, de constitutionibus; vbi mutila Innocentij Papæ Epistola, sed ex integris sibi restituta, hæc habet verba.

3. *Cum accessissent ad Apostolicam Sedem Archidiaconus Tullensis, & G. Tullensis Capituli procurator, Archidiaconus proposuit memoratus, quod cum olim quidam Canonici Tullenses nostris auribus intimassent, quod Promiceriatus in Tullensi Ecclesia tanto tempore vacauisset: quod ad nostras manus illius personatus esset donatio deuoluta: Dilectis filiis Altæ Syluæ, & Belliprati Abbatibus Cistercienſis ordinis, dedimus in mandatis, vt super hoc inquirerent veritatem: etsi personatum illum tanto tempore vacauisse constaret, quod iuxta Lateranensis statuta Concilij ad nos ipsius esset donatio deuoluta; ipsi personam idoneam de Tullensi Ecclesia, vel aliunde, in ipso personatu instituerent vice nostra, & eundem facerent ab illa pacificè possideri. Fuit insuper ex parte Capituli allegatum, quod de communi assensu Canonicorum Tullensium fuerit constitutum, ne Primiceriatus dignitas esset vlterius memorata: inter Canonicos ipsos Primiceriatus prouentibus, & possessionibus distributis. Et eadem constitutio à bonæ memoriæ Alexandro Papa prædecessore nostro fuit postmodum confirmata. Propter quod euidenter apparet, quod Primiceriatus ipse tanto tempore non vacauerit, sicut nobis fuerat falsa insinuatione suggestum. Quo circa mandamus quatenus, si constiterit Tullenses Canonicos, ne vlterius in Tullensi Ecclesia Primiceriatus esset officium, communiter statuisse, ac statutum illum auctoritate Sedis Apostolicæ fuisse postmodum, sicut dicitur, Confirmatum, vos illud faciatis in suo robore permanere, &c.* Hactenus ibi.

Concernunt eadem Innocentij Papæ tempora, atque hunc vltimum Pontificatus illius annum, quæ in eius Regestis reperiuntur, ad Abbatem Morimundi Guidonem, de quo supra, vna cum Episcopo Lingonensi, directæ litteræ super Archiepiscopi Bisuntinensis, qui in multis laborabat infamia, visitatione. Porro eidem ex parte conuicto, confessoque, ex parte vero tantum infamato; de prioribus pœnitentia certa iniuncta; de reliquis cum conuinci minus posset, indicta purgatio per Præsules prædicta exigenda. Rem non vulgarem, atque antiquam consuetudinem criminum purgandorum declarantem, & quas ob causas tandem absoluerit, ex ipsis litteris oportet, aperiamus. Res sic se habuit. Inquisitionem ab Innocentio Papa commissam vtrique Præsuli statim consequuta detectio criminum; præcipuè Simoniæ, incontinentiæ ac venditæ iustitiæ: quin & peccatorum illicitè initorum cum his, quos initiabat sacris Ordinibus; ne videlicet super adeptione beneficiorum, ipsius se voluntati vnquam opponerent, atque hoc vltimum conuictum per plures testes; de prioribus infamia sola constabat. Relatione ad Pontificem transmissa, Innocentius respondit comprobatæ per testes vnicæ culpæ iniungendam statim certam pœnam: pro reliquis indicendam purgationem, in qua si fortè Archiepiscopus deficiat, à Pastorali officio deponendum. Porro Canonicæ purgationis hæc erat forma. Vt purgandus iuraret, se non feciſſe: dein compurgatores affirmarent etiam sub iuramento credere se eundem non peierare. Ergo Innocentius respondit in hæc verba. [a] 4.

a *cap quoties de purgat. Canonic.*

Episcopo Lingonensi, & Abbati Morimundi Cistercienſis ordinis Lingonensis Diœceſis. 5.

Lectis, & intellectis, quæ super inquisitione facta contra Venerabilem Fratrem nostrum, Archiepiscopum Bisuntinum fuere proposita coram vobis, quia per depositiones testium, constat euidenter ipsum clericos, cum eos promouebat ad ordines, feciſſe promittere data fide, quod eum per Sedem Apostolicam, vel per alium, super obtinendo beneficio non vexarent: vt puniatur in eo, in quo deliquit, eundem à collatione ordinum duximus suspendendum, & quandiu nobis placuerit, volumus manere suspensum: Interim autem per aliquem de suffraganeis Ecclesiæ Bisuntinensis, cum necessitas postulauerit, clericis Bisuntinæ Diœceſis ordines conferri mandamus. Cæterum quia idem Archiepiscopus, super vitio Simoniæ, ac lapsu carnis, nec non venditione iustitiæ inuenitur infamatus; super his ei purgationem indicimus, &c. quatenus infrà tres menses ea recepta, aut super his articulis indemnem publicè denuncietis, aut si fortè in purgatione defecerit, ipsum à Pastorali regimine amouentes, faciatis Ecclesiæ Bisuntinæ de

de persona idonea prouideri. Hæc Summus Pontifex.

6. Accusabat Archiepiscopum conscientia de admissis criminibus: sed neque fateri tutum, nec peierare licitum; & forte deerant, qui iuramento fiderent, aliàs infamis hominis, nisi vteretur tergiuersatione, cui se possent & ipsi conformare. Ergo præfixo purgationis die, cum ipse simul, & compurgatores, coram vtroque iudice apparuissent, & iam ab eo Sacramentum exigeretur: nequaquam se non commisisse crimina, de quibus arguebatur, sed se immunem ab illis iurare voluit. Quam nouam iuramenti præstandi formam, cum Episcopus, & Abbas Viri sagaces, atque totius prudentiæ, notauissent, & posse in ea latere non leuem fraudem, si à commissis criminibus immunem se iam esse, per pœnitentiam, atque satisfactionem intellexisset, non dubitarent; habuere suspectam: nec ea vnquam contenti esse voluerunt, nisi more consueto se purgaret. Hinc appellatus Innocentius Papa per Archiepiscopum, & re ad illum interim delata, tales rursus ad eos litteras dedit.[b]

b *Ex Regest. Viatic.*

7. *Recepimus litteras vestras, quibus nobis intimare curatis, quod Apostolico suscepto mandato, super indicenda purgatione Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Bisuntino, ad diem sibi præfixum, comparuit coram vobis, iuramentum purgationis offerens sub hac forma: videlicet, quod immunis erat ab illis criminibus, super quibus se purgare debebat. Cumque vos diceretis hanc non esse formam canonicam, & superfuisset aliquandiu disputatum; ipse tandem ad nos vocem appellationis emisit: cui de prudentum virorum consilio detulistis. Ipse vero ad præsentiam nostram accedens, humiliter supplicauit, vt saltem super purgatione continentiæ dignaremur temperare rigorem; quia non audebat asserere, quod à natiuitate sua nunquam passus fuerat lapsum carnis. Porro cum ab eo non credatur tale exactum fuisse iuramentum; potius præsumitur, quod alia de causa nolebat sub præscripta forma iurare: videlicet, quod immunis esset ab illis criminibus, de quibus fuerat infamatus, quia quamuis commisisset, tamen etiam iam esset immunis ab illis .... Ideoque præscriptam purgationis formam, secundum quam idem Archiepiscopus coram nobis obtulit se purgare penitus reprobamus ..... iniungentes eidem, vt si potuerit, & voluerit, sub hac forma se purget, secundum sanum intellectum, quem ei ducimus exprimendum. Videlicet Simoniam, venditionem iustitiæ atque incontinentiam, de quibus infamatus existit, iuret se minimè commisisse, postquam ad Archiepiscopalem promotus est dignitatem: & compurgatores sic iurent, quod credunt eum verum iurasse. Quo facto, vos illum dimittatis in pace; alioquin eum, sublato cuiuslibet contradictionis obstaculo, remouendum curetis à regimine Pastorali: processuri secundum formam in prioribus litteris expressam.* Hactenus litteræ Innocentij Papæ.

8. Ex quibus non solum formam canonicæ, vt vocant, purgationis, alias in iure expressam, facile videas: verum & causas satis rationabiles, ob quas iam absoluerit, & velut relegata videatur à tribunalibus. Quippe exposita non paucis iurantium fraudibus; & quod deterius est, etiam periuriis: adde probabile posse sine peccato vti Epycheia purgandos, ne se proderent; qui eo ipso quod ad purgationem admittrebantur, non se aliunde conuictos, non dubitabant. Quod si purgandi per Epycheiam iurare licite poterant, quasi nihil tale feciissent, vt detegerent: compurgatores certissime iurabant, credere se purgatos non peierari: quare tota purgatio non multum vtilis, & aliàs fraudibus periuriisque exposita; (quamuis ex se non mala, neque illicita) merito abiisse videtur in desuetudinem. De ea toto titulo de purgatione canonica: Cap. XIX. XX. & XXIII. De accusationibus; Cap. XIII. de Simonia, cum multis aliis. Cæterum formam præstandæ purgationis ab Innocentio indictam, & in Decretalibus contenta sub primo titulo, Gratianus etiam inseruit suo decreto, eisdem verbis transcriptam in Canone *Quoties XVII.* secunda, Quæstione V. sed de his satis superque pro instituto.

---

1. *Mors Innocentij, & Honorij subrogatio.* 2. *Tum ille ostensus in visu cuidam Abbati,* 3. *atque Sanctæ Lutgardi.* 4. *Animaduersum de eius purgatorio,* 5. *& dictum de causis.* 6. *Eidem Virgini apparet Ioannes Lyranus;* 7. *& Christus consolatur flentem eius decessum.* 8. *Pro peccatoribus ieiunium aliud suscipit.* 9. *Illusa quædam Virgo illi ostensa,* 10. *& accersito Simone Alnensi per vtrumque liberata.* 11. *Mirabili exinde gratia prædita floret.* 12. *Mors Herleuuini Episcopi Leglinensis.*

CAPVT QVARTVM.

1. MENSE Iulio Innocentius Papa decessit: & quamuis annos præfuisset vndeviginti, tamen immatura morte raptus creditus est: adeo ipsius pro Ecclesia Romana Zelus, adeo constantia animi, adeo denique, qua pollebat sapientia, virtutesque diuturniori æuo dignæ iudicabãtur. Obiit Perusij die mẽsis XVI. quo ab vrbe perrexerat, Pisanos cum Genuensibus Naualibus; & Cis-Alpinos inter se, compestribus prælis decertantes compositurus. Corpus sepultum in Cathedrali Ecclesia Sancti Laurentij, nec multo post, sequenti nempe die, successorem sortitur Centium Presbyterum Cardinalem Sanctorum Ioannis, & Pauli, de quo hæc Bzouius. [a] *Fuit is Patria Romanus, Patre Haymerico, gente Sabella natus, à teneris annis Monasterio Lateranensi oblatus, & in eo Canonicorum Regularium institutum professus, atque propter eruditionem, pietatemque primum à Cœlestino III. inter Diaconos, deinde ab Innocentio III. Pontif. Max. inter Presbyteros Cardinales relatus. Nono Kalendas Augusti, insignia Pontificatus, & nomen Honorij III. assumpsit.* Chaconius addit [b] Cardinales, cum cœpissent discordare, voluntarie se ipsos recluisse; ante electum Pontificem (ne in longum negotium protraheretur) è conclaui nequaquam

a *ad hunc ann.*

b *in Honorio III.*

nequaquam exituros: & tandem concludit. *Hinc cœptus mos laudabilis fuit inclusionis Cardinalium vt citius Papam crearent, neque moras necterent, & cibus in dies paucior, & imminutior, fieret stimulus celeriter electionem Pontificis maturandi, vt cauetur in cap.* vbi periculū, *de electionibus in sexto.* Hactenus ille. Addo ego. & ad nostrum institutum, *Centium addictum familiæ Cistercienſi, supra alios Cardinales, & inter cæteras Ecclesias eiusdem ordinis, cœnobio Casemarij, vel ex Monachis sibi familiaribus, & probata virtute, expertáque; vel ex Sanctorum Ioannis & Pauli, quibus & ipse adtitulatus esset, aduocatione. Porro antequam ad apicem rerum assumeretur, constituxisse Basilicam eiusdem Monasterij, etiam Honorio dignam: quam & anno sequenti consecrauit ritu solemni; vt ex litteris eius ad Rainerium Abbatem, Monachosque, itemque ex aliis ad Capitulum Generale Cistercij datis, infrà videbimus.*

2. In morte Innocentij duæ insignes visiones ostensæ nostris, altera in ipsa hora mortis eius cuidam Sancto Abbati, licet Anonymo, cum Perusium ad ipsum properaret; altera in Aquisia Lutgardi Virgini, quas piaculum esset præterire. Priorem ex Anonymo quodam compilatore, narrat Abraham Bzouius his plane verbis. [c] *Ferè sub ipsam horam, qua Innocentius Pontifex fatis concessit, aliquis Abbas ordinis Cistercienſis, somno meridiano, in quodam prato ante Perusiam (quo ibat) oppressus eam visionem aspexit. Vidit ad orientalem plagam Dominum in excelso Throno sedentem, faciem aduersus occasum habentem, circumstante eum in prato Angelorum exercitu. Vidit etiam ab occidentali parte eiusdem prati hominem toto corpore nudum, sed insula Pontificali decoratum versus sedentem in Throno; velocissimè currentem, & alta voce clamantem; Miserere mihi misero, misericordissime Deus. Aspexit insuper, quia insequebatur eum currentem magnus Draco, vt deuoraret ipsum. Cumque consequi non posset illum Draco, sedentem in Throno alta voce Draco acclamauit; Iustè iudica, iustissime Iudex. Et cum hæc Abbas audisset, & vidisset, mox euigilauit, & visio disparuit; ille autem disceptationis exitum scire nullatenus potuit, donec ascenderet Perusium, cui appropinquans sonum Campanarum, & luctum plangentium, & vocem lamentantium, dicentium; Heu! Innocentius defunctus est.* Hæc Sanctus ille Abbas quicumque fuerit.

c *ad hunc ann.*

3. Verùm Sanctæ Lutgardi longius positæ clarior adhuc, sed pauenda magis visio etiam omnibus bonis ostensa est, quam Thomas de Cantiprato ita describit. [d] *Hoc ferè tempore Dominus Innocentius Papa III. post celebratum Lateranense Concilium, ab hac vita migrauit: moxque apparuit visibiliter Lutgardi. Illa autem, vt vidit eum ingenti flamma cinctum, quisnam sit? percontatur. Respondit se esse Innocentium Papam. Et illa cum gemitu. Quid hoc est, inquit, communem omnium nostrum Patrem tam dire cruciari? Respondit ille: tres ob causas ita crucior, quæ etiam æternis suppliciis me iustissimè addixissent, nisi per intercessionem piissimæ Matris Dei, cui Monasterium condidi, in extremis me pœnituisset, Et æternam quidem mortem euasi; sed pœnis atrocissimis vsque ad iudicij diem cruciabor. Quod autem ad suffragia petiturus venire potui, mihi à suo filio mater misericordiæ impetrauit. His dictis confestim disparuit.* Tremenda sane visio cunctis fidelibus de Pontifice, vt vulgo credebatur, omnino Sancto; & qui inter optimos Ecclesiæ computari, etiam prudentium iudicio meruisset. Sed homo videt in facie; vnus est Deus, qui intueatur cor.

d *Lib. 2. c. 7.*

Certè quod ait piacularibus flāmis deputatum vsque ad iudicij diem, aut per hyperbolem intelligendum puto; aut sub conditione (non secus ac in Ionæ prædictione subuersio Niniue) nempe nisi illæ pœnæ per suffragia viuorum redimerentur. Ideò enim ad Lutgardim se missum tradit, vt eius iuuaretur orationibus; & spontaneis cruciatibus, quibus alias ab eo subeundi compensarentur. Porrò qualiter eadem Sancta Virgo, hoc ei statim impenderit subsidium, idem auctor ibidem paucis subiungit. *Lutgardis vero eius necessitatem sororibus, vt ei succurrerent, indicauit: Porrò admodum dolens vicem eius, mirabili se cruciatu, illius causa affecit.* Hæc ille, *Vt non immeritò nobis credendum sit, eius interuenientibus suffragiis, orationibúsque, & aliorum per totam Dei Ecclesiam, tandem pœnis ereptum post breue tempus.* 4.

Maior difficultas est in aperiendis causis, ob quas illis tormentis deputabatur: quásque, vt ipse Lutgardi reuelauerit, & Lutgardis Thomæ; at Thomas noluit nobis aperire ob reuerentiam, vt ait, tanti Pontificis. Auaritiam illius sunt, qui condemnent, multo auro congesto, per speciem redimendæ terræ Sanctæ, quod tamen in diuersos vsus conuerteretur. Decentior culpa ampliandæ Sedis libido, & nihil negatum Regibus, qui sese ei feudatarios constituissent. Hinc Petrus Aragonius hæreticis fauisse contra Catholicos; hinc Ioannes Angelus Tyrannidem in populum, sacrilegia in Ecclesias excreuisse impune ambo tulerunt, quoad vsque (forsan quia humana deficiebat) cœlestem ambo vindictam sunt experti. Certè Ioannes, cum ob varia flagitia diris traditus, atque Regni amissione damnatus esset, cum primum illud tributarium fecit Ecclesiæ, adeò propitium Innocentium habuit, vt in Episcopos etiam præualuerit; præcipuè in Stephanum, quod nos etiam superius late tradidimus. Verum hæc coniectando potius dicta, quam affirmando. Neque enim cordium scrutator quisquam, Deo excepto: neque est, qui noscat ea, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Hæc de Innocentio: Cæterùm quia de Lutgardi semel cœpimus, quæ hoc tempus concernunt ipsius acta, huic item capiti placet, vt inseramus. 5.

Alia quoque visio (pergit Thomas de Cantiprato.[e]*) per idem prope tempus oblata est Lutgardi. Venerabilis Ioannes Lyranus, cuius supra meminimus, cum ea pactum inierat, vt qui prior è vita migrasset, superstiti post obitum appareret. Itaque Ioanne hic Romanam curiam ob quædam negotia religiosarum fœminarum, quas in Brauantia æmuli vexabant, adiens, Alpes cum attigisset, vita functus est. Eodem autem temporis puncto, apparuit visibiliter Lutgardi, in Monasterij ambitu stanti. Illa viuere eum existimans, manu innuit, vt peteret locum, vbi solebant inter se sorores conferre sermones. At ille dixit: Ego è corpore decessi: sed vt veritati, quæ ex pacto internos inter cessit, satisfacerem, tibi apparui. Tum illa humi prostrata scisscitabatur ex eo, quid sibi vellet triplex indumentum, quo mirificè erat ornatus? Respondit: vestimentum candidum, Virginitatem significat, quam ab vtero impollutam seruauit. Rubicundum, labores, & perpessiones, quæ mihi mortem attulerunt; quæque multo tempore, pro iustitia, & veritate sustinui. Caruleum, idemque extimum,* 6.

e *Lib. 2. c. 8.*

vitæ

vitæ spiritualis perfectionem. His absolutis, ab oculis admirantis ablatus est. Illa autem, & visionem, & obitum eius sorori illius, & cæteris monialibus indicauit. Hactenus Thomas.

7. Verum cum talem, tantúmque amicum, ac spiritualem magistrum sibi ablatum, pia Virgo lugeret, neque eius Beatitudo, quantumuis certa propriæ iacturæ dolorem temperaret; apparuit illi, glorioſior alia visio, Christi nimirum cœlestis eius sponsi, cuius præsentia longè fructuosiori Ioannis Lyrani defectum compensaret, nam pergit auctor. [f] *Cum autem postea venerabilem virum licet in cœlis Beatum, tamen sibi ablatum fleret; sub ipso luctu Dominus ei dixit: Cur fles Lutgardis? & quam ob rem affligitur cor tuum? Numquid non melior sum tibi, quam decem filij. Illa non intelligens, quippe illiterata Monialis, vbi ab aliis explanata didicit, non planxit amplius, sed in eius morte Dominum benedixit.* Hæc Christi cum Lutgardi familiaritas, hoc Lutgardis cum Christo commercium fuit.

f *vbi suprà.*

8. Verum maiora adhuc, dulcioráque, atque vniuerso mundo vtiliora hoc item tempus, vel circa concernentia, ex eodem auctore prosequamur. [g] *Expletis septem illis annis, quibus nonnisi pane, & cereuisia vsa fuit, rursus ei per reuelationem mandatum est, vt pro cunctis peccatoribus aliud ieiunium susciperet. Quod illa libens fecit; iterúmque alios septem annos solo pane, & olere transegit. Rapta autem in spiritu, vidit salutis nostræ Principem Iesum, cum vulneribus, tanquam recens inflictis, atque rubentibus, vultui paterno adstare, & pro peccatoribus deprecari Patrem: deinde autem vertere se ad ipsam, atque dicere: cernis, vt me totum offeram Patri tuo pro peccatoribus meis? Ita ergo volo, vt tu quoque te mihi totam offeras pro meis peccatoribus; & zelum in illorum animaduersionem accensum auertas. Hoc idem Dominus Iesus in Missæ sacrificio quotidie fere illi dicebat.* Hæc Christus ad Lutgardim. Porrò quam illa exactè cuncta impleret, quantum proficeret, quantum prævaleret, reuelauerat Deus non multo ante Beatæ Mariæ Ogniacensi, cuius de ipsa præclarum testimonium, quod idem auctor refert, hic subiungo. *Sub cælo*, inquit, *illa, non habet mundus Domina Lutgarde fideliorem, efficaciorémque, tum pro animabus, quæ in locis purgatorij sunt, tum pro precatoribus, precatricem. spiritualia miracula fecit mundo viuens, corporalia faciet post obitum.*

g *Lib. 2. c. 9.*

9. Eisdem temporibus Venerabilis Simon conuersus Alnæ à Gutgardi accersitus Aquiriam venit; ibidémque per merita vtriusque ingens à Deo miraculum patratum, ex illusa Moniali, fugato Dæmone, atque eidem subiecto, cui antea per præstigia dominabatur. Rem planè miram à coæuo auctore, grauique, & in eadem nota Sancti-Monialis, fideliter conscriptam, in huius Capitis fine referamus. *Quædam*, ait, [h] *valde religiosa Sancti-Monialis in reuelationibus quibusdã, quas ipsa Diuinas putabat, à Satana fallebatur. Id vbi didicit Lutgardis, rogauit Dominum pro ea. Cui ille respondit: Illuminare iis, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent. Ea verba cum ipsa non intelligeret, à quadam Moniali quæsiuit, qui significarent? Postquam interpretante cognouit, instantius rogauit Dominum. Apparuit autem ei Satan, & dixit: Ego sum spiritus mendax, qui illam Monialem decipio. Cui illa, abi, inquit, ad Fratrem Simonem, qui est in Alnensi Monasterio, & idem ei quoque referas, vt habeam testem veritatis. Obtemperat Diabolus, & Frater Simon venit Aquiriam. Erat autem Simon ille plenus spiritu Dei, & vt liber vita eius testatur, per multa ei Dominus reuelauit.*

h *Lib. 2. c. 2.*

10. Vtrumque Sanctum ad Deum fudisse preces, vtrumque pro illusa Christi sponsa deprecatum humiliter, in comperto fuit: neque minus constitit exauditum vtrumque: Et de his, quæ facienda sibi instabant, Diuinam accepisse reuelationem. Nam *Ambo pergit*, [i] *ex Diuina reuelatione, inter se consentientes, Moniali illi protinus mandauerunt. Illa mox membris omnibus obriguit, & contracta est; ideóque os eius obstruebatur, vt nec cultello posset aliquatenus aperiri. Quod vt viderunt aliæ, multo horrore correptæ flexis genibus pro illa ad Dominum deprecabantur. Vbi ab oratione surrexerunt, confestim illa curata est, suménsque cibum confortata est: atque ab illo die, ab illo impostore spiritu liberata est.* Hoc sane primum, nec leue fuit miraculum, imperasse Diabolo, ac Christi sponsam ab illo liberasse, cui tanto tempore obnoxia antea fuisset. Sed longè manus à Dæmone illusam, Dæmoni ex tunc potenter imperasse, nec solam libertatem consequutam, sed & virtutem. Nam audi quod sequitur. [k]

i *eodem cap.*

k *ibidem.*

11. *Tantis autem postea meritorum prærogatiuis, vt ego ipse vidi, excelluit, vt non solum ipsa illuminata in tenebris dici posset, sed etiam multos alios in tenebris degentes morum exemplis, illuminarit. Vidi ego Monialem quandam Cistercienſis ordinis, multis annis à Dæmone vexatam, quam ad se adductam, multa precum suarum instantia liberauit. Vidi etiam aliam à nequissimo Dæmone permultis annis incredibili libidine pollutam, atque eius precibus ereptam.* Ita videlicet duplicatis meritis Simonis, & Lutgardis duplicata miracula: & non sola libertas consequuta ab illudente spiritu, sed & eximia Sanctitas, & in Dæmones ipsos prompta potestas quibus ex tunc floruisse perhibetur, pro qua ipsi orauerunt, Sanctimonialis.

12. Hoc, aut sequenti anno obiisse dicitur Leglinensis Episcopus Herleuuinus ex Cistercienſi Monacho, cum annis octo plus, minus, præfuisset. De eo hæc habet Iacobus VVaræus, quem solum huius viri auctorem habeo [l] *Successit illi (Scilicet Ioanni, cuius supra meminimus) Herleuuinus (quibusdam Hugo dictus, sed perperam) Monachus itidem Sistercienſis Decessit M. CC. XVI. Si non (vt Annales Monasterij Beatæ Mariæ de Dublin habent) M. C C. XVII. ac in Ecclesia cœnobij Donbrochenſis, cuius magnam partem construxerat, sepultus est.*

1. *Honorius vix dum electus de nostris solicitus,* 2. *ad quinque primos Abbates Cistercij scribit,* 3. *præcauens diuisionem* 4. *Exinde Lucæ, Lambucinæ Abbati, grauem satis iniungit inquisitionem.* 5. *Ludouico inuadente Regnum Angliæ, pupilli Ioannis ad Honorium confugiunt,* 6. *qui compescendis Ludouici motibus,* 7. *Cistercij, & Claræ-Vallis Abbates ad Patrem mittit,* 8. *cum precibus, & minis:* 9. *ad Ludouicum easdem deportaturos* 10. *Iniunctæ Legatiæ fœlix successus.* 11. *Visitura cœnobium Corbeiense.* 12. *Et approbatus ordo Sancti Dominici in Ecclesia, & redditibus acceptis Fulconis dono.*

CAPVT QVINTVM.

1. REDEO ad Honorium, qui electus in Pontificem nihil altius curare, quam Cisterciũ, nihil magis in votis habere visus est, quam ne familia sibi dilectissima, atque Ecclesiæ perutilis, aliqua intestina discordia macularetur. Timendi causa, controuersia recens quatuor primorum Abbatum cum Cistercienſi, in Concilio relata, quam anno præcedenti commemorauimus: & sciebat concepta semel dissensionum semina, sub typo religionis, zelique, & iuramenti præstiti de propriæ cuiusque dignitatis conseruatione, latius serpere, nec ignorabat Capitulum instare celebrandum ex more mense Septembri, in quo eadem, si denuo pullularent, difficilius haud dubie euelli possent. Itaque biduo à sua coronatione, quæ vt diximus incidit in vigesimã quartam diẽ mensis Iulij, ad Cistercienſem, & cæteros Abbates litteras dat; & reuerentiæ (si ita fari licet) de summo Præsule, & charitatis plenas; per quas his malis efficacite robuiaret. Vix qui solius Cistercij curam gereret, tam opportunus adesse potuisset; ne dum Pater communis totius orbis, tertio ab ingressu die, vt fere initia sui Pontificatus, à cura in Cistercienses auspicaretur. Exemplar litterarum ita habet. [a]

a *Ex Regest. lib.* 1.

Cistercienſi, de Firmitate, Pontiniacenſi, Claræ-Vallenſi, & Morimundenſi Abbatibus.

2. *Synceritatis affectus, quo adhuc in minori officio constituti, vestrum sumus semper ordinem amplexati, & solicitudo officij Pastoralis, ad quod licet immeriti assumpti sumus, Domino disponente, potissimum nos inducunt, vt simus solicitt, quomodo idem in simplicitate, ac puritate primæ institutionis ipsius valeat conseruari, ne inimico homine superseminante zizania, filius discessionis in eo locum reperiat, qui lætatur, cum male fecerit, & in pessimis rebus exultat.*

3. *Inde est, quod deuotionem vestram rogamus attentius, & exhortamur in Domino per Apostolica scripta præcipientes, quatenus ad illum habentes cum pia deuotione respectum, qui non est Dominus dissensionis, sed pacis, faciens in Domino vnanimes habere, in vnitate spiritus, in vinculo pacis, seruantes, & prouidentes bonum, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus; sicut dicit Apostolus: Caueatis omnino ne occasione verborum, quæ quidam vestrum bonæ memoriæ Innocentio Papæ prædecessori nostro proposuerunt tempore Concilij Generalis, aliquid in Generali Capitulo, vel etiam alibi proponatis, seu etiam ordinetis, per quod in ordine vestro, scandalum valeat suboriri, quem in sua puritate curetis, pro viribus custodire; puras manus ad Dominum in oratione leuantes; vt pax Dei, quæ exuperat omnem sensum custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu, qui ad exhibendum humilitatis exemplum, non venit ministrari, sed potius ministrare: precum nostrarum primitias taliter impleturi, quod gratiæ Diuinæ vos reddatis acceptos, & nostrum possitis fauorem, & Sedis Apostolicæ promereri. Datum Perusij VII. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno primo.* Hæc ad nostros Honorius, vix dum electus: neque mirum, si integros optabat quibus in cunctis vti, quos omnibus præficere negotiis proposuisset.

Multa, & grauia in Ecclesia se obtulere, quæ illis delegata, ac si non alij essent, qui possent exequi. Ex grauioribus vnum, aut aliud referam: nam omnia prosequi nobis impossibile; multis etiam inutile appareret. Laborabat infamia multorum criminum Anglonensis Episcopus in Calabria, quippe vt idem Honorius testificatur. [b] *Non pastoris exercebat officium, sed prædonis vendebat sacros Ordines indignis, & in beneficiorũ collatione eum solum digniorem reputabat, qui plus tribuebat. Coniuges à coniugibus auersos, si mercarentur, per sententiam separabat: contra, Sacerdotibus vendebat pecunia concubinas; vt omne nefas apud eum, si deargentatum, licitum; si deauratum, honestum etiam foret. Ad vltimum præfatus Episcopus, ciuitatem Anglonensem, gratis inexorabili odio persequutus, non tanquam pater commotus ad filios, sed sicut tyrannus processit ad hostes: & inducens in ciuitatem exercitum bellatorum, ipsam in hostili vastitate delenit, ponens viros in ore gladij, ac omnia redigens in cinerem, & fauillam.* Hactenus verba Honorij summi Pontificis, quæ, & elegantia, & arduitatem negotij præse ferentia in præsenti inferenda esse putaui. Ergo huic malo Sambucinæ Abbatem Lucam, insignem virum, cuius plurima mentio in superioribus, vna cum Archiepiscopo Cosentino Honorius opposuit, litteris ad vtrumque datis hoc ipso anno; in quibus hæc, & alia; & remedia adhibenda continebantur. 4.

b *lib* 1. *epist.* 6. *eius.*

Eodem tempore, cum Ludouicus Princeps Philippi Franciæ Regis primogenitus, post mortem Ioannis Angli, in filios eius pueros insurgeret, quos Pater sub tutela Ecclesiæ non secus atque Regnum, reliquisset, & pupilli implorarent fauorem summi Pontificis: Arnaldus Cistercienſis, & Conradus Claræ-Vallenſis, Abbates electi sunt, qui Honorij nomine legatione fungerentur tam ad Philippum in Gallia consistentem, quam ad filium, qui Angliam infestabat. Incæperat ad bellum Ludouicus viuente Ioanne, à multis Regni Proceribus vocatus, compescendæ insolentiæ Tyranni Regis: & quidem 5.

præcedenti anno prosperè egerat, graui clade illata, quæ Ioanni, aut causa, aut occasio mortis fuit. At cum eo defuncto vltrà persisteret, & filios æque ac patrem prosequeretur; illi adhuc pueri, & bello nondum habiles, quæ armis iura defendere non poterant, tuebantur rationibus, quibus sibi affuturum sperabant Vicarium Christi. Meruisset Pater exturbari Regno, quod male administraret, meruisset & vita. Quid his amissis in eum sæuiendum foret? an etiam post internecionem mucro desæuiat? Tum se innocētes luere iniuste, quæ non peccassent: an eius generis culpa Ioannis fuit, quæ in liberos foret transitura? Quid si ipsi satisfaciant cunctis, quos læserat? Quod vel ab ipso factum, aboleret reatum priorum criminum. Paratos se per omnia satisfacere; paratos resarcire quæcumque damna. Tum si ne ipsi quidem Regno digni; quid Ecclesia meruit, in cuius iam dominio positum erat? an illud semper passurum, quia semel passum? & sustinuisse Tyrannum, (esto hoc nomine Ioannem dehonestent) delictum fuit, quod ferro, & armis veniat castigandum? Detur potius requies tanto labori: & vt non aliis, saltem Sedi Petri seruentur iura; in quæ si forsan aliqua opponantur; quod Ludouico faueat, nihil prorsus erit.

6. Hæc, & similia mouere summum Pontificem, vt pupillorum partes tueretur, non sine magna animi anxietate; quippe qui nec iustitiæ deesse vellet, nec florentissimos, & illustres Francorum Reges, obsequentissimos à longa serie temporum Romanæ Ecclesiæ filios à se auertere: aut facere obedientiæ eorum periculum. Regibus cum fluminibus commune, quod terminos nonnunquam transgrediantur sibi præfixos: Quis enim diu potentiam temperauit? Si relinquatur cum minori damno; sed obsistente quocumque impedimento tumidos magis, atque ipsa obstacula ruinis inuoluturos. Opus esse prudentiæ in eo conflictu: atque arte magis, quam vi trahendos animos, quos mouere, facile: semel commotos sedare, arduum foret. Ergo vt negotium tantum pertractaret, duos Abbates Arnaldum, & Conradum, Cistercij, & Claræ-Vallis sibi elegit, quorum iudicio, auctoritatique Philippus, Ludouicusque deferrent: atque ita gratia valerent apud vtrumque, vt & preces eorum grati susciperent, & nihilominus sæueritatem reuererentur. Itaque, vt vtrumque Principem adirent, legatione fungentes ipsius nomine, mandauit per litteras planè elegantes, & dignas tanto Pontifice, quæ ex Regesto Vaticano fideliter scriptæ, hæc habent verba. [c]

c *lib. 1. epist. Honorij III.*

Cistercienſi, & Claræ-Vallenſi Abbatibus.

7. *Et si hactemus pro defensione Regni Angliæ, vtpote ad ius, & proprietatem Sedis Apostolicæ pertinentis, solicitudinem habuerimus: nunc tamen ideo intendere fortius nos oportet, quod claræ memoriæ Ioannes Rex Angliæ filios suos suos pupillos, & Regnum ipsum in nostris reliquerit manibus, & tutela. Vnde coarctamur plurimum è duobus; quia id negligere nec volumus, nec debemus, sed nec possumus, mercenario, qui viso lupo dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues, merito comparandi: Et Philippum illustrem Regem Francorum, quem adhuc in minori officio constituti, syncera dilectione dileximus, ac Regnum ipsius si fieri posset, nollemus offendere, vel turbare; quo contristato, non contristari nequiremus nos ipsi; & vtinam tangat Dominus cor ipsius, vt ad deuotionem, quam hactenus ad Dominum, & ad Ecclesiam ipsius Romanam dignoscitur habuisse, ex affectu intimo redeat, & ex hoc veraciter contristetur, quod nobis vir Ludouicus eius primogenitus Sedem Apostolicam contristauit: ipsumque pro viribus ab iniquitate incœpta, quam in Dei contemptum, & Apostolicæ Sedis iniuriam exercet, studeat reuocare, ac sic contristatos lætificet nosmetipsos.*

Quapropter vestram prudentiam eligentes, per 8.
quam potest eisdem, si fuerit desuper datum, subuenire pupillis, & saluti Regis ipsius consuli ac honori, deuotioni vestræ, de qua fiduciam gerimus pleniorem, per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus Regem adeuntes prædictum vice nostra, fusis lacrymis, humi prostrati; eundem, preces precibus cumulando, moneatis prudenter, & obsecretis per effusionem Sanguinis Iesu Christi, quod pro ipsius reuerentia, & Apostolicæ Sedis honore, dimissa præfatis pupillis offensa, si quam in eum pater commisit ipsorum, ex corde puro impendat studium diligens, & operam efficacem, vt prædictus filius eius ad propria redeat, & occupata de Regno prædicto pupillis restituat antedictis; quantum sic, & nos, & seipsum expediat à necessitate, quam nobis idem primogenitus eius ingessit, diserte, atque viriliter suggesturi.

Ad eundem quoque nobilem accedatis, & 9.
ipsum modo simili obsecretis, & intuitu illius, qui donat Regna hominum, & cui voluit donat, illum, vt à persequutione pupillorum ipsorum desistat, & restituat occupata, & sic vincens salubriter semetipsum, se vinci permittat à nobis; Deo ignominiam, & Apostolicæ Sedi donans, si quam se forsan æstimat, ex hoc incursurum; cum tamen propter Dominum vinci à nobis nequaquam ignominiosum existat, qui armis carnalibus non pugnanus, sed spiritualibus potius, quæ sunt potentia, videlicet, gladio Verbi Dei; viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, vsque ad animi, ac spiritus diuisionem pertingens. Sed eidem nihilominus protestemini, quod si vestris monitis, imò nostris non acquieuerit, cum præfatis pupillis nulla possimus ratione deesse, contra eum cœlum, & terram curauimus inuocare; aggrauaturi manus nostras in ipsum, in quantum poterimus, secundum quod nobis fuerit desuper inspiratum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum VIII. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno primo. Hactenus ad duos Abbates Honorius Papa.

His litteris susceptis Sancti Abbates Parisios 10.
primum ad Philippum Regem, dein ad Ludouicum in Angliam iuxta tenorem Apostolici mandati profecti sunt, iniuncta sibi functuri legatione. Ast quam fœliciter peregerint negotium, declarauit euentus, pace sequuta inter Ludouicum, Henricumque, atque ipso Henrico in Regem coronato, cum decimum ætatis suæ ageret annum. Narrat Matthæus Paris ad hunc annum, ex quo Arsfeldius desumpsit hæc pauca verba. [d] *Ludouicus certis conditionibus*

d *sæculo 13. cap. 3.*

nibus inter ipsum, & Henricum initis, & iureiurando constabilitis, (inter quas & illa, vt Henricus veteres illas, & antiquas leges bona fide seruaret) Angliam deseruit. Regio interim Henricus diademate Gloceſtriæ decem, aut nouem annorum puer insignitus est, &c. Hic mansit exitus Abbatum legationem, quos multæ aliæ innuere circunstantiæ, quas idem auctor recenset eodem loco.

11. Plura alia negotia minoris notæ iniuncta hoc anno nostris ab Honorio Abbatibus præcipuè de sichem, & de salem. Quin & Abbati Caroli loci Siluanetensis commissa visitatio illustris Monasterij Corbeiensis;[c] *quatenus ipsum visitationis officium ita diligenter, & sollicite implerent, quod Deo gratum, eidem Monasterio vtile, & nobis merito sit acceptum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, quarto Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.* Plura alia huius generis omitto, quæ quinque mensium Honorij, quos hoc anno præsedit, Regesta complent. Vt verè nihil minus ab Innocentio Cistercienſibus vsus, quæcumque occurrerent, per ipsos pertractaret.

c *lib. 1. epist. Honorij.*

12. Fine anni vigesima secunda die mensis Decembris, idem Honorius Prædicatorum Ordinem, & in eo primum Monasterium Sancti Romani, & decimas à Fulcone donatas, firma Beato Dominico, & rata habuit, litteris datis.[f] *Romæ apud Sanctam Sabinam, per manum Rainerij Prioris Sancti Fridiani, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vice Cancellarij, vndecimo Kalendas Ianuarij, indictione quinta Incarnationis Dominicæ, anno M.CC.XVI. Pontificatus Honorij III. anno primo.* Porro in his litteris inter alia hæc continentur. *Ea propter, dilecti in domino filij (alloquitur autem Dominicum, & socios) vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam Sancti Romani Tolosanensis, in qua Diuino mancipari estis obsequio, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, vt ordo Canonicus, qui secundum Deum, & Beati Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus obseruetur, &c.* Et paulo inferiùs. *Decimas quoque à Venerabili Fratre nostro Fulcone Tolosanensi Episcopo de assensu Capituli sui vobis pia, & prouida liberalitate concessas, prout in libro, seu in eorum litteris continetur, &c.* Ergo *hoc accepto diplomate (ait Abraham Bzouius* g *) & Diuinitus pronunciata appellatione (nempe Prædicatorum) Tolosam reuersus (Sanctus Dominicus) sociis sexdecim congregatis, regula Sancti Augustini, quam profiterentur, electa; nomen ordini Fratrum Prædicatorum, ex inscriptione Pontificia, imposuit; atque nonnullis pro tempore adiunctis arctioris vitæ constitutionibus, in Ecclesia Sancti Romani, à Fulcone donata, Religionem Prædicatorum instituit.* Hactenus Bzouius. His litteris inter alios subscripsit Guido, quondam Cistercij Abbas, tunc Cardinalis Episcopus Prænestinus, qui etiam à Chaconio numeratur, inter eos, qui affuerunt electioni Honorij III.

f *apud Baron. hoc ann. num. 9.*

g *num. 6. ann. 1215.*

---

1. *VValteri Birbachij pretiosa mors, 2. præcedenti visione satis mirabili. 3. Charitas eius, 4. & profundæ de vitæ Christi mysteriis contemplationes. 5. Miracula post mortem. 6. & castigati, 7. in aliis recentiores. 8. Godescalcus Christum in Eucharistia videt 9. Mappam, corpori Christi reponendo, per casum scissam, miraculose resarcit. 10. Moritur, 11. atque à Præmonstratensi, Sancto Abbate distinguitur. 12. Dictum, & de Guillermo conuerso Sancto.*

CAPVT SEXTVM.

1. FLOREBANT interim in diuersis Abbatiis, præter eos, quos supra memorauimus, multi, & præclari viri, fœminæque, quorum non licet memoriam præterire. In Hemmenrode defunctus circa hoc tempus VValterus Birbachius, cuius iam aliquam fecimus mentionem. Porro quem Deus virtutibus in vita; ostentis etiam fecit in ipsa morte, & post mortem miraculis illustrem, quæ vtraque Cæsarius Heisterbacēsis memoriæ prodit, & nos hic describemus ipsius verbis.[a] *Antequam Deus eum vocaret de hoc mundo, cuidam Monacho mirifica quædam visio reuelata est de illo. Existente eo VVillarij, quæ domus est ordinis Cistercienſis, cum Abbate suo Domino Eustachio, cum dies esset Dominica, totum Conuentum idem Abbas post cœnam conuocari fecit, quod cum factum fuisset, & ipse diceret: sunt ne fratres nostri hic omnes? responsum est ei. Omnes Domine, exceptis duobus iuuenibus, qui de Francia hospites huc missi sunt, qui studiosi sunt valde circa silentium, maxime diebus, quibus communicant. Secundò vero ex parte eius vocati, cum veniſſent, & eis Abbas moram improperaret, humiliter se excusantes, confederunt.*

a *lib. 7. c. 39.*

2. *Sequenti die Conuentus à labore rediens, & ante portam facto primo signo Nonæ, secundum expectans, senior ex eis, cum staret, super fossorium suum se reclinaret, & nonam de Domina nostra diceret, sic stando leuiter obdormiuit; & ecce ipsam Dei genitricem, diuersorum ordinum personis stipatam, in mira claritate inter se, & portam transire conspexit: à qua cum minime, quasi ignotus, respiceretur, nec vocaretur, tristis ait intra se: Hei mihi misero, quare me non vocat? quæ cum paululum processisset, misertа illius Monachum familiarius sibi adhærentem remisit, dicens; voca Monachum illum: quem cum reuersus vocaret, & diceret: veni, Domina nostra vocat te; prægaudio expergefactus est; intrans, & Dominum VValterum considerans, dicebat intra se: simillimus est Monachus iste Monacho, per quem hodie Domina nostra vocauit me, nisi quod cuculla illius grisea, huius autem alba est; & recitauit visionem socio suo.*

3. *Sequenti die, cum Dominus Abbas, & VValterus essent recessuri, & ab eis prædicti iuuenes ad portam vocati, VValterusque in sua grisea cuculla staret (alba, quæ sibi fuerat accommodata, deposita) ait Monacho socio: Reuera iste est Monachus, qui vocauit me, vestem cognosco, de persona non dubito.*

Post dies paucos idem VValterus cœpit infirmari, qui fide, & charitate plenus, confessus; atque contritus, Beata Dei genitrice seuocante, de tenebris transiuit ad lucem, de fide ad speciem, de labore ad requiem, de merito ad præmium, de mundo ad patriam. Ad quam nos perducat Dei filius Dominus noster Iesus Christus, ex Maria Virgine natus, qui est via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Amen. Monachus vero Villariensis, & ipse vocatus, sicut fuerat ei præostensum, interpositis paucis diebus migrauit ad Dominum. Hæc mihi relata sunt à prædicto Abbate Eustachio. Hactenus Sancti Viri fœlix transitus, & quem antea vocasset Iunioris Monachi.

4. De hoc VValtero ab eodem auctore dicitur magnum illud elogium, neque ipsum nobis silentio prætereundum. [b] *Discordantes concordabat, inobedientes exorabat, iracundos, & impatientes ad cor sæpius reuocauit. Hinc est, quod tempore quodam cum de verbo conferrem cum illo, in partem me traxit & ait: Et ego magnas carnis meæ patior tentationes: vt aliis possit mederi, proprias infirmitates illis non erubuit confiteri.* Reuera id ingens charitatis in diuum fuit, proprio dedecore, velut eleuare fraternum dedecus.

b *vbi supra.*

5. Id etiam, quod illustrat hos Annales, in multorum exemplum dignum iudico, quod de eodem viro paulo post subditur. [c] *Requisitus die quadam à prædicto Priore, sicut ipse mihi retulit, quid in mensa cogitaret, eo quod non intelligeret, Lectionem; respondit: Ego habeo ibi Lectionem meam; quando manducare incipio, retracto mente, qualiter prome Dei filius sit ab Angelo nunciatus, & in vtero Virginis de spiritu Sancto conceptus, sicque primum folium verto: deinde cogito, quomodo Angelis concinentibus, sit natus; & ecce per lectum est folium secundum. In hunc modum transcurro Circumcisionem, Aduentum Magorum, oblationem eius in Templo, Baptismum, Ieiunium, Passionem, & Resurrectionem, Ascensionem, & Sancti Spiritus aduentum, extremumque iudicium: talis est lectio mea quotidiana, cuius finis, finis est prandij. Quod in tali libro comedens legeret, testabantur lacrymæ, quas in mensa frequenter solebat fundere.*

c *ibidem.*

6. Cæterùm quot miraculis post mortem eundem Deus voluerit illustrare, ab eodem auctore notatum video, in hæc verba scribente de viro Sancto [d] *Vt autem ostenderet Dominus quanti apud ipsum esset meriti matris suæ dilectus, signis post mortem ipsum glorificauit. Eodem tempore VVinemarus de Aldendorp, miles diues, & honestus, lecto totus Paralyticus decubuit. Audiens hominem Dei vnice sibi dilectum ad Dominum migrasse, mox nuncium ad claustrum misit, per quem sibi defuncti coturnos transmitti supplicauit. Missi sunt ei noui, & mox remissi, eo quod intellexissent eos Domini VValterij non fuisse. Mox per eundem nuncium toti Viri Dei satis veteres mittuntur, quos infirmus cum fide, & deuotione suscipiens, statim vt manus præmortuas imposuit, beneficium ex eis sensit. Simile autem est in pedibus, ab illa enim hora cœpit manus leuare, & pedes erigere, & totius corporis vires sensim tamen recipere. Eadem vero calceamenta, ob amorem Beati Viri, & concessum sibi per illa beneficium, in tantum venerabatur, vt in Castro suo capellam ædificaret, atque eosdem coturnos eius altari ligneo, Abbate nostro præsente, includeret. Alius quidem miles periculosum habens apostema in pectore, audiens per prædictos calceos tantam in VVinemaro virtutem factam, vnum sibi transmitti petiuit, per quem, mox vt vlceris locum tetigit, plene conualuit.* Hæc de VValtero.

d *lib.7.c.39.*

7. Hunc virum sanctum Menologio suo inseruit Chrisostomus Henriquez ad vigesimam secundam diem mensis Ianuarij: vbi & eius adducit Genealogiam altius repetitam per Reuerendum Patrem Petrum de Lattheu Canonicum Præmonstratensem in Monasterio Tongerloano, in libro, quem de mirabilibus sui temporis scripsit, anno M.CCC.XXXIII. Porro inter alia, de eodem sancto Viro, hæc habet verba. *VValterus de Birbak. Celebris admodum in actis militaribus, postmodum religiosus fuit ordinis Cistercienſis, Monasterio de Hemmenrode: vbi ob vitam Sanctè actam Canonizatus est, & anno Domini millesimo, ducentesimo, vigesimo secundo obiit.* Ita Lattheus. Verum & annus mortis, vt verum fatear, & Canonizatio (vt vocat) mihi suspecta: hæc quia non video ab aliquo notatam, nisi forte Canonizationem vocat ritu antiquo vsurpatam, communem cultum; ille, quia idem, in quo Cæsarius, scripsit: cum tamen constet à morte sancti Viri intercessisse tempus, & patrandis, vulgandisque miraculis, & Capellæ ab VVinemaro construendæ. Aubertus Miræus eiusdem Viri meminit. [e] Verum non sanctis Canoni adscriptis, sed Beatis putauit annumerandū.

7.

e *lib.5.Orig. cap.15.*

8. In Heisterbacho, siue in Valle Sancti Petri, florebat Godescalcus de Volmensteyne, cui hoc anno ostensa cœlestis visio, fœlicem exitum aut prædixit, aut præparauit. Certè ante annum M. CC. XXII. quo scribebat Cæsarius, vita excessit. Cæterum quam visionem hoc anno habuit, idemmet auctor narrat in hæc verba. [f] *Fuit apud nos Monachus quidam, Godescalcus nomine de Castro Volmensteyne oriundus, & in maiori Ecclesia Coloniæ Canonicus: ante conuersionem satis extiterat lubricus, sed bene morigeratus modica ei scientia litterarum inerat, sed Spiritus scientiæ, & pietatis ad magnam vitæ profectionem illum prouexerat. Hic cum ante hos sex annos in die Natalis Domini, ad priuatum quoddam altare, Missam cum multa deuotione, & lacrymis, vt ei moris erat, inchoasset, scilicet:* Puer natus est nobis. *Factaque transubstantiatione, non iam in manibus suis speciem panis, sed infantem pulcherrimum, imo speciosissimum illum forma præ filiis hominum, in quem & Angeli prospicere concupiscunt, tenuit, & vidit: cuius charitate successus, & mira pulchritudine delectatus, complexus est eum, ac deosculatus. Timens tamen moram propter circunstantes, super corporale dilectum posuit, & ille, vt Missa perfici posset, formam Sacramentalem resumpsit. Quandiu Beatus ille vidit speciem infantis, nullam ibi vidit speciem panis, & è conuerso.* Hactenus in Dialogis. Eadem & eisdem pene verbis narrat idem Cæsarius Serm.6. de infantia Saluatoris.

f *lib.9.c.2.*

9. Refert & idem Cæsarius aliud miraculum Godescalchi eiusdem, quod eius item feruentem deuotionem in Sacrum Christi corpus satis commendat. [g] *Godescalcus*, inquit, *de Volmensteyne, cuius supra memini, cum die quodam corporale cum Sacrista nostro extendisset ad poliendum, illudque per medium rupisset, custos illud complicans in theca reposuit; postea autem illud explicans, cum integrum reperisset, miratus est valde Sanctitati prædicti illud adscribens.* Hactenus ille.

g *lib.2.c.67.*

Nec

Nec satis nobis constat, an hoc miraculum visio illa præcesserit, an subsequuta fuerit. Vtrumque certe, aut premium, aut dispositio admirandi feruoris, & charitatis, qua erga tantum, & tam Venerandum Sacramentum afficiebatur.

10. Iam de eius morte, & visione reuelata, cum moraretur hæc habet idem auctor ptiori loco [h] *Cum, nescio cui, visionem reuelasset, scilicet Godescalcus, tacita persona sua, & ille aliis; quodam die de auctore tantæ visionis interrogatus, me audiente, respondit: Certissime illa die Christus hic visus est, & nihil plus dicere voluit. Postea duobus Sacerdotibus, Theodorico, scilicet de Lureche, & Constantino visionem reuelauit: quod intelligens VVinandus infirmarius noster, posito eo in infirmitorio, ait: Bone Frater Godescalche, vidistis in Missa Saluatorem? Respondente illo simpliciter, etiam, adiecit; In quali forma? In forma (inquit) infantis? Et ille: Quid feciſtis ei? Respondit, Osculatus sum eum ante os suum. Ad quod VVinandus. Et quid postea actum est? Ego, ait, super altare eum posui, & reuerso eo in formam priorem, sumpsi illum. Eadem die moriens confessus est Abbati nostro Domino Henrico.*

h *lib.9.c.2.*

11. Annus mortis à nobis ignoratur, nisi quod intra hoc contigisse sexenium compertum est. Virum Menologio suo inseruit Henriquez die septima Martij.; non quia ea certa, sed ne nulla. Aubertus Miræus [i] alias diligens auctor, hunc Godescalcum, cum Præmonstratensi alio confundit, Sancti Martini Abbate, quem commendat Bernardus in Epistolis. [k] Sed longe alium esse, tempus, locus, professio, dignitasque clarius probant, quam vt possit in dubium reuocari. Quippe alter viuebat Bernardi tempore, alter sequenti sæculo: ille Sancti Martini Monasterio, in Picardia, hic in Germania, in valle Sancti Petri: ille Præmonstratensis, hic Cisterciensis; ille Abbas, hic Monachus: vt ferè præter nomen, & Sanctitatem, in nullo alio videantur conuenire.

i *vbi supra.*

k *Epist. 214.*

Florebat item hoc eodem tempore, aut in ipso, aut statim decessurus, in eodem cœnobio conuersus Sanctus, nomine Guillelmus, de quo idem Cæsarius scribit. [l] *Sic ascendere consueuit bonæ memoriæ VVillelmus conuersus noster, qui nuper defunctus est. Nam sicut ipse moriens Abbati suo confessus est, tribus vicibus in die lacrymas fundebat; primò ex memoria peccatorum suorum, secundò ex consideratione Dominicæ Passionis, tertiò ex desiderio patriæ cœlestis. Quidquid enim cogitare nouerat, vel poterat de Christi tormentis, mente percurrebat; de quo tantam sensit dulcedinem, ac si fauum mellis in ore seruaret, &c.* Dixi autem defunctum circa hoc tempus, quia hæc narrat Cæsarius in sermonibus, quæ tamen scripsisse fertur prius, quam Dialogos: quamuis & quosdam illis postposuerit. Hunc etiam virum memorat Henriquez ad diē XXXI. mensis Maij.

12.

l *Homil. Domin. in Quinquages.*

---

1. *Ludolfi in Porta, 2. & Alardi in Luka conuersiones, 3. & transitus glorioſi. 4. Dictum de Adamo 5. Sanato per miraculum, 6. dein vocato ad ordinem per Sanctos Nicolaum, & Paternianum. 7. In Italia Alacrinus, in Gallia Gregorius, in Anglia Thoraldus, & Mauricius florent. 8. Inclusa Virgo Brumbacensi Abbati subiecta, 9. pene discredit. 10. Ast orationibus non solum in fide, sed in proposito Sancto confirmatur. 11. Radulphus electus Abbas Coggeshalensis.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. VT in Germania Heisterbachum, & Hemmenrode, sic in Saxonia Luka, Portaque florebant per hoc tempus, viris Sanctissimis: siue reuera præ cæteris illustres, seu fœliciores, quod scriptorem Cæsarium sortitæ sunt suorum Monachorum gesta perennaturum. Vtramque domum auxere milites duo, Ludolfus, & Alardus, in sæculo potentes, nobilesque, sed longe in religione nobiliores. Et quidem alter ante conuersionem lubricus moribus, alter in suæ ætatis primo flore conuersus, peccata alter præuenit, alter fleuit. Ludolfi conuersionem, obitumque; & ante obitum indultæ sibi gratiæ gloriosa signa, idem auctor describit verbis sequentibus. [a] *Erat quidam miles in Saxonia, Ludolfus nomine, sed Tyrannus actione, hic cum die quadam vestibus nouis, atque scarlatis indutus in via equitaret, rusticum cum curru obuiam habuit; cuius cum vestimenta ex rotarum impulsu luto aspergerentur; ipse vtpote miles superbus, commotus valde, extracto gladio, homini pedem amputauit; qui postea Deo miserente, de peccatis suis dolens, in domo ordinis nostri, quæ Porta vocatur, factus est Monachus. Non multo post, in grauem infirmitatem incidens, cum quotidie à se mala commissa deplangeret, & maximè abscissionem iam dicti pedis, infirmario se consolanti, respondit: Non potero consolari, nisi videro signa Iob in corpore meo. Et ecce post dies paucos cicatricem instar filij coccinei contemplatus est circa talum suum in eodem pede, & in eodem loco, vbi rustico pedem truncauerat; qui paulatim cœpit computrescere, ita vt vermes de eo scaturirent. Tunc repletus gaudio, ait: Modo de venia spero, quia video signa Iob in corpore meo, sicque in multa cordis contributione, atque gratiarum actione, inualescente morbo, spiritum reddidit. Hæc mihi relata sunt ab Abbate Liuoniæ qui filius est domus supradictæ.* Hæc de Ludolpho, atque eius petitione exaudita à Deo, qua se fœlicem in ipsa morbi miseria non dubitaret.

a *lib.11.Dialog.c.18.*

2. At de Alardo præuento Diuina gratia in Monasterio Lukæ idem etiam Cæsarius hæc subiungit [b] *Alterius cuiusdam militis mortem valde pretiosam retulit mihi Adam Monachus de Lucka, cuius in superioribus memini. Erat, inquit, in Saxonia miles quidam Alardus nomine, qui Vir fuerat tantæ probitatis; vt in primo torneamento, in quo miles factus est, manu propria quatuordecim dextrarios acquireret: qui sicut Vir prudens, eundem honorem temporalem non suis viribus, sed Deo adscribens; omnia restituit, & sodalibus cum*

b *lib. 11. cap. 19.*

sæculo vale dicens, in Luka Monasterio nostræ religionis habitum susc epit. Et quia electos suos probat Dominus, tanta illum infirmitate flagellauit, vt vermes de eius corpore indesinenter scaturirent quorum fœtorem, simul & horrorem, cum ministri sustinere non possent, ait Abbas prædicto Adæ: Quid faciemus Frater cum hoc homine? Respondit ille: Dentur mihi quatuor linteamina, & ego pro Christi nomine curam illius suscipiam. Quod cum factum fuisset, assidua pannorum mutatione, fœtorem temperauit tam sibi, quam agroto.

3. *Cum dies adesset remunerationis tantæ patientiæ, ait Adæ: sternite mihi mattam, & pulsate tabulam, quia Dominus vocat me, & fecit sic. Veniente Conuentu, post dictam letaniam; cum omnes pene ad lacrymas, verbis valde compunctiuis mouisset, subiunxit: Modo ite Domini mei dilectissimi, & dicite Missas vestras, quia saluator mundi, & gloriosa eius genitrix, cum Angelis, & multitudine Sanctorum, illuc venturi sunt; post reuertimini cum eis, quia animam meam suscipient. Interim dum Missas dicerent, sicut mihi retulit sæpe dictus Adam, Alardus Spiritu Prophetico, omnia quæ in oratorio agebantur, indicauit dicens: Tales Missæ à talibus Sacerdotibus, ad talia altaria celebrantur. Et miratus est valde de homine laico. Reuertente Conuentu, ille vultu iucundo sic ait: Ecce Christus cum matre, & Sanctis suis præsens est, habentes manus sub mento meo, & iam suscipient animam meam; nec mihi credatis, si non in instanti mortuus fuero. Ad quod verbum mox expirauit, morte verba confirmans, de cuius corpore statim tantus odor exiuit, vt omnes illius suauitate reficerentur circumstantes.* Eadem pene habet idem Cæsarius Sermone XXXVII. in secundam Dominicam Aduentus. Alardum Beatis familiæ Cistercienſis Henriqueæ adnumerat, die secunda Ianuarij eadem verba ex Cæsario sumpta transcribens.

4. In eodem Lukensi Monastario florebat Adamus longius præ cæteris vitam productus, quippe scribente Dialogos. Cæsario viuebat adhuc, & multa illi scribenda subministrabat. Hic vel in sæculo in benedictionibus præuentus, gratiam simul obtinuit mentis, & corporis; & quidem de salute corporali obtenta per miraculum, cum adhuc puer esset, hæc, ipso referente, Cæsarius scribit. [c] *Adam Sacerdos, & Monachus in Luka, cuius supra memini, Cap. XVII. considerans me in huiusmodi miraculis delectari, ex multa charitate mihi de se ipso retulit, quod dicturus sum: Cum essem, inquit, puer, ita caput habebam scabiosum, vt præ fœtore putredinis eius, mecum sedere, vel legere scholares recusarent. Prima oratio, quam didici, salutatio erat Angelica, adhuc puerulus satis eram frequentans. Cum apud Monasterium Vilichobaliæ positus fuissem ad litteras, & eundo ad scholas, siue ad matutinas, quotidie transirem per quandam Ecclesiam Conuentualem ex necessitate viæ, sine intermissione ante oratorium in honore Dei genitricis Mariæ dedicatum, cum tribus variis totidem feci salutationes. Nocte quadam putans ad matutinas fuisse compulsatum, surrexi tremens, & cum veniissem ad tam dictum Monasterium, essetque oratorium clausum tribus vicibus, secundum consuetudinem, genua flectendo, Dominam nostram Angelico ve siculo salutaui. Surgens vero inueni ostium apertum, & tanta erat in Ecclesia claritas, vt fulgori meridiano assimilaretur.*

c *lib.7.c.16.*

Quam cum stupidus intrassem, vidi ante maius altare septem matronas pulcherrimas residentes, vnam in medio, quæ cæteris clarior erat, & sex hinc, inde, id est tres à dextris, & tres à sinistris. Media verò me vocans, cum propius accessissem, ait: Bone puer, quare non adhibetur cura capiti tuo? Respondente me: Domina, satis circa me laborauerunt amici mei, sed nihil profecerunt: subiunxit illa: Nosti, quæ sim? Cui cum dicerem; Non Domina: Respondit. Ego sum mater Christi, & Domina huius oratory: quia mei memoriam solitus es habere, ego tibi curam adhibeo: Accipe fructus ligni fusilis, & fac tibi hodie ex eo lauari caput tribus vicibus ante Missam, in nomine Patris, & Spiritus Sancti; statimque curaberis: & adiecit, Ad me accede Adam, quod & feci. Flectente me coram ea genua, manum super caput meum ponens, ait: ab hac hora vsque diem mortis tuæ non dolebis caput. Mane vero cuidam Fratri, qui me nutriuit, omnia retuli, qui in vallem proximam descendens, & ostensos fructus colligens, prædicto modo caput meum lauit, statimque conualui. Dolorem vero capitis nunquam ab illa hora passus sum, cum tamen hoc in ordine satis sit miraculosum. Hactenus restituta puerulo, qua dudum caruisset, corporis salus. 5.

At de salute animæ suggesta, & vocatione ad ordinem, per Sanctos Nicolaum, & Paternianum, alio in loco scribit hæc quæ sequuntur. [d] 6.

d *lib.8.c.74.*

Adam Monachus de Luka, cui in superioribus memini in quadam Conuentuali Ecclesia Saxoniæ quæ Bucka dicitur, scholas frequentauit: cumque in cæmeterio lateres essent repositi ad fabricam oratorij, ipse sicut puer, vnum ex eis tulit, & in eo sculpere cœpit: quod cum magister eius vidisset, terruit eum, dicens: Depone laterem, quia excommunicatus es. Ad quod verbum puer territus, mox cœpit infirmari: Cumque inualescente morbo, ad extrema deuenisset, & iam morituro data candela fuisset in manum, duos Pontifices, Beatum scilicet Nicolaum, & Sanctum Paternianum, præfatæ Ecclesiæ Patronum, coram se stare vidit, & agnouit: stabant autem in habitu Pontificali, & in claritate magna, dixitque ad Sanctum Paternianum Beatus Nicolaus: vis, vt tollamus puerum nobiscum? Respondit ille: Non, quia in alio ordine morietur, sicque disparuerunt. Eadem hora puer conualescens surrexit, & magistro eius, qui præsens fuerat tunc temporis, miraculum diuulgante, in Ecclesia est compulsatum, & ad honorem tantorum Pontificum, Te Deum laudamus *decantatum. Hæc mihi ab eodem Adam nuper sunt relata.* Quo anno ordinem ingressus sit, penitus ignoratur; constat vixisse scribente Dialogos Cæsario; nec tunc recens conuersum, sed adultum, adeoque ante hunc annum ingressum esse.

Non minori in Italia Sanctitate Alcrinus pollebat Casæ Marij Prior, Sancto Patri Dominico, dum Romæ versaretur, tum præcedenti anno sub Innocentio, tum hoc sub Honorio, ex odore, fragantiaque virtutum perfamiliaris. Eo Honorium, dum adhuc prior esset, in multis, vsum Vincentius Valluacensis, [e] aliique, & nos ex ipsis in tempore dicemus. In Gallia etiam, in Monasterio Obacinæ Lemouicensis Diœcesis (non obscure, vt Bzouius mendosè scribit) florebat Gregorius, Monachus, Prior, Abbas succesſiue, Sancti Stephani successor non indignus, quem ex visionibus, in alienis historiis celebrem, nec nostræ poterunt silentio præterire. 7.

e *lib. 30. cap.110.*

terire. Lego & in Anglia eximie commendatos, pietate, & doctrina æque florentes, circa hoc idem tempus duos Abbates, Mauricium, & Toraldum; Fontanensem vtrumque; hunc vocatum ad Sedem, ex Riæualle; illum, qui sponte præfecturæ cessit, vt hic succederet. Adeò tunc nullus, quæ sua erant; quærebat, sed quæ communia. De vtroque Pitsæus in appendice. [f] *Thoraldus (non desunt, qui Thoratum appellent) Cistercienſis Monachus Anglus, in cœnobio Rieuallenſi, Vir omni politiori doctrina apprime eruditus, in iis, quæ ad Deum ſunt, pius; in iis, quæ ad ſæculum cautus, prudens in conſultandis, fœlix in gerendis, dexter in expediendis difficilioribus quibuſque negotiis. Hinc factum eſt, vt Mauritius Abbas Fontanenſis, vir ſimilis eruditionis, & ingenij huic Thoraldo homini, inquit Hugo Kirchæſtallenſis, in ſcripturis non mediocriter edocto, & in liberalibus artibus apprimè erudito, dignitatem, officium, curamque Paſtoralem reſignarit. Quæ autem ſcripſerit non inuenio, multa tamen eum ſcripſiſſe teſtatur Lelandus, ex quo hæc, pluraque ſumpſi: claruit anno Domini M. CC. XVI. dum in Anglia rerum potiretur Ioannes.*

[f] *de ſcriptoribus Angliæ.*

8. Circa idem tempus Brumbacenſis cœnobij Sanctimoniam, & efficacem ad Deum interceſſionem commendauit euentus, terribilis non minus, quam glorioſus, atque ex vtroque dignus in Annalibus non præteriri. Rem ſane miram, & quam parum de nobis poſſimus præſumere, quãtum de Deo ſperare, declarantem eximie. Cæſarius Monachus narrat totidem verbis. [g] *Abbas Brumbacenſis anno præterito retulit Abbati noſtro tentationem quandam ex triſtitia natam, terribilem ſatis, ſic dicens: In prouincia noſtra quædam extitit puella nobilis, ac formoſa, diuitumque filia, quam cum parentes tradere vellent marito, & renuit illa dicens: Non nubam alteri viro, niſi ſponſo cœleſti Domino meo Ieſu. Tandem Virginis pertinacia parentes ſedati, propriæ illam reliquere voluntati. Quæ Chriſto quaſi de victoria gratias agens, cellam ſibi fieri fecit, in qua, ab Epiſcopo velata, & recluſa, ipſi ſoli ſola, ſatis deuote per dies aliquot ſeruiuit. Inuidens tantæ virtuti Diabolus, variis illam tentationibus conquaſſauit, & veneno triſtitiæ innocuum Virginis pectus inficiens, ſanam infirmauit. Mox illa cœpit variis tentationibus fluctuare, in fide mutare, de perſeuerantia deſperare. Inuaſit eam, & defectus cordis, & habetudo corporis, torpor in oratione, dolor de recluſione.*

[g] *lib. 4. c. 39.*

9. *Interim, dũ ſic periculoſe puella nutaret, ſupradictus Abbas ordinis Ciſtercienſis, cuius curæ ab Epiſcopo commiſſa fuerat, viſitationis gratia aduenit, & quomodo viueret, vel quomodo haberet, inquiſiuit. Reſpondit illa: Male viuo, male valeo, & quare, vel propter quem hic recluſa ſim prorſus ignoro. Cui cum Abbas diceret; Propter Deum, & propter Regnum cœlorum. Illa reſpondit: Quis ſcit, ſi Deus ſit? ſi ſunt cum illo Angeli, animæ, vel etiam Regnum cœlorum? Quis enim iſta vidit? Quis inde rediens viſa nobis manifeſtauit? Huiuſcemodi ſermones, vt Dominus Abbas audiuit, totus contremuit conuerſúſque ad Virginem, ait: Quid eſt, quod loqueris Soror? Signa cor tuum. Reſpondit illa: Ego loquor, ſicut mihi videtur, niſi videam iſta, non credam; rogo vt ſinatis me exire, quia recluſionem hanc diutius ſuſtinere non valeo. Tunc Abbas intelligens, ex immiſſione Diaboli tam repentinam eſſe triſtitiam, & ex triſtitia deſperationem, ait: Soror, inimicus gloriæ tuæ inuidens, periculosè te tentat; tu ita in fide, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Amicis, & cognatis contradicentibus, tu Sanctam hanc elegiſti vitam; tu iſtam deſideraſti recluſionem. Quæ cum ſurda aure monentis, & exhortantis verba perciperet, rogauit eam Abbas, vt ſaltem ſeptem diebus ibi ſuſtineret, & nec ad clauſtrum iens, & rediens, denuo eam viſitaret.*

Quod vt permitteret, cum vix obtinuiſſet, ad Mo- 10.
naſterium pergens, periculum Virginis Fratribus expoſuit; & vt orationes ſpeciales per hebdomadam pro illa deuote ad Deum funderent; omnibus præcepit. Ipſe vero in propria perſona, quantum valuit, ad Dominum ſupplicauit pro illa. Hebdomada completa, reuerſus ad eam ait: Quomodo habes filia? Reſpondit illa: optime pater; numquam melius: infra hos dies ſeptem plus ſum lætificata, plus conſolata, quam ante tuum diſceſſum fuerim contriſtata, vel deſperata. Sciſcitante eo cauſam conſolationis, ait illa. Pater oculis meis vidi, de quibus dubitaui: poſt diſceſſum tuum anima mea de corpore fuit educta, & vidi animas Beatorum, vidi præmia iuſtorum: corpus autem meum vidi oculis animæ in pauimento cellulæ meæ ita exangue iacere, & pallidum, ſicut herbam ſine ſucco, & arefactam. Hactenus ibi. Non dubium nobis meritum orantium, quorum preces non ſolum exauditæ, verum præuentæ, antequam funderentur, impetrarunt.

Hoc item anno, nam duodennio ante ceſſionem. & ceſſiſſe legitur anno M. CC. XXVIII. ex Monacho eiuſdem Monaſterij, in Abbatem Coggeshalenſem in Anglia promotus eſt Venerabilis Radulphus inſignis vir doctrinæ, & pietatis, de quo Ioannes Pitsæus hæc habet verba. [h] *Radulfus Coggeshalus, Anglus natione, ab ipſa ætate tenera in ingenuarum artium ſtudiis ſolicite educatus, Canonicus aliquando Barneuelenſis, vt habet Ioannes Stous. Poſtea iugum Domini ſuaue, & onus leue portare didicit in Sancta Ciſtercienſium Monachorum ſocietate. Vir multæ naturæ dotibus ornatus, & variis diſciplinis excultus, incredibilis frugalitatis, & parſimoniæ temperans, caſtus, humilis, modeſtus, in omnibus inculpatæ vitæ, magnæ etiam doctrinæ; vnde partim naturæ bonitate, partim laboris, & induſtriæ ſedulitate, magnum apud omnes nomen acquiſiuit, multam ſibi gratiam conciliauit, vt vnanimi ſociorum conſenſus in Coggeshalenſi cœnobio, quod ſitum erat in Eſaxia, Abbas tandem eligeretur. In qua dignitate conſtitutus, Muſas nihilominus, vt prius, coluit, & quotidie vel deſcripturis aliquid legebat, & contemplabatur, vel hiſtorias manibus terebat, vel ſcriptis committebat.* Hæc ille. Verum quæ opera perfeciſſe dicitur, & qualiter in priuata tandem vita, poſt certatum fideliter certamen, curſum huius in pace conſummauerit, eodem anno M. CC. XXVIII. quo obiiſſe creditur, à nobis etiam ex more dicendum erit.

11.

[h] *vbi ſupra.*

1. Beatæ Christinæ in monte sanctæ VValburgis, 2. glorioſæ viſionis, 3. & reuelatus obitus, 4. atque ſuarum gloria illi oſtenſa. 5. Vdebolta eiuſdem cœnobij Virgo. 6. Guda in Houenes, 8. Eufemiaque, & Eliſabetha. 8. Dæmonum minæ in illam adhuc in ſæculo, 9. quas paſſa in religione ſemel, 10. & iterum. 11. Itemque Eliſabetha, ſed magno animo.

CAPVT OCTAVVM.

1. HAVD infœcundior ſeges Sanctimonialium illuſtrabat Ciſtercium, prælucentibus Franca, Lutgardique, in Italia, & Belgio; ſed per Germaniam, aliaſque Prouincias, ſubſequentibus multis, ex quibus viciniores ſibi loco Cæſarius narrat: reliquæ heu! perierunt iniuria temporum. Montem Sanctæ VValburgis prope Coloniam, Beata Chriſtina dicta de Volmunſteine, dum deſerit ad cœlos conſenſura, triſtitia ſimul gloriáque affecit: illa vt tantis exemplis deſtitutum hac, vt munitum tanto patrocinio, & tali interuentrice perennandum. Multa illi per viſum oſtenſa, dum adhuc viueret, ex quibus quædam ſupra: alia in hoc capite nobis dicenda erunt.

a *lib. 8. c. 15.* *Beatæ memoriæ Chriſtinæ, ait Cæſarius,* [a] *cuius ſupra memini, etiam Crucifixus apparuit; & homo ſenex iuxta eum, qui ex pixide, quam in manu habebat, perungebat vulnera illius.*

2. Et itidem alibi. [b] *Dominus quoque Venerabilem Chriſtinam Virginem cuius in præcedentibus memoria habita eſt, in Burgis Sanctimonialem, viſione ſuæ natiuitatis lætificare volens; tempore quodam ei cum Matre, & Ioſeph apparuit pannis inuolutus, & in præſepio reclinatus: erant iidem panniculi lanei, & albi, à pannis ſororum nihil differentes: faſcia verò, qua membra eius ligata erant, griſei coloris videbatur. Vides quanta humilitas, quanta pietas in Dei filio? Pannos ſuos pannis ordinis conformare dignatus eſt, vt amplius illa de ſuſcepto habitu gratularetur.* His & ſimilibus præuenta gratulationibus, cœleſtis ſponſi nuptias, in patria conſumandas præſtolabatur.

b *lib. 8. c. 3.*

3. At vbi venit præfinitum tempus, in quo ex hac luce ad clariorem tranſmigraret; confortata per Angelum, & mortis ſuæ præſcia; ſuorum etiam gloriæ congratulata, ex qua propriè ſecurior redderetur; longa infirmitate purgata, à Sancto Paſchate vſque ad Pentecoſtem; tandem in ipſa chariſmatum cœleſtium per Spiritum Sanctum trãſmiſſorum, celebratione, ipſa Spiritus Sancti chariſmatibus decorata, cælos conſcendit æternum coronanda. Glorioſum eius tranſitum idem Cæſarius, qui non multo poſt ſcripſit, memoriæ prodit [c] *Soror* (ait) *Chriſtina de Volmunſteine Sanctimonialis in Burgis, cuius in ſuperioribus memini, tantæ erat perfectionis, vt præſens vita ei eſſet in tædio, & mors in deſiderio. Tempore quodam Quadrageſimali, cum ſe in proxima Paſcha putaret eſſe morituram, mente excedens rapta eſt in locum amœniſſimum, haud dubium, quin in paradiſum; in quo vidit altare miri decoris; & ante altare multæ reuerentiæ perſonam, cuius pulchritudo inæſtimabilis erat nimis. Quam cum interrogaſſet, quæ eſſet, vel cuius officij? Reſpondit: Ego ſum Archangelus, qui præſento animas ante Dominum. Et illa: Nunquid Domine, & animas de ordine noſtro præſentas? Etiam, inquit; omnium in ordine tuo bene viuentium animas, Monachorum videlicet, conuerſorum, & Sanctimonialium ego præſento ante Deum: Et adiecit: Non modo morieris, ſed in proximo Paſchate, quod ita factum eſt: Nam cum per aliquot dies ægrotaret, & pene quotidie communicaret, in agonia poſita viaticum ſibi dari petiit, cum quo nondum plene maſticato, ſpiritum reddidit cælo.*

c *lib. 8. c. 45.*

Subdit Cæſarius. *Cum adhuc eſſet in prædicto mentis exceſſu, Venerabilis vere Beata Virgo Chriſtina, vidit ſuper altare mitram magni decoris pendentem; & cum requireret ab Angelo, quid futurum eſſet de anima cuiuſdam Sacerdotis, quem ſpecialiter diligebat, cuius tunc recordabatur, reſpondit: Cum obtulit, mitra hac Capiti eius impoſita, ante Dominum illum repræſentabo.* Ita de aliorum gloria certior reddita, quos Fratres, quos amicos habuiſſet, quos meritorum ſocios; vt ſibi minus fideret, vix tamen poterat de ſua dubitare. Ex dictis corrigendus venit Henriquez in Menologio qui Venerabilem Virginem commemorat ad decimam quintam diem menſis Aprilis, cum tamen Sacrum Pentecoſtes Paſcha conſtet non poſſe incidere in Aprilem, ſed in Maium, vel Iunium, in quorum alterum veniet transferenda. 4.

Eiuſdem temporis videtur etiam fuiſſe Venerabilis Vdebolta, quæ cum iam iam ad Dominum migraret, in eodem cœnobio, dexteram manum extendens contra oſtium, circumſtantibus ſe ſororibus, dixit: [d] *Ecce nuncius Dei ſtat expectans animam meam: quod cum dixiſſet (ait idem Cæſarius) poſt modicum reddidit ſpiritum, ab eodem Angelo in cœlum deducenda.* Huius etiam mentionem facit Henriquez ad duodecimam diem menſis Auguſti. Inſignem aliam Sanctitate Virginem, & ſi non Monialem, addictam tamen eidem Monaſterio, Ricmundam nomine, cuique pleraſque deberet, quas à Deo frequentes accipiebat conſolationes, dabimus poſt triennium, quo completo, ad meliorem vitam tranſiit. Nunc ſatis erit animaduertiſſe vixiſſe per hoc tempus; & montem Sanctæ VValburgis, velut vnam ex eiuſdem domus ſororibus frequentaſſe continuo, multis in eo illuſtratam reuelationibus. 5.

d *vbi ſupra.*

Celebratum non minus à Cæſario Monaſterium de Houenes in eadem Prouincia, quod Heiſterbacenſis Abbatis viſitationi, & curæ commendatum ſuperius diximus. In eo Beatæ memoriæ Eliſabethæ primæ, vtputo Abbatiſſæ, ſubactæ de medio, Sophia ſucceſſerat. [e] *Tam feruens in ordine, & ita rigida circa diſciplinam, vt ſorores ſæpe turbatæ, quod erat virtutis, vitium indicarent.* Illuſtris Sanctitate fertur, vſque ad miracula; ex quibus aliqua anno M. CC. XXI. quo obiiſſe fertur, recenſebimus. Porro ſub huius Sophiæ Præfectura floruiſſe comperio Eufemiam, Gudam, Gertrudam; Eliſabetham, ingentes omnes meriti, & digne recenſendas in his Annalibus. 6.

e *lib. 10. cap. 16.*

Annalibus. Et quidem Gudam ad hoc tempus spectare, si non fortè ad antiquius, inde coniector, quod creditur ex primitiuis conuersis eiusdem domus, traditione accepta à patribus, ad filios, quam Reuerendus Pater Chrysostomus Vander, Prior Sancti Michaëlis, Antuerpiensis, in notis ad vitam Sancti Ioseph Præmonstratensis memoris commendauit, hæc scribens verba. [f] *Quin & notatu dignum, quod à D. Rostio mihi suggestum est, & constanti ibidem traditione fertur, sororem aliquando vixisse ibidem Gudam nomine, tantæ Sanctitatis, vt ei in culina officium suum facienti, puer Iesus in visibili specie plerumque adfuerit, eamque adiuuerit. Fœlix, quæ talem meruerit adiutorem; sed & ipse Conuentus totus fœlix, cui Christus Dominus glorioſus ministrabat.*

f apud Henric in Menologio.

7. De Eufemia Elisabetha, atque Gertrude spectare ad hoc tempus certius est; de vltima, quia Sophiæ successit in Præfectura, quantum licet ex Cæsario coniectari; quippe de ea tanquam de Abbatissa viuente loquitur. [g] Cum Dialogos scribebat, cum Sophiam anno præcedenti sublatam dicat: [h] de prioribus, quia scribente Cæsario, adhuc viuebant, nec recens tunc ad ordinem conuersæ, sed iam probatæ, exercitatæque, permisso Dæmone easdem molestare, quo ex præsturis puriores atque acceptabiliores efficerentur. Eufemiam, vel ex ipsa pueritia cœptam à carnalibus vmbris infestari, à quibus per Angelicam salutationem liberabatur, quo menti teneræ altius imprimeretur affectus in Beatam Virginem: idem auctor scribit, dum ita ait. [i]

g apud Henric. in Menologio.
h lib. 8. c. 82.
i lib. 1. c. 44.

8. *Cum esset eadem Sanctimonialis puella parvula in domo patris sui Diabolus illi sæpius in diuersis formulis visibiliter apparuit; & teneram eius ætatem diuersis modis terruit, ac contristauit. Quæ cum incurrere timuisset amentiam, ad ordinem nostrum conuerti proposuit, verbis voluntatem exprimens. Nocte quadam in specie viri Diabolus illi apparens, conuersionemque dissuadens ait: Eufemia, noli conuertere; sed accipe virum iuuenem, pulchrumque, vt cum illo deliciis mundi fruaris; vestes enim pretiosæ, & cibaria delicata non deerunt tibi. Si autem intraueris ordinem semper eris misera, & pannosa; famem, sitim, frigusque patieris, nec vnquam de cætero bene tibi erit in hoc sæculo. Ad quod illa respondit: Quid de me tunc erit, si in illis deliciis, quas tu mihi promittis, mortua fuero? Ad quod verbum Diabolus nullum responsum dedit, sed puellam rapiens, & vsque ad fenestram solarij, in quo iacebat, deportans, præcipitare eam conabatur. Quæ cum Angelicam salutationem diceret, inimicus eam dimisit, & ait: si ieris ad claustrum semper tibi aduersabor, quod si in hac hora mulierem illam non inuocasses, occidissem te. Et, hoc dicto valde Virginem comprimens, in canem maximum transmutatus, de fenestra exiliuit, & nusquam comparuit. Sicque ad inuocationem Dei genitricis, & Virginis Mariæ Virginis liberata est.* Hæc antequam Conuentum ingrederetur.

9. Quæ tamen Dæmon illi comminatus monialis experta, maiora adhuc ab eo perpessa est, ita eodem auctore prosequente. [k] *Cum prædicta puella Monacha fuisset effecta, nocte quadam, cum in lecto iaceret, & iacendo vigilaret, vidit circa se plures Dæmones in specie virorum, ex quibus vnus aspectu teterrimus stabat ad caput eius, duo ad pedes, quartus ex latere contra eam; qui clara voce ad alios clamabat: Quid statis? Tollite illam totaliter sicut iacet, & venite. Responderunt illi: Non possumus, inuocauit enim mulierem illam.* Et infrà. *Idem tamen Dæmon post verba Angelicæ salutationis puellam brachio dextero traxit, & trahendo in tantum compressit, vt compressionem tumor, & tumorem liuor sequeretur; quæ cum haberet sinistram liberam, ex nimia simplicitate, non est ausa signare per illam, putans signum manus sinistræ, nihil prodesse: cogente tamen necessitate, per eandem manum crucem sibi impressit, & Dæmones fugauit. Liberata ab illis, pene exanimis ad lectum cuiusdam sororis cucurrit, & fracto silentio, quid viderit, vel quid passa sit, illi intimauit.* Quam, sicut mihi retulit, Beatæ memoriæ Domina Elisabeth, eiusdem cœnobij Abbatissa, sorores in lecto suo ponentes, & principium Euangelij Sancti Ioannis super eam legentes, mane regyratam inuenerunt.

k vbi suprà.

Nec semel tenerum corpus Sacræ Virginis maculasse cruore, satis iniquo hosti; adiecit iterum illi molestus esse. [l] *Anno sequenti intempesta nocte, cum eadem Sanctimonialis in strato suo iacēs vigilaret, vidit eminus duos Dæmones in specie duarum sororum plurimum sibi dilectarum; cui cum dicerent illæ, soror Eufemia, surge, veni nobiscum in cellarium dimittere cerebisiam conuentui. Illa habens eas suspectas, tum propter tempus intempestiuū, tum propter fractum silentium, honorare, cœpit, operimento caput inuoluens, nihilque respondens. Statim vnus spirituum malignorum propius accedens, & manum pectori eius imponens, ita illud compressit, vt sanguis concitatus per os, & nares eius largiter efflueret: sicque Dæmones formas caninas assumentes de fenestra exilierunt. Sorores ad matutinas surgentes, cum illam in defectu cernerent, vtpote pallidam, & exanguem, causam per signa scisciatæ sunt; quam cum ex eius relatione cognouissent satis turbatæ sunt, tam de Dæmonum crudelitate, quam de Virginis vexatione.* Plura alia narrantur de Eufemia; at de Elisabetha Eufemiæ socia, hæc idem auctor habet. [m]

l lib. 5. c. 45.

10.

m lib. 5. cap. 45.

11. *In eodem Monasterio, quod Houene vocatur, Sanctimonialis quædam est Elisabetha nomine, quam sæpe Diabolus infestat. Die quadam in dormitorio illum videns, & quia ipse esset non ignorans, alapam illi dedit; cui cum diceret: vt quid tam dure me cædis? Respondit illa: Quia sæpe me turbas. Ad quod Diabolus: Multo amplius hesterna die turbaui sororem tuam cantricem, non tamen me percussit. Satis quidem illa die turbata fuerat. Ex quo colligitur, quod ira, rācor, impatientia, & alia huiusmodi vitia, sæpe ex immissione sint Diaboli. Alia vice cum eadem Elisabetha matutinis nimis tardatis, opere, vt post apparuit, Diaboli, ad campanam festinaret, candelámque ardentem in manu portaret; iam intraturā fores oratorij, Dæmonem in specie viri, tunica indutum cultellata contra se stare conspexit. Putans aliquem intrasse virorum, territa retrorsum per gradus dormitorij cecidit, ita, vt per aliquot dies tam ex repentino terrore, quam ex lapsu langueret. Nam & Abbatissa ex eodem casu stupefacta infirmitatem concepit, quæ dum causam illius lapsus, atque clamoris ab ea scisciscitata fuisset, & illa visionem exposuisset, adiecit: si sciuissem, quod fuisset Diabolus, & non homo, bonam illi alapam dedissem. Iam enim accinxerat fortitudine lumbos suos, & contra Diabolum roborauerat brachium suum.* His proculdubio multæ aliæ similes per vniuersum ordinem, fœlici illo, & Sanctorum feraci sæculo: qui tamen non quod fecerint minora, sed quo maiorum caruerint scriptore, posterorum notitiam euasere. Nunc vagam domum,

mum,& incerti anni : hæc tamen tempora haud dubiè concernentem , quia non ſolum Hiſpanam, ſed Caſtellanam in Chronologia omiſſam, & de qua recentiores non parum errant , altius repetito principio, ante alias huius anni pandere libet.

1. *Saltus Albus antiquum Monaſterium Benedictinum*, 2. *Imperatoris priuilegio auctum*, 3. *& donatione Epiſcopi Segouienſis*, 4. *quæ ad litteram poſita*: 5. *& recentior concordia*, 6. *ſuper Abbatum eiuſdem electione*. 7. *Mutatio habitus*, 8. *& commendata hiſtoriæ Segouienſis*, 9. *conuictaque*. 10. *Eiuſdem domus aliquæ notitiæ*, 11. *& Abbatiæ per Alexandrum ſextum in ea tandem ſuppreſſæ, atque vnitæ cœnobio ſacrorum mœnium.*

CAPVT NONVM.

1. SALTVS Albi, ſiue alias Saltus Alborum cœnobium, quod vernacula lingua, *Sotos Albor*, &, *de la Sierra*, dici conſueuit in veteri Caſtella, tertio à Segouia lapide, olim cœnobium Benedictinorum, accepit per hoc tempus Ciſtercij leges. De anno certo nondum nobis conſtat: ſed ante M. CC. XIX. ſatis oſtendit donatio quædam, ſeu magis confirmatio poſſeſſionum per Ferdinandum Regem, quam mox adducam. Nec facta ea intuitu reformationis, velut recens ſuſceptæ, aut ſuſcipiendæ; ſed Abbati, & Conuentui, qui dudum inſtituta Ciſtercij profiterentur. Vt vix poſſit in dubium reuocari tranſiiſſe ad noſtros ante hunc annum. A tempore Alfonſi Imperatoris fundatam domum, forte & ante ipſum, alia eius donatio manifeſtat ſub annum M. C. XXVI. quæ hodiéque ſeruatur in ſacris mœnibus. Exemplar porro eiuſdem donationis, ne cui fortaſis liceat dubitare, hæc habet verba. [a] *In nomine Domini. Amen. Inter cætera virtutum opera, Eleemoſyna maximè commendatur, Domino atteſtante, qui ait: ſicut aqua extinguit ignem, ita Eleemoſyna extinguit peccatum; & ideo ego Alfonſus Hiſpaniæ Imperator, vna cum filiis, & filiabus meis, & omni generatione mea, pro amore Dei, & pro animabus parentum meorum, & peccatorum meorum remiſſione, facio cartam donationis, & textum firmitatis, Deo, & Sanctæ Mariæ de Sotos Albos Monaſterio, & vobis Abbati Domino Roderico, & omnibus Monachis in eodem Monaſterio Deo ſeruientibus, & omnibus veſtris ſucceſſoribus, de illis duobus molendinis, & domibus, quas feciſtis in loco, qui vocatur Viuerus: ac de omni hæreditate infra terminos iſtos, quos ponimus circumiacentes, videlicet à fonte, &c.* Nam latiſſime deſcribit terminos loci, & tandem concludit. *Facta carta in Toleto, quando Imperator venit de illa cerca de Iaen. Era M. C. LXIV.*

a *ex tabulario Monaſterij ſacrorum Mæn.*

2. Septennio poſt anno nimirum M. C. XXXIII. Petrus Segouienſis Eccleſiæ inſignis Præſul, pietate, & doctrina pro captu temporis, (quem ſacris mœnibus nonnulla etiam dediſſe ſupra adnotauimus) ſupra dicti cœnobij terminos auxit, donata hæreditate illi contigua, quam acceperat ab Alfonſo Imperatore; & donatione firmata per inſtrumentum, quod quia cuidam auctori Neotherico [b] à veritate aberrandi occaſio fuit, dum putat primam donationem domus, atque alia ſubinfert haud probabilia, ex ipſo ſimul, & Archiuis ſacrorum mœnium, cui Saltus Albus in præſenti ſubeſt, (neque vtrumque concordat) ad litteram cenſui ſubiiciendum. Sic autem habet. [c]

b *Auctor Hiſt. Segou.*

c *Cap. 14. §. 10.*

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: Carta de hæreditate Sanctæ Mariæ, & Beati Iacobi de Serra incipit. Quoniam quidem res, & prædia Eccleſiarum Epiſcopi pauperibus diſtribui, & maxime in Dei ſeruitio debent expendi: Ego Petrus Dei gratia; & indignus, Sanctæ Segonienſis Eccleſiæ humilis miniſter, & vna cum omnium eiuſdem Eccleſiæ Canonicorum conſenſu, nullo cogente, ſpontanea voluntate, dono, & concedo Eleemoſynam, tertiam partem illius hæreditatis, quæ eſt iuxta montem inter Pironem, & Lacerteriam, & ab ipſis montibus vſque ad illam viam, quæ ducit à Sotos Albos ad Pedracam, quam mihi venerandus totius Hiſpaniæ Rex Alfonſus, & omne Concilium de Secobia dederunt, & ſuis confirmauerunt priuilegiis, Eccleſiæ Beatæ, & gloriоſæ ſemper Virginis Dei genitricis Mariæ, Sanctique Iacobi Apoſtoli, quæ intra iam dictos terminos ædificata eſt, & Fratribus ibidem ſub Regula Beati Benedicti Domino ſeruientibus, vt perenniter habeant, & quicquid ibi ad honorem illius Eccleſiæ ædificare voluerit, ædificent. Sit etiam atrium eiuſdem Eccleſiæ ab illo riuo, qui dicitur à Pirone vſque ad Lacerteriam indirectum. Si quis autem hoc teſtamentum rumpere, vel contra illud in aliquo agere præſumpſerit, anathema ſit à Chriſto, & cum Iuda traditore, qui ſuſpenſus periit, & cum Datan, & Abiron, quos viuos terra abſorbuit, in perpetuum damnatus: niſi reſipuerit, & congrua ſatisfactione, quod male egerit, emendauerit. Omnibus vero ſupra dictæ Eccleſiæ benefactoribus, & huiuſmodi teſtamenti defenſoribus, ſit Dominus noſter Ieſus Chriſtus miſericors, & propitius in die reuelationis iuſti iudicij ſui. Ego Petrus Secobienſis Eccleſiæ miniſter confirmo. Canonici confirmant. Vermudus Prior. Petrus Archidiaconus, &c. Facta carta Era M. C. LXXI. in capitulo Sanctæ Mariæ Secobienſis, Regnante Rege Alfonſo Hiſpaniæ in Toleto, & Legione, Conſule in Secobia Roderi Gonzalus, Guillermo præſente, Monacho ſupra dictæ Eccleſiæ, qui hoc teſtamentum cum ſuis ſocius ſcribere rogauit. Hactenus Petri Epiſcopi donatio. 3.

Manſit cœnobium per Benedictinos inhabitatum ſub poteſtate Epiſcopi iuxta Sanctiſſimi Regulam Patriarchæ, vſque ad hoc ſæculum; cuius initio, quod laxius paulo viuerent, actum à Gundiſaluo, eius nominis ſecundo, Secobienſi Epiſcopo, de reformanda domo (forte ad imitationem Carracetenſium, qui tunc reformabatur) & legibus Ciſtercij ſubiicienda. Id cum Abbas tunc Blaſius, Monachique, & puſillanimes timerent, & pertinaces recuſarent; ſeruilibus acceptis conditionibus redemerunt onus, quod ſibi 4.

intoleran

intolerandum existimabant. Ergo ne genus vitæ, & institutum mutare cogerentur, faciles consensere, vt Abbatis electio, quæ ad Episcopum hactenus non tamen solum, sed cum consensu Fratrum spectauisset; extunc soli cederet pleno iure, quam vellet præposituro: tum vt Episcopus in electum à se Abbatem, Conuentúmque maiorem potestatem exerceret, quam hactenus habuisset; eam nimirum, quam Abbas Cistercienſis in suæ lineæ Abbates habere noscitur. Extat de his instrumentum, haud contemnendum, quod anno M. CC. I. huius sæculi primo confectum tradit idem qui supra auctor ex Archiuis Ecclesiæ Secobiensis, quod ita habet [d].

d cap. 19 §. 2. 5.

Ne vetustatis caligine, facta præcedentium posteros latere valeant, ob hoc in scriptis redigun-tur. Noscant igitur tam præsentes, quam futuri, quod Monasterium de Sotis Albis à bonæ memoriæ prædecessore nostro, Secobiensi Episcopo, vtpote à patrono proprio fundatum; & ab illis temporibus vsque ad nostra tempora prædecessores nostri, vel eorum Vicarij in omnium Abbatum electione cum quibusdam de fratribus eiusdem Monasterij fuerunt electores: & in sua benedictione prædictis antecessoribus obedientiam in perpetuum promiserunt. Et ego Gundisaluus secundus Dei gratia Secobiensis Episcopus cum quibusdam de prædicti loci fratribus, duos Abbates Michaëlem, scilicet, & Blasium elegimus. Et in die suæ benedictionis, obedientiam tanquam patrono, & Domino prædicti Abbates nobis in perpetuum promiserunt. Et nos tempore Blasij, Abbatis loci iam dicti, eius fratribus promisimus, quod non compelleremus eos alium ordinem seruaturos; nisi quem tunc seruabant. Et illo tempore Blasius sæpè dictus, vna cum consensu Capituli sponte concesserunt, quod nos, & nostri successores plenariam potestatem in corrigendos Fratrum, & Abbatum excessus haberemus, quam Abbas Cistercienſis habet super Abbates inferiores, siue in deponendo, siue in aliis excessibus corrigendis. Facta charta sub Era M. CCXXXIX. Et ego Gundisaluus Secobiensis Episcopus, cum Blasio Abbate eiusdem loci hanc chartam confirmamus, & sigillorum nostrorum impressione communimus.

6. Fuerit ne onerosior conditio Monachis, quam ipsa reformatio, quam timuissent, an vero sponte, & solo Dei intuitu optauerint ad meliorem frugem transire? in dubio est. Constat sub annum M. CC. XIX. iam per Monachos Albos inhabitatum, nouo suscepto ordine, quem antea adeo suscipere renuissent. Probat id priuilegium Ferdinandi eo anno expeditum, quod hodie etiam extat in hæc verba [e].

e In Tabular. sacr. man.

Regali congruit excellentiæ, ac consonat pietati, vt ea, quæ religiosis personis per Regiam magnificentiam conferuntur, seu per singulos Dei fideles, Monasteriis, Ecclesiis, & earum cultoribus erogantur, auctoritate Regia, & priuilegij robore confirmentur. Ea propter modernis, ac posteris, præsentibus innotescat, quod ego Ferdinandus Dei gratia Rex Castellæ, & Toleti, intuitu pietatis, & misericordiæ, & in remissione peccatorum illustrium auorum meorum, Domini Alfonsi Regis præclaræ memoriæ, & vxoris ipsius A. Reginæ, nec non & salute Dominæ Berengariæ Serenissimæ matris meæ, & propriæ; ex ipsius genitricis meæ assensu, & beneplacito, vna cum fratre meo Infante Domino A. Facio chartam concessionis, roborationis, & stabilitatis, & confirmationis Deo, & Monasterio Beatæ Mariæ de Saltibus Albis, & vobis dono Ricardo eiusdem instanti Abbati, & vestris omnibus successoribus, nec non, & toti Monachorum Conuentui, ibidem sub Regula Cistercienſis Ordinis degentium; præsenti, & futuro perenniter valituram. Concedo itaque vobis omnes has hæreditates, siue possessiones, quas in præsenti possidetis, &c. Facta charta apud Valdefontes, Era milleſima ducenteſima quinquageſima ſeptima, anno Regni mei tertio.

Hic processus historiæ Monasterij ante annum M. CXXVI. cœpti sub nigro habitu: in quo vt minimum, vltra M. CC. I. perseuerauit: & credendum manssisse adhuc per plures, Monachis à reformatione adeo auersis, vt omni se priuari iure mallent, quam reformari. Tantæ difficultatis est consuetam diu licentiam cohibere. Porro ex hoc ipso processu facilè valeas longè aberrare à vero, recentiorem, qui historiam vrbis Secobiæ in lucem dedit [f]: quippe qui Monasterium fundatum tradidit anno M. CC. XXXIII. neque à Benedictinis, sed à nostris ab ipso initio suæ fundationis inhabitatum. Demum Guillelmum Monachum, qui in instrumento donationis Petri Episcopi, quam ipse fundationem primam putat, commemoratur, esse Guillelmum sancti Theoderici, qui primum vitæ Bernardi Librum scripsit. Sed reuera, in aliis diligens auctor, in his, quæ minus nouerat, hallucinatus est, quod nec nouum, nec mirum, cum nullus possit omnia æquè callere. 7.

f cap. 14. §. 10. & 11. & c. 19. n. 2.

Cæterum tria illa falsa conuincere non difficilè erit ex supra dictis. Quippe quæ domus anno M. C. XXVI. Monachos iam habebat, sub Roderico Abbate Deo seruientes; non potuit post septennium incœpisse. Sed neque cœpta ante annum M. C. XXVI. potuit ab initio subesse Cistercij legibus; quæ proculdubio in Hispaniam non transierunt ante annum M. C. XXXI. Adde, quod ab anno M. C. XXXIII. Abbates per Episcopos electi, etsi Fratrum consilio etiam adhibito, excludunt Cistercium, in quo per Patres Abbates, non per Episcopos, ab ipsa chartæ charitatis promulgatione constituebantur. Quid, quod anno M. CC. I. paciscuntur, ne ordinem mutare cogerentur? An ne degentes sub Cistercij instituto, tunc feruentissimo, perfectissimóque omnium, vt credebatur, adigerentur ad laxius aliud transire? Quid quod ipsa conditio sub pactum cadens opposita Cistercio, & quæ à legibus eius summè abhorreret? Quippe nihil altius insedit animis Patrum, quam vt nullam obedientiam Diœcesanis, nisi saluo ordine suo profiterentur. Iam quod vltimo loco is auctor tradit de Guillelmo Abbate, qui scripsit primum Librum vitæ sancti Bernardi, ex his ipsis facillimè conuincitur. Sed neque Guillelmus vnquam in Hispania; aut ex quo, abdicata præfectura, ad nostros transiit, à Signiacensi domo recessit; nec demum Monachi de linea Claræ-Vallis, ad Saltus Albos, sed Cistercij, venere, vt iam ostendam; aut si id magis placet, Morimundi. 8.

Memoratur Saltus Albus, siue Saltus Albo-rum, Diœcesis Segobiensis inter filias Cistercij immediatè ante Sanctum Saluatorem de Monte acuto, quæ domus anno M. CC. XXXIV. notatur in Chronologia. Crediderim ad exemplum Carracetensium reformatos ad ordinem, eorum in omnibus vestigiis adhærentes, nulli alteri, 9.

alteri, quam communi omnium Patri voluisse subdi: quamuis in litteris Alexandri Papæ Sexti, quas mox adducam, filia sacrorum mœnium, sub dubio dicitur. Inuenitur, & Abbas Monasterij de Saltibus Albis in litteris Gregorij Papæ IX. datis Laterani, quarto Kalendas Februarij. Pontificatus ipsius anno XII. in quibus cum quibusdam Archidiaconis, designatur iudex prolixæ satis causæ; quæ controuertebatur à decem annis inter Archiepiscopum Toletanum ex vna parte, & Magistrum, & Fratres Calatrauæ ex altera, de qua nos aliquid in tempore dicemus. Vt non immeritò liceat coniectari, floruisse initio domum, cuius Abbati tam grauia negotia committebantur.

10. Perseuerauit Conuentus Saltus Albi à susceptо Cistercio per trecentos ferè annos, nempe vsque M. CCCC. XC. VIII. quo Alexander Sextus, cum ad grauem inopiam peruenisset, commendatariorum culpa, suppressa in eo Abbatiali dignitate, vniuit Monasterio de Sagra mœnia, accepto priùs per supplicantium narrationem. *Quod dicti Monasterij B. Mariæ de Sagramenia filia fuit, seu ab eo dependens.* Crediderim Ecclesiam Cistercij filiam, malitia tèporum, & locorum intercapedine, cum ab Abbate Cistercij minus posset, visitandam Abbati proximiori fuisse mandatam; cum iam cunctis corruptis per commendas, parum, aut nihil de lineis curaretur. Et fortè ideo non filiam absolutè, ne ex falsa narratione nulla gratia: sed vel filiam, vel ab ea dependentem pronunciarunt. Sed de his suo loco. Id vnum adhuc animaduertisse dignum iudico, vulgari lingua non Saltum Album, nec Saltum Alborum: sed longè alia significatione. *Sotos Aibos*, quod vix alibi valeat reperiri. Quamuis hodie frequentiùs, Serræ nomine, vulgo *de la Sierra*, quo etiam à Segobiensi Præsule Petro vocatam vidimus, sed iam ad alia, quæ instant, transeamus.

---

1. *Chronologia surgentium Cœnobiorum*, 2. *& translatio Sanctæ Agathæ.* 3. *Confirmata instrumento Beati Engelberti.* 4. *Dictum de Fontinella Sanctimonialium*, 5. *& de loco spinoso*, 6. *Essenóque cœnobio.* 7. *Demum de claro fonte Luxembergensi*, 8. *& quæ in ipso cœnobio memoria digna.* 9. *Successio Magistrorum Calatrauensium.*

CAPVT DECIMVM.

1. IN Capitulo nihil magnum actum video: & forte, quæ imminebant innouanda, ab Honorio præuenta, litteris eius immutata perseuerarunt. In Chronologia notantur tres Ecclesiæ, quæ hoc nostris anno accreuisse commemorantur, Sancti Seruatij, de schola Dei, & de Sagada. Priorem illam ad quintum Kalendas Martij; posteriores incerto mense, & die, designauit collector; omnes pene ignotas ex historiis, nisi quod tamen primam, vltimámque, ad lineam pertinere Claræ-Vallis tabulæ produnt. Quin & apud Henriquez in fasciculo Sanctus Seruatius filia Kambos dicitur in Hybernia, & Kambos inter filias Meitrosiæ ponitur. Puto tamen per errorem irrepsisse, & Kambos pro Kinlos positum esse, Diœcesis Morauiensis, cuius superiùs fecimus mentionem. Verum est inter filias Kinlos in aliis tabulis præteriri Sanctum Seruatium: adeo multa obteguntur terra caligine. Prodiit post hæc scripta Longelinus, qui Scholæ Dei notitiam hanc breuem donat [a]. *Schola Dei cœnobium Diœcesis olim Vltraiectinæ, vt reliqua Frisiæ, nunc vero Græningensis ab anno M. D. L. IX. quo Noui Episcopatus in Belgio instituti fuere. Fundatur anno M. CC. X. VII. assumptis primis cum Abbate Monachis ex Monasterio Floriai-Campi sub Clara-Valle.*

a *lib. 9.*

2. Hoc item anno Abbatia de Sancta Agatha sub Widone Abbate in locum iuxta Sartum Sancti Ioannis à Limburgo lapide translata est, fundum donante Lothario Comite Hostadiensi, & Engelberto Colonienſi Archiepiscopo, Cistercienſis familiæ mirè addicto, eandem approbante donationem. Tradit Aubertus Miræus Bruxellensis in suis illis Ecclesiarum Belgij notitiis, quas aliis gentibus, non sine insigni fructu communicauit [b]. *Vallis Dei Abbatiæ Monachorum Ordinis Cistercienſis tertio lapide à Limburgo fundatur anno M. CC. XVI. à Lothario Comite Hostadiensi, fauente Sancto Engelberto Archiepiscopo Colonienſi.* Hactenus ille. Verum non primam domus fundationem, sed translationem fuisse Sanctæ Agathæ, quod paulò infra transcribit priuilegium Engelberti Archiepiscopi satis clarè conuincit, quod ita habet [c].

b *cap. 192.*

c *Apud eundem.*

3. *Engelbertus, Diuina fauente clementia, Sanctæ Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopus, vniuersis Christi fidelibus in perpetuum.*

Nouerit tam præsens ætas, quam successura posteritas, quod Lotharius Comes de Hostadem, de consilio Ministerialium suorum, mansum terræ duodecim bonaria continentem, iuxta Sartum Sancti Ioannis, ab hæredibus comparatum, Abbati VVidoni, & confratribus suis de Sancta Agatha, Cistercienſis Ordinis, per manus nostras liberum ab omni censu contradidit, vt fratres iam dicti Monasterium suum in locum transferrent eundem, tanquam ipsis commodiorem. Huius rei testes sunt Conradus maior, Decanus, & Archidiaconus Colonienſis. Godofridus Capellanus, Peregrinus, notarius, & alij quamplures. Acta sunt hæc anno M. CC. XVI. Pontificatus nostri anno primo. Hactenus de virorum fundationibus.

4. Sanctimonialium tria alia cœnobia video hoc anno nostris accreuisse. Fontinellam locum Spinosum, & Essenum. Eorum omnium notitiam haud contemnendam, eidem auctori debitam, ex Cistercienſi Chronico, hic subiungam [d]. *Fontinella*, inquit, *insignis Virginum est Abbatia, apud Valencenas Hannoniæ vrbem. Cuius primæ fundatrices fuere Ioanna, & Agnes, Sorores germanæ, filiæ nobilissimi Equitis Hellini Alnetij, quæ cum essent Reginæ, suis sumptibus anno circiter millesimo, ducentesimo duodecimo oratorium fundarunt in honorem Beatæ Virginis, iuxta fontem nostræ Dominæ, haud longè à Scaldi fluuio. Cumque multæ Virgines eo confluerent, anno millesimo, ducentesimo decimosexto ad locum commodiorem, quem*

hodiéque

hodiéque incolunt seſe transtulerunt; eodémque anno ipso Ciſtercienſe inſtitutum amplexæ ſunt, cum nulli certè antea Regulæ Monaſticæ nomen dediſſent. Sic Iacobus Guiſius in manuſcriptis Hannoniæ Chronicis. Ita Miræus. Similia habet Chriſtianus Maſſeus in ſuo Chronico [d], addens hoc anno impetraſſe prædictas Virgines, *A Domino Ciſtercienſi, Regulam Ordinis, ſub Domino Claræ-Vallenſi.*

d ad hunc item ann.

5. Locum ſpinoſum item illuſtrat in Ciſtercienſi Chronico, [e] verbis à nobis fideliter reddendis. *Apud montes Hannoniæ viſitur locus ſpinoſus B. Mariæ, quod,* Spinlieu *vulgo nuncupatur. Fuit locus ſpinis, ac ſentinis olim plenus, & primum ab Eremita quodam inhabitatus. Quo in loco poſtea nobiliſſima Virgo Beatrix Lenſienſis, caſtitatis ſeruandæ ergo, dotem ſuam matrimonialem, ſeſéque Chriſto offerens, anno circiter milleſimo, ducenteſimo ſexto, cœnobium inchoauit, & Ordinis Ciſtercienſis habitum induit. Ioanna porro Conſtantinopolitana Flandriæ, & Hannoniæ Comitiſſa, prædiis, & prouentibus cœnobium iſtud liberaliter auxit; vt conſtat ex diplomatibus aliquot, anno milleſimo ducenteſimo, decimo ſeptimo datis. Ita Iacobus Guiſianus in manuſcriptis Hannoniæ Chronicis.* Huius venerabilis Virginis Beatricis meminit Menologium, ad decimam nonam diem menſis Ianuarij. Eſt autem alia à magna illa Beatrice Nazarethenſi, de qua multus nobis ſermo in ſubſequentibus.

e ubi ſupra.

6. De Eſſeno cœnobio hæc immediatè ſubdit. *Eſſenum cœnobium Virginum, apud Friſios, vulgo* Eſſen *non procul Groninga, eo in agro, qui Præfectura ſuburbana continetur, ad annum Chriſti milleſimum, ducenteſimum decimumſextum, inſtitutum fuit, auctore Theoderico quodam Sacerdote Groningano: quod ex nomine loci, in quo conditum eſt Eſſenum primo, deinde Ieſſæum nuncupatum, nunc prius nomen retinet. Inſtitutum hoc ab Othone Epiſcopo Vltraiectino (è Lippienſium Comitum familia, Bernardi filio) præſente, inſpectum, & confirmatum anno eodem. Sed tenuis in initio res, paucos ante annos plurimum incrementi cepit. Familia Virginum Ciſtercienſium illic collata, Præſéſque collegio data Abbatiſſa titulo. Ita ferè Vbbo Emmius in Friſiæ Chronicis.* Hactenus ex Auberto Miræo ſumpta.

7. Clarus-fons ſequitur in Ducatu Lutzemburgenſi, ad dimidium milliare propè Arlunum. Monaſterium Virginum, quod Ermeſendi (Henrici primi Lutzemburgenſis Reguli, & Agnetis, filiæ Comitis Geldriæ hæc nata erat) debet initia: nec ſine præcedenti viſione. Cum enim ad radices montis Bardembourgenſis ſpatiaretur, & ſuper fontem leniter fluentem, cui olim Bernardum bene precatum, dum Treuerim veniret, tomo ſecundo latè memorauimus, indulgeret ſopori, gregem ouium videre viſa eſt, nigro, & albo colore reſperſarum, quas pulcherrima Virgo paſcere, ducere, quin & manu fouere, complectique, & in eis delectari conſpiciebatur. Id ſomnium mox Eremitæ cuidam relatum, & ab eo reſeratum, occaſio fuit, vt Monaſterio in eo loco erecto, Virgines locarentur, habitu vario, Ciſtercienſi nimirum, quæ Marianæ cuſtodiæ commendatæ, atque ab ipſa ductæ inter eius delicias computarentur. Hæc pluribus Henriquez in ſuis liliis cum Monaſterium ipſum perluſtraſſet. Et tandem ſubdit [f]. *Ad hæc Domina Ermeſendis fidem deinceps, & reuelationi, & interpretationi adhibere haudquaquam cunctata, eodem tempore, circa annum videlicet reparatæ ſalutis, milleſimum, ducenteſimum, decimum ſextum, noui Monaſterij ædificium inchoari præcepit idque conſecrari ad gloriam Dei, honorémque Virginis Mariæ, & Beati Patris noſtri Bernardi, quod quidem Gallicè,* Beau-lieu, *Latinè* pulchrum locum *nominauit; eo quidem intellectu, quod ibidem animas ſæculo exutas, mira ſanctitatis pulchritudine decorari debere cogitaret. Germani nihilominus nomen priſtinum de Bardembourg, & loco, & Monaſterio reliquerunt. Sed multo melius Latini cum Gallicis Monaſterium de Claro-Fonte vocauere.* Haud dubiè ob fontem in loco ſcaturientem, qui olim à Bernardo benedictus, & Ermeſendi cœleſtem illum ſomnum, & his, qui ex eo bibunt, infirmantibus, ſanitatem infudit vſque hanc diem.

f part. 2. diſt. 9.

8. Prima Abbatiſſa loci Hauuidis fuit, ſoror Theobaldi Comitis, cui ſupra dicta Ermeſendis nupta dicitur. Secunda Ioanna eiuſdem ex fratre neptis, quæ multa dicitur floruiſſe Sanctitate. Cernitur hodiéque in porticu Eccleſiæ lapidea imago Virginis, quæ ſalutantem Ioannam Abbatiſſam, reſalutaſſe fertur, atque oranti annuiſſe demiſſo capite. Cernitur & ſepulchrum eiuſdem fœminæ in choro Monialium, cum duabus ſororibus, Catharina nimirum, & Margarita, quæ ſorori adhærentes dum aduiuerent, neque in morte potuerunt ſeparari. Cæterum præter fontem ſalutiferum, & ſepulchrum Ioannæ memoratum, illuſtratur Fons-clarus exuuiis ſacris, inſignibus, ſi veris, capillis Virginis, atque ſanguine Chriſti miraculoſo. Habet & lapidem Sancti Stephani, vt ferunt, ſanguine rubrum, & cingulum B. Margaritæ Virginis, & Martyris, qui multis dicitur ægris, ſed in partu præcipuè labotantibus, deſideratam conferre ſanitatem. Ita Henriquez loco præallegato.

9. Quod ad ſacras militias attinet, hoc ipſo anno Rodericus Garſeſius, Garſiaſve, Calatrauæ Magiſter, cum ſacram iam militiam reſtituiſſet antiquis ſedibus, in quibus Reges Caſtellæ, & Aragoniæ, Nauarræque, in quibus Ducem Auſtriæ, atque alios Principes tum Hiſpanos, tum exteros grato, & beneuolo hoſpitio ſuſcepiſſet, poſt res belli, & pacis adminiſtratas, non ſine laude: in Aragonia, quo pacandis quibuſdam motibus inter milites ſuos emergentibus, paucos ante menſes properauerat, hoc anno morbo extinctus, atque apud Alcanizium ſepultus eſt, cum ordinem fœlicius, quam diuturnius (quippe tres tantum annos) gubernaſſet. Succeſſit illi Martinus Ferdinandus dictus pe Quintana ab oppido natali propè Burgos, nec ipſe vltra triennium præfuturus. Celebris tamen tranſlatione ſacri Conuentus ex veteri ad recentem Calatrauam: atque Militiæ Sanct-Iulianeæ Alcantara donatæ, adoptionis, quæ nos etiam in tempore dicemus.

ANNVS CHRISTI M. CC. XVII. ANNVS CISTERCII C. XX.

1. Gerardus Archiepiscopus Bituricensis Romam adit, 2. post multas Innocentio oblatas preces ad Canonizationem Sancti Guillelmi. 3. Remissoriales ab Honorio litteras impetrat. 4. Relata omnia: 5. & inquisitione tam miraculorum, quam meritorum, 6. Altisiodorensi Episcopo, & duobus Abbatibus commissa. Ingens vtrorumque Seges inuenta. 8. Canonizatio breui subsequuta, 9. quamuis in anno non nihil dubij subsit. 10. Sanctus acclamatus patronus Bituricensium, & festum eius per Ecclesias varias diffusum.

CAPVT PRIMVM.

1. SEQVENTEM annum ab anno reparato, millesimum, ducentesimum decimumseptimum, ab initio Cistercij centesimum vigesimum, inde auspicabimur, vnde auspicatus Honorius Pontifex, id est à Beato Guillelmo Bituricensi, quem ante octo annos vita functum, hoc censuit adscribendum Sanctorum numero. Acceperat contra Albigenses Crucem, quam ipse non potuisset morte præuentus, successor eius nomine Gerardus, & Comiti Monfortio suppetias tulerat, quod Petrus Vallsarnienſis memoriæ prodit [a]. *Interea*, inquit, *Simon Comes Montisfortis castra, quæ apostatauerant, ipso anno fortiter oppugnabat; venerant autem in eius auxilium Gerardus Archiepiscopus Bituricensis, & Robertus Episcopus, Viri potentes, qui, anno præcedenti, Crucem assumpserant contra turbatores pacis, & fidei subuersores, & venerunt cum eis milites, & seruientes quamplures.* Sic Vallsarnienſis, quæ eadem repetit Chronologia Bituricensium Archiepiscoporum, & statim pergit sequentia superaddere [b]. *Vnde reuersus Archiepiscopus* (scilicet Gerardus) *videns multa miracula fieri in sepulchro Guillelmi sui prædecessoris, Romam petit, acturus apud Summum Pontificem, vt idem Guillelmus in numerum Sanctorum referretur.* Hactenus ibi.

a *cap. 33.*

b *Apud Icănem Chenu de Episcop. Gall.*

2. Eandem petitionem ab ipso pluries, atque vniuerso Capitulo Bituricensi, præsentatam per nuncios Innocentio, idem Honorius prodit, vt iam videbimus. Sed Innocentium similium cunctatorem, siue quod tempore reuelari omnia putaret, quæ properata fallerent; siue vt faciendis conciliaret pretium ab ipsa mora, consulto distulisse, atque interim exemptum rebus humanis, successori exaudiendam reuocasse. Ergo Honorius Archiepiscopi instantia, aliorúmque, tum magnitudine, & frequentia miraculorum, sed multo magis Diuino impulsu motus, maturandum putauit, verum præmissa priùs inquisitione, quam tam de meritis, virtutibúsque Sancti, dum adhuc viueret, quam de mortui miraculis faciendam Antisiodorensi tunc Episcopo (vt coniector) Henrico, & duobus Abbatibus Cistercij de Bonoradio nimirum, & Callozejo (adeo eis deferebat opinio omnium, vt tuto vel in causa propria iudices essent) committendum putauit, litteris ad eos datis in hunc tenorem [c].

c *Ex Regesto epistola Honor. lib. 1.*

3. *Antisiodorensi Episcopo, & de Bonoradio, & de Calozejo Ordinis Cistercienſis Abbatibus, Antisiodorensis, & Bituricensis Diœcesium.*

Venerabilis Frater noster Archiepiscopus, & dilecti filij, Capitulum Bituricense, firmiter existimantes, piæ recordationis Guillelmum prædecessorem ipsius Archiepiscopi, cui Sanctitatis, vt asseritur, testimonium perhibent miracula post eius de hoc mundo transitum, subsequuta, Sanctorum adscribi debere Catalogo Veneratorum; & attendentes, quod iuxta Diuinum præceptum, iudicium difficile, & ambiguum, ad locum, quem elegit Dominus referri debeat; & ab his, qui eidem præsident, requiri iudicij veritatem; ac tenentes pro certo, quod Dominus Apostolicam Sedem elegit, & ipsam omnium Ecclesiarum caput constituerit, & Magistram per nuncios suos, ad eandem pluries accesserunt, fœlicis recordationis Innocentio Papæ prædecessori nostro supplicantes instanter, vt ipsum consecret Sanctorum Catalogo adscribendum, ne tanta lucerna sub modio remaneret abscondita; sed illuminaret potiùs eos, qui sunt in domo super candelabrum constituti.

4. *Ipse vero prædecessor noster sollicitè cogitans, quod huiusmodi iudicium Diuinum sit, potiusquam humanum, eséque difficilè mortalem hominem iudicare de illis, qui veste mortalitatis exuti, cum Christo creduntur viuere, ac regnare, petitionem ipsorum protinus non admisit, sed ad tempus censuit expectandum, vt interim magis, ac miraculis Sanctitatis eius claresceret, & ipse sic securius procedere posset ad tam arduum iudicium proferendum.*

5. *Cum igitur ex parte ipsorum insistentium, quod Dominus postmodum illum plurimis decorauit miraculis, & adhuc per ea Sanctitas ipsius eluceſceret, idipsum nunc à nobis fuerit postulatum; nos attendente, quod licet ad hoc, vt aliquis fidelis Sanctus sit apud Deum, meritum sufficiat vitæ solum: ad hoc tamen, vt Sanctus apud homines habeatur, necessaria sint miracula, cum eodem de vtroque duximus inquirendum, eo quod alterum non sufficit sine altero, (videlicet) vitæ meritum, si miracula non fuerint subsequuta, neque miracula, si ea vitæ meritum non præcesſit, cum multi dicturi sunt in die illa: Domine, Domine; nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiicimus? & virtutes fecimus in nomine tuo multas? Quibus, quia non noui vos, discedite à me operarij iniquitatis. Dominus prout ipse testificatur in Euangelio, respondebit. Vnde oportet, quod approbentur à miraculis opera, & operibus miracula fulciantur,*

6. *Quocirca discretioni vestræ de qua plenam fiduciam obtinemus per Apostolica scripta mandamus, quatenus de prædicti Viri præclari vita, & conuersatione ac meritis à Viris honestis, ac fide dignis, qui de prædictis habent notitiam, necnon & miraculis, quæ post eius obitum subsequuta dicuntur, ac circunstantiis vniuersis pertinentibus ad vtrumque, inquiratis*

inquiratis diligentissimè veritatem, & quæ inueneritis fideliter redigentes in scriptis, ea sub vestris sigillis, ad nostram præsentiam transmittatis, vt per vestram relationem instructi in negotio ipso, Ductore Domino, procedamus, provt ille, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, nos ad sui nominis honorem & gloriam inspirauerit. Datis Laterani XVI. Kalendas Fearuarij, Pontificatus nostri anno primo. Ita Honorius ad Episcopum, & Abbates.

7. Pontificis mandatum illorum obedientia sequuta est. Pergunt, inquirunt, scribunt, comprobántque id, quod nos supra ex actis Sancti retulimus. *Videre cœcos, claudos ingredi, hydropicos curari, surdos audire, loqui mutos, Dæmoniacos liberari, aperiri carceres, vincula solui, sanari lethaliter saucios, mortuos ad vitam reuocari, atque adeo etiam bruta animantia, non vno morbo liberari: multos iam pene desperatione obrutos ad Sancti Patris recordationem mirificè releuari: denique quacunque, vel ægritudine correptos, vel periculo expositos, à malis omnibus eius intercessionibus ereptos, sentire præsentem virtutem Domini nostri Iesu Christi.* Hæc de miraculis: de virtutibus plura, recenti adhuc memoria singularum actionum, euentuumve, ex quibus illæ pro humanæ mentis captu cómprobantur. Ergo copiosam meritorum, miraculorúmque inuentam segetem remiserunt Honorio, in horrea Ecclesiæ ab ipso referendam. Porrò ille, vtrisque altius perpensis communicato consilio cum Cardinalibus, & sancti Spiritus gratia, quam sibi in hoc sciebat non defuturam, inuocata deuotè, Sanctum Guillelmum solemniter adscripsit Sanctorum numero, litteris datis, quæ tamen, aut non extant in regestis, aut mihi saltem cum aliis non transmissæ. Segregatas à cæteris epistolis, & processui subiunctas, quem Episcopus, Abbatésque formarunt, facilè fuit omitti à transcriptoribus.

8. Illud mirabile (si tamen ita euenisse credendum est) ab expeditis litteris superfacienda prædicta inquisitione ad corpus eleuatum solemni ritu, & celebratum festum Sancti Pontificis, non quatuor integros menses interceßisse; quippe illæ expeditæ mense Ianuario, eiusdem mensis die decima septima, & corpus eleuatum septima Maij (pridie ante festum Petri Tarantasiensis) eiusdem anni, quod planè tempus solis itineribus, & trans Alpinationibus, ex curia primum ad oppida Aquitaniæ, dein ex Aquitania ad eandem curiam, & tandem tertio rursus ad Aquitaniam insufficiens videtur: nedum cogendis Episcopo, & Abbatibus examinandis testibus formando processui, atque eidem tum visendo, tum præiudicando. Porrò hæc omnia infra quadrimestre concluſa, eadem, quæ supra Chronologia Bituricensium Archiepiscoporum scriptum habet. *Romam (inquit) petiit (scilicet Gerardus) acturus apud Summum Pontificem, vt Guillelmus in numero Sanctorum referretur, quod obtinuit, & Biturigas reuersus, sacratissimum Beati Guillelmi corpus è sinu terræ leuauit, nonis Maij, anni millesimi; ducentesimi decimiseptimi, & sequenti anno Gerardus nonis Iulij obiit.* Hactenus ibi. Quippe illo sæculo breuius, quam hodie, simpliciúsque, hæc canonizationum negotia peragebantur.

9. Verum est tamen in prædicta Chronologia, nec multo ante contrarium inueniri, nempe dilatos ad sequentem annum honores Guillelmo decretos, quod & Vincentius Episcopus Belluacensis, & Chronici Antisiodorensis continuator, coæuus vterque auctor, contestantur [d]. *Anno M. CC. XVIII.* (ait Vincentius) *Sanctus Guillelmus Bituricensis Archiepiscopus canonizatur, atque eius successor Gerardus moritur.* Et Antisiodorensis continuator [e]. *Eodem anno, (nempe M. CC. XVIII.) VVillelmus quondam Bituricensis Archiepiscopus, cum iam diu miraculorum gloria claruisset, à Papa Honorio Sanctorum Catalogo associatur.* Sed his auctoribus de rebus maior cura, quam de tempore fixo: & vbi differentia parua interest, alios etiam euentus retardant, aut anteponunt. Certè Chronologiæ loquenti de Guillelmo, iisdem forsan aut errandi, aut sibi contrariandi causam præbuere. Nam vbi agenti de Gerardi actibus, singuli anni distincti tradendi erant, & morti eius certus præfigitur, nempe millesimus, ducentesimus decimus octauus, cum præfuisset annos nouem, menses tres, & dies tredecim, & declaratur anno præcedenti reuersum à curia, antecessoris sui corpus, iam ab Honorio Papa Sanctis adscripti, solemni ritu à terra subleuasse.

d *lib.* 31. *cap.* 85.

e *ann.* 1218.

10. Vtcumque fuerit adscriptum Sanctorum Canoni, Bituriges in Patronum cooptarunt, & Sanctis Vrsino, primo vrbis Episcopo, Stephanóque, socium addidere. *Sanctus Vrsinus* (ait eadem Chronologia) *Sanctus Stephanus, & Sanctus Guillelmus sunt tutelares Butirigum præsides.* Hinc dies obitus feriatus Biturigibus, atque inter sacratiores totius anni agi consueuit. Celebratur & eiusdem Sancti memoria in Ecclesia Mimatensi, anniuersaria, & festiua solemnitate. In Cistercio hæc de eo sancita video anno M.CC.XVIII. in Capitulo Generali statutum est, *quod de Sancto Guillelmo fiat, sicut de Sancto Nicolao, cum duabus Missis, festum vero celebratur quarto Idus Ianuarij.* Crediderim celebratum festum antecedenti anno, eleuationis diem, ad diem obitus iussum transmutari. Rursus anno M. CC. LXI. *quod Sanctus Petrus Tarantasiensis, & Sanctus Guillelmus Bituricensis Episcopi, post Beatum Nicolaum, in letaniis nominentur.* Et anno M. CC. XCVI. *quod de Beatissimis Patribus nostris, Edmundo Cantuariensi, Petro Tarantasiensi, & Guillelmo Bituricensi, cantetur cum duabus Missis eorum historia per vniuersum ordinem.* Hactenus statuta per Capitulum. Nec mihi constat an in Pontigniaco, fonte Ioannis, Caroli locóque cœnobiis, quibus præfuit Prior, aut Abbas, Officium proprium habeat. Certè in Breuiariis, Galliæ etiam excussis, solas lectiones proprias vulgatas video.

1. *Repullulante discordia inter Abbates*, 2. *Honorius iterum, ad eos scribit*, 3. *discordiæ punctus, & concordia prius inita*, 4. *ab Innocentio dudum declarata*, 5. *inuiolabiliter iubetur obseruari.* 6. *Qui & quales quatuor illi, qui litigabant?* 7. *Dispensandi potestas illis concessa, restricta ad Capitulum.* 8. *Arnaldus cedens, & Conradus illi suffectus.* 9. *Litteræ Honorij ad Conuentum Claræ-Vallis*, 10. *atque aliæ pro ipso.* 11. *Demum Galterus ex Abbate Pontigniaci in Carnotensem Pontificem promotus.*

CAPVT SECVNDVM.

1. HOc ipso anno, nec longè ab eius initio, quippe intra mensem Martium semel orta discordia, inter primos Abbates, & Cistercienses, cum neque Cardinalis Tusculani interuentionibus, neque Innocentij legibus, neque denique Honorij Papæ monitis (& hæc omnia antecesserant) sopiri potuisset (adeo plerunque animis dominatur contentio, quos semel occupat) nouas ab eodem Honorio extorsit litteras, sed quæ nihil de nouo illis iniungerent, nihil adderent, aut demerent: sed solum controuersiæ processu repetito vltimis Innocentij mandatis, vtramque partem stare firmiter hortarentur, atque præciperent. Porrò ex his litteris, & earum tum titulo, tum serie, planum fit primum ex quatuor primis Firmitatensem abstinuisse ab hac lite, nec se cum aliis tribus copulasse, fortè, quia longè rariori prole edita, (nam Firmitas vt non omnino sterilis, at longè minus aliis fœcunda fuit) minus sibi deferendum fore putabat. Ergo ad tres alios Galterium, scilicet, Conradum, Guidonémque Pontigniaci, Claræ-Vallis, & Morimundi, simul & ad Arnaldum Cistercienſem, qui discordabant, Honorius Papa scripsit in hæc verba[a].

[a] *Ex Reg. Honor.*

Cistercienſi, Pontiniacenſi, Claræ-Vallenſi, & Morimundenſi Abbatibus.

2. *Cum nuper in Generali Concilio ad Sedem Apostolicam venientes essetis in fœlicis recordationis Innocentij Papæ, & prædecessoris nostri præsentia constituti; idem Pastorali diligentia de vestri Ordinis statu inquirens, comperit inter vos quandam dissensionis materiam pullulare, quam curauit tanto studiosius resecare, quanto amplius timeri poterat, ne creſceret in totius Ordinis irreparabile detrimentum. Nam tu fili Cisterciensis Abbas in ordinatione, ac institutione Abbatum quatuor Monasteriorum, videlicet, de Firmitate, Pontigniaco, Clara-Valle, & Morimundo, sicut in ordinatione, ac destitutione aliorum Monasteriorum, filiorum tui Monasterij, procedere intendebas. Vos autem tres è contrario dicebatis, quod ad ordinationem, & destitutionem cuiuslibet Abbatis prædictorum Monasteriorum, tres essetis reliqui aduocandi, antiquam super hoc consuetudinem allegantes.*

3. *Superque compositionem quandam mediante Venerabili Fratre nostro Nicolao Tusculanensi Episcopo, tunc Apostolicæ Sedis Legato, initam ostendistis, quæ talis fuit. Quando aliqua de quatuor primis Abbatiis vacauerit, Abbas Cisterciensis ad electionem celebrandam aduenial, ibidémque secundum chartam charitatis electio celebretur. Si Abbas autem Cisterciensis, aliquem de quatuor primis deponere, exigentibus culpis, intenderit, ad domum illius ducet secum, quos volet Abbates, & domus illa ab eodem Cisterciensi Abbate, quatuordecim diebus ante præmonita, vocabit de filiis suis, quos ei placuerit, & tunc Cisterciensis cum consiliis hinc, inde congregatorum, causam tractabit, & deinde faciet, quod fuerit faciendum.*

4. *Dicitur autem prædecessor noster compositionem huiusmodi, sic duxisse, vobis consentientibus, declarandam, scilicet, vt tu Cisterciensis Abbas, causas prædictas cum Abbatibus congregatis hinc inde tractabis, & cum eorum omnium, vel sanioris partis ipsorum consilio facies, quod fuerit faciendum; quæ tamen pars sit senior? Tu decernes. Etsi, (quod absit) minus sanæ partis consilio vsus processeris, referatur ad Capitulum Generale, & à diffinitoribus Capituli, provt dignum fuerit, corrigatur.*

5. *Volentes igitur ad exemplar eiusdem prædecessoris nostri, prædictam declarationem firmitatem debitam obtinere, vniuersitatem vestram monemus, & hortamur attentius per Apostolica vobis scripta firmiter præcipientes, quatenus eam simpliciter, & humiliter obseruetis: studentes in vinculo pacis seruare spiritus vnitatem. Quod tunc perfectius facietis, si terminis, quos posuerunt Patres Ordinis vestri contenti, à nouis superstitionis adinuentionibus desistatis, quæ in turbationem simplicitatis, & pacis pullullant, & succrescunt. Datis Laterani. Secundo Idus Martij, Pontificatus nostri anno primo.* Ita Honorius ad Abbates illos quatuor, quod vix dum coronatus suggessisset, denuo inculcat, & suadet, vt persuadeat.

6. Cæterum mihi altius contemplanti, qui, & quales quatuor illi Abbates fuerunt, qui tandiu litigarint, nempe non solum Sede, locóque, sed pietate, & doctrina ex primis, & firmioribus columnis totius Ordinis, quippe Arnaldum Cistercienſis Eccleſia inter Beatos illos Præſules memorat, sub quibus se gloriatur floruisse per longum tempus; Galterium cunctis dotibus ornatum Carnotensis ad infulas assumpsit hoc ipso anno: Conradus superiores dignitates, etsi ipse consensisset, Summus Pontificatus præstolabantur; neque his tribus inferior Guido erat, quo Eccleſia, quo Cistercium, in tot, ac tantis negotiis vti assueuissent. Cum, inquam, viros hos altè contemplor, eosdémque litigantes inter se video, non satis scio, carpam, an commendem illorum spiritum. Certè nullus deponi verebatur, nullus sibi timebat ab Arnaldo, quem amicum amabant, quem Patrem, atque Sanctum reuerebantur, sed neque ipse ea, de qua litigabat, prærogatiua

rogatiua sperabat potiri, nedum non imminebat eius occasio ; & nihilominus pro suis quisque Ecclesiis, ferè vsque ad pertinaciam constantes pugnant, neutri sibi, vtrique successoribus ; haud aliter manerent sedium iura, atque in ipsis respublica, quæ nisi ad instar corporis humani, virtutem attractricem seruat, in membris singulis minitatur interitum, & dum fortiora cuncta sibi arrogant, debiliora deficiunt, sine quibus nec ipsa stare possunt.

6. Offensum nihilominus Honorium ex eorum tenaci contentione indicare videtur Priuilegium eisdem ante concessum, reuocatum hoc anno, atque potestas, quæ priùs singulis inerat, ad Generale Capitulum restricta, nisi fortè ad eorumdem instantiam id factum fuit, nam & ipsum admittunt verba Pontificis, certè quod antea cum irregularibus quatuor primi Abbates dispensabant, retractauit Honorius, & soli Capitulo Generali commissum voluit, litteris de hoc datis ad Capitulum ipsum, quarum hic tenor [b].

[b] *vbi suprà.*

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Abbatibus in Generali Capitulo Cistercienſi constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

7. *Volentes religioni vestræ, quantum cum Deo possumus Apostolici fauoris gratiam exhibere, quatuor primis Ordinis vestri Abbatibus, dispensandi cum irregularibus vestri Ordinis, potestatem meminimus concessisse ; quia vero magis expedire proponitur, vt potestas huiusmodi vestro Generali Capitulo conferatur : nos concessionem super hoc factam præfatis Abbatibus reuocantes, dispensandi cum irregularibus Ordinis vestri, prout secundum Deum, & Ecclesiasticam honestatem videritis expedire, vobis duntaxat in ipso Generali Capitulo congregatis, auctoritate præsentium, liberam concedimus facultatem, nisi forsan aliqui ex tali causa irregularitatis vitium incurrissent, quod eorum dispensatio merito esset Sedi Apostolicæ reseruanda. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani Idus Nouembris Pontificatus nostri anno secundo.*

8. Hanc ipsam contentionem fortè fastidiens, & multo senio fractus Arnaldus Pater, ablegata Cistercij cura, priuatam vitam agere, & mortem cum silentio præstolari semel deliberans, quominus quod conceperat, imploret, nullis precibus potuit dissuaderi, in Chronico metrico Abbatum Cistercienſium, de anno nihil. Sola abdicatio Præfecturæ commemoratur. En eius Distichon.

Arnaldus cunctis ignem gestabat amoris
Hoc onus ex humeris senibus reiecit in annis

Cæterum incidisse in hunc annum successor eius probat, id est Conradus, ex Clara-Valle assumptus, cum nondum ibi triennium compleuisset. *Vndecimus*, (ait Chronicum Abbatum Claræ-Vallenſium) *huius Monasterij Abbas fuit Conradus, qui fuerat Abbas de Villario. Abbatizauit hic annis duobus cum dimidio, postea Abbas Cistercienſis effectus est.* Ergo qui ex Villario in Claram-Vallem anno M. CC. XIV. assumptus fuerat, hoc nempe Christi M. CC. XVII. ex Clara-Valle in Cistercium promotus est, nec in ea Sede diutius permansurus, quique ad maiora & altiora destinatus, per hæc domestica celeriùs properabat. In inuentario reliquarum Claræ-Vallis, inter alia, quæ per multa haud dubiè continet, scriptum reperio. *Vas in quo continetur caput Sancti Barnabæ Apostoli, quod caput attulit Nonnus Artaudus Cellerarius Claræ-Vallis, de vltra marinis partibus, & sumptum fuit de thesauro Constantinopolitano. Hoc vas factum est tempore Domini Conradi, & Domini Guillermi Abbatum Claræ-Vallis, ex triginta marchis argenti, & vna, & dimidia auri, in eodem autem vase continetur de ligno Domini, & aliæ centum, & septem reliquiæ.* Ergo vt Arnaldum Conradus in Cistercio, sic Conradum excepit Guillermus in Clara-Valle. *Qui*, (inquit Chronicon Abbatum Claræ-Vallenſium) *fuerat Abbas de Monasteriis in Aragona.* Fallitur Robertus Claudius in sua Gallia, qui hunc Guillermum ex Cistercio promotum prodit.

Passa legitur in bonis temporalibus Claræ-Vallenſis domus sub Guidone, Conradi antecessore, aliqualem iacturam, tum quod pascua cœnobij aliis seruirent : tum quod Episcopi in eius debitores remissius agerent, nec eos compellerent ad debita soluenda. Vtrique malo, cum non posset, duplici obtenta ab Honorio priuilegio obuiauit Conradus : vtroque hoc anno, atque vtroque priusquam ad Cistercij sedem promoueretur : pro primo impetrauit tale rescriptum [c]. *Auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne in locis illis, in quibus ius pascendi estis, vel fueritis legitimè assequuti vllus ius pascendi de cætero emere, vel quomodolibet acquirere, siue vsurpare præsumat. Datum Laterani decimo tertio Kalendas Februarij, Pontificatus nostri anno primo.* At pro secundo, quod difficilius erat, has ad tres Galliæ præcipuos Archiepiscopos, & eorum suffraganeos ab eodem Honorio suscepit litteras ipsius, & Conuentus querelam continentes [d].

9. [c] *vbi supra.*

[d] *ibidem.*

10. *Rhemenſi, Senonenſi, Lugdunenſi Archiepiscopis, & eorum suffraganeis, & Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, per eorundem Prouinciam constitutis.*

Cum à Religiosorum virorum pressuris, & molestiis, illi, quorum sunt pedes veloces ad malum, seueritate debeant Ecclesiastica cohiberi, & inferiorum culpæ merito ad Prælatos desides referantur, quia facientis culpam habet, qui potens corrigere negligit emendare. Miramur, sicut possumus de ratione mirari, quod sicut dilectis filiis Abbate, & Conuentu Clareuallenſi, Cistercienſis Ordinis significantibus, accepimus Parrochianos vestros, de quibus apud nos querelam deponunt, non compellitis ad iustitiam exhibendam. Si vero aliquos interdum excommunicationi, vel interdicto supponitis, sententiam vestram, eisdem, remittitis, inconsultis, satisfactione congrua prætermissa. Quia igitur sustinere

nolumus incorrectum, quod in vestrum, & subditorum vestrorum periculum attentatur, vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus, cum à iam dictis Abbate, & Conuentu de Parrochianis vestris querelam acceperitis, eos ad exhibendam iustitiam, omni gratia, & timore postposito, contradictione, quoque, & appellatione remota, Ecclesiastica districtione cogatis, attentiùs prouisuri; ne sententia, quam tuleritis, eisdem ignorantibus, absque satisfactione congrua relaxetis: scientes à vobis damna ipsorum districtiùs requirenda, si præceptum nostrum neglexeritis, quod non credimus, adimplere. Datis Laterani XV. Kalendas Martij, Pontificatus nostri anno primo. Ostendunt litteræ quanti Honorius faceret, & Abbatem, & domum, in quarum gratiam Principibus Ecclesiæ adeo seuere scriberet, & nisi corrigant etiam minaretur.

Hoc item anno Galterus Abbas Pontigniaci ad Carnotensem Ecclesiam promotus est, sexagesimusoctauus Episcopus futurus illius Sedis. De eo in Catalogo Episcoporum Carnotensium. 68. *(Episcopus Carnotensis) Galterus Abbas Pontigniaci, electus anno M. CC. XVII. Sedit annis* 16. Ita apud Democharem, ex quo VVionius, Ioannes Chenu, & alij desumpserunt. Verum est tamen Guillelmum de Mangia promotionem Galteri ad annum distulisse, neque hoc, sed sequenti assumptum commemorare. Quocumque fuerit, ex quatuor collitigantibus tres infra annum sedes mutauere: vt planum fiat, quod supra dicebamus, non sibi litigare, sed successoribus; imo Conradum, vt monstrauit euentus, contra seipsum. Galterum Pontigniaci excepisse dicitur Petrus, de quo, si quid Annalibus dignum inuenerimus, suis, & loco & tempore dicemus. 11.

---

1. *Prosperato in cunctis Simone Comite,* 2. *Tolosa rebellat.* 3. *Raymundum suum quondam Comitem suscipit.* 4. *Quid de Rogerio Fuxensis Comitis filio?* 5. *Guido, & Simon Monfortius Frater accurrunt:* 6. *Sed repulsi ab hostibus, Fulco, & Iacobus prædicatum iterum missi.* 7. *Monfortius Comes periculo exemptus.* 8. *A Tolosanis in legatum etiam sæuitum.* 9. *Crux contra Saracenos prædicata,* 10 *& variæ eius inter prædicandum apparitiones.* 11. *Prædicante Bernardo Heisterbacensi Dæmonis fraudes detectæ, & impeditæ.* 12. *Demum ipse præuentus ab ipso sæculo.*

CAPVT TERTIVM.

1. QVOD ad res Albigensium attinet, Christiano bis annus orbi infaustus fuit rebellante Tolosa, cuius heu! obsidioni Monfortij Comitis caput, occulto Dei iudicio debitum erat, vrbem alias propensam ad defectionem, atque auersantem fidem, multa sibi indicta anno præterito, propensiorem effecit, nec pecuniis exhauriri passa est, quæ Religionem, quæ Dominium temporale, quæ proprios muros, quæ cætera euerti toleraret. Et florebant hoc tempore res fidei sub signo Crucis multis à Comite Monfortio victoriis partis, quas Bertrandus Cardinalis Legatus (post Honorij electionem Petro Beneuentano substituitur) & milites à Philippo Rege missi, per sex menses conducti cumulabant, potuissent tunc reliquiæ hæreticorum (nam ferè iam reliquiæ solæ supererant) extirpari radicitus, si non completa merita Simonis, laborésque, & malitia Raymundi Tolosani nondum completa, illa celeriùs præmium hæc maius adhuc supplicium (quantum coniici datur) postulauissent. Verum hæc singula dicenda singulis annis, atque omnia intra paucos. Nunc Raymundi aduentum ad Tolosam, atque vrbis rebellionem aperiamus ex Petro Vallsarmiensi, pro more plura, quæ ipse omiserit, ex aliis suppleturi.

2. *Dum igitur* (ait) [a] *Dominus Iesus negotium suum, ita miraculosè in partibus illis promoueret, antiquus hostis videns impediri voluit, quod doluit promoueri; eisdem siquidem diebus, ciues Tolosani, imò dicamus melius Tolosani, instinctu Diabolico agitati, apostatantes à Deo, & ab Ecclesia, & recedentes à Comite Montisfortis, receperunt in ciuitatem suam Raymundum, quondam Comitem, & Dominum suum, qui meritis exigentibus exheredatus fuerat auctoritate Summi Pontificis, imo Generalis Concilij Lateranensis secundo.* Hæc Vallsarniensis. Guillelmus de Podio Laurentij distinctiùs eadem: dum vnde venerit Raymundus Comes, qua occasione, cum quibus, & qua parte vrbem ingressus sit, quia & dissidium inter ipsum, & suos ortum memoriæ prodit [b]. *Igitur* (ait) *anno Domini M. CC. XVII. cum Comes Simon guerram longè gereret, cum Ademario de Pictauia, vltra Rhodanum obseruata temporis opportunitate Comes Tolosæ cum Conuenarum, & Palleariorum, Comitibus, & militibus non multis, transit Pyreneos, & intrauit Tolosam mense Septembris, non ponte, sed vado, quod quibusdam placuit, quibusdam displicuit, vnde quidam cum Gallicis in Castrum Narbonense se traxerunt, quidam se in domum Episcopi, & in claustro Sancti Stephani, & Monasterio Sancti Saturnini pariter receperunt, quos Comes minis, atque blanditiis post dies aliquot ad se reuocauit.* Ita Guillelmus, qui dum ait transiisse Pyreneos Comitem Raymundum ex Hispania, vbi sese receperat, aduenisse non tam innuit, quam tradit, & asseuerat.

a cap. 84.

b cap. 30.

3. Porro, quod ait, quos milites adduxit, quandiu ab eo desciuerunt, in Castrum Narbonense, & in domum Episcopi, in claustrum etiam Protomartyris Stephani, hoc est totius vrbis templi maximi, & Monasterium Sancti Saturnini, se recepisse; argumento est hæc loca adhuc in ipsa rebellione pro Catholicis stetisse contra hæreticos. Sanè de Narbonensi Castro totius vrbis longè munitissimo compertum est, quippe in quo Monfortia Comitissa, sororésque, & filij earum, ac nurus inhabitabant. Nam de his Vallsarniensis ita prosequitur [c]. *Nobilis autem Comitissa vxor Comitis Montisfortis, & vxores Guidonis fratris sui, & Almarici, & Guidonis filiorum, & multi filij, & filiæ, tam Comitis, quam fratris sui, erant in munitione Tolosæ quæ dicitur*

c vbi supra.

Castrum

Castrum Narbonense. Hæc de illo Castro. De aliis locis non licet dubitare, quippe & in illa vrbe reliquit Deus septẽ millia virorum (clerum totum adhærentẽ vestigiis sui Episcopi) qui non flexerunt genua ante Baal. Sed & Hæreticos ab eis infestandis, vt non religio terror compescebat.

4. Rogerium Bernardi filium Fuxensis Comitis, de quo multa superius ciuitatem ingressum cum Raymundo, atque eius institisse munitioni, idem, supra Petrus testificatur. *Statim, ait dictus Raymundus, & Rogerius Bernardi, filius Comitis Fuxi, & quidam alij, qui cum eo venerant, ciuesque Tolosæ, cœperunt die, noctéque munire Tolosam multis repagulis, & fossatis.* Mirum perfidiæ ipsius argumentum, siue clauium contemptus, quod æque malum. Certè sub finem anni præcedentis ab Honorio admissum ad pœnitentiam, & bonis, atque Castro Fuxensi restitui iussum, interuentu Prioris fontis frigidi, & Episcopi quondam Anglonensis (forsan illius, cuius visitationem Lucæ Sabucinensi commissam diximus) litteræ ipsius Honorij testificantur, quas anno præcedenti prætermissas, in hunc locum consulto reseruaui; sic autem habent. [d]

d *ex Regest. Vatic. epist. Honorij.*

Abbati Sancti Tiberij.

Noueritt tua deuotio, quod nos damus venerabili Fratri nostro, quondam Anglonensi Episcopo, & dilecto filio Priori fontis frigidi Narbonensis Diœcesis in mandatis, vt nobili viro Comite Fuxensi, Rogerio Bernardi filio, & Rogerio de Comenga nepote ipsius, recipiant sufficientem iuratoriam cautionem, & fidei iussoriam, quod negotium pacis, & fidei non perturbent, imò pacis formam obseruent, in illis partibus institutam; recipientes etiam super hoc litteras patentes eorum, in quibus contineatur expressè quod si contra facerent, supra dictum Castrum incidet in Ecclesiæ Romanæ Communissum, & tibi, qui dictum Castrum hactenus custodisti, decem millia solidorum Malgurienssium, pro expensarum parte, quas in custodia ipsius Castri fecisse dignoscerisper solui faciant a Comite sæpe dicto. Quo circa dilectioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, cum fuerint supradicta completa, tu Castrum Fuxi eidem Comiti restituere non postponas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum VI. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo. Ita Honorius, vt palam fiet, Rogerium, qui paulo post, dicitur in Ecclesiam surrexisse, tanta gratia aut abusum, aut non vsum: vel iterum periurum, iterum perfidum, vel semper contemnentem Petri claues, desperata salute, & qui vel vltro medicinam oblatam aspernaretur.

5. Publicata Tolosæ rebellione, Guido Simonis Frater ante alios, mox ipse Simon Tolosam deuenere, nam pergit auctor. [e] *Audito nuncio de proditione Tolosæ Guido de Monteforti Frater Comitis, & Guido filius eiusdem Comitis, & plures milites cum eis, quos Comes dimiserat in partibus Carcassonæ, vt custodirent terram, cum festinatione perexerunt Tolosam & miserunt se in munitionem prædictam, vbi erat Comitissa in domibus forinsecus, ne aduersarij a parte exteriori obsiderent munitionem.* [f] *Audiens. Comes nobilis apostatasse Tolosam, transiuit Rhodanum, & rediit festinanter, Cardinalis autem transiuit cum eo. Venientes igitur Tolosam Cardinalis, & Comes obsederunt eam anno M. CC. XVII. Erat enim ciuitas maxima, & populosa valde, & ruptarij, & forte fatidici faidici, & multi alij, qui antea inimici erant occulti Comitis Montisfortis, se receperunt in eam, vt eam defenderent contra Deum, Comitem, & Ecclesiam Sanctam, pro qua Comes nobilis totis viribus laborabat.* Hæc Vallsarnensis.

c *Cap.* 84.

f *Cap.* 85.

Inuasam vrbem ab exercitu Christiano, restitisse viriliter, conuenit inter omnes, qui hæc scribunt, quin Guillermus de Podio auctor est, cum obsideri à militibus non posset, eo quod, & pauci essent ad loci ambitum, missos iterum à Bertrando Cardinali Fulconem Tolosanum, & Iacobum de Vitriaco, prædicaturos per vicinas Prouincias crucem, ac nouos operarios (nam & hæc vinea Christi,) conducturos. Porro cum hanc iteratam prædicationem Iacobus refugeret, vt eam acceptaret, oraculo cœlesti compulsum esse. Præstat ipsius Guillermi verba producere. [g] *Venit Comes (scilicet Simon) cum Legato Domino Bertrando Cardinali, & inuasit in manu valida ciuitatem, sed, defendentibus se viriliter ciuibus, nihil potuit illa vice. Mittitur interea in Franciam à Legato Dominus Tolosanus Episcopus prædicaturus crucem cum aliis, qui mandatum habuerant in eodem, cum quibus fuit Magister Iacobus de vitriaco, vir magnæ honestatis, litteraturæ, & eloquentiæ, qui postea fuit Episcopus Aconensis, deinde Cardinalis: de quo etiam audiui Episcopum Tolosanum referentem, quod ab eo audierat, sibi iniunctum fuisse per visionem in somnis à Beato Saturnino, Tolosæ Protopræsule, vt contra suum populum prædicaret.* Ergo hoc anno contra vrbem Tolosanam duo eius Pastores prædicauere, primus, & vltimus, Saturninus, & Fulco vterque Sanctus, nisi quod Fulco per se ipsum munus exercuit, Saturninus per alium, quem ad hoc opus ipse destinauit. 6.

g *Cap.* 30.

Dum Fulco, atque Iacobus de Vitriaco milites conductui salutis pretio, Catholicas Prouincias peragrarent: quid interim Tolosæ factum sit, & qualiter imminentem mortem Simon effugerit, vsque ad annum sequentem differendam? Demum quam ruptis habenis pietatis, & totius Religionis Tolosæ ciues, non in fœminas tantum, puerosque, sed in ipsum Legatum debachati, necem illius effrænes procurauerint? Vallsarnensis prosequitur sic scribens. [h] *Cum autem Comes nobilis venisset cum suis ad fossata Tolosæ, per insultum volens capere ciuitatem, repulsus est à ciuibus violenter: fixitque sua tentoria iuxta Castrum Narbonense. Sed cum Tolosa obsideri effectu non posset, nisi vltra fluuium Garonam, qui à parte Vasconiæ, Tolosam vallabat, esset exitum Tolosonis defenderet defenderet, qui per duos pontes super ipsum fluuium Garonæ, eisdem patebat, transiuit vltra Comes cum multis, (multis etiam citra dimissis) cum filio suo Almarico. Fuit illic Comes Nobilis aliquantis diebus: tandem intelligens quod exercitus Almarici non esset sufficiens ad resistendum inimicis, transiuit fluuium, vt de duobus inualidis, vnus fieret exercitus validus, & securus. Sed miraculum, quod Deus fecit ipso transitu, non omittemus, vt semper, & in omnibus magnificetur Deus: dum enim ipse Comes Montisfortis, totus armatus, & in equo armato, nauem intrare vellet, in flumẽ cecidit, vbi aqua profundissima cernebatur, qui cum non appareret, timor, & tremor, & planctus nimius nostros tenuit vniuersos. Raschel plorat filium: infernus dolose exultans vllulat, nostros appellat orphanos viuo Patre. Sed qui ad preces Heliæ, securim in aqua supernatare voluit, nostrum*

h *vbi supra.* 7.

de aquæ abyſſo leuauit Principem, manus coniunctas ad cœlum deuotiſſime extendentem; quem noſtri de nauigio cum gaudio ſuſcipiunt, & Sanctæ Matri Eccleſiæ ſeruant incolumen, pro qua ſe opponebat obicem dictus Comes. O ineffabilis clementia Saluatoris!

8. *Interim Toloſani machinas multas patrias, & Mangonellos erigunt, vt & Caſtrum Narbonenſe præcipitarent, & Bertrandum Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum legibus obruerent, & eius ſocios, & in eo Romanam Eccleſiam lapidarent. O quoties dictus Cardinalis mori ibidem timuit, qui tanquam vir prouidus pro negotio Ieſu Chriſti, viuere minimè recuſauit.* Hic ſtatus belli, & rerum apud Toloſam. Qualiter autem poſt longam obſidionem, nouem nimirum menſium, vt non ſoluta, tamen efferbuerit dolenda cunctis morte Simonis Comitis, in quem proiecti contra Legatum lapides, vel vltro properantem, præcipitarunt: anno ſequenti, quo euenit dicemus.

9. Hoc item anno Honorius ſummus Pontifex. *Negotium Terræ Sanctæ (ait Bzouius* [i] *) promouere non deſtitit, ſed ex Concilij Generalis decreto, maximas, quas potuit, copias collectas; claſſe à venetis impetrata, quam tociùs tranſmiſit.* Addendum, deſtinatos ab illo prædicatores, qui ad eam militiã ſubeundam exhortarentur, & milites inſignirent crucis ſignaculo. Conſtat Bernardum aſſumptum ex Ciſtercio, & cœnobio Heiſterbacho, qui cum Magiſtro Oliuerio Colonienſi per Germaniam & Belgium id munus exerceret: nec dubium deſtinatos alios in diuerſas Prouincias, quorum induſtria, exhortationibuſque expeditionis negotium promoueretur. Certè Oliuerij, & Bernardi Cæſarius [k] meminit, neque ſemel, ſed ſæpius in ſuis dialogis, verum eſt tamen, quod ad rationem temporis attinet eundem Cæſarium hanc prædicationem biennio poſtponere: quippe qui ſcribens anno M. C C. XII. cum quædam concurrentia deſcripſiſſet, ſubiungit. *Vix ſunt tres anni elapſi, ex quo iſta contigerũt.* Aſt anno M.CC.XIX. non prædicatio, ſed prædicationis fructus Chriſtianis contigit, capta Damiata vrbe & Hieroſolyma deſerta, à Conradino, vt ſuo loco nos etiam memorabimus. Quin Oliuerius ipſe Colonienſis, qui exercitum cruce ſignatorum ſequutus eſt, eo anno, non prædicans in Belgio, ſed in oriente triumphans, ad Engelbertum Archiepiſcopum, de vtroque Euentu epiſtolam ſcripſit, quæ circumfertur inter hiſtorias Orientales. Demum expeditionem hoc anno conceptam, omnes auctores concordes teſtificantur, & probat Luſitana victoria ſatis fœlix, quam ab ea deriuatam promam ſequenti capite.

10. Porro in hac Oliuerij, & Bernardi Heiſterbacenſis prædicatione, multa euenere, quæ ab eodem Cæſario memoriæ prodita, non licet nobis ſilentio præterire. [l] *In Diœceſi Monaſterienſi, Villam Bediam menſe Maio Feria ſexta ante Penteoſtem, ſicut alibi me dixiſſe memini, triplex forma crucis apparuit in aëre, vna candida, verſum Aquilonem, alia verſus meridiẽ eiuſdem coloris, & ſchimatis, tertia medio colore colorata, habens crucis patibulum, & formam hominis in ea ſuſpenſam, eleuatis brachiis, & extenſis, cum infixione in manibus, & pedibus, & capite inclinato. Hæc media fuit inter alias duas, in quibus non erat effigies humani corporis. Alia vice, & alio loco in Villa Friſiæ Soterers-Huſcen, tempore prædictæ prædicationis crucis, apparuit iuxta Solem vna crux cerulei coloris. Tertia fuit apparitio in Diœceſi Traiectenſi in Villa Docheym, vbi Sanctus Bonifacius coronatus fuit martyrio, vbi in die martyrij eiuſdem cum multa millia acceſſiſſent ad indictam ſtationem, apparuit crux alba, & magna, ac ſi trabs extra ſuerſo trabis artificialiter compoſita fuiſſet. Hoc ſignum vidimus omnes: (verba ſunt prædicti Oliuerij) mouebatur autem paulatim ab Aquilone ad meridiem. Huic viſioni interfuerunt Dominus Henricus Abbas noſter, & VVinandus Monachus eius, qui & ipſi viderunt.*

Cæterum, quod ſpeciale, mirandumque & pauendum tum Bernardi interuentu, tum ipſo prædicante, etiam acciderit, ex eodem auctore accipiat Lector. [m] *Eo tempore, quo Oliuerius Scolaſticus Colonienſis, cuius in diſtinctione ſecunda mentionem feci, crucem prædicauit inter Brugas, & Gandauum, ciuitates Flandriæ, venit ad Fratrem Bernardum Monachum, qui tunc Comes erat verbi, & collega eiuſdem Oliuerij, Sacerdos quidam, Segerus nomine, in habitu religioſo, cappam habens in pectore ſignatam quaſi Templarij: erat autem facie pulcher, ſtatura procerus, atque in ſuo idiomate ſatisfacundus. Hic cum obtuliſſet iam dicto Bernardo, gemmam diuerſi coloris, & dixiſſet, ſe illam attuliſſe de ſeptia & tantæ eſſe virtutis, vt victorioſos efficeret, qui ea vterentur: reſpondit ille, Domine: veſtra non recipiam: ſi potero vos apud Magiſtrum rationabiliter promouere bene experiemini, Ad hoc videbatur laborare, vt haberet auctoritatem ab illo prædicandi: Eadem die conceſſum eſt ei Sermonem facere ad populum. Sequenti die, cum præfatus Bernardus in proxima ſtatione verbum exhortationis propoſuiſſet turbis, & Segerus adeſſet, finito Sermone, idem Segerus pronus in terram corruit, & quaſi obſeſſus, ſicut reuera fuit, omnis ſui corporis geſtus formauit. Mox accurrens Magiſter Oliuerus cum clericis hominem ſignauit & in Eccleſiam tractum, coram altari depoſuit, vbi multas blaſphemias, & verba quædam horribilia miſer ille in Deum, & in eundem Oliuerum euomit. Hinc Corio ligatus, curruique impoſitus, ad notos ſuos deportatus eſt, quem, vt aiunt, Dæmon quinta die, prout ei promiſerat, extinxit.* Ita Cæſarius. Nec dubium plura alia contigiſſe in aliis Prouinciis, quæ defectu ſcriptorum prorſus perierint. Credibile eſt intendiſſe Dæmonem illum Energumenum fructum prædicationis impedire ſub ipſius prætextu prædicationis, nec permiſſum à Deo, per Bernardum cogenti ſeipſum prodere.

11.

Hunc illum puto Bernardũ Heiſterbacenſem, de quo idem Cæſarius hæc etiam habet [n] *Bernardus Monachus noſter, tẽpore quodã ante conuerſionem, neſcio quo iturus, reliquias SS. Martyrum Ioãnis, & Pauli in capſula ad latus portauit; quem cum carnis incentiua ad delectationem mouerent, Sancti Martyres, quod motus illicitos reſtringere non conaretur, per capſulã latus eius dure ſatis tundere cœperunt. Quod cum ille non aduerreret, & motibus libidinoſis quieſcentibus, etiam tunſiones ceſſarent per horas aliquas; cum iterum titilationes ſurgerent, renouatæ ſunt & tunſiones; ac ſi Sancti ſuum baiulum voce prophetica increparent dicentes: Mundare, qui fers vaſſa Domini & ſicut mihi retulit prædictus Bernardus, mox vt notare cœpit pœnam, in quantum potuit, compeſcuit culpam: ex hoc dicens quod Sanctis placet non ſolum mundicia mentis, ſed corporis.* Ita quem Deus ad maiora præelegerat, ab ipſo ſæculo à vitiis præcauebat, atque ad omnem mundiciam præparabat.

12.

1. *Cruce signati in Syriam naufragantes, Lusitaniam appellunt.* 2. *Lusitanis coniuncti Mauros profligant.* 3. *Litteræ Episcoporum, & Abbatis Alcobatiæ ad Honorium.* 4. *Potentia Arabum.* 5. *proflicta miraculosè.* 6. *Petitiones ad Honorium Papam.* 7. *Memorabiles aliæ circunstantiæ eiusdem victoriæ.* 8. *Profligati, & occisi fidei hostes.* 9. *Alcaser captum, & spolia data Hospitibus.* 10. *Episcopi Vlysiponensis nomen notatum.* 11. *atque occasione victoriæ alia indulta.*

CAPVT QVARTVM.

1. INGENS hoc anno victoria de Sarracenis à Lusitanis parta, per eos ipsos milites, quos Oliuerius, & Bernardus cruce signauerant, quò minùs sperata, eo iucundior; quia interuentu Abbatis Alcobatiæ (Petri vt opinor) comparatam constat, inter alios euentus dicenda venit. Soluerat versus Syriam ingens classis ex Germania præcipuè, Frisiáque, accepta cruce, indultã remissionem aduersus Sarracenos orientales lucratura, vt putabat, volebatque: sed Dei prævalente prouidentia voluntati humanæ, Occidentales Hispanos oppugnatura. Tempestate suborta, naufragantes, nunc hac, nunc illac impulsi ventorum vi, laceris ratibus, atque aquam admittentibus, cui exhauriendæ omnino impares essent, tandem ad Lusitaniæ partes appellunt. Fatale illud refugium cruce signatis à Syriæ locis deuiis, quippe iam sub Eugenio Papa III. iterum illic acti, sed fatale non minus Lusitanis eorum armis vincere: tunc Vlysipo erepta Sarracenis: nunc Alcasar de Sal (id loco nomen) insigne oppidum & miræ fortitudinis. Priores illos Alfonsus Rex rogauit, vt sibi in illo bello fauere vellent: hos duo Episcopi, & Abbas Alcobatiæ; nec minor hæc victoria, & quamuis illa fortè fructuosior, at hæc miraculosior omnino fuit. Igitur rem Christianis dignam Annalibus, nec Cistercij expertem, Heisterbacensis Cæsarij verbis, qui tunc viuebat, atque ab his, qui interfuerunt, quæ scripsit (hausit summam prius, mox illustriores illius circunstantias) tum ex epistola Episcoporum & Abbatis ad Honorium Pontificem hactenus non vulgata, quod ego sciam: tum ex coæuo auctore Lusitano, quem vulgauit Brandaonius fusiori paulum stylo, sed eorundem verbis prosequemur. Cæsarius itaque in Dialogis hæc habet.[a]

Anno gratiæ millesimo, ducentesimo, decimo septimo, cruce signati ex tota Alemania, ac Frisia cum trecentis ferè nauibus, circa Idus Iulij intrauerunt portum Vlixibonæ, in quo dum per aliquos dies morarentur, plures naues illic expectantes ad petitionem Seueri Episcopi Elorensis, nec non & Templariorum, atque Hospitaliorum. Castrum Sarracenorum nomine Alkaser, id est, omnium carcer, obsederunt. Sexta vero feria post natiuitatem Beatæ Deigenitricis Mariæ, congregati sunt contra eos, quatuor Sarracenorum Reges, habentes in exercitu suo ad centum millia pugnatorum, quibus Christiani, numero minores, sed fide maiores, Sanctum Iacobum, Beatúmque Vincentium, Regionis illius patronum, & alios, si quos poterant, Sanctos inuocantes, hostibus occurrerunt. In primo vero congressu, vnus Regum occidit, interfectorum verò non erat numerus, plurimi captiuati sunt; qui cum per exercitum ducerentur a Christianis, quærebant signa victorum, asserentes candidissimam aciem cruces rubeas in pectore gerentem, suorum multitudinem in fugam conuertisse. Insuper galeæ, quas per mare contra Christianos conduxerant, cœlestis illius visionis terrore sunt fugatæ. Quod peregrini audientes, gratias egerunt Christo, qui Martyrum suorum auxilia eis destinare dignatus est cælo. Hæc mihi relata sunt ab his, qui certamini interfuerunt, & ex ore Sarracenorum, quæ dicta sunt, audierunt. Ita Cæsarius. Cæterum fusius multo, atque distinctius, Vlysiponensis, & Eborensis, Episcopi, & Abbas Alcobatiæ, aliique, recens parta victoria; cum de ea Honorium summum Pontificem redderent certiorem, & ab eo postularent, vt opus illud, quod Dei esse miracula monstrabant, velut eius vicarius, quibusdam gratiis, & indultis promoueret. Porro epistola, provt extat, in Vaticano inter alias Honorij hæc habet verba.

Sanctissimo Patri, ac Domino Dei gratia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici. S Vlixbonensis, S. Elborensis, dicti Episcopi, P. Abbas Alcobatiæ, & Magister in Hispania militiæ templi, & Prior in Portugalia Hospitalis Hierosolymitani, & commendator militiæ Sancti Iacobi de Palmeta, Salutem, & pedes humiliter osculari. 3.

Cum in Concilio Generali, si vestra recolet Sanctitas, Domini Compostellanus, & Toletanus, Archiepiscopi, & omnes, qui aderant de Hispania Episcopi, cum quanta potuerunt instantia institerunt apud Dominum Papam Innocentium Sanctæ memoriæ, vt remissionem, quam terræ Sanctæ subuenientibus concesserat, concederet & in Hispania expugnantibus Sarracenos; & responsum fuisset eis a Domino Papa de Concilio Cardinalium, quod si guerra esset contra Sarracenos in Hispania libenter ibidem plenam concederet remissionem. Sanctitati vestræ præsentibus innotescat, quod Domino faciente, qui sperantes in se non deficit, quædam nauigiorum multitudo cruce signatorum, de Alemania, & Flandria, & de aliis partibus, post multa maris naufragia, ac post diuersa pericula in nauigando, per quatuor menses laborantes, quod XV. diebus solet à pluribus nauigari, ad portum de Vlixibona appulit insperato.

Verum nos prænominati Episcopi considerantes, quod forsan, vt Hispania liberaretur, eosdem peregrinos Dominus tantum in via detinuerat, & ad nos tali tempore duxerat; quod transfretare non poterant vllo modo, cum Abbate Alcobatiæ, & aliis viris religiosis, Templariis, videlicet, & Hospitalariis, & militiæ Sancti Iacobi commendatore, aliisque Regni Magnatibus, dicto ad hoc induximus peregrinos, vt ex quo transfretandi eisdem deerat facultas, remanerent nobiscum ad Hispaniam liberandum, & ad inimicos Sanctæ fidei expugnandos: vnde etiam interim habere possent victualia, & expensas. Quod habito, & concesso, & ad verba exhortationis nostræ ferè omnibus Diœcesibus nostris, 4.

&

a lib. 8. c. 66. 2.

& similiter de toto Regno propriæ Diœceſes, ſigno crucis impoſito, in ſimul proceſſimus ad quoddam Caſtrum obſidendum, quod dicitur Alcazar. Obſeſſis paganis, poſtulantibus auxilium à Regibus per totam Mauritaniam citra mare commorantibus, quatuor Reges, de Sibilia videlicet, & Iaem, & de Badalioz, & de Corduba, cum toto poſſe ſuo, & cum ferè omnibus, qui ſunt citra mare paganis inopinate venerunt contra nos, ita quod ſequenti die nobis cum campeſtre bellum habuerunt inter ſe iactantes, quod & Caſtrum liberarent, & nos omnes, quos non perderent gladio, ducerent captiuos.

5. *Sed Omnipotens, cui proprium eſt ſuperbis reſiſtere, eorum mirabiliter frangens ſuperbiam, dignatus eſt exercitui ſuo ſubuenire, tribus miraculis præoſtenſis. Primum fuit, quod cum nos de Regno Portugaliæ eſſemus eadem hora pauciſſimi, in nocte præcedenti bellum, ex improuiſo recepimus magnum exercitum ac Templariis & Hoſpitalariis, & de Magnatibus Regnorum Portugalenſis, & Legionenſis. Secundum miraculum fuit, quod in aëre apparuit vexillum crucis glorioſum exercitui in victoriæ ſignum. Tertium fuit, quod in ipſo belli conflictu viſa eſt vtrique parti Diuinitus candidatorum turba, quod etiam teſtati ſunt ipſi, qui fuerunt ibidem captiui, Sarraceni, interrogantes, vbi eſſent milites candidati, qui ſuper eos compluebant tela, & eorum oculos excæcabant, propter quos etiam terga repente verterunt in fugam, ita quod denſiſſima durantes ſtrage, per decem, & amplius milliaria, ibique duobus Regibus interfectis, de Iaem videlicet, & de Corduba, de cunctis, niſi fugæ præſidio, aliquis non euaſit.*

6. *De tantis ergo miraculis, & de tanta victoria, exercitui Domini collata Diuinitus, congaudentes, ac de veſtra ſinceritatis abundantia præſumentes, ad pedes veſtræ clementiæ pronoluti petimus, quatenus ad Hiſpaniæ liberationem, à ſinceritate veſtra, mandatum exeat, & vt dictos exercitus peregrinorum, ad cultum perfidiæ paganorum de tota Hiſpania penitus extirpandum, nobiſcum per annum remaneat; & quod tam ipſi, quam noſtrates cruce ſignati, & ſignandi, illam habeant indulgentiam, quam haberent, ſi terræ Sanctæ ſubſidium perſonaliter exhiberent. Item petimus, & ex quo guerram habemus cum Sarracenis, ſecundum quod Dominus Papa Innocentius ſtatuit, expendatur in eadem viceſima, quæ à clericis in Hiſpania debet ſolui. Item petimus, vt peregrini, qui propter nimiam moram, vel infirmitatem, vel paupertatem facti ſunt impotentes accedere ad terram Sanctam, iubeat hinc reuerti ad propria cum plena ſuorum peccaminum, veſtra ſinceritas, remiſſione.* Hæc Epiſcopi, & Abbas ad Honorium, quibus non ſolum miracula exprimuntur, victoriaque, atque Sarracenorum fœda clades: verum & conſtat Abbatem Alcobatiæ primum fuiſſe, quem Epiſcopi adierint, & per quem, tum domeſticos, tum exteros ad ſubeundum bellum congregauerint.

7. Extat & de hac celebri victoria M. S. antiquum in Bibliotheca cœnobij Alcobatienſis per coæuum auctorem impari carmine, neque omnino rudi, ſi barbariem ſpectes illius ævi. In eo res adhuc fuſius, diſtinctiuſque, & quædam circunſtantiæ omnino ſcitu dignæ commemorantur. Inter has annus in epiſtola; (ſed idem, qui à Cæſario) deſignatur:

Annos in Chriſtum cum voluens mille ducentos
Denos cum ſeptem, &c.

Deinde expugnatæ arcis Etymon, munus, fortitudo, & quanta ex ea mala prouenirent Chriſtianis populis

Vt patet, ad noſtras Dominus vos appulit oras
Vt pereat noſtrum veſtra per arma iugum.
Eſt prope nos Caſtrum, ſuper omnia Caſtra nocium
Chriſticolis; nomen Alcaſer illud habet
Al, Deus eſt, Caſtrumque Caſer, Caſtrumque Deorum
Fertur apud gentes; id venerantur, amant.
Huc ad perniciem noſtram ſua munera mittunt,
Armaque, cum tempus mortis adeſſe putant,
Caſtrenſeſque ſuo Regi dant, quolibet anno,
Centum Chriſticolas: ſoluimus iſta quidem.
In quinis luſtris hominum tria millia quina:
Illi ceperunt, ſiue dedere neci.

Et paulò inferiùs.

Ille locus Vallo cinctus, foſſaque profunda
In muro duplici turribus innumeris.

Tertiò exprimit Paganorum multitudinem, qui in ſuæ gentis auxilium conuenere: equitum ad quindecim, peditum ad quadraginta millia quorum nec decimam partem noſtri perſtringerent. 8.

Vt nos extirpent equitum tria millia quina:
Et peditum veniunt millia dena quater.

Semel pugnatum à noſtris aduerſo Marte, cunctis in fugam verſis? quo clarior mox appareret Diuina manus. Quippe cum hoſpites de repetendis nauibus obſidione deſerta, cogitarent, & incolas auxilij deſtitutos nihil niſi ferrum, aut dutior ferro ſeruitus maneret:

Aſtris lucidius, quod ſplendet in aëre ſignum
Eſt crucis, id noſtrum plurima turba videt.
Mens redit, hoc viſo noſtris, ea noſter in hoſtes
Sanit equos, ſternit, effugat, imo necat.
Agmen in auxilium noſtris venit ecce ſupernum
Dante Deo ſignum, quod dedit ante crucis.
Veſtis eis ſplendens, vt Sol, vt nix noua candens
Suntque ſuo roſea pectore ſigna crucis.
Hoſtis, vt hos acies nouit, ſua terga prementes,
Lumina caligant, & ſua corda pauent.
Hinc fit, quod ſocius ſocium ladit, & latus haſta
Perforat, hic, ille dimicat enſe caput.
Sternitur hic, ille pedibus calcatur equorum,
Hic hominum quidam præcipitantur aquis
Quid magis? Ex illis ter millia dena periiſſe
Credimus, & Reges tunc cecidiſſe duos.

His circunſtantiis comparata prima victoria, alteram ſuperfuiſſe comparandam, nec omnino leuiorem idem auctor ſcribit. Integra adhuc arce, illæſaque; quam multo milite, & natura ſimul loci, atque arte munitam, nec victualibus vacuam, longa obſidio manſura videbatur, & forſan irrita. Pugnatum ibi ex vtraque parte viriliter; atque adeo tenaciter, vt dum obſeſſores quos muros per vim non poterant, arte diruere, per ſub terraneas foueas conarentur, & contra obſeſſi repellendis inuaſoribus per ſimiles cauernas obuiarent: concurrentibus vtriuſque partis militibus, ſubterraneum aliud prælium commiſſum ſit, vel ipſa nouitate memorandum 9.

Sic nihil proficimus, ars viribus additur, ergo
Sub terras fodimus, murus vt ipſe ruat.

Clam

Clam fodimus; contra fodit hostis, nititur ipse
Vt noster maneat irritus iste labor.
Rixa fit in fouea, ferro, fumóque, rogoque
Hic etiam sanguis fussus vtrinque fluit.

Demum, quod minus effodere potuissent ligneis erectis turribus, cum superare muros maturarent deditam arcem; & spolia omnia hospitibus cessisse, quos vellent sibi ad alia coadiutores.

Quotquot erant hostes, & eorum res peregrinis
Cedunt, pars inde cuilibet aqua datur.

Hæ circunstantiæ, fœlicissimæ victoriæ hoc anno comparatæ de Sarracenis interuentu Abbatis Alcobatiensis: quas in eius, & Episcoporum, ad Honorium litteris prætermissis, sed nihilominus dignas memoria hominum, dignas auctorum fidelium gratitudine; nequaquam duxi silentio contegendas.

10. Addo & Vlysiponensis Episcopi nomen ad singula Senaria distychorum, primis incisum litteris, quod ipse etiam auctor adnotauit. Potro ex eis constat, Suerium, aut Seuerum appellatum, non Matthæum, vt falsò ait Mariana,[b] alios sequutus, cum nullus illo tempore Matthæus Vlysipone præfuerit, & Suerius instrumentis multis subscribat, quod quibusdam productis notat Brandaonius,[c] & litteræ ad Honorium Papam scriptæ, pro illius æui more, testificantur. Vtrum autem quod sequitur inferius ad trina districha, nempe Gosuinus, auctoris sit, an Episcopi cognomen? aliorum linquo iudicio discernendum. At, quàm non gratus erga Suerium Præsulem extiterit Alfonsus, (quæ principum nonnunquam conditio est) & eadem notant carmina, & nos anno sequenti, productis etiam Honorij Papæ litteris, quæ hactenus ignotæ, proferemus.

[b] lib. 12. hist. Hisp. c. 7.

[c] lib. 3. c. 10.

11. Extant tamen, leguntur que in tabulariis Ecclesiæ Vlysiponensis, & Alcobatiæ instrumenta, Regiarum donationum, hoc sequenti anno expeditarum, in quibus Suerius Vlysiponensis Pontifex, & Petrus Alcobatiensis Abbas donari ab Alfonso dicuntur, quibusdam iuribus, redditibusque ad fiscum pertinentibus. *Pro bono seruitio (inquit idemmet Rex) quod mihi feciſtis, &c.* Quod ad cruce signatorum defensionem, expugnationem Castri de Alcaser, atque victoriam partam de Sarracenis referendum fore, coniectatur Brandaonius[d] neque immerito. Vtrum autem, quam ad initium sequentis anni Alfonso ab Honorio indultam, idem auctor scribit, confirmationem Regni, ex litteris Episcoporum, Abbatisque, sumpserit occasionem, affirmare non ausim. quamuis ex tempore video comprobari. Certè expedita Ianuarij die vndecima anni M.CC.XVIII. quod ipse eodē loco tradit satis expresse, non aliā causam iustiorem habere potuit, quam insignem victoriam ante quatuor menses partam de Sarracenis, nempe Septembri anni antecedentis; cum & Episcopi, & Abbas scripsissent, & Nunciis satis temporis tam in eundo, quam impetrando consumptum esset. Indultæ confirmationis motiua esse dicuntur: *Quod per sudores bellicos, & certamina militaria inimicorum Christiani nominis intrepidus extirpator, & propagator, diligens fidei orthodoxæ sicut deuotus filius ac Princeps Catholicus multimoda obsequia sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri tuæ impendisti, dignum nomen, & exemplum imitabile posteris derelinquens.* In appendice pro Honorio Innocentius irrepsit errore Amanuensis, siue Typographi, sed qui facile ex data corrigi potest. Constat inter eiusdem Regis legata cum post sexennium obiit, contenta argenti pondera non pauca, quæ Ecclesiis, & Vlyliponensi nominatim pro damnis irrogatis restituerentur. Quæ cùm ne filius soluere acquiesceret; facilius ratus imitari exemplum patris in differenda vsque ad mortem restitutione, quam exequi mandatum, quod plerumque videmus vsuenire: contra ipsum post plures adhuc annos, Legatos à Gregorio IX. missos; sed prætermissos à Lusitaniæ auctoribus; quia ex Cistercio electos, nos etiam infra in tempore dicemus.

[d] lib. . 13 cap. 16.

---

1. *Henrici primi Castellæ Regis mors: 2. funus Burgos ad Huelgas delatum: 3. & Ferdinandus succedens illius loco. 4. sororis in eodem cœnobio Monachatus: 5. Quid Mãphaldæ ab Henrico olim seiuncta? 6. Quid Alfonsus cum ipsa? 7. Sanctia Minoribus Cœnobium construit. 8. Sacrarum familiarum multa seges; 9. sed Minores præ aliis dilatati. 10. Eorum in Lusitaniam aduentus, 11. & tertia hæc domus fundatio Reginæ Sanctiæ, 12. ex multis circumstantiis satis illustris.*

CAPVT QVINTVM.

1. CASTELLÆ hic annus Henrici Regis morte funestus; cæterum Regij corporis exuuiis illuc delatis, Huelguensi Monasterio illustris fuit. Deducente funus Regina Berengaria, quæ dudum Ferdinandi Fratris corpus, mox Alfonsi Parentis, eiusdem domus sepulchris intulisset. Henrici mortem violentam, sed fortuitam, eoque magis dolendam, in ipso Regni, imo in ipso vitæ limine Rodericus Ximenius Toletanus, qui tunc viuebat, his verbis narrat. [a] *Quadam autem die, cum Rex puer instaret ludicris cum coætaneis domicellis, minus prouide custoditus, domicellus quidam è turre, casu tegulam proiiciens, Regem in capite vulneranit: ex quo ictu post dies paucos fuit mors lugubris subsequuta.* Hæc Toletanus. Palentinus tantum duos dies superuixisse Regem ab ictu memorat. *Quidam*, ait,[b] *ex domicellis tegulam ludi gratia proiiciens Regem in capite vulneranit; ex quo ictu post duos dies spiritum exhalauit.* Alij vndecimo, quos sequitur Mariana.[c] Adeo veritas latet etiam eos qui accuratius scribunt, & (quod mireris) in rebus manifestis.

[a] lib. 9. c. 4.

[b] lib. 3. c. 38.

[c] lib. 12. c. 9.

2. In morte Henrici error facilior fuit: occultantibus Procuratore Regni, Aluarolara, & Berengaria sorore, illo, vt sibi, & suis prouideret à proxima potentia, tunc ob rempublicam male administratam Regno inuisis: hac, vt vocaret Ferdinandum filium cum patre commorantem, Regni hæredem futurum, ipsa tradente. Quippe Henrico defuncto, vnico filio, quem Alfonsus

Castellæ

Castellæ reliquisset, ad sororem imperium pertransibat; & Blanca maior natu repellebatur, quia Regi Gallo nupserat: nec Castellani admittere acquiescebant exterum Regem. Vtcumque fuerit, Henrici corpus furtim Palentia extractum, ad oppidum Tariego delatum est, vbi insepultum iacuit, siue delituit, quovsque rerum Ferdinandus potitus esset. Tunc demum Berengaria sororem egit, cum matrem egisset: ac duos *Venerabiles Pontifices*, (ait Rodericus Ximenius [d]) *Tellum Palentinum, & Mauritium Burgensem misit Tarecum, vt Henrici corpus reciperent cum suis parentibus tumulandum; præsertim cum & hoc ipsum Comes Aluarus iam mandasset. Et præfati Pontifices recepto corpore, Palentiam redierunt; & inde Rex nouus cum matre sua Regina nobili, ad Castrum, quod Munio dicitur, aduenerunt. Et dum Rex oppidum impugnaret, Regina nobilis Fratrem suum Henricum Regem in Sarcophago nobiliter præparato detulit ad Monasterium propè Burgos, & ibidem iuxta Fratrem suum Fernandum Infantem, cum planctu magno, exequiis celebratis, regaliter sepeliuit.* Hactenus ille.

d *lib.9.c.6.*

3. Quæ causæ impulerint Reginam Berengariam, veram, & immediatam Fratris hæredem, vt Ferdinando filio, præcipuè puero, & sextum decimum annum vix agenti (quamuis non desint, qui biennium superaddant) Regnum administrandum resignaret? Fœmina prudentissima, atque adeo par sceptris, vt nupta ex Viri Alfonsi beneplacito, legionem: separata, Castellam ex testamento matris, atque vtramque cum laude administrauerit. *Fuit*, inquit, *Lucas Diaconus Tudensis*, [e] *præfata Berengaria, filia Regis Castellæ adeo sapientissima, quod Patris Sapientia ad eam defluxisse videretur. Hæc, cum primum venit Legionem blandis precibus à Viro suo Rege Aldefonso obtinuit, vt corrigeret mores, & foros Legionensis ciuitatis, & Regni, & grauamina releuaret. Ædificauit Regina Berengaria palatium Reale in Legione, ex lapidibus, & calce, iuxta Monasterium Sancti Isidori, & turres Legionis, quas Rex Barbarus quondam destruxerat Almanzor, ex calce, & lapidibus, similiter restaurauit.* Quæ (inquam) causæ Reginam tantam impulerint ad resignandum sceptrum filio puero, & cuius nullum præcessisset experimentum? in dubio est; nec antiqui in hac re aliquid scribunt. Mariana [f] *priuatæ vitæ studio* factum existimat, *Vt quæ assueta præproperæ viduitatis incommoda, in contemplatione vitæ per virtutem actæ solatiis honestis tolerare.* Non vltra se voluerit immiscere negotiis publicis. Verum quæ aliena curaret, viuente fratre, cur recusaret propria? non satis capio. Crediderim Ferdinando alio viuente, Berengariæ priuigno, quem ex Tarasia Alfonsus genuisset; timuisse ab Alfonso, ne quem filium, præ alio diligebat, Regno præficeret, quod sibi iure dotis pertinere, vel post diuortium, iure, an iniuria? posset allegare. Certè filios Tarasiæ Patri dilectos, auctores omnes produnt; & Ferdinandum, si Patri superuixisset, successurum in Regno, Summus Pontifex Innocentius declarauerat. Neque hoc mihi silentio prætereundum, cui res Tarasiæ scribendæ incumbunt ex instituto. Sed pergo ad alia.

e *in Chronico.*

f *lib.12.c.7.*

4. Sub idem tempus ne sola corpora Regio cœnobio inferre videri posset, Berengaria Regina Constantiam filiam in eo sacrari fecit, cum Berengaria soror minor natu (nam Aleonora immatura ætate prærepta dicitur) nupsisset Ioanni Hierosolymæ, mox Constantinopolitano Imperatori. Prodit hæc Diaconus Lucas Tudensis, dum filios omnes Alfonsi ex Berengaria, fideli narratione commemorasse. *Berengariam* (inquit [g]) *filiam eius duxit Ioannes Rex Hierosolymitanus vxorem, qui postea cum ipsa Constantinopolitanum Imperium vexit. Constantia vero in Monasterio Sanctæ Mariæ de Burgis habitum Monachalem suscepit.* Admissi habitus tempus ignoratur, sed constat non potuisse ab hoc anno multum abesse, ex tempore matrimonij initi, solutique: vt duæ Constantiæ Regia vtraque Virgo, altera fundatorum filia, altera neptis, dum illius cœnobij primordia consecrant, vniuersos Christiani orbis Principes, Imperatores, Reges illi deuinciant. Quippe in priori ex quatuor eius sororibus, Lusitanum, Legionensem, Aragonium, & Gallum item Reges, deuinctos vidimus. Anglum Alfonsi coniux Eleonora, Henrici Regis filia, alterius Constantiæ mater; alterius auia; & vt Berengaria posterioris soror Imperium Orientale per Ioannem maritum; sic & Occidentale Ferdinandus eiusdem Frater, per Beatricem vxorem, Philippi Sueui Romanorum Regis filiam, N. Ottonis Imperatoris coniugis sororem, conciliarunt. Hæc vincula innodauere à principio Huelguensi Monasterio Christianos Principes, quæ nouis in dies intertexta nodis, perduraſse noscuntur ad nostra tempora.

g *sub Ann. 1226.*

Inter hæc Mafalda defuncti Regis vidua, antequam coniux; nec quia non coniux, ideo minus vidua; quippe teneræ menti, & generosæ, quamuis repulsam passæ, sola desponsio Henricum conciliauerat, eiusdem immaturæ mortis condolens, quia iuuenis, quia probi, quia Viri crediti, quia veri consanguinei, sed nihilominus de irrogata sibi iniuria (nam iniuriam vocabat non restitisse) vindicem Deum clamans, gratulánsque, amorem inter medias, & pietatem fundebat lacrymas, mixtas Diuinis laudibus; & quò se magis putabat causam mortis, eo altiùs Henrici miserebatur. Fœlicem se, quæ vitum admissura, ideo tantum non habuit, vt non amitteret; sed nihilominus infœlicem magis, quæ non solum non amisit, quia non habuit; si habuisset, bis etiam amissura. Sublatam sibi pudoris occasionem, sublato Henrico, à quo delusa fuisset; sed doloris non ita: quando, quem semel acceptasset, sustulisse de medio, videri posset. Ingens solatium fœminæ dimissæ, non aliam successuram in eius thorum: sed non se vnquam ab eo desiderandam, à quo fuisset spreta; ingens calamitas: & vt vindictam sibi concupisceret (quod Deus auertat) at nunquam talem, quam sentire non posset, ipse qui patitur. Demum siue Deum respiciat, siue se ipsam, Henricum, si vixisset, & quandiu vixit, & meriti, & vindictæ materiam esse: mortuum ad neutrum deseruire posse; nisi quod tamen, si orationibus iubetur, vel mortuus, meriti materiam ministrabit. Hæc & similia dum alta mente reuoluit, & rerum humanarum inconstantiam perpendit animo; tum vero se vni viro castam exhibituram Christo firmiùs proponit, à quo neque ipsa de repulsa sibi, sed neque illi de morte timere posset.

5.

Solabatur sororem Alfonsus Rex, neque enim eum latuit, quæ in corde Virginis flamma reuixis-

6.

set,

set, à Viri morte; & seu Mafaldam præ cæteris diligeret, quod ipse dictitabat; siue vt, quam ex Tarasia, Sanctiáque impetitis per bellum contraxisset infamiam, pietate in Mafaldam elueret, nullum, non solum Fratris, verum nec Patris omittebat officium, quo tristem animum posset recreare. Principibus donare frequens, & promptum; soluere si quid debent, rarum, arduúmque. Quippe in illo de potentia sibi blandiuntur; in hoc necessitatem erubescunt: vnde mala plerumque distributio in officiis, in rebus, & minus præmij, vbi plus meriti inest, quo nihil nocentius, nihil rempublicam magis labefactans. Alfonsus in Mafaldam, neutrum omisit, etiam quod difficilius. Extat, referturque ab Antonio Brandaono [h] diploma Regium expeditum hoc anno, quo ex propriis thesauris, qui apud Alcobatiam, & Sanctam Crucem, Magistrum templi, & Priorem Hospitalis (hæc Regiæ Gasæ firma Gazophilatia) custodiebantur, solui iubet Mafaldæ quæcumque debita, promisit etiam dotis incrementum, tanta fœmina dignum si nouas adhuc nuptias tentare vellet. Verum Mafalda, quod semel concepisset retinens animo, Aroucam solum, alterum cœnobium, ex his, quæ sibi pater reliquisset, inhabitare, inter Moniales degere, religiosam ibidem vitam agere, quamuis in habitu adhuc sæculari, quoad vsque cæteris Cistercium instillasset, omni cura, & studio sollicitabat.

h *lib.* 13. *cap.* 16.

7. Inter hæc Sanctia soror, dum Cellas coſtruens Cistercium in dies magis ardet, non tamen ideo ab aliis pietatis, misericordiæque cessabat operibus, quin etiam vltra vires liberalis, & profusa in pauperes, Regiam munificentiam superabat. Satis, superque palam orbi fecit, quam cum Alfonso Fratre litigauisset, non sibi dotem quæsitam, aut acquisitam, sed bono publico. Omnium virtutum multos pro suis meritis: verum misericordiæ & latgitatis, tot ferè laudatores habet, quot Hispania scriptores; quin & ab exteris etiam prædicatur. Hoc ipso anno, quo Cellas ad Coimbricam; ad Alenquerium Monasterium aliud extruxit nouo instituto, tunc recens mundo exorto, & mundum ipsum breui repleturo, quod non tam sibi (etsi sibi per hoc) magis quam proximorum profectui, spirituali, atque Ecclesiæ incrementis destinabatur. Hic nobis primum sacræ Franciscanæ familiæ incidit mentio, quam pietati Reginæ Sanctiæ debitam, & si deinceps non semel repetendā Cistercienses Annales gratulabātur. Gratulamur & nos insigni Viro Fratri Thomæ VVadingo, multisque nouis alias colendo titulis, quod Minorum Annales orbi dederit, adeo copiosos, adeo ex fide scriptos, atque tali iudicio cōcinnatos, vt nullo alio eguerimus in hac materia; imò non alium habere potuerimus, cui vel tutius credere, vel in quo vno videre, conferre omnes, atque de singulis exactè iudicare etiam supra nostrum concederetur.

8. Sacratum familiarum (sic Deus voluit) haud aliud sæculum in Ecclesia feracius fuit. Paucos intra annos quatuor de nouo conditæ, quædam aliæ instauratæ Christianum orbem impleuerunt, dum illustrarunt. Quippe eatenus Monachis Eremus, & ex collegiis, Regularem vitam professis, solis Canonicis, patebant vrbes, & oppida; reliqua rara, & per indulgentiam, nisi in desertis locis, atque à frequentia hominum semotis mueniebantur. Hoc circa tempus, ad varia ministeria, diuersis satis in proximorum salute destinatis, necesse fuit eisdem cohabitare. Ita à Felice, & Ioanne, Viris Sanctis, redimendis captiuis Christianis, qui in Paganorum custodia detinerentur, ne tædio seruitutis Christum exuerent, sub indiuiduæ Trinitatis titulo instituta familia, approbante Innocentio III. sub annum Christi M.CC. XCVIII. cui aliam similem conceptam à Iacobo Aragonensium Rege, anno immediate sequenti memorabimus. Dominicus prædicando Euangelio sectam condidit, de qua multa superius: quin & qui hactenus Eremitæ dicti, habitabant Eremos, atque ipsi Hælianæ quondam vitæ ad Carmelum exactæ, imitatores, animarum salutem sitientes, ad hominum frequentiam transmigrarunt; & dum in vrbibus, quasi in deserto viuunt, consequuntur vtrumque (sic pij credimus, & quà datur; sic etiam experimur) vt & contemplatiuam vitam inquietè conseruent, & eidem actiuam superaddant.

9. Hos inter omnes facile emicuerunt, seu vitæ meritis, seu fauore populi, cuius se totos profectui mancipassent, sectatores Franciſci, qui per eundem Innocentium III. ab anno M.CC.X. licet primo repulsi, sed mox cœlesti visione interueniente eodem anno semel & iterum in Conuentu Generali Lateranensi viuæ vocis oraculo approbati, præcipuas quasque Christiani orbis Prouincias, sed maximè Italiam, Hispaniamque nobilissima prole; nec minus numerosa fœcundauerant. Etiam quod ad Hispaniam nostram attinet, Seraphicus Patriarcha, per se ipsum accepta prius ab Alfonso Rege licentia Burgis, vbi tunc erat, nempe sub finem anni M.CC.XIII. aut sequentis initium, idem primum (& ea gloria inter alias Regiæ vrbi, quod prima omnium Hispaniæ, & Franciscum detinuit, & filios eius habere meruit) secundum Iulio Brigæ (*Logroño* Vulgo) victoriæ tertium (primaria vtraque vrbe, Alabensis, vt vocant, Prouinciæ hac illa Biuogiæ:) quantum, & longè distans, ad Compostellam, cum Sanctus Pater deuotus visitaret Appstoli Iacobi sacra limina; forte & alia nonnulla, nam multa memorant; verum per filios adhuc multo plura, tum in eisdem Regnis, tum apud Aragonios, & Catalonos, Astures quoque, & Vascones, siue Nauarros construxerat cœnobia, in quibus nouum illud vitæ genus ad Apostolicæ perfectionis imitationem (is namque scopus viris) propagaretur. Cum ecce Zacharias, vnus ex eis à Sancto Patre, ad Italiam iam reuerso, in Hispaniam transmissus cum aliis sociis, vltimas eius oras, & totam Lusitaniam penetrauit. Porrò de hac missione Zachariæ hæc Lucas VVadingus in Annalibus. [i]

i *ad hunc ann.* n. 12.

10. *Dum Franciſcus in valle Bearina his ædificandis intendebat cœnobiis, augendæque pietati, & religioni ſtudebat, non inanes fuerint, nec tenues cogitatus ſociorum, quos ſuperiori anno ad diuerſas deſtinarat Prouincias. Illorum, qui miſſi ſunt in Hiſpanam, tres, vel plures vltimam penetrarunt Luſitaniam, ex quibus notiores Zacharias, & Gauterus qui plurima paſſi opprobria, duraſque repulſas, Reginam adierunt Vrracam, Alfonſi ſecundi Luſitanorum Regis Coniugem, Conimbricæ degentem, quæ explorata hominum probitate, & mature per doctos Viros illorum examinato inſtituto, egit cum Rege, vt admitterentur in Regni incolas, & poſſent ſuæ ſodalitatis extruere*

domicilia. Annuit Rex, & extra dictam ciuitatem ad D. P. sacellum Diuo Antonio Abbati sacrum eis concessit, cui statim accreuit humile tugurium, in quo postea Sanctus Antonius Patauinus Minoribus se addixit; cuius adhuc ibi recens memoria, & imitationis locus ostenditur, quem ego sæpius inuisi, dum per quadriennium ferme in Academia Conimbricensium Theologiæ operam dedi. Hæc prima ædes Franciscanis Patribus in Lusitaniæ Regno, fœlix Antonio ad habitum susceptо, atque ex eo prædicante per totum orbem.

11. Pergit deinde ad aliam ab eisdem fundatam domum Vlysipone, celeberrimo totius Regni emporio; & tandem his duabus tertiam subiungit, quam Zacharias ad Alenquerium oppidum, Reginæ Sanctiæ dono, hoc anno habuit. *Tertiam adhuc occupauit ædiculam hoc anno, nimirum M. CC. XVII. Zacharias in oppido Lerabrica vulgo Alenquerio, quod in patrimonium cessit Sanctiæ, Sancty primi filiæ, & Alfonsi secundi germanæ sorori; quam perperam Gonzaga Sancty secundi dicit vterinam. Mire, & iuste laudant hanc heroidem scriptores à pietate, ab illibata castitate, à misericordia. Illius expensis structum est cœnobium ad-subter-labentis alueoli ripam longiusculè ab oppido, Ecclesiamque dicauit Sanctæ Catharinæ.* Hactenus ille de hac prima fundatione Franciscani cœnobij ad Alenquerium. Nam translationem ab eadem Regina factam non multo post nempe ad annum Christi M. CC. XXXII. (quo ipsa tamen rebus incompositis, & vale dicens pompæ seculari, Monasterio Cellensi se inclusit; Monialis effecta, & inter Virgines Virgo permansura) & qualiter Regiam, quam deferebat pro Christo Christi pauperibus inhabitandam tradidit, dicemus in tempore.

Interim adnoto, vt domum Colimbricensem 11.
Reginæ Vrracæ fabricam diximus illustratam, Tyrociniis Beati Antonij: sic & Alenquerianam, Sanctiæ opus, duplici gloria ornatam, illustremque, altera à quinque Martyribus inuictis ad Morrochiam passis, & in ea Hospitatis infrà biennium, cum iam alacres ad palmam properarent: altera à Zacharia fundatore, in ea tandem fœliciter consummato, sepultoque, & florente miraculis, quæ nos etiam inferius dicturi sumus. Vt autem Sanctiæ vtrumque Deus munus sibi gratum ostenderet, fundationem nimirum, & translationem; vtramque hanc gloriam velut diuisisse, atque ipsis ædibus aptè accommodasse, merito putes: & primæ fundationi non permansuræ, transitoriam, vt ita dicam, gloriam à Martyrum hospitio deferendo; secundæ Zachariam reseruasse in finem sæculi ibidem conseruandum, atque eius domus durationis pignus haud contemnendum. Sed iam ad alia huius anni transeamus.

---

1. *Mathyldis Virgo Scotiæ Principum filia* 2. *Alexandrum Fratrem à sæculo, & à domo Patris abducit.* 3. *Conuersum in Fusniaco dimittit,* 4. *vitam ipsa actura supra mortalem,* 5. *numquam ab eo videnda, numquam visura.* 6. *Ipse humili habitu vix latens,* 7. *dum vixit meritis, & post mortem claret miraculis.* 8. *Dictum de Mathyldi,* 9. *& coniectatum de parentibus vtriusque,* 10. *deque fratre Cistercium ingresso, relictis infulis.*

CAPVT SEXTVM.

1. INGERIT sese nobis ad hunc annum clara memoria Alexandri Scotiæ Principis, qui exemplis trium fratrum, sororisque, atque huius etiam Sanctis persuasionibus, spreto sceptro, cuius vnius hæres relictus erat: spreto patre, & patria, cuncta deseruit, vt soli Deo seruiret in Fusniaco, vbi sub humili conuersi habitu, & officio Pastoris latuit, quandiu vixit; glorioſior longe in cœlis regnaturus. Porro quod ad rationem temporis attinet, quæ semper nobis ante oculos habenda, ad hunc annum vixisse inde coniector, quod soror eius, quæ non multo post ipsum creditur obdormiisse, extincta legitur circa annum Christi M. CC. XXI. quod in magno, vt appellant, Chronico Belgico ab eius collectore, notatum video. Sic enim ibi habetur ad eum annum. *Eodem tempore obiit quædam religiosa, & Sancta puella, Mathyldis de Lampion, Regis Scotiæ filia, quæ fugiens nuptias occulte venit in Franciam, & mirabilem egit vitam: in Diœcesi Laudunensi sepulta est apud Sanctum Vincentium Laudunensem.* Hæc tamen ibi. Nec dissentit Thomas Cantipratanus, [a] quippe; qui anno M. CC. LXI. (Georgius Coluenerius putat [b]) scribens libros de bono vniuersali; siue de opibus, grandæuus iam, & post multa alia scripta tradit, se meminisse Mathyldis Virginis eamque suo tempore obdormiisse. Vnde obiter corrigendus facile venit Dauid Camerarius, qui de præcipuis Sanctis Scotiæ tractatum edidit, [c] asserens ex hac vita migrasse Virginem Sanctam anno M. CC. LXIX. Quippe etsi demus aliis exemplaribus Thomam Cantipratanum scripsisse anno M. CC. LXXI. non tamen de defuncta ante biennium, tamquam de re antiqua loqueretur, & cuius singulare esset, quod meminisset, sed tanquam de recenti, comperta omnibus, & quam nullus non fuisset assequutus. Ergo Alexandrum Fratrem circa hoc tempus vixisse aut deuixisse, inde colligitur: nec longe ab eo distare maiorem Fratrem; qui Archiepiscopatu relicto, dicitur ad Cistercium confugisse. Iucundam sane, atque omni admiratione dignam historiam eiusdem Cantipratani verbis primum, mox si quæ occurrerint, siue notanda, siue discutienda, vndecumque possimus proferemus. [d]

Memor sum (ait) *illustrissimæ Virginis Mathyldæ, quæ nostro tempore obdormiisse probatur. Hæc filia Regis Scotiæ, vt probabili relatione didicimus, quatuor Fratres habuit, vnum Ducem, qui relicta vxore pro Christo, pauperrimis exulauit: item alium Comitem, qui vitam Eremiticam duxit, item Archiepiscopum, qui*

a *vbi supra.*
b *in notis ad c. 19. lib. 22. part. 22.*
c *Mense Ianuario.*
d *lib. 2. c. 10. 2.*

qui relicto regimine, Ordinem Cistercienſem intrauit. Quartus fuit Alexander Iunior Frater, annorum ſexdecim, quem cum Pater Rex regnare cogeret, Mathyldis ſoror eius, Virgo viginti tantum annorum, dixit ei, Alexander Frater chariſſime, quid nunc agis? Fratres tui maiores natu, mundum, terramque deſeruerunt, vt cœlum acquirerent: regnum ſpreuerunt mortale, vt regna perpetua poſſiderent. Tibi ergo ſoli regnum relictum eſt, pro quo es & cœleſtem gloriam, & animam perditurus. Nec mora Alexander reſolutus in fletus. Heu, ait, ſoror, & quid conſulis facere? Ego paratus ſum quidquid iuſſeris adimplere. Quo audito gauiſa ſoror accepit Fratrem, & mutato habitu ad remotiora traduxit, vbi eum, & mulgere vaccas, & lac ad coagulum coadunare, & caſſeos optimos facere docuit. Hæc prima pars hiſtoriæ ſatis deuotæ, & cui vix ſimilis de facili inueniatur: quippe in humili, mediocriue fortuna, contemptus mundi, frequens; non ſic in Regia & qui ambiant coronam, multos videas, qui fugiat vix vnum. Quid quod Fratrum exemplum Virgo tenera, & ſequatur, & præeat? Vt maiorum diſcipula, ſic Dux, atque Magiſtra iunioris. Egreſſum Abraham de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo patris ſui, ingentis illis gloriæ initium fuit; Virgini, & puero hæc omnia reliquiſſe, in maiori fortuna; illam ſupra ſexum, hunc ſupra ætatem; in quam non poterit gloriam reputari?

3. Sed maius adhuc, & longè difficilius vtrumque manebat, vt ſeipſos ad inuicem relinquerent, & qui Fraterno auxilio cætera ſuperabant, & mutua dilectione velut ſuffulti, hæc ipſa humana auxilia tranſcendentes ſolum Deum haberent coadiutorem. Ergo accedentes ad cœnobium Fuſniacenſe, in Laudunenſi Diœceſi, cuius plurima mentio in ſuperioribus *Soror, (pergit idem Thomas de Cantiprato) locauit Fratrem pro mulſore VVaccarum, & probatus inuentus eſt in optimis caſſeis faciendis. Hinc Monaſterij Fratrem conuerſum factum ſoror alloquitur, dicens: Multum chariſſime Frater apud Dominum meritum acquirimus, quod terram, parentéſque, dimiſimus; ſed in hoc ſpecialiſſimam remunerationem habebimus, ſi vſque ad tempus futurum, quo nos inuicem in cælo, ad conſolationem perpetuam, videamus, ad præſens nos, vt nullus noſtrum alterum amplius videat, ab inuicem ſequeſtremur. Hoc audito fleuit Frater; grauius iſtud ducens omnibus, quæ dimiſi: & licet inuitus imperat animo, & à ſorore totaliter ſeparatur.* Hoc proculdubio. Opus Diuinæ gratiæ; hoc ingens meritum vtriuſque Fratris fuit.

4. Pergit auctor de Mathylde, nam neque ea nobis omittenda, cui Alexander debitus. *Illa autem ad nouem milliaria, in Villam, quæ dicitur Lampion, ibidem manſura, ſeceſſit; domunculámque paruam habens quaſi Aucarum tugurium, ſolo manuum labore viuebat. Donum, vel Eleemoſynam alicuius accipere, nec cogi poterat, nec rogari. Cum cæteris pauperibus in Auguſto ſpicas colligere recuſabat; ſed extrema cum porcis, quæ euaſerant diripientium manus rariſſima colligebat, vix aliquid ſubſtractum habebat membris, caput humeris iacens æquatum, cibum, & potum, incumbens calloſis genibus, capiebat; hoc idem & in prolixiſſimis precibus faciebat. In orationibus multoties ita ſenſibus abſtracta erat, vt nec corruſcationes aduerteret, nec tonitrua audiret.* Hactenus Thomas.

Cæterum quod vterque concepiſſet firmum propoſitum de mutua adinuicem, quouſque peruenirent ad Deum, ſeparatione, adeò conſtanter, religioſéque vterque ſeruauit, vt paruo licet interuallo diſſiti (nam quæ nouem milliaria fœminæ agili, & quæ terras, & mare traieciſſet? Quod illud ſpatium homini bubulco, & qui multo maiora peragraret paſcendis gregibus?) quamuis, inquam, exigua inter ſe terra diuiderentur, non vnquam ſe leguntur inuiſiſſe, non per Epiſtolas, aut Nuncios ſalutaſſe, non per vltro euntes, aut redeuntes, quod ſatis frequens in his vicinis locis. Quin, eum vterque per Prouinciam Laudunenſem, præ vitæ aſperitate, & ſanctimonia, Alexander etiam ex aliis animi dotibus (quod ſtatim ſubiungemus) celebraretur: nulli tamen innotuit Fratres eſſe, quandiu Alexander vixit: fortè nec innotuiſſet in ipſa morte, niſi obedientia compulſus reuelaſſet, cum iam Mathyldis a quibuſdam prodita eſſet, ſed de his ſtatim ex eodem Thoma: nunc redeo ad Alexandrum ſub habitu conuerſi, & officio Bubulci latentem apud Fuſniacum. 5.

Incognitus manſit vſque in diem mortis ſuæ: & tunc conſtrictus obedientia Prioris ſui, ſe Fratrem Sanctæ Mathyldis, de Lampione, & filium Regis Scotiæ reuelauit. Fecerat autem eum in nobilitate ſuſpectum factum quoddam, quod multum poſtea doluit euenisſe. Vir enim nobiliſſimus Dominus Hugo de Rumeni, aprum immanis magnitudinis venatu laſſauerat: & vt natura beſtiæ eſt, ſtare coegerat ad reſiſtendum. Equo autem nobilis ille deſcendens, aptato pugione, cum beſtiam vellet impetere, & tamen eius truculentiam formidaret, Frater Alexander, qui Vaccas in vicino paſcebat, arrepto pugione de manibus formidantis, beſtiam audacter impetiit, & occidit. Quo viſo nobilis ille in oſcula Fratris Alexandri, illico ruens, verè, inquit, numquam Vaccarum cuſtos, numquam ruſticus vndecumque veneris, increuiſti. Sic medius inter notum, ignotumque Alexander degebat, & in qua vocatione vocatus erat, perſeuerans conſtanter, nec ſciebatur, quis eſſet, Mathylde quamuis cognita, nec de ſanguinis eius claritate dubitabatur. 6.

Interim meritis præcipuè humilitatis, quæ in Regio iuuene virtutes alias commendant, quam annis plenior, obdormiuit fœliciter, pro his, quæ reliquit duplicia recepturus. Nec dubium quin in vita multa fecerit his Annalibus digna; ſed quæ ipſe celauerit, eóque ad noſtram notitiam non peruenerint; tamen cum Fuſniacenſes Monachi virtutum eius conſcij, maximè poſt detectum Regium ſanguinem ſepulchrum Viri, & deuotione præcipua venerarentur, & quidam male ſaucius illuc accurreret, per Sancti merita ſalutem conſequuturus, in ſigni Deus viſione, reuelationéque comprobata miraculo, gloriam mundo manifeſtauit; quæ idem, qui ſupra, auctor, ita ſcribit. *Ne autem de Fratre eius Alexandro, quod gratius eſt prætermittam: cum Monachus quidam fiſtulatum ex vlcere pectus haberet, oraretque ad tumulum iam defuncti, apparuit eidem Frater Alexander, Sole lucidior, coronam geſtans* 7.

ſtans in manibus, & corona capitis inſignitus. Cum ergo Monachus quæreret quid corona duplicata ſignaret; corona, inquit, quam geſto manibus, corona extitit temporalis, quam pro Chriſto deſerui. Illa vero, quam geſto in capite, corona eſt, quam communem cum Sanctis accepi; & vt tibi fidentius in hac viſione credatur, ſecundum fidem tuam, ſanus eris ab omni incommodo, quo torqueris. Hæc de Alexandro. Nec plura de eo alibi.

8. De Mathylde detectam ante mortem, neque per Fratrem, ſed per quoſdam milites Scotos, auctor affirmat; nec fugere potuiſſe, quamuis tentaſſet; retinentibus incolis, qui tantum ſibi Theſaurum ſolicitabant. Demum miraculis ante, & poſt mortem claram migraſſe ad Dominum; quæ omnia his paucis verbis comprehendit. *Soror vero eius Beata Mathyldis, vnde, & quæ eſſet, per quoſdam milites, qui eam in Scotia viderunt, nouem annis innotuerat ante mortem: & nunc ſtatim à terra fugiſſet, niſi violenter retenta ab omnibus extitiſſet. Miraculis multis in vita claruit, & poſt mortem.* Hactenus ſumpta ex Thoma Cantipratano auctore coæuo, nunc hiſtoriam ipſam, atque eius circunſtantias ad Annales Scotiæ componamus.

9. Et mihi quidem de hiſtoria dubium nullum, vtpote ſcripta ab auctore graui, & ſyncero; nec ſcribente de rebus longè diſſitis, aut ſibi aliiſque ignotis, ſed de geſtis in Epiſcopatu Laudunenſi Belgis vicino, vt in Monaſterio Fuſniaci, & Ciſtercienſi ordine, eidem Thomæ, vtroque familiari, quod alia eius ſcripta manifeſtant. Sed ne Mathyldem ad oppidum Lampion floruiſſe per hoc tempus inficiari, alij auctores permittunt. Verum quod dicitur eam, Fratremque filios Regum Scotiæ vt verum fatear, difficile cohæret: Quippe à Dauide huius nominis primo Rege piiſſimo, qui obiit anno M. C. LIII. (ante quem plane incidere non potuit vtriuſque Fratris egreſſus à domo Regia) vſque ad annum M. C C. XIV. quo Alexander cognomento Leo regnare cœpit (poſt quem non potuit) qui duo, nec plures Reges interceſſere, Micolmus, & VVillelmus; ille non ſolum ſine liberis deceſſit, verum cælebs, & Virgo, vnde illi cognomen: hic Alexandrum quidem filium habuit, at non conuerſum, Vaccarumve cuſtodem, ſed Regni hæredem, & quinque ſupra triginta annos regnaturum. Crediderim Regio ſanguine, Principes, Reges tunc appellatos, quod in Hiſpania pro filiabus Regum vſu receptum; atque Alexandrum vnius ex his filium, Mathyldemque filios Regum vocatos latiori nomine. Vnde, non Regnum pro Chriſto à ſe relictum (cum Monacho apparuit) teſtatus eſt; ſed coronam, vtcumque; quam ad Duces Marchioneſque, & Comites extendi, licet diuerſis inſignitam radiis, ex auctoribus conſtat, qui de his agunt.

10. De Fratre alio Alexandri maiore natu, qui Archiepiſcopatu renunciato Ordinem Ciſtercienſem ingreſſus dicitur, multò adhuc minor nobis notitia ſubeſt. Quippe non ſolam perſonam ignorantibus, verum etiam Eccleſiam, cœnobiumque; nec ſubeſt ſeries Epiſcoporum Scotiæ, ex qua forte aliquid liceret coniectari.

---

1. *B. VVerrici Alnenſis Prioris.* 2. *Miſericordia Martiniana amula*, 3. *neque ſine Diuina acceptatione.* 4. *Dona miraculorum, & Prophetiæ.* 5. *Sancta mors, ſepultura*, 6. *& Epitaphium.* 7. *Dictum de tempore & de Sancto alio Nouicio.* 8. *Translatio Aquiriæ, & eius incrementa*, 9. *conuerſa Iolendis*, 10. *& combuſtus Germanus Abbas, per miraculum à Deo manifeſtatus.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. EX Laudunenſi Diœceſi vicina tranſeamus in Belgium, vbi & hoc anno nonnulla contigere, quæ non licet ſilentio præterire. In Alna VVerricus Prior Sanctè obdormiuit, meritis æque clarus, doniſque, atque ex vtriſque dilectus Deo, & hominibus, vt & memoria illius in benedictione, & ipſe in gloria Sanctorum ſimilis factus, in Dei laudes accendat legentium corda. An VValtero immediate ſucceſſerit in Prioratu, diffinire non audeo: ſed ſi ſucceſſit, Sanctorum triadem clauſit; nam VValterum non vnicum, ſed duplicem eam curam in Alna adminiſtraſſe ſuperius vidimus: quocumque loco, aut Ordine ſucceſſerit, & ſi ætate recentior, meritis nullli venit poſtponendus. Vitam ipſius Metricè deſcriptam ab auctore coæuo Arnaldus de Rayſe refert, ex qua hauſta, quæ tradit, tum aliam oratione ſoluta, Chryſoſtomus Henriquez, cuius multa fragmenta ipſe tranſcribit. Igitur nos, qui neutram nacti ſumus, deſumemus ex ipſis, ſi quæ alia fortaſſe addiderimus, in Ioanne Aſſignienſi, qui, quam ſermone Gallico ſcripſit, ex vtraque collegit, mutuaturi.

2. Patria, & parentes VVerrici latent, virtutes conſtant; duæ præcipuè, quibus præ aliis floruit: miſericordia in pauperes; & indefeſſæ Lectionis perpetuum ſtudium, à quo nec in morte potuit ſeparari; vtramque extra conſuetudinem extendiſſe, multis eſt viſus, imò vltra poſſibile, ſi vires humanas ſpectes, hanc vltra vitam, quod infrà declarabo, illam vltra rationem. Quippe cui inſidere ſolebat, æquam adeo docilem habuit, in hac parte adeò ſuo deſiderio cooperantem. *Vt* [a] *quandam ſpeciem rationis præſeferret (actorum Viri ipſiſſima ſunt verba) conſpecto enim egeno, vlteriorem progreſſum non dabat, vt Beato VVerrico ſpatium aliquod, Verbum ædificationis, ſeu Eleemoſynam impertiendi permitteret. At (res omnibus admiranda) ſi virum aulicum, comptum, ſuperbum conſpiceret, incredibili celeritate receſſum ab ipſo faciebat.* Ingens ſanè virtutis, aut vis, impetuſve, qui etiam animalia bruta inuoluit, & poſt ſe trahit. Inter Sanctos præ cæteris colebat Sanctum Martinum

a apud Henriquez. Maij 12.

Martinum, in quo & hanc præ aliis virtutem æmulabatur. E duabus tunicis, alteram algentibus in media hyeme dedit semel, & iterum: & cum vnica sola tectus esset. *Iterum etiam (affirmant eius acta) anhelans ad virtutem B. Martini, mediam habitus sui partem pauperi mulieri largitus est.*

3. Neque defuere charitati Viri Diuini, acceptationis manifesta indicia vt in Martino olim: quippe vt non ipse amictum Christum viderit veste, quam exuisset: at ipse amictus Luce vice visus est, id est veste gloriosa, quam per hæc opera sibi comparasset. *Quadam die cum oratione feruenti absorptus esset, lumen quoddam per Ecclesiam, se dispersit, & septem radios ex eodem fulgore promanantes vidit, & vocem audiuit dicentem: corpus quod modò geris, grauissimis dolorum procellis concutietur; post resurrectionem vero septies lucidius Sole radiauit.* Cæterùm Lucem hanc specialissimæ misericordiæ suæ præmium fore, alia similis visio manifestat, seniori cuidam facta. Cum ab Abbate suo comprehensus saccum farinæ absconderet, tempore famis erogandum pauperibus; erubuit Vir totius humilitatis, nec tam fortasse furtum omino pium, neque vnquam pio Abbati displicituru, quam detectam virtutem, quam ipsa vellet latere cunctos mortales. Tum vero Ecclesiam properus ingreditur, orat Dominum supplex; mox quendam senem, vt pro se deprecetur, Abbatem rogat: cui senex: Deus, inquit, eum pacauit, qui mihi ostendit, dum orares, circumamictum Luce, & radios emittentem Luce clariores. Plura huius generis suppetunt exempla, plura prodigia, sed quæ non vacat in præsenti recensere.

4. Prophetiæ, & miraculorum donis claruisse hominem, multa conuincunt, ex quibus vnum aut alterum excerpam, & miracula quidem frequentiora, & velut habitualia. *Dum enim (aiunt acta vitæ[b] eius) Sanctus Vir sacrum celebraret, febribus laborantes accedebant post sacram Synaxim, & secundam ablutionem aquæ recipientes, vasaque deferentes, postquam illam sumpsissent, sæpius ab infirmitate liberabantur.* Hæc de miraculis. Audi de Prophetiis. Sollicitabat Monachus quidam eius orationes, quas ipse alacer pro eo ad Deum fundebat; cum ecce quadam die Monachus dixit: Hodie, pater, mei oblitus es, neque solitis precibus iuuasti. Cui Prior: Imò, ait, pro te orani, & male tecum agi, plane cognoui: cum primum enim orationem cæpi, ingens caligo circunfudit orantis mentem. Ergo age, & vide, an tu in Luce verseris? Tunc ille sibi admissæ culpæ conscius, atque ad Sancti Prioris pedes procidens, humiliter suum peccatum confessus est, atque verè compunctus, caliginem ab orantis mente dissecit, dum à se culpam. Addam euentum, qui vtrumque donum coniungat. Extremè laborantis in puerperio, & iam salute omninò desperata, post sex dies in pressura illa exactos, Vir Alnam venit, & VVerricum, vt sui misereatur, & pro periclitante vxore roget, supplex exposuit. Orat Vir Dei, & statim exauditus, simulque de orationis fructu admonitus, confide, ait, & vade in domum tuam, breui enim vxor periculum euadet. Res mira! antequam homo ad domum perueniret, peperisse vxorem sine vllo cruciatu; neque ex quo Sanctus orationem pro ea fudit, subiacuisse periculo, aut dolori per nuncios edoctus, mox per se inueniens: Quid magis in Viro Dei venerarentur, Prophetiæ donum, an efficatiam orationis, vtrumque expertus, dubius ignorabat: & Deum de vtroque æque collaudans in Priore Alnensi, sibi de fœlici ignorantia gratulabantur

[b] apud Ioan. de Assignies, in conclaui Gallico.

Cætera prosequi longum esset. Ergo cum plures annos iam in ordine, nec paucos in officio Prioris exegisset, in lectum incidit, vbi acerbis doloribus cruciatus, iuxta præhabitum oraculum cœleste, defœcatus ab omni reatu criminum, eóque statim ad cœlos migraturus. *E viuis decessit (ait Arnaldus de Bayse ex epitaphio antiquo, quod mox, adducam) anno salutis millesimo, ducentesimo, decimo-septimo.* Orphanos planè filios derelinquens: sed tanto, ac tali aduocato, pro se ad Deum transmisso, fidentiores. Fuit homo, quantum ex auctoribus, qui eius vitam scribunt, licet colligere, statura pusillus, corpore gracilis, facie non indecorus sed caluus capite, & habitu plerumque despicabilis; in rebus sæculi ad ruditiem pene declinans; in cœlestibus promptus, viniduſque, & qui vix vnquam sacrorum Librorum lectione, atque eorum exacta intelligentia, quam supra hominem habebat, satiari posset. Hinc factum est, vt filij eius, & Fratres, corpori sepeliendo eligerent locum, quem viuenti gratiorem non dubitabant; nempe in claustro, quod nos lectionis dicimus, inter præsidis Sedem, lectorisque; vbi vel mortuum lectio Sancta numquam desereret. Atque hoc est, quod in principio diximus, VVerricum lectionis sacræ studium, qua potuit, vltra vitam prorogare. Porrò locum sepulchri, causamque, atque defuncti corpus ibidem iacens, simul & tempus pretiosæ mortis eius, hoc epitaphio antiqui notauere, quod à Chrysostomo Henriquez,[c] adductum hæc habet verba.

[c] in Menologio.

Cui gaudium legere semper fuit, & meditari,
Inter Lectores habet nunc & tumulari.
Ad dextram tumuli sedet Abbas cum recitatur
Lectio moralis, collatio dum teneatur:
Ad læuam residet monimenti, qui legit alte:
In medio recubat tumulatus, Lector & iste.
Quod sepelitur ibi, non est occasio vana:
Sic voluit, sic deposuit sapientia sana.
Nunc neque defuncto sacra lectio deficit isti,
Qui semper legere studuit de dogmate Christi.
Corpus ibi tegitur nobis in pace sepultum:
Sed fœlix anima lætatur in æthere multum.
Iuncta piis Monachis, quos semita Religionis,
Iam super astra tulit, dignos sine fine coronis.
Si velit ille, sciens, quem nihil latet intus, & extra,
Credimus his iunctum VVerricum iam super astra.
Nunc Deus ille bonus, qui præmia contuplicata
Reddit in æternum. det ipsi vita Beata.
Septimus, & decimus annus, cum mille ducentis
Dum currebat, eum posuerunt in monumentis

Hactenus epitaphium antiquorum impositum, & rude pro more sæculi, sed quod satis intentum præse ferebat.

6. Ex eo venit corrigendus Ioannes Molanus, qui in suis Natalitiis Sanctorum Belgij, agens de Beato Simone conuerso Alnensi, ait. *Corpus eius*

eius cum corporibus duorum Monachorum, quorum vnus fuit, Nouitius, alter VVerricus Prior in altari ad ingressum Ecclesiæ tumulatum est; & in Ordinario annotatur, VVerricum obiisse anno millesimo ducentesimo nono, quarto Idus Maij. Cæterum, quod attinet ad annum ex epitaphio, & ex vita M. S. quam tam Henriquez, quam Arnaldus de Rayse adducunt, corrigendum; quibus Aubertus Miræus, Hugo-Menardus, atque alij plerique adstipulantur; sic mensem non Maium, sed Decembrem Sancti Viri natalibus illustrem vtriusque conuenit; nisi quod Henriquez, in vita, ex qua transcribit, secunda die, id est quarto Nonas Mensis: Rayse, & Asignies, quinta, id est, Nonis obiisse, notatum tradunt. Miræus vero in Chronico Cisterciensi, decimo octauo Kalendas Ianuarij, id est Decembris XV. quam etiam diem notat Hugo-Menardus, [d] vt nulli tutò liceat adstipulari. Atque hæc satis de Viro Sancto VVerrico, quem breui illum Nouicium subsequutum, cuius Molanus meminit, inde coniector, quod anno millesimo, ducentesimo, vigesimo nono, quo Simon obiit, iam sepulturæ, nec tunc recenter traditus, sed ante annos aliquot, post quos decenter posset aperiri; nisi dicamus fiducia Sanctitatis, reseratum sepulchrum, à quo nihil timerent corruptionis.

d *in Martyrolog. Mon.*

8. Inter hæc laborantibus penuria aquæ Aquiniariis Virginibus, aliæ sedes quæsitæ, inuêtæque vsque in hodiernam diem permansuræ, in quibus *nobilissima puella (ait Thomas Cantipratanus* [e] *in vita Lutgardis) Beatrix de Roairia Monialis effecta; facultatibus suis Aquiriæ Monasterium ab inopia copiosissimè vindicauit.* Hic Sybilla Gagesia illustris Virgo; & supra sexum docta, hic Elisabetha Wansca, Sanctitatis Lutgardis haud dubie æmula, neque minus fauorum: hic multæ aliæ insignes Moniales: quin ex Capellanis Balduinus Berbenchonius, post Ognicnsis Prior; ex Conuersis VVerricus, Guidoque, atque alij non pauci floruêre; de quibus suo tempore dicemus. Interim referam Iolendis conuersionem circa hos annos in eodem cœnobio factam Lutgardis meritis, quam auctor vitæ eius his verbis narrat. [f]

e *lib. 3. c. 17.*

f *lib. 2. c. 11.*

9. *Monialis quædam Benedictini instituti, Iolendis nomine in Monasterio, quod Sambræ adiacet, degens, mundi illecebris dedita fuit: hortatu autem piæ fœminæ, ad Aquerinum Monasterium conuolauit; erat genere nobilis, & delicatissimo corpore: pro ea Lutgardis Dominum instantissimè orauit, vt & peccata ei remitteret, & gratiam deuotionis infunderet. Non potuit Christus negare deprecanti, quod petiit. Perducta est Iolendis illa ad sancta conuersionis statum.* Hæc de prima illius conuersione, At de perseuerantia, progressuque, & fœlici eius exitu (quia annus mortis certus ignoratur, nisi quod tamen præcessisse Lutgardim constat) hæc, quæ sequuntur. [g] *Cum illic, id est in Aquiria, annis plurimis Domino seruisset, ipso reuelante, præsciuit obitum suum. Accedens itaque ad Lutgardim matrem in Christo, & Dominam suam: Pro me, inquit, Dominum multa instantia deprecaris: iam enim aduentat tempus vitæ: respondit Lutgardis: Intrepida expecta Dominum. Certa sum enim, clementer eum acturum tecum, & à pœnis, quas reformidas, breui te extracturum. Tu vero post obitum reuertaris ad me, sed primum dicito; Benedicite; deinde orationem Dominicam cum Angelica recites, ne suo more Diabolus aliquod figmentum adducat. Mortua est ergo, vt prædixerat, Iolendis cum ingenti spiritus feruore; & necdum triginta dies abierunt, cum illa oranti Lutgardi apparuit; & primo; Benedicite: deinde cætera dixit. Lutgardis ergo respondens. Amen; mox subiunxit: Quomodo habes? Dominus, ait, non est me abominatus propter enormitatem peccatorum meorum; sed tua causa magnam mihi præstitit misericordiam. Quod vbi dixit, repente abscessit. Lutgardis vero cum multis lachrymis Diuinam erga peccatores clementiam laudauit.*

g *vbi supra.*

Claudat hoc caput Germani Abbatis, cuius heu! nomen periit, in medio licet igne fœlix mors, quippe quæ exulem, compendio in patriã ductum, inter homines etiam honorauit. Eam vicini coæuique auctoris Cæsarij Heisterbacensis verbis scribo. [h] *Ante hoc quinquennium, qui nunc est Dux Baioariæ, vnum ex Abbatibus Ordinis nostri ad se vocauit, nescio quid cum eo tractaturus: nocte præparatus est ei lectus in horreo, qui cum dicto completorio isset cubitum, lumen, quod à conuerso posti fuerat infixum, in stramen cecidit, & in flammas profecit: à quibus Abbas excitatus, cum ostium exire non posset, in modum crucis, se in terram prosternens, exitum suum Domino commendauit. Comperto incendio Dux cum militibus, & omnibus, qui aderant, accurrit; reiectisque lignis, ac stipulis, Abbatem semiustum, atque extinctum extraxerunt: & ecce, circa pectus eius apparuit capsella cum reliquiis, ventrem vero eius catena ferrea stringebat; quibus visis Dux compunctus dicebat: videte, quod Sancto isti viro vestimentorum asperitas sufficere non potuit, nisi etiam catenam superadderet. Sepultúsque est Ratisbonæ in Ecclesia maiori. Post dies paucos, cum duo milites in eodem loco missam audirent, vnus sepulchrum eius ascendit. Vt autem Deus ostenderet, qualis esset meriti illic tumulatus, miles tam vehementer in pedibus ardere cœpit, vt desiliens, clamaret: quo comperto alter respondit. Sepulchrum est illius combusti Abbatis. Ex illa die habitus est in eadem Ecclesia, in magna veneratione.* Hactenus ille. Nec plura nos de Viro, quem non aliunde notum, nulla maiori notitia donare possumus.

h *lib. 11. cap. 26.*

10.

1. *Columbano Abbati, ac Ferrariensi, 2. & Thomæ de Torsillo multa in Italia; 3. in Gallia Casæ Dei, Pontis alti, de Corona, & de oratorio. 4. In Hispania sacrorum mœnium, Ouilaque multa, & grauia negotia committuntur. 5. Confirmatæ aliis donationes, & priuilegia. 6. Consecrata Ecclesia Casamarij, 7. solemni pompa. 8. Sublatus abusus in sacrificando pro præsenti defuncto; 9. atque alteri imminenti malo occursum. 10. Audita petitio Sancti Engelberti Coloniensis. 11. Calatrauæ translatio. 12. Et dictum de reliquiis Sanctorum Martyrum. 13. Cœnobium Sancti Bartholomei hoc anno nostris vnitum.*

CAPVT OCTAVVM.

1. HOc item anno plura alia iniuncta per Italiam, per Galliam, per Hispaniam: quæ nec licet omittere, neque vacat ad longum recensere. Columbano Abbati insigni Viro, Beaumontio vice Comiti, cuius superiùs fecimus mentionem, Placentina Ecclesia bis commissa, semel, vt Sacerdotalibus præbendis, nisi administrarentur per Presbyteros, de ministris idoneis prouideret [a]. *Quod si noluerint (ordinarij, qui eas possident) præbendas ipsas auctoritate nostra suffultas personis idoneis, quæ Sacerdotali fungantur officio, studeas assignare. Datum Laterani V. Kalendas Martij, Pontificatus Honorij anno primo.* Iterum, cum Ecclesia ipsa vacaret, & electoribus inter se discordibus, electio Archiepiscopo Ianuensi commissa, optato adhuc effectu frustraretur. *Vt hoc negotium* (inquit Honorius Papa [b]) *possit consultius, & vtilius auxiliante Domino promoueri, te, fili Abbas, exequutioni eiusdem duximus adiungendum, mandantes, quatenus in ipso negotio, iuxta priorum litterarum nostrarum continentiam, sine morę dispendio procedentes, præfatum Capitulum diligentius moneatis, vt infra quindecim dies post monitionem vestram, iuxta litterarum nostrarum tenorem, sibi prouideant de persona idonea, vestro mediante Concilio; in pastore alioquin vos auctoritate nostra, appellatione remota, de persona idonea prouideatis eisdem Datis Laterani V. Kalendas Martij. Pontificatus nostri anno primo.*

a *Ex Regest. Honor.*

b *vbi supra.*

2. Vt autem Abbati Columbæ Placentina pro instituendo Episcopo; sic Aliphana pro eo destituendo, quem pastorem haberet, Ferrariensi ab Honorio commissa, legitur [c]. *Cum infra trigesimum annum ordinatus, & tempore electionis per laicalem potentiam introductus, & excommunicatus, se fecit in Episcopum promoueri. Datis Tarentini duodecimo Kalendas Septembris, Pontificatus Honorij Papæ tertij anno secundo.* Sic & Camaldulense Monasterium (nisi corruptè scriptum de Vaga Diuia) Abbatis Sancti Thomæ de Torsillo visitationi, & correctioni commissum est. *Cum Abbas eius* (vt idem Honorius ait [d]) *dudum ad correctionem, & reformationem Monasterij eiusdem laborans, proficere nequiuisset; nec huiusmodi Babylonis, quam studio multo curauit, ad sanitatem vllatenus peruenire, quinimo eius computruissent, adeo cicatrices, vt earum fœtor, etiam laicos ad nauseam prouocaret.* Ita Honorius seuere, grauiterque, quamuis non à seipso, sed ex ipsius Abbatis relatione. Hæc in Italia.

c *ibidem.*

d *Eodem loco.*

3. In Gallia, cum Auxitanus Archiepiscopus, Garsias, vt coniector, abuteretur clauibus, & conciliando sibi Francorum Regi (quæ hominum plerumque conditio est) in Baiocenses, atque alios suffraganeos, Anglorum Regis subditos, sub prætextu asserendæ nouæ pacis, detraheretur. Quin & vt ciuitatem prædictam (Baiocensem) hostes eiusdem Regis (Angli scilicet) faciliùs valerent occupare, ciues ad diuersa loca trahere niteretur, vt eadem vrbs maneret immunita, &c. Cum, inquam, hæc & alia plura faceret, bello flagrante, inter Gallos, Anglósque, cuius supra meminimus: Honorius Casæ Dei, & Pontis Alti, ex Cistercij Abbatibus iniunxit, vt ad Archiepiscopum mandata eius perferrent *quæ si neglexerit adimplere*, ait [e], *vos eum ab huiusmodi præsumptione, inspecta tamen prius veritate, per censuras Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescatis. Datum Anagniæ, quarto Idus Iulij, Pontificatus ipsius anno primo.* Rursus cum Canonicorum Regularium, nobilis Abbatia Sancti Vincentij, Siluanectensis Diœcesis, insinuante Episcopo. *Propter malitiam habitantium in ea, grauiter collapsa in temporalibus, & in spiritualibus deformata vix, aut nunquam valeret reformari, nisi quidam ipsius Canonici prorsus amoti fuerint ab eadem, collocando singulos in singulis Monasteriis conuicinis, commoraturos in ipsis, quousque idem Monasterium à suis videatur calamitatibus respirasse; nec non assumendo de aliis Monasteriis, seu Ordinis aliquos scientia, & religione pollentes, ac ponendo eos in Monasterio sæpè dicto, vt alios verbo, & exemplo informent ad obseruantiam regularium præceptorum.* Cum, inquam, hæc Episcopus (Gaufridus, vt puto, quem etiam Ordinis Cistercensis fuisse, in aliquibus M. S. notatum lego,) insinuasset Honorio; ipsi eidem, cæterum non soli, sed adiuncto Abbate Longipontis, totius rei remedium ample committit, dum hæc subiungit [f]. *Nos igitur gerentes de vestra circunspectione, ac modestia fiduciam pleniorem, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, Deum habentes præ oculis, exequamini, provt videritis expedire. Datis Laterani X. Kalendas Nouembris, anno secundo.* Tertio cum Abbatia Sancti Sabini Diœcesis Pictauiensis, à Monachis Benedictionis inhabitata, quæ hactenus, vt Honorius Papa ait [g]. *Dexteræ, & leuæ benedictionibus abundasset, adeo, vt in rore cœli, & pinguedine terræ benedictionem habere dignosceretur. Moderni Abbatis culpa in spiritualibus, temporalibúsque deformaretur, per pernicioſæ conuersationis exemplum, & per vitium dilapidationis iniquæ, ita vt iam non esset in eodem Monasterio, spiritualium, aut temporalium species, neque decor.* Idem Honorio Abbati de Corona, & duobus collegis in mandatis dedit [h]. *Vt ad præfatum Monasterium personaliter accedentes, & habentes præ oculis solum Deum, inquisita*

e *vbi supra.*

f *Ex eisdem Honor. Papæ Regest.*

g *vbi suprà.*

h *ibidem.*

ſuper præmiſſis, & aliis, & cognita, veritate, corrigatis, & ſtatuatis, tam in capite, quam in membris, quæ ſecundum Deum, & Regularem obſeruantiam, corrigenda videritis, vel etiam ſtatuenda. Datum Laterani II. Nonas Nouembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo. Demum Eccleſiæ Sancti Martini Turonenſis in partes diuiſæ, & propter diuiſionem defraudatæ obſequiis debitis, quippe multis defunctis, aut promotis, nec concordantibus Canonicis, quos, in eorum locum ſubrogarent; Abbas de oratorio Andegauenſis, cum aliis duobus datus eſt. *Quatenus prædictos Canonicos* (ait Honorius, [1] coſdem quos mittebat, legatos alloquens) *vt Eccleſiam ipſam de perſonis idoneis, in præbendis vacantibus, infra certum tempus præfigendum à vobis, non differant ordinare, moneatis prudenter, & efficaciter inducatis; quod ſi monitis veſtris acquieſcere non curauerint, vos extunc præbendas eaſdem perſonis idoneis, ſublato cuiuſlibet contradictionis, & appellationis obſtaculo, conferatis. Datum Laterani Idus Decembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

1 *ibidem.*

4. Haud aliter in Hiſpania factum video, Burgenſi Epiſcopo cum clero litiganti, ſacrorum mœnium Abbas, Ioannes, (vt credo) qui ab anno M. C C. V I I. Raymundo huius nominis ſecundo, & in Ordine Abbatum quarto ſucceſſerat, cum Valliſoletano iudex datus, qui [k] *de conſenſu partium poſt multos alios recuſatos, litem dirimerent ſine debito ab ipſis decidendam. Datum Laterani octauo Kalendas Aprilis, Pontificatus Honorij anno primo.* Quin, & Chonchenſi Epiſcopo denunciato coram Pontifice in curia [l] *Quod Simoniæ lepra reſperſus, vitio dilapidationis effuſus, incontinentiæ libidine inquinatus, ac aliis facinoribus multipliciter irretitus, pactum cum morte feciſſe videtur, eámque manibus, & pedibus accerſiſſe, quia charitatiuè commonitus contempſerit corrigere hactenus ſemetipſum, quin potius tanquam in profundum venerit peccator, & correctione deterior, excommunicatus Diuina celebrare præſumit, propter quod factus odor mortis in mortem commiſſum ſibi gregem peſtilentiæ ſuæ pernicioſo exemplo corrumpit.* Hæc accuſatio, ſi vera, perditi hominis, cum diu ab Honorio Papa repulſa eſſet, tandem multiplicatis clamoribus admiſſa: legatique Monaſterij Ouilæ Abbas (Ferdinandus, vt credo) vna cum Archidiacono, & ſarcita Oxonienſis Eccleſiæ, qui, [m] *Vocatis, qui vocandi eſſent, & inquiſita ſuper his diligentius, & cognita veritate, & ſuper aliis omnibus, de quibus admonitus fuiſſet, dignoſceretur, quod Canonicum foret, Apoſtolica auctoritate ſtatuerent, facientes, quæ decreuiſſent, per cenſuras Eccleſiaſticas firmiter obſeruari, &c. Datum Laterani XVIII. Kalendas Ianuarij, Pontificatus anno ſecundo.* Demum inſigne, neque vnquam ſatis laudandum, Monaſterium Sancti Facundi in Regno Legionenſi, cum inteſtinis diſcordiis, inter Patrem, & Filios, Abbatem, & Monachos, ab aliquibus annis agitaretur, quæ neque per Aurienſis, neque per Burgenſis Epiſcoporum viſitationes (nam vtraque præceſſerat) ſopiri potuiſſent, hoc tandem anno per duos Ciſtercienſes Abbates, de ſpina, & de ..... deſiderata pace potitum eſt; conceſſa eis ab Honorio facultate *vt inquiſitas ſuper ſingulis quæſtionibus, & cognita plenius veritate, ſtatuerent, quod ſtatuendum foret, atque penitus, appellatione poſtpoſita, facerent obſeruari. Datum Laterani Idibus Nouembris, Pontificatus ipſius anno ſecundo.* Conſtat extunc ceſſatum à longa lite, quæ non hactenus potuiſſet terminari.

k *locis cit.*

l *Ex eiuſdem Reg. Honor.*

m *Ex Reg. Hon. Papæ.*

Indulta item noſtris hoc anno quædam ab eodem Honorio, quæ & hic breuiter veniunt inſerenda. Confirmatæ Eccleſiæ Fontis Frigidi Regiæ donationes factæ ab Alfonſo, & Petro Aragonenſibus, pro dotatione quorumdam luminarium, ante Deiparæ altare, quorum ſuperiùs fecimus mentionem. Datis Laterani octauo Kalendas Aprilis, Pontificatus anno primo, Confirmata & Eccleſiæ Sancti Martini propè Viterbum donatio Regis Angli, quam anno M. C C. V. commemorauimus. Cauſa inter Fullinenſes & Firminianos, quam nos tomo ſecundo recenſuimus, [n] terminata hoc anno, & Fullinenſes, ſeu Sanauallenſes, iudicati immunes à Firminianorum prætenſa iuriſdictione: reſeruato vtriſque iure litigandi, ſuper quadam penſione, quam ſibi debitam conſtanter iſti aſſerebant, illi negabant, litteris de hoc datis Ferenti vigeſimo Kalendas Auguſti, Pontificatus Honorij anno ſecundo. Abbati rurſus, & Conuentui de Lozeio, ſiue de Locedio indultum eſt *vt cum, prout vobis expediat, armenta veſtra, ſeu etiam quælibet animalia, paſcendi cauſa, ad diuerſas tranſmittitis regiones, vel miſſa etiam reuocatis; nulla perſona Eccleſiaſtica, pedagij nomine, quidquid præſumat à vobis, vel veſtris paſtoribus extorquere, vel eos in aliquo indebitè moleſtare. Datis Laterani V. Idus Martij, Pontificatus noſtri anno primo.* Minuta hæc. Sed quæ aliquibus grata, vtiliaque, nulli moleſta eſſe, aut poſſint, aut debeant, cum adeo valeant pertranſiri.

n *ann. 1148. cap. 12.*

5.

Hoc ipſo anno, idem Summus Eccleſiæ Præſul, quam Caſemarij Baſilicam condiderat, dum eſſet Cardinalis, rerum potitus, dedicauit ſolemni ritu. At quam ſolemni? Lego apud Baronium tomo XI. Annalium, cum ei de Caſemarij cœnobio ſermo inciderat. *Honorius*, ait [o] *cum eſſet Cardinalis, nomine Centius, titulo Sanctorum Ioannis, & Pauli, eam erexit Eccleſiam, quæ & fuit conſummata ſub Innocentio Papa prædeceſſore. Porrò eidem conſecrationi interfuiſſe leguntur Epiſcopi Cardinales duo, Preſbyteri Cardinales tres, Diaconi Cardinales ſeptem, & Epiſcopi alij decem.* Ita Baronius. Sed de eiuſdem Eccleſiæ dedicatione præſtat eumdemmet Honorium audire ad Raynerium Abbatem, & Caſemarij Monachos, in hæc verba ſcribentem anno ſequenti [p]

o *Ad ann. M. XXX.*

6.

Honorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis Raynerio Abbati, & Conuentui Caſemarij, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

p *vbi ſuprà.*

7.

Si apud Hebræos olim, qui fuerunt tempore legis, templi conſecratio celebris habebatur (nam Salomon templum, quod Dauid Pater eius ædificare voluit, Domino auxiliante, perficiens conſecrauit, fecítque tempore illo feſtiuitatem celebrem, & omnis Hieroſolyma cum eodem) multo magis nunc ſolemnis debet haberi, cum per Ieſum Chriſtum data ſit gratia, & veritas patefacta. Cum ergo ad conſecrandam Eccleſiam veſtram, à vobis cum multa fuerimus ſupplicationis inſtantia inuitati, quam in minori officio feceramus propriis ſumptibus fabricari cum honorabili cœtu Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Cardinalium accedentes, eandem Eccleſiam, accedente fidelium multitudine copioſa, ſeptimo decimo Kalendas Octobris, in perſona

duximus

duximus propria consecrandam. Ita Honorius ad Casemarienses sequenti anno: quo item, & in eisdem litteris iubet dedicationis diem à Casemarienſibus, & in aliis Sanctorum Ioannis, & Pauli festum ab vniuerſo Cistercio celebrari, quæ nos etiam in tempore dicemus. Notat Baronius hinc agi cœptum, de vnienda Abbatia Sancti Dominici de Sora cœnobio Casæmarij; quod & tandem effectum post quinquennium, annuente Friderico Imperatore, ipso anno, quo euenit, declarabimus. Interim adnoto hoc fauore Honorij erga Casæmarienses effectum esse, vt & Fullina, siue Sanuallis eidem visitanda committeretur, quin plura alia, Alactino Priori, quibuſdámque, de quibus in sequentibus dicemus.

8. In Capitulo nullæ latæ leges, adeo non emergebant vlla mala, quæ legibus venirent rescindenda; sublatus tamen abusus non tolerandus, qui ab antiquo sub specie pietatis, ad hæc tempora vsque pertranſiisset; vt pro defuncto, si præsens tunc adesset, atque deessent alij, qui celebrarent, sacrificium offerret Sacerdos, qui alterius missæ sumpsisset ablutiones. Non quod putarent missas pro defunctis, à non ieiunis posse celebrari: qui error in Concilio Bracharensi primo, capite VI. & Bracharensi II. Canone X. à Priscilianistis descendens in aliquibus Hispaniæ partibus viguisse (at non puto extra ipsam) commemoratur: sed quia censerent præceptum positiuum Epikeiam admittere; neque ab eius limitibus deuiare, quod tunc recens egressa anima è corpore potiretur suffragiis, quæ & purgatorias pœnas diminuerent, & aditum ad cœlum accelerarent. Sumendam Eucharistiam à non ieiuno, si in extremis laboret, ne Viatico careat, quod nulli dubium: probari aliquibus, à non ieiuno confici, etiam non laborante, vt laboranti detur, si non posset aliunde ministrari

q *Vide Diana tract.14. resol.66. & 3.p. tract.6. resol.33.*

q. Hæc animæ egredienti subsidia dari, siue per dispensationem generalis præcepti, siue per Epickeiam, seu tandem per conflictum alterius legis, quæ maiorem vim habeat; cur non egressæ? & legem charitatis multis titulis, positiuis præceptis præferendam? His & similibus sæculo illo rudi, & in quo multa minus adhuc solide, minus adhuc districtè cognoscebantur (quod vel Magistri sententiarum libri facilè probant,) persuaderi potuerunt antiquiores, licere in illo casu etiam à non ieiuno sacrificari; si, inquam, solas sumpsisset ablutiones, quæ non per modum potus corporalis, sed per modum bibiculi spiritualis potus, ne quid in ore maneat, sumi solent. Vtcumque fuerit sublatus is abusus lege à Conrado lata sub his verbis. *Firmiter inhibetur, ne aliquis in ordine nostro, post secundam ablutionem, pro mortuo, vel alio aliquo casu celebrare præsumat. Quod autem scriptum est in vsibus corrigatur.*

9. In eadem Synodo obuiatum alteri malo, quod imminebat, si crescente fidelium deuotione, redditus pro pictantiis, vt vocabant, Monachis propinandis certis diebus Monasteriis legati, disciplinæ vigorem enerualent, siue indulgentia in luxum pertranſiret, quod vbique timendum, siue contenta intra abstinentiæ limites, solo debiti nomine, omnimodæ subiectionis metas transgrederetur. Ergo huic periculo à patribus prouisum, præceptúmque *vt redditus de Eleemosynis collatis ad faciendas pictantias conuentibus, ad Abbatis arbitrium disponantur, & Monachi pictantias, & consuetudines non requirant.* Ita prouisum periculo imminenti, atque obiter cautum, ne huiusmodi legata (quæ varia hominum, & diuersa ingenia sunt) ab aliquo indiscreto, aut minus disciplinato, procurarentur.

Ad hoc idem Capitulum, quod sub Conrado Abbate primum fuit, Sanctus Engelbertus Archiepiscopus Colonienſis, præcedenti anno electus, nempe M. CC. XVI. cum duo antecessores illius, nimirum Theodericus, Conradúsque depositionis suæ damna mererent, Engelbertus, inquam, ad hoc Capitulum suos legatos mittens, Pontificali maiestate deposita, humiliter supplicauit, vt festum vndecim millium Virginum in Cistercienſi Ordine, saltem per Prouinciam Colonienſem celebraretur. Porrò id tam ob petentis reuerentiam, quam ob ipsarum Sanctarum deuotionem, & earundem corpora, quæ in multis nostratum Ecclesiis venerabantur, facilè obtinuit, decreto edito. *Vt festum vndecim millium Virginum in Colonienſi Prouincia celebretur, ad supplicationem Episcopi eiusdem loci.* Fuit hic Engelbertus, vt magni Chronici Belgici verbis vtar r. *Secundum sæculum supra modum clarus, quippe filius Engelberti Comitis de Monte, ex matre filia Comitis Geldriæ, aspectu decorus, statura procerus, robustus viribus, & tantæ pulchritudinis, vt in clero, & populo non inueniretur similis illi. Erat vir prudens, discretus, & magnanimus, &c.* Hactenus ibi. Quæ ideo in præsenti inferenda esse putaui, quia multus de eo infra sermo occurret.

10.

r *in Colonienſibus.*

Quod attinet ad militias sacras, hoc ipso anno vt Rades adnotauit, Martinus Ferdinandus de Quintana Calatrauæ Magister, cum Calatrauæ situm minus salubrem, ex Annæ fluuij vndis præterlabentibus, longa, & tristi experientia edoctus esset: Cumque aliàs Sarracenos inde effugatos, quominùs adoriri haberet, in votis, ad arcem, arci Saluatetræ proximam, octauo à Calatraua antiqua lapide, in summo montis fastigio collocatam, sacrum Conuentum transtulit, in qua vsque ad hanc diem perseuerat: pristinis sedibus adeo obliteratis, adeo deletis, vt vix ruinæ illarum conspiciantur. Prominet iugum in rotundam ferè formam, atque adeo prodiuem, vt non nisi gyrando per circuitum, ad summitatem liceat peruenire. In vertice planicies satis exigua; sed quod mireris, quæ arcem, quæ Ecclesiam, quæ clauſtra, quæ horrea, quæ cisternas, spatio breui claudat, adeo distincta omnia, capaciáque, ac si in spatio plano locata essent. Pro fontibus pluuiales aquæ sunt ad cisternas deductæ per canales. Demum cum totam Hispaniam perlustrauerim, haud alium locum me vidisse recolo, qui seu natura, seu arte, cum hoc certet, addente vtrique non paruam reuerentiam antiquitate.

11.

Rades Andradius translata cum Conuentu sex Magistrorum corpora adnotauit, quæ in veteri Calatraua sepulta essent, nec meminit Martyrum, quos dudum passos in eodem loco, neque minori auctoritate, quam Pontificia, vel ipsis exteris, nedum fratribus, & filiis venerabiles, ex ipso, & aliis superiùs demonstrabimus. Ergo ante omnia, lecta sacra ossa, translatáque, nequaquam possum in dubium reuocare: quippe qui video fabricatam extunc Capellam, pro qualitate loci, in qua reconderentur, quam hodiéque

12.

ab

ab ipsis nominatam & visitaui, & veneratus sum, & ipse etiam Rades confitetur. Porrò in eâdem Magistrorum corpora condita, quasi in subsidium futuræ resurrectionis, quam ab ipsa Sanctorum Societate veluti confidentiùs præstolarentur. Sic Rodericus Ximenius Toletanus Sanctorum corpora quæsiuit ante se sepelienda, quod infra dabimus. Quin de Bernardo parente supra diximus ex hoc eodem fine cum osse Sancti Thadæi Apostoli, & tunica Beati Malachiæ, sepultum esse.

13. In Chronologia nullas omnino fundationes, siue adoptiones, velut hoc anno factas, notatas video. Cæterum ex Regestis Honorij III. constat in eo suscepisse Cistercij iura, Monasterium Sancti Bartholomei dictum, de Sactione Romanæ Ecclesiæ immediatè aliis subiectum, subiiciente illud Abbati Casænouæ eodem Papa Honorio litteris de hoc datis in hunc tenorem. *Dilecto filio Abbati, & Conuentui Casanouæ Cistercienſis Ordinis. Cum Monasterium Sancti Bartholomei de Sactione, quod immediatè ad Romanam Ecclesiam pertinet, sicut litteræ fœlicis memoriæ Innocentij Papæ prædecessoris nostri nobis exhibitæ liquidè manifestant, vobis reformandum commiserimus, & secundum statuta Cistercienſis Ordinis informandum, vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tam in instituendo ibi Abbatem idoneum, quam modis aliis ad eius reformationem taliter intendatis: quod Domino gratum, & nobis meritò sit acceptum. Datis Laterani V. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno secundo.* Ita Honorius. In Genesibus non video Monasterium Sancti Bartholomei: verum sub aduocatione Sancti Matthæi Diœcesis Reatinæ, ponitur Abbatia, quæ inter Casænouæ filias numeratur, neque ausim dicere an eadem, vel diuersa? Sed iam Bello-Pratense Monasterium iuxta Duacum pro Virginibus sacris nostris hoc anno accrescens producamus.

---

1. *Bellum-Pratum antiquiùs Beginagium, iuxta Duacum*, 2. *per tres sorores cœptum, & in quo loco.* 3. *In eo Frescendis Cistercij meditata*, 4. *semel, & iterum Romam proficiscitur.* 5. *Repulsam passa, Duaci rem componit*; 6. *& tertio reuersa Honorij Papæ*, 7. *ad Episcopum Attrebatensem litteras impetrat.* 8. *Tum redux statim Cistercij habitum suscipit*, 9. *Abbatissam accersit, & Capellanum*, 10. *Merito inter Heroinas Cistercij posita, & dictum de oratorij domus consumatione.*

CAPVT NONVM.

1. CELEBRE Monasterium Sacratum Virginum à Bello-Prato dictum olim, secundo lapide à Duaco, nunc intra mœnia vrbis constitutum ex Beginagio paulum antiquiori, hoc item anno concepit Cistercij semina. Freindis, seu Frescendis consilij auctrix, nec non & exequutrix, quæ *animosior cæteris* (ait Aubertus Miræus [a]) *cæteras ad Monasticum Cistercienſe institutum suscipiendum excitauit; & eo fine ter Romam iter instituit, & voti compos anno fermè M. CC. XVIII. cum gaudio reuersa est.* Hæc ille: & quidem bene, si ad suscepti instituti tempus attendas: sed commissionem Honorij Summi Pontificis expeditam hoc anno, litteræ ipsæ probant, quas mox subiungam. Initia domus deberi tribus sororibus, Sanctæ (forsè sanctiæ) Rusellæ, & Fulcendi, & traditio est, quæ Sanctæ vitæ ardore locum alias pollutum lasciuiis iuuenum, ab eo, ad quem pertinebat, gratis obtentum, in propriam domum, & honestiores vsus consecrarunt. Consonant traditioni versus antiqui, quos Ioannes Buzelinus euulgauit in suo Gallo Flandriæ, vbi de hoc cœnobio, atque eius initiis hæc habet verba.

a *In Notit. Eccles. Galg.*

2. *Pro tribus Dei puellis istam tractaui schedulam,*
In qua non scribam ex illis, quod vertatur in fabulam,
Hæ sorores in Duaco ortum suum assumpserunt,
Iuxta villam, quam prædico, Virgini deseruierunt,
Quæ protulit Saluatorem, Virgo tamen incorrupta.
Sancta, Ruesella, Fulcendis, sua fuerunt nomina:
De Hala cognomen illis, & quælibet Deo digna.
In loco dicto de Pratis mansum, & mansiuncula
Erant, bene vellent, quod hic fierent habitacula.
Qui dictus Miles VVerinus tunc dictum locum possedit,
Vt Deo ferretur hymnus, his liberè mansum dedit.
Erat illic fons emanans, & Pratum odoriferum,
Et in illo sæpè cantans multitudo mulierum.
Illic choreas iuuenes ducebant, & illecebras
Mundi, per quas infernales se deducunt ad tenebras.
Hæ extirpantes vrticas, oraculum struxerunt,
Et orationis spicas toto nisu plantauerunt.
Illic simul permanserunt pauca cum societate.
Reginæ namque fuerunt à prima sui ætate.

Hoc initium illius Beginagij, in quo mihi præter cellas, quas habitabant: sacra è vicina domo Sancti Albini, doctrinámque, (& si quæ alia similia) percipiebant; quod iidem etiam versus testificantur.

3. His se Virginibus Feindis, seu Frescendis, cum adiunxisset, Cistercienſe institutum primum reliquis persuadere curauit, obtinuitque; dein nobiles quosdam eò induxit, vt sibi in loco Capellam ædificarent, & officinas necessarias ad Monasterium; sub ea tamen expressa conditione, vt Cistercium admittant. Quod vt faciliùs possent impetrare, etiam locum dotarunt ex propriis bonis. Inuiderit fœlicibus initiis communis hostis, an vltro homines eisdem se opposuerint, quis discernere audeat? Constat multas exortas difficultates, quæ Frescendim virili dotatam animo, Romam semel, & iterum abire, compulerint; & cum in neutro itinere obtinuisset fœmina pauper, atque humano fauore destituta, hoc tandem anno tertio iam reuersam impetrasse ab Honorio, quod postulabat. Verum

quænam

quænam difficultates fuerint, & qualiter sedatæ iisdem versus antiqui prosequuntur.

Sed passæ fuerunt prius multam ingratitudinem
Nam erga Sancti Amati Canonicos litigarunt.
Pietate nondum nota, has ad litem conuocarunt,
Quia loci patronatum Canonici possidebant:
Et sic per ius sibi datum, cœnobium hic nollebant.
Vnus tamen inter illos prædictarum ius seruabat.
Et vt Leo leuans pilos, contra omnes decertabat.
Ille Deo notus erat, Ioannes Puchete dictus,
Pro illis passus fuerat sæpè, tamen nunquam victus.
Frescendis prius dicta, post hæc multum passa fuit.
Baltheo virtutum cincta Romæ viam arripuit.
Bis perrexit ad curiam, formam nequiens habere
Paucam habebat monetam, poterat nihil præbere.

4. Non defecit Frescendis inuicta virtus, quamuis repulsam passa semel, & iterum; imo reuera non omnino passa repulsam fuit. Nam reportasse ad Episcopum Atrebatensem, in cuius Diœcesi locus consistebat, Honorij Papæ litteras in fauorem nouæ fundationis, vltimæ hoc anno datæ manifestant. Sed verè Episcopus, aut faucbat Canonicis, aut de pauperum fœminarum victoria in diuitem, potentémque Conuentum, in hominum iudicio desperabat, ad quod videntur inclinare versus infra sequuti.

Episcopus tunc temporis ipsemet illud volebat,
Pro compassione cordis; non tamen illud sperabat.

Vtcumque fuerit Frescendis patriæ reddita, cum neque Episcopum propitium inueniret, neque alium haberet, cui posset fidere: quin cum vt de negotio desperaret à multis serio, ab aliis etiam irrisa persuadebatur:

Sed cum esset huc reuersa, plures illi insultabant.
Hanc mala gens, & peruersa multoties exprobrabant;
Dicebant, quod nullo modo hoc staret Monasterium:
Et sic erat communis vox clericorum, & ciuium.

Ipsa tamen in spem contra spem credens, quod ab Ecclesia obtinere minus potuit, quæ fiuit per laicos, & quatuor illos nobiles, à quibus fundationem, & dotationem optati Monasterij impetrauisset, ad componendam litem cum Canonicis, vt si quid peterent, etiam impendendum, ex his, ex quibus domus fundata erat, neque fundationi defuturum, per lacrymas, per preces tandem inducens; cum primum pacem firmauit per instrumenta, reuersa Romam litteras obtinuit, quibus non iam vlterius obuiandum foret. Rem ipsam ex antiquis illis versibus primo, mox litteras Honorij ex Vaticano extractas propalabo. Versus sic habent.

5. *Nam quatuor probi dicti litem in pacem verterunt,*
Et vtramque partem illi in pace restituerunt.
Exinde fiunt litteræ ob bonam efficaciam,
Quæ de pacis qualitate veram ferunt notitiam.
Cum hæc fierent benigne exultantes orauerunt,
Et matris lucis Diuinæ laudis salutem dederunt.
Hæc Frescendis iterato suum resumpsit baculum,
Romam adit tertio, secundum deducens famulum,
Qui suos pannos portauit, cum fatigaretur via.
Cardinali obuiauit, quando fuit in Curia;
Probus erat, & fidelis, & miserebatur ei,
Descendebat negotiis eius ab amorem Dei.
Enarrauit ei pacem, atque formam concordiæ,
Hanc legit chartam veracem hæres misericordiæ,
Et vt eam perlegerat fideli gaudens animo,
Hanc monebat, & dicebat: confidas in altissimo.
Post faciens scribi formam, iussit eam roborari.
Nullus increpabat eam, nec valebat condemnari.

Ita versus: nec nobis constat, quis ille Cardinalis fuerit, cuius fauore Frescendis rem peregit. Cæterum ipsæmet Honorij litteræ ad Episcopum Atrebatensem de hoc negotio, quæ hoc anno expeditæ ex Vaticanæ Bibliothecæ regestis ad nos transmissæ, hæc continebant [b].

b *Epistolarum Honorij lib. 2.*

Episcopo Atrebatensi.

6. *Significantibus olim nobis dilectis in Christo filiabus S. M. & F. mulieribus Atrebatensis Diœcesis, quod iuxta Duacum, domum Cisterciensis Ordinis construere proposuerant, & de bonis sibi à Domino collatis, tantum ipsi loco conferre, vt ipsæ, quæ affectant, sæculi fugientis, fugere vanitatem, cum Conuentu Religiosarum possent congruè sustentari; ac supplicantibus, vt concederemus eis ibidem Ecclesiam, & proprium Capellanum: Nos volentes tibi deferre, qui loci Diœcesanus existis, mandauimus, vt consideratis loco, & facultatibus, quas proponebant, ad opus religionis conferre, ipsis postulata concederes, sine iuris præiudicio alieni, Decano Sancti Gaugerij & S. ac bonæ memoriæ G. de insula Canonicis Cameracensibus, ad monitoribus deputatis. Nuper præfati Decanus, & S. suis nobis litteris intimarunt, quod cum ab eisdem commonitus respondisses, quod certo die locum inspiceres memoratum, nec post modum super hoc eis aliquid rescripsisses; ipsi locum ipsum personaliter adeuntes, & considerantes locum, & eius circunstantias diligenter, illum inuenerunt religioni plurimum congruentem; quibus etiam relatione multorum innotuit, quod creditur locum ipsum breui tempore esse tam personis, quam facultatibus ampliandum, dummodo eis fauor Ecclesiæ non negetur.*

7. *Cum igitur ea, quæ ad Diuini nominis cultum, & animarum salutem pertinere noscuntur, sint fauore prompto, & benevolo prosequenda: Fraternitati tuæ per iterata scripta præcipiendo mandamus, quatenus construendi Ecclesiam, & habendi proprium Capellanum, eis licentiam tribuas sine iuris præiudicio alieni: alioquin præfatis Decano, & Canonico, ac Magistro Ioanni de Erines Canonico Cameracensi nostris damus litteris in mandatis, vt ipsi, ac auctoritate nostra, sublato cuiuslibet contradictionis, & appellationis obstaculo, exequantur. Datis Laterani V I. Idus Augusti, anno secundo.* Ita Honorius. Quibus clarè videas, non recens tunc negotium intentatum, sed ab antiquo; neque has primas ab Honorio Papa litteras ad Episcopum datas, sed præcessisse alias, quibus Episcopus ipse respondere, atque exequi mandata dissimulasset. Vt ex his omnibus facilè appareat constantia Virginum, sed præcipuè Frescendis, quæ tot, ac tantas repulsas intus, & foris, in propria patria, & in alieno solo,

&c

& tolerando viciſſet, & vincendo docuerit tolerare.

8. Obtentis litteris, & Epiſcopo oſtenſis; tandem, ſeu volens, ſeu victus manus dedit, atque Freſcendis, & ſociarum conſtantiam laudans, quæcunque optabant, conceſſit grataṅti animo. Tum vero illæ, quod difficiliùs, & tardiùs potitæ votis, eo lætiores effectæ in gratiarum actionem erumpentes, accita ex Brailenſi Monaſterio eximiæ virtutis, prudentiæque Moniali, Elyſendis nomine, eam ſibi elegerunt in Abbatiſſam; tum Capellanum Bernardum de VValdi Virum honeſtum, iuxta morem Ciſtercij adminiſtrandis ſacris deputarunt. Narrant hæc omnia, ſimul & ædificia, Monialéſque, ac bona temporalia, quæ breui illis adducta ſequentes verſus.

Cum peruenisſet ad Pratum, vnde priùs diſceſſerat,
Dicens: nobis eſt conceſſum, quod quælibet optauerat.
Dixerunt vnanimiter, ad Deum ora ſoluamus,
Et canamus ſolemniter omnes: Te Deum laudamus.
Statim ſumpſerunt habitum Ciſtercienſis Ordinis,
Qui facit ſpernere mundum, humana iungit Diuinis.
Statim fama per patriam diſcurrit, atque rumores.
Quarebant ad Prata viam iuuenes, ac ſeniores.
Illæ, quæ diffamabantur, fugiebant in aurora.
Et ne per mundum fallantur, vixerunt ibi corpora.
Aliquæ præcurrerunt, vt prima loca caperent.
Illic Deo ſeruierunt, vt melius euaderent
Diem magni iudicij, quæ cunctis eſt perhorrenda,
Et iram Dei filij, quæ plus adhuc eſt timenda.
Erat locus placens valdè, omnes hic eſſe optabant,
Nolebant multas ſumere, mendicare dubitabant.

9. Hæc de ſuſcepto Ciſtercienſi habitu, atque ad eundem admiſſis multis Virginibus. At de Abbatiſſa, ædificiis, & Capellano, audi, quod ſequitur.

Hinc extra Domicilium acceperunt Abbatiſſam.
Non tandem per ſcrutinium, neque commouerunt rixam:
Elyſendis vocabatur, erat bene litterata,
Fortè noſſe Deum Dominum illi datur, moribus erat ornata.
Prioriſſam elegerunt florentem ſapientia.
Dum viueret, habuerunt bonum in abundantia.
Diligebat hæc Conuentum, multotiéſque monebat,
Pro his orare Dominum, de quibus bonis viuebat.
Tunc cœperunt à quibuſdam Eleemoſynas rogare,
Quibus poſſent Eccleſiam Virginis ædificare.
Inſtruxerunt capellulam, & ſuum dormitorium.
Exinde per paucam moram fecerunt refectorium.
Acceperant Capellanum, virum probum, & honeſtum
Bernardum de VValdi dictum, conſolabatur cor mœſtum.
Hic Diuina celebrauit, illique confitebantur.
Tanquam pater has nutriuit: omnes hunc venerabantur.
Sic cœperunt pœnitere, & horas decantauerunt:
Ieiunarunt, & fleuere: ſic & Deo placuerunt.
Tenuerunt ſilentium, & ſpe confitebantur.

Hæc omnia volui latiori parum calamo, quam 10.
pro aliis cœnobiis, recenſere; quia reuera non ſolam fundationem Belli-Prati, imo non tam ipſam, quam vitam, actáque Freſcendis continent, quam inter Heroinas Ciſtercienſes video ab Henriquez in ſuo Menologio commemorari; & quidem merito, tam ex his, quæ fecit, quam quæ non fecit. Quippe poſt tot labores exantlatos pro nouo Monaſterio, noluiſſe ei, cum poſſet, præſidere, noluiſſe honorem, cum onus ſuſcepiſſet: ſed aliunde Magiſtram euocaſſe, cui ipſa cum aliis obediret; magnanimitatem cum humilitate coniungere, haud dubiè indicat verè ſanctum zelum, atque animi puritatem ſupra conſuetam: Ædificium Eccleſiæ primis illis initiis haud ſumptuoſum, intra annum conſummatum verſibus aliis quatuor declaratur, quos idem Buzelinus etiam adducit.

Annus incarnati Verbi Milleſimus, Ducenteſimus
Atque debet addi illi numerus octauus denus.
Cum inſtruxerunt præfatæ Eccleſiam Genitricis
Illius, qui Paradiſi ſuis dat Regnum amicis.

At non tamen verſus ita intelligendi ſunt, quaſi eo anno induerint Ciſtercium ſupra dictæ Reginæ; neque enim credo litteras obtentas menſe Auguſto, non ipſo anno mandatas exequutioni; præcipuè ab his, quibus prolixæ dilationes ingens alias deſiderium acuiſſent: ſed quod Eccleſia, quantumuis feſtinata, non potuit ante annum ædificari. Incrementa huius domus, & tranſlationes infra dicemus. Abbatiſſarum Buzelinus contexuit, in ſuo Gallo Flandriæ libro primo. Facilè apud eum videri poteſt, & nos illo vtemur, ſi quando opus.

ANNVS CHRISTI M. CC. XVIII.

ANNVS CISTERCII C. XXI.

1. *Francha Moniales ad Pectolem transfert? 2. Dissolui cupit. 3. Foribus clausis in Ecclesiam oratum intrat, atque soporem artificio mirando excutit. 4. Multa à Dæmone patitur. 5. Morbo corripitur, & ne radices (contra morem) coctas comedat, miraculo patenti prohibetur. 6. Sacrum Pascha cum suis deuotè celebrat. 7. Sanctè obdormit: 8. Et in eadem Ecclesia sepelitur. 9. Succedente Carentia; & benedicta terra sepulcri Franchæ, repentè panditur. Visio mirabilis; 10. per miraculum probata. Collocatum decentiùs sacrum corpus, atque alia quædam de Sancta remissiuè.*

CAPVT PRIMVM.

1. INTRANTEM annum decimum octauum, supra millesimum, ducentesimúmque, à condito Cistercio vigesimum primum supra centesimum, translatio Monasterij Montis-Lanæ, sub Abbatissa Francha: tum Franchæ ipsius fœlix consummatio, non multo post sequuta, nobilitarunt. Haud satis commodus in Montis-Lanæ vertice inuentus ab ancillis Christi locus, inaquosus, sterilis, neque in quo possent diutiùs demorari [a]. Hinc peruigili Abbatissæ Franchæ cura, quæsitus alius, nam Valeriam redire molestum erat: nec acquiescebat Beaumontius Columbæ Abbas, tumultus vrbium, atque hominum frequentiam pertæsus Cistercij more. Quin Valerianas Virgines transferre ad remotiorem locum, si quem fortassè idoneum inueniret, sollicitabat; & placebat vtrisque vnicum quæri: vt vnum ex vtroque Ouili factum, solam Francham agnosceret, atque eius spirituali ductu, & pastu, securius ad cœlestes aulas iret. Ergo ad Plectolem pagum, secundo lapide ab vrbe electus est, ad quem vtrumque cœnobium transferretur: gratulante Opizone Iunensi, Viro nobili, ad cuius pertinebat dominium, tradentéque, (quod anno externo factum) vt in eo Monasterium constitueretur. Monialium habitatio breui dispositа, atque paruum Sacellum in quibus interim possent commorari. Noui, & maioris templi primum lapidem Episcopus Placentinus posuit ritu solemni, die vigesima tertia mensis Martij, quæ fuit feria sexta, ante Dominicam quartam Quadragesimæ: qua etiam ex vtraque domo Moniales concurrerunt ibidem, neutræ ad priora loca redituræ. Monasterium dicatum Mariæ Virgini, qui mos Cistercij; & quoniam sedes tertio translulissent à tertia mutatione, egressúve dictum, *del terzo passo*, quod illi nomen, ad annum M. D. XXVII. quo Vrbem ingredi occasione bellorum compulsæ sunt, illibatum, & notum perseuerauit.

[a] *In vita Franchæ c. 6.*

2. Crescebat interim opinio Sanctitatis Abbatissæ gloriosæ, & sub ipsa Conuentus recens translati, cui aggregari, sub eius Magisterio, viduæ Virgines nuptæ (de Vitorum consensu) spretis patria, parentibus, deliuiis, ex vniuersa circum regione, auidè, atque certatim sollicitabant [b]. Creuisse dicitur breui possessionibus, quas secum afferebant; ita vt tam fabricæ, quam Monialibus alendis, atque eleemosynis necessaris sumptus non suppererent modo, sed superarent. Porrò cum hæc videret Virgo deuota, & spiritu prophetico conspiceret, nequaquam defutura processu temporis ex imo corde ad sponsum suum conuersa cum Euangelico proclamauit sene: *Nunc dimittis ancillam tuam Domine secundum Verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum*; (salutare, inquam, refugium animarum de sæculo fugientium) *quod parasti ante faciem omnium populorum*: hoc est; ad quod à conuicinis populis; iam nunc ingens concursus; & ex quo etiam ad multos deriuandas ciuitates refugij, tua gratia præbente, nequaquam mihi licet dubitare. Hæc sacra Virgo ad thalamum suspirans, cum iam se satis putaret accepisse. At non se satis passam experta est, inuidente eius gloriæ communi hoste, qui quò minus in spiritum permissus, eò atrociùs in corpus debachabatur. Et stimulabant virulentum alias furorem, singulares sponsæ Christi virtutes, nec minus singulares Dei fauores, præuenientes, sequentes, comitantes singulos eius actus, extremis signis, quæ dum non poterat, vt vellet, impedire, turbare saltem, aut si daretur, retardare sollicitabat.

[b] *In ead. vita cap. 8.*

3. Insomnes noctes ducenti in oratione ante corpus Dominicum, atque ad altare Sancti Michaëlis, qui summè dedita, ne immodicis Vigiliis corpus attereret, Carentia Priorissa, Monialésque oratorij fores præcludebant. Stetit ipsa, & neque suas vigilias prodere, neque fructu orationis defraudari æquo animo ferens, conuersa ad Dominum; & quid (ait) te mihi homines subtrahunt? Cum Dæmones non possunt, aut filiæ meæ inuidebunt mihi sponsum, quem ego illis studeo conciliare? Dixit: Et ecce apertæ ianuæ subito, admiserunt orantem, quod extunc frequens (nam diu latuit miraculum) cum primum diuulgari cœptum est, etiam qui non credebant, dum curiosiùs inquirunt, comprobarunt: & recitatur in Responsorio officij proprij totidem verbis. *Consurgens nocte media solito cum silentio, ne à quoquam præsentiretur, & obstructis ianuis Ecclesiæ, ipsam introibat, vacans orationibus cum assuetis lachrymis mater benignissima.* Non ausim dicere, Dæmonis industria effectum esse, vt fores illi à Carentia, & Monialibus sub pietatis prætextu præcluderentur; quamuis non nescio cooperari quandoque bonis, vt meliora impediat, quæ mens est ei procliuis ad omne malum. Verum quod somno Virginem oppresserit, & reuocare ab incœpto procurauerit,

curauerit, haud temerè in eius malitiam refundemus. Ergo cum somno grauaretur vltra consuetum; quod non eguit miraculo, per industriam, & artem superauit, ligatis ad vtramque manum funibus psalterio, cranióque (quos duos comites nunquam deserebat) erecta brachia expandebat in modum crucis: atque in ea distantia collocabat, vt cadere non possent; quin psalterium, & cranium post se traherent, quorum impulsu, si fortè dormitasset, excitaretur. Vera sponsa Christi, qui se Deum adinuentionum nominare non dedignatur. Ita, qui acta Virginis collegit; Petrus Maria Campi [c].

[c] *vbi supra cap. 7.*

4. Infremuit inimicus homo, contabuitque, & quam neque arte, neque naturæ legibus poterat; per violentiam aggressus, vt perturbaret tali, ac tanto colapho impetiuit, vt erumpente per os, & nares sanguine, intumesceret facies, & quod miteris, dentes eius omnes mobiles verterentur in suis sedibus. Meminit & huius percussionis, simul & iugis orationis Virginis Sanctæ aliud officij proprij responsorium, tacitis quamuis nonnullis circunstantiis, quæ exprimi non potuerunt præ breuitate. *Dum Diuinis laudibus, ac deuotis precibus intenta consisteret Francha prudentissima, noctes insomnes deducens, æstum nec frigus abhorrens, tota in Deum absorpta. Molestè ferens hoc Satan, percussit eam validè, qua percussa non se mouit.* Maius quid adhuc ab ipso passa est cum à facie, imò & corpore prohibitus, soli Calcaneo insidiari permitteretur: quippe tantam in eo scissuram fecit, vt filo, & acu veniret resarcienda, nec nisi consutæ Chirurgi manu partes coire, aut ipsa se de loco in quo iacebat, quandiu non coierunt, mouere posset. Hæc, & similia (nam plura alia narrantur) despiciebat pro Christo; etiamsi Dæmonis percussionis ictus (quod ipsa fatebatur) tantum in carne ipsius, neruisque excitarent doloris, vt nullus alius inter naturales, etiam acerbissimos, cui comparari posset, inueniretur. Per has Christus præsuras, tentationésque dilectam sibi sponsam, ad thalamum cœlestem præparabat.

5. In ipsa Quadragesima huius anni non multo post celebratam translationem, cœpit repentè stomacho ægrotare; & erat illi mos à longo tempore (quod etiam in officio eius refertur) vt *in omni Quadragesima sui Monachatus continuè ieiunans, nullam rem coctam comedebat præter panem, cuius panis brixias edebat sapissimè cum herbis, & leguminibus crudis, absque sale, & aqua.* Ergo hoc anno, cum nimium grauaretur, (inualescente morbo, ex quo proximè erat migratura) Carentiæ, atque sororum inducta precibus, piperis sibi radices coctas apponi, quibus releuaretur, passa est: non tamen illico appositas comedit, quamuis dolore vrgente; sed oculis, manibúsque ad Deum expansis, petiit sibi inspirari, quod Deo gratius, quid illius voluntati conformius esset? Comedere, an respuere? Saluti, an abstinentiæ prouidere? Et iam cultello radices incidebat, comestura eadem: cum ecce, mirum dictu, ex ipsa, quam faciebat scissura, sanguis ebulliens, ab eis sibi abstinendum esse monstrauit. Tum vero ipsa in gratiarum actionem reuersa, ac remouens paropsidem, durum, ait, est vobis, ô charæ filiæ contra meorum stimulos dolorum recalcitrare. Deus, Deus pro sua misericordia, quos merebar in alia, in hac vita, & mitiores multo infligit. Abstinentiæ fortassis deesse petero, sed dolorem nequaquam temperabo, nam voluntati eius, quis resistet? Vigilias dudum impedire frustra cutastis, frustra modo ieiunium. Eia, agite, cessate ab his conatibus, & me mihi, seu Deo veriùs, permittite. Non curant corporalia remedia spirituales morbos: nec si curarent, nostris medendum foret, quibus maiora tormenta redimuntur. Dixit, & signo crucis sibi impresso, dolorem statim sensit mitigari. Vt duplici miraculo edocta quod vitæ reliquum, solam sibi crucem, neque vllam, nisi in ipsa quietem habendam fore crederet, speraret.

6. Tres & viginti dies pertransierant à translatione domus, atque ouilis vtriusque Montis-Lanæ, & Valleriæ congregatione; & sacrum Pascha (quod eo anno incidit in quintam decimam diem mensis Aprilis) communi fidelium lætitia celebrabatur; cum Francha Virgo instantis mortis præscia, imò nouæ vitæ, æternæque, quæ iam iam coronandam præstolabatur; congregatis filiabus placido vultu, & qui cœlestes nuptias præ se ferret: desiderio, ait, desideraui hoc Pascha conuersari vobiscum, antequam moriar. Hactenus per silentium prolata verba. Ast vbi audita dilectæ matris morte, erumpentibus per ora omnium lacrymis, sola suspiria, & singultus personabant; ne ipsa quidem abstinere à fletu potuit; quippe non tantum sibi congaudebat, quantum deferendis filiabus miserebatur. Et dixisset haud dubie cum Martino: *si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem:* si non, qua semper valuit, humilitate, fixum haberet, quacumque alia sibi succedenti meliorem longè matrem, peritiorem magistram lucraturas. Compescuit tamen, vt potuit, filiarum lachrymas, compressit, & suas, & multa de Deo, ac cœlesti patria disserens, de perfectione status religiosi, & præstantia instituti, quod ipsæ, Deo vocante, complexæ essent. Sibi breuiorem laborum præfixum terminum, vt imbecilli, & fragili: ipsis maiora deberi adhuc certamina. Prælientur, vincant, triumphent, & pro se orent; si cuius apud Deum meriti fuerit, nonnunquam ei in æternum defutura. Hæc perorantis subortæ iterum lachrymæ, interruperunt verba; & nondum ait, filiæ, nondum discedo, sed discessura cito vobiscum conuersari, dum licet, libet.

7. Celebrato inter Sancta colloquia Paschate, & morbo per singulos dies inualescente, accersiri Beaumontium Abbatem iubet, cui sub erat Prælato, quem Patrem, quem amicum venerabatur. Venienti detegit totius vitæ pericula cum lachrymis doloris, cum spe veniæ, cum ingenti feruore charitatis. Tum cœlesti Viatico refecta, & extremè vncta, tandem vigesima quinta die mensis Aprilis, quæ Beato Marco Euangelistæ sacra est, impollutum spiritum emisit, ætatis suæ anno XLIII. Monachatus XXXVI. à suscepto Cistercio quarto nondum explero: demum à Plectolensi cœnobio inhabitato in quo se instanter petiit sepeliri (quippe hic locus, inquit, Sanctus est, & Deo gratus) die trigesima tertia. Vt mirum sit in vtroque eius officio Cistercienses nimirum, Romanóque, in altero sub Cistercij ritibus, in altero etiam apud Plectolem,

plures

plures annos egisse commemorati. Certè Romanum hæc habet de eius obitu [c]: *Carentiam nobilem Virginem Placentinam, Christum sponsum habere cupientem, vt nouum sacrarum Virginum Monasterium extrueret, induxit, cui illa post, Superiorum iussu, Ordinis Cistercienſis habitu susceptо, religiosissimè præfuit. In hoc vitæ genere, cum annos complures consumpsisset, rerum Sancte actarum meritis cumulata, sumpto Eucharistiæ Sacramento, quieuit in Domino septimo Kalendas Maij, anno M. CC. XVIII.* Hæc in Romano Ecclesiæ Placentinæ; in Cistercienſi vero, postquam de Montis-Lanæ, Valeriæque mansionibus egisset: hæc subdit verba. *Post iuit Plectolem in quo quidem cœnobium solemne construxit, & Abbatissa nobilis, annis vixit quam pluribus, charitate plena; vbique post corpus suum in pace sancta requieuit.* Si instrumentis standum est (quæ tamen fateor differri potuerunt) cum alias constet de anno migrationis, in quo omnes conueniunt, in Plectole tres tantum, & triginta dies exegit: sub Cistercio, quos dixi, quatuor annos, sed nondum integros.

[c] *Apud Ioan. Mar. Campi.*

8. Abraham Bzouius Virginis Franchæ obitum, & vitæ eius epitomem inseruit suis Annalibus, tacita quamuis familia Cistercienſi, cum plura alia prodat, etiam minuta. Inter miracula, quæ viuentem fecisse tradit [d]. *Duo vini dolia exiccata, illa præcipiente vinum haurire, plena Diuinitus inuenta esse.* Affirmat. Cætera aut dicta à nobis in Superioribus, aut ea sunt, quæ non egeant memorari; corpus eius sepulturæ mandatum est in eodem cœnobio tumba lignea incluſum ob reuerentiam ante altare Sancti Michaëlis, ante quod viuens orare solita erat. Officia funeris impendit Beaumontius Abbas in morte æquè, ac in vita Sanctæ addictus, lacrymantibus cunctis, sed maximè Carentia, filiabúsque, quod talem matrem, & Magistram amisissent. Verum interim etiam congaudentibus, quod talem apud Deum aduocatam, talem in cœlis haberent adiutricem. Ferunt, cum sibi timerent à Monialibus cœnobij Sancti Syrij, Thesaurum corporis, quacumque via possent, ex proxima professione ibidem facta, & retenta Abbatia (quod singulare) ferè vsque ad finem vitæ vendicaturis; altiùs effodi iussam sepulchri terram, recondendo Sarcophago, neque distinctum locum, signatumve, quod difficiliùs inueniri, & extrahi posset; atque interim violentia, si quam inferre tentarent, repelleretur. Porrò siue hoc timore, siue alia causa sepulturam mansisse sine honore, nec nisi nudum pauimentum cerni, quod non posset discerni, aut designari.

[d] *Ad hunc ann. n. 14.*

9. Non tulit Deus sine honore manere sepulchrum Virginis. Sequenti die Carentia subrogata, in quam omnium suffragia conuenere. Cum ab Episcopo benediceretur, repentè terra, quæ tegebat corpus, subsedit, & siue in se compressa, siue diuisa tali patuit hiatu, vt nisi ligneis tabulis impositis (nam illac ad altare eundum erat) non posset à ministris pertransiri. Diuisum tunc ex more iudicium vulgi; & quidam, signum Sanctitatis Franchæ, quasi se terra indignam tanto pignore, aperto velut ore profiteretur; neque calcandum hominibus sepulchrum, quod Angeli de cœlo venerabantur, alij ligneam tumbam confractam, ruptam, cum ponderi cessisset, superpositam terram auocasse, variis productis exemplis disputabant. Et vicit saniorem infirmior pars, siue Moniales adhuc vererentur spoliari Thesauro pretiosæ glebæ; siue magis frequentiam formidarent populi concursuri, si sacræ Virginis sepulchrum detegeretur; seu tandem Deus permisit obliuioni iterum excitandas nouo miraculo. Constat hoc anno, cum obscurum adhuc maneret sepulchrum Sanctæ, deuoto Monacho oranti ad Pontem Triuiæ coram altari Archangeli Michaëlis, eundem primum Beatissimum Archangelum apparuisse per visum, mox Abbatissam Francham ostensam esse, illum spirituum cœlestium ducentem agmen; hanc mediam inter duas alias Virgines, vtramque Regiam, vtramque decoratam Martyrij palma, Ilsigeniam, & Grillam; & Francham quidem Carentiæ, atque sororibus iniunxisse nunciandum, vt gloriæ matris filiæ congauderent: Michaëlem, Abbati de Columba, & Priori de Ponte, vt per se, & per quos possent, procurarent, & eleuari corpus, & Francham à Vicario Christi Sanctorum adscribi numero. Hæc summa admirandæ visionis Monacho factæ, quam ab eodem Monacho dictatam, atque à Lant-Franco Priore scriptam ad Carentiam, & reliquas Moniales, Italam ex Latina fecit Ioannes Mariæ Campi, Placentinus Canonicus, & vitæ Sanctæ inseruit, Placentiæ ab ipso ante annos viginti vulgatæ, ex qua nos pleraque.

Restabat comprobanda visio nouo miraculo, vt integra illi fides, Monachoque: at neque hoc omissum, aut prætermissum. Detractanti mandata vtrisque ferre, quod sibi minus credendum iudicaret; vsus linguæ per Angelum sublatus, indictúmque, non antea restituendum, quam Diuinis præceptis obtemperaret. Triduo mutus mansisse perhibetur, totius expers loquelæ quoad vsque tandem, vocato Beaumontio Abbate Columbæ (quod ipse mutus perscriptum postulasset) & congregato Conuentu Pontis Triuiæ, vt quam habuisset visionem, eisdem promeret, vinculum linguæ eius solutum est: & ipse protinus, quæ audierat, & viderat, ardenti sanè oratione patefecit, quantum licet coniicere ex versione. Hinc cœptum agi de corpore eleuando, sed cœptum tantum, nec eleuatio facta, nedum perfecta. Adeo primi illi, & antiqui Cistercij Patres, ne quid contraherent de vanitate sæculi, cultum etiam in Sanctis formidabant. Reseratum tamen sepulchrum Virginis est, & corpus incorruptum prorsus inuentum; tum lignea tumba extractum, incluſum ænea, quæ pretiosum Thesaurum decentius clauderet, securius custodiret; insuper & translatum ad alium locum, Ecclesiæ muro proximum, qui pedibus non posset conculcari. Permansit tamen terra coopertum, imo & altiùs effossum; alterum, ne quid agerent sine maiori, & posteriori auctoritate; cuius sollicitandæ cura Columbano Abbati tanquam Patri, & Prælato remissa est, alterum, quia à Monialibus Sanct-Syrianis, eò magis timebant, quò plus Sanctitas Franchæ diuulgabatur. Hæc ad hunc annum, aut initium subsequentis. Reliqua, quæ in sacro corpore facta, & crebrescentibus post annos octo, & quadraginta reuelationibus (adeo in his torpor,

10.

nam modestiam non dicam, nostros inuaserat) eleuationem, canonizationémque, atque vtramque sequuta plura miracula, cum Plectolensis cœnobij dilatationem, & qualiter ex eo, veluti ex alueari miraculoso, plura cœlestium apum examina, tam per eosdem Placentinos fines, quam per Venetias, Papiam, atque Cremoniam breui prodierint; demum qualiter Plectolense ipsum cœnobium proximo sæculo ad Placentiam translatum, atque ipsi Sanctæ Franchæ dicatum sit, suis locis narranda reseruamus.

---

1. *Aggrauatis quibusdam Ecclesiis Galliæ.* 2. *Abbates Claræ-Vallis, & Morimundi ad Philippum Legati.* 3. *Honorio Pontifice mittuntur,* 4. *acturi de restitutione Castri Soliacensis.* 5. *Graues, seueræque ad eosdem litteræ.* 6. *Aduersus quendam Ioannem de Aurelianis,* 7. *qui imprudenter Ecclesiam infestabat.* 8. *Commendatio modestiæ Aurelianensis Episcopi.* 9. *Exhortatio ad Philippum,* 10. *mandatáque per eosdem Abbates deferenda.* 11. *Et quid per eos in vtraque causa actum, breuiter coniectatum ex aliis litteris.*

CAPVT SECVNDVM.

1. SVB huius anni initium, contigit, vt duo insignes Abbates, Guillelmus & Guido, Morimundi nimirum, & Claræ-Vallis, adiuncto in socium Abbate de Burgo medio, legatione fungentes ad Regem Galliæ, à Pontifice Honorio mitterentur, grauia cum eo negotia tractaturi. Cum enim prospera bellorum, euentuúmque (quæ hominum plerumque conditio est, eleuassent Philippum supra seipsum; & quo maiori potentia, ibi accreuerat (sublatis æmulis Ioanne, Ottonéque, quos suis armis victos, Ioannem ante biennium mors abstulerat, Ottonem iam ab omnibus relictum, ingloriúmque non vltra differenda præstolabatur,) cum (inquam) quo accreuisset illi maior potentia, eo aliquid esse, quod non posset & reputaret indignius, & indignantius toleraret: aduersus bona Ecclesiæ, iuráque, nunc per se palam, nunc per alios clam, tum inuadendo, tum dissimulando, conuertebatur, & post iniurias illatas aliis Episcopis, pro quibus ægrè, & tardè satisfeciisset, tunc per se ipsum Castrum de Soliaco, Episcoporum Aurelianensium nobile feudum, Regiæ fideicommissum ad breue tempus contra ius, contra pium, contra fidem vsurpare tentabat: & per virum potentem, eiusdem vrbis, in Ecclesiam, & clerum, vt non iubendo, saltem dissimulando, debacchabatur. Neque auxilium Ecclesiæ semper debitum à Regibus Christianis exhibebat rogatus; vt palam fieret sibi complacere, quæ cum deberet, & posset prohibere; nihilominus patiens tolerabat. Inuasa ab homine Episcopalis aula, confractæ fores, bona in prædam acta, arces Ecclesiæ occupatæ, capti homines, nec dimissi, nisi pretio ante redempti: Ecclesia ipsa irreuerenter rupta, conculcati Canonici; quidam ex eis etiam verberati, carceri mancipatus Archipresbyter, atque habitus ludibrio per vias publicas; demum Episcopo insidiæ vndique positæ, nisi euasisset, quantum scire datur, haud dubiè iniuriis subiiciendo.

2. Hæc, & similia, cum ad Honorij aures, non sine ipsius dolore peruenissent: quippe qui & Regem, vt filium diligebat, quem ipse hactenus, quem eius præcessores in cunctis reuerentem experti essent: sed nihilominus Ecclesiam Christi sponsam, cuius erat Vicarius, supra omnes mortales affectiones ex debito Pastoralis officiis complecteretur: cum sciret Regibus, vt non honestè cedi, sic nec tuto resisti, vt qui fluminibus similes per omnia, si permittantur, nihil sibi vetent; si resistantur omnia æquè infringant, atque arte magis, quam potentia ducendos fore; ad Guidonem, Guillelmúmque conuersus, quibus prudentiam suppetere haud vulgarem, quam in multis expertus, & aliàs gratia apud Regem valere non dubitabat; eosdem voluit ad eum legatos mittere, quorum alloquio indignatio illa mansuesceret; quorum zelo se Rex tuto committeret, & quorum auctoritate dirigeretur; litteris tamen, causisque distinctis, quod sapienter prouisum, ne atrocioribus culpis inuolutus, aut pudorem offunderet, aut quidquid aliud crederetur à se factum, ne malum fateretur, continuaret. Haud aliud frænum in Regibus potentius, quam propriæ famæ, quam si se semel amisisse credant, non quouis alio valeant retineri. Igitur vndecima die mensis Februarij, à Manasse Episcopo, (nam is tunc præfuerat Ecclesiæ Aurelianensi) requisitus, super Castro Soliaco, hæc priùs: deinde de potenti illo sacrilego comprimendo per legem, quas statim dabimus, ad eos litteras dedit [a].

a *Ex Registris Honorij lib.* 1.

3. *Claræ-Vallensi, & Morimundensi Abbatibus Cistercienſis Ordinis Lingonensis Diœcesis, & Abbati de Burgo medio Carnotensis.*

Oblata nobis Venerabilis Fratris nostri Aurelianensis Episcopi querimonia, declarauit, quod cum manu sua sanciuisset Castrum Soliacum, feudum videlicet, suum ligium, vt de redditibus, & de prouentibus ipsius resarciret, quibusdam mercatoribus damna, quæ nobilis Vir Henricus, eiusdem Castri Dominus, irrogarat eisdem; tandem Episcopus ipse voluit, & concessit (saluo tamen iure Aurelianensis Ecclesiæ, ac suo) quod dilectissimus in Christo filius noster Rex Francorum illustris, qui hoc affectare videbatur, in manu sua Castrum illud teneret, donec esset mercatoribus satisfactum; quia per manum eius id citius poterat expediri. Cum vero Castrum illud sic traditum dictus Rex in manu sua teneret, & de bonis suis mercatoribus satisfeciisset eisdem, sumptuosam, & magnam turrim fieri in Castro ipso præcepit, prædictorum Episcopi, vel Domini Castri eiusdem minimè requisito consensu. Quo audito idem Episcopus metuens, ne Castrum, sibi vellet Rex appropriare prædictum, consiliariis suis, quos ad ipsum miserat, cum ipsius præsentiam

sentiam habere non posset, nunciauit, & inhibuit, ne fieret turris illa; quam tamen nihilominus incipi, & compleri fecit, contra dictorum Domini Castri, & Episcopi voluntatem: cumque postmodum dictus Episcopus in Regali esset præsentia constitutus, & paratam sibi offerret pecuniam, de qua satisfecerat mercatoribus ante dictis, humiliter supplicando, vt Castrum ipsum ei vel dicto nobili, qui de ipso homo suus ligius est, restituere dignaretur; id efficere noluit pro suæ arbitrio voluntatis.

4. *Cum igitur ex hoc, quod præfatus Rex detineat taliter Castrum ipsum (quod est, vt asserit Ecclesiæ suæ membrum nobile, & Episcoporum Aurelianensium consueuit esse refugium speciale) non modicum ei videatur, & Ecclesiæ suæ præiudicium generari, præsertim cum nobilis antecedens incessanter requirat per fidem suam Episcopum, tanquam dominum suum ligium, vt sibi restituat, vel restitui faciat Castrum suum, refussa pecunia memorata; serenitatem eius per nostras litteras, rogamus attentius, & obsecramus in Domino, vt ita super hoc Episcopo satisfaciat supradicto, restituendo Castrum ipsum eidem, vel Domino suo prædicto, refussa sibi pecunia, quam exoluit mercatoribus, vel si quam aliam bona fide necessario in obseruatione ipsius Castri expendit, quod ad bona Ecclesiarum in eius iniuriam, à quo bona cuncta procedunt, non videatur habere manus auidas, & extensas: alioquin quantumcunque serenitatem Regiam habeamus charissimam, eique velimus, quantum poterimus, cum Domino deferre, sibi tamen non adeo deferemus, vt æquanimiter toleretur à nobis, si, quod absit, taliter Aurelianensis iniuria, & Ecclesiæ contra Dominum protrahatur. Quocirca discretioni vestræ, de qua specialem gerimus fiduciam, per Apostolica scripta mandamus, quatenus Regem ipsum adeuntes, ad hoc moneatis, prudenter, & efficaciter inducatis. Datis Laterani tertio Idus Februarij, anno secundo.* Hæc ad Abbates illos Honorius Papa super primo negotio. At de secundo, quod longè grauius erat longiores, seueriorésque ad eos litteras dedit [b].

b *vli supra.*

5. *Claræ-Vallensi, & Morimundensi Abbatibus Lingonensis Diœcesis, & Abbati de Burgo medio Carnotensis.*

Suscepti cura regiminis, nos à nobis adeo peregrinare compellit, & distrahit ad diuersa, vt sæpè membris quiescentibus, noster parum animus acquiescat, inquieta quasi sollicitudine cogitando, qua ad subuentionem Ecclesiarum, pacem Principum, & salutem pertinet populorum; super quibus dilectissimum in Christo filium nostrum Regem Francorum illustrem affectuosè rogamus, vt inter alias, quas frequentius celsitudini Regiæ mittimus litteras, eas, quas nunc dirigimus diligentius sibi legi faciat, & exponi; quorum tenor vtinam taliter scribatur in scrinio cordis sui, vt famæ suæ consulens, & saluti, hæc semper in opere compleat, quæ ad laudem Dei, & exaltationem Regiam suaderi sibi paterno desideramus affectu. Tacti enim sumus dolore cordis intrinsecus, quod cum vsque ad terminos orbis terræ consueuerit prædicari, quod Regnum Franciæ defendebat præ cæteris mundi Regnis, Ecclesiasticam dignitatem, ac Ecclesias, & ministros earum in suis communitatibus fouebat, non solum ad suos manum suæ liberalitatis extendens, sed etiam ad quoslibet alios, qui persequutionem patiebantur propter iustitiam, eorundem inopiam releuando, suarum abundantia facultatum: nunc nostris forsan peccatis exigentibus, ne sit aurum suum conuersum in Scoriam, & mutatus optimus color eius? meritò dubitatur, cum lapides Sanctuarij dispergantur ibidem in capite omnium platearum; Sathanæ ministris impugnantibus sponsos Sanctæ fidei Catholicæ, ac ministros.

Ex hoc sanè præmitur, & turbatur anima 6.
nostra valdè, cum præter commune debitum, quo fideles diligimus vniuersos, Excellentia Regia sit nostris inuiscerata visceribus ab antiquo, inextricabili vinculo charitatis, nostræque debeat benignitati referre, qui ei quantum cum Deo possumus deferendo, ipsum semper attendimus honorare honorificentia speciali: idem Rex, quasi plus debito de nostra dilectione confidat, pusillanimitati nostræ, mansuetudinis lenitatem, in nostri derogationem honoris, attribuat, dissimulando creditur ea persimisisse in Regno suo nostris temporibus minus rationabiliter acceptari, quæ non meminimus hactenus temporibus alicuius ibidem fuisse præsumpta. Relatis siquidem nobis nuper iniuriis, quas Venerabilibus Fratribus nostris, Anicensi, Suessionensi, & Ambianensi Episcopis, ac eorum Clericis, & Ecclesiis irrogasse dicuntur filij, non priuigni (si tamen filij debent dici, qui affectu deposito filiali, hostilem animum adiunxerunt) vix respirare potuimus, cum pulsauit Venerabilis Fratris nostri Aurelianensis gemitus aures nostras, qui nobis fecit diligenter exponi tyrannidem, quam Ioannes miles de Aurelianis, cum suis compluribus, in ipsum, & commissarios Sanctarum Ecclesiarum Presbyteros, & ministros ausus fuit crudeliter exercere.

Vt autem breuiter transeamus, quod domum 7.
de Astrepent *Episcopalem per suos fecit infringi, bona rapuit, quæ inuenta fuerunt ibidem fossata rupit, & tandem Castrum ipsius Episcopi, quod* Diuenes *dicitur, infra securitatem, quam ei ad mandatum Regium præstiterat, acceptando, homines eius ad redemptionem coegit, Ecclesiis fractis, & Canonicis inhonestè tractatis, cantorem ipsius Ecclesiæ vsque ad effusionem sanguinis verberauit, præter id quod Episcopo ipsi, cuius sanguinem videbatur sitire, insidias posuit, & alia damna multa intulit, quæ narrare per singula longum esset. Quis vnquam in aliquem sine causa adeo debacchari potuit, sicut iste in Christum Domini Archipresbyterum Ecclesiæ, quem vexatum angustia carcerali, tandem fecit transuerso caputio, super equum macilentum, sine sella tandiu discurrere, donec ferè spiritum exhalaret, & reclusum in carcere, semi-viuum metu mortis, postmodum abire permisit. Hæc, inquam, nisi zelus domus Domini, qui dictum Regem solet comedere, in eo forsan minus solito nunc feruoret, animaduersione prius debita repressa fuissent, quam in nostra possent auditorio recitari; nedum quod prout eius decebat potentiam, Episcopo ipsi præsentare securitatem non fecit, licet fuerit tam ab ipso, quam aliis quibusdam Episcopis, sæpius super hoc humiliter requisitus prout in litteris à nobis exhibitis perspeximus continere.*

Potuisset vtique memoratus Episcopus, cum pe- 8.
titam assecurationem non potuit obtinere, non immerito super partem aliquam Regni eius iurisdictionis subiectam, Ecclesiasticum exercere rigorem: sed maluit reuerenter Regiæ Maiestati deferre, sperans quod ille, in cuius sunt manibus

corda Regum, erga eum Regalem animum ſerenabit: nunquid dictus Rex debet ita Domino reſpondere pro omnibus, quæ ab eo quotidie ſuſcipit? Credere quidem debet, & indubitanter tenere, quod qui Dauid, & omnis manſuetudinis eius meminit, ille ſolus non ſolum fecit, & contulit ei grande nomen, iuxta nomen magnorum, qui ſunt in terra, verum etiam Regnum ſub eius regimine, glorioſius cæteris exaltauit, vnctúmque ipſum oleo lætitiæ præ cunctis Regibus, qui nunc adſtant, pacem de ſuis hoſtibus circumquaque offerens, & quietem; eo quod dilexit iuſtitiam, liberando pauperem à Potente, ac liberam Chriſti ſponſam à ſuis oppreſſionibus liberauit: qui Deus, & Dominus liberabit etiam Excellentiam Regiam ſemper ab impetu hoſtium, ſi perſiſtat in liberationibus oppreſſorum, & in Eccleſiaſtica libertate tuendas; & inſuper cum à carnis carcere liberatus fuerit, ad æternam eum prouehet libertatem.

9. *Quapropter ſerenitati Regiæ per litteras noſtras paterna dulcedine ſuademus, & obſecramus in Domino, vt ſe ſub potenti manu Dei ſemper humilians, & recogitans horam finis ſui, ne pereat in æternum, Dominum, qui ei propenſius honorauit, honoret in ſuorum honorificentia miniſtrorum; & malefactorem prædictum cum complicibus ſuis, qui cum ſit homo ſimilis lingua, nec extra Regnum eius dicatur aliquid habere, vix credetur ſine ipſius conſcientia commiſiſſe talia, niſi eius malitiam vltione celeri proſequatur. Et Epiſcopo memorato, & aliis ablata reſtituat vniuerſa, & de damnis, & grauaminibus irrogatis ſatisfaciat competenter, Regia poteſtate compellat: ſicque corrigat per ſeipſum huiuſmodi temeritatis exceſſus, quod alij, qui præfati ſcelera ſcelerati, iam trahunt, vt dicitur, in exemplum, in irreuerentiam clericorum, metu pœnæ temporalis addiſcant à ſimilibus abſtinere. Cum enim ipſe Rex iugum Domini ab adoleſcentia portauerit, ſemper in manutenenda Eccleſiæ libertate abſit, vt illud ab humeris ſuis excutiat, in ætate prouecta, quando fortior in ſeruandi Domini iuſtificationibus debet eſſe, vel quod priùs cœpti curſum itineris deſerat, quam ad metam perueniat, de qua ſibi corona iuſtitiæ reponatur. Conſideret ipſe, conſideret, quid amiſit Solomon, quia purum Deo, & ſtabilem animum non ſeruauit? Et ad quem caſum Saul deuenerit, eo quod in perſeuerante bono non ſtetit. Perſeuerantia quippe currentem remunerat, roborátque pugnantem, quam myſticè repræſentat talaris tunica iuſti Ioſeph, quæ vſque ad pedum extremitatem peruenit. Hæc eſt enim bonæ operationis calcaneus, quem ſapiens à ſerpente cuſtodit. Hæc eſt Cauda hoſtiæ, quam præcipit cum victima lex offerri.*

10. *Monemus præterea eundem, vt filium chariſſimum, vt paternæ curæ ſolatium, in quo nobis bene complacuit, & placebit impoſterum, Deo dante, ita piis operibus ſe adoptet, quod bonum Regiæ deuotionis initium, progreſſum quem habuit meliorem, ſubſequatur finis optimus, & concludat, vt fiat mane, & veſpere dies vnus, & regnare in Chriſto valeat in æternum, quia nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt Regno Dei, prout veritas Euangelica proteſtatur. Rogamus inſuper dictum Regem, vt quidquid ſuper his fecerit, ſaltem pro munere nobis donet, quod præfato Epiſcopo ac Eccleſiæ ſuæ Canonicis, & Clericis ſuis, & rebus eorundem, auctoritate Regia ſecuritatem præſtet, & faciat inuiolabiliter obſeruari. Alioquin quantumcunque Regalem Excellentiam diligamus, ſi fortè, quod non credimus, ſaltem in ſpeciali gratia non fuerimus exaudiri, ſibi tamen deferre non poterimus contra Deum; ſed eligemus potiùs Regi Regum, quam Regi hominum complacere. Quo circa diſcretioni veſtræ, quam illi gratam eſſe non dubitamus, & de qua etiam nos plurimum confidimus per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfatum Regem ad hoc ex parte noſtra quantocius adeuntes moneatis prudenter, & efficaciter inducatis. Datis Laterani tertio, Idus Februarij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.* Hæc Honorius ad Abbates feruenti zelo, in quam eandem formam Regi ſcripſit, vt verbis legatorum ipſius verba reſponderent per omnia, non ſecus ac ſi Roma, atque ab eius colloquio egreſſi fuiſſent.

Suſceptis litteris ac mandatis Pontificiis, accinctos operi, & ſtatim adiiſſe Regem Abbates, habemus ex aliis eiuſdemmet Honorij, hoc item anno datis intra bimeſtre. Verum non ad eoſdem, ſed ad Epiſcopum Cænomanenſem, & Abbatem de Vadacio Cænomanenſis, retento ſolo Abbate de Burgo medio. Ex quibus rurſus colligi videtur, quod attinet ad aſſecurationem, quam Pontifex petebat, velut pro dono, impetratam à Rege, pro reuerentia, tum Honorij Papæ, tum Legatorum, nam vtriſque Philippus deferebat pro modo debito. Deinde quod ad Ioannem de Aurelianis, qui tam atrocia in Eccleſiam commiſiſſet, inueniſſe repreſſum, punitúmque, aut à Rege puniendum obtinuiſſe, atque ad condignam adigendam ſatisfactionem; neque enim hæc inculcantur in illis litteris. Verum qua parte Caſtrum Soliacenſe reſtituendum petebant, quod ad ſe pertinere Rex diſputabat (nec iura ipſi quærenti deeſſe poterant, quandiu iuriſperiti non deeſſent) intereſſe Reipublicæ ne Regium patrimonium diſſiparetur: & ſe libenter maiora conceſſurum Aurelianenſi Eccleſiæ: ſi tamen propria; ſi ſine præiudicio Regni, & hæredum. Demum tanta pro ſe ac talia allegauit, aut allegari fecit, vt Guillelmus, Guidóque velut conuicti ab incœpto deſiſterent, forſan alias hoc etiam impetraturi. Certè quod Pontifex mandatum denuo inculcans, vtrumque permiſerit, & Abbate, de Burgo medio ſolo retento, qui omnium vltimus, prioribus duos alios ſubrogauerit; argumento eſt, eos non minus clarè cum Honorio, quam cum Rege loquutos, & taliter exequutos, quæ certa eſſent indubitatáque, vt à dubiis ſe eximi, pro ea, qua apud vtrumque pollebant gratia deprecarentur. Litteræ ad Cænomanenſem, ſociósque, quæ priores recenſent, expeditæ leguntur in Regeſtis. *Romæ apud Sanctum Petrum, ſexto Nonas Maij, Pontificatus Honorij anno ſecundo.* Sed de his ſatis.

11.

1. *Fulco*

1. *Fulco cum cruce signatis ex Gallia redux*, 2. *Montalbanorum impetus repressus, & castigatus.* 3. *Tolosani in Simonis castra irrumpunt.* 4. *Atque ipse retardatus*, 5. *mox ipsos fugans*, 6. *tamen lapidis ictu viuis eximitur.* 7. *Qua occasione obsidionem accelerauit?* 8. *Almaricus successor Tolosæ cedit.* 9. *& remissiuè quædam alia de Albigensibus.* 10. *Litteræ Honorij Papæ ad Amalricum.* 11. *De paterna in hæreticorum successione.* 12. *Vindicatus Iacobus Aragonius, à cuiusdam recentis impostura.*

CAPVT TERTIVM.

1. INTRANTE Vere Fulco Tolosanus, quem sub finem anni præcedentis prædicaturum crucem, à Bertrando Cardinali Legato, vna cum Iacobo de Vitriaco, amandatum in Francia memorauimus; multos cruce signatos secum deferens, ad partes Tolosanas reuersus est; Vitriaco, vel inde alias digresso, vel insistente verbo, & quam Sanctus Saturninus sibi iniunxisset, aduersus Tolosanos prædicationi. Narrat hæc paucis Guillelmus de Podio Laurentij in Chronica Albigensium pro suo more [a]. *In ista prædicatione* (inquit) *Fulconis scilicet, & Iacobi de Vitriaco, vterque multos cruce signauit, qui venerunt in ista obsidione Tolosæ, cum quibus, & Episcopus ad exercitum est reuersus.* Hæc tantum ille, dictis superaddens, Monfortium Comitem, quò sese gratum ostenderet Fulconi, qui tot, ac tantos subiisset labores in hoc negotio (fortè, & præsagium imminentis sibi mortis) pia, atque liberali donatione Tolosanis Episcopis dedisse Arcem de *Verfeill*, cum adiacentibus castris, villisque, quæ vsque ad viginti, & vltra numerabantur: leui, sed pia pensione super-imposita, vt quandiu Comes pugnaret contra hæreticos, militem vnum ab Episcopo haberet, cum equo, & armis præliaturum sub eius signis. Legatum ne, an donatio vocanda foret? mors subsequuta fecit dubitare.

[a] cap. 30.

2. Inter hæc prospera aduersis mixta, nostrorum animos variè, aut deprimebant, aut confortabant. Montalbanensibus in eos rebellantibus vltimis penè excidij incussus metus: mox ex desperatione resumptis animis, vindictæ saltem ardor: demum cum hostes incipere timere, vtilis, & gloriosa victoria fuit. *Comes nobilis* (ait Petrus Vallsarnensis [b]) *hostagia ab hominibus de monte Albano cepit, eo quod suspecti habebantur, ne cum Tolosanis fraudem facerent contra pacem: mel, inquam, illi portabant in ore; sed fel conceptum gestabant in corde, quod comparuit ex post facto. Quia cum Seneschalis Agenensis ex parte Comitis Montisfortis, & Episcopus Lectorensis venissent ad Montem Albanum, & nocte illa dormissent secure; ecce illi de Monte Albano Tolosam miserant, vt Raymundus quondam Comes cum Tolosanis ad Castrum accederent, & eis Seneschalum redderent, & socios interficerent vniuersos: qui Raymundus quingentos præmisit armatos, qui in illa eadem nocte intrantes Castrum (propè enim erat Tolosam) cum consilio eorum de Castro, qui erant ad tria millia, & amplius, plateas obstaculis munierunt, & ad ostia domorum, vbi Seneschalus, & eius iacebant socij armatos pro custodibus posuerunt, ne illi euaderent: nihilominus ligna plurima hostes apponentes, vt si aliter capi non possent, igne penitus consumerentur: quo facto exclamant Tolosani, clangunt bucinæ, fit metus, & strepitus magnus; surgunt Francigenæ somnolenti, & stupidi, non de viribus confidentes, sed de solo Dei adiutorio præsumentes, armant se subito, & licet dispersi per Castrum, omnes tangit vna voluntas, vna fides, vna spes triumphandi: exeunt de domibus, inuitis hostibus, in quos more Leonum irruunt impatientes. Hostes fugiunt, quidam in laqueos incidunt, quos fecerunt; quidam de muris se præcipitant, licet a nemine fugarentur. Omnia ferè mobilia nostri capiunt, cætera incendio consumuntur.* Hactenus ille. Sic inter spem, & metum pugnabatur: sed spes in nostris metum superabat, quoad vsque extincto Duce, dispersus grex: & Comitis Simonis infœlix mors soli Christo victoriam reseruauit.

[b] cap. 38.

Pergit ergo Petrus narrare mortem, eiúsque 3.
circumstantias satis mirabiles, quas nos non aliis, quam ipsis verbis [c], aut grauius, aut certiùs referemus. *Cum Comes nobilis in obsidione Tolosæ iam peregisset circiter nouem menses, (scilicet à Septembri anni præteriti, vsque ad præsentis Iunium) quadam die videlicet in crastino Beati Ioannis Baptistæ illi, qui erant in Tolosa, summo se diluculo munierunt, vt dormientibus adhuc quibusdam de vestris, quibusdam in audienda celebratione Diuinorum intentis, ipsi solita fraude, & inolita malignitate insultum in nos facerent repentinum: & vt acrius improuisos impeterent, vt vexarent crudelius inimicos, ordinauerunt machinarum custodiæ deputatos, quod quædam pars irrueret in nostros, alij ex alia parte in exercitum insilirent, quatenus nostri, sicut diximus, immuniti à parte duplici expugnati, ad obuiandum hostibus minus essent habiles, & ad sufferendum insultum minus fortes. Nunciatum est Comiti, quod hostes sui se armauerant, & infra munitionem suam iuxta fossam latebant: Comes vero audiebat matutinas, quo audito rumore, sua iussit arma parari; quibus indutus vir Christianissimus, ad Ecclesiam auditurus Missam cum festinatione perrexit.*

[c] 4.

Factum est autem cum esset in Ecclesia, & Missa iam incœpta oraret attentissimè vir deuotus, ecce multitudo maxima Tolosanorum, per meatus occultos à fossatis suis egressi, elcuatis vexillis cum maximo strepitu, & clangore, in nostros, qui propè fossatum custodiebant machinas, irruerunt: alij vero ex altera parte egressi versus exercitum acies direxerant. Factus est clamor in exercitu, nostri se quam citius munierunt: Verum antequam nostri essent armati, illi pauci à nostris, qui sicut diximus, machinarum, & exercitus erant custodia deputati, contra inimicos dimicantes, tot, & tanta persequutionum, & vulnerum discrimina sunt perpessi, quod non posset de facili æstimari. In ipso autem hostium egressu venit nuncius ad Comitem, qui Missam, sicut diximus, audiebat, sollicitans eum, vt suis succurreret indilate; cui vir deuotus, sine, inquit, Diuina audire mysteria, & redemptio-

nis noſtræ prius cernere Sacramentum : adhuc eo loquente, venit alter nuncius dicens : Feſtinate, ingrauatum eſt bellum, nec noſtri poſſunt diutius ſuſtinere. Ad quæ Vir Chriſtianiſſimus : Non exibo, niſi prius meum videro Redemptorem. Cum autem Sacerdos Sacræ Congregationis hoſtiam eleuaret ex more, Vir deuotiſſimus, flexis in terram genibus, ſed manibus eleuatis in cœlum : Nunc dimittis, inquit, ſeruum tuum Domine, ſecundum Verbum tuum in pace. Et addit : Eamus, etſi oportuerit, moriamur pro illo, qui pro nobis dignatus eſt mori.

5. *His dictis, Vir inuictiſſimus ad pugnam properauit. Ingrauabatur autem bellum vtrinque, pluresque hinc ; & inibi vulnerati fuerant, & interfecti, ſed adueniente milite Ieſu Chriſti, noſtris audacia, & viribus duplicatis, aduerſarij omnes repulſi ſunt, & vſque ad foſſata à noſtris viriliter ſunt retruſi. Retrahentes ſe Comes, & qui cum eo erant, aliquantulum propter grandinem lapidum, & intolerabilem ruinam ſagittarum, ſteterunt ante machinas : cladis ante ſe poſitis, quibus ſe tuerentur à lapidibus, & ſagittis : iaciebant ſiquidem hoſtes ſuper noſtros creberrimos lapides, cum duobus trabuchis, & Mangonello, & pluribus Mataſundis. Vnde illud quod ſequitur, quis ſcribere, vel audire, quis, inquam iſtud ſine dolore poterit recitare ? Quis ſine ſingultibus audire ? Quis inquam non reſoluatur, & penitus liquefiat, audiens contrariam pauperum vitam. Omnia quippe ſunt, ipſo recumbente, contrita, ipſo moriente, mortua : ipſe etenim erat mœſtorum conſolatio, ipſe debilium fortitudo, ipſe in afflictione refrigerium, ipſe refugium miſerorum.*

6. *Dum ſtaret Comes fortiſſimus, ſicut iam dictum eſt, cum ſuis ante machinas ſuas, ne hoſtes denuo exirent, ad ſæpè dictas machinas diruendas ; ecce lapis Mangonello aduerſariorum proiectus, percuſſit in capite militem Ieſu Chriſti, qui ictu lethali recepto, pectus ſuum bis percutiens, Deoque, & Beatæ Virgini ſe commendans, mortem imitatus Beati Stephani, & ipſius lapidatus in vrbe, cum ipſo in Domino obdormiuit. Nec ſilendum, quod iſte fortiſſimus miles Domini, imò, ne fallamur, glorioſiſſimus Martyr Chriſti, poſtquam ex ictu lapidis, vulnus excepiſſet lethale, quinque à ſagittariis. Vulnera receperat ad ſimilitudinem Saluatoris, pro quo mortem patienter ſuſtinuit, cum quo poſt mortem, vt credimus fœliciter gloriatur, & viuit.* Hactenus Vallſarnienſis ſeuero affectu, & propenſo in Simonem, ſed qui iudicio per omnia ſubiaceret. Certè *Simonem (ait Guillelmus de Podio* [d] *) Comes Toloſanus, quamuis eius hoſtis mirabiliter commendabat.* Quid non laudent Catholici, & amici, quem inimici extollunt, quem hæretici eximie laudant ? Certè Guillelmus Broto, non ſolum laudat, ſed & Martyrem vocat, his plane verbis [e]

Nec multò poſt hæc Simon (magis vnde dolendum,
Martyris in palma ratio niſi flere vetaret)
Inclytus ille Comes, Toloſanâ dum obſidet vrbem,
Raptus ab hac ſubito lacrymarum valle, Beato
Martyrio ad ſedes meruit migrare ſupernas.

7. Guillelmus alius de Podio auctor eſt, eundem Simonem acceleraſſe expugnationis terminos contra proprium conſilium, vireſque ; adactum à Legato Cardinali, qui in ſe Eccleſiam Romanam lapidatam à Toloſanis, quod anno præterito ex Vallſarnienſi diximus, ægrè tuliſſet, & vindicandum memoria retineret. *Cum igitur* (ait [f]) *labor pugnæ per totam hyemem perduraſſet, demum fuit conſilium ædificare machinam ligneam, quam vocabant Catam, in qua terram, & aliqua alia pertraherent ad replenda foſſa, quibus æquatis pugnam quominus inferrent. Erat autem Comes conſumptus labore, & tædio, & diminutus in ſumptibus, & exhauſtus ; nec facile ferebat ſtimulos, quibus à Legato aſſiduè, quod ignauus, & remiſſus eſſet, plurimum pungebatur. Vnde &, vt dicebant, orabat Dominum, vt ſibi mortis remedio daret pacem. Cum quadam die intraret Catam illam in Craſtino Natiuitatis Sancti Ioannis Baptiſtæ, immiſſus ab aduerſa parte lapis Mangonelli cecidit ſuper caput eius, & comminutus expirauit : quod ciuibus infrà Villam innotuit illa die, qui quantam haberent lætitiam clamoſis exultationibus non celarunt ; quanto erat magna triſtitia ex aduerſo. Ecce cuius terror erat à Mari Mediterraneo, vſque ad Mare Britanium, cadit ſub lapidis vno ictu.*

Hic manſit exitus Comitem Monfortium, 8.
quem noſtros inter à puero educatum, noſtris addictum, demum per noſtros exequentem omnia ; quæcumque in re grauiſſima peregit, piaculum putarim, ſi præteritem. Succeſſorem habuit Amalricum filium, virtutis æque, ac dominij, Iuriumque, quæ illi confirmauit Honorius Pontifex ſtatim adducendus. Verum qui breui, vt Paulus Æmilius ait, [g] *Viribus ſuis belli molem, quo pater tantus inobrutus eſſet tolerare ſe poſſe diffiſus, iuri ſuo Regi Franchorum ceſſit.* Quod nos etiam in tempore dicemus. De eo, & de corpore Simonis in Galliam deportato, ſepultoque, hæc Vallſarnienſis. [h] *Cui (id eſt Simoni) ſucceſſit filius ſuus primogenitus Almaricus, iuuenis bonus & ſtrenuus imitator per omnia bonitatis paternæ, cui milites omnes Francigenæ, quibus terras dederat, ipſi Sacramentum fidelitatis, & hominium præſtiterunt. Poſt paucos autem dies, videns nouus Comes, quod non poſſet diutius in Toloſa obſidionem tenere, tum quia audita morte Comitis, multi de indigenis apoſtatæ peſſimi recedebant ab eo, & Eccleſia, imò Chriſti hoſtibus, ſe iungebant, ac peregrini in terram ſuam redire volebant ; ab obſidione receſſit, Caſtrum reſignans, quod tenere non poterat, Narbonenſe, & corpus (Patris) primum apud Carcaſſonam curatum, more Gallico exportauit.*

Hic nos deſerit Petrus Vallſarnienſis, omnium, 9.
quæ ſcripſit teſtis oculatus, fideliſque, & cui, ô vtinam ! haberemus ſimiles multos. Guillelmus de Podio Laurentij vltra progreditur, quippe ille narrationem ſuam præcipuè. *De factis & triumphis mirabilibus nobilis Viri Domini Simonis Comitis de Monteforti :* ſicut ipſe ſubſcribit, inſtituit texere : hic de dictis, & factis Albigenſium, quæ vlterius progreſſa, vlteriorem hiſtoriam expoſcebant. Verum qui ſemper repreſſi per Ciſtercienſes à tempore Bernardi, quo incœpere ; per eoſdem tandem radicitus auulſos, atque extirpatos, ſequentia declarabunt ; cum Conradum nunc Abbatem Claræ-Vallis, & mox Ciſtercij, tunc Cardinalem Epiſcopum Portuenſem, alioſque ad hoc opus aſſumptos memorabimus. Interim tamen Honorij Papæ litteras ad Amalricum datas hoc ipſo anno, ex Regeſtis eiuſdem libet promere, quibus quæcumque patri antea conceſſiſſent, confirmat filio, & filij ſucceſſoribus. Sunt autem tales. [i]

d *cap.* 30.

e *Philipp. lib.* 12.

f *cap.* 30.

g *lib.* 7.

h *vbi ſupra.*

i *Epiſtola Honorij lib.* 3.

Amalrico

Amalrico primogenito claræ memoriæ Simonis Comitis Montisfortis.

10. *Sane in Regestis fœlicis memoriæ Innocentij Papa prædecessoris nostri prospeximus contineri, quod ipse Bituricensem, Carcassonensem, & Albigensem ciuitates ac alias hæreticorum terras, quas Dominus tradidit in manibus inclytæ recordationis patris tui, ac exercitus Christiani, eidem patri tuo, cui Princeps eiusdem exercitus, cum consilio Legatorum eiusdem Apostolicæ Sedis illas regendas consignauerint, nec non hæredibus eius in fide Catholica, & deuotione Sedis Apostolicæ permanentibus confirmauit, principalium Dominorum, & aliorum, si quibus forte competit, iure saluo, exceptis hæreticis, & fautoribus, credentibus defensoribus, & receptatoribus eorundem: eodem patre tuo tres denarios per singulas domos eiusdem terræ annualiter Romanæ Ecclesiæ promittenti, ad indicium, quod terras ipsas in deuotione Apostolicæ Sedis, & Sanctam Religionem conseruare de cætero disponebat. Idem etiam prædecessor noster statuit in Concilio Generali, vt terra, quam cruce signati obtinuerint aduersus hæreticos, credentes, fautores, & receptores, eorum cum Monte Albano, atque Tolosa dimitteretur, atque concederetur (saluo Catholicorum per omnia iure, Virorum, mulierum, atque Ecclesiarum) Comiti memorato, vt eam teneret ab illis, à quibus est de iure tenenda.*

11. *Nos igitur tuis iustis precibus inclinati, terras, quas ipsi patri tuo, & hæredibus eius, dictus prædecessor noster noscitur confirmasse, ad eius exemplar tibi, ac hæredibus tuis, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, &c. Datum Laterani decimo sexto Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno tertio.* Ita Honorius Papa ad Amalricum, tunc recens Patre, & tanto Patre orphanum: à quo non aliter non degenerare, quam per virtutem posset; quippe qui terras non hæreditarias, sed in gladio acquisitas à fidei hostibus, hæreditario acciperet, nec tam Dominij hæres, quam belli esset.

Id vnum demum ad calcem huius capitis ne- 12.
fas putarem silentio præterire, immerito Abrahamum Bzouium imputare Iacobo Aragonensi, Petri filio hæredi, quod partes Albigensium contra Simonem, suis viribus, copiisque firmauerit, nullo producto auctore, nulla, vel leui saltem coniectura. Certè auctores non solum Hispani, sed ne aliquis Gallus, imò nec ipsi scriptores Tolosani, tale quid produnt, quin magis omnes in oppositum conspirant, & puer Rex sub tutoribus adhuc constitutus, & patruorum ambitu agitatus, qui proprias nondum posset, quomodò alienas iniurias vindicaret? Demum Honorius Papa, qui hoc anno interdixit Iacobo, ne se rebus Tolosanorum ingereret, aut subditos suos eis adhærere, aut fauere toleraret, sequenti ad Bertrandum Cardinalem Legatum scribens, multum eum commendat, tum à fide, tum ab obedientia inuiolata Ecclesiæ præstita, cuius & ipsum specialem filium nominat, atque id genus alia: ex quibus facile Bzouius conuinci potest. Nos ipsas litteras, simul & mortem matris Romæ defunctæ eodem anno sequenti referemus.

---

1. Calatrauenses ab exteris quæsiti. 2. Alcantaram Sanct-Iulianeis dare deliberant 3. conditionibus pactis, quas Rex Alfonsus firmat suo diplomate. 4. Mariana in aliquibus notatus, correctusque. 6. A Pereyrensibus actum de translatione sui Conuentus, 7. variis vtrinque sententiis agitatis. 8. Successio Magistrorum Calatrauensium. 9. Translatum Monasterium Petræ, ditatumque: 10. & ingens priuilegium indultum Valls-Ecclesiensibus.

CAPVT QVARTVM.

1. SANCT-Iulianea Militia, quæ ante sexaginta annos exorta, hoc anno nomen legitur mutasse, simul cum sedibus; adoptata in filiam Calatrauæ (nam ita interpretantur Calatrauenses) Alcantaram accepit, ne sine hæreditate nulla adoptio: qui locus cum augustior esset, & aptior hostibus impugnandis, quippe eisdem vicinior, munitiorque, familiæ antiquæ nouas sedes dedit, & nouum nomen. A quatuor annis Calatrauæ milites (quod supra diximus) Alcantaram acceperunt, Alfonsi Regis Legionensis dono, vt ibidem Conuentum instituerent, vnde Arabes confines exagitarent. Ea laus Calatrauæ militiæ fuit inter prospera æque, aduersaque, quæ à principio passa; vt non solum à propriis Castellæ Regibus, quorum obsequiis nata; sed ab exteris etiam expeteretur. A Lusitanis expetita est, vt Auisiensem militiam informaret, ab Aragoniis Alcanizium obtinuit, à Legionensibus oppidum Alcantaræ, pro erigendis conuentibus vt nullum in Hispania Regnum illius expers, nullum sine eius præsidiis inueniretur. Nec diu erit, cum Italia, & Oriens Calatrauam vocabunt; quod hi etiam Annales præseferent.

2. Ergo Alcantara ab Alfonso Legionensi; pro nouo in eo Conuentu constituendo, accepta, cum se videret viribus diuisis imbecilliorem fieri, nec longa intercapedine locorum inter vtramque arcem, Alcantaræ nimirum, & Calatrauæ, facilem aditum patere mutuis auxiliis; cum insuper in Regno Legionensi Sanct-Iulianeos milites exigua arce cõclusos, in primitiuo loco suæ originis & iam à Sarracenis semotiores, quos, finitimis Castris expugnatis longè fugauerant. Alcantarã eximiè propugnaturos nõ dubitaret: illud Magistri, & reliquorum omnium consilium fuit, vt quos non possent filios naturales, adoptiuos haberent, atque Alcantaræ arce, oppidoque, velut pro hæreditate contributis, eo inter se vinculo charitatis vnirentur, quo in Cistercio vniuntur matribus filiæ. Facilè id professis eundem Ordinem; neque institutum, aut mores mutaturis. Relata res ad Nuncium Ferdinandum Pereyrẽsem Magistrũ (tacito vt puto) filiationis nomine: (nam nulla illius mentio in instrumento) relata ad Conuentum: & placuit cunctis, retentis suis legibus, societatem admittere, quæ sibi lucro sine vllo prorsus damno, nec oneri esset, sed honori: id vnum tamen ægre se laturos, quia non experti, si Priorem Monachum aliunde

ad

ad se venientem habere cogerentur, vt habere videbant in Calatraua. Non quod se nollent talem habere posse, sed quod vellent, & posse non habere; nec secum educatos Sacerdotes priuandos iure, quod hactenus habuissent, etiam si alij ad illud admitterentur. Facilis in hac parte concordia fuit, cedentibus Monachis, nec magis Prioratui Alcantaræ insistentibus, quam institissent Abbatiæ Calatrauæ. Res ad Alfonsum Regem delata est, atque ab ipso approbata, instrumento confecto, die XVI. Iulij præsentis anni, cum vterque Magister, Mirobrigæ (vulgo, *Cieudad Rodrigo*) vbi tunc erat Alfonsus, conuenisset; atque ecce instrumentum transactionis. [a]

a *apud Rades in Chronico Calatr. c. 17. & Alcantare c. 4.*

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen.

3. *Notum sit omnibus, tam præsentibus, quam futuris per hanc chartam in perpetuum valituram, quod Dominus Alfonsus Dei gratia Rex Legionensis, & Gallicia ad honorem, & gloriam Dei, & vtilitatem sui Regni voluntate, & assensu Magistri, & Conuentus de Calatraua ex vna parte, & Magistri, & Conuentus Pereyri ex alia, ordinat, & statuit hæc, quæ sequuntur. Quod Magister, & Conuentus del Pereyro, cum obedientia recipiant visitationem, quam Magister de Calatraua fecerit, secundum Ordinem Cistercienſem, ita tamen, quod non obligentur ad suscipiendum Monachum Priorem, si eum habere noluerint, sed quoties opus fuerit eligere Priorem, eligant de sua propria domo del Pereyro, vel de Calatraua, vel de aliqua ex filiabus Calatrauæ; dum modo Monachus non sit. Et Magister, & Conuentus de Calatraua dent Magistro del Pereyro Villam de Alcantara, cum omnibus possessionibus, chartis, priuilegiis, & omnibus mobilibus, quæ in Regno Legionensi donatione Regum, seu alio quouis modo hactenus acquisierunt; & quando contigerit Calatrauæ Magistrum mori, seu deponi, aut renunciare, vocetur Magister del Pereyro ad electionem futuri Magistri Calatrauæ, & Magister Calatrauæ numquam possit bona aliqua Conuentus del Pereyro alienare, sine consensu eiusdem Conuentus: etsi aliter fecerit Rex Legionensis rescindat illius factum. Facta charta apud ciuitatem Roderici die XVI. Iulij Æra M. CC. LVI. præsentibus Domino Lombardo, Episcopo Ciuitatensi, D. Petro Aluitin Magistro templi, Ioanne Diaz Priore Hospitalis, Petro Cadiz Fr. Hospitalis, Dominico Perez commendatore, & Fr. templi Domino Sancio Ferdinandi Fratre Domini Regis, &c.*

Et ego Alfonsus Rex hanc chartam confirmo, & sigilli mei appensione roboro.

Ego Martinus Ferdinandi Calatrauæ Magister, cum consensu Conuentus roboro, & confirmo.

Ego Nuncius Magister Pereyri, cum consensu Conuentus dicti loci, roboro, & confirmo.

Petrus Perez Archidiaconus Salmantinus, qui tenebat officium chancellariæ scripsit per manum Michaëlis notarij Domini Regis. Hactenus instrumentum.

4. Ioannes Mariana discretus alias scriptor rerum Hispaniæ, verum in his quæ ad militias sacras pertinent fatali quadam incuria minus diligens, hoc putat fuisse initium Alcantarensium, qui non alij extiterint, quam milites transmissi ex Calatraua, nuncupati ex loco, & nouum nomen mutuantes à nouis sedibus. *Ad Tagi* (ait [b]) *ripam, in veteri Lusitania, Alcantara firmissimum oppidum captum, quod Calatrauæ militibus dono Regis cessit, vnde tanquam ex mundissima arce, atque fortissimo propugnaculo in hostium fines incurrerent ipsi, illorumque impetus propulsarent. Hoc Alcantaræ militibus initium fuit, tenue, & inualidum, vt fere in rebus magis.* Hæc Mariana paucis multa confundens; nam neque qui Alcantaræ hodie milites, à Calatraua egressi, sed ex Pereyro; neque eo anno, quem ipse tunc describit, Christi nimirum M. CC. XIII. aut CC. XIV. sumpserunt initium, sed ante annos sex, & quinquaginta, vt tomo à nobis secundo latè ostensum. Demum, neque sub nomine Alcantaræ eo anno recepêre, quo Alcantara nondum donatos constat; sed hoc tantum potuere, vt maximè translationem accelerauerint, siue verius sequenti, vt statim dicam, quo primitiua Sanct-Iulianea arce relicta Alcantaram Conuentus transmigrauit.

b *lib. 12. c. 3.*

Sic quod idem auctor statim subdit, Alcantarenses pro habitu habuisse ex quo dignoscerentur *Cucullum, & rubram fasciam.* (Hæc eius sunt verba) vnde hauserit penitus ignoro: namque vt admittam fasciæ vocabulo scapulare intelligi, cui Cucullus, siue paruum caputium assutum foret (quam tamen vocem impropriam omnino constat) verum rubrum colorem cur addiderit? aut semel additum soli scapulari, quod fasciam vocat, non assuto caputio accommodauerit, nulla ratione valeo diuinare. Certè vtraque militia vsa coloribus, quibus Cistercium vsum, quod ipsi vtrique Annales, atque definitiones, vt vocant, testificantur. Quare in Hispania albo, siue nigro, non alterius coloris, vel si vltra Hispaniam colores quæsitum irent, fusco tantum, aut griseo, vti potuerunt: ruber, & viridis solas cruces tenuit, in quas postea caputia commutarunt. Demum, quas ipse fascias improprie vocat, hodie etiam ab vtrisque militibus gestari, Alcantaræ nimirum, & Calatrauæ, quamlibet tectas veste superiori, compertum est; solum enim caputium commutarunt. At non rubras, alterius colorisve; sed albas tantum: quippe quæ pro cucullo substituuntur, in cuius locum scapulare breue cum caputio, vel sine caputio etiam inter nos solet ex Pontificio indulto subrogari. Igitur nunquam fasciam, & scapulare, neque rubrum sed album, caputiatumque, & ad Pereyrum soliti portare, & in Alcantara dudum conseruarunt. 5.

Transactione firmata per instrumentum, Pereyrensis, Nunius Fernandius, Alcantaram peruenit, arcis, & oppidi possessionem capessiturus; neque ea retardata, Pereyrum rediit, vbi rotius militiæ coacta Synodo, de approbãdo contractu cœpum agi, & de militiæ, & Conuentus translatione Alcantaræ vrbem (quid enim eam vetat sic appellari, oppidum ingens, munitum, muratumque) dignam tanta militia, & quæ à talibus egeat propugnari: Pereyri Sedes decentes olim fuisse pusillo gregi, nunc per tot incrementa multiplicato indecoros, angustos, & quæ nec viros capiant, nec dignitatem. Tum Sarracenis fugatis ab illis finibus, nihil sibi superasse, quod ibi faciant; & militiam, vel sedibus incertis, progressuram vlterius, & quos exagitet hostes quæsituram; Calatrauenses eiusdem Ordinis milites, nequaquam repellendos à societate, pro qua vel vltro ab ipsi rogandi forent. Quæ darent vera esse, realiaque, ac semper permansura, vrbem, arcem, ingentes possessiones; quæ peterent incerta inania, dubia; & quæ si æqua lance perpendantur, non oneri esse debent, sed honori. Nam quid si visitentur à Magistro, quem ipsi eligant? non ne prius Calatraua ab ipsis caput, quam ipsi ab ea 6.

recipiant

recipiant visitationem? Nec dubitandum Alcantaræ Magistrum electurum, quæ vellet; cui, vt longè potentiori, qui mos est hominum, reliqui suffragantes obsequerentur. Quid si & hac via maiora sibi pateant, qui possent eligi in Magistros Calatrauenses? Demum Alcantaram ab eis semel possessam, non vnquam amittendam Deo volente: visitationem contra, si displiceat, exponendam litigio, iuris doctorum versutiis eludendam.

7. Hæc, & similia Magister, aliique; quæ contra pauci subiectionis damna, tanta militia indigna, atque ipsum filiationis nomen, quod licet taceretur, intendebatur, nequaquam sustinenda disputabant. Influere in Magistrum Calatrauæ, Magistrum Pereyri, sed vnum inter multos, Calatrauensem solum visitare. Eligere subditorum proprium esse, visitare Prælati. Et quid magnum in Sanct-Iulianeo Præfecto sit, quod nulli, vel mimino militi negatur Calatrauensi? Illustrem sibi Alcantaræ munitionem, si armis à se partam; fœdam, si comparatam per tantum dedecus, tam indigna animorum abiectione. Egrediantur, impugnent Sarracenos, vt hactenus fecissent, acquirantque, quò se transferre possent sine dedecore. Hæc pauci, & extremi; nec deerant, qui primitiuas ædes, quamuis angustas, atque parentum ossa (quæ antiquitatis aliquibus inesse aut veneratio solet, aut superstitio) nequaquam deserenda fore dissererent. Præualuit tamen ampliandæ militiæ ardor, fortè & nouarum rerum desiderium, quo multi vtique solent labore. Demum contractum interuentu Regis factum, difficile cassandum iudicantes; quod reprobare non licuit approbauerunt. Decreta Sanct-Iulianei Conentus translatio est, quantocyus, properantibus etiam qui dissuaserant, exequenda. Neuter tamen Magister eam vidit, quod satis mirandum, Calatrauensi extincto intra hunc annum, Sanct-Iulianeo sub initium subsequentis nondum, vt creditur, perfecta translatione.

8. Ergo inter hæc Magister Calatrauæ Martinus Ferdinandi cum sacrum suum Conuentum, militiamque è veteri, vt vocant, Calatraua, transtulisset ad nouam, quod anno præcedenti memoranimus: cum transferendis Sanct-Iulianeis Alcantaram dedisset, vt modo vidimus, nulla alia re illustris quam translationibus sub finem huius anni defunctus est, atque in arce sepultus, ad quam ipse Conuentum transtulisset. Martinum excepit Gundisaluus Ioannis (Hispani Iañez, siue Iuanez dicimus) ex Gallicia oriundus, & qui ante ad missum Calatrauæ habitum, filios ex legitimo thoro procreasset. Electionem suffragiis discordantibus, licet maiori, & saniori parte factâ Martinus Ruycius à paucis expetitus, turbare conatus, & se Magistrum dixit: sed breui emergens schisma extinctum est, Morimundensis Archimãdritæ Guidonis, ad quem confirmatio pertinebat auctoritate; & confirmatus Gundi-Saluus est, velut qui iure potior, atque militiæ vtilior iudicabatur: Rades[c] confirmatione alterius, sublatum breui schisma, memoriæ prodit, confirmatorem reticet, quasi ad quem pertineret, aut ignoraret ipse, aut saltem alios vellet ignorare. Et tamen in diffinitionibus Calatrauæ à principio obseruatis, vulgari etiam sermone, scriptum constat. *Item porque al Abbad de Morimundo, se conoce la institucion, & destitucion, & confirmacion del nueuo Maestre: estatuimos y difinimos, sopena de excommunion, y priuacion mandamos al nueuo Maestre, que en los tiempos venideros a deser elegido, que dentro de tres meses dende el dia de la eleccion, la haga presentar al Abbad de Morimundo, o a su lugar teniente en Morimundo, para acier la confirmacion.* Ita vel post extinctum Magistrum, ac Regio patrimonio incorporatum, sub administrationis honesto titulo; ne quod fuit ab initio, vnquam excideret, etiam cum excidebat, aut posset per non vsum oblitterari.

[c] Cap. 18.

Hoc ipso anno, quia Hispana semel cœpimus in Aragonia translatum loco Lego Petrense Monasterium, vulgo de *Piedra* quod ante tres, & viginti annos fundatum à Rege Alfonso diximus. Translatum autem ad locum, quem hodie seruat, inter rupes, & cautes, sed amœnum; quem flumini saltus (neque enim lapsum dicam, sub quo Colũbæ, & aliæ aues nidificant) è summa rupe ad profundam vallem illustrat, natura rarus, arte inimitabilis. Primum huius secundi templi lapidem tres illustres Pontifices posuere: è quibus alter Dominicus Ruizius dictus de Azogra; qui Albarracensi Ecclesiæ præerat, non multo ante, ex eiusdem domus Monacho, ad infulas assumptus memoratur. Hunc comitati Aspargus Tarraconensis, & Sanctus Cæsaraugustanus nascentis domus initia consecrant. Fauisse creditur translationi Iacobus Rex, qui patris, auique exempla sequutus, multa Petræ donauit. Vnde versus, qui hodieque ante fores domus leguntur.

9.

Hæc sacra Bernardo Casto, Rex tecta dicauit
Alfonsus Castus; magnaque dona dedit.
Post eadem Reges instaurauere Iacobus,
Et Petrus: Alfonsi hic filius, ille nepos

Quippe ab Alfonso cognomento, Casto, fundatam domum Petrus, Iacobusque multis illi collaris locupletarunt. Habuit viros insignes plures numero, atque alia illustria, quæ suis quæque locis dicenda erunt.

Lego & hoc anno Ferdinandum Castellæ Regem, cum Vallis Ecclesiarum vulgo *S. Martini* ignota hactenus gleba, locusque ex recentibus in ea plantatis vineis, & pretioso phalerno, per Hispaniam celebrari inciperet, atque multi vndequaque illuc confluerent inculta rupium, & prærupta Vallium, in runcina, & ligone subiugaturi, ne vel Monachi à Colonis paterentur, quod malum frequens, & ferè necessarium in pingui solo: diteſcentibus facile, qui accipiunt, atque ex ipsis diuitiis insoleſcentibus, etiam in eos, à quibus accepere: vel ipsis, aut exclusis, aut non admissis, nihil nisi teram, & rupes conseruarent; Regium illis dominium concessisse ciuile, criminale, vt quicũque eam vellent, inhabitarent, in omnibus Abbati pleno, Vasallitio iure subiicerentur. Datum Toleti die XXVII. mẽsis Martij Æra M.CD.LVI. Præuidit, quod instabat Monasterio periculum Rex prudens, sed non prouidit. Quis enim cunctis valeat obuiare? Creuit S. Martinus (namque hoc nomen nouæ habitationi) in ingens oppidum, cuius cupidine accensi vicini Proceres, quam possent Coloni, multo grauius cœnobium molestabãt. Nec desistere quovsque in spoliatum insurrexere vtrique, atque eo efficacius, renaciusque, quo abundantius ditantur ex suis bonis. Adeo, quæ primis Cistercij Patribus paupertas placuit, aut imitanda filiis, aut quod ipsa experientia semper docuit, numquam sine dispendio differenda.

10.

1. *Raymundus Peña-fortius, & Petrus Nolaſcus Barchinonæ degentes* 2. *eandem cum Iacobo Rege viſionem habent.* 3. *Inter ſe conferunt,* 4. *& de inſtituenda familia religioſa pro redimendis captiuis, ſerio deliberant.* 5. *Die Sancti Laurentij Raymundus declamat.* 6. *Petrus Nolaſcus nouo indutus habitu inſignia Regia à Iacobo puero ſuſcipit.* 7. *Ordo inter militares numeratur,* 8. *& quam ob cauſam.* 9. *Ipſius Iacobi Regis aula donatur,* 10. *confirmatúrque à Gregorio Papa nono,* 11. *& alia quædam de ipſo perpenſa obiter.*

CAPVT QVINTVM.

1. ILLVSTREM planè vniuerſo Chriſtiano orbi religioſam familiam hoc anno natam, quia auctore Iacobo Aragonenſi, non poſſumus ſilentio præterire. Præiacta ſemina ante quadriennium, dum idem Rex in cuſtodia Simonis detineretur, fœcundauit Deipara triplici apparitione tribus facta, iiſque inſignibus viris, in quorum ore fidele verbum ſtaret, & per quorum induſtriam in omni perfectione conſummaretur. Vrbem Metropolim totius Cataloniæ habitabant tunc Petrus, Raymundúſque, ille Nolaſcus dictus, hic Peña-fortius; ille laicus, hic clericus, ille diuitiis, ſapientia iſte excellens; vterque clarus genere, ſed longè vterque clarior Sanctitate. Petrum fugientem Albigenſium hæreſes vltro à patria ablegatum (nam patria illi Carcaſſona fuiſſe dicitur [a]) opera pietatis, ſed maximè fidelium captorum à Sarracenis, quibus ſupra alios mortales compatiebatur, detinebat redemptio, in quam, & opes, & induſtriam, laborémque, quin vitam ipſam deuotus erogabar. Ferunt, vt olim in ore Ambroſij pueri; ſic & in Petri lactentis adhuc manu, examen apum tandiu conſediſſe, quandiu potuerit fauum fabricare; vt ſicut ille eloquio, doctrináque, ſic & iſte operibus argumentoſus, dulcis, & generi humano proficuus præmonſtraretur. Raymundum Barchinonæ natum, iuriſprudentiæ amor fecerat exulare per longum tempus, diſcentem priùs Bononiæ, mox docentem: & niſi à Berengario Barchinonenſi redeunte de curia (ne quidquam reclamante Bononia) reductus eſſet (alij volunt vocatum à Iacobo pro ipſius audiendis confeſſionibus) forſan non vltra ad patriam rediturum. Ageret ne Canonicum (nam Barchinonæ donatus Canonicatu cum primo reſtitutus patrio ſolo) quo tempore viſionem habere meruit; an iam Prædicatorum Ordinem, cui à Deo deſtinatus, ingreſſus eſſet, non conuenit omnino inter auctores. Certè ſi hoc anno apparuit illi Virgo, nequaquam potuit cucullum induiſſe. Conſtat ſeu ſæcularem, ſeu religioſum, inſignem opinione, & fama Virum Iacobi pueri confeſſiones audire ſolitum, quin & Petri Nolaſci; atque vtrumque ob egregias animi dotes, virtutéſque non ſolum Regi notum, & acceptum, ſed familiarem.

[a] *Apud Rayn. lib 2. cap. 1.*

2. Ergo cum Barchinonæ omnes exiſterent. *Kalendis Auguſti (noui Ordinis [b] verbis actorum loquor) prima menſis S. Petro ad vincula dicata, anno Domini M. CC. XVIII. quando Romana Eccleſia cum filiabus ſuis ſacris illis vinculis, & catenis, quibus Princeps Apoſtolorum Petrus vinctus erat, honorem anniuerſaria celebratione exhibere ſolet:* vna eadémque hora antecedentis noctis, Iacobo Regi, Raymundo Peña-fortio, atque Petro Nolaſco, vnicuique ſeorſim in proprio domicilio, agminibus comitata cœleſtis curiæ Maria Virgo apparuit, & filio ſuo, & ſibi placere, ait, ſi ipſorum induſtria, laboréque inſtituatur Societas religioſa, quæ redimendis captiuis Chriſtianis per Paganos detentis deputetur. Eius ſe Societatis Auctricem eſſe, & præſtituram matrem, quæ Chriſti Redemptoris mater fuit. Sed vnum tamen ſociis iniungendum, vt ſicut Chriſtus pro genere humano à Dæmonis ſeruitute redimendo, vitam libens expoſuit, ſic ipſi etiam, quoties opus foret, pro redimendis captiuis Chriſtianis, exponant vitam, nec quod periculum omnino reformident. Eam viſionem, atque eius veritatem ſingulos primo mane comprobaturos, tunc nullo dubitandi relicto loco, maturent omnia, atque opus Deo gratum, acceptúmque ſub ipſius auſpiciis exequantur. Dixit & ecce, diſparente cœleſti numine, ſtupor primum, mox probandæ viſionis, qua ſe indignos putabant, deſiderium; demum, ſi ea vera comprobaretur, exequendi mandati ardor cunctos inuaſit: & quam inter breuiores totius anni, quippe vix menſem diſtantem a breuiſſima, experiri debuerant, dum ſperant, dum timent, dum deſiderant, forſan longiſſimam noctem iudicarunt.

[b] *Varg. lib. 1. cap. 13.*

3. Sequenti mane Petrus Nolaſcus prior Raymundum quærit cum Viro Sancto, & docto, cui ſe commiſerat, quæ audiuit, quæ vidit conſulturus. Obſtupuit Raymundus Virum audiens, & viſionem agnoſcens, viſioni, quam habuiſſet ipſe perſimilem: & bono animo, eſto, ait, Petre, digitum Dei hic eſſe, nequaquam dubita. Scio, ſcio, te electum ad tantum opus, cuius & mentem prius, & nunc mandatum Deus tibi iniunxit, neque per Angelum, ſed per ipſam Reginam Angelorum, quæ ſeſe Auctricem, adiutricem, matrem & vltro obtulit, & ſemper exhibebit. Eia, age, rumpe moras, & Regem adi in te propitium in opus propenſum hoc: & ſcias (nam cur gloriam Dei detineam, aut occultabo?) eandem mihi hac nocte viſionem factam, quo tuæ plenior fides, nec Regi liceat de illa dubitare. Vix hos ſermones impleuerat Raymundus, cum ecce à Rege Iacobo nuncij miſſi requirebant vtrumque, Raymundum, vt Magiſtrum quem conſulendum; Petrum vt Virum aptum, idoneúmque, præcipuè in hac materia, per quem, ſi quid faciendum, exequeretur. Tum vero, vt primum tribus conuenientibus, eandem omnibus viſionem factam agnoſcunt, & quam quiſque in ſe ipſo formidabat, & verebatur, reueretur in aliis, & neque ſomno, aut phantaſiæ poſſe videt; neque illuſioni credit eſſe expoſitam; quod Deo, & Virgini placitum

non

non dubitant, sibi exequendum alacres suscipiunt. *Et post debitas gratiarum actiones (pergunt acta*[c]*) decreuerunt hanc admirandam reuelationem, ad laudem Dei, & suæ purissimæ matris, ac Christianorum ædificationem, & consolationem populo debere patefieri. Et pro huius miraculi promulgatione, ac nouæ Ordinis fundatione, cum solemnibus cœremoniis, magnoque apparatu, & pompa, diem decimam Augusti Sancto Laurentio Martyri Hispano, ex Aragonia dicatam assignarunt.* Hactenus ibi. Concordant supra dictis alij auctores, & Bullæ Pontificiæ Clementis VIII. nostro sæculo datæ de Canonizatione S. Raymundi, quas multi alij scriptores transcripsere.

[c] lib. 1. c. 14.

4. Datis nouemdialibus induciis publicando, exequendoque, mandato Virginis, & condendo instituto redemptionis sub ipsius auspiciis militaturo; intenti omnes operi, & quisque quæ ad se pertinebant diligens æque, ac pius sollicitabat, Petrus Nolascus socios idoneos operi, cum quibus nouum vitæ genus profiteretur: Raymundus concionem ad populum habendam, atque aliquales leges instituto conformes, sub quibus viuerent; Iacobus denique, quæ ad solemnitatem, maiestatemque pro Virginis suscipienda prole (neque enim suam audebat nominare) requirebant. Cæterum reliqua, quæ hinc sequuta sunt, nõ aliis verbis melius, distinctiusve, quam eiusdem auctoris describemus. *Secunda die,* ait,[d] *mẽsis Augusti, altera post apparitionem, Serenissimus Rex per suos diligentes cursores, & idoneos tabellarios, omnes reuerendos, & venerabiles in Christo Patres, Prælatos, & alias Ecclesiasticas personas illustres, spectabiles, magnificos, nobiles inuitauit, & aduocauit. Qui propinqui, & prope erãt, & commode venire poterant, cum magnificentia, & splendida comparuerunt pompa; qui vero longinqui etiam cum dispendio, & labore, vt rem inauditam cernerent, magnis itineribus aduentarunt, & omnem ciuitatem cohonestarunt, & repleuerunt, sicque præ nimia nobilium, & ignobilium frequentia, per vias, & plateas ciuitatis deambulari non poterat, & omnia Xenodochia, Diuersoria, & Cauponulæ, tam intra, quam extra ciuitatem, externis personis, hospitibus, & aduenis plena erant.*

[d] lib. 1. c. 15.

5. *Die igitur S. Laurentij decima Augusti serenissimus Rex, in honorem tantæ solemnitatis, manto, colobio, pomo & corona aurea in capite suo, & omnibus Regalibus indumentis exornatus, suo nobilissimo apparuit commitatu, medius inter suos duos Diuinæ visionis socios, Confessarium à dextris, & Petrum Nolascum à sinistris. Quos reuerendus in Christo Pater Berengarius de Palatiolo ciuitatis Episcopus, Pontificalibus indumentis superindutus, cum clero in Ecclesiæ Cathedralis foribus, auidissime, & valde latus expectabat, intra se contemplando, quod in initio huius anni talem conciuem ex ciuitate Bononiæ secum apportauerat, qui Virginem Mariam videre, & alloqui meruerat. Cantato igitur* Te Deum laudamus, *in aduentu Regis, & facta solemni processione, Episcopus Pontificalem, & solemnem missam incœpit, & Euangelio à Diacono decantato Sanctus Raymundus suggestum ascendens, concionem habuit ad populum, recensens, & enarrans præfatam Diuinam reuelationem, & admirandam Virginis Mariæ apparitionem, & expressam Dei voluntatem, quod in illa ciuitate nouus à Serenissimo Rege pro redimendis captiuis Ordo institueretur. Et multa de instituto, & quam meritorium opus esset captiuos redimere in pauca contulit, quæ populus audiens cum animi lætitiam dissimulare non posset; gestibus corporis affectum exprimebat.*

6. *Absoluta concione; & post offertorium descendens Rex de solio suo accessit ad altare, simul cum suo Confessario, & Petro Nolasco, & nonnullis Magnatibus associatus, & conuersus ad Episcopum dixit ei: Nostra voluntas est, quod iuxta Dominicum præceptum, & decretum, & Virginis Mariæ voluntatem Ordo militaris instituatur, cuius milites Fratres in captiuorum Redemptionem, etiam cum propriæ vitæ dispendio, se exercere debeant. Et sicut militares Ordines Templariorum, & Hierosolymitanorum S. Iacobi, & aliæ religiones habent pro munere, vias à grassatoribus, & maria à Pyratis defendere, ne Christiani captiuentur, & seruituti mancipentur: sic huius nostri Ordinis Fratres, Christianos iam captiuos redimere, & liberare debeant. Et primus Pater, & Redemptor sit noster amicus, & socius Petrus Nolascus, quem Angelorum Regina ad hoc munus subeundum idoneum elegit. Tu ergo Reuerende Pater Diuinam Ordinationem, & voluntatem nostram exequutioni demanda. Tunc Episcopus præfatum Petrum Nolascum, coram se genu flexum, & præ nimia deuotione lachrymantem, vestes omnino albas induit, & Rex ipse Regium signum, nempe scutum, cum barris rubeis, croceique coloris, cum cruce insuper alba in honorem Sanctæ Crucis, vbi Ordo instituebatur, eiusdem Petri Nolasci pectori imposuit, vt ab ipso, & Fratribus suis semper deferatur, quem singularem fauorem, vt suo loco dicemus, sua manu firmauit, & corroborauit.* Hactenus ille; neque dubium, quin hausta ex ex antiquioribus.

7. Hæc auspicata initia nouæ familiæ institutæ à Iacobo, quem militarem à principio fuisse, & verba Regis produnt, & concordes scriptores omnes affirmant. Non quasi Sacerdotes non admiserit, qui Diuina curarent, quod aliæ etiam militiæ habent commune: sed quoniam summa rerum penes milites, penes quos institutum specialissimum redimendi captiuos: vnde & supremus Procurator Ordinis, Generalis Magister, vulgo *Maestre*, & singulis Conuentibus præfecti commendatores dicti, atque hi omnes ex laicis eligebantur. *De consilio* (inquit[e]) *Domini Episcopi, & Sancti Raymundi Rex ordinauit, quod ad instar aliorum militarium Ordinum, superior domus nostræ & aliarum, quæ pro tempore reciperentur, dici, & appellari deberet Commendator. Ita quod in qualibet domo nouiter constructa, vel Ordini collata, aliquis Frater non Sacerdos, sed eques deputaretur pro superiore, & administratore, qui Commendator nominaretur, &c.* Et mansit penes eos dominium per centum annos sub septem Magistris, nempe vsque ad M. CCC. XVII. quo Magistratu translato ad Sacerdotes, multos ex laicis, ad Ordinem Montesiæ Cistercienfis familiæ (tunc recens inchoatum) transmigrasse, suo nos etiam tempore dicemus.

[e] lib. 1. c. 16.

8. Verum est tamen non satis explicari etiam ab his, qui sacræ huius familiæ res describunt, cuinam militiæ deputata sit, quandove, aut qualiter teneatur militare? Cum maximè cum Iacobo Rege bellicosissimo, & cui, vt proprio auctori, totus Ordo, Sanctus Petrus vt familiari, & amico etiam adhæsit; in tot, ac tantis præliis, quæ longo vitæ, & Regni tempore gessit, nonnunquam militasse

militasse commemorentur. Quod mihi altius, & propense dubitanti, neque assequuto (fateor) discussit tenebras eiusdem religionis filius simul, & Pater, mihi multis titulis colendus, Reuerendissimus Magister Frater Petrus Merino, olim totius Castellæ Prouincialis, hodie in nostro Lyceo Salmanticensi, doctrinæ moralis primarius antecessor; distincta, & designata militia duplici, actiua, atque passiua; illa, quæ hostibus fidei vitam adimat, hac, qua pro fidei domesticis inter eosdem hostes vitam ponat. Porro ex vtraque facile intellexi, quos Iacobus instituit Redemptores, non primam illam, sed hanc secundam militiam professos esse. Atque ideo facilè ex laicis ad clericos, ex militibus ad Sacerdotes pertransire potuisse: quod prima illa militia, non secunda, Sacerdotio prohibita, quin ex feruenti charitate prodiens, per Sacerdotes decentius exerceretur. Ergo familiam à Iacobo Rege conditam, etiam non militarem, ex proprio voto consequenter debemus confiteri. Pergit auctor [f] de gestis à Iacobo.

f *lib. 1. c. 15.*

9. *Hac eadem die Sancti Laurentij, Sacrosancto Missæ sacrificio peracto, Dominus Rex domum suam reuersurus Petrum Nolascum, & eius socios, qui hac die similiter habitum susceperunt, ad se vocauit, quos cohonestare publice volens, non solum Fratres suos appellauit (quo honorifico titulo sæpius in chartis, & priuilegiis in fauorem Ordinis nostri vsus est) verum etiam eos secum ad suam Regiam, tamquam filios, & familiares, ac membra, quorum ipse Rex caput erat, asportauit; & ex illa hora Regiam domum pusillus grex inhabitare cœpit. Quam Regiam domum Serenissimus Rex nostro Ordini in perpetuum donauit, eamque religio nostra hodierna die pacifice possidet, in qua Fratres nostri nunc cum suo superiore habitant, quem Vicarium aulæ Regis appellant.* Hactenus ibi.

10. Duodecimo ab institutione anno, vt ferunt, Sanctus Raymundus abs Rege ad vrbem missus confirmationem noui Ordinis, & sub qua militarent Sancti Augustini regulam (turpiter errant Wimius [g] aliique, qui hanc gloriam adscribunt Benedictinæ) dicitur impetrasse, diplomate à Gregorio nono obtento, qui eo tempore Ecclesiæ præsidebat: cuius verba, quia breuia supra consuetum, hic nobis placuit ad litteram [h] transcribere. *Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus domus Sanctæ Eulaliæ Barchinonensis.*

g *in ligno vitæ.*

h *apud eundem lib. 1. cap. 19.*

Deuotioni vestræ precibus inclinati, præsentium vobis auctoritate concedimus, vt cum nondum aliqua sit à vobis ex religionibus approbatis assumpta, Beati Augustini possitis regulam profiteri. Datum Perusiæ XVI. Kalendas Februarij, Pontificatus nostri anno octauo. Ita Gregorius. Cuius tamen si verbis standum est, quod attinet ad annum, dilatam adhuc per alios quinque confirmationem fateri tenemur. Quippe octauus Gregorij Papæ IX. incidit in M. CC. XXXV. vt suo loco videbimus; sed hæc auctoribus huius instituti disputanda relinquo, sicut, & an post obtentam confirmationem, habitam ex tunc veræ religionis Beatus Petrus Nolascus de manu Raymundi, reducis iam ab vrbe suscepit denuo, in cuius etiam præsentia vota emiserit? quod parum faciat ad nostrum institutum.

Nouæ familiæ à Virgine Maria nomen impositum, quæ verè illius auctrix de cœlo fuit: adiuncto titulo de misericordia, seu de fauore, & gratia (Hispane, de la *Merced*,) quam in talis, ac tantæ professionis institutione Christianis populis à Deo collatam fuisse nequaquam poterat in dubium reuocari. Institutionem sequuta propagatio per Prouincias per Regna, per nouum orbem: multiplicatis non solum Monasteriis, & ex ipsis Martyribus, quos speciale Redemptionis votum, voluntaria oblatione præseferebat: verum Doctoribus, Cardinalibus, Episcopis, à quibus militare nomen alienum, saltem minus idoneum iudicabatur. Haud plures Sancti Confessores, Doctores, Virgines, haud plures Pontifices, scriptores, ex quauis Monachali familia, quam ex hac militari prodierunt, prodire poterant. Hoc primum opus Iacobi Regis fuit, ætatis suæ anno nondum vndecimo, si qua fides historiis, quamuis non desint, qui quinquennio rem postponant. Certè siue decenis, siue quindenis tantum opus perfecit, Salomonicum illud ritè adimplet. [i] *Salomonem filium meum elegit Dominus puerum, & tenellum, opus enim grande est.* Quod si in pauperibus Christus liberatur, Christus redimitur; facile potest quod sequitur aptare *Non enim homini præparatur habitaculum, sed Deo.*

i 2. *Paralip.* 29.

---

1. *Frisiam pene submergit inundatio, 2. quam ob irreuerentiam in Eucharistiam permissam, aut immissam 3. cuidam fœminæ Sanctæ est reuelatum. 4. Ostensa pixide fluctuante super aquas. 5. Idida Cellerarius Sancti Bernardi ad prædicandum pœnitentiam missus. 6. Gerbrandus Clari-Campi Abbas Sanctè obdormit; 7. succedente Iuone, & de vtroque cœlestis reuelatio. 8. Simon Alnensis cum Priore Fusniaci Germaniam peragrans. 9. Prophetiæ dono illustris vbique claret.*

CAPVT SEXTVM.

1. HOc ipso anno, cum transiliens Mare terminos suos, vniuersam pene Frisiam inundaret, idque ob iniuriam Eucharistiæ irrogatam à pugili Frisone, vt cuidam religiosæ matronæ est reuelatum; Idida Cellerarius Sancti Bernardi, quod est Cistercienſe cœnobium in eadem Prouincia de filiis Clari-Campi, ab Episcopo Monasterienſi missus est, qui solemnem pœnitentiam, per vniuersam Frisiam prædicaret. Rem planè miram, atque Ecclesiæ Annalibus dignam, nedum Cistercienſibus, quippe in eam Prouinciam acerbissimam, & aliàs visionibus, signisque refertam, à Cæsario auctore, qui tunc viuebat scriptam, eiusdem verbis placet propalare. *Anno*, ait, [a] *gratiæ M. CC. XVIII. Mare in partibus Frisiæ terminos suos*

a *lib. 6. Dialog. cap. 3.*

suos egrediens, multarum Prouinciarum terras occupauit, Villas deleuit, Ecclesias lapideas deiecit, tantam extinguens hominum multitudinem, vt summa centum millia transcenderet. Ita exaltati sunt fluctus eius, vt turrium altitudines, operiri viderentur; & procella procellam impellens Generale diluuium minaretur. Et sicut dictum fuit, Abbati nostro, cum eodem anno visitationis gratia Frisiam intrasset, fluctus furentes etiam vsque Coloniam peruenissent, si non is, qui eos excitauerat, genitricis suæ vt postea dicitur, precibus compescuisset.

2. Hactenus inundatio supra consuetum, & damna supra vires fere inde sequuta. Nunc tanti mali causam, pro fide, quam merentur reuelationes deuotis factæ fœminis, vt non omnino certa, magna tamen, eiusdem verbis auctoris prosequamur. [b] *Friso quidam arte pugil in eadem Prouincia extitit, qui quoties de taberna ebrius redit, toties vxorem verberibus, & plagis satis tribulauit. Tempore quodam timore mariti infirmitatem simulans, ne simulatio eadem posset notari, corpus Domini sibi dari postulauit. Venienti Sacerdoti pugil cum scypho Ceruisiæ ebrius occurrens, bibere monuit; & cum ille responderet, corpus Domini porto, non modo bibam; iratus Friso cum scypho pixidem percussit, & omnes hostias de illa excussit, ita vt per pauimentum dispergerentur. Matronæ vero, quæ consolationis gratia conuenerant, super singulas hostias, tanquam stellas radiantes viderunt, quas Sacerdos gemens, ac dolens, in pixidem recollegit, & abiit. Friso vero à Decano Prouinciæ citatus, excommunicatus est, sed non curauit. Qui tandem ad hoc compulsus est, vt cruce, pro tanto sacrilegio signatus, cum iam dicto Sacerdote etiam cruce signato veniret Romam. Cui Dominus Honorius Papa culpam confitenti pro pœnitentia iniunxit, vt mare transiret, ibique tribus annis in armis Christo seruiret.*

[b] *vbi suprà.*

3. *Quid plura? Mare transierunt ambo & ante Damiatam mortui sunt ambo. Quibus defunctis, cum anno eodem Dominus Prouinciam terribiliter vt supra dictum est plagasset, & causa plagæ populum lateret, matronæ cuidam valde religiosæ, Domino in ieiuniis, orationibus, vigiliis, & orationibus, & eleemosynis seruienti (mater terræ videlicet Domini VVinoboldi Abbatis Sancti Bernardi:) Beata Dei genitrix Maria lachrymis eius mota, populique misserta, apparens sic ait, propter iniuriam filij mei in Sacramentum corporis eius factam, submersa est Frisia, & adhuc amplius plagabitur, si condigna pœnitentia non fuerit subsequuta.* Hæc ad matronam illam religiosam misericordiæ mater, sæue grassantis mali causam detegens, quo certa illi pœnitentiæ medicina, quanto feruore contritionis posset, opponeretur. Progressa inde alia reuelatio, ex his, quæ euentu comprobata sunt, his, quæ non apparuerunt, fidem fecit. Nam pergit auctor.

4. [c] *Moxque adiecit Mater misericordiæ: Leua oculos tuos contra Mare: quod cum feciſſet, contemplata est pixidem à pugili percussam in summitate fluctuum natantem: quæ cum tantum approximasset, vt posset cognosci, ait: ecce corpus filij mei: in loco enim, vbi dispersum est, ædificanda est Ecclesia, & debet ei tanta exhiberi reuerentia, quomodo sepulchro Dominico. Hoc etiam noueris, quod ambo mortui sunt, pugil, scilicet, & Sacerdos: sed pugil eo quod sine contritione obierit sepultus est in inferno, Sacerdos vero tenetur adhuc Purgatorio.*

[c] *Ibidem.*

Hactenus mater totius misericordiæ. Porrò dum vtrumque sub idem tempus defunctum, Sacerdotem, & pugilem postea comprobarentur; rursus Ecclesiam factam in domo pugilis à matrona prædiuite; quod idem etiam auctor inferius tradit; haud dubie reliqua non per illusionem phantasiamve, quod non raro contigit, sed per reuelationem innotuisse creditum fuit.

5. Ergo cum pœnitentia paccandum numen persuasum haberent *hac visione cognita (pergit Cæsarius [d]) Dominus Theobaldus Episcopus Monasterienſis, ad cuius Diœcesim maxima pars Frisiæ pertinet, missis litteris suis per Ididam Sancti Bernardi Cellerarium, sicut ipse nobis retulit, solemnem Prouincialibus pœnitentiam iniunxit.* Hactenus ibi: & cessauit statim tribulatio; quamuis fortasse ad vomitum reuersis infra triennium plangendum iterum fuit. Cæsarius tamen non in recidiuum, sed insufficientiam pœnitentiæ causam refundit. *Quod autem*, ait, *insufficiens fuerit, ex hoc probatur, quod anno præterito denuo punita est Frisia, multis millibus per aquarum inundationes submersis.*

[d] *vbi suprà.*

6. Per idem tempus ex eadem Prouincia Frisiæ, velut præsentior pro suis interceſſurus, meritis clarus, miraculis glorioſus, Beatus Gerbrandus Clari-Campensis Abbas, de Capitulo Generali rediens, Fusniaci consummatur fœlici morte. Qualiter autem à Sanctimoniali eiusdem subdita, quippe in domo de filiabus Claro-Campi, longè distanti, & corpus sepeliri, & Sancta anima Angelorum ministerio in cœlum deportari visa sint, idemque supra auctor his verbis narrat. [e] *Ante hoc quadriennium Gerbrandus Abbas Clari-Campi in Frisia cum Abbate nostro de Capitulo rediens Generali, in via infirmari cœpit, ita vt cum maximo labore Foniacum peruenirent: ibique diem clausit extremum. In ipsa die mortis eius Sanctimonialis quædam de Sion, quæ domus est Ordinis nostri pertinens ad Clarum-Campum, facta in mentis excessu, vidit animam eius ab Angelis in cœlum deferri; expressit etiam domum, & locum sepulturæ, eius, nec non & habitum, in quo sepultus est.* Hactenus ibi: Ioannes Molanus in suo Martyrologio inter Sanctos annumerat Octobris die XIII. nisi quod tamen & Clari-Campum cum Flori-Campo confundit, matrem cum filia, & primum huius Abbatem Gerbrandum facit. *Item*, ait, *Sancti Gerbrandi Confessoris, & primi Abbatis in Flori-Campo Ordinis Cistercienſis.* Cæterum non Flori-Campi, sed Clari-Campi Abbatem extitisse, qui virum nouit Cæsarius atteſtatur; prodente etiam Abbatia de Sion, quæ ad Clari-Campum spectat; & neutrius egisse primum Præsulem, quæ supra diximus, satis manifeſtant. Nam Clari-Campi primus Abbas Eiso fuit, Flori-Campi Cithardus, vt suis locis vtrumque memorauimus. Post Eisonem electum credi potest, atque vtrumque adimpleſſe annos LIII. qui ab Eisonis principio numerentur. Molanus aliis [f] errandi occasio fuit.

[e] *lib. II. cap. 30.*

[f] *Arnold. Mart. Aub. Miraus in Orig.*

7. Gerbrandi loco subrogatus Iuo ex Abbate Sancti Bernardi in eadem Prouincia ex filia ad matrem promotus Cistercij more. Sed neque ipse ingressus Clarum-Campum, sine præcedenti (eidem Virgini facta) reuelatione. Nam pergit auctor *Vidit insuper successori eius Inoni duos dari baculos, scilicet Virgas Pastorales, ex quibus primam abiecit, alteram retinuit. Idem*

Iuo Prior erat in Claro-Campo, de quo assumptus est in Abbatem S. Bernardi. Deinde post breue tempus mortuo prædicto Gerbrando, qui fuerat grandæuus, & iustus, & disciplinatus. Idem Iuo, Abbate meo præsente, nec non & me, factus est Abbas Clari-Campi: sicque secundum quod de illo præostensum fuit, primum baculum abiecit, alterum adhuc retinens. Ergo hæc series Abbatum Clari Campensium, quantum licet coniicere, ad hunc annum; quos cœlestibus dignos reuelationibus antiqui auctores produnt, siue ad se, siue ad alios, de ipsis factis, Eiso, Gerbrandus, Iuo: nisi quod tamen, an inter Eisonem, Gerbrandumque, interceſſit alius? nequaquam potest tanquam certum asseuerari.

8. Sub idem tempus Venerabilis Simonis conuersi Alnæ, Sanctitatis opinio, donorumque maximè prophetiæ, dudum per orbem sparsa; sed à tempore Concilij Lateranensis altius radicata fidelium cordibus; non solum exterorum reuerentiam, sed & domesticorum, quæ longè ratior, deuotionem multorum, sed longè plurium curiositatem, sollicitabat. Hos, siue illos inter alter Simon Prior Fusniaci, nec multo post futurus illius Abbas, cum cœnobium de linea Claræ-Vallis, per vtramque Germaniam visitaturus Guillelmi Abbatis vices exequeretur, ex ipsa itineris familiaritate probare attentius volens, vera ne essent, quæ de ipso prædicabantur, venerabilem senem secum assumpsit, quasi eius exemplis excitandus, instruendus monitis; & demum precibus apud Deum probandus esset: ille vt erat ad obedientiam facilis, sed ad omnem mundanam gloriam semper difficilis, vnam hic excepit conditionem, ne scilicet, quis esset, detegeretur. Detexit tamen illum gratia Dei, quæ in ipso numquam vacua, quantumcumque lateret, erumpebat, & vas, ex quo prodibat, publicabat. *Vix elapsi sunt anni quatuor (ait Cæsarius [g]) quod Dominus Simon, nunc Abbas Foniacensis, tunc Prior ibidem locum nostrum visitans, eundem venerabilem conuersum (nempe Simonem Alienſem) secum duxit; nec tamen (vt æstimo ipso conuerso petente) quandiu apud nos fuit, quis esset, dicere voluit: cui quæ secreta, apud nos correctione digna, diuinitus sunt reuelata; recedens ipse cuidam Seniorum nostrorum indicauit, & ipse nobis, quæ postea vera esse comperimus.* Hæc in Heisterbacensi Monasterio. Nam quæ Coloniæ de alio Sanctimonialium in eodem itinere accepit, plorandum sane, & mihi vix credendum, sed possibile tamen, consultius duxi silentio præterire. g lib. 3. c. 33.

Nec solum Heisterbachi, Coloniæque, sed & alibi innotuit ex ipso dono. *Descendens (pergit, idem qui supra, auctor [h]) cum prædicto Simone Priore Frater Simon ad inferiores partes, simul venerunt ad Dominam Mathyldam de Suthunsem, matronam valde honestam, ac deuotam; quæ diu illum desiderauerat videre, eo quod multa audiuisset de eo, sedensque iuxta eam, per interpretem cogitationes cordis eius ei reuelauit, ita vt plurimum miraretur, tantam in homine gratiam. Hæc ab eiusdem matronæ ore audiui. Et vera, inquit, Domine, ipsa mihi dixit quæcumque cogitaui.* Ita Cæsarius ex multis pauca scribens, vt ipse ait, sed quæ dorium in viro perseuerans vsque ad exitum vitæ, neque fraudatum à desiderio suo, Fusniacensem Priorem, qui experiri cupiebat, testificantur. Tum non posse latere sub medio lumen; nec solum non ponendam sub illo esse, neque si ponatur, latiturum. 9. h vbi supra.

---

1. *Magister Vincentius, & præposito Sendomirienſi Episcopus Cracouienſis, 2. per suffragia creatus, 3. cum Colomanum coronasset Haliciæ Regem: 4. atque Polonica intestina bella inter nepotem, & patruum concordasset, ac suæ Ecclesiæ, & aliis multa dedisset; 5. tandem Cisterciũm induit in Andreouio. 6. Sanctæ Heduuigis filij inter se pugnant. 7. Atque alter violenta morte subtrahitur. 8. Oddonis Burgundiæ Ducis mors: sepulchrum in Cistercio. 9. & Lusitanæ Mathyldis in Clara-Valle. 10. Animaduersum in Aubertum Miræum leuiter.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. VINCENTIVS cognomento Cadlubeus, natione Polonus, genere Roseus ex Præpositio Ecclesiæ Sendomirienſis Episcopus Cracouiæ, vir pietate, ac doctrina æque præcellens, & cui debet Polonia, quod primus suæ gentis historiam texuit, hoc item anno Cistercium illustrauit, Pontificalibus infulis spretis, vt Monachum indueret, & renunciata gratia sui Principis, qua præ aliis pollebat, ac sæculi potentia, diuitiisque, vt vitam ageret humilem, sed quietam; & soli Deo vacans, in Andreouiensi cœnobio, quod sibi prælegit, consummaretur. Præfuerat Cracouiensi Ecclesiæ per annos vndecim, quippe electus anno M. CC. VII. cum ea Ecclesia vacasset morte Fulconis (Peleam alij dicunt) postquam ipso agente, & procurante, prima totius Prouinciæ post Metropolitanam ab Innocentio tertio decreta esset. Martinus mihi Cromerus auctor est Polonicarum rerum scriptor haud contemnendus. [a] *In sequenti anno*, ait, *scilicet M. CC. VII. Fulco quoque, siue Pelea, Cracouienſis Episcopus, Palatini Frater, vita excessit, qui sibi, & successoribus suis prærogatiuam loci, & suffragij secundum Archiepiscopum in Gnesnenſi Prouincia ab Innocentio tertio Pontifice maximo impetrauit. Successit autem ei Magister Vincentius cognomento Cadlubeus, Præpositus Sendomirienſis, gente Roseus, Vir doctus, vt tunc ferebant tempora, & pius, qui primum Polonorum historiam gentis suæ conscripsit.* Ita Cromerus.

a rerum Polonic. lib. 7.

2. Historia Polonica collecta ex Bibliotheca Ioannis Pistorij, & Basileæ excussa, de genere, Vincentij, ingenioque, & de ipsa electione paulo diffusior. *Anno (ait [b]) Domini M. CC. VII. Magister Vincentius Kadlubkonis de Karbo-Vuiuco prope Opalhuic, nobilis de domo Kosce, Præpositus Sendomirienſis, propter ingenij excellentiam, per Capitulum Cracouienſe, in Episcopum Cracouienſem electus est, ab Innocentio tertio confirmatus, & ab Henrico Archipræsule Gnesnenſi consecratus:* b tomo 2. l. 3. cap. 32.

tus: electus est in Episcopum, quamuis in Ecclesia Cracouiensi nullam obtineret præbendam. Hactenus ibi de electo, & electione. Gesta in Episcopatu clara, illustriaque longum esset ad vnguem recensere. Illud compertum, quam primam Sedem post Metropolitam impetrauerat Fulco, Vincentium gloria, atque dotibus condignis non solum repleuisse, sed cumulasse, Colomanum Andreæ Regis Vngarorum filium, vt ad Haliciæ Regnum perueniret ex patris testamento, egregiè iuuit: regno potitum solemniter iniunxit, & coronauit. Nec multo post (quod supra infulas esse videri posset) è solo per vim pulsum audacia æmuli; auctoritate, potentiaque restituit, hostibus etiam ipsis reuerendus. Vladislais, patruo, nepoteque inter se dissidentibus, atque vniuersas conterminas Prouincias per intestina bella lacerantibus, concordiæ, & pacis auctor, & qui vtriusque firmaret conditiones, & confirmandas Innocentio præstaret, primus, vel inter primos Vincentius fuit, atque hæc pro Regno.

3. Nec minora, aut pauciora pro Sacerdotio, aut pro Ecclesia sua; atque ex religiosiori fortasse zelo, & quæ minus communem vtilitatem, longiori duratione compensarent. Decem præbendas in Ecclesia Kielcensi fundauit, dotauitque: Diuino cultui æternum seruituram Cracouiensem de cœlo fulmine tactam instaurauit decenter atque vestibus sacris, vasisque, quæ ab igne combusta, & plura numero, & opere illustriora, materiaque (nulla prorsus omittens) subrogauit: quin, & distributiones quotidianas, annuis ad id redditibus prouisis, pro canonicis auxit: quo temporali incremento velut illecti, frequentiores ad Diuina officia concurrerent, sicque ad cœlestia auidius aspirarent. Denique quibus Deum promereretur, multa, & egregia fecit, quibus seipsum præsentibus ingereret, posteris sui memoriam commendaret, nulla non fecit opera, vti verè magnus, nec sibi soli natus, sed suis omnibus. Atque hæc omnia idem qui supra auctor Martinus Cromerus, [c] neque non & historia Polonica ex diuersis collecta; [d] nonnulla etiam Bzouius, adnotarũr, [e] in quibus latius videat, quicũque volet.

c *dicto lib. 7.* d *lib. 3. c. 32.* e *Ad hanc ann.*

4. Mihi inter cunctas Vincentij glorias, vna pro multis (seu casu factum, fœlicitati tribuas, seu per iudicium zelo, & pietati,) quod magnum illud totius Poloniæ lumen, imo & totius orbis, S. Iacyntum (quem sibi in socium, & coadiutorem, nó multo post asciuit S. Dominicus. Et discipulum habuit, & Canonicatu donauit suæ Ecclesiæ (quippe qui ei successit Iuo, Sãcti filius, & Iacynti auunculus, Cracouiensem Canonicum inuenit, vt in Cromero, [f] & aliis videri potest) fatali quadam nostrorum propensione in illud institutum cuius non solum cunabula fouere, sed prævenire datum; & quod magis mirandũ, præueniri: quippe non tantum professi, erga professos; erga prædicatores, Cistercienses; sed erga professuros, professuri etiam, cum non cogitabant, profundebantur. Ita Dominicum Oxomensis Didacus Oxomensi præbenda; cum neque Cistercium cogitasset, neque ille edendum fœtum concepisset. Ita Iacyntum Vincentius Cracouiensis, Cracouiensi donauit, cum neuter adhuc de deserendo sæculo, neuter de conuersione deliberasset.

f *vbi supra.*

5. Ergo Vincentius his, & aliis rebus clarus; charusque, & Principi, & clero *Cum Basilica Cracouiensi* (ait idem Cromerus [g]) *cuius supellex vniuersa, tacto de cœlo ærario, conflagrarat, multa contulisset, decimasque nonnullas collegio eiusdem Basilicæ in distributiones quotidianas, & in lucernam, quæ perpetuo, in templo arderet, addixisset; Episcopatu se abdicauit, ne quidquam aduersante Principe, ac dissuadente collegio Sacerdotum: & in Andreouiensi Monasterio (Ordinis Cistercien sis) reliquos quinque vitæ annos religiosè exegit, cum decẽ annis Episcopus fuisset.* Decem, inquam, completis, incœptis vndecim. Ita Cromerus. Neque aliter historia illa Polonica, cuius etiam hic verba libet trãscribere. [h] *Idẽ Vincentius Kadlubkonis Cracouiensis Episcopus habitum, & Ordinẽ Religionis Cistercij in Monasterio Andreouiẽsi professus, resignato Episcopatu, assumpsit; & ex bono factus optimus, nudus nudũ Christum secutus est anno Domini M. CC. VIII.* Hæc satis nunc de Magistri Vincentij Monachatu, atque Pontificalis dignitatis resignatione: reliqua eius in tempore dicemus.

g *ibidem.* h *vbi supra.*

Eisdem temporibus S. Heduuigim legitur exercuisse non leuis cura: bello inter filios orto, quorũ neutro vincente lætaretur; quocũque è contra victo, dolendũ foret: idem qui supra Cromerus rẽ paucis narrat, [i] *Henricus Barbatus, Dux Vratislauiensium ex Hediuigi vxore, filia Bartholdi Ducis Carinthiæ, & Marchionis Morauiæ fœmina lectissima, Henricum, & Conradum, cui Crispo cognomen fuit, filios habebat; & maiorem quidem mater, minorem pater plus diligebat, sed tamen partitus inter eos Dominatum, Pater, vxoris suasu, minori quidem Lusaciam, & Lubusensem tractum; Henrico vero maiori reliqua omnia cum Vratislauia assignauerat. In qua partitione, cum Conradus non acquiesceret, bellum fratri fecit, ne quicquam dissuadentibus, ac deprecantibus parentibus. Nec Henricus Iunior sibi defuit, sed coacto, & ipsi tumultuario exercitu, obuiam fratri prodiit. Pugna cõmissa in loco, cui nomen studnicia inter Legniciam, Goltibergãque, Henricus Victor extitit. Conradus cũ se ex fuga Glogouiã ad Patrẽ recepisset, salutẽ cõsequutus est.* Hæc de fratreno bello, molesto matri, quę pacẽ vel extraneis exoptaret, nedum propriis visceribus, & filiis, quos amabat præ aliis matribus.

i *lib. 7. paulo inferius.*

6.

Adhuc tamen maiora illi restabant subeunda certamina, & quos filios pugnantes inuicẽ vidit, in vtroque vincenda; violenta vtrumque morte decessurum prophetice præuidit, & discedentem constanter tolerauit. Et quidem de Henrico iuniori post plures annos, & glorioſiori causa; quippe pro fide; vt suo tempore inferiùs referemus. De Conrado, quem arctius diligebat, non multo post, vt idem, qui supra Cromerus testificatur. [k] *Conradus*, ait, *cum se ex fuga Glogouiã ad Patrem recepisset, salutem consequutus est. Verum non ita multo post, in Tarnauiensi saltu venationi vacans, & feram agitans, lapso equo ceruices fregit. Fertur autem Heduuigis Diuinitus filij interitum præsciuisse. Tam enim religiosa, & pia fuit ea mulier, & Sanctimonia vitæ præstans, vt Prophetico spiritu à Deo dignaretur.* Has Heduuigis pressuras per hoc tempus, quia earum certus annus ignoratur rebus Polonicis censui subiiciendas.

7.

K *vbi supra.*

8. Hunc ipsum annum, Cistercio, & Claræ-Valli funestauerunt Oddo Mathyldisque, eisdẽ sepulti; ille cum primum vita functus esset, hęc cum prius apud Dunas condita esset. Oddonem huius nominis tertium Burgundiæ Ducem, in hoc, & præcedenti tomo, non semel dictum, obiisse hoc anno pridie nonas Iulij, irrefragabilis Martyrologij Cistercien sis probat auctoritas, ea die asserentis in hæc verba. *Anno ab Incarnatione*

Domini M.CC. XVIII. obiit piæ memoriæ Dominus Oddo Dux Burgundiæ. Hac die debet fieri anniuersarium Ducum, & Ducissarum Burgundiæ. Consonant scriptores omnes quantum ad annum, nam diem, vix à quoquam notatam video. In relationibus ex Cistercio olim transmissis ad Ignatium Firminum Firierisem iacere lego Oddonem ante maius altare Cistercienſis Ecclesiæ, cum duobus Philippis Burgundiæ Ducibus, sub hac tabella. *HIC ante maius altare inter loca Diaconi, & Subdiaconi, iacent tres illustrissimi Principes, & Duces Burgundiæ: Oddo tertius huius nominis, qui obiit anno Domini M. CC. XVIII. Philippus filius Philippi Ducis Burgundiæ, qui obiit anno M.CCC.XLVI. & Philippus filius eiusdem Philippi: qui obiit apud arcem, quæ vulgo dicitur Rouure, annos natus quindecim, anno Domini M. CCC. LXI. qui fuit vltimus Regiæ stirpis masculinæ magni Hugonis Caput Regis Galliæ in hac nobilissima familia Ducum Burgundiæ.* Hæc in tabella: quam ne truncarem, placuit integram ponere. Successit in Ducatu Burgundiæ, & patronatu cœnobij Cistercienſis Hugo huius nominis quartus Oddonis filius infra nobis, nec semel memorandus. Hæc de Oddone Cistercij tumulato.

9. At de Mathylde Flandriæ Comitissa, Philippi Elsatij vidua, cuius & ipsam deduxisse funus ex Syria ad Claram-Vallem diximus, Lego Meierum scribentē in hæc verba.[k] *Anno M.CC.XVIII. pridie nonas Martias Furnis obiit Mathyldis, Portugalensis Ferdinandi Comitis amita. Sepelitur primum in cœnobio Dunensi, inde transfertur ad Claram-Vallem Burgundiæ. Referunt Cœnobitæ Dunenses palustri quadam via iuxta Furnas, lapso, quo vehebatur, essedo, suffocatam, illique etiam nunc loco Foramen Reginæ hærere nomen. Adam Morinorum Episcopus testamenti illius exequutor permagnam egenis, nec non & sacris ædibus pecuniam distribuit.* Ita Meierus, quem alij transcripsere: Mathyldem virum suum iuxta sepultam superius vidimus. Et certè si Adam Morinorum Episcopus funus ad Claram Vallem perduxit, vt par est credere; quippe de pio testamenti exequutore; haud mihi dubium concepta ibidem semina Monastici successus, vitæque solitariæ, & quietioris, quæ in pectore viri radicata eo altiùs, quo tardius, tandem fructificarunt post annos vndecim, quod suo loco, & tempore dicemus.

k *lib. 8. ad hunc ann.*

Hinc facilè confutandus venit Aubertus Myræus, diligens alias scriptor, qui in eo, quem nuper vulgauit Chronico Belgico Oddonem huius nominis tertium Burgundiæ Ducem: *Duxisse*, ait, [l] *primo Mathyldem, alias Tarasiam Alfonsi Regis Portugaliæ filiam, Philippi Alsatij Flandriæ Comitis in Syria ad Aconem, anno M. C. XCI. defuncti viduam; secundo Alcidem Guidonis Domini de Vergei filiam, &c.* Sed Mathyldem post Philippi Elsatij mortem nulli alteri nupsisse, neque Burgundiam, sed Flandriam inhabitasse, conuenit inter omnes: & nec secundo marito adhuc viuente, deferri se iussisset ad prioris sepulchrum in Claram-Vallem, nec quatuor menses, quos Oddo superuixit, (quamuis ad insolita, & rara recurramus,) sufficere videntur nouo coniugio, & suscipiendo filio, quem statim habuit Burgundiæ successorem. 10.

l *ad ann. 996.*

---

1. *Reconciliatæ in Italia per nostros vrbes, & visitatum cœnobium Sancti Laurentij.* 2. *In Sicilia Messanensi Archiepiscopo, & Græcis Monachis ab Honorio iudices dati.* 3. *Reformati in Gallia Grandimontenses,* 4 *& duo alia cœnobia nigri habitus.* 5. *In Castella in Episcopum Conchensem,* 6. *in Aragonia, nOscens m, inqu situn; & visitata Cathedralis Cæsaraugustæ.* 7. *In Lusitania cum turbata omnia essent* 8. *Abbas Alcobatiensis, Priorque,* 9. *Honorij Papæ litteris instructi,* 10. *plenam ab eo accipiunt potestatem.* 11. *Dictum de Suario, Episcopo Vlysiponensi, de quo superius.*

CAPVT OCTAVVM.

1. HONORIVS interim, qui anno præcedenti per Italiam, per Galliam, per Hispaniam Cistercienſibus vsus, multa eis negotia commendauerat, cum fidem integram, cum indefessum laborem, cum industriam haud dubiam expertus esset, plura in eisdem Regnis, quin, & in Anglia, in Belgio, in Germania, Bœmia, Vngaria, Poloniaque, nec non, & in Oriente eisdem denuo censuit committenda. In Italia cum ciues Bercellenses, & Vulterani, nec non Alexandrini, ob varias causas innodati censuris, ab Ecclesiæ consortio præcisi essent: primi Episcopo suo reconciliandi, sed Abbate Locedij illi adiuncto; secundi Abbati Monasterij S. Galgani, tertij Abbati & Priori de Tileto, Cistercienſibus cunctis remissi sunt; vt iuramento ab eis prius exacto, atque condigna iniuncta satisfactione, pro quantitate excessuum, & iniuriarum, tandem vnitati Ecclesiæ restituerentur. Extant litteræ sub datis Laterani, tertio nonas Ianuarij pridie Idus Aprilis, & decimo sexto Kalendas Decembris præsentis anni, Abbati Fossænouæ, & Fratri Henrico, eiusdem domus Monacho; cum [a] *M. Abbas S. Laurentij de Auersa, quasi brutis brutior, seipsum nomine recognosceret, dum totus dissolutus, imò liquatus in carnis operibus, & quodammodo superiorem vim rationis, quæ nec etiam in Cain extincta extitit, à se abdicans, abominationes innumeras perpetraret in Domo Domini scelerata multa faciens, quæ nec sine pudore referri, nec sine horrore possent audiri.* (Nam hæc sunt ipsa verba Summi Pontificis) per Apostolica scripta stricte mandauit, atque in virtute obedientiæ districte præcepit. *Quatenus*, ait, *ad prædictum Monasterium personaliter accedentes, & habentes præ oculis solum Dominum, inquiratis, appellatione reiecta, super statu, tam Monasterij, quam Abbatis, & Monachorum diligentissimè veritatem, & quæ inueneritis corrigenda, seu castiganda, &c. Datum Laterani Idus Februarij, Pontificatus nostri anno secundo.*

a *in Regist. Honor. lib. 2. & 3.*

In Sicilia Messanensi Archiepiscopo, & Archimandrita 2.

mandrita Sancti Saluatoris (quæ est Græcorum Monachorum domus sub regula Sancti Basilij militantium) inter se litigantibus, super obedientia, quam sibi debitam asserebat Episcopus, è contra Græci se exemptos disputabant: cum dudum alio iudices experti, appellassent ab ipsis, quod [b] *quidam de eorum familia (sic habent litteræ) Græcos per barbam se trahere minarentur.* Duo Abbates Sanctæ Trinitatis & Sancti Stephani de Vosco, ex Cistercio vterque, electi sunt, *qui vsque ad diffinitiuam sententiam, appellatione postposita, procedentes, causam ipsam, si partes consentirent, fine debito terminarent: facientes, quod decreuerint per censuras Ecclesiasticas firmiter obseruari. Quod si maluerint,* (ait) *illam Apostolico iudicio terminari, eam ad nos remittatis sufficienter instructam, præfigentes partibus terminorum competentem, quo per procuratores idoneos compareant, coram nobis, sententiam recepturi. Datis Laterani V. Kalendas Aprilis, anno secundo.* Hæc in Italia.

[b] *lib. 2. Reg. Hon.*

3. In Gallia repullulantibus antiquis simultatibus inter Grandimontenses laicos & clericos, & clericis, de laicis conquerentibus [c]. *Quod multis eos iniuriis affecissent; & eosdem detinendo captiuos, fregerunt quædam Grandimontensis domus ostia, violenter amouentes officiales certis per Priorem officiis deputatos, & Thesauro Ecclesiæ occupato, domum Monasterij munierunt personis sæcularibus, & armatis, alia nihilominus enormia committentes.* Petrus Pontignianensis Abbas iudex datus, visitatórque, cui, & Priori Sancti Victoris Parisiensis iniunxit Honorius, *vt ad Grandimontense Monasterium personaliter accedentes, prouiso primo prudenter de statu Prioris, deinde super præmissis, & aliis, quæ ad reformationem Ordinis spectare noscuntur, inquiratis, appellatione remota, plenius veritatem, opem, & operam adhibentes, vt hæc ibidem per concordiam terminentur; quæ si fortè prænenire non poterit, iniungatis clericis, quod ex se duos; & conuersis, vt ex se totidem, plenum mandatum habentes, super prædictis omnibus, quæ ad reformationem respiciunt, siue in regula, siue in priuilegiis vel indulgentiis, & cæteris, quæ prædicta concernunt, infra certum tempus præfigendum à vobis ad præsentiam nostram cum inquisitionis processu transmittant, recepturi per ipsos, quod super his, inspirante Domino, duxerimus prouidendum. Datis Laterani nonis Ianuarij, Pontificatus anno secundo.*

[c] *Ex eisdem Reg.*

4. Non multo post duobus Monasteriis nigri habitus, alteri in Andegauensi Diœcesi situm, nimirum S. Petri de Burgolio: alteri, quantum coniici potest, in VVasconia: duo vtrique Abbates ex Cistercio visitatores dati; priori de Oratorio, & Bellabranca: posteriori, Pontis Alti, & Sylvæ-latæ; sub hoc tenore [d]. *Cum igitur instantia nostra sit omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, discretioni vestræ per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus ad dictum Monasterium personaliter accedentes, & habentes præ oculis solum Dominum, corrigatis, & reformetis ibidem, quæ correctionis officio noueritis indigere, contradictores per censuras Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo. Datis Laterani I I. nonas Octobris, Pontificatus nostri anno tertio.* Hæc secundarum litterarum data, nam primæ quarto Idus Aprilis sunt expeditæ. Sed datæ etiam intra mensem aliæ litteræ ad Abbatem Caroli-loci, simul cum Episcopo Siluanectensi, vt Episcopum & Clerum Suessionensem, cum Maiori, Iuratis, & communia eiusdem ciuitatis longa lite certantes; vel componerent, vel causam per diffinitiuam sententiam terminarent; reuocatis super hoc quibusuis litteris, per quas negotium aliis commissum esset. Quin [e] *cum præfati Maior, Iurati, & communia proposuissent coram vobis, destinatas ad vos litteras, quasi de conscientia nostra non emanauerint, priores minimè reuocare: quia non expedit, vt lites fiant callidis, & friuolis adinuentionibus immortales, præsentium vobis auctoritate præcipimus, quatenus prædictis prioribus litteris, & exceptionibus non obstantibus, cum transmissæ sint, ad vos litteræ de nostra, & de fratrum nostrorum conscientia, in negotio ipso ratione præuia procedatis. Datis Romæ apud Sanctum Petrum XV. Kalendas Iunij anno secundo.*

[d] *lib. 3. Epist. Honor.*

[e] *vbi supra lib. 2.*

Non minor in Hispania causarum seges, Roderico Ximenio Toletano (quo erat insignitus, iustitiæ zelo) arguente, Conchensem, quod sub prætextu redditiuum tenuiorum [f] *duos Episcopatus indulgentia fœlicis recordationis Lucij Papæ tertij detinuisset, cum in tantum excreuerint postmodum redditus eorumdem, quod in vtroque potest proprius Episcopus congruè sustentari.* Episcopo Burgensi, & Abbati de Riuuosicco commissum est, quatenus *si ita esset, vt dictus Archiepiscopus in altera Ecclesia de pastore idoneo, Apostolica auctoritate suffulti, appellatione remota, prouiderent, indulgentia prædicta non obstante. Datum Laterani quarto Kalendas Februarij, Pontificatus Honorij anno secundo.* Et repetitis rursus eodem anno, *Romæ apud Sanctum Petrum, quinto Kalendas Iunij, &c.* Hic ille Episcopus Conchensis est, de quo grauias, & enormia suggesta Summo Pontifici ab Optensi Archidiacono, quæ Abbati Ouilæ inquirenda commissa, anno præterito, in hoc etiam iterato remissa lego, *Litteris datis Romæ apud Sanctum Petrum, decimo Kalendas Iulij, Pontificatus Honorij anno secundo.* Verum, quod attinet ad Abbatem de Riuuosicco, credimus eum fuisse Rodericum, Virum insignem sapientia, & pietate, cuius Rodericus Ximenius Toletanus in sua historia meminit, & nos ex ipso suo loco etiam, qua functus est, insignem legationem à Ferdinando Rege, referamus. Ouilensem Ferdinandum vocatum lego, Virum æquè egregium, & eidem Ferdinando Regi apprimè clarum, quod multa ab eo obtenta priuilegia, quæ hodie perseuerant, testificantur.

[f] *vbi suprà.* 5.

Sancio Ahonesio, Cæsar-Augustano Episcopo, qui ante biennium Raymundo Castro-Coll. in ea sede successerat, conquerente de Canonicis suis apud Honorium. *Erigentes calcaneum contra ipsum, & regulares Obseruantias penitus abdicantes, super sui reformatione Monasterij, salubribus eius monitis, & mandatis nollent aliquatenus obedire.* Abbatibus de Verola, & de Petra, vna cum Archiepiscopo Tarraconensi, iniunctum est [g]. *Quatenus ad eandem Ecclesiam personaliter accedentes, corrigatis, & statuatis ibidem, quæ circa hoc secundum Dominum, eidem Ecclesiæ videritis expedire, contradictores per censuram Ecclesiasticam penitus compescendo. Datis Laterani V I. Kalendas Martij anno secundo.* E contra vero Dertusensibus Canonicis in Episcopum suum insurgentibus, tanquam *in Virum Simoniacum* (ait Honorius) *dilapidatorem, per cuius malam administrationem, adeo Dertusensis Ecclesia est collapsa, vt vix adiiciet, nisi ei*

[g] *vbi suprà.* 6.

succurratur illico, vt resurgat; & qui clericos per excommunicationis sententiam ab Ecclesiastica communione præcisos promouet ad dignitates, & Ordines; eos ad Diuinorum obsequia non erubescens habere ministros, in ordinibus sic susceptis. Accepimus, & à quibusdam Canonicis Dertusensibus exactum fuisse in Ecclesiæ suæ præiudicium, huiusmodi iuramentum, vt eundem non accusarent Episcopum, nec vnquam agerent contra ipsum; vnde, cum verisimile videatur, id non acceptatum fuisse, dicto Episcopo inscio, quem conscientia tot, & tantorum criminum poterat remordere, petebatur instanter, vt ne veritas fraude confusa succumbat, prouidere super hoc paterna sollicitudine dignaremur. Cum, inquam, hæc Honorio suggesta essent, Abbati Sanctarumcrucum, & Scalæ-Dei Priori, Cistercienſi vtrique, per Apostolica mandauit [h]; *quatenus ad Detrusensem Ecclesiam personaliter accedentes, & habentes præ oculis solum Dominum, & reuocato in irritum quidquid per prædictam appellationem, in eorumdem Canonicorum præiudicium temerè inueneritis attentatum; inquiratis super præmissis sollicitè veritatem, & quæ inueneritis fideliter redigentes in scriptis; vestris inclusa sigillis, ad nostram præsentiam transmittatis, præfigendo ipsi Episcopo terminum competentem, quo nostro se conspectui repræsentet, quod Canonicum fuerit auctore Domino, recepturus. Datis Laterani XV. Kalendas Nouembris, Pontificatus nostri anno tertio.* Rursus Templatiis, Hospitalariisque, longa, & polixa lite decertantibus, Abbas Populeti, vna cum Oscensi Episcopo Iudex datus est [i]; *vt partibus conuocatis* (Pontifex ait) *audiatis causam, & appellatione remota, fine debito terminetis. Datum Laterani XIV. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.*

h *Eodem loco.*

i *Ex eodem Honor. in Reg.*

7. Sequitur in Lusitania flagitium atrox, quod Regis fauor (heu cœcam gratiam Principum) inultum pertransire, & voluit, & fecit, sed nullatenus potuit occultari. Cum Suarius Vlysiponensis Præsul, fouendis naufragiis, detinendisque, quorum gladiis Paganos expugnaret, quod anno præcedenti dicebamus, intentus esset, Decanus eius (Magister hic Vincentius dicebatur) turbare omnia sacra, prophanáque miscere, confundere, Ecclesiam spoliare; & Canonicis sub reformationis typo, graues inferre iniurias non dubitabat. Peruenit ad Suarij aures clamor, qui redux ex Castris, & victoria parta lætus, ne Deo ingratus esse videri posset, Vincentium ipsum de multis priùs conuictum, & alias animarum gerentem curam, in diuersa Ecclesia à Decanatu censuit amouendum. Hinc ira Regis, dum Vincentio fauit; atque ipso Vincentio in Episcopum furente, sæua funera, inuasa Ecclesiæ bona, falsatæ litteræ, vulnerati Canonici; trucidati Clerici; & nulli penè flagitio parcitum est; quod in Episcopum potuit excogitari. Extant de his Honorij Papæ litteræ, ad Abbatem, & Priorem Alcobatiæ cum eos ex vniuerso Regno eligeret, qui soli tantis malis mederi possent. Atque ecce litteras dignas tanto Pontifice, nec minus dignas transcribi nostris Annalibus [k].

k *Epist. lib. 3. §.*

Abbati, & Priori Alcobatiæ Cistercienſis Ordinis, Vlisolenſis Diœceſis, & Cantori Conimbricenſi.

Persequutionum Venerabilis Fratris nostri Vlisbonensis Episcopi non possumus recordari sine dolore, quas à Magistro Vincentio, quondam Vlisbonensi Decano, se asserit pertulisse, cum, sicut accepimus, tanta, & tam enormis existat, illius in eundem materia noua gestorum, vt nec illam expediat in totum præsentibus explicare; & adhuc eius manus (credentis forsan etiam in altissimum rebellare) aduersus memoratum Episcopum, non minus solito sit extenta. Porrò præfatus Episcopus, suis nobis nuper litteris intimauit, quod cum profectus in æstate præterita contra fidei nostræ blasphemos, ad Ecclesiam suam rediens, eam grauissimè turbatam inuenerit, vtpote in qua diutius Vincentius multa præsumpserat, ac illicitè vsurparat, ad Canonicorum suorum instantiam, suppliciter postulantium, vt quæ reformanda erant in eadem Ecclesia, iuxta officium sibi debitum reformaret; nec pateretur eundem Magistrum, Decanum Vlisbonensem, ad quem recipiendum, vt forsan liber fuerit; at postquam obtinuit animarum curam in aliis Ecclesiis, præiudicium sibi fecerat, retinendo. Ipse sequutus iuris ordinem, præsertim cum multis de causis, eo se indignum reddidit, à Decanatu remouit eodem.

Verum dictus Magister charissimi in Christo filij nostri, Alfonsi Regis Portugalensis illustris contra instituta Canonum super id innixus auxilio; non solum res ad dictum Decanum spectantes, verum etiam alia bona sua, & Canonicorum eiusdem Ecclesiæ, post appellationem ad nos legitimè interpositam, occupauit. Cúmque Regem eundem dictus induxisset Episcopus, vt de rebus Ecclesiasticis se minimè intromitteret; adeo fuit eius animus contra ipsum (dicto Vincentio procurante) commotus, quod propter hoc graues incurrerit iniurias, & iacturas. Post hæc Vincentius sæpè dictus, per quasdam litteras falsas sub nomine Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Compostellani, eum citari apud Elboram faciens, Vlisbonensem Canonicum (substitutum in Ecclesia prædicta Decanum) pro eodem Episcopo comparentem, per nepotes suos crudeliter vulneratum, fecit inhonestè tractari: & tandem prædicto Episcopo ad locum sibi non tutum per litteras eiusdem Compostellani citato, Gunsaluum Martini Subdiaconum eiusdem Episcopi (Clericum, qui à nobis meruerat protectionis litteras obtinere) per nepotes, & homines suos miserabiliter fecit, ea die, in qua illi fuerat grauiter comminatus, intercidi; & frustratim, nouo genere crudelitatis incidi.

9.

Hactenus ad Abbatem, & Priorem Alcobatienses Honorius Papa, velut quos nouerat idoneos tanto negotio, Alfonso Regi acceptos, Suario charos; & tali ad omnes pollentes opinione, vt ne ipsi quidem Vincentio suspecti essent. Ergo, vt quæ in eo exequenda iudicarent auctoritate Pontificia, sine vllo respectu, sine vlla dependentia exequerentur, plenam illis impertiens potestatem; prædictis subiicienda censuit hæc, quæ sequuntur. *Cum igitur hæc tolerari sub dissimulatione non debeant, ne præsumptoribus transeant in exemplum; discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Vlisponensem Ecclesiam personaliter adeuntes, inquisita super præmissis, & cognita plenius veritate, quidquid Canonicum fuerit, sicut melius exequendum censueritis, appellatione postposita, Apostolica auctoritate exequamini: facientes quidquid statueritis per censuras Ecclesiasticas obseruari. Datum Laterani octauo Kalendas Nouembris, Pontificatus nostri anno tertio.* Hactenus litteræ, quibus cum laude, & communi approbatione delegatos vsos

10.

inde

inde coniector, quod nullæ vlterius emerserint querelæ super tanto negotio: neque siue ad eosdem, siue ad alios nouæ litteræ datæ reperiuntur.

11. Hinc facilè intelligendi veniunt versus quidam, qui in relatione expugnatæ Arcis Alcaser, de qua anno præterito, pro Suario Episcopo non remunerato, quin pro tot bonis mala recipiente, sub eorundem finem conqueruntur.

Ex his Vlisbonæ Præsul, qui tot bona nostris
Contulit, ast recipit pro bonitate malum.
Isti porrigitur ab eis pro nectare myrrha
Fel pro melle; scelus pro pietate sui.

Certè, quo tempore Suarius tantum bonum, & Regi Alfonso, & Regno contulisset, debuisset melius ab eo remunerari. Sed ea plerumque conditio Principum est, vt illi minus soluant, cui magis debent; seu pudeat eos ab aliis accepisse, seu renuant reddere. Verum hæc satis, superque pro hoc capite, in quo Italia, Gallia, Hispaniáque: reliqua, quæ in aliis Prouinciis (neque ea pauciora, aut minus grauia) seorsim commodius; sed prius quæ in Boëmia, subortam litem, Regnum diu turbauit, non sine nostris sedatam, proferamus.

---

1. *In Boëmia inter Regnum, & Sacerdotium suborta lis* 2. *non sine Regis, & Pragensis Præsulis culpa.* 3. *Honorij litteræ ad Ratisponensem, & VValsasi Abbatem.* 4. *eaque duplices.* 5. *Hotocari ad Honorium breuis epistola;* 6. *mox alia longior,* 7. *in spem multa promittens,* 8. *& factum purgans.* 9. *Pragensis timores,* 10. *& Honorij Papæ mandata ad Abbates Ebrac, & VValsasi,* 11. *& qualiter per eos omnia pacata.* 12. *Plura in Germania,* 13. *in Polonia, Vngaria, Belgio, Angliáque; & neque Oriens ab his omnino immune.*

CAPVT NONVM.

1. INGENTEM in Boëmia procellam hoc anno ortam, ab Abrahamo Bzouio leuiter tactam, quia per nostros sedatam latiùs prosequar, atque ipsi litteris vltro, citróque vtrinque productis, rem alias grauem distinctiùs enucleabo. Præerat Ecclesiæ Pragensi Andreas Episcopus, acris ingenij vir, & qui nihil à se factum putaret, quandiu non aliquid, quod alij non fecissent: ea multorum hominum conditio est, vt tunc se tantum putant laude dignos, cum alios damnant, cum non tam imitari gestiunt, quod boni fecerunt, quam, quod non fecerint, aliis demonstrare. Ergo Andreas decimationes quasdam nouas, atque à nemine hactenus exactas, dum primus exigit, non solum indignationem Regis, Procerúmque, sed & aliarum, quas soluere suenirent (quæ plerumque res nouas pœna sequitur) subtractionem incurrit, ingenti suo, & Ecclesiæ suo damno, faciliùs prouocando, quam remouendo. Regibus in præcipiti potentia, si sibi relinquatur, placida, & lenis, sed si impellatur, violenter ruitura. Hinc simultates, odia, iurgiáque inter Regem, & Andream: & dum vterque præire alterum cupit, parua in principio semina discordiæ, in magnam segetem creuisse visa sunt Ottocaro (id nomen Regis erat) debacchante in clerum, è contra Andrea exercente in eum Ecclesiæ arma, quasi in omnium sacrorum violatorem.

2. Non satis constat, an ob solas negatas decimas Episcopus Pragensis anathema in Regem, in Prouinciam interdictum promulgauerit: quippe non tantum, quas exegerat de nouo, sed & solitæ ab antiquo solui, denegabantur? Id vnum planè ex litteris colligitur, relaxatas à Metropolitano censuras, non multo post Honorium confirmasse; vt inde liqueat non temerè prolatas; increbruit tamen rumor, sicque is lenis, in Pragensi Ecclesia, agentibus Decano, atque Canonicis, neque ante Metropolitæ relaxationem, nec (quod mireris) post confirmationem Honorij seruatas esse. Adeo nunquam defuere, nunquam deerunt, qui Regibus blandiri, etiam in propriam conscientiam non vereantur. Inde Ottocarus audacior aduersus Præsulem, cui ne ipsi Ecclesiastici deferrent; miscere omnia sacra, prophanáque inter se confundere, indicere collectas, conferre beneficia, Ecclesiasticos tribunali suo sistere, sub quocumque prætextu damnare fontes (inter quos Clericum affecit supplicio vltimo) & nisi Episcopus se fuga subtraxisset, forsan & ipse eidem sistendus foret. Romam tamen ad Honorium profectus est, Prouincia tota relicta sub interdicto, euasurus iniurias, quas timebat, atque hæc, & alia de Rege conquesturus. Hinc Ottocari furor magis accensus, & quia non poterat in ipsum desæuire, sæuitium in bona eius, Ecclesiæque, quæ per Regios ministros procurata, in Regios vsus credebantur conuertenda. Neque abstinebant ab eisdem Proceres, quibus Regia facta æmulari semper in promptu, sed mala quæque faciliùs exequuntur.

3. Igitur Andreas cum Romam peruenisset, alloquutus Honorium quæ ante eius discessum, contigissent, asseueranter, & in maius omnia attollens; quæ in eius absentia, velut addubitans, vt qui ex ipsa iudicij suspicione circa non visa, his, quæ vidisset, & passus esset, serio assertis, maiorem conciliari fidem non dubitaret. Tum vero Honorius, cui & Regibus deferre, sed nihilominus iustitiam obseruare semper in animo, ad Regem priùs comminatorias litteras, quas nanciscì non potui: dein ad Episcopum Ratisponensem, & VValsasi Abbatem Ordinis Cistercienſis eiusdem Diœcesis duplices de hoc ipso litteras dedit: inquisitorias de interdicti violatione vnas, alteras de Episcopi bonorum, siue aliorum in ipsius odium confiscatione. Atque ecce exemplar priorum litterarum ad supradictos [a].

[a] *Epistola Hon. lib. 2.*

Ratisponensi Episcopo, & VValsasensi Cistercienſis Ordinis Abbati Ratisponensis Diœcesis.

Venerabilis Frater noster Pragensis Episcopus nobis humiliter intimauit, quod Decanus, & quidam de Prælatis, & Canonicis Ecclesiæ suæ, auctoritate

ritate propria, relaxarant, quod in ipſam poſuerat interdictum, priuſquam Venerabilis Frater noſter Maguntinus Archiepiſcopus relaxationem generalem (quam reputamm penitus fore nullam) facere præſumpſiſſet. Ipſum adhuc licet fuerit confirmatum auctoritate Apoſtolica obſeruare auſu temerario, contemnentes. Quocirca diſcretioni veſtræ, per Apoſtolica ſcripta præcisè mandamus, quatenus, vtrum præmiſſis veritas ſuffragetur, per vos & alios cum cautela, & induſtria diligentius explorantes, ipſos ſi rei veritas ſic ſe habet, ab officio, beneficióque ſuſpenſos, ad Sedem Apoſtolicam tranſmittatis, ſatisfacturos nobis, & ipſi de tantæ præſumptionis exceſſu. Datis Laterani XIV. Kalendas Martij anno ſecundo. Hæc ſuper crimine interdicti violati ab Eccleſiæ domeſticis. At ſuper bonis Epiſcopo ablatis, atque aliis concernentibus Regem, hæc, quæ ſequuntur [b].

b *Ex eiſdem epiſt.*

Eiſdem.

4. *Præſentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus cautè ac diligenter exploretis, qui percipiant fructus, vel procuratores exiſtant Epiſcopatus Pragenſis? Et vtrum chariſſimus in Chriſto filius noſter Boëmiæ Rex illuſtris abſente Venerabili Fratre noſtro Pragenſi Epiſcopo ordinauerit, vel ordinari fecerit procuratores eoſdem, vel ſi Regis habeant familiaritatem ipſius? Et vtrum etiam occaſione moræ, quam facit apud Sedem Apoſtolicam; Eccleſiis eius Diœceſis, & bonis eorum immineat diſpendium, vel grauamen; vel exactionibus aggrauentur? Et an nuncij eiuſdem Epiſcopi prohibeantur intrare liberè, ac exire? Et quæ ſuper his, & aliis inueneritis, veſtris nobis litteris intimetis, vt ſecundum hæc & alia, quæ audierimus in negotio eiuſdem Epiſcopi, prout procedendum fuerit, procedamus. Datis Laterani XV. Kalendas Martij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

5. His litteris acceptis vterque Præſul, Ratiſponenſis nimirum, & VValſaſenſis, inquiſita, & comperta veritate, iuxta vtriuſque mandati continentiam reſcribunt Pontifici, & quid inuenerint in vtroque negotio produnt. Rex vero ſuos ad eundem mittens nuncios, dum alios deſtinabat, qui obiectis ab Epiſcopo Pragenſi iudicialiter reſponderent, paternis, quas ab Honorio accepiſſet monitionibus, hæc humilis reſcripſit, quæ Abraham Bzouius inſeruit ſuis Annalibus [c].

c *Ad hunc ann.*

Venerabili in Chriſto Patri Domino Honorio Summo Pontifici, Ottocarus.

Gratias ago Paternitati veſtræ, quod inter cæteros Principes me diligatis, & quod moneatis me, & arguatis pro ſalute animæ meæ. Veruntamen cognoſco quod multa mendacia fuerunt Sanctitati veſtræ de me dicta. Nam nunquam manus violentas in Clericos inieci, nec collectas impoſui. Interdictum, licet iniuſtè impoſitum, ſeruaui; auxi iura Eccleſiarum, paratúſque ſemper ſum id facere, & iura Eccleſiæ ſemper manutenere: & ſic promitto Sanctitati veſtræ, vt latiùs intelligetis per nuncios meos. Hæc tunc Ottocarus. Verum quæ poſtmodum cum ſolemniores nuncios miſſurus erat, & qua occaſione, ab ipſo non ſint miſſi, ſecundæ illius ad Honorium litteræ produnt, quæ ex Regeſtis Vaticanis excerptæ, ita ſe habent [d].

d *lib. 2. in Regeſt.*

6. *Reuerendiſſimo Domino, Summo, & vniuerſali Pontifici O. Dei gratia Rex Boemorum, cum deuoto obſequio filialem ſubiectionem.*

Significamus dignationi veſtræ, quod dum ſolemnes nuncios ad curiam mittere putaſſemus, his, quæ à Domino Pragenſi Epiſcopo contra nos proponuntur finaliter reſponſuros: repentè venit à latere eiuſdem Epiſcopi Abbas de Inſula, petens ex perſona ipſius mitti ſibi tres Comites noſtros maiores cum Abbate de VValſaſem Ciſtercienſis Ordinis, dixítque fruſtra laborare, ſi qui aly mitterentur. Comites autem, quos petiit, nullo conſilio viam ſecuritatis habere potuerunt; Abbas vero poſtulatus, ſine licentia Ciſtercienſis Abbatis venire non potuit, niſi veſtris litteris ſpecialiter vocatus. Perſuaſum eſt ergo nobis à Viris religioſis, ne oratorum diſputationibus ſacrum Curiæ occuparemus auditum; ſi prima fronte, ſicut deuoti filij, veſtræ parentes Paternitati, humiliter, ac ſimpliciter, litteris præſentibus exprimeremus, in quibus duritiem gentis noſtræ flectere poſſe cognoſceremus.

7. *Multa ergo breuiter comprehendentes, quæ idem Epiſcopus contra ſuam videtur habere Diœceſim, magis quam contra nos, ſacro Apoſtolatui veſtro, pro omnibus vno verbo reſpondendo, promittimus, quod cooperante Domino, pro gratia veſtræ obtentu, omnia pro quibus iuſtè videtur contendere, ſibi ex animo ſubiiciemus. Præterea, quod gentem noſtram ad inſuetas hactenus decimas non poſſumus cogere, nec poſſemus omnino, etiamſi ipſæ decimæ nobis deberentur, noſtris vſibus deſeruire: antiquarum quoque decimarum redditus, qui multis locis ſubtrahuntur, reddi cogemus. Vt autem perfectè vobis conſtare poſſit, hæc omnia nos deuotè facturos, rogamus obnixè, quod obedientiæ noſtræ experimentum capientes, mittatis à latere veſtro aliquem diſcretum Virum cum eodem Epiſcopo vſque Pattauiam, & quoſcunque Epiſcopos, vel Abbates, ipſe Epiſcopus ſibi elegerit, illos auctoritate Apoſtolica executores præſentis noſtræ promiſſionis conſtituatis. Noſque in propria perſona vſque ad exitum Boëmiæ accedentes, per internuncios, quos ſimiliter elegerit; omnia, quæ ſupra præmiſimus ſtabiliemus; ſi quid etiam contra aliquem ſpiritualiter habet perſonam, vel ſecundum iura terræ iudicabimus, vel veſtro iudicio, ſi ipſe Epiſcopus voluerit, reſeruabimus.*

8. *Sanè ſi veniendi Pattauiam metum allegauerit, dicens per amicos noſtros in via poſſe ſibi malum aliquod procurari, ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis reuerentiam, vobis iurando promittimus, euntem Pattauiam, & ad vos redeuntem ab hoc metu eum liberum eſſe debere. Denique quod de ſuſpenſo nobis Clerico imponitur, ſciatis eum effractorem quinque Eccleſiarum, qui latronibus terræ ſociatus, & cum ipſis in latrocinio in armis comprehenſus cum ſimilibus, ſimiliter eſt punitus. De his tamen, & de omnibus, quæ Paternitas veſtra in filiis ſuis piè corrigenda cenſuerit, obedire parati, quod iubere dignemini, cum deuotione debita expectamus. Hoc ſolum vos meminiſſe humiliter poſtulantes in noſtris negotiis, quod in omni neceſſitate Romanæ Eccleſiæ contra omnes Principes per anteceſſores noſtros adſtitimus, & vobis nihilominus, ſi ſe tempus obtulerit, cum dignati fueritis abſtinemus.* Hæc ad Honorium Ottocarus Boëmus: vere an in dolo, quis audeat affirmare?

9. Certè Andreas, aut ſenſiſſe dolos, aut inconſtantiam timuiſſe viſus eſt, nec ſe ſecurum aduenire Pattauiam poſſe, multis productis exemplis diſputabat. An non ſimiliter Thomas Cantuarenſis

tuarensis vocatus ab Henrico perfidiæ Regis pœnas capite luit? Non certiorem fidem in Ottocaro, non constantiorem animum? Sed neque sibi Thomæ fortitudinem, aut virtutem suppetere, ex qua egrediatur martyrio coronari? Quid, quod in litteris de resarciendis damnis sibi, & suis illatis, & de eisdem in futurum præcauendis, nec verbum vllum fiat: quod quis credat omissum per obliuionem? fuisse sibi cum Rege maiorem litem super institutione Clericorum, destitutionéque, & super aliis eorumdem causis, quas sibi temerarius arrogabat? Sed nec de his ab eo quidquam expressum, & solas decimationes antiquas stabiliri, de quibus nullus potuisset dubitare? Quid, quod se Ottocarus alienum à causa facit; & solum populum Episcopo opposuit? Cum tamen ipse, quæ in populum habebat (creditas sibi oues) vltro remitteret, & ea solum, quæ à Rege passus esset, quia contra ius Ecclesiæ, non condonaret? Demum quod passo non solum à Rege, sed à Regni Proceribus, nulla ab eisdem offeratur satisfactio, nulla securitas: argumento esse paratas sibi per eos insidias fore? Nec si quid denuo patiendum sibi sit, referre per quos veniat exequendum? Hæc, & similia cum comicis primum, mox cum Honorio conferens, tales ab eo ad duos Cistercij Abbates, VValsasensem nimirum, quem antea postulasset, & Ebracensem. (Ratisponensi Episcopo adiuncto, quod cœpisset in causa) litteras impetrauit, iuxta quarum tenorem Regem adirent, & omnia, & singula in eis contenta, vsque dum totum negotium consummarent, exequerentur [e].

[e] *Ex eisdem Regest.* 10.

Episcopo Ratisponensi, & Ebracensi, & VValsasensi Abbatibus Cistercienſis Ordinis, Herbipolensis, & Ratisponensis Diœcesis.

Charissimus in Christo filius noster Rex Boëmiæ, illustris, suas nobis litteras destinauit, continentes, quod Venerabili Fratri nostro Pragensi Episcopo paratus erat, de omnibus, super quibus de ipso, & Baronibus suis conqueritur, pro reuerentia nostra satisfactionem congruam exhibere, petens, vt aliquem de latere nostro propter hoc, vsque Pattauiam cum ipso Episcopo mitteremus. Quia tamen prædicto Episcopo de prudentium Virorum consilio, non duximus laborem huiusmodi subeundum, donec plenius disquisitum extiterit, qualem possit satisfactionem habere de damnis, & iniuriis, sibi, & clero suo hactenus irrogatis, quam rehabere valeant cautionem, ne attententur similia in futurum: nos ipsum Regem per nostras rogamus litteras, & hortamur, vt in manibus vestris præstet, & à nobilibus terræ suæ præstari faciat idoneam cautionem dimittendi de cætero ipsi Episcopo, institutiones, ac destinationes, ac iudicia quælibet Clericorum, ac alia, quæ noscuntur ad ius Pontificalis officij, pertinere. Ad hæc ipsum Episcopum per procuratores suos restituat in Episcopatus sui possessionem liberam, & quietam; & de præsentibus subtractis sibi, ac his, qui adhæserunt eidem, congruam satisfactionem exhibeat & à suis faciat subditis exhiberi, per vnum vestrum nobis plenè, ac planè rescribens, quidquid super restitutionem possessionis ipsius Episcopatus, ac satisfactionem damnorum, & aliis supra dictis, duxeris faciendum; vt tam scripto suo, quam relatione illius è vobis, qui ad nos venerit, hac de causa facti super his omnibus certiores, huiusmodi negotio dignum finem imponere valeamus.

11. *Sanè salutem eiusdem Regis zelantes, ipsi consulimus, vt super eo, quod Clericum quendam ad suspendium iudicauit, licet reiecto, vt dicitur, Clericali habitu, Clericali videtur priuilegio se priuasse, absolutionis recipiat beneficium ad cautelam. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum Regem personaliter adeuntes, ad exhibendam cautionem prædictam, & ad faciendum eam à suis subditis exhiberi, ac ad restitutionem ipsius Episcopi, & alia, quæ præmisimus, monentes prudenter, & efficaciter inducentes, eius super his litteras requiratis, ad nos per vestrum aliquem deferendas. Relaxaturi sententiam interdicti promulgatam in Regnum, si super restitutione ipsius Episcopi, & aliis fecerit, quæ hortamur; impensuri eidem, si voluerit, vt prædictum est, absolutionis beneficium ad cautelam, pro suspensione Clerici memorati. Datis Romæ apud Sanctum Petrum Idibus Maij anno secundo.* Hæc tunc Honorius. Cæterum qualiter hæc omnia per Episcopum Ratisponensem, Abbatésque exequutioni ad vnguem mandata sint, qualitérque VValsasi Abbas, cui Pragensis præ aliis confidebat; ad vrbem remissus, pactis conuentis firmatis ab Honorio, Episcopum reduxerit, atque Boëmiam quiete, & pace donauerit, anno sequenti, quo euenit, dicemus. Pergo ad alia.

12. In Germania litiganti Sophiæ Virgini, filiæ Ducis Bauariæ, super sui Monasterij Præfectura: quippe in discordia electa, neque æmula cedente potentiæ Patris; Ebracensis Abbas ab Honorio iudex datus [f] *qui partes ad pacem honestam, & Canonica puritati consonam studeret inducere, aut si ea non posset prouenire, inquireret de studiis litigantium, & meritis electorum, & aliis, quæ circa electionem vtriusque videret inquirenda, & cunctis diligenter examinatis, aut causam fine debito terminaret, aut assignato partibus termino competenti determinandam Pontifici remitteret. Datum Laterani tertio Nonas Iulij, Pontificatus ipsius anno secundo.* Simile quid Abbati Salemitano iniunctum est die immediatè sequenti, cum neutra domus Cistercium profiteretur. Quin & Hemmenrodensi, ac Villariensi districtè præceptum [g]; *atque in virtute obedientiæ item iniunctum, quatenus per seipsos, aut per religiosas personas, & circumspectas ab ipsis eligendas, singula Monasteria, tam Virorum, quam mulierum nigri Ordinis, per Treuirensem Prouinciam visitarent, reformantes, & corrigentes in eis, quæ correctionis, & reformationis officio viderent indigere. Datum Laterani tertio Kalendas Aprilis, anno secundo.*

[f] *Epist. Hon. lib. 2.*

[g] *In eisdem Regest.*

13. In Polonia Henrico cognomento Barbato Sileſiæ Duci (Sanctæ Eduuigis Viro, quem sæpius diximus) cum VV. Oddonis Ducis filio litiganti, Abbas Andreouiensis iudex datus; [h] *Romæ apud Sanctum Petrum nono Kalendas Iunij, Pontificatus Honorij anno secundo.* Sic in Vngaria Episcopo Varadiensi male audiente *quod persequendo iustitiam, & comessationibus, & ebrietatibus insistendo, delectatur in dolo, & in malitia gloriatur, qui Parrochianis suis, interdum spiritualia sic ministrat, quod nonnulli existiment, ipsum orthodoxæ fidei non sapere puritatem. Clericos quoque Varadienses terris, syluis, pratis, redditibus, & rebus aliis per violentiam spoliat, & excommunicationis vinculo contra statuta Concilij Generalis adstringit, ac quosdam ex eis*

[h] *Ex eisdem Regest. & omnia quæ sequuntur hoc 13. num.*

eis per incompositam familiam, quam habere ipse incompositus delectatur, sic fecit inhoneste tractari, quod quidam illorum rebus omnibus spoliati, ex inflictis vulneribus perierint. Cum, inquam, hæc, & alia, haud inferiora de eo deponerentur; Vespremiensis Episcopus, & Abbas de Bochin, Cistercienſis Ordinis designati sunt, de vita, & moribus illius inquisituri: *Romæ apud Sanctum Petrum Idibus Maij, anno secundo.* In Belgio rursus Cancellarius Flandriæ Guido, in Anglia quidam Robertus de Saleya, hic Fontanensem, Landensem ille Abbatem experti iudices, litteris expeditis pro primo *Romæ apud Sanctum Petrum secundo Nonas Maij*; contra secundum vero *Laterani decimo Kalendas Nouembris præsentis anni.* Demum ab iis iudiciis, nec Oriens quidem immune hoc anno fuit, & designato Abbate de Corciaco (cœnobio, de quo supra) Ordinis Cistercienſis ad terminandam causam, quæ inter Fratres Dominici sepulchri, Thessalonicensis Diœcesis, & Capitulum Ecclesiæ Sancti Demetrij, à longo tempore controuertebatur: litteris datis *quarto Kalendas Iunij, anno secundo.* Hæc Cistercienses in obsequium Ecclesiæ, Honoriique: at quid pro eis Honorius? sequenti capite veniet referendum.

---

1. *Abbatiæ Virginum dictæ de Busiaco aliqualis notitia.* 2. *Honorius pro Ecclesia Cassemarij, quam ipse construxisset,* 3. *ad Abbatem, & Monachos,* 4. *deinde ad Capitulum Generale Cistercij scribit.* 5. *Conrado priuilegia multa concedit:* 6. *pro decimis;* 7. *solemni promulgata declaratione;* 8. *in Legato;* 9. *contra Plebanos.* 10. *Confirmatus adinstar Cistercienſis Ordo Vallis Scholarium, & Cistercium electum, ab aliquibus ex filiis Beati Dominici.*

CAPVT DECIMVM.

1. MVLTAS hoc anno Ecclesias Cistercienses sub Beati Petri, & sua protectione suscepit Honorius, quas longum, neque vtile esset recensere: cum nulla pene in vniuerso Cistercio sit, quæ non hanc protectionem sit adepta. Producam solam Abbatiam Sanctimonialium de Busiaco dictam, in Diœcesi, vt coniector Aurelianensi; quia non alibi mentionem illius video [a]. *Personas*, inquit, *vestras, & locum, in quo Diuino estis obsequio mancipatæ sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus: easdem quoque libertates, immunitates, quas alia Monasteria Ordinis Cistercienſis à nobis, & prædecessoribus nostris habere noscuntur, præsentium vobis auctoritate concedimus, & specialiter Capellam, & Domum de Busiaco, cum præeminentiis suis, terras, & fructus, qui fuerunt Canonicorum de Hiems-Villa, à Venerabili Fratre nostro M. Aurelianensi Episcopo vobis collatos, &c. Datum Laterani octauo Kalendas Aprilis, anno secundo.* Certè si Manasses Aurelianensis (neque enim alius per M. potest intelligi, & is Aurelianis præsidebat hoc ipso tempore) cœnobium, ab anno M. CC. VII. quo cathedram conscendit, fundatum constat. Nisi fortè dicamus longè antiquius, & fundatum ab alio Manasse eius nominis primo, aliàs secundo, quem circa annos M. C. XII. memorant tabulæ Ecclesiæ Aurelianensis.

a Ex Reg. Hon. 3.

2. Idem Honorius, quam Cassemarij Ecclesiam Cardinalis constructam, & anno præterito iam Pontifex sacrauerat; promouere desiderans, primo vt eadem ipsa dedicatio nouendiali celebraretur solemnitate per annos singulos censuit statuendum: propositis pro his, qui concurrissent ad eam celebritatem, indulgentiis. Secundo ad decentiorem Ecclesiæ cultum (quod aliàs in Cistercio semper prohibitum) vt vestibus sericis in altari, atque argenteis thuribulis, certis tantum diebus liceret vti, cum Monachis illius domus dispensauit; quod tamen postea in exemplum ab aliis tractum relaxandæ humilitatis, & paupertatis, non leue, heu! fomentum ministrauit. Tertio, cœnobium illud Cassemarij specialiori vinculo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vnitum voluit. Et tandem quarto, benefacientibus eidem Monasterio salutem, & gratiam, malefactoribus æternam damnationem comminatus est. Primam litterarum illius partem, in qua solemnis dedicatio continebatur, anno præterito, quo factam fuisse constat, posteriorem, quæ ab hoc facienda iubet, ex Baronio transscriptam accipiat Lector [b].

b tom. 12. 3.

Vt ipsius Ecclesiæ dedicatio veneranda, singulis annis deuotius celebretur, vniuersis, qui ad solemnitatem consecrationis eiusdem infra nouem dies deuotè conuenerint, de illius pietate confisi, qui est peccatorum remissio, de iniunctis sibi pœnitentiis annum vnum misericorditer relaxamus. Præterea, vt appareat in ornatu, quod Ecclesiam vestram intendimus specialiter honorare, vtendi argenteo thuribulo, ac sericis indumentis inter Missarum solemnia diebus Dominicis, & festiuis liberam vobis concedimus facultatem. Licet autem Monasterium vestrum iuris, & potestatis sit Sedis Apostolicæ specialiter; quia tamen ex hoc iuris, scilicet proprietatis ipsius, specialiter est effectum: nos illud sub speciali cura, & principali tutela Beati Petri suscepimus, cum omnibus rebus, quas impræsentiarum iusto titulo possidet, aut in futurum iustis modis poterit adipisci, vt secundum priuilegia prædecessorum nostrorum, & nostra, semper eas sine contradictione possideat, gaudens vbique priuilegiis, & indulgentiis vniuersis, tam generalibus, quam specialibus à Sede Apostolica impetratis, saluis statutis Concilij Generalis. Cunctos igitur ipsius iura seruantes Apostolica benedictione prosequatur, eosque Diuina Maiestas iustificet in præsenti, & glorificet in futuro. Turbatores autem ipsius, nisi commoniti resipuerint, reos se Diuino iudicio de perpetrata iniquitate cognoscant, & muneris Apostolicæ benedictionis expertes. Datum Laterani, tertio Nonas Februarij, Pontificatus nostri anno secundo. Hactenus ad Raynerium Abbatem, Monachósque Ecclesiæ Cassemarij. At cum nec hoc Honorio satis esset, paucis elapsis mensibus, vt festum Ioannis, Paulique cœnobij tutelarium celebrari iuberet per totum ordinem,

&c

& eorum nomina in Litaniis exprimi, ad Capitulum Generale Cistercij scripsit, provt hodiéque in Regestis eius habetur. Exemplar porro litterarum ad Capitulum hoc est [c].

c Ex Regest. Honorij III. lib. 2.

Vniuersis Abbatibus in Generali Cistercienſi Capitulo conſtitutis.

4. *Beatorum Martyrum Ioannis, & Pauli merita glorioſa commendat, & quoſcumque fideles merito ad eorum deuotionem inuitat, quod ſcriptura teſte, linguæ ipſorum factæ ſunt claues cœli. Vnde ſecundum Eccleſiæ Romanæ Ordinem, ſicut Apoſtolorum Principes Petrus, & Paulus in Litaniis ante alios Apoſtolos innocantur, ita & hi inter Martyres, quos Eccleſia exorat, aliis præponuntur. Sanè nos ad eoſdem glorioſiſſimos Martyres ſpiritualem deuotionem habentes, vtpote qui ad eorum titulum Sacerdotij gradum accepimus, Eccleſiam Caſſemarij eorumdem vocabulo inſignitam, antequam Ordinis veſtri reciperet inſtituta, pro ipſorum reuerentia, & dilectione, qua veſtrum ordinem amplectamur, egregia ſtructura fecimus fabricari; eámque aduocata Epiſcoporum multitudine, ſolemniter conſecrauimus ad honorem Dei, ac Domini noſtri Ieſu Chriſti, & glorioſiſſimæ matris eius, ac Martyrum prædictorum. Cum igitur & vos, Ordo quorum obſeruatur ibidem, eorumdem Sanctorum memoriam ſpeciali deuotione recolere debeatis, per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus eorum præclara ſolemnia faciatis, per omnes Eccleſias veſtri Ordinis in duodecim lectionibus, annis ſingulis, veneratione congrua celebrari: & in Litaniis eorum implorari ſuffragium, iuxta morem Romanæ Eccleſiæ prænotatum. Datis Romæ apud Sanctum Petrum XII. Kalendas Iulij anno ſecundo.* Hæc ad Capitulum Honorius pro ſua domo; atque in obſequium Martyrum, in quorum ab initio honorem dicata eſſet. Porro, quid à Capitulo actum ſit, cum aliis eius actis infra reddemus.

5. Fine anni, cum Conradum Ciſtercij Patrem, multa filiorum cura, & varia, quæ emergebant, negotia ſollicitarent, ab eodem Honorio multa obtinuit, per quæ cunctis occurri, & quieti filiorum prouideri facilè poſſet. Exercebat in aliquibus Prouinciis noſtros moleſtia triplex, ab Epiſcopis, à Legatis, à Plebanis. Epiſcopi, exemptionem Decimarum, quantum ad terras, quæ aliis decimaſſent, temperatam à noſtris, atque ipſum ipſius temperamentum in Concilio Generali Lateranenſi confirmatum à Patribus ad noua alia extendentes, id eſt ad meos agros, terrave, quæ hactenus decimales non extitiſſent, quoties à noſtris coli contingebat, decimas extorqueri, ne ſolum exemptione non grauarentur, ſed labore diteſcerent; quibus poterant modis, nonnunquam etiam per violentiam, exagitabant. Legati per cenſuras Eccleſiaſticas, quos non haberent procurationum ſuarum contributores, quouis quæſito colore, cogebant ad alia, per quæ ſe magis grauari experiebantur. Demum Plebani (quod exactionis inauditum hactenus genus) Mortuarij iura, (nam ſic ea appellabant,) quæ extunc in morte non eſſent percepturi, conſtanter exigebant ab illis omnibus, qui ſpreto ſæculo, intrantes religionem, ſacros ritus Ciſtercij profitebantur. Ergo Honorius contra trinam vexationem exigente Conrado, intra vnius Hebdomadæ ſpatium (neque enim plures dies interceſſerunt) triplex munimen contulit, triplici expedito priuilegio, acri contra impugnantes, igneóque; in Ciſtercium glorioſo & honorifico. Porrò ſingula, quia & ad hiſtoriam faciunt, & alibi non extant vulgata hactenus, ex Vaticano excerpta, hic conſequenter tranſcribenda eſſe putaui. Quod decimarum exemptionem concernit, hæc habet verba [d].

d Ex Reg. Hon. 3. 6.

Abbati Ciſtercienſi, & vniuerſis Coabatibus eius, & Fratribus ſub eodem Ordine Deo ſeruientibus.

Contingit interdum, quod nonnulli propriis incumbentes affectibus, dum Sanctionum ſenſum legitimum ad ſua vota non habent accommodatum, ſuperadducunt adulterum intellectum, in temporali compendio, externum compendium non timentes. Sanè, quia ſicut audiuimus, quidam ſuo nimis inhærentes ingenio, nimiúmque voluntarij Concilij Generalis interpretes, de noualibus poſt idem Concilium acquiſitis, à vobis contingat indebita moleſtatione vexari, nos interpretationem illorum intellectui conſtitutionis prædicti Concilij ſuper Ciſtercienſium decimis editæ, aſſerimus peregrinam; in ipſa quidem expreſsè cauetur, vt de alienis terris, & amodo acquirendis, & iam ſi eas propriis manibus, aut ſumptibus colueritis, decimas perſoluatis Eccleſiis, quibus ratione prædictorum antea ſoluebantur. Vnde ſi ad propoſitum aciem diſcretionis extenderent, admittentes nihilominus, de quibus noualibus Apoſtolica Sedes intelligat indulgentiam conceſſam retractare: non ſic ſuper noualibus noua interpretationis ludibrio ingenia fatigarent; nequè enim Noualia dicuntur, quo quis de nouo acquirit, ſed quæ de nouo colit, cum hactenus inculta, & nulli redditualia remanſiſſent. Inhibemus igitur auctoritate præſentium, vt nullus à vobis de Noualibus a tempore Concilij excultis, vel impoſterum propriis manibus, aut ſumptibus excolendis, ſiue de nouo à vobis acquiſitis, ſiue ab olim poſſeſſis, decimas exigere, vel extorquere præſumat. Nulli ergo, &c. Datum Laterani decimoquinto Kalendas Ianuarij, Pontificatus noſtri anno tertio. Hactenus ibi.

7. Porrò, vt hæ litteræ non tam priuilegij, quam Iuris etiam communis vim haberent, declarationem auctoritatiuè pronunciatam, eadem die publicari fecit, atque redigi in acta, cuius hic tenor.

Quia eius eſt interpretari iura, cuius eſt condere, nos habentes vtriuſque facultatem, licet immeriti; quod in Concilio Generali ſtatutum fuit, vt Fratres Ciſtercienſis Ordinis, de alienis terris, & à tempore prædicti Concilij acquirendis, etiamſi eas propriis manibus, aut ſumptibus excoluerint, ſoluant decimas Eccleſiis, quibus ratione prædiorum antea ſoluebantur, niſi cum ipſis Eccleſiis aliter duxerint componendum; taliter declaramus, vt non intelligendum ſit, eos teneri ad decimas de Noualibus perſoluendas; vnde ſtatuimus, vt de Noualibus excultis à tempore Concilij Generalis; aut in poſterum excolendis, nullus ab eis decimas exigere, vel extorquere præſumat. Nulli

ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ declarationis, & conſtitutionis infringere, &c. Datum Laterani octauo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno tertio. Ita pro decimis. Cæterum in legatos, ſeptem diebus elapſis, hæc quæ ſequuntur.

8. *Abbati Ciſtercienſi, & vniuerſis Coabbatibus eius, & Fratribus ſub eodem Ordine Deo ſeruientibus.*

Cum Ordinis veſtri gratioſa plantatio, multa religionis, & honeſtatis flores, & fructus protulerit, effuſo longè, latéque laudabilis conſecrationis odore; Apoſtolicæ Sedis auctoritas, conſiderans per Martæ ſollicitudinem prouidendum eſſe Mariæ quieti; & vt orantis Mariæ ſuffragiis, ſatagentis Martæ ſollicitudo iuuetur, ne alicuius temeritatis incurſus, ſanctæ conuerſationis otium perturbaret, ordinem ipſum, & priuilegiis, & nonnullis indulgentiis ſpiritualis gratiæ prærogatiua muniuit. Nos autem qui ſalutifera commoda veſtra, benigno fauore proſequimur, tranquillitati veſtræ libenter, prout poſſumus, prouidemus; auctoritate præſentium inhibentes, Legati Sedis Apoſtolicæ ſine ſpeciali mandato noſtro, in vos excommunicationis, vel ſuſpenſionis, & in Monaſterio veſtro interdicti ſententias contra ea, quæ vobis ſunt ab Apoſtolica Sede conceſſa, promulgent. Nulli ergo, &c. Datis Laterani vndecimo Kalendas Ianuarij, Pontificatus noſtri anno tertio.

9. Reſtabat adhuc in tertiam vexationem, inſolentiorémque à Plebanis illatam, munimen tertium, eo ſollicitius procurandum, quo non ſiſtebat in rebus temporalibus, ſed ad ſpirituales (retractis per indebitam exactionem, à conuerſione quibuſdam) extendebatur. Contra hanc ergo immediatè ſequenti die, nempe tertia, & vigeſima Decembris, ſequentes litteras cenſuit expediendas.

Abbati Ciſtercienſi, & vniuerſis Coabbatibus eius, & Fratribus ſub eodem Ordine Deo ſeruientibus.

Conſtituti iuxta verbum Propheta, licet inſufficientibus meritis, ſuper gentes, & Regna, officij noſtri debitum decenter exequimur, cum euellimus euellenda, & plantanda plantamus, recta regimus, & dirigimus indirecta. Significaſtis ſiquidem nobis, quod in quibuſdam partibus conſuetudo deteſtabilis inoleuit, videlicet, quod cum aliqui æmulantes charismata meliora Monaſteria veſtri Ordinis volunt, cauſa religionis, intrare, vt ibi Domino famulentur; Capellani eorum, donec ab ipſis pecuniam, quæ mortuarium nuncupatur, extorqueant, prout à Parrochianis ſuis decedentibus conſueuerunt accipere, illis temerè ſe opponunt: quare ſuper hoc noſtræ prouidentiæ remedium flagitaſtis; volentes igitur abuſum corruptelæ huiuſmodi aboleri, auctoritate vobis præſentium indulgemus, vt Capellanorum contradictione huiuſmodi non obſtante, liberas perſonas ad vos è ſæculo fugientes, liberè recipere valeatis: nulli ergo, &c. Datis Laterani decimo Kalendas Ianuarij anno tertio. Hactenus, quæ Honorius expediuit, & Conradus obtinuit ſub huius anni finem noſtris indulta. Vt non leuis oriatur coniectura, Romæ vtrumque extitiſſe ſub idem tempus; atque inde Honorium altius penetrantem prudentiam hominis Conradum elegiſſe in Cardinalem, id quod anno ſequenti eſt exequutus.

Hoc item anno, quod ſupra memorauimus, 10.
Honorius Papa ordinem Vallis-ſcholarium confirmaturus, quo nouellæ familiæ, nec dum adultæ auctoritatem daret, & fortitudinem adinſtar Ciſtercienſis; conceptis verbis, neque ſemel, aut iterum tantum receptis, confirmandam putauit. *Litteris datis pridie Nonas Martij, Pontificatus ipſius anno ſecundo.* Verum quod hunc annum, ſupra modum illuſtrem reddit Ciſtercienſi familiæ (niſi in ſequentem mauis referendum) haud dubiè fuit iudicium Sanctorum hominum, ex filiis Beati Dominici Guoſmanij, & nouo tunc ſodalitio Prædicatorum: qui cum in eo nonnihil fluctuarent (quæ rerum quantumcumque magnarum, dubia ſemper initia eſſe ſolent,) & de alio vitæ genere aſſumendo deliberarent inter ſe. Ciſtercienſe præ aliis elegerunt, ad quod ſecuri poſſent tranſmigrare, litteris ad ipſum impetratis ab Hugolino Cardinali Legato, quarum meminit Bzouius, ſuppreſſo licet Ciſtercienſi Ordine: quas Humbertus, ex quo ipſe deſumpſit, prodit, dum ita ait. *Eo tempore, quo Prædicatorum Ordo, tanquam puſillus grex erat, & vt nouella plantatio, in Conuentu Bononienſi ſuborta quædam tentationis commotio inter Fratres, in tantum eos deiecit, à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate, vt multi eorum conferrent, ad quos ordines ſe transferrent: timentes ne tanquam nouus, & modicum roboratus in nihilum deueniret. Vnde duo de maioribus impetrauerunt litteras, à quodam Legato, qui tunc erat in partibus illis, vt ad aliquod Ciſtercienſis Ordinis Monaſterium transferre ſe poſſent. Quas litteras cum Fratri Reginaldo, quondam Sancti Aniani Aurelianenſis Decano (qui Vicarius Beati Dominici erat) repræſentaſſet, & ille in Capitulo cauſam cum dolore multo expoſuiſſet, fit fletus ingens, & commotio prædicta magis ſuccreſcere cœpit.* Hæc planè Ciſtercienſium illius æui, & prima, & ſumma laus, quod vel poſt centum, & viginti annos adeo florerent, vt à diſcipulis, & ſociis Sancti Dominici, ipſo adhuc viuente, velut ſibi ſequendi, probari poſſent. Non dubito à noſtris repellendos, ſi de facto acceſſiſſent, pro reuerentia Sancti, & Ordinis, quem ab initio promouiſſent, perſuaſa ſibi in Eccleſiam vtilitate. Sed gratulor tunc adhuc tales eſſe, quorum virilis ætas, adultáque, non ſenioribus tantum arrideret, verum iuuenibus, & ſub auſpiciis Dominici adulturis.

1. *Beatæ Idæ de Niuella conuersatio, & charitas pro animabus Purgatorij;* 2. *itémque pro salute viatorum.* 3. *Apparitiones frequentes.* 4. *Mors Margaritæ, atque eius apparitio,* 5. *& responsa ad quæsita, inter quæ reuelatus transitus Idæ.* 6. *Mors imminens;* 7. *sed dilata sororum precibus,* 8. *& dilatatio intimata Sapientiæ Virgini.* 9. *Credita Beatrix occasio dilationis.*

CAPVT VNDECIMVM.

1. CIRCA idem tempus Rameyenses Monia-les multum afflixit Beatæ Idæ de Niuela prædicta mors, & nisi lachrymis earumdem redempta esset, exequenda absque dubio, vt rei euentus planè demonstrauit. Multa illi cum Christo familiaritas, multa cum Sanctis Angelis, vt verè conuersatio ipsius, iuxta Apostoli verbum in cœlis esset, & adeo feruida flagrabat charitate, vt vitam, & salutem suam, neque id semel pro animabus Purgatorij lubens exponeret [a]. *Vna ex Monialibus Monasterij Rameyensis petiit ab ancilla Christi, vt funderet preces ad Dominum pro anima Patris sui, quod illa gratanter facere spopondit. Cumque diebus ac noctibus pro eadem anima sollicitaretur: nihil ei penitus de anima illa responsum est. Quadam denique die, cum Conuentus Monialium colligendis in agro frugibus operam daret, pausante Conuentu, pausante & ipsa seorsim à cæteris, iuxta acerbum manipulorum, & eadem hora reuelatum est ei, quod anima illa pro qua Domino supplicauerat, Purgatoriis esset deputata suppliciis. Quod cum ei reuelatum esset in tantum cruciatibus eius compassa est, quod petiit à Domino, vt affligeret eam, quacumque vellet, infirmitate, vt eius Purgatorium alleuiaretur. Exaudiuit autem Dominus orationem eius, & statim eadem hora febris tam valida inuasit eam, vt postea sex hebdomadis huiusmodi modo vexaretur.* Sic eius acta.

a cap. 5. vitæ S. Virginis.

2. Non solum autem pro animabus Purgatorij redimendis à pœna, sed multo magis pro amicis viatoribus præseruandis à culpa, salutem suam offerre solita erat [b]. *Sacerdos quidam vir laudabilis, & honestæ conuersationis occasione cuiusdam affectuosæ familiaritatis, quam mulierculæ cuidam exhibebat, illectus, cœpit eam amare, non quidem amore casto, & sancto, sed amore carnis illecebroso, ita vt huiusmodi tentatione plurimum fatigaretur. Quod per Spiritus sancti reuelationem cognoscens ancilla Christi cœpit valdè contristari, eo quod in Christo diligebat eum, & tam vehementem in corde suo concepit dolorem, vt vi doloris sanguinem euomere cogeretur. Orauit ergo attente pium Dominum, vt sibi, quamcumque vellet, infirmitatem infligeret, tantum, vt lethalem morbum, qui quasi Cancer iam serpere cœperat, & depascere vitalem eiusdem Sacerdotis vigorem, ab eius animo penitus auferret. Et quid egit pius Dominus? Nunquid repulit orationem eius. Non. Sed desideratam febris quartanæ infirmitatem ei immisit, qua per sex menses tenerum eius corpusculum, tam sufficienter flagellauit, vt prædictus Sacerdos à tentatione liberaretur & ipsa compassionis suæ, qua eidem condescenderat, merito non priuaretur.* Hactenus ibi.

b cap. 6.

3. Hinc etiam multæ illius reuelationes, multæ Monialium animæ in cœlis coronatæ illi frequentes; è quibus vnam, aut aliam breuiter promam [c]. *Fuit in prædicto Monasterio Monialis quædam, quæ infirmitate, qua diu langnerat, ingrauescente, ad extrema peruenit. Cui assidens Venerabilis Virgo dixit: Obsecro te, soror charissima, vt post obitum tuum, septima nocte, si licuerit, reuertaris ad me, mihique quod inueneris, renuncies. Quæ viam vniuersæ carnis ingressa, non septima nocte, sed infra sex menses ad eam ingressa est, habens in comitatu suo Venerabilem Virginum cateruam, quas à Domino comites acceperat, vt earum Ducatu intraret in requiem cœlestem. Astitit itaque ei circumamicta Clamyde purpureæ, & coronam mirabili claritate radiantem habens in capite suo, cui quatuor lapides pretiosi decenter inserti erant. Quorum vnus in parte anteriori contra frontem locatus erat, alter in parte posteriori, tertius à dextris, quartus vero à sinistris. Cumque ancilla Christi propter nimiam claritatem, qua multum radiabat facies eius, eam agnoscere minimè posset; scisitata est ab ea, quænam ipsa esset? Quæ respondens ei, suum nomen indicauit. Ad hæc Ida inferens; quare, inquit, rubrum est indumentum tuum? Quæ ait: quia diebus multis valido corporis languore martyrizata, & flagellum, quo Pater meus cœlestis me filiam suam castigare dignatus est, patienter tuli, vt non morerer, sed viuerem, & enarrarem in me opera Domini, idcirco noueris me cum Sanctis Martyribus perfectæ gloriæ sortituram in Regno cœlorum, quod per vestimenti colorem purpureum significatur. Et cum iterum Virgo Domini in interrogatione sua perseuerans, quæreret ab ea, quid significarent quatuor pretiosi lapides in corona eius; illa respondit: Per quatuor lapides, qui coronæ meæ inserti sunt, principales quatuor virtutes, prudentiam, scilicet, temperantiam, fortitudinem, atque iustitiam noueris figurari.*

c cap. 10.

4. Ergo inter hæc cum alia Virgo Sancta, nomine Margarita, tenera adhuc ætate migrasset ad Dominum, atque illi post mortem appareret in magna gloria, multa illa de se, multa de suis, multa de ipsa Ida, & inter alia instantem sibi mortem intra hunc ipsum annum reuelauit, quod acta eius expendunt in hunc modum. [d] *Soror quædam eiusdem Monasterij, adhuc scholaris annorum vndecim, quæ multum vacare solebat orationi Margaritæ de Auenis nomine, infirmitate correpta lecto decubuit. Cum autem infirmitas eius de die in diem augeretur, vt iam nihil aliud expectaretur, quam obitus eius; B. Ida visitandi gratia accessit ad eam, & dixit ei: Obsecro te, Soror Margarita dilecta mea, vt septima nocte post obitum tuum reuertaris ad me, mihique renuncies, quæ circa te aguntur. Quæ respondens: Libenter (inquit) quod petis faciam, si id à Domino concessum fuerit. Defuncta est itaque Monialis illa, & commendatum terræ corpusculum eius. Transactis igitur septem noctibus non est reuersa ad eam, sed vigesima, & octaua nocte assistens ei apparuit. Cui cum ancilla Christi secundum consuetudinem Ordinis diceret:* Benedicite:

d cap. 8.

illa respondit: Dominus. *Tunc Venerabilis Ida interrogauit dicens: Quomodo est tibi soror mea charissima? Quæ respondens: Hactenus (inquit) locis deputata sum Purgatoriis ..... Nunc itaque transacta pœnitentia viginti, & octo dierum, pergo secura, & hilaris ad cœleste gaudium.* Hæc de seipsa.

5. Sequuntur aliæ de aliis reuelationibus, & tandem vltima de ipsa B. Ida, quas Margarita interrogata propalauit. *Post hæc* (inquit [e]) *interrogauit eam de amicis suis, tam viuis, quam defunctis, quomodo se haberent? Quæ respondit: Quorumdam adhuc viuentium, alij sunt in via, quæ ducit ad Regnum & saluabuntur; alij in statu periculoso, & timendum est eis, ne tandem ab introitu Regni cœlestis excludantur. Et adiecit dicens: Pater tuus, & mater tua pœnis adhuc detinentur Purgatoriis, pater in maiori, mater vero in minori, sed Purgatorium matris, quàm cito finem accipiet, patris vero diuturniori pœnitentia consummabitur. Virgo autem Christi in interrogatione sua perseuerans, Obsecro (inquit) te, vt dicas mihi, si conuersatio mea Domino Deo placet? Et quomodo sit inter me, & ipsum Dominum. Ad quod verbum illa cum magna vultus serenitate subridens: O quam bene (inquit) quam bene! Et quandiu* (ait Ida Beata) *morabor in hoc exilio? Respondit illa: Hoc anno transibis ad Dominum. Quo dicto ab oculis Venerabilis Virginis euanuit.*

[e] *vbi suprà.*

6. Nulla prorsus molestia affecit Idam suæ mortis notitia, quantumuis imminentem, vel ipsa naturali conditione timere posset. Sed prævalebat sponsi dilecti amor, & desiderium æternæ beatitudinis, in qua cum illo secura copularetur. Ergo vt ad thalamum nuptialem inuitata, prædictum sibi obitum cum gaudio mentis, atque animi lætitia præstolabatur. Porrò vt veritas prædicentis comprobaretur: *Vix euolutis postea sex mensibus cœpit ancilla Christi infirmari, & sumpta Dominici corporis Eucharistia, oleóque infirmorum inuncta, facie iam permortua, cœpit pallescere, ita vt nihil aliud de ea, quam proximus ipsius obitus expectaretur.* Hæc vt visionis veritas constaret. Cæterum vt ostenderet se Deus ancillarum suarum precibus flecti, neque adeo firmam mortis sententiam latam, vt non posset per ipsas reuocari, Diuina prouidentia effectum est, vt Ida iam iam morti deputata, sororum lachrymis ad tempus concederetur: neque adeo ad breue, vt non tredecim annos superuixerit, ingenti omnium solatio, profectúque, neque minore ipsius Virginis merito. Certè cum se putarent deserendas à Virgine Beata, cuius exemplis, monitis, doctrina, ac miraculis etiam in sancta conuersatione promouebantur.

7. *Tunc vero* [f] *(pergunt acta eiusdem Sanctæ) facta est grandis lamentatio in Conuentu sororum gementium, lamentantium, suspirantium, & cum lachrymis, soliloquiisque Dominum deprecantium vt prolongare dignaretur vitam dilectæ suæ in agonia constitutæ, ne sibi tam repente de medio tolleretur, & eius absentia desolatione non modica turbarentur. Factæ sunt præterea orationes à plurimis Religionis personis pro negotio isto ad Dominum, ita vt omnes pariter dicto Domino quondam, vt ita dixerim, luctam inferrent, vt ad parcendum eis benignissimum inuitarent. Nec mirum, quoniam grandis ea vrgebat necessitas. Dominator (inquiunt) Domine Deus, quandiu patieris filias tuas lamentis tam continuis cruciari? Amator hominum benignissime, quandiu dissimulatrix conscientia tua duritiem se esse simulabit? Respice de Sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo, super orationes ancillarum tuarum: quoniam cum naturaliter bonus sis, & dixeris: Petite, & dabitur vobis; non est iustum, vt repellas eas à te, sed exaudias eas in tribulatione earum, sicut & Cytharedus noster puer tuus Sanctus Dauid testatur se à te fuisse exauditum, cum in tribulatione sua clamaret ad te dicens* [g]: *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Sed quid necesse est talia prosequi? Ille, qui suauis est vniuersis, cui proprium est miserari semper, & parcere, qui voluntatem timentium se facit, & exaudiuit deprecationem eorum, non est passus famulas suas diu tribulari.* Hactenus ibi.

[f] *vbi supra.*

[g] Psal. 119.

Qualiter autem reuocata sententia sit, atque ipsa eiusdem sententiæ reuocatio intimata Moniali, Sapientia nomine, quæ Sanctam Idam præ aliis diligebat, eadem acta pergunt ita scribere [h]. *Proxima autem nocte, cum omnes præstolarentur transitum famulæ Christi: vna de Monialibus Monasterij, Sapientia nomine, quæ spiritu potata sapientiæ iacebat in lecto suo, vigilans, & plorans affectu vehementi, expectans transitum Beatissimæ Virginis, audiuit vocem Domini consolatoriam dicentem sibi. Sopiatur, ô soror, tristitia tua, & lacrymarum riuulus ab oculis tuis effluere desinat, quoniam Ida dilecta mea hac vice non morietur. Nihil enim displicet in ea, cum ipsa gratiam inuenerit in oculis meis, & iam parata sit venire ad me, & possidere delicias sempiternas, quas ei præparaui. Sed quoniam multis sum orationibus pulsatus, multis suspiriis & gemitibus illectus, & multis lachrymis quasi coactus, idcirco multis in posterum diebus, ipsi in posterum inducias concedam viuendi, licet cuidam dilectæ meæ nuper significaueram hoc anno de mundo esse transituram. Præsertim cum adhuc plurimi ex eius alloquiis, & sancta conuersatione, multimodam consolationem sint habituri. Post auditionem huius vocis prædicta Monialis de lecto venit; & inuenit eam iam iam sudantem, & aliquantulum alleuiatam. Conualuit igitur de infirmitate sua Virgo Christi, & postea tredecim annis superuixit.* Ita, quæ anno M. CC. XXXI. migrauit ad sponsum, tredecim ante, hoc est, ipso, quem describimus M. CC. XVIII. iam iámque migratura donata est sororum lachrymis, ad tempus conseruanda.

8.

[h] *vbi suprà.*

Crediderim & in gratiam Beatricis factum esse, insignis Virginis, quam statim memorabimus, quamque, post acceptum probationis habitum, & professionem solemniter emissam in proprio Monasterio, Abbatia Rameyensis præstolabatur ibidem instruendam, vt suo loco nos etiam memorabimus. Certè Beatrix Beatæ Idæ Niuellensi indissolubili charitatis vinculo nexa, multa ab illa accepit, multa didicit; sed & Ida reuelante sancto Spiritu Beatricem specialissimam Christi sponsam, dilectissimámque futuram fore, apertè didicisse, multis, & claris indiciis demonstrauit, sed de his latiùs in tempore dicemus.

9.

1. *Arnaldi Cistercienſis olim Abbatis mors.* 2. *Acta Capituli de Abbatiis Sanctimonialium:* 3. *& ſuper Salue Regina,* 4. *vnde ad Prædicatores mos pertranſiit.* 5. *Quid ad Honorij litteras?* 6. *quid ſuper aliis quibuſdam ſit decretum?* 7. *Actum de his, qui vt fierent conuerſi, ordines occultabant,* 8. *& credendum relatum de incommodis, quibus Conradus obuiari procurauit.* 9. *Chronologia, & breuis, & ſubobſcura,* 10. *& dictum de Lilienfeld, Auſtriæ domo.*

CAPVT DVODECIMVM.

1. ANTEQVAM acta Capituli perſtringam, obitus mihi Arnaldi huius nominis ſecundi, quondam Ciſtercienſis Abbatis, dicendus venit: qui cum Marthæ operoſam ſollicitudinem in Mariæ quietem non pridem commutaſſet; hoc tandem anno plenúſque dierum, & meritorum ad Dominum migrauit, quarto Kalendas Auguſti, vt habetur in Martyrologio Ciſterciẽſi, quamuis Claudius Robertus in ſua Gallia non eam diem, ſed octauam Kalendas Octobris illi attribuat. De loco ſepulturæ mihi non conſtat: & video ante eum Abbatum Sanctorum ſeriem, quos ſimul collocatos, ſub arcu illo lapideo ad porram Clauſtri, quæ ducit ad Eccleſiam, commemorauimus, aut terminatam omnino, aut interruptam: quippe duplici Guidone Cardinali, atque Arnaldo Archiepiſcopo Narbonæ, qui ipſum præceſſerunt, ſepultis alibi, neque minus Conrado, aliiſque illius ſucceſſoribus, de quibus ſuis locis dicendum erit.

2. In Capitulo prouiſa quædam lego, quæ ad cultum Sanctorum, quæ ad conſeruandam humilitatem, paupertatem, vel in ipſo etiam cultu facere poſſent; demum quæ ad Monialium gubernationem. Pro Monialibus in primis prouiſum eſt, ne infra limites Abbatiarum virilium, aut etiam fœminarum, earum Monaſteria conſtruerentur: &, quod mireris, maiori adhuc diſtantia inter ſe ipſas, quam à Monachis iubentur ſeparari: lex ita habet. *Abbatiæ Monialium de cætero non conſtruantur infra ſex Leucas à noſtris Abbatiis, & intrà ſe habeant diſtantiam decem Leucarum, & recipiant ſe alterutras, ſicut Monachi faciunt.* In receptione nihil nobis immorandum, cum præter illas, quas Sanctus Abbas Stephanus ad Obacinam incluſit, nullæ aliæ clauſuram (ex antiquioribus ſaltem) profiterentur. Quod maiorem diſtantiam pro Monialibus, quam pro Viris exegerit; haud ita facilè cauſa nobis ſubeſt, niſi dicamus non ſolum Caſtimoniæ, circumſpectionique in ea materia, verum etiam & paci conſultum eſſe, quam quo flagitior ſexus, eo difficiliùs ſeruandam inter ſeipſas, quam cum viris, fortaſsè iudicarunt. Hæc pro Monialibus.

3. Quod ad cultum Diuinum attinet, illud ante alia notandum nobis occurrit, hoc primum anno incidere mentionem dulcis illius Antiphonæ, per quam Virginem matrem ſalutamus, & ſaluere iubemus per dies ſingulos, poſt aliarum horarum expletum penſum: illius, inquam, cuius tria vltima verba, melle, & lacte manantia. *O clemens: O pia: O dulcis Maria*: Bernardum addidiſſe, ſuperiùs diximus, cum Spiræ publicè eandem deprecaretur. Porrò hoc anno prima eius memoria incidit, non quaſi tunc recitari, aut cani cœpta: neque enim ſine illa vnquam Ciſtercium: ſed addita ſolemni cæremonia, quæ hodiéque ſeruatur, & perſeuerat, nempe vt *quando inchoatur* Salue Regina, *petamus veniam, & proni ſuccumbamus, donec dicatur,* Mater miſericordiæ. Ita ſtatutum à Conrado, cæteriſque, quos nihil magis, quam Virginis obſequium, cui ſe totos deuouerant, ſaltem poſt Dei cultum, ſollicitabat.

4. Cæterum hanc eandem oſtenſionem pietatis, & amoris erga Mariam, ſiue à noſtris acceptam, ſiue Diuinitus ipſis inſpiratam, qui tunc recens exorti Patres Prædicatores imitati, non multo poſt edictum promulgarunt, vt & eandem dulciſſimam Antiphonam, diebus ſingulis poſt Completorium canerent, & eandem flexis genibus inciperent, id quod Cantipratanus memoriæ prodidit [a]. *Verè ergo dignè, & iuſtè à Fratribus Prædicatoribus Pariſiis eſt ſancitum, vt poſt Completorium omni die cum proceſſione, & ſolemnitate cæcorum,* Salue Regina miſericordiæ *flexis in initio genibus, in gloriam, & laudem glorioſiſſimæ Virginis decantetur, & hoc diligentiſſimè in ſingulis Ordinis domibus obſeruatur.* Certè Prædicatores etiam inter filios Mariæ commemorari, cuidam ex noſtris reuelatum eſt, ipſa Dei genitrice ita atteſtante, quod anno ſequenti nos etiam memorabimus. Sed redeo ad Capitulum Ciſtercij celebratum. [a] *lib. 2. c. 10.*

5. Lectæ deinde Honorij Papæ litteræ, quas dedimus ſuperiùs; decretúmque *vt ad mandatum Domini Papæ fiat ſolemnitas Sanctorum Martyrum Ioannis, & Pauli, ita quod fiant de eis Lectiones, & Reſponſoria, ſicut de Sanctis Fabiano, & Sebaſtiano, Miſſa vero, quæ in noſtris Gradualibus de eis propriè notatur, cum collecta dicatur. Euangelium quidem mutetur:* Deſcendens Ieſus de Monte. *In Litania vero poſt Sanctum Thomam coniuncti nominentur.* Crediderim, quod ad Litanias attinet, poſt Sanctum Thomam poſitos, vtpote filium ſimul, & Patrem Ordinis; quod crederent Honorium ratihabiturum. Niſi fortè conſulto ipſo factum, quod à tempore datæ litterarum, vſque ad tempus Capituli perfeciſſe Conradus facilè potuit. Certè extunc perſeuerant in illo loco, & poſt Beatum Thomam in cunctis Ordinis libris commemorantur.

6. In eodem Capitulo ad inſtantiam Sanctimonialium indultum lego. *Vt in earum Abbatiis feſtum vndecim millium Virginum celebretur cum duodecim lectionibus.* Quippe ſemel conceſſum Engelberto, quantumcumque digniori, vix vlli ex more veniebat denegandum: & diſperſis per Ordinis cunctis multis illarum oſſibus, quin integris corporibus non paucis, quæ ſæpiùs retulimus, æquum omnino cunctis viſum eſt, vt Sanctæ Virgines Virginibus inuitandæ, atque ab eis celebrandæ proponerentur. Demum quod attinet

ad humilitatem, modestiámque in ipso etiam Dei cultu conseruandam, cum sub eo prætextu quidam subditi, celebrantibus Abbatibus honoris causa supponere tapetia consueuissent, ne ex leuiorum dissimulatione, ad maiora, & grauiora, vt solet, transitus fieret, communi omnium consensu præceptum est, *ne Abbatibus celebrantibus, tapetia sub quocumque prætextu supponerentur.* Hæc in Capitulo, quamuis alterius in eo latæ legis Cæsarius meminit, quam quia in sequenti retractatam, vt idem ait, compilator censuerit omittendam. Eam autem, atque eius occasionem, siue cum sancita, siue cum derogata fuit, non aliis melius, quam eiusdem Cæsarij verbis promam.

7. *Tanta est* (ait [b]) *virtus humilitatis, vt eius amore sæpè ad ordinem venientes clerici, laicos se simulauerint, malentes pecora pascere, quam libros legere, satiùs ducentes in humilitate Deo seruire, quam propter sacros Ordines, vel litteraturam, cæteris præesse. Hoc quia sæpiùs in ordine contigit, ita vt de conuersis fierent Monachi, ante hos quatuor annos definitum est in Capitulo Generali, vt tali modo conuersi manerent inter conuersos. Eodem anno quidam veniens, vt puto, Diaconus, laicum se simulans, in conuersum susceptus est; cuius Abbas cum postea, nescio, quo prodente, ordines intellexisset, in sequenti Capitulo casum eundem proposuit: & quia Viris discretis videbatur omnino absurdum, vt quis in tam sublimi ordine positus foret sine charactere coronæ, & sine sacrorum Ordinum exequutione, sententiam mutauerunt.* Ita Cæsarius. Nec plura alibi, quæ hanc materiam concernant, à me inuenta.

b *lib. 1. Dialog. cap. 39.*

8. Crediderim, & relatum in hoc Capitulo, de tribus illis molestiis, quibus nostros in aliquibus Prouinciis ab Episcopis, à Legatis, à Plebanis incœpisse vexari memorauimus: & vt non omnes, multos saltem esse, nisi viriliter eis resistatur, in grauiora haud dubiè prorrupturos. Initiis obsistendum toto conatu; ne si per longas moras, mala inualescant, nulla mox medicina curari possint. Non decere se pati sub Conrado, quæ sub antecessoribus illius non pertulissent. Eat Romam alloquatur Honorium, & Cardinales, & qua apud omnes pollet auctoritate, quem regendum suscepit Cistercij gregem, immunem ab his omnibus, indemnémque conseruet, neque nouis obnoxium vexationibus, per quas non sola bona temporalia, quæ minus curant, sed spiritualia etiam euacuabuntur. Tum nomine Capituli scriptum super his omnibus argumento est, quod Honorij rescripta, quæ adduximus, non ad Conradum solum, sed ad ipsum, & Coabbates ipsius dirigebantur. Nec multum erit, si hæc ipsa negotia Conradum Romam traxerint, quod probabile esse ibidem diximus. Atque hæc satis de gestis in hoc Capitulo.

9. In Chronologia tres hoc anno Ecclesias notatas video sequenti ordine.

Anno M. CC. XVIII. sexto Kalendas Martij fundata est Abbatia de re in Hybernia.

Eodem anno Abbatia Sancti Pastoris in Reatina.

Eodem anno mense Maio Abbatia Sanctæ Mariæ de Vega in Hispania. Hanc vltimam ante tres annos latè commemorauimus, quo tempore incœpisse constat ex instrumentis. De priori vix quidquam dicendum subest, nisi quod positam in Diœcesi Ossorienſi tabulæ memorant, inter Ecclesias de linea Claræ-Vallis incerta Matre, atque adeo diuersam ab alia eiusdem nominis Diœcesis Xantonensis, de qua Tomo secundo loquuti sumus. Inter easdem memoratur Sanctus Pastor in tabulis Henricianis, & in libris Taxarum Cameræ Apostolicæ in Reatina Diœcesi. *Pastoris*, inquit, *Ordinis Cistercienſis Florenis XXXVII. cum dimidio.* Ex Regestis Gregorij noni constat vnitum illi ab eodem Summo Pontifice Monasterium Sancti Damiani situm in terra, quæ dicitur Arnulforum sub quadam pensione Abbatissæ & Monialibus Sanctæ Mariæ Fulginatis, incertum cuius Ordinis, annuatim soluenda; quod nos suo tempore, & loco dicemus. Cæterum, crediderim, Monasterium antiquiùs in alio ordine (nam tale fuisse constat, & constabit ex his, quæ inferiùs dicam) præcedentia donatum in Chronologia, quod inter nostros frequens, vt sæpiùs vidimus. Aliàs constat, neque nobis concessum ante annum 1232. neque tunc quidem vnitum cum effectu, sed dilatum ad annum 1234. vt suis locis latiùs memorauimus.

10. Inuenio & in VValfango latio, Abbatiam de Lilienfeld in Austria hoc anno ortam, fundatore Leopoldo Austriæ Duce, sed quam iam dudum traditam repetere non videtur ex vsu fore. Quod si aliam; aut tabulæ omittunt, aut alio notant nomine, quod non facilè à me discerni possit. Verba VVolfangi transcribam pro meo more. Loquitur autem de comitibus Trasinæ, in quorum feudum successiuè dicuntur Duces Austriaci. *Cæterum*, ait [c], *quemadmodum supra ex diplomate Ottonis Engelrico Comiti (Trasinæ) exhibito, auditum est, Comageni montis, ac Trasinæ clausuram, cogebantur hi, de quibus loquimur, Comites defendere: A quo loco hodie Lilienfeld cœnobium Bernardinorum, à Lupeldo sexto Austriæ Duce positum, ad annum Domini M. CC. XVIII. haud ita multum abest.* Hæc ille, quibus addit notatum dignum, videri *hodie in ipsis Iugis Kambergi Montis vicini Monasterio rudera antiqui Castri, quod Alsemburgum nominant, sedem quondam antiquis si morum Regulorum Austriæ, &c.* Hactenus de Virorum cœnobiis præsentis anni, quæ pauca, & subobscura nanciſci potuimus: nam fœminarum duo satis illustria, Ruremundense nimirum, & Vallis-Florida, quæ eundem concernunt, quia initia etiam Beatricis illustris Virginis obiter præ se ferunt, sequenti capite à nobis dicenda erunt.

c *lib. 12. c. 1. Reip. Romanæ.*

1. *Vallis-Florida Monasterium Monialium sub nigro habitu*, 2. *industria*, *& bonis Bartholomæi Lanionis reparatur.* 3. *Prima Abbatissa Genta procurante*, *Cistercium suscipit.* 4. *Bartholomæum cum filiis habitu donat.* 6. *Beatricis pueritia*, *& conceptum Cistercij votum.* 7. *Fundatum Monasterium Ruremundense* 9. *pro Richarda vidua Geldriæ Comitissa*, 9. *dotatum à Gerardo annuis redditibus*, 10. *sub certis conditionibus.* 11. *Confirmatio Honorij Summi Pontificis.* 12. *Quænam Richarda*, *atque aliæ notitiæ eiusdem domus.*

CAPVT TERTIVMDECIMVM.

1. SEQVVNTVR duo alia cœnobia Virginum, vtrumque in Belgio, alterum in Brabantia, in Geltria alterum, quorum primum non tam de nouo conditum, quam nostris adiectum, cum antea Benedictinum institutum, sed sub habitu nigro profiteretur: secundum Matti suæ, Richardi Gerardus, Geltriæ Comes, hoc anno struxit, cum illa vidua sæculum deserere, & Christum in Cistercio sequi deliberaret. Ergo de primo, eoque miraculoso, si traditioni fides, quam nomen præfert. Hæc ab Auberto Miræo [a] scripta video *Valis-Floridæ in Brabantia Virginum Abbatia, ex eo nomen istud sortita est; quod cum templi fundamenta iacta essent loci, qui hodiéque vetus Abbatia, & Capellæ pratum vocatur; Diuino monitu iussum sit locum floribus sparsum petere; & huic rei opportuniorem futurum. Id factum, & provt reperta in orbem picta floribus planities templum est structum. Cœnobij fundatores Dux Brabantiæ, & Toparchæ Ottiniaci, Nethenarum, Bessuti, & Gresij. Benedictinæ primo fuere, numero viginti; suntque Cistercienſe institutum anno M. CC. XVIII. amplexæ. Abbatissa prima Gentina Romam profecta; & Ordinis, & cœnobij confirmationem impetrauit, & crucem reliquiis Sanctorum exornatam retulit, quæ etiam nunc magno honore adseruatur. Honorius Papa, qui primus cœnobium sua auctoritate muniuit, Priorissam vocat eius loci Antistitam; sicuti vero Pontifices omnes Abbatissam. Henricum I. Brabantiæ Dux, eas, & bona earum anno M. CC. XXIII. in suam recipit protectionem. Primæ Cistercienſes cum Beatrice illa celebri apud Liram Abbatissa, ex Lintrensi valle Virginum venerunt. Ita Gramaius in sua Brabantia commemorat.* Ita Miræus.

[a] *Ann. Cisterc. ad hunc ann.*

2. Qui tamen non ignarus historiæ Venerabilis Beatricis, in qua eiusdem initia Monasterij, Bartholomæo tribuuntur eiusdem Patri, hæc subdit verba. *In historia vitæ Venerabilis Beatricis fundator dicitur Bartholomæus, cognomine Lanio, ciuis Thenensis, vir diues, & pius: qui præter Vallem-Floridam, fundauit quoque anno M. CC. XX. Vallem Virginum apud Lintras in agro Thenensi, & Nazaretum apud Liram, Brabantiæ oppidum, vbi & sepultus quiescit.* Certè in eadem historia, à Chrysostomo Henriquez vulgata, cum aliis quatuor anno M. D. C. XXX. sed à coæuo Monacho conscripta, ita habetur [b]. *Idem vero, scilicet Bartholomæus, post dilectæ coniugis obitum, in Monasterio eiusdem Monasterij Cistercienſis instituti à se fundato, & Vallis-Florida nuncupato, cum tribus filiabus, & vno superstite filio, suscepto religionis habitu, se conuertit. In quo fortis athleta contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, annis sex omnipotenti Domino strenuè militauit.* Hactenus ibi. Fieri potuit, vt antiquius Monasterium, vt non omnino dirutum, saltem longè imminutum iniuria temporum, Bartholomæi industria reparatum, atque opibus euectum, ipsi vt auctori veniret adscribendum: Eo vel maximè si non solum instaurauit, sed instituti mutandi occasio fuit. Nam & Moniales ex Benedictinis suscepisse Cistercium, Thomas de Cantiprato coæuus auctor indicat non obscurè, quem statim dabo. Illud tamen stare nequaquam potest, quod dicitur Moniales cum Beatrice radicando Cistercio venisse ex Valle-Virginum Lintrensi: quippe cœnobio omnino recentiori, & quod, vt ipse ait, post biennium, reuera post sexennium, exortum fuit.

[b] *cap. 1.*

3. Cæterum ad Gentinam, seu Gentam attiner, insignem planè Virginem, & quæ Floridam Vallem Cistercio dedit, hæc à Thoma Cantipratano auctore Sinerono, & qui Virginem nouit, scripta lego [c]. *Vidi Abbatissam Cistercienſis Ordinis in partibus Brabantiæ, in Monasterio, quod Vallis-Florida nuncupatur. Hæc mulier Genta nomine, primo Monialis nigri Ordinis fuit; hæc nobilis genere, sed nobilior virtute; pulchra facie, sed mente decentior. De hac fœmina veritate testatissima referebant, quia cum annis ferè triginta Monasterio præfuisset, nunquam pro cibo, vel potu extra Conuentum quinque solidos expendisset. Lectus ei in dormitorio communis erat, refectorium in Conuentu. Si hora prandij fessa itinere à foris aduenisset, Conuentum intrabat, & socias Moniales ad solatium educebat, in medio omnium consedebat, & aliquid de Deo, vel de scripturis, vel etiam de moribus proponebat. Affectus vero Monialium talis erat circa eam, vt vix possent eius, visione, & colloquio satiari.* Hactenus ille, qui plura de eius obitu omnino glorioso, quæ suo tempore nobis dicenda erunt.

[c] 3.

4. Facit & ad eiusdem Sanctæ Matris insignem gloriam, quod venerabilem, & verè Sanctum Virum Bartholomæum, vnicum suæ domus instauratorem, quod filium, quod tres filias eiusdem Viri ad habitum susceperit: & inter eas Sanctissimam Beatricem, vulgo Nazarethensem, ab vltimo, cui præfuit Monasterio, claram virtutibus, claram reuelationibus, claram miraculis, de quibus omnibus aliqua in hoc capite, nempe quæ ad hunc annum: in sequentibus multa dicenda erunt. Et quidem Pater ipse Bartholomæus oppidi Thenis natus in Brabantia. *Huius sæculi labili honestate (vt dicitur in vita Beatricis filiæ [d]) mediocriter quidem inter suos innituit; at vero piis operibus, & proborum actuum assidua iugitate multo clarior in oculis Diuinæ Maiestatis apparuit.* Vxorem habuit nomine Gerbundam, quæ *miro charitatis affectu, studio deuotionis, & castitatis amore præpolluit, & domui suæ bene Præpositæ, Viro subdita, Deo placita, continuis bonorum*

[d] *cap. 1.*

operum incrementis, opinionis suæ memoriam etiam inter matronas sui temporis efficaciter amplianit. Nati eis duo filij, & quatuor filiæ, nec tam sibi, quam Deo. *Primogenitum quippe (pergunt actæ) filiorum suorum in Monasterio Præmonstrantis Ordinis, Aubodium nominato, Regularium Canonicorum obseruantiæ subdidit. Vnam autem ex filiabus in Monasterio Ordinis Cistercienſis, quod Rameya dicitur, Diuini cultus obsequio mancipauit. Idem vero post dilectæ coniugis obitum, in Monasterio eiusdem Cistercienſis institutis à se fundato, & Vallis Florida nuncupato, cum tribus filiabus, & vno superstite filio, suscepto religionis habitu se conuertit.* Hæc de Bartholomæo vsque ad hunc annum, quo restaurata in vtriusque bonis Florida Vallis, ipse primus, cum filio, & filiabus (dubium an Capellanus, an Conuersus? atque hoc vltimum certius) habitum induit, non sine ingenti Gentæ, sororumque, tunc recens Cistercienſium consolatione.

c *vbi supra*

5. De Beatrice hæc notatu digna inuenio, [f] natam sub annum M CC. XII. *Euolutis annis sex, cum iam pueritiæ terminos, id est annum ætatis septimum attigisset, mater eius venerabilis, ad immortalitatis perpetuæ libertatem, per mortis compendium emigrauit. Porro Venerandus Pater Virginis, coniuge viduatus, hanc de qua loquor, filiam, tenerè diligens, & futuræ perfectionis ex modo conuersationis, aliqua iam indicia deprehendens, vt liberius ad virtutis profectum conscenderet, in oppido, cui Leuuis nomen est, illam deuoto Reginarum collegio sociauit, & tam Magistræ mulieri Religiosæ, scilicet & deuotæ, quam cæteris consororibus, sub eius regimine Domino famulantibus, bonis informandam moribus, erudiendam exemplis, & virtutibus adornandam, hanc pius pater attentius commendauit.* Et paulò infetiùs. *Per idem quoque tempus à Patre Magistris liberalium artium est commissa, disciplinis scholasticis, quibus iam a matre initiata fuerat expeditius informanda.* Hactenus ibi multis aliis additis, de indolis præstantia, quæ vel in tenera illa ætate, omnium aliorum ad se animos conuerteret, & magnum aliquod virtutum specimen, admirantibus cunctis, præse ferret.

f Cap. 3.

6. Annum integrum egit inter Reginas *quo euoluto (pergunt actæ [g] fœminæ) Pater filiam ad se reuocatam, super omnimoda sui conuersione blando cœpit alloquio conuenire; cuius liberrimam voluntatem, & fixum in Domino Virginalem propositum deuotus Pater intelligens, Omnipotenti Domino copiosas gratiarum actiones retulit: & dilectum pignus Vallis Floridæ Monasterio, quod ipse fundauerat inuehens, Beatricem Sanctimonialium cœtui per assumptionem habitus Ordinis adunauit.* Hactenus de Beatrice vsque adhunc annum, qui & ætatis illius octauus fuit. Verum quod ait, per assumptionem habitus vnitam Ordini non sic intelligendum est, quasi tunc fuerit admissa ad probationem; quod ante ætatem nubilem non factum; ipsa series historiæ manifestat, & nos etiam in tempore dicemus. Sed vt quem animo semel concipisset, præse ferret statum, atque ipso habitu velut indicaret Cistercij cathecumenam, quæ per solam ætatem, à vero Monachatu recordaretur. Hæc initia Cistercij in Valle Florida sub Abbatissa Genta.

g Cap. 4.

7. At de cœnobio Geldriæ ad Ruremũdam, quod hoc anno fundauit Gerardus Comes Ricardæ matri suæ, hæc ab Auberto Miræo scripta iuuenio. [h] *Anno M. CC. XVIII, sumptibus, & expensis Religiosi Comitis Geldriæ Gerardi constructum est Monasterium Beatæ Virginis pro Monialibus apud Ruremundam, quod Sanctus Engelbertus Colonienſis Archi-piscopus pe rtuæ Campensium visitationi subiecit, in quo etiam Domina Richardis Vilua, prædicti Comitis mater, relicta sæculi pompa, religiosam vitam duxit.* Hæc ille. Porro instrumentum ipsum fundationis, simul & causæ ob quam fundatum est, ac dotationis pinguis eiusdem domus, post sexennium confectum, atque ab eodem Miræo in suis Ecclesiarum Belgij notitiis, [i] & ab Henriquez vulgatum in suis liliis, [k] quia historiam totam continet, nequaquam licet silentio præterire.

h *in Chron. Cisterc. ad hunc ann.*

i *Cap. 199.*

k *parte 2. distinct. 10.*

8. *In nomine Sanctæ individuæ Trinitatis. Ego Gerardus Comes Geldrensis omnibus hoc scriptum inspecturis, salutem in eo, qui est salus omnium.*

Quæ geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, poni solent sub lingua testium, & scripturæ memoria perennari. Ideo, siquidem notum esse cupio tam præsentibus, quam futuris, quod cum venerabilis mater mea Richardis nomine, sæcularibus negotiis fastidita, sancti Spiritus inspirante gratia, Veterem hominem exuere, & nouum videlicet Cistercienſis Ordinis habitum induere decreuisset, extra fines proprios in partes extraneas proposuit declinare. Vnde nõ modica correptus tristitia, cũ amicorum meorum vna mecum instantia, ab hoc tandem proposito vix fuit reclinata. Ipsam enim in propriis patriæ mallebam præsentiis degere sub Ordine desiderato, quam in alienis partibus prædicto modo conuersari. Igitur ego Gerardus, & Margareta Coniux mea, vna cum filio nostro Ottone, pium eius desiderium studentes promouere, supplicatu nostro cum personis Cistercienſibus, tam Fratrum, quam Sanctimonialium Cistercienſis Ordinis, sibi prouide deputatis, in oppidum nostrum Ruremundæ honorifice perduximus, & Ecclesiam Beatæ Mariæ semper Virginis ibidem in præsidio nostro constructam cum omni iure suo, quod nobis dignoscebatur attinere, & præterea quadraginta areas circum iacentes, quas contulit quidam Hermanus, Cumanca dictus, cum omnibus attinentiis suis, atque bona alia, quæ in præsenti pagina consequentur inueniuntur expressa, in remedium animarum nostrarum, parentum, ac prædecessorum nostrorum Deo, & Beatæ Mariæ semper Virgini obtulimus, conferentes ea venerabili matri nostræ, in eadem Ecclesia Abbatissæ, ac Conuentui ibidem Domino deseruienti perpetuo possidenda. Ius quoque Patronatus Ecclesiarum, Gelrem, videlicet, nouæ, & veteris cum totali decima, & syluis, ac aliis attinentiis suis, Patronatum Ecclesiæ VVeltene cum totali decima, & syluis, ac aliis attinentiis suis; Patronatum Ecclesiæ Rodhæ cum totali decima, & syluis, atque aliis attinentiis suis. Decimam tamen earundem Ecclesiarum, statuimus, sicut nunc est, permanendam, & syluas sine consensu nostro, ne vastandas omnino, nec in noualia redigendas.

9. *Statuimus quoque easdem Ecclesias, nulli Clerico sæculari, sed Fratribus prædicti cœnobij conferendas, & si præfatus Conuentus Fratrum defectum patiatur, sæculares clericos tanquam Vicarios instituat. Præterea vnam marcham ad luminaria prædictæ Ecclesiæ de fermento Ceruisiæ, quod vulgo, Grut, nuncupatur, annuatim exoluendam; & tantum eiusdem frumenti, quantum sæpe dictus Conuentus ad Ceruisiam necesse habuerit, ordinauimus ipsi perpetuo administrandum. Quidam autem nomine*

Godefridus

Godefridus de Meirlare, dimidium manſum in Hamme, qui quatuor ſolidos Leodienſis monetæ ſingulis annis ſoluit, à nobis iure Feudatali tenuit, quem quidam nomine Siberto de Biersheke ſimili iure, quo tenuerat, conceſſit; quique quendam VVinandum nomine, hæreditario pacto in præfatam terram videlicet prædictorum ſolidorum inſtituit. Quam vero terram conſenſu prænominatorum Virorum comparauit ſupra nominati loci Conuentus. Nos igitur vt nihil de contingentibus omitteretur ſæpe dictos ſolidos in reuerentiam Matris miſericordiæ, eidem Conuentui perpetuo donauimus. Item vnum molendinum in Rura, & quartam partem vnius ingeris iuxta curiam Mukembrecke prælibato Conuentui conceſſimus in perpetuum poſſidenda. Præterea nulla bona nobis attinentia præfato Conuentui ſine noſtro conſenſu liceat comparare.

10. *Tali vero conditione interueniente, bona ſuperius memorata cum attinentiis ſuis ſæpe dicto Conuentui contulimus, vt ſi caſu eundem Conuentum de loco, in quo nunc eſt, in alium locum ſine noſtro conſenſu transferri contigerit in poſterum, ſupradicta bona ad nos libere redeant poſſidenda. Præterea ne aliquis ſucceſſorum noſtrorum, repletus inuidia ſæpe dicta bona prænominato Conuentui minuere valebat, aut omnimodis auferre, præſentem paginam noſtri ſigilli munimine roboramus. Teſtes vero Vir nobilis Henricus de Monte, & VValterus de Eile, & Gerardus de Baſdune, & Frater ſuus Henricus, & Gerardus de Bolheim, & Arnoldus de VVacthendunc, Theodericus aduocatus in Ruremunda, & Nicolaus ſcriptor, & alij quam plures. Datum Traiecti anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XXIV. XVI. Kalendas Iulij.* Hactenus priuilegium Gerardi Comitis, in quo id obiter libet adnotare: cum tradit Fratres cœnobio deputatos, è quibus forent Eccleſiis præficiendi; non de Monachis loqui, quos numquam primitiuum Ciſtercium Monialibus permiſit, nedum ſeruitio Eccleſiarum ſæcularium, ſed de Capellanis Ciſtercium etiam profeſſis, de quibus ſupra aliqua: ſed multo plura ſequentibus dicemus.

11. Confirmauerat Honorius Papa III. Ruremundenſe cœnobium ante triennium litteris datis ad Prioriſſam, & Conuentum Monialium de Ruremunda Ciſtercienſis Ordinis, quas Henriquez adducit, in quibus tamen non ſpecialia bona, quæ nondum inſtrumento firmata eſſent; *ſed perſonas, & locum*, ait, *in quo Diuino eſtis obſequio mancipatæ cum omnibus bonis, quæ vel impræſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum iuſtis modis, præſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, &c. Datum Laterani quarto Idus Decembris Pontificatus noſtri anno quinto.* Cæterum poſt diploma Gerardi Comitis, donatas eis ab illo Eccleſias confirmat litteris aliis datis, in quibus iſta. *Specialiter autem ius Patronatus de Gelrem, & VVetten Eccleſiarum, à nobili Viro Gerardo Comite Gelrenſi, pia vobis liberalitate collatas, ſicut illas iuſte, ac pacifice obtinetis, vobis, & per vos Monaſterio veſtro auctoritate Apoſtolica confirmamus, &c.* Crediderim fundationi huius cœnobij interueniſſe ſpecialiter Conradum Ciſtercienſem Abbatem, à quo cum poſtea in Belgio Legatum ageret, multa alia obtinuit, quæ ſuo loco à nobis dicenda erunt.

Cæterum quod ad Richardam attinet, quæ vitam in eo ſanctè conſummauit, id ſolum, quod notare poſſim, habeo: fuiſſe filiam Guillelmi huius nominis ſecundi, Comitis Iuliacenſis, atque vxorem Ottonis Geldriæ Comitis, ex qua [l] *Henricum, qui cœlebs obiit, Gerardum III. Geldriæ, Sutfaniæque Comitem, Ottonem Epiſcopum Vltraiectenſem, Adelheidem & Margaritam procreauit. Sepultus iacet in Campenſi Monachorum Ordinis Ciſtercienſis Abbatis prope Rhenobercam.* Verum eſt tamen, quod in magno Chronico Belgico, Otto Richardæ coniux, Gerardi parens, non ante annum M. CC. XXV. obiiſſe dicitur, quod cum prædictis videatur repugnare, Lectori meo relinquo diſcutiendum. Hæc de Richarda, & viro eius, & filiis. Reliquere imperfectum Monaſteriū, neque adeo diues, vt poſſet ex redditibus propriis conſummari. Quare Conradus Colonienſis Archiepiſcopus, litteris ad omnes Chriſti fideles datis, anno M. C C. L. octauo Nonas Auguſti. *Rogamus*, ait, [m] *& hortamur in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis à Deo collatis, dicto Monaſterio pia liberalitatis auxilium, pro Dei, & gloriosæ genitricis eius Mariæ (in cuius honore dictum Monaſterium eſt fundatum) reuerentia, miſericorditer impendatis, vt per ſubuentionem veſtram opus ſæpe dicti Monaſterij valeat conſummare, vt vos per hoc, & alia bona, quæ Domino inſpirante feceritis, ad æternæ poſſitis fœlicitatis gaudia peruenire, Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia, & gloriosæ genitricis eius, & B. Petri Apoſtoli auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus, qui ad dictum Monaſterium de Ruremunde in die dedicationis eiuſdem, & tribus diebus præcedentibus, & tribus ſubſequentibus, & in dedicatione Altarium. SS. Andreæ, Ægydij, Eliſabethæ & tribus diebus præcedentibus, & tribus ſubſequentibus; nec non in omnibus feſtiuitatibus Beatæ Mariæ, & in tribus ſolemnibus proximo ſequentibus, die Paſchæ, & Pentecoſtes, cauſa deuotionis confluxerint, manumque perrexerint adiutricem; vnum annum, & vnam quarentenā: præterea peccata oblita, vota facta, ſi ad ea redierint: offenſas Patrum, & Matrum ſine iniectione manuum violenta, miſericorditer relaxamus.* Hactenus ille. Forma conceſſionis inuſitata, & quæ ſi ad amuſim enucleetur, condiſtinguaturque, non de facili valeat declarari. Lego & in Auberti Miræi Chronico Belgico [n] Sophiam, Henrici primi Brabantiæ Ducis filiam, Gerardi coniugem, & marito ſuperſtitem, in eodem Monaſterio Monialium Socrus ſuæ veſtigia ſubſequutā, atque Abbatiſſam in eo etiam egiſſe, & marito ibidem ſepulto parentaſſe.

l *Miraus in Chron. Belg.*

m *in liliis p. 2. fol. mihi 185.*

n *ad ann. 1096.*

ANNVS

ANNVS CHRISTI M. CC. XVIX. ANNVS CISTERCII C. XXII.

1. *Damiata vrbs per cruce-signatos capta*, 2. *Hierosolyma deserta à Sarracenis.* 3. *Prædicationis Oliuerij, & Bernardi fructus fælices.* 4. *In Gallia dubie pugnatur cum Albigensibus.* 5. *In Boæmia inter Regem & Andream pax composita.* 6. *Susceptus sub Patrocinio Petri Iacobus Rex*, 7. *& Bertrando Legato commendatus*, 9. *Honorij litteris.* 9. *Hugonis Lincolniensis quondam Episcopi frequentia miracula.* 10. *Honorij Papæ*, 11. *ad duos Pontifices, & Abbatem Fontanensem epistola.* 12. *& commissa inquisitio canoni præuia.*

CAPVT PRIMVM.

1. SALVTIS annum M. CC. XIX. qui fuit Cistercij XXII supra C. celebrem reddidere Ecclesiæ, Honorioque Damiata vrbs per cruce-signatos diu obsessa, & tandem etiam capta (per illos inquam, quos ante biennium prædicatione Oliuerij Bernardique, signis in cœlo ostensis, armatos diximus) & Hierosolyma deserta à Sarracenis, quamuis exuta muris, velut quam nec defendere auderent, nec vellent nostris relinquere munitam. An Bernardus cum suis cruce-signatis, traiecerit in Syriam? in dubio est. De Oliuerio constat traiecisse; indeque vtrumque euentum, atque varia totius belli discrimina rescripsisse Archiepiscopo Engelberto, atque Capitulo Ecclesiæ Colonienſis longa epistola, quæ [a] inter auctores rerum Orientalium, siue gestorum in Oriente per Franchos circunfertur sub hoc initio. *Honorabilibus Dominis suis, Engelberto, Colonienſi Archiepiscopo, maiori Præpositio, maiori Decano, cæterisque Prioribus, totique Clero, Oliuerius peccator, seruus emptitius crucis sic dictus Colonienſis Scholasticus, per viam salutis ad æternæ Beatitudinis consortium peruenire fœliciter.* In hac Epistola de captione Damiatæ multa, ex quibus Ecclesiastici Annales haud ignobiliter possunt illustrari. At de destructa, & deserta Hierosolyma, Sanctis nihilominus locis integris reseruatis ob reuerentiam, quia à recentioribus minus clare dicta, hanc placuit clausulam ad litteram transcribere.[b]

a *tom. 2. parum ante fin.*

b *vbi suprà.*

2. *Anno gratiæ M. CC XIX. Regina Ciuitatum Hierosolyma, quæ videbatur inexpugnabiliter munita destructa est à Coradino, filio Saphadini, foris & intus: muri eius cum turribus redacti sunt in aceruo lapidum, præter templum Domini, & turrim Dauid. De sepulchro vero glorioso destruendo consilium habuerant Sarraceni, & per litteras comminati sunt, quas Ciuibus Damiatæ transmiserunt ad ipsorum solatium: sed huic temeritati nemo præsumpsit manus apponere propter loci reuerentiam. Sicut enim in Alcorano, libro legis eorum, scriptum habent:* Iesum Christum Dominum nostrum: *credunt de Maria Virgine natum, & conceptum, quem sine peccato vixisse, Prophetam, & plusquam Prophetam profitentur, cæcos illuminasse, leprosos mundasse: mortuos suscitasse firmiter asserunt: Verbum, & Spiritum Dei, & viuum ad cœlos ascendisse non discredunt. Vnde quando tempore Treugarum sapientes ipsorum Hierosolymam ascendebant, codices Euangeliorum sibi postulabant exhiberi, & osculabantur, & venerabantur propter munditiam legis quam Christus docuit, & maximè propter Euangelium Lucæ vbi legitur:* Missus est Gabriël Angelus: *quod litterati inter eos sæpius repetunt, & retractant* Hæc inter alia Oliuerius, ad Engelbertum, & Capitulum, & Clerum vrbis Coloniæ.

Ergo prædicationis eius, Bernardique, quam anno M. CC. XVII. memorauimus, illud haud dubie Encomium illustre fuit quod nusquã non fructifera: & vel à naufragis, vel a non pugnantibus comparatæ victoriæ, nedum ab his, qui nauigantes prospere Christianas acies Paganis ostentarunt. A naufragis expugnatum Alenquerium in Lusitania, & quatuor Reges victi, fugatique: à præliantibus capta Damiata vrbs post longam obsidionem, sed sine sanguine: absumptis iustè (pugnabat Diuina manus) pene omnibus illius propugnatoribus. Demum ibi etiam exercitus vicit, vbi non fuit. Nam solo nuncio perculsus Corradinus Hierosolymam liberam reliquit, sine metu adeundam Christianis populis, vnde multa alia bona sunt sequuta. Quare Oliuerius, quam supra dicebamus epistolam concludit in hæc verba. *Gaudeat igitur vniuersalis Ecclesia dignas gratiarum actiones referendo pro tali triumpho & non solum pro Damiata sed pro destructa pernicioſa munitione montis Thabor, & pro aditu libero ad Hierusalem, vt reædificentur muri eius, tempore ab Altissimo prouiso: pro Castro præterea filij Dei, quod magnis sumptibus, ædificat viriliter, & impugnabiliter Militia Templi, de quo superius, in superioribus litteris plenius scriptum est.* Hactenus Oliuerius, quem suis restitutum, nõ multo post, Paderbonensis Ecclesia primo coptauit Pastorem: mox Honorius Episcopum Cardinalem Sabinum fecit circa annum M. CC. XXI. atque Legatum misit ad Fridericum vna cum Nicolao Tusculano Episcopo, vt suis loco, & tempore dicemus. 3.

In Galliis item fœliciter pugnatum in Albigenses ab Amalrico Comite Monfortio, Simonis filio, notat Abraham Bzouius: [c] quin Ludouicum Philippi Augusti filium, volente, & consentiente patre profectum, multis cum eo victoriis actum esse. Verum quod subdit contigisse illis has glorias, assistente illis Sedis Apostolicæ Legato Conrado Cardinali Episcopo Portuensi suspecta facit reliqua. Quippe Conradus creatus Cardinalis hoc ipso anno, vt suo loco dicam, nulla legatia functus infra biennium; sed Romæ mansit detentus ab Honorio eius in omnibus 4.

c *ad hunc ann. n. 3.*

consiliis

consiliis adhibendus. Et Bertrandum legatia hoc anno functum in illis partibus, Honorij litteræ produnt, quas infrà dabo. In Chronico Altisiodorensi, sic scriptum lego. [d] *Anno M. CC. XIX. Ludouicus filius Regis Francorum in copioso exercitu cruce signatorum de cunctis Galliæ partibus, iter mouet aduersus hæreticos Tolosanos, primumque Castrum ab Hæreticis munitum obsidet, & impugnat. Deinde Tolosam tendit, eamque obsidet; sed proditione, vt dicitur, interueniente, inefficax reddit, post cuius redditum nostri à Tolosanis Hæreticis, solito audacioribus factis, multas molestias patiuntur, nonnulla Castra amittentes, quæ proditione quorumdam, Hæretici in suam redigunt potestatem.* Hæc ibi. Guillelmus Brito, auxilia missa à Philippo sexcentos equites, & decem millia peditum memorat, at nullam Ludouici mentionem faciens.

Tum Rex Magnanimus pereunti in partibus illis
Compatiens fidei, pietatis semper abundans
Visceribus super afflictos, tam grande periclum
Antydotare volens, ad sola stipendia Fisci
Sexcentos equites, & millia dena clientes
Armis instructos, animoque, & corpore fortes,
Misit Amalrico succursum in tempore gratum.
Et sic ad tempus vis Hæresiana repressa est.

Ita Guillelmus Rigordus, aliique hæc prætermittunt. Nosque certiora in tempore dicemus.

5. In Boæmia per Episcopum Ratisponensem, & Abbates Ebrach. & VValsasi inter Regem Ottocarum, atque Andræam Episcopum Pragensem firmata pax: impleris per Ottocarum cunctis, quæ Honorius iussisset in suis litteris. Tum missus Romam alter ex Abbatibus iuxta Honorij mandatum. *Qui ab eo, inquit Bzouius,* [e] *confirmationẽ transactorum obtineret, & lato, qui coram inspiceret, an Rex ipsum iniuria afficeret?* Ita Bzouius. Qui tamen dùm nec litteras adducit, neque vter Abbatum missus sit ex eisdem declarat (neque enim ille, nisi quendam Abbatem nominat) confusa omnia relinquit: nec declarare nobis datum est, vt pleraque solemus; oscitante in hac parte transcriptore, quem Romam misimus, neque has litteras excipiente ex Vaticano, cum alias præcedenti anno datas excepisset. Quicumque missus, Cisterciensem constat, quippe alter è duobus, iuxta præscriptum. Et crediderim missum VValsasensem, quem Andreas petiisset nominatim, & de cuius prudentia, fideque vterque æque confideret: verum neque adhuc conclusum in hoc negotio, anno sequenti latius disseremus.

6. In Hispania Iacobus Aragonius, vix duodennis, sed qui ingentia virtutis, & probitatis præse ferret insignia, ab Honorio laudatus, quod Ecclesiæ mandatis obediens esset; insuper ob venerandam memoriam matris suæ Sanctissimæ Reginæ, quæ eum moriens Honorio commendauerat; vna cum Regno vniuerso Aragonensi, Principatu Cataloniæ, atque Ditione Montis Pesulani (quæ illi ex eadem matre contingebat) cumque aliis bonis, quæ aut tunc haberet, aut in posterum adipisci posset; sub Beati Petri, Apostolicæ Sedis tutela susciputur; litteris insuper ab eodem Papa donatur ad Bertrandum, tituli Sanctorum Ioannis, & Pauli Presbyterum, Cardinalem, Apostolicæ Sedis Legatum, in quibus præcipit, *Vt quando inducias (ait Zorita in indice rerum Aragoniæ* [f] *) inter eas ditiones, quæ Regi parent; & eas Regiones, quæ in Narbonensi, & Auxitana Prouincia Sedis Apostolicæ imperio continebantur, obseruari præceperat, Regem mandatis Apostolicis obtemperantem, tamquam præcipuum Ecclesiæ Romanæ filium foueat: neque eius Ditiones cum infectæ hæretica prauitate non essent, ab aliquo impugnari patiatur: sed eas tueretur, atque defenderet. Earum litterarum Apostolicarum, quod apponemus exemplum, extat Archetypon.*

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio B. tituli Sanctorum Ioannis, & Pauli Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, salutem, & Apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia pia mater deuotos, & humiles filios suos ad pietatis suæ gremium recurrentes, non solum honorat amplexibus, verumetiam maternæ consolationis nutrit vberibus, & exaltat: illos præcipuè diligentiori studio refouens, quos magis suæ recreationis cernit solatio indigere. Hac itaque consideratione inductus, charissimus in Christo filius noster, Iacobus, Aragonum Rex illustris, nobis humiliter supplicauit, vt ipsum sub alarum nostrarum vmbra dignaremur protegere; ac protectionis Apostolicæ clypeo communire. Nos igitur præclaræ deuotionis, & fidei puritatem, quam ad Deum, & ipsam Ecclesia progenitores suos habuisse didicimus, recolentes, attendentes quoque quod eundem Regem inclytæ recordationis M. Regina Aragonum mater sua, cum terra, & aliis bonis suis eidem Ecclesiæ commendauit: agens dudum apud Sedem Apostolicam in extremis: nostræ sibi dilectionis præcordia dignum duximus aperire: quatenus qui in ætate tenera esse dignoscitur constitutus, dum fauoris Apostolici brachiis sustentatus fuerit, roborari, adiuuante Domino, valeat, & suscipere incrementum. 7.

Regis itaque supplicationibus inclinati personam Regis eiusdem, Regnum Aragoniæ, terram Cataloniæ, Villam, & terram montis Pesulani, cum omnibus aliis bonis suis quæ impræsentiarum rationabiliter possidet, vel in futurum iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub Beati Petri, & nostra protectione suscepimus. Sane, quia de tua deuotione fiduciam gerimus specialem, sic te nobiscum credimus vnanimem, vt quos diligimus in Domino diligas, illosque foueas, cum ordo exigat rationis, vt & membra respondeant capiti, & partes conueniant suo toti. Cum igitur inter terras ipsius Regis, & terras, quæ in Massilienſi, & Auxitana Prouinciis, auctoritate Sedis Apostolicæ detinentur, tanquam firmari mandauerimus, & seruari; discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictum Regem parentem mandatis Apostolicis in hac parte, tanquam specialem Ecclesiæ Romanæ filium, habens propensius commendatum, terras suas, præsertim cum infectæ non sint hæretica prauitate, non patiaris ab aliquo impugnari, quin imo manuteneas eum taliter, & defendas; quod idem Rex nostram penes te sibi sentiat gratiam efficaciter profuturam, & nos tuæ sollicitudinis, & diligentiæ studium dignis possimus in Domino laudibus commendare. Datis Reati VII. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno IV. 8. Hactenus ex Zorita Aragonensi. Ex quibus litteris facile conuincas duos Bzouij errores,

d ad hunc ann.

e ad hunc ann.

f ad hunc ann.

errores, supra notatos, alterum, quod affirmat de Iacobo, cum hæreticis arma sociasse, vt defuncti patris necem vlcisceretur; alterum, quod Contadum hoc anno asserat legatia Apostolica functum in iis partibus. Neque enim ad Bertrandum darētur litteræ ferè sub finem anni in fauorem Iacobi, si ante eius exitum foret amouendus.

9. In Anglia frequescentibus miraculis, quæ Deus per merita Beati Viri Hugonis quondam Lincolnienſis Episcopi, ad sepulchrum illius operabatur, cum multi Ecclesiæ Episcopi, & Abbates Honorio supplicarent per suas litteras, vt ipsum canoni Sanctorum adscriberet, aut saltem de eius vita, meritisque, atque miraculis faceret inquiri; ex illis omnibus tres sibi elegit, Archiepiscopum Cantuarienſem, Episcopum Conuentrenſem, & Abbatem Fontium Cistercienſis Ordinis, quibus tantum negotium tuto committeret, ad quos & has elegantes litteras dedit g.

g Ex Regest. Honorij in Vaticano.

10. *Cantuarienſi Archiepiscopo, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, & Episcopo Conuentrenſi, & Abbati de Fontibus Cistercienſis Ordinis, Eboracenſis Diœcesis.*

Cum iuuentus Ecclesiæ, sicut Aquilæ renouetur, & nos simus, in quos fines sæculorum secundum Apostolum deuenerunt, innouat signa Dominus, & immutat mirabilia, magnificè mirificans seruos suos, ad confirmandum Catholicæ fidei puritatem, & prauitatem hæreticam confutandam: ad conuincendum incredulos, ad iustorum scientiam, & corda fidelium, in sui creditoris amorem suauiter accendendum; sicut enim fulgura in pluuiam facit Dominus, cum coruscationibus miraculorum glorioſis, Ecclesiam suam Sanctam dignatur salubriter fœcundare. Quis enim videns electos Ecclesiæ post finem huius vitæ fœlicem, nouis coruscare miraculis, capiti eius Christo videlicet, non cupiat inseparabiliter adhærere, vt vnus spiritus sit cum eo? aut quomodo ei obsequi denegabit, qui sibi obsequentibus dans virtutes, tanta præmia elargitur; vt hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi effecti, Regni cœlestis insignia, quæ fœliciter obtinent, miraculosè reuelent in terris, & quidquid petierint fiat eis.

Sanè gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod sicut ex vestris, ac Venerabilis Fratris nostri Eboracenſis Archiepiscopi; nec non aliorum Episcoporum Angliæ litteris fuit expositum, ad gratiam, & gloriam dictam, Dominus tanta sanctæ memoriæ Hugonem Lingolnienſem Episcopum præuenit, & subsequutus est gratia, vt militans pro eo in vita ipsius, virtutes dignaretur mirabiliter operari; & nunc in diebus istis tanta eum clarificauit gloria, vt ad dandam scientiam primæ stolæ Beatæ immortalitatis, ipsius sepulchrum, vbi corpus requieſcit eiusdem, stola tandem beatificandum secunda, Diuinis faciat coruscare miraculis: ita quod eius inter alios Sanctos non inuocari suffragia sit indignum; cum lucerna super Candelabrum sit ponenda, vt ij, qui sunt in domo ipsius, gaudeant beneficio claritatis. II.

Quare nobis fuit humiliter supplicatum, vt eum Sanctorum catalogo faceremus adscribi, vel saltem super præmissis inquiri diligentius veritatem. Licet igitur tot, & tantorum testimoniis plenam fidem nos deceat adhibere, volentes tamen in tam arduo facto cum omni maturitate procedere, Discretioni vestræ per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus tam super vita prædicti Sancti, quam super miraculis ante mortem, & post mortem, nec non aliis huiusmodi negotij circunstantiis, inquiratis diligentius veritatem, & quæ inueneritis, nobis fideliter reſcribatis, vt per vestram relationem instructi procedamus exinde, provt secundum Deum viderimus procedendum. Quod si non omnes, duo vestrum, &c. Datis Romæ apud Sanctum Petrum V. Kalendas Maij, Pontificatus nostri anno tertio. 12. Hactenus litteræ, quas exacta inquisitio statim per delegatos facta; inquisitionem cognitio veritatis, atque hanc tandem canonizatio Hugonis sequuta est.

---

1. *Sanctus Franciscus Monialium suarum curam Cardinali Hugolino.* 2. *Ille Sancti Benedicti.* 3. *Professus Regulam.* 4. *Ambrosio Cistercienſi committit visitandas.* 5. *Quanto tempore Regulam Sancti Benedicti professæ sunt.* 6. *Vnde inter eas Abbatissæ hodiéque manent.* 7. *Sanctæ Claræ initia sub ea Regula.* 8. *Ambrosius earum dein curam gesſit, quandiu vixit.* 9. *Franciscus Fratres ad Sarracenos conuertendos mittit,* 10. *qui Hispalim transmissi per Sanctiam Virginem.*

CAPVT SECVNDVM.

1. EODEM anno Franciscanam familiam, tunc recens natam, sed iam mundo illustrem noua vincula nostris conciliarunt. Quippe Franciscus, cum crescentium per orbem Sanctimonialium, quas à primo Conuentu Sancti Damiani, (cui Sancta Clara Assisij se incluserat ad annum Christi M. CC. XII.) Damianitas vocabant, Monasteria refugeret; veluti suis à fœmineo consortio timens; cúmque non hactenus vllas illis leges, sub quibus militarent, præscripsisset; earum curam Hugolino Cardinali (post Gregorio nono, quem protectorem, & sibi & suis elegerat) ille communicato consilio cum Honorio, Regulam illi Cistercienſium, id est, Sanctissimi Patris Benedicti, superadditis quibusdam constitutionibus, tradidit obseruandam: earum regimen Cistercienſi cuidam Monacho, haud dubio Vito totius perfectionis, prudentiæque Ambrosio nomine, censuit committendum. Et quidem de Regula Sancti Patris Benedicti illis præscripta, extant adhuc Hugolini eiusdem litteræ ab Innocentio quarto confirmatæ, atque eidem confirmationi insertæ, quas Lucas VVadingus diligens, & exactus Franciscanorum Annalium scriptor adducit in hunc tenorem a.

a *Ad hunc annum n. 46.*

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis in Christo filiabus vniuersis Abbatissis, & Monialibus inclusis Ordinis Sancti Damiani.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium desideriis fauorem benevolum impertiri. Ea propter dilectæ in Domino filiæ vestris precibus

precibus inclinati, Ordinis vestri Regulam, & formam viuendi, à fœlicis recordationis Gregorio Papa prædecessore nostro, tunc Ostiensi Episcopo vobis auctoritate Apostolica traditam, annotatam præsentibus, vobis eadem auctoritate confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, quæ talis est. Cum omnis vera religio, & vitæ institutio approbata certis constet Regulis, & mensuris, certis etiam constet legibus disciplinæ: quisquis religiosam ducere vitam cupit, nisi certam, atque rectam conuersationis suæ Regulam, disciplinamque viuendi obseruare studuerit diligenter, eo ipso à rectitudine deuiat, quo rectitudinis lineas non obseruat, & ibi deficiendi incurrit periculum, vbi per discretionis virtutem, certum, ac stabile proficiendi collocare neglexit fundamentum.

3. *Quia propter dilecta in Domino filiæ, quia, Diuina vobis gratia inspirante, per arduam viam & artam, quæ ad vitam ducit incedere, & vitam pauperum ducere pro æternis lucrandis diuitiis, elegistis, religionis ipsius obseruantiam, atque formam vobis duximus breuiter describendam; vt sciat vnaquæque vestrum, quid agere, quidve etiam debeat deuitare; ne forte de ignorantia aliqua se excusans, prohibita, & inconcessa periculosè præsumat, vel subrepente tristitia detestabili, ac tempore, iussa periculosè negligat, & contemnat. Quo circa vobis omnibus, & singulis in virtute obedientiæ, districte præcipiendo mandamus, quatenus formam ipsam, quam vobis dirigimus, plene in sequentibus annotatam, humiliter, & deuote recipere, & inuiolabiliter de cætero studeatis, vos, & post vos omnes futuræ perpetuis temporibus obseruare. Verum, vt ad exemplum, & imitationem eorum, qui sine querela Domino seruierunt, & sanctæ conuersationis initium, fœlicis perseuerantiæ exitu fœliciſſimo consummarunt; vitæ vestræ religio in Christo constructa, pariter, & fundata in templum Sanctum in Domino crescere, & ad supernæ vocationis præmium, Sanctorum sequendo vestigia, possit recto cursu fœliciter peruenire: Regulam Beatissimi Benedicti, in qua virtutum perfectio, & summa discretio noscitur instituta, quæ & Sanctis Patribus à principio deuote suscepta est, & ab Ecclesia Romana venerabiliter approbata, vobis tradimus obseruandam in omnibus, in quibus eadem viuendi formulæ, vobis à nobis traditæ, secundum quam specialiter viuere decreuistis, contraria minimè comprobatur.* Hactenus Regula Sancti Benedicti præscripta sororibus; nam quæ sequuntur speciales constitutiones, superuacaneum foret hic transcribere.

4. Verum de Ambrosio Cistercienſi Monacho, in visitatorem eisdem assignato per Hugolinum hæc in eodem auctore scripta lego. [b] *Cæterum Hugolinus collata re cum Pontifice, regimen cæterarum Monialium præter Assisiates, in semet assumpsit, delegato quodam sibi Fratre Ambrosio, viro discreto Ordinis Cistercienſis, quem vniuersarum visitatorem constituit.* Hæc ille. Certè Ambrosij prudentiam, & pietatem Hugolino probatam, vel ea, quæ tradit in constitutionibus, vbi de visitatore agit, satis conuincunt. Quippe ait. [c] *De visitatore huius religionis illud est sollicite prouidendum, vt quicumque vel generalis, vel etiam alicubi, aliquando specialis constituendus fuerit visitator, talis debeat constitui, de cuius religiosa vita, & moribus, atque fide notitia plena, & securitas habeatur.* Hæc Hugolinus in suis constitutionibus. Vt non sit dubium, primum ab eo electum fuisse qualem ipse exegerat, & qualem inueniri semper optaret.

[b] *hoc anno num. 44.*

[c] *apud eundē vbi supra.*

Mansere Damianitæ, seu Minoriſſæ, (nam & sic eas appellatas constat illis temporibus) sub Regula Sancti Patris Benedicti per anno plures etiam post latam à Beato Francisco pro eis Regulam, quam vt Assisiis receptam non negauerim, quod Monasterium sibi reseruasset, ipse Sanctus Patriarcha. At non in aliis recepta per totum orbem, argumento est, quod anno M. CC. XLV. hanc ipsam regulam Sancti Benedicti confirmatam illis videmus ab Innocentio quarto, eidem litteris, quas modo tradebamus. *Datis Lugduni Idibus Nouembris, Pontificatus ipsius anno tertio.* Certè in Conuentu Cæsaraugustano, anno M. CC. XLVI. immediate sequenti, non solum Regulæ Sancti Benedicti Monialis suberant, sed eam perpetuis futuris temporibus obseruare iubentur. Litteris datis quarto Nonas Octobris Indictione quinta Incarnationis Dominicæ M. CC. XLVI. Pontificatus Innocentij Papæ quarti anno quarto. Ibi. *In primis siquidem statuentes, vt Ordo Monasticus, qui secundum Deum, & Beati Benedicti Regulam & institutionem Monialium in clausuram Sancti Damiani Assisinatis, & formulam vitæ vestræ, à fœlicis recordationis Gregorio Papa prædecessore nostro Ordini vestro traditam, cum adhuc esset in minori officio constitutus, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.* 5.

Hinc factum est, vt contra morem aliarum Religionum, Monialibus Præfectæ apud Clariſſas (sic enim postea frequentius nuncupabantur, à Sancta Clara prima illius instituti æmulatrice) non custodes, seu vulgo Guardianæ, aut alio titulo communi ipsis cum Fratribus, & eorum Præfectis; sed Abbatiſſæ fuerint appellatæ. Non quod nomen maioris dignitatis ambitioſæ vsurpauerint, quæ Franciſci disciplinæ minores semper titulos, & humilitatem altius radicatam profitebantur. Sed quia sub Regula Sancti Bendicti, non sub propria nascentes, imò adultæ præscriptum in ea nomen cœnobiorum Præfectis, quo semel vsæ sunt, religioſæ voluerunt obseruare. Adnotat autem Lucas VVadingus citato loco. *A concessa, & data eisdem Sanctimonialibus Regula Sancti Benedicti, institutionis earum tempus computari à Nicolao tertio, qui anno primo sui Pontificatus Epistola LXXXVIII. Datâ ad Clariſſas Assisij, dicit illarum Ordinem institutum post Concilium Generale Lateranense sub Innocentio tertio.* Quod sane de primæua institutione, vel fundatione per Sanctum Franciſcum non potest intelligi, qui, vt ex concordi historicorum narratione diximus, anno M. CC. XII. annis tribus ante dictum Concilium, S. Claram recluſit, instruxit, & vitæ normam edocuit. Hæc de Monialibus. 6.

Quibus tamen & illud addendum censeo, etiam si à prima conuersione Beatæ Claræ in cœpti instituti tempus computaretur, haud tamen incœpisse sub alia Regula, quam Benedicti Patris, quod iidemmet Annales attestantur. Quippe [d] *cum primum coronam altari Beatæ Mariæ Clara Virgo Sanctæ pœnitentiæ suscepisset insignia, & quasi ante thorum huius Virginis humilis* 7.

[d] *Anno 1212 num. 2.*

milis ancilla Christo nupsisset : statim eam ad Ecclesiam Sancti Pauli Monacharum Nigrarum Sanctus Franciscus deduxit ; donec aliud prouideret Altissimus in eodem loco mansuram. Hæc prima mansio recens Deo Sacratæ Virginis Claræ. Cum autem inde ob importunitatem consanguineorum eam à Sancto proposito auertere conantium, ad alium locum esset transferenda, *paucis interiectis diebus ad Ecclesiam Sancti Angeli de Panso Ordinis Sancti Benedicti iuxta ciuitatem Assisij transiuit, eam committantibus ipso Viro Dei Francisco, & duobus eius discipulis Bernardo, & Philippo.* Demum cum ad Ecclesiam Sancti Damiani ex Franciſci consilio transmigrauit, vbi & collegium sub eius, & Franciſci Magisterio Deo consecrandarum congregauit, eandem regulam conseruasse credenda est, maximè nulla alia sibi electa, neque ante annum M. C C. IV. à Franciſco condita, quod omnes auctores concordes adseuerant, sed de his satis.

8. De Visitatore eidem designato à Cardinali dolendum est ; nihil aliud inueniri, nisi quod tamen continuasse officium quandiu vixit, legitur ; noc dubium quin cum laude continuauerit ; numquam aliàs conseruandus ab Hugolino. Idem qui supra VVadingus post transcriptas illius constitutiones Regulæ super additas, hæc habet. [e] *Sub hac regula, & supra nominato visitatore, vixerunt aliquot annis, donec propriam Regulam Claræ, & Sectatricibus præscripserit Sanctus Franciscus, præsente, & conscribente Hugolino, vt ad annum M. C C. XXIII. largius dicemus. Et mortuo Fratre Ambrosio Cistercienſi successit auctoritate Pontificia, Cardinali etiam volente, Frat. Philippus Longus, vnus ex Franciſci sociis.* Ergo & Ambrosius tandiu Clarissarum visitationem tenuit, quandiu vixit ; & eo defuncto non alius extraneus suffectus est, sed ex filiis Franciſci, vt eo illi hæc gloria maior foret, quo singularis, neque vllum alium in ea socium admitteret.

e num. 46.

9. Hoc ipso anno, cum Sanctissimus Patriarcha (Franciſcum loquor) quosdam ex filiis ad Miramamolini Regnum destinandos censeret, *vt sicut ipse orientis (quod intendebat) sic & ipsi occidentis populis Mahumeticis, (ait VVadingus [f]) salutare Christi prædicarent Euangelium, & vndique, quas possent gentes, Christo lucrificarent: pro hac missione elegit pios quinque, Fratrem Bernardum de Carbio Comitatus Naruienſis, Fatrem Petrum de Sancto Geminiano, Comitatus Florentini, Fratrem Aduitum, Fratrem Acursum, & Fratrem Ottonem. Frater Bernardus perite callebat linguam Arabicam, Petrus, & Otto erant Sacerdotes ; cæteri duo conuersi ; quibus vt itineris laborem cum merito obedientiæ susciperent, sextum adiunxit in Ducem, & Rectorem, Fratrem Vitalem, virum vtique omni Sanctitate, & deuotione præcipuum. Hos autem præ cæteris delegisse ex reuelatione Diuina, monent Antoninus, Ioannes Tiserandus (vetustus auctor vitæ horum Martyrum, quam Surius transcripsit) & Antoninus, Vasconcellius in anacephaleosi Regum Lusitaniæ. Neque illi profecto tantæ Prouinciæ impares, in quibus Diuina virtus, rerum gestarum gloria, & splendidissimus actionibus illustrata clarebat.*

f ad hunc ann. n. 48.

Hos sex illustres futuros Christi Athletas alloquutus Franciſcus verbis suis ad Martyrium animatos, si ita opus esset, atque benedictione etiam munitos, Conimbricam primum qui erant transituri (vbi ab Vrraca Regina comiter accepti ; vicem ei rependerunt sequenti anno) inde Alenquerium misit, à Sanctia fundatrice domus illius loci sorore Alfonsi Regis, Hispalim ad Sarracenum Regem transmittendos. *Igitur Apostolici viri (pergunt Annales [g]) Conimbrica recedentes, Ierabricam (vulgo Alenquerium) ad Sanctiam Sancij Regis filiam (de qua nos superius ; & quam perperam Tiserandus apud Surium vocat Reginam) honestissimam, & pudicissimam Virginem, Deo deuotam peruenerunt. At illa in intentiori quodam cubiculo (quod in Monasterij structura traditio est, illasum remansisse, & modo est iuuenum tyrocinium, reuerentiam, & Sacrum odorem accedentibus spirans, quod & ego non absque digna rei admiratione sæpius probaui.) Sæcularibus vestibus superindutos, quia aliter non erat ipsis transeundi facultas, Hispalim, quæ nunc Sybilia dicitur, transmisit.* Hæc hoc anno Cistercium in Franciſcum, atque ipsius filios, filiasque (nam de Sanctis Martyribus, & qualiter cum Hispali non possent, ad Marrochium profecti, tandem ibidem palmam consequuti ; vtramque suam Hospitam, viuentem alteram, alteram iam mortuam, corpore, & spiritu grati visitauerint, anno sequenti, quo euenit dicemus. Nunc quæ Prædicatorum sodalitio Diuinitus accepta nostros deuinxerint, sequenti capite in medium proferemus.

10.

g num. 51.

---

1. *Conrado in Episcopum Cardinalem Portuensem promoto 2. succedit Gualterus. 3. Dictum de Nicolao Cardinali. 4. Consecratio Fœlicis Iuamensis. 5. Et R. Olomucensis fœda crimina 6. per iudices Cistercij examinanda. 7. Coniectatum pro ipso. 8. Exactæ à nostris pecuniariæ procurationes. 9. Sed hæc, & alia repressa per Honorium. 10. Fullinenses indemnes à pensione 11. Exquisitum Martyrium Lutgardis Virginis, 12. & scrupuli sedati miraculosè.*

CAPVT TERTIVM.

1. CRESCEBANT interim Conradi Abbatis merita, atque ex ipsa experientia negotiorum, crescebat industria ; & quo in eminentiori candelabro positus erat, eo se lux facilius ingerebat cernentium oculis. Ergo quem hactenus domestica familia per suos gradus vsque ad apicem rerum sublimasset, ambiuit Ecclesia ; neque gradatim, vt fecerat Cistercium, sed per saltum promouit, atque ad summam, sub sede Petri, sedem vocandum censuit. Cardinalis Episcopus Portuensis creatus est, vrbis, & orbis totius acclamatione

tione. De anno creationis omnino constat de mense non ita; quippe Honorius (vt Chaconius ait [a]) quatuor ordinationibus, mense Decembri, & aliis mensibus factis XIX. creauit Cardinales & creationi Conradi nullus ab eo mensis designatur; sed tantum dicitur: *Anno Domini M. C C. XIX. Pontificatus tertio, Romæ Honorius Papa iterum creauit Cardinales, qui fuerunt, Frater Conradus Eginonis de Vrach, Suytonum Dynastæ filius, Monachus, & Abbas Ordinis Cistercienſis, Episcopus Cardinalis Portuenſis, & Sanctæ Rufinæ, &c.* Hæc tantum Chaconius. Verum creationem ante mensem Augustum factam, inde deduco, quod creatio anno tertio Pontificatus Honorij (non quarto, qui ab Augusto incœpit) facta dicitur. Conradi in filios, & Fratres charitatem, à quibus tamen auulsus in breui fuerit, versus ili declarant, qui in Chronico metrico leguntur,

[a] in Honorio.

Conradus Fratres miro amplexatus amore,
Cardineo meritis mox insignitur honore.

2. Conrado in Cardinalem promoto, actum de subrogando successore; eo (haud dubiè) difficilius inueniendo, quo maior ipse. Electus tamen in omnibus Gualterus ex Abbate Longipontis, vbi & S. Ioannem de Monte Mirabili (inter illustria Cistercij luminaria) Monachum fecerat; & quem constat doctrina præcellentem inter insignes eius æui Doctores connumerari; vnde versus, qui etiam præfecturam breuem satis insinuant,

Doctorum splendor cunctos superansque coaeuos,
Gualterus veniens, confestim transiit annos.

Ergo Walteri præfectura breuis inuidentibus fatis, quod suo tempore à nobis dicendum erit. Hinc parua rerum eius memoria subest, quod æque dolendum, maximè in viro docto Doctoreque, & quem merito historiæ perennarent.

3. Cum Conrado Nicolaus creatus legitur, de quo ita Chaconius: [b] *Frater Nicolaus Monachus Episcopus Cardinalis Tusculanus, cum Conrado Portuenſi Episcopo, vt ex Regestis Honorij tertij intelligitur creatus. Quam Pontifex Legatum ad Imperatorem Fridericum misit, vt eum hortaretur ad crucem, ad sacram militiam suscipiendam, præsertim post Damiatam amissam. Vocatur vir prudentia, & religione conspicuus, & Pontifici specialiter charus.* Ita Chaconius Auctor Chronologiæ Abbatis Ioachimi constanter asseuerat, Nicolaum, Cistercienſem Monachum fuisse; cui & Ferdinandus Hugellus [c] adstipulatur. Verum dum neuter pro se auctorem producit, siue instrumentum antiquum, cui credi possit, vt non putaui silentio prætereundum, sic neque asserendum, quod vsque aliunde certius cognoscatur.

[b] in Honorio.

[c] distinct. 42. in suis tabulis.

4. Hoc item anno consecratum lego Fœlicem Tuamensem Archiepiscopum in Hybernia, quem inter Cistercienses Iacobus VVaræus commemorat, licet cœnobium, ex quo assumptus, nequaquam prodat, imo nec certo, sed cum dubio aliquo scribat; *Fœlicem*, [d] *ait, ante dictum, Monachum (vt puto) Cistercienſem, consecratum fuisse anno Domini M. C C. XIX. ex diplomate eius colligimus, Abbatissæ de Castra Sylua (siue Kircreuenta) concesso, dato in Matrice Ecclesia de Iuaim XII. Kalendas Iulij Pontificatus Domini Honorij anno VII. (id est anno salutis M. C C. XXIII.) consecrationis suæ quinto. Cuius quidem diplomatis exemplar in archiuis Regis reperitur.* Sic VVaræus, qui tamen nescio qua ratione referat in hunc annum consecrationem Fœlicis, quæ contigit anno quinto ante M. C C. XXIII. cum magis ad antecedentem pertinere videatur: maximè cum non constet de die consecrationis ex quo an quintus incœptus? colligi posset. Nobis non alium Ducem in hoc sequentibus, satis superque erit, quod adnotauimus.

[d] in Archiep. Iuamens.

5. Eodem anno (ne qui bona promimus, mala occultare, aut tegere videamur) Olomucensem Episcopum inuenio ex Cistercio assumptum, sed qui Cistercio omnino pudendus esset. Quippe de quo tot, ac talia dicerentur, quæ etiam falsa pudorem prouocarent. Non potuit dissimulare Honorius publicum scandalum, eo grauius, perniciosiusque, quo ex maioris professione virtutis deriuaretur. Detulit tamen familiæ grauitati, auctoritatique, vt non per alios, quam per Cistercij Abbates visitarentur. Ergo duos ex omnibus elegit, Zubetelensem nimirum, & Ebracensem zelo iustitiæ, prudentiaque eximios, nec loco adeò distantes, vt eorum aduentus notari posset. His vero adiunxit Priorem Zubitelk, vt si forte alter infirmitate aliqua, vel alio impedimento detineretur, nihilominus per alium cum Priore, & inquisitio fieri, & morbo medicina parari posset. Porro ad hoc tres suas litteras direxit, quarum tenorem: ne quis de statu suo nimium præsumat, hic subiiciendum censui, est autem talis. [e]

[e] lib. 3. epist. Honor. 6.

De Zuetela, & de Ebrach Abbatibus, & Priori de Zuetela Cistercienſis Ordinis.

Ad aures nostras, dilecto filio Abbate Silocense insinuante, peruenit, quod licet venerabilis Frater noster R. Olomucensis Episcopus Cistercienſis Ordinis Regulam sit professus, ita tamen est in reprobum sensum datus, quod duobus homicidiis perpetratis, duas sorores Cunicensis Monasterij Moniales, & plures mulieres alias coniugatas cognouit carnaliter, & quandam Virginem defloruit; hæc & alia committens turpia impudenter in suæ salutis dispendium, & scandalum aliorum. Quo circa discretioni vestræ per Apostolicam sedem mandamus, quatenus inquisita super his diligentius veritate, quod Canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes quidquid statueritis per censuras Ecclesiasticas firmiter obseruari; quod si non omnes duo saltem vestrum, &c. Datis Laterani XV. Kalendas Februarij Pontificatus nostri anno tertio. Ita Honorius.

Quid delegati iudices inuenerint in causa Olomucensis? In dubio est: & potuit insinuationi falsum subesse, insinuantis malitia, vel nimio zelo, & credendi facilitate. Certè in quem anno præcedenti inquiri iussum, Dertusensis Episcopus, cum falso diffamatus; ac delatus Honorio comprobaretur, adeo aduersus æmulos inualuit, vt prætermissa in eum inquisitione, in ipsos magis fuerit inquirendum

7.

dum. Et habet pro se R. Olomucensis, quod post hanc ipsam factam inquisitionem, iudex ab eodem Honorio creatus sit in quadam causa, satis controuersa, nec minus graui, Romæ Idibus Septembris præsentis anni, qui iam erat quartus illius Pontificatus; quando septem iam mensibus elapsis, inquisitio facta, & patefacta veritas, ad eum facile potuerat peruenire. Haud tamen defendendum posse credam, qui ita vixit, vt tot, ac talia imputari illi potuerint.

8. Sub finem anni cum Sedis Apostolicæ Legati, procurationes, vt vocabant, pecuniarias à nostris exigerent, quasi qui iam plus aliis abundarent, sine causa ab oneribus aliorum eximerentur; nec Monasticis cibis, regularibusque contenti essent, sed lautioribus saginari vellent, etiam prohibitis, in quo Gualonem, seu Gualam, vt alij vocant, qui tunc temporis in Gallia morabatur, excessisse coniector, seu ministrorum, vt solet insolente, seu propria voluntate, & auaritia, de qua male audiebat, adactus fuerit: Guillelmus Claræ Vallis Abbas, aliique Pontificem adire compulsi sunt, suas in eum querelas de promptuti. Porro Gualonem fuisse, qui excessit, & Guillelmum Abbatem, qui incusauit, non mihi leuiter indicat Cæsarius, qui biennis post scribens, plus minusve, hæc de vtroque habet in suis dialogis [f] *Ante hoc biennium, cum Dominus Willelmus Abbas Claræ-Vallis cum cæteris Abbatibus contra Gallonem Cardinalem profectus fuisset Romam, quidam ex Monachis eius, &c.* Certè nec Gualo quid aliud in Cistercium potuisset committere, vir, vt dixi notatus de auaritia, & quem Hector Boætius, aliique nullis non dehonestant conuiciis in hac materia: neque Guillelmus ob causam minus propriam, apud Honorium eundem incusaret: & quod tunc impetrauit priuilegium, tale est, quod Guillelmum mereatur impetratorem. Quippe in quo Pontifex, & detractoribus satisfacit veram indultæ exemptionis causam assignans, & Encomiastem magis agere videtur, quam censorem. Quamuis ne hoc omittat, vt ex eius tenore constare potest. [g]

f *lib. 3. c. 51.*

g *Epist. Honorij lib. 2.*

9. *Honorius Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filiis vniuersis Abbatibus, & Conuentibus Cistercienses Ordinis, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Cum præter pauperem victum vestrum, omnia bona vestra hospitalitati, & aliis piis operibus officiosissime sint exposita, satis inhumane alius auferre videtur egenis, quidquid à vobis violentia, vel ingenio extorquetur. Nec quia Dominus manuum vestrarum operibus benedicens, viaticum peregrinationis vestræ, quanto magis illud Fraterna charitate in vsus pauperum distribuitis, tanto magis illud cœlesti alluuione multiplicat; estis deterioris conditionis habendi; sed potius melioris, cum non nisi vasis paratis cœlestis gratiæ oleum infundatur, quod pauperis mulieris deficientibus vasis stetit. Licet igitur largiente Domino, Monasteria vestra plus solito, temporalium floreant vbertate: quia tamen exinde, pauperibus vberius subuenitur, nos volentes eò vos de speciali gratia fauorabilius confouere, quò exinde illi propensius complacere nos credimus, qui quod vni ex minimis suis fit, sibi reputat esse factum: deuotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ne Apostolicæ Sedes Legati procurationes pecuniarias à Monasteriis exigere, vel extorquere præsumant: sed cum ad domos vestras accesserint, sine Carnium esu, cibis regularibus sint contenti. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Viterbij IV. nonas Decembris Pontificatus nostri anno quarto. Hactenus Honorius. Atque hoc priuilegium non solum ob indulti magnitudinem, sed etiam ob impetrantis grauitatem, vulgauit Ioannes Abbas, [h] inter illustria, cum multa alia omittat, quæ nos damus. 7.

h *tom. 1. Priuileg. 10.*

Hoc item anno, Fullinæ Monasterium, quod à visitatione, & superioritate Abbatis Sancti Firminiani dudum exemptum, super annua pensione eidem persoluenda litigabat, Honorij tandem sententia causam obtinuit, atque indemne ab illius solutione, Sancti Firminianis silentio condemnatis in hunc tenorem. *Nos, auditis, & intellectis hinc, inde propositis, sententiam Paduani Episcopi, & suorum coniudicum, super eo, quod vestrum Monasterium absoluerunt, ab impetitione Monasterij Sancti Firmini, duximus confirmandam: super petitione prædicta Monasterio Sancti Firmini perpetuum silentium imponentes: nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & diffinitionis infringere. Datum Viterbij VIII. Kalendas Nouembris, anno quarto.* 10.

Hic etiam annus nouo, & exquisito Martyrio Sanctæ Lutgardis, ipsi, & cœnobio Aquitiensi insignis fuit: rupta repente vena cordi proxima, cum sanguinis pro Christo fundendi ardentiori desiderio profundaretur. Id ab auctore Sincrono narratum Thoma Cantipratano, eiusdem eius verbis hic subiiciam. [i] *Cogitabat quandoque de eo, qui talem à peccatoribus sustinuerat afflictionem, miroque inflammata est desiderio Christo vicem reddendi, & pro illo Martyrium obeundi. Sed quia tempus Martyrij, velut hyems iam transierat, imber abierat, & recesserat; Christus aliud genus etiam corporalis Martyrij ei præparauit. Accidit igitur nocte quadam, vt absoluto completorio ante suum lectum staret in dormitorio precibus occupata. Ibi tum miro quodam, & ineffabili modo cœpit desiderare, vt instar Agnetis Virginis posset pro Christo sanguinem suum fundere. Cumque eo desiderio adeo arderet, vt iam se morituram præ eius ardore existimaret, rupta est vena, quæ extrinsecus cordi opposita est. Inde vero tam multus dimanauit sanguis, vt tunica eius, & cucullus, eò abunde manderent. Itaque debilitata, paululum resedit, moxque Christus illi apparuit, vultu gratulando, & ait; pro feruentissimo Martyrij desiderio, quod in sanguinis huius effusione habuisti, idem cum Beatissima Agnete Martyre in cœlis præmium consequeris. Eius enim Martyrium* 11.

i *lib. 2. c. 27.*

tyrium tuo desiderio in sanguine compensasti. O verè Beatissimam fœminam, quam Christus ipse pacis tempore corona Martyrij dignam prædicauit. Eius rei testes fuere, quæ eius lauerunt vestes. Testis fuit cicatrix ruptæ venæ, quæ in ea permansit ad eum vsque diem, quo fœlix eius anima ab hac luce migrauit. Annos tunc habuit octo supra viginti, quando hæc ei contigerunt. Hactenus ibi historia, simul & tempus. Quippe quæ vigesimum quartum agens ætatis annum, Cistercium ingressa est anno M. CC. XV. hoc, quem describimus M. CC. XIX. vigesimum octauum egisse necesse fuit, qui ab eius vitæ auctore est designatus.

12. Multa alia de eadem Sancta Virgine, vsque ad hunc annum ab eo narrari video, quæ longum esset in præsenti recensere; vnum est tamen, quod nolo pertransire: laborantem in recitandis horis Canonicis, pertinacibus scrupulis, miraculosè adeo curatam fuisse, cum nullæ humanæ medicinæ suffragarentur. Thomas Cantipratanus hæc ita scribit. [k] *Mirum in modum ad omnem animi perfectionem adspirabat. Itaque dicendis precibus Canonicis, siue horariis, summopere in id incumbebat, vt non solum malas, sed etiam bonas cogitationes à se excluderet, & quod in mortali corpore impossibile est, his solis, quæ diceret, animum occuparet. Sed cum id efficere non posset, grandes inde in eius pectore existebant scrupuli, & tanquam nihil dixisset, cœpit singulas horarias preces bis, terque repetere. Adeò vero hæc res animam eius afflixit, vt nullus amicorum eam posset consolari. Fiebant autem ab amicis ad Deum preces pro illa, vt eam Dominus his scrupulis liberaret. Et ecce præter omnium expectationem, instar Amos Prophetæ induit Dominus opilionem oueculas sequentem, & posuit verbum in ore eius. Ille mox relictis ouibus, homo plane rudis, ad tredecim milliaria conficiens, venit in Aquiriam; accersita Lutgardi, cæteris audientibus, dixit, Hæc dicit Dominus: Nullo deinceps in dicendis precibus dolore, aut scrupulo angaris. His dictis, ille repente aufugit, nec dabatur opportunitas, quisnam esset? inquirendi, aut aliquid præterea cognoscendi. At postea tamen, quis esset, rescitum est. Dominus quoque per se ipsum dixit Lutgardi: Nihil posthæc formides: ego hunc in te supplebo defectum. Tum illa vtrobique Dominum loquutum esse sentiens, tranquillitati se dedit, nec vllum postea in re inordinatum scrupulum passa est.* Hactenus de Lutgardi vsque ad hunc annum.

k lib. 1. c. 14.

---

1. *Henricus Abbas per Prouinciam Frisiæ visitans,* 2. *apparenti, atque eius opem imploranti animæ per orationes, & suffragia fauet:* 3. *Gerlacum iuuenem ad Ordinem conuertit;* 4. *& Ludouicum militem.* 5 *Heisterbacensis Virginis* 6. *miraculum.* 7. *VVerneri Eberbacensis fœlix mors,* 8. *& Getrudis puellæ.* 9. *Sed non sine præmissa ob leues quasdam culpas satisfactione.* 10. *Dictum de Margarita & de Stepone Sancto Cappellano.*

CAPVT QVARTVM.

1. SEQVVNTVR Cistercienses historiæ flores, id est varij euentus, exemplaue etiam miraculosa, quibus hic annus præ aliis abundauit: siue reuera in eo maior seges siue maior notitia, viuente tunc Cæsario, & scribente, ad nos vsque potuerit pertransire. Guillelmo Claræ-Vallis Abbate aliis intento, visitatio filiarum, quæ in Frisia ex præcedentis anni inundatione, indigebant solatio, Henrico Heisterbacensi commendata. *Porro (ait Cæsarius,* [a] *neque enim aliis viar, quam eius verbis) cum ante hoc triennium visitasset in Claro-Campo tempore Quadragesimali, etiam sorores in Nazareth visitauit. Eadem nocte dictis matutinis, cum se modicum reclinasset, huiusmodi visionem vidit: videbatur sibi esse in quodam loco parietibus clauso, in quo quidem grauissima suspiria, & gemitus audiuit, sed cum diligentius circumspexisset, neminem ibidem videre potuit, cumque audita suspiria durarent, causam admirante, sic ait: adiuro te per Dominum nostrum Iesum, vt quid tu sis, edicas mihi? Cuius cum nullum audisset responsum, adiurationem iterauit. Tunc quasi aliquid accedere propius sentiens, nihil tamen videns, huiusmodi audiuit responsum. Ego sum vna misera anima. Et ille: satis misere gemis, cum tamen ignorem, quæ sit causa miseriæ. Respondit illa: In acerbissimis sum pœnis. Ad quod Abbas: Quæ est causa pœnarum tuarum? Quia non seruaui castitatem meam. Et ille, Fuisti mas, an fœmina? Respondit: fœmina. Et quod, inquit, tibi nomen? Dicente illa, Maria: Mox subiunxit; poterisne iuuari? Ad quod illa non respondit, sed ad preces conuersa, sic ait: Rogo ves per omnipotentem Deum, vt dicatis psalterium vnum; & insuper aliquot missas. Cuius precibus cum libens annuisset Dominus Abbas, protinus subiecit; possem ne videre te? Et ecce, hoc sermone completo, vidit coram se stare pulchram iuuenculam tonsuratam, more claustralium in subnigra tunica, quam cum plura interrogare vellet, tam de statu eius, quam de aliarum quarumdam, excitatus est.* Hactenus visio.

a lib. 2. cap. 26.

2. Quam cum cœlitus missam non dubitaret, cuius rei multa signa præsensisset, & ex relicta compassione in miseram solito vberiorem experiretur. *Sequenti die (pergit idem auctor* [b]*) quid viderit dicta prima die Abbati Clari-Campi (nempe Iuoni) & quibusdam Monachis eius, nec non & mihi, qui tunc præsens eram, retulit: nec erat qui visum intelligeret, vel interpretari posset. Recitata est visio sororibus de Nazareth, sed non est inuenta Maria. Sciens vero sæpe dictus Abbas tam manifestam visionem sibi sine causa minimè ostensam, cum venisset*

b vbi suprà.

veniſſet in Sion, quæ etiam eſt domus Sanctimonialium Ordinis noſtri, ſicut & Nazareth, poſt verba exhortationis ſomnium retulit, Mariam ſuam inueſtigans. Et ecce vna Sanctimonialium matertera eiuſdem Mariæ, hæc audiens, & admirans ſecretius Abbati locuta eſt, dicens: Domine, Maria hæc filia ſororis meæ fuit, Sanctimonialis in quodam clauſtro Friſiæ nigri Ordinis, quod Bredehorn vocatur, & eſt ante octo annos defuncta, quæ cum fuiſſet in grangia Monaſterij, quidam clericus, illam corrupit, & impregnauit. Cum vero in partu periclitaretur, vocans patrem, & matrem, & duas ſorores maritatas, nec non filiam materteræ ſuæ de Sion, confeſſa eſt eis peccatum ſuum cum gemitu cordis, ſicque expirauit. Illi vero de anima eius ſalute deſperantes, nihil ei beneficij impenderunt. Audiens hæc Dominus Abbas gratias egit Deo, qui non tradit beſtiis animam confitentem ſibi, & animam pauperis ſui non eſt oblitus in finem, ſciens in ea completum, in quacumque hora peccator ingemuerit, ſaluus erit. Cuius hortatu parentes ſpe concepta, cœperunt ei beneficia impendere, ſed & ipſe Abbas tam in Monaſteriis Friſiæ quam in regionis domibus prouinciæ noſtræ miſſas, & orationes, atque pſalteria plurima ei obtinnit, exceptis his, quæ ipſe ei ſpecialiter impendit. Ita Cæſarius. Cuius verba cum etiam tranſcripſiſſet Thomas Maluenda in ſuis item Annalibus hæc addit [c] *Egregium ſane, ac memorabile exemplum, validam eſſe ſeram pœnitentiam, dummodo veram; inſuper Purgatorium ignem expiari Miſſis, & precibus viuentium.*

c *ad hunc ann.*

3. In hoc eodem itinere Henricus è vanitate ſæculi conuerſum ad Heiſterbacum tandem venire fecit adoleſcentem nobilem Gerlacum, Canonicum maioris Eccleſiæ Traiectenſis; de cuius conuerſione hæc idem auctor. [d] *Ante hos tres annos, Dominus Henricus, qui nunc eſt Abbas noſter, dum vice Abbatis de Clara-Valle viſitaret in Friſia, contigit eum hoſpitari in Caſtro cuiuſdam militis nomine Suederi. A quo cum multum deuote ſuſceptus eſſet, vt ei conſuetudinis eſt, recitauit ibi quædam mirifica, quæ in Ordine noſtro contigerunt: & cum adeſſet prædictus Gerlacus, filius Fratris eius militis, Canonicus maioris Eccleſiæ in traiecto, ſicut terra bona, ſemen verbi in agro cordis ſui ſuſcepit, & non multo poſt fructum ex eo centuplum fecit. Qui ſicut mihi poſtea in probatione retulit, ex illa hora propter conuerſionem cœpit fluctuare, & qualiter conceptum ardorem extingueret diligentius cogitare. Nacta igitur occaſione, ne notaretur, quaſi ad ſtudium Pariſios perrexit; vbi cum modicum feciſſet tempus, ad nos diuertit, factuſque Nouitius ad ſpirituale ſtudium ſe conuertit.* Hactenus ibi. Ab hoc porro Gerlaco diuerſus eſt alius eiuſdem Monaſterij Monachus, de cuius conuerſione non multo poſt. *Frater Gerlacus Sacerdos, & Monachus noſter, propter ſigna vnius deuotionis, quam in quodam Monacho noſtro vidit, ſicut mihi confeſſus eſt, primum conuerſionis amorem concepit. Die quadam cum Monachus ille, quem bene noſti Miſſam in eius, paræcia celebraret, tantam ſecundum conſuetudinem habebat gratiam lachrymarum, vt Gerlacus, qui propter miniſterium ex latere ſtabat, eandem conſiderans, gratiam admirans, Dominum glorificaret. Ex illa hora ita cœpit ordinem diligere vt non quieſceret donec vnus ex Ordinis perſonis fieret.*

d *lib.1.c.18.*

Ad eoſdem, & Abbatem, & domum pertinet conuerſio alterius militis; nomine Ludouici, quem iam pene in extremis laborantem, dum ad Ordinem traxit, vitam reſtituit; cum iam redux ex Friſia inter charos ſibi filios demoraretur. De eo, & fœli ipſius conſummatione, poſt annum nouitiatus expletum, ſed ante annum M. CC. XXII. quo ſcribebat Cæſarius, hæc habet verba. [e] *Ante hoc triennium miles quidam Ludouicus nomine, de Caſtro Are, in acutis laborabat, & vocatus eſt Dominus Abbas; vt infirmum viſitaret. Inardeſcente, infirmitate cum miles idem iam omnino eſſet deſperatus, monitus eſt ab Abbate, vt ſe Ordini redderet, & votum conuerſionis, vt mos eſt, verbis exprimeret; qui conſilio acquieſcens, mox vt ex conſenſu vxoris inter manus Abbatis ſe reddidiſſet, facies eius cæpit immutari, & quodammodo alterari, ita vt pallor verteretur in candorem, & color liuidus proficeret in ruborem, cunctis, qui aderant, ſtupentibus, & Dei donum in moribundo mirantibus. Et vt pius Dominus adhuc manifeſtius oſtenderet, quia propter votum Ordinis infirmum diſtuliſſet, cœpit idem miles ſine ſudore, ſine ſanguine, ſine ſternutatione, contra infirmitatis naturam conualeſcere. Qui non ingratus beneficiis Diuinis, deportari ſe fecit ad Monaſterium noſtrum, in quo factus nouitius, & Monachus, non multo poſt migrauit ad Dominum.* Haud aliter Bernardus pater olim quocumque ibat, à ſæculo abſtractos ad Claram-Vallem Nouitios congregabat.

4.

e *lib.1.c.25.*

Supereſt adhuc inſigne aliud miraculum à Virgine patratum Heiſterbacenſi, quod in hunc annum item referendum, idem auctor teſtatur, dum ita ait. [f] *Eo tempore quo Dominus Engelbertus Colonienſis Archiepiſcopus ædificauit Caſtrum in Turſtinberg, contra nobilem virum Gerardum de Brubach, iuuenis quidam miles de eius exercitu, Theodoricus nomine, facere ſibi volens nomen, ante idem Caſtrum captus eſt. Diu ibidem incarceratus, cum pecuniam pro ſua ſolutione dare ſpopondiſſet, extractus de carcere, poſitus eſt in domo ſuperiori, cui addita ſunt vincula & ſerui ad cuſtodiam deputati: habebat enim circa pedes annulos ferreos, & circa brachium eiuſdem generis manicam, quæ annexa catena parieti caute ſatis erat infixa. Nocte quadam cum eſſet dormiens inter ſex ſatellites, tam ſe quam reliquos captiuos cuſtodientes, & Dominam noſtram, nec non & alios Sanctos ſolito inuocaſſet, obdormiuit. Et ecce in ſomnis vidit ſe tranſpoſitum in Monaſterium noſtrum, de quo cum vellet egredi, ſedens in equo more fœmineo neceſſitate vinculorum, dixerunt ei duo ex Monachis noſtris, Monegundus, ſcilicet, & Henricus cognati eius ſecundum carnem: nolite egredi, ſed reuertimini; quia Sancta Maria de Heiſterbach liberauit vos, hoc etiam nomine vocatur domus noſtra.* Hæc viſio oſtenſa per ſomnum Theodorico, non ſecus atque Petro olim Apoſtolo, cum inter duos milites dormiret vinctus catenis, & cuſtodes ante oſtium carceris ſtarent.

5.

f *lib.7.c.3*

Verum non minus à Petro liberatum, agente Virgine,

Virgine, idem qui supra auctor ita prosequitur. *Ad verbum Monegundi, & Henrici, Theodoricus euigilans, gauisus est, & de visione cogitans, vtrum nam esset vera, an phantastica? scire volens, mox, vt digitos amouit pedem vnum sine difficultate extraxit, simili facilitate manum à catena liberauit. Sapiùs ista tentauerat, sed non profecerat: cúmque ex motu vinculorum vnus seruorum euigilasset, territus miles circulum reponere voluit, nec potuit. Tum primum intelligens tale miraculum Dei genitricis meritis circa se gestum, seruo rursum obdormiente, leniter surrexit & vincula adhuc seruans in vno pede per linteamen per fenestram se dimisit, & fugit. Quod dum seruus comperisset, clamore fugam eius prodidit, sed manus humana capere non potuit, quod virtus Diuina protexit. Multi eum tubis, & cantibus insequuti sunt, & cum sapiùs in proximo sub frutetis latitaret, inuenire eum non potuerunt. Qui ad nos veniens eosdem circulos pro gratiarum actione, super altare Beatæ Mariæ Virginis obtulit, & qualiter eius meritis liberatus sit, nobis per ordinem recitauit. Acta sunt hæc anno gratiæ M. C C. X I X.* Hactenus, quæ ad Heisterbacensem Ecclesiam pertinent; quæ, & pleraque alia, tam ex dictis, quam ex infra dicendis Bzouius etiam scribit suis Annalibus.

7. In Eberbacho VVerneri adolescentis gloriosus transitus, Maria Virgine excipiente fœlicem animam, illustrauit non minus præsentem annum, de quo idem qui supra auctor hæc scri-
g *lib. 7. c. 55.* bit g. *Circa hoc triennium Monachus quidam VVernerus nomine Eberbacho defunctus est, ætate quidem adolescens, & imberbis, sed mente canus: hic cum ante horam exitus sui, sicut ab eius Abbate didici, Dæmones circa se videret, illorum importunitate valdè turbatus, clamare cœpit: Sancta Maria libera me ab istis vilissimis: crebriùs hoc repetens. Audientes huiusmodi clamorem hi, qui circa eum erant, satis mirabantur, scientes eum esse taciturnum, & vix ad interrogata respondere. Postmodum respirans, & inclinans ait: Bene veniat charissima Domina mea, bene veniat: moxque manum contra Dæmones leuans, & eis insultans, subiunxit: Modo iacete vos ibi: sicque post modicum, placido vultu expirauit, Angelis gaudium faciens in cœlo, sed non modicum dolorem Fratribus in Monasterio; fuerat enim adolescens bonus, & disciplinatus, Virgo corpore, & mente. Nec dubitandum est, quin in aduentu Reginæ cœli, omnis illa turba spirituum malignorum impulsa sit, & deiecta, sicut in ortu Solis dispergitur nebula matutina.* Hæc de VVernero defuncto in Ebarbacho.

8. At de puellis in monte Sancti Saluatoris Margarita, & Gertrudi, altera in nouenni ætate defuncta, sed post mortem non semel apparenti; viuente altera, sed spiritibus cœlestibus communicante, déque Stepone Capellano professo eiusdem domus insignis Sanctitatis Viro, audi quod sequitur h. *Circa hoc triennium puella quædam paruula nouem (vt puto) annorum, in Monte Sancti Saluatoris, quæ domus Ordinis nostri est, in aduentu ipsius Saluatoris mortua est; defuncta vero clara die, Conuentu stante in choro, ipsa chorum intrauit, intrans ante altare satis profundè inclinauit, sic in locum suum, vbi stare solita erat, secedens. Quam iuxta se alia puella penè eiusdem ætatis, stare videns, & mortuam sciens, tanto horrore concussa est, vt notaretur. Requisita vero à Domina Benigna Abbatissa, à cuius ore audiui, quæ dicturus sum: cur ita in choro concuteretur? Respondit; sic, & sic: Soror Gertrudis in chorum venit, & cum dictis Vesperis commemoratio fieret Dominæ nostræ, ad collectam se in terram, stans iuxta me, prostrauit; finita vero collecta, se erigens abiit: hæc fuit causa horroris mei.*

h *lib. 12. cap. 36.*

9. *Abbatissa timens illusiones Diabolicas, ait puellæ: Soror Margarita (hoc ei nomen erat) si denuo venerit ad te soror Gertrudis, dic ei: Benedicite: & si responderit tibi: Dominus: interroga, vnde veniat, vel quid quærat? Sequenti die illa venit, & salutata cum respondisset: Dominus: puella subiunxit: Bona soror Gertrudis, vnde tali hora venis, vel quid apud nos quæris? Respondit illa: Ad satisfactionem huc veni, quia libenter tecum in choro susurraui, semiplenè verba proferens, idcirco in eodem loco iussa sum satisfacere, vbi me contigit peccare: & nisi tibi de eodem vitio caueas, eandem pœnam moriens sustinebis. Cum quarta vice prædicto modo satisfecisset, ait consorori: modo satisfactionem meam compleui, de cætero non me videbis; quod ita factum est. Nam ea aspiciente tendebat versus cœmeterium, mirabili virtute murum eius transcendens. Ecce tale fuit Purgatorium huius Virginis.* Hactenus de Gertrude puella Cæsarius, non vltra discutiens, an præter Diuinæ visionis dilationem aliqua alia pœna cruciaretur: nam de hoc quoddam aliud exemplum refert sequenti capite, quod iam à nobis superius expensum manet. De Gertrude Henriquez in Menologio ad vigesimam septimam diem mensis Nouembris.

10. Verum de Margarita, & Stepone subdit statim i. *Margarita vero ex comminatione defuncta, sic territa est, vt infirmata ad extrema deueniret, quæ rapta in excessum montis, sic iacuit, vt omnibus defuncta videretur; post horam reuersa, quasdam ex sororibus in præsentia Dominæ nostræ se vidisse, quasdam se illic non vidisse testata est: Dicebat etiam, quia eadem gloriosa Virgo Maria coronam in manu haberet, quam Steponis Sacerdotis esse dicebat. Idem Stepo Presbyter fuit valdè religiosus, & mirè charitatiuus in eodem monte Deo, prædictísque sororibus seruiens.* Hactenus ibi concernentia præsentem annum. Nam quæ de Steponis morte sequuntur, anno M. CC. X X I. quo euenisse noscuntur, dicenda erunt. Neque præter, ea quæ Cæsarius narrat, alia de ipso potui inuenire.

i *lib. 12. cap. 36.*

1. *Richmundis Virgo Sancta ad montem Sanctæ VValburgis piè obdormit*, 2. *Mysteria illi glorioſa*, 3. *& doloroſa oſtenſa Diuinitus.* 4. *Claritatem cœleſtem ſemel*, 5 *& iterum in Euchariſtia videt.* 6. *Raptus paſſa frequentes, ſed abſconditos.* 7. *Philippi Namurcenſis ſancta mors, aſſiſtentibus Ciſtercij quatuor Abbatibus.* 8. *Acta eius*, 9. *& inſcriptio ſepulchralis*, 10. *ac demum dubitatum de mortis tempore.*

CAPVT QVINTVM.

1. HOc item caput Cæſarius mihi impleat, & ex ipſo Richmundis, Philippúſque, neuter Ciſtercienſis, ſed vterque Ciſtercio iam addictus, atque adeo in virtute promotus per Ciſtercienſes, vt neuter poſſit ſilentio præteriri. Richmundam Virginem memorandam noſtris Annalibus, vt non faciat profeſſio, facit deuotio, & nihil ferè cœleſtis conſolationis illi communicatum, quod non Monaſterio Sanctæ VValburgis, cuius ſororibus eximiè familiaris, & in quo frequens fuit, acceptum ferat. Siue ergo conuerſa, vt vult Henriquez, ſiue vt conuiuens, comproficiénſque, noſtris Annalibus venit adſcribenda. Admirandas ipſius reuelationes, quas Cæſarius ſparſit in ſuis Dialogis, quia hoc anno defunctam fuiſſe conſtat, in hoc capite neque aliis, quam ipſius verbis pro more noſtro in medium producemus. Et quidem tempus fœlicis eius tranſitus, ſimul & quandam illuſtrem viſionem in die Epiphaniæ illi oſtenſam, auditámque, ita ipſe deſcribit [a], atque ex ipſo Maluenda [b] in ſuis Annalibus.

a *lib.8.c.7.*
b *Ad hunc ann.*

2. *Virgo quædam circa hoc triennium defuncta eſt, Richmundis nomine, habitu ſæcularis, ſed vita religioſa valdè, ac ſpiritualis, ieiuniis, & obſecrationibus ſemper vacabat, mentem ſæpiſſimè excedens, ita vt cœli ſecretis intereſſet, & cœli Regem, cum cœli ciuibus frequentiùs videret. In quadam ſolemnitate Epiphaniarum, cum in Monte Sanctæ VValburgis intereſſet matutinis, & Abbatiſſa inchoaſſet reſponſorium, duodecimum ſcilicet*, In Columbæ ſpecie *illa vigilans, & orans, in exceſſu facta, Chriſtum infantem, pannis inuolutum, & in præſepio poſitum, coram ſe vidit, & circa illum quaſi thronum æreum ad ſimilitudinem Iridis; erátque ex vtraque parte eius multitudo Angelorum, manibus extenſis eum adorantes, & oculorum ſuorum acies in illum indeclinabiliter defigentes; nec mirum ipſe eſt ſpecioſus, ille forma præ filiis hominum, in quem, teſte Apoſtolo* [c], *Angeli concupiſcunt proſpicere. Cúmque ventum fuiſſet ad locum illum.* Paterna vox audita eſt, *non Conuentum illa Beata, in qua tunc temporis ſenſus exteriores defecerant, ſed Patrem audiuit dicentem.* Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. *Erat autem Dei filius, & hominis tanti decoris, & vox Patris tanti dulcoris, vt exprimere mihi non ſufficeret. Requiſita etiam à me, quales eſſent effigies Angelorum? Reſpondit, ſtaturas habent humanas, facies Virginibus ſimillimas, genas adinſtar roſarum rubentes, & reliquis membris intectis niue candidis.* Hactenus ad ſimilitudinem humanam depicti Angeli, qui ſenſibus corporis percipi poſſint.

c 1.*Petri* 1.

3. Subdit Cæſarius admirandam pueri IESV apparitionem alteri factam Virgini, & ſtatim, ad Richmundam rediens, ait [d]. *Prædicta Richmunda tempore quodam (vt puto Dominicæ Paſſionis) cum de ipſa meditando valdè contereretur, mente excedens, mox per ſpiritum in domum quandam amplam, & hyemalem rapta eſt, in qua Saluatorem ſtantem vidit nudipedem, & quaſi captiuum, & circa illum multitudinem Iudæorum: ſtabat enim demiſſo vultu, ſola tunica indutus, atque diſcinctus, manibus etiam demiſſis: tunica eius flauum videbatur habere colorem, & ſicut ipſa mihi retulit, in diuerſis angulis domus, deni, ac duodeni adinſtar Ciconiarum congregati, ſuſurrabant, de morte illius tractantes. Erat autem domus Summi Pontificis, in qua acta ſunt ſecundum hiſtoriam, quæ huic ancillæ Dei oſtenſa ſunt ſpecialiter.* Sic læta triſtibus, glorioſis doloroſa, vt vocant, myſteria, in ſua Virgine Chriſtus temperabat.

d *lib.8.c.9.*

4. Frequentiora nihilominus illi glorioſa, & læta, præcipuè in Euchariſtia, in quam miræ deuotionis affectum, ſupra vires humanas, experiebatur. *Cum die quadam*, (ait idem auctor [e]) *Sacerdos quidam in Monte Sanctæ VValburgis Miſſam celebraret, religioſa Virgo Richmundis, cuius memini in diſtinctione octaua cap.7. poſt tergum eius ſtans, hoſtiam in eleuatione, tam lucidiſſimam vidit, & tam perſpicuam, ac ſi fuiſſet Chryſtallina, & radio Solari perluſtrata. Nec impediebant pollices Sacerdotis, quibus hoſtiam tenebat, in aliqua parte hoſtiæ claritatem, quia eadem gratia pollices dotabantur: nec dum tamen factam ſibi puta tranſſubſtantiationem. Vocabatur autem Sacerdos VVilhelmus, ætate quidem iuuenis, ſed vitæ Regularis in Capella iuxta Nuſſiam profeſſus. Viſionem hanc Richmundis ipſa Superiori noſtro Gerlaco retulit, & ipſe mihi.*

e *lib.9.c.33.*

5. Hæc in commendationem vtriuſque, celebrantis nimirum, videntíſque, illius dum digiti, quos ad conſecrationem admouebat, cœleſti illa claritate perfundebantur; huius dum hanc eandem claritatem, ſimul & hoſtiæ in corpore mortali videre meruit, atque in ipſa Dei gloriam contemplari. At quæ ſolam Richmundam nobis commendet, aliam viſionem ſubiungit idem Cæſarius [f]. *Dum eadem Richmundis, ſicut ab eius ore audiui, in prædicta Eccleſia ad miſſam matutinalem ſtaret, infra Canonem circa Sacramentum maximam contemplata eſt claritatem. Putans primo, quod radius Solis per feneſtram demiſſus illuſtraret, propius acceſſit; & ecce, claritas eadem ſenſim ſe oculis eius ſubtraxit, & intellexit ſtatim, quia lux eadem fuiſſet claritate corporis Chriſti, non ex Sole naturali, cuius ortum eadem hora longè præceſſerat.*

f *lib.9.c.34.*

6. Multa alia dicuntur de Sancta Virgine, quæ longum eſſet in præſenti recenſere. Id vnum, tamen prædictis addendum cenſeo, cedente naturali virtute virtuti gratiæ, & prævalentibus impulſibus ſpiritus incorporales vires, nonnunquam accedenti ad Euchariſtiam, defectum corporis, ſiue mentis exceſſum contigiſſe, adeo in externa ſigna prorumpentes, vt etiam circumſtantes turbare poſſent. *Quando vero* (pergit Cæſarius

g *vbi suprà.* Cæsarius g) *gratia communicandi accedebat ad altare, aliquando ante perceptionem, aliquando post, labebatur, tenebatur, trahebatur, nunc mentis excessum, nunc corporis defectum incurrens, ita vt dicere posset cum Ieremia: Factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens. Videntes hæc Sacerdotes, sæpè turbabantur, & circumstantes admirati sunt.* Hæc & similia Richmundam pati solitam, cum primum vidit non sibi subiacere; crediderim euitasse frequentiam hominum; ne dum in varias sententias diuiduntur, & quod hi venerantur, & suspiciunt, condemnent alij, priores sibi in scandalum, dum laudant, aut ipsa posterioribus fiat, dum malè iudicant.

7. Richmundæ Philippum, cognomento nobilem, Comitem Namurcensem meritò iungo; hoc anno vita functum, vt vult Cæsarius, quatuor Cistercij Abbatibus vocatis, qui morienti assisterent; pœnitentem absoluerent, atque abeuntis exitum munirent. Quantum porrò per ipsos breui profecerit, idem Cæsarius scribit totidem verbis h. *Ante hoc triennium*, inquit, *defunctus est Philippus, Comes Namurcensis, vir potens, & nobilis, filius Balduini Comitis Flandriæ: antequam moreretur, tantam ei contulit Dominus in infirmitate contritionem, vt talis contritio non esset visa in aliquo homine nostris temporibus: quatuor Abbatibus Ordinis nostri, simul, & sæpè confessionem suam facere consueuit, in tantum se accusans, tantum plangens, vt omnes ad lachrymas prouocaret. Nec ei ista sufficiebant, quin laqueum collo suo iniiceret, rogarétque confessores suos, vt se traherent in plateam, dicens; sicut canis vixi, dignum est, vt moriar sicut canis. Filias fratris sui Balduini Comitis, qui factus fuerat Rex Græciæ, tradiderat Regi Franciæ, cuius filiam duxerat vxorem, quidam dixerunt, quia vendiderat eas, de quo facto plurimum dolebat. Deportari se fecerat in pauperrimam domum ciuitatis suæ, in qua pauper spiritu migrauit ad Dominum. Volens autem pius Dominus tantam eius remunerare contritionem, miraculis eum glorificare dignatus est, tanquam dilectum confessorem: sepultus in Ecclesia Sancti Albani Martyris, in qua ipse instituerat Conuentum Canonicorum de suis iustis redditibus eis stipendia adhuc sanus ordinans, tantis vsque hodie signis coruscat, vt de remotis Regionibus infirmi aduenientes, ad eius tumbam sanitatem recipiant, ipsamque terram circa sepulchrum effodientes secum pro benedictione deportent.* Ita Cæsarius.

h *lib. 2. c. 18.*

8. De hoc Philippo Meyerus hæc in Annalibus i. *Balduinus vna cum Maria vxore vltra marinam militiam professus, Philippo Fratri, ac Brochardo Auenienſi curam, & administrationem Flandriæ, atque Hannoniæ simul, duarum filiarum suarum tutelam custodiámque attribuit. Has Gandaui apud Mathyldem fructuariam Philippus aliquandiu curauit educandas, quarum postea non satis se fidelem præstitit custodem.* Et libro sequenti k. *Philippus Namurcensis, Augusti amissi Frater Ioannam, & Margaritam eius filias tutelæ suæ, vt diximus, traditas, cognito eius infortunio ad Philippum Francorum Regem clanculum transmisit, Mariam illius filiam, vxorem sibi, remissionémque pretij suæ captiuitatis ea conditione pactus.* Ita Meyerus, cui alij omnes concordant.

i *Ad ann. M. CC. III.*

k *lib. 8. in principio.*

Arnaldus de Rayse, post relata Cæsarij verba, sepulchrum Philippi Comitis à se lustratum, atque tabellam ex oppositio appensam, in qua eius alia acta resumuntur, sed à Cæsario in anno discordantem, ita describit. *Vidimus aliquando tumulum eius marmoreum, paululum à terra eleuatum in veteri choro Ecclesiæ Cathedralis Sancti Albani; ex opposito vero tumuli tabula suspensa habetur cum hac inscriptione. Hic sepultus est illustrissimus, ac potentissimus Vir. D. Philippus Comes, & Marchio Namurcensis, successor Fratris sui Henrici, ac filius Balduini, quondam Comitis Flandriæ, & Hannoniæ, ac Marchionis Namurcensis. Qui quidem Philippus obiit absque liberis anno M. CC. XIII. & ampliauit numerum vigesimum prebendarum de tribus prebendis; ac postmodum ad honorem Dei, & augmentum Ecclesiæ Sancti Albani, in Diuinis seruitium instituit in eadem Ecclesia viginti beneficia, quæ dicuntur Vicariæ, conferenda viginti Clericis eidem Ecclesiæ assiduè deseruituris. Cuius ossa fuerunt translata in medio nauis Ecclesiæ, cum altari per eum fundato, in veterem chorum cum maxima reuerentia. De pœnitentia acerbissima per eum facta habetur in Chronicis. Anima eius requiescat in pace. Amen.* Aubertus Myræus in Chronico nupertimè euulgato, l ad annum etiam anteponit Philippi mortem, quippe non tertio decimo, sed duodecimo putat obiisse, & quod miteris, Meyerus ad vndecimum.

9.

l *Ad ann. 99.*

10. Ego sepulchrali inscriptioni multum deferrem, si lapidi ab eo tempore sculpta conspiceretur. At recenti tabulæ, & recentioribus adhuc scriptoribus, an contra auctorem grauem, & coæuum, atque loco vicinum, deferre liceat? aliorum linquo iudicio discernendum; maximè inter se cunctis discordantibus, quo minor fides singulis haberi possit. Ergo Cæsarium mihi sequi placuit facilè mutaturo, quippe qui sciam & ipsum potuisse decipi, si vel magis concordes, vel antiquiores testes proferri valeant.

---

1. *Iniuncta nostris in Italia quædam,* 2. *atque item in Gallia* 3. *in litteris Honorij notata alia.* 4. *Quid in Germania* 5. *& Belgio,* 6. *Hispaniáque.* 7. *Successio Magistrorum Pereyrensium, & translatus Conuentus ad Alcantaram.* 8. *Gualterus Morganensis Abbas, poëta clarus.* 6. *Duo virorum cœnobia parum nota,* 10. *& mulierum totidem, sed suo vtrumque capite enodandum.*

CAPVT SEXTVM.

1. HOc item anno iniuncta quædam nostris, quæ leui calamo veniunt præstringenda. In Italia cum Abbas Sancti Galgani, collegæque, inquisitionem, & alia inde sequenda, quæ iniunxisset Honorius in Episcopum Fesulanum (incertum quibus causis) distulissent, graues, seueræ

seueræque litteræ datæ [a]. *Quatenus infra mensem, post receptionem præsentium* (ait Pontifex) *in negotio ipso, iuxta prioris mandati nostri tenorem, appellatione postposita procedatis, eundem Episcopum ab omni administrationis officio, sine dilatione suspendentes, donec super hoc duxerimus aliud statuendum; alioquin cum culpa ipsius Episcopi negligentiæ vestræ, ne dicamus malitiæ, possit de cætero imputari, extunc officio, beneficióque suspensos, nostro vos conspectui præsentetis. Datis Reati secundo Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno quarto.* Ita seuerè Honorius in negligentes, seu quauis alia causa retardantes suarum litterarum exequutionem. Abbati etiam Columbæ iniunctum est, Beamontio nimirum Vicecomiti [b]. *Vt Placentino Episcopo sub immenso ære alieno, & redditibus eius succumbenti, si viderit expedire, licentiam tribuat alienandi vsque ad quantitatem, mille librarum de possessionibus ipsius Episcopi, quas minus vtiles esse iudicauerit. Datum Viterbij quinto Kalendas Ianuarij, Pontificatus Honorij anno quarto.*

a *Ex Regest. Hon. in Vatic.*

b *vbi suprà.*

2. In Gallia Episcopus Cænomanensis, cum Archidiacono eiusdem Ecclesiæ litigans super iurisdictione, quam vsurpabat, & super distinctione præbendarum Archipresbyteratus, & Archidiaconatus, quas in vnam confusas detinebat. Iudices in vtraque causa ex Cistercio accepit. In prima Abbatem, & Priorem de Sabigniaco [c] *litteris datis Laterani septimo Kalendas Februarij, anno tertio.* In secunda Abbatem item, & Priorem de Oratorio. *Quatenus ait Pontifex ad locum ipsum personaliter accedentes, & inquisita super his diligentius veritate, si vobis constiterit de præmissis, dictum Archidiaconum, vt altero dictorum officiorum contentus, resignet aliud, moneatis, præcisè per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita cogatis, &c. Datis Laterani VII. Kalendas Februarij, Pontificatus nostri anno tertio.* Ibidem Comitissa Campaniæ illustris fœmina pro se, & filio certans, nunc cum Principibus Galliæ, nunc cum Episcopis, semel Guillelmum Claræ-Vallis, & N. Quinciaci Abbates, Cistercienſem vtrumque; iterum Longi-Pontis, cum duobus adiunctis iudices habuit simul, & defensores; primis litteris *datis Reati VII. Kalendas Augusti.* Secundis. *Viterbij, tertio Idus Nouembris præsentis anni.*

c *ibidem.*

3. Porrò in his vltimis notatu dignum est, quanta cum reuerentia, si ita fari licet, Pontifex agat. Quippe cum de Abbate Longi-Pontis emersissent querelæ, quod occasione acceptæ commissionis, prædictæ Comitissæ nimium faueret, litterarum tenorem prætergrediens, neque mandatum reuocat, neque aliis committit emendandum, si non ipse emendaret, quod excessisset. Tantum admonet deputatos esse, qui sibi omnia, quæcumque gererentur, significarent. *Ne igitur*, ait, *inde iniuriarum videatur oriri occasio, vnde iura nascuntur, si ex beneficio nostro materia præsumitur malignandi: discretioni vestræ mandamus attentè, quatenus præmissæ indulgentiæ tenore diligenter inspecto, & forma mandati Apostolici ad vos directi seruata, ipsius fines nullatenus excedatis: ne cum priuilegium mereatur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, cogamur forsan auctoritatem, quam vobis commisimus reuocare. Alioquin dilectis filiis Decano Carnotensi, & Cantori Remensi nostris damus litteris in mandatis, vt cum ab eodem Episcopo fuerint requisiti, si vos mandati fines pro certo nouerint excessisse, nobis significare procurent.* Vix puto reuerentius potuisse agere, si Cardinalem de latere suo Legatum alloqueretur.

In Germania Danieli Sconaugiensi Abbati, & Philippo Ottemburgensi causa commissa, quæ celebre cœnobium Sancti Albani Monachorum nigrorum multum, & diu turbasset: & instabat occasio maioris metus, si non tam re, quam nomine Christianus eiusdem domus Monachus ob atrocia flagitia inde eiectus, per Archiepiscopi Moguntini violentiam reuocaretur. Iussi ergo [d]. *Vt Monasterium Sancti Albani personaliter adeuntes, de cunctis inquirerent, & seu Conuentus, seu Christianus Monachus in probatione deficerent, perpetuum silentium illi imponerent, ne lites adeo in longum protraherentur. Datum Reati septimo Idus Nouembris, anno quarto.* 4.

d *Eodem loco.*

Prolixior adhuc, & fraudibus obnoxior in Belgio lis Claro-Mariscensem Abbatem occupauit (Simonem, vt coniector ex ipsa serie Abbatum Claro-Mariscensium) quæ inter Episcopum Ambianensem, & Abbatem, ac Conuentum Sancti Ricarij à tempore Innocentij perdurabat; plenam, & absolutam obedientiam debitam sibi, Episcopo petente, è contra vero Abbate, atque Conuentu exemptionem totalem allegante, quam dudum sibi a Romanis Pontificibus indultam, per authentica instrumenta demonstrabant. Et Episcopus manutentus in possessione, quam vtcumque probauit, ne in proprietate caderet, friuolis exemptionibus, dilationibúsque, dum nihil aliud, quam tempus terere satagit, Abbatem, & Conuentum, per exquisitas fraudes foris in ipsa lite; domi per repetitas exactiones, & grauamina varia, molestabat. Ergo Honorius Abbatibus Claro-Mariſci Cistercienſis, & Sancti Augustini Præmonstratensis Ordinis, in mandatis dat primum, vt exactiones iniustas, atque omnes expensas inde sequutas, Abbati, atque Conuentui restitui faciant; deinde, vt nisi Episcopus in causa, omissis dilationibus, procedat sine alia probatione, Monasterium exemptum esse declarent. Tertio vt eo de plano procedente, probationes recipiant, quas protulerint, simul & Monasterij defensiones, vtrasque ad curiam, sub vtriusque sigillis remittendas: ac tandem: vt Episcopo renuncient, si termino præfixo non compareat, procedendum in causa per Honorium, non secus ac si partes præsentes essent. Hæc pluribus litteræ, quas in exemplar fraudum litigantium, Aduocatorúmque, quamuis prolixas nimium, penè fuit consilium transcripsisse. Extant, leguntúrque inter alias Honorij præsentis anni. Datæ Viterbij tertio Idus Decembris, anno quarto. Fuere, & Laudensi Abbati, & Villariensi quædam alia commissa, quæ breuitatis causa prætermitto. 5.

In Hispania, cum Dertusensis Præsul, in quem proximo anno inquiri iussum, profectus Romam, Aspargi Tarraconensis Metropolitæ, atque omnium Prouincialium, Episcoporum, quin & Iacobi Regis, quod ipse Honorius ait, testimoniales pro se litteras detulisset; quæ vix, aut ne vix, possent obtineri, si publica fama laborasset: ne fama alias illæsa boni Pastoris, ex ipsa inquisitione denigraretur, Sanctarum crucium Abbati, Priorique, & Scalæ-Dei Priori præceptum est, vt ab ea cessarent, aut, (quod 6.

litteræ

litteræ innuunt) non procederent. Nam ipsos suspendisse exequutionem pensatis circunstantiis, quoadvsque Pontifex de cunctis certior factus replicaret mandatum, aut suspenderet, satis in eis videtur insinuari. Certè, quæ fiunt in Prælatos delationes, non de leui admittendas, ipsum ius docet, cum multæ possint malitiæ subiacere: & de hac facta Honorio de Dertusensi à subditis ipsius, sic ipse loquitur [e]. *Quod ad hoc eam feciſſe creduntur, vt cum ſint, ſicut dicitur, criminoſi, prædictus Epiſcopus ad caſtigandos eorum exceſſus, non poſſit procedere, ſicut debet, &c. Datis Viterbij tertio Idus Decembris, anno quarto.*

[e] Epistola Honorij lib. 4.

7. Quod ad militias sactas attinet, hoc anno lego, Nunnio Ferdinando Pereyrensi Magistro per mortem rapto, Didacum Sanctij (Roderici Ximeni Toletani cognatum sunt, qui affirment) subrogatum fuisse, priusquam Conuentum, quod valdè optauisset, ad Alcantaram posset transportare. Creditur tamen omnia disposuisse, vt per Didacum hoc anno transferri posset. Locus militibus in arce datus est, vbi hodie Conuentus vetus dicitur, ad differentiam noui post multos annos exædificati, qui hodie à Clericis eiusdem militiæ inhabitatur. Antiqui nihil manet, præter ruinas, quæ ex solo nomine Conuentum præ se ferunt. Visuntur & lapideæ sedes octo, & triginta (tot Rades numerat) adinstar lignearum, quæ choris solent psallentium adaptari. Hinc Sanct. Iulianæa militia, seu Pereyrensis priori titulo prorsus obliterato, de Alcantara dicta; & sola Pyri insignia conseruata, compedibus ad vtrumque latus positis (Trauas vulgo vocamus) queis Calatraua vtitur, vt nouam cum ea vnionem profiteretur. Permanserat Conuentus in primis sedibus vnum, & sexaginta annos, plus, minusve, antequam ad Alcantaram migraret. Porrò in Alcantara occupauit priorem locum annis circiter C C. L. structa interim Magistri Militiæ aula Conuentui ipsi contigua, quam Gutierrius de Soto Maior dictus, Alcantaræ Magister, ædificauit, maiori zelo, quam vtilitate: quippe sub eius successore deserta domus, nec solum milites, verum ipsi Clerici, Sacerdotésque priuatas vnusquisque inhabitabant. Is forassis effectus conditionis appositæ contractui anni præteriti, ne videlicet haberent Priorem Monachum, vt semper obseruatum in Calatraua. Fortè si habuissent; non eo ventum esset, vt eguissent per Reges reformari: sed hæc aliàs, & suis quoque locis dicenda erunt. Hoc ipso anno ab Alfonso Legionensi insigni priuilegio donati sunt, vt Castra, villas, quas expugnarent, sibi acquirerent, Rex solo supremo Domino contentus esset. Hinc multus illis ardor, & gloriæ cupidis, ac Christiani nominis zelo succensis, hactenus ostensa vtilitas robur superaddidit.

8. Hunc etiam annum concernere videtur Gualteri Morganensis Abbatis in Anglia mors, Poëtæ laudatissimi, de quo Ioannes Pitsæus hæc habet scripta [f]. *Gualterus Morganius apud Demetas in Australi Vallia natus, in Anglia diu studuit, omnes artes liberales, & Philosophiam diligenter didicit. Deinde factus est Ordinis Cistercienſis Monachus, & tandem crescentibus virtutum, & eruditionis meritis electus est Abbas Morganensis. Propter politiorem doctrinam impensè laudatur à Lelando, & à Ioanne Frumentario in opere de Viris illustribus. Variarum rerum naturam curiosè inuestigauit, & eleganter versu scripsit,*

De Animalibus terrestribus, Librum vnum.
De Volucribus, Librum vnum.
Carmina de variis rebus, Librum vnum.

Claruit circa annum M. CC. XIX. sub Anglia Rege, Henrico tertio.

[f] Descriptoribus Anglia ad hunc ann.

Nihil hoc anno decretum in Capitulo, saltem 9.
quod dignum Annalibus censeamus, siue reuera remedio nihil indigeret in familia composita; & constante, seu recens tunc electus Cistercij Pater, quo doctior, eo magis abhorrens à multis legibus, & in principio suæ Præfecturæ, nihil temerè voluit innouare. In Chronologia duas tantum Abbatias notatas lego: sexto Kalendas Martij Abbatia de Der: septimo Kalendas Augusti Abbatia de Vltune. Vtramque nobis ex nomine vix notam. Nisi quòd tamen de prima (siue alias simili) hæc habet Iacobus VVaræus in suis illis Hybernicis cœnobiis fundationem ad annum anteponens. *Catalogus quarumdam domorum Cistercium Regiſtro Honorij Richmundiæ inſertus, Abbatiam de Dere in Hybernia fundatam tradidit ſexto Kalendas Martij M. C C. XVIII. Atque cum certum ſit ſodalitium cœnobij Derenſis ab anno 545. quo partij ſcriptores, fundatum memorant, à Sancto Columbano, vſque ad tempus ſuppreſſionis fuiſſe Auguſtinianum, aut illa eſt Moicoſquinenſis Abbatia, qua ſanè ſita eſt in Diœceſi Derenſi, aut vbi quæram, ignoro.* Ita VVaræus. In tabulis Ecclesiarum Claræ-Vallensium, Der in Scotia Abardonensis Diœcesis, non Derensis in Hybernia, & inter Kilos filias annumeratur. De Vltune nihil prorsus, quod dicam habeo.

Monialium duo alia cœnobia notiora sub- 10.
sunt, alterum in Hispania, in Germania alterum; hoc sub vocatione Sanctæ Catharinæ, Sancti Fœlicis illud ex loci nomine; nec quibusque Monialibus Cistercij, sed Calatrauæ tantum, quæ aut hactenus non visæ, aut sparsæ, & adinstar donatorum, vt vocant, magis, quam Sanctimonialium conuentualiter degentium inhabitabant. Atque hoc quidem primum, quod sciamus sub Cistercensibus militiis pro Virginibus constructum cœnobium fuit, quod mox alia sequuta, & forsan quæ in militia Sancti Iacobi visebantur Salmanticæ in exemplar fuere, vt in aliis etiam militiis admitterentur. Maximè cum non deessent coniugati, qui separarent à thoris, atque huic militiæ arderent incorporari; quod vel ex ipsa fundatione huius cœnobij constabit apertè. Vtriusque nos initia, quia singularia, singulariter etiam seorsimque, sed breuiter describemus pro more nostro.

1. *Adelbertus sepulturæ tradendus surgit*, 2. *Vdonem loci pastorem alloquitur.* 3. *Multa, quæ vidit, narrat.* 4. *Septennio à resurrectione superuiuit.* 5. *Sanctitas eius.* 6 *Vdonem de construendo cœnobio monet.* 7. *Ædificatum Sanctæ Catharinæ dicatur,* 8. *pro Virginibus Capellanis, conuersisque:* 9. *qua auctoritate, & quibus testibus.* 10. *Notata quædam singularia in fundatione:*

CAPVT SEPTIMVM.

1. VIRGINVM Monasterium iuxta Mandal (Marendal alij dicunt) in Prouincia Moguntina hoc anno surgens, sub Sanctæ Catharinæ aduocatione, quia ab insigni miraculo incœpit, per Trithemium vulgato, hic nobis latiùs veniet describendum. Fundator Vdo Archipresbyter, & Pastor eiusdem loci, cum aliquibus sociis; occasio rara, dignáque transcribi. *Anno*, ait Trithemius [a], *M. CC. XII. quarto Kalendas Martij magnum contigit miraculum in Villa, quæ Vallis Virorum, vulgariter Manendal, non procul abhinc sita, nuncupatur. Fuit in ea vir quidam bonus, & honestus, nomine Adelbertus, habens vxorem, & liberos, quos labore manuum suarum nutriebat. Is cum esset annorum L. XII. in febres acutissimas incidit, quibus paulatim sese augmentantibus, morti videbatur esse vicinus. Confessus igitur, & Sacramentis præmunitus Ecclesiasticis, ad extrema deuenit, & die præfata iam Sole occidente, rebus humanis excessit. Mortuus itaque sic iacuit tota nocte, amicis circa corpus exanime funeralia cum lachrymis ex more peragentibus. Mane autem facto oriente iam Sole, cum paratis omnibus, quæ ad sepulturam necessaria videbantur, iam iam esset sepeliendus, subito coram omnibus, qui aderant, viuus resedit; cumque fugerent omnes, surrexit etiam ipse de loco in quo iacebat, festinóque cursu ad Ecclesiam pergens, vsque ad nonam horam diei fixus in oratione permansit, nec vllum interrogantibus dare responsum voluit.*

[a] *In Chronico Sponheimiensi.*

2. *Cum autem ab oratione tandem se eleuasset, circumspiciens multitudinem, vidit adstantem, mirantémque, & interrogantem, quid circa eum ageretur. Et respondit: Hoc Deus bene scit. Væ stultitiæ hominum, væ impietati! quam acerba sunt quæ manent eos post hanc vitam! Accedens autem interea Pastor Ecclesiæ ipsius, Vdo nomine, qui & Archipresbyter fuit, vir doctus religiosus, ac timens Deum, dixit. Quid est Adelberte? Fuisti ne mortuus? Mortuus eram, inquit, & per misericordiam Dei sum viuens, sicut antea fui. Sed aliter mihi deinceps viuendum, quam antea erit. Cui Pastor: Vidisti ne aliquid de futura vita? Vidi, inquit, & multa, & horrenda. Cumque rogaretur, vt visa ediceret, respondit: Lex mihi imposita, sine qua; nec dicere, nec facere aliquid possum. Reductus autem in domum Pastoris, dixit ad eum. Domine Pastor iussus sum vobis aperire, & dicere omnia, quæ vidi, & audiui, & non possum omni populo, ne magnalia, & secreta Dei veniant in derisum his, qui secundum carnem sapiunt. Misit ergo Pastor nuncium huc ad Monasterium, & intimauit omnia Ruperto Abbati nostro, rogans illum quatenus ad Mandal veniret sine mora, & Magnalia Dei dignaretur audire. Qui secum assumpto Iuano Priore, illuc concitus perrexit: aduocatísque paucis ex Villanis, quos Pastor ibidem iudicabat idoneos, coram eo, qui fuerat mortuus, audituri quid diceret, residebant. Qui aperiens os suum dixit.*

3. *Cum grauissima infirmitate vrgerer ad mortem, & obtenebratis omnibus sensibus meis sic iacerem, videbatur mihi quasi terræmotus fieret maximus, in quo cœlo, & terra concussis fortiter, subito anima mea extra copus facta, quasi ex tenebris ad lucem, nescio quomodo omnem mundum simul, & semel videre, quam liquidissimè potuerit. O bone Deus! quam remota est mortalium opinio à veritate vita illius, quæ sequitur post præsentem. Anima mea tunc quidem extra corpus posita, tam lucidè fuit, vt omnia, quæ in mundo sunt, Prouincias omnes, Ciuitates, Castra, Villas, gentes, homines, regna, terras, montes, colles, & aquas siue maria, ipsum situm totius vniuersi tam clarè conspiceret, omniáque propriè, & distinctè simul, & semel intelligeret, vt nihil vnquam in hoc mundo tam bene me intellexisse viderer. Et mirabile est super omnia, quod dicturus sum. Cum enim scirem me nec corpus habere, nec oculos, & tamen omnia videre, quæ sunt in toto mundo, non possum iam satis admirari ignorantiam meam, qua non amplius intelligo, quæ tunc intellexi, anima enim spiritus est, & omnia in spiritu mecum sunt acta: & iam nihil eorum amplius intelligere aliter possum, quam si mihi per sensibilia fuissent ostensa.*

4. Pergit post hæc in prædicta narratione cunctorum, quæ se vidisse testatus est, de pœnis damnatorum, de Purgatorio, & gloria spirituum Beatorum. Qua narratione completa, subdit qui scripsit. *His dictis, siluit, & fleuit. Cui Pastor dixit: Mira sunt quæ dicis: sed scire vellem, vtrum ea, ita videris in veritate, aut in aliqua similitudine sensibilia, quasi per sensum, an in sensu, an spiritu? Cui ille respondit: Domine Pastor nulla vos traditio seducat. Quantum ego scire possum, imo quantum dicere audeo, omnia, quæ ibi sunt, aguntur, vel patiuntur, spiritualia sunt, & tanto maiora, & sublimiora mortalibus cunctis, quanto corpore subtilior est spiritus. Mihi autem (sicut ab Angelo sum edoctus) propterea in similitudine sensibilium, & materialium cognitorum ostensa sunt, quia ad corpus eram reuersurus; nec potuissem ea spiritualiter sicuti sunt, iam in carne, aut retinuisse, aut vobis reuelasse, si ea vidissem sine adminiculo, similitudinem sensus inducente Impossibile est enim, vt homo mortalis illa videat, sicut sunt. Verum tamen non satis intelligo nunc in corpore, quæ extra corpus positus tunc intellexi; sed cum quasi post iucem magnam in densissimas ignorantiæ tenebras proiectus. Multa dixit, & alia horrenda de pœnis inferni, & Purgatorij, simul, & de gaudiis regni cœlorum, quæ omnia scribere nimis esset prolixum. Occulta etiam quorumdam hominum peccata, iubente Angelo, vt pœnitentiam agerent, eis indicauit, & futura nonnulla, quæ postea euenerunt, prædixit. Hæc autem, quæ signauimus Vdo Archipresbyter Pastor in Mandal conscripsit ad notitiam prosperitatis.*

5. *Porrò ipse Adelbertus, qui fuerat mortuus, & reuixit,*

reuixit, tam arduum iter pœnitentiæ assumpsit, vt dubium non fuerit, maiora illum vidisse tormenta, quam dixit. Nam vitam solitariam in nemore non procul à Dalen assumpsit; vbi paruam casam fabricauit ex lignis, & luto, in qua vsque ad mortem Domino in magna abstinentia seruiuit per septem annos, quibus superuixit. Hactenus ex Trithemio ad verbum reddita provt ab ipso narrantur ad illum annum. Porrò inter alia, quæ Vdoni, & sociis dixit, constituendum ab eis cœnobium Virginum in eodem illo loco, quæ sese Deo æternum consecrarent. Septennium quod Adelbertus superuixit consumpsere negotia, & quæ Monialium præcedere debebant institutionem; siue reuera minus non sufficeret; siue quæ eo viuente tractata segnius, ipsius morte excitatũt torquentes animos. Constat eo quo Adelbertus obiit anno, suscepisse Moniales, cum ædificia cœpissent ante biennium: quod idemmet Trithemius memoriæ prodit: sic enim habet scribens ad hunc annum [b].

[b] *In eodem Chron.*

6. *His temporibus Monasterium Cistercienſis Ordinis in Valle Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris iuxta Mandal constructur, & dotatur per munificentiam Vdonis Pastoris in Mandal Archipresbyteri, sociorúmque eius, qui visione supra memorati defuncti resuscitati præmonitus, omnia, quæ habere potuit ad eundem locum dedit.* Ita Trithemius. Qui etiam fundationis copiam, vt ipse vocat, dotationisque, tam pro Monialibus, quam pro Capellanis, & conuersis factæ adducit; confirmante Sifredo Moguntino, imo totum negotium stabiliente; & subscribentibus inter plures alios Diepoldo Ebetbachcensi, Eustachio Hemmenrodensi, & Philippo Ottemburgensi Abbatibus: nec non Mathylde, prima Abbatissa, vt apparet, eiusdem loci. Vnde facilè liceat coniectari, quanta cum auctoritate domus cœperit, quæ tot, ac tales testes habere meruit. Atque ecce instrumentum fundationis.

7. *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Sifredus Dei gratia Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, tenore præsentium omnibus Christi fidelibus innotescat, quod dilecti filij Gotfridus Præpositus de Greutzenacht, Vdo Archipresbyter de Mannendal, Fridericus Decanus de Hilberseim, & confratres, habentes in cordibus suis zelum Dei, proprietates suas contulerunt in vnum, & Ecclesiam Sanctæ Catharinæ Cistercienſis Ordinis exinde fundauerunt. Proinde disponentes, quod bona eadem ab omni onere aduocatorum, cuiuslibet præstatione seruitij sint exuta; renunciantibus iuri suo, si quod in illis tenuerunt, aduocati. Cum autem hanc proprietatis donationem nostra auctoritate roborare teneamur, ita vt liceat inhabitantibus, hæc quæ ad ea pertinent iustè & legitimè possidere; auctoritate, qua fungimur, confirmantes, statuimus, quatenus Monastica religionis ordo, secundum regulam Beati Patris Benedicti & institutionem Cistercienſium Fratrum, ab ibidem commorantibus, semper, & inuiolabiliter seruetur. Illud quoque ipsis firmiter statuentes, & stabilientes, quod & ipsis, & omnibus suæ religionis, & professionis à Domino Papa Alexandro, pluribusque Romanæ Sedis Pontificibus indultum, & concessum esse dignoscitur, videlicet, & de noualibus, & locis incultis suo labore, propriisque impensis ad culturam redactis, nec non de hortis, animaliumque suorum nutrimentis, nemini decimas aliquas exoluant: sed hac sibi concessa gaudeant indulgentia.*

Instituimus etiam, vt protaxati præuisor 8.
cœnobij in vendendis, vel emendis Ecclesiæ rebus, siue in sororibus, siue in conuersis suscipiendis sine consensu Abbatissæ, Conuentusque consilio non procedat; nulla ædificia, vel erigat, vel destruat. Oblationes quoque, quæ ad manus Sacerdotum offeruntur, & quæ de remotis, aut vicinis partibus Ecclesiæ supradictæ deferuntur, vel mittuntur in loco ad id deputato, sub Abbatissæ, Præpositi, & seruorum custodia reseruentur. Domus vtensilia cum appendiciis, lana scilicet, & lacticinia, sub Dominarum custodia teneantur. Abbatissa & Conuentus, sine Præpositi consilio nihil in prædictis ordinent. Præpositus vero sine illis nihil disponat. Obeunte autem Abbatissa, siue Præposito, non ibi quacumque surreptionis astutia, vel violentia, Abbatissa, seu Præpositus instituatur; nisi quam, aut quem Conuentus communi consensu, vel pars sanioris consilij secundum Dei timorem, & regulam Beati Benedicti elegerint. Statuimus etiam, vt non nisi de illarum ordine Abbas ab eodem Conuentu, pro rigore Ordinis conseruando, aut quæstionibus, ad quas sibi videbitur Conuentus non sufficere decidendas, eligatur; & ille iuxta mandatum nostræ institutionis non debet electioni in eum factæ contradicere.

Conuersi Præposito, sorores vero Abbatissæ, obe- 9.
dientiam promittant, & secundum Beati Benedicti regulam, sine murmuratione persoluant. Præcipimus item, ne conuersi à prædicto loco sine licentia debita exeuntes, in aliquo locorum recipiantur. Quicumque igitur contra constitutionis nostræ hanc paginam aliquo temerario ausu (quod absit) venire attentauerit, & ordinationem supra notatam, sigillique nostri impressione munitam, & corroboratam, infringere, aut perturbare studuerit, indignationem Dei omnipotentis, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, per eum damnatus anathemate, auctoritate Domini Papæ Honorij, & nostra, se incursurum, nisi resipuerit, recognoscat. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XIX. Indictione VIII. Domino Honorio tertio Apostolicæ Sedis præsidente, regnante Domino Friderico II. glorioſissimo Romanorum Rege semper Augusto, & Rege Siciliæ: sub his testibus: Henrico maiori Præposito, Poppone Decano, Gotfrido custode, Christiano cantore, Henrico Burgensi Præposito, Alberto de Cogelemberg, Friderico de Firnemberg, Canonicis maioris Ecclesiæ Moguntinæ: Iuano de Spomheim, Hartvvino de Monte sancti Disibodi, Abbatibus: Henrico Præposito de Shvvabemheim: laicis quoque, Iuano filio Comitis de Spomheim cum fratribus suis Godebodo de VVierbach, & Michone fratre suo, VVlfremo de lapide, Marchardo de Batholdo de Strumberg militibus; aliisque quamplurimis, tam clericis, quam laicis fide dignis, Diepoldo etiam de Eberbach, Eustachio de Hemmenrode, Philippo de Ottemberg, Abbatibus; Mathylde eiusdem loci Abbatissa: anno à quo incœpit Cistercienſis Ordo C. XXI. XXII. Kalendas Iunij, anno, quo initiata est domus in Valle B. Catharinæ secundo X. Kalendas Nouembris. Datum Moguntiæ XVII. Kalendas Nouembris, Pontificatus nostri anno XIX. Hactenus litteræ Archiepiscopo Sifridi.

Porrò in his quædam annotanda videas, quia 10.
singularia. Primum est, quod conuersi, non Abbatissæ, sed Præposito, siue mauis, Priori, obedientiam promitterent, quod contra morem:

cum in aliis Cistercij Monasteriis, non solum conuersi, quod hodiéque in Regali Monasterio ad Huelgas propè Burgos perseuerat, sed Capellani in manibus Abbatissarum profiterentur. Secundum est, quod eædem ipsæ Virgines, non sub aliquo Abbate determinato, qui ius Paternitatis haberet in eam domum, sed sub aliquo vage relinquerentur: & tertio tandem, quod electio eius penes Archiepiscopum Moguntinensem maneret, qui licet nihil nisi per Abbatem Ordinis posset, tamen quod posset eligere, quem vellet singulare habebat, & quod nulli alio Pontifici, Romano solo excepto concedebatur. In anno fundationis Cistercij mendum inest, & pro C. XXI. haud dubiè C. XXII. scribendum foret.

---

1. *Surgit cœnobium in Diœcesi Burgensi pro Monialibus Militiæ Calatrauæ.* 2. *Quid Magister, & quid sacer Conuentus ad hoc contulerint?* 3. *Quid duo illustres coniuges?* 4. *ac quibus pactis mutuo conditionibus?* 5. *Subscriptores, & testes.* 6. *Monialium habitus, locique translatio.* 7. *Mors fundatoris, & nouæ conditiones.* 8. *Incrementa & sepulchrum Philippi Ferdinandi Castellæ, & Regis Legionis filij.* 9. *Dictum de aliis Monasteriis eiusdem Ordinis.*

CAPVT OCTAVVM.

1. VLTIMVM sequitur Monasterium Sancti Fœlicis in veteri Castella Burgensis Diœcesis, quod pro Calatrauensibus Monialibus Gundisaluus Ioannes, militiæ Dux, & Garsias Gutierrez, atque Maria Suarecia vxor ædificarunt. Atque hi vltimi fundatores, & dotatores, seu Calatrauam, & vitam continentem inuicem separandi, arderet vterque, siue mulieribus militiæ sacræ addictis prædeuotione, sed non habentibus residentiæ communem locum ex bonis propriis vellent prouidere; nam Calatrauæ militia adeo florebat, vt etiam illi, qui non profitebantur, venerarentur. Cum ergo vterque Magistrum adiisset, & sibi bona ad dotandum cœnobium, & voluntatem sufficere omnino, locum tamen deesse, declamassent. Nec ex re esse, vt militia Calatrauæ careret Monialibus, quas aliæ admitterent, aut ea parte orationum, & meriti apud Deum defraudaretur. Multos fortassè vxoribus relictis, professuros militiam, si vbi eadem vxores elocarent, intra eandem familiam inuenirent; quod sibi in votis esse ipsimet nouerant, & de aliis nequaquam dubitabant. Tum vero Gundisaluus rem considerans, & locum sibi iuxta Ameyam oppidum in Diœcesi Burgensi, èx Sancti Martyris Fœlicis nomine, fœlix semper auspicium, noménque trahens, memoria recolens, communicato consilio cum suis fratribus, eundem locum, atque ipsum concernentia, libenter obtulit, in quo tam pium opus exequerentur. Pactæ deinde quædam conditiones; & fundatio, dotatioque cum ipsis, instrumento firmatæ, quod redditum Latinè (nam in vulgari contra morem æui confectum) rudi, quo erat, stylo conseruato, eorum omnium notitiam clariorem dabit [a].

a *Historia Calatrauæ cap.* 18.

2. *Notum sit omnibus præsentes litteras inspecturis, quod ego Dominus Garsias Gutierrez, vna cum vxore mea Domina Maria Suarez, nullo cogente, pro amore Dei, & pro salute animarum nostrarum, fecimus promissionem Domino Gundisaluo Ioannis Magistro Calatrauæ, & vniuerso Conuentui eiusdem loci, quod quandocumque Deus nobis inspirauerit, Ordinem suscipere Regularem, non alium, quam Calatrauæ suscipiemus. Et vter nostrum ante alium mortuus fuerit, qui superuixerit Ordinem intrabit, sine aliqua contradictione. Et præter hæc pro Deo, & pro remedio animarum nostrarum stabiliuimus domum, in qua viuant sorores Calatrauenses, vt conuentualiter habitent, atque ibidem suum Ordinem seruent. Et Magister Dominus Gundisaluus Ioannis cum suo Conuentu dedit domum Sancti Fœlicis, & Burgos (vulgo los Barrios) ei adiacentes cum omnibus pertinentiis suis. Insuper promisit se daturum vsque ad totum id quod quatuor iuga boum colere possint. Dedit etiam decem vaccas pingues, & centum oues. Super hæc autem Dominus Garsias Gutierrez vna cum Domina Maria Suarez vxore eius, dederunt totam hæreditatem, quam D. Maria habebat in Sanctouio (hodie Sanctoyo) & Astudillo: hoc est quatuor iugera boum, cum quatuordecim pagis, quorum octo habitantur, & sex non, cum pertinentiis suis. Item quantum habebat in Quintanilla de riuo frez (hodie de rio frezno) id est medietatem quindecim iugerum boum, & triginta pagorum, cum aliis, quæ ibidem siue ex paterna hæreditate accepta, siue in bonis propriis empta ad illas pertinent, aut possunt pertinere. Hæc omnia dedimus domui Sancti Fœlicis. Et super hæc ego Dominus Garsias Gutierrez vna cum vxore mea Domina Maria Suarez dedimus in instanti trecentos marepetinos aureos in fabricam Monasterij. Et ego Domina Maria Suarez do, & concedo prædicto Monasterio Sancti Fœlicis, à morte mea possidenda omnia mobilia, quæcumque in domo mea inuenta fuerint, exceptis aliquibus, quæ erunt inter ancillas meas diuidenda. Item quod in morte mea corpus meum deferatur per Fratres de Calatraua in eodem Sancti Fœlicis Conuentu sepeliendum: & ego Dominus Garsias Gutierrez vna cum vxore mea Domina Maria Suarez sepulchrum nostrum ibidem stabilimus, sepeliendi in prædicta domo Sancti Fœlicis, siue in sæculo moriamur, siue in Ordine.*

3. *Super hæc omnia volumus, & stabilimus, vt si aliquis vir, & vxor eius Ordinem Calatrauæ professi fuerint, ex his, quæ Ordini in eleemosynam contulerint, tres partes Conuentui Calatrauæ cum viro cedant: quarta autem pars Conuentui Sancti Fœlicis cum vxore ibidem conseeranda. Sed si aliquis, siue vir, siue mulier specialiter Conuentui Sancti Fœlicis aliquid legauerit, id totum illi cedat sine aliqua diuisione, aut partitione. Insuper dictus D. Garsias Gutierrez, & vxor eius Domina Maria Suarez, vna cum Domino Gundisaluo, & vniuerso Conuentu Calatrauæ firmiter iurant, & paciscuntur, quod quidquid ipsi tunc donant prædicto loco, aut ipsi, aut aliy donauerint in futurum, neque Conuentus, neque Magister possint repetere, aut*

aut in suos, alioſve vſus conuertere, ſed ſolum maneat ſub defenſione, & protectione Ordinis, & Conuentus Calatrauenſis. Quod ſi cõtigerit, Magiſtrum Calatrauæ aut quempiam alium ex prædictæ militiæ Fratribus, aliquid horum infringere, aut violare, ſupra nominatus locus Sancti Fœlicis ab Abbate Morimundi defendatur, & ſub eius exiſtat protectione. Hactenus inſtrumentum fundationis. Sequuntur teſtes, quos nec licuit, nec libuit præterire.

5. *Teſtes, qui præſentes fuerunt, & audierunt, & & viderunt D. Gundiſaluus Nuñez filius Domini Nuñi Sanchez. Dominus Rodericus Alfonſi. Rodericus Correa. Ramirus Gundiſaluus, & Hermildus Gundiſalui frater eius, filij Gundiſalui, Pelaez de Mazuela. Didacus Roderici de San-Cebriam. Albarus Correa. Gomeſius Perez de Faracos. Gundiſaluus Martinez de Velloſillo. Martinus Perez. D. Yuan Clericus. D. Gundiſaluus frater eius. D. Iuſtus. D. Albarus. Gundiſaluus Ioannes. D. Lupus Merinus. Gundiſaluus Roderici, qui & iudex. Gomeſius iudex Fratrum pro Magiſtro. D. Gundiſaluus Gonçalez commendator maior cum Conuentu, qui fecerunt hoc ligium, & ſubſcripſerunt. Facta charta ſub æra M.CC.LVII.* Hactenus teſtes, ſimul & ſubſcriptores. Porrò vt hoc inſtrumentum Latinè redditum non paruam præ ſe ferat antiquitatem; at in vulgari illo rudi, & antiquo, in quo confectum eſt, & in quo etiam à Radeſio Andradio ponitur, maiorem adhuc præfert ſimul cum æui illius ſimplicitate, ruſtica forſan, ſed digna venerari.

6. An ſtatim introductæ Moniales fuerint non conſtat. Ego introductas credo, eas nimirum, quibus congregandis ædificata domus, dotataque. Quippe anno ſequenti Conuentum iam habuiſſe ſub Abbatiſſa per inſtrumenta conſtat, quod idemmet Andradius teſtificatur. Pro habitu deſignatus illis ſcapulare adinſtar militum: verum ſine Caputio, pro quo Monialibus velum imponi ſolet. Addita tamen tunica, & cuculla, vt cæteris Monialibus Ciſtercij: quippe mulieribus non militaturis nulli impedimento, quo ſolo titulo in viris moderabantur. Permanent immutatæ veſtes vſque ad hanc diem tam in eo Monaſterio, quam in aliis, in nullo penitus ab aliis differentes, forma colore, quantitate, aut qualitate, niſi quod tamen crux rubra ſuperpoſita denotat Calatrauæ eſſe ſubiectas. Manſit cœnobium in illo primo loco annos CCC. L. plus, minuſve, nempe vſque ad M.D.L.XXVIII. quo Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis Catholici, atque adminiſtratoris huius militiæ vigili prouidentia effectum eſt; vt ad vrbem Burgenſem transferrentur; quam tranſlationem ex eiuſdem Regis mandato *exequutus eſt* (inquit Radeſius [b]) *Reuerendiſſimus Dominus Fray Ludouicus Aluarez de Solis, Prior ſacri Conuentus Calatrauæ, me etiam aſſiſtente, veluti Regio pro eadem militia Capellano: cum Abbatiſſa officio fungeretur Domina Beatrix Manrique de Valentia, Prioriſſa Domina Bernardina Guzmania, & Domina Ioanna de Velaſco ſubprioriſſa.*

[b] *vbi ſupra.*

7. Eiſdem inſtrumentis, ex quibus conſtat, ſequenti anno locum Sancti Fœlicis iam à Monialibus cœptum inhabitari; habemus etiam Garſiam Gutierrez eodem item anno iam defunctum, in eo accepiſſe locum ſepulturæ. Porrò Mariam, eiuſdem Garſiæ viduam, pepigiſſe cum Magiſtro, Fratribúſque, ſi quę in primo inſtrumẽto defuiſſent: ſiue (quod verius multo, & proprius dixerim) quid in cæteris vtriſque faciendum eſſet, Monialibus nimirum, Fratribúſque iuxta leges Ciſtercij, declaraſſe. Nempe, vt nouæ Abbatiſſæ ſubrogandæ præſideret Magiſter, atque ipſe cum conſilio Monialium, quam vtiliorem cenſeret declararet in receptione Monialium, neque Abbatiſſa, aut Conuentus ſine Magiſtri, neque Magiſter ſine Abbatiſſæ Conuentúſque conſenſu aliquid vnquam efficere tentarent. Non video tamen expreſſum ab hoc auctore, an Maria impleuerit, quod promiſit, & quæ marito ſuo ſuperuixit, in eadem domo ſe Deo conſecrauit? Creditur Garſias ex nobili Padillarum familia fuiſſe, quod quamuis certo conſtare nobis non poſſit probabilibus tamen coniecturis vero ſimile reddit Radius eodem loco.

8. Creuit cœnobium aliorum donationibus, in quibus hæ præcipuæ, quæ à Domina Eleonora Gundiſalui, Gundiſalui Nuñez de Lara filia, Roderici Fernandi de Caſtro coniuge, ſub æra M. CC. XCVII. & rurſus quæ à duobus filiis eorum Ferdinando, Eleonoraque factæ leguntur. Donatæ ab his Moniales Sanctæ Fœlicianæ, haud contemnendis oppidis, iuxta Valliſoletum Cigales, & Mucientes, atque aliis multis, & magnis poſſeſſionibus. Certè horum Fratrum larga munificentia adeo ditatæ ſunt, vt ipſi vulgo habeantur pro fundatoribus: Monialibus fortaſsè conſentientibus, quo Regium nomen acquirerent cœnobio. Quippe Eleonora Philippo infanti nupſit, Ferdinandi cognomento Sancti ex Beatrice Regina filio, de qua inferius. Hic cum priùs Hiſpalenſi ſede reiecta Chriſtinæ nupſiſſet, quæ Alfonſo Fratri deſponſanda ob creditam ſterilitatem violantis, ex Nouergia adducta; violante interim granida inuenta, ne nulli nuberet, Philippo tradita eſt, brevis temporis vxor. Quippe iacturam Alfonſi Regnique impotentia muliebri malè tolerans, breui vitam cum morte commutauit. Cum, inquam, is Chriſtinæ ante nupſiſſet, ipſa defuncta, Eleonoram Caſtriam duxit, cum qua in eodem Conuentu ſepultus iacet. Hinc Eleonora nupta Regio iuueni fundatrix vulgo, aut credita, aut dicta; non alibi nimirum ſepelienda, aut ſepultura virum, quam in propria domo, & quam alter eorum ædificaſſet. Non capiunt ſepulchra Reges priuata, cecinit quondam Poëta; ſed in hoc regula probatur fefelliſſe.

9. Hoc initium Sanctimonialium Calatrauenſium. Primæ Abbatiſſæ nec nomen, nec locus conſtat, vnde illuc adducta. Credibile ex Guelgenſi apud Burgos; quia vicinum, quia Regium, quia tunc inhabitatum per Regum filias; niſi fortè nouam illam fundationem, quia non eis ſubiiciendam, auerſabantur. Sequuta deinde duo alia cœnobia eiuſdem profeſſionis, & obedientiæ in Diœceſi Toletana, & Seguntina; alterum ad Almagrum inſigne oppidum, quarto, ni fallor, lapide à noua Calatraua; alterum dictum Sancti Saluatoris de Pinilla; ſed longè recentiora, quæ ſuis locis dabit, atque huius vltimi varias tranſlationes, ſi quis fortè hos Annales continuauerit.

ANNVS CHRISTI M. CC. XX. ANNVS CISTERCII C. XXIII.

1. Instante multa conuersorum ad fidem messe in Prouinciis Liuoniæ, 2. Cistercienses ab illius terræ Episcopis, 3. per Honorium Pontificem, 4. ad eam sollicitantur. 5. Translatio Beati Thomæ Cantuariensis: 6. & quid in ipsa Stephanus? 7. qua auctoritate? 8. & quibus, ab Honorio concessis indulgentiis? 9. inquisitio de miraculis Bertrandi Conuenarum Episcopi, 10. à quo vrbs nominata. 11. Puer Achas septennis vita exemptus. 12. & mater, eius exemplo, 13. Cistercium induens.

CAPVT PRIMVM.

1. HAVD vanam fuisse nostrorum per Liuoniam, & Prouincias vicinas prædicationem, Episcoporum litteræ indicarunt, quas intrante anno ducentesimo, vigesimoque supra millesimum, ab ortu Saluatoris: à condito Cistercio, centesimo vigesimo tertio, ad Honorium Pontificem scriptas, aliæ ad nostros eiusdem adseuerant. Illarum summa: conuerti multos Paganos, & quantumuis lapidea corda mitescere ad susceptionem verbi, ac velut terram bonam fructificare. Messem maturam dudum ad multam segetem, sed deesse operarios: & Cistercienses præ cæteris idoneos experientia compertos, præ aliis etiam mittendos ad tantum opus, ipsos, velut qui sibi minus fidant, & se inutiles prædicant; ægrè à quæsita quiete dimoueri: sed scatere Monasteria Monachis, qui dignè verbo præfici, qui fructum exoptatum facere possint. Iubeat tamen Honorius eos dari, quos ipsi elegerint: quod zelus fidei, quod charitas Christiana, quod iura humana, & diuina, si quam vim habeant, non permittebant, sed postulabant; non vltro se suggerentibus permitti sine periculo; & quærendos idoneos, mittendosque, quibus id munus tuto committatur. Censuit Honorius iustam petitionem, cuique adeo esset deferendum ab ipso. Ergo cum primum Episcoporum accepit litteras, has ad omnes Abbates Cistercij dedit [a].

a *Ex Regest. Honor. 3.*

2. *Abbatibus, & Prioribus Cistercienſis Ordinis, per Germaniam, Poloniam, & Boëmiam, & per alias Prouincias constitutis.*

Et si non sit nostrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater in sua posuit potestate; verisimiliter tamen multis, coniicitur, quod ecce nunc ostio magno aperto à Domino, ad Christi fidem intret gentium plenitudo. Dum ad Summi Patris familias cœnam post cæcos, & claudos, Pagani, velut de infidelitatis sepibus, compelluntur intrare; ac oues, quæ nondum de Christi ouili fuerunt, adducuntur ad ipsum, vt sit vnum ouile sicut vnus est pastor. Vnde qui Christi est, gaudere, ac cooperari debet, vt augeatur numero, & merito populus Christianus; & ad conuertendas ei barbaras nationes, & conuersas in eius fide seruandas, modis omnibus, quibus potest debet impendere semetipsum, vt animas Domino lucrifaciens, animæ suæ lucretur gratiam sempiternam.

3. *Sanè, cum, sicut Venerabiles Fratres nostri Liuouiensis, Leopoliensis, & Lealensis Episcopi, nostris auribus intimarunt, in partibus Liuoniæ duritia cordium Paganorum, tanquam terra vastæ solitudinis, imbre gratiæ diuinæ compluta, & ex parte vomere Sanctæ prædicationis exculta, in eis, semen Verbi Diuini fœliciter in segetem pullulet; quin etiam albæ sint iam regiones ad messem. Quæ quidem Domino dante benignitatem, multa est; operarij vero pauci: expedit vt alij mittantur illuc metere, quod alij seminarunt; quatenus secundum Euangelicam veritatem, qui seminant, simul gaudeant, & qui metunt.*

Cum igitur per Dei gratiam in ordine vestro 4.
sint multi ad huiusmodi opus idonei, charitatem vestram rogamus attentius, & hortamur, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus Monachos, & conuersos, quos prædicti Episcopi, vel missi ab eis, à vobis duxerint postulandos, illuc, ad opus ministerij huius, non solum permittatis accedere; verum etiam transmittatis; vt ipsi erudientes ad salutem, mereantur, tanquam stellæ in perpetuas æternitates, lucere; ac vos retributionis eorum, ad quam sine vobis nequeunt promoueri participium promerentes possitis apud Deum, & homines commendari. Datis Viterbij IX. Kalendas Maij, Pontificatus nostri anno quarto. Hactenus litteræ Honorij Papæ tertij; quibus vsos Episcopos, quis dubitat? sed ea semper Cistercij cura fuit, gesta filiorum in libro vitæ scribere reliquas omnes notitias formidare.

Hoc item anno, magno cum Principum, Po- 5.
pulorúmque concursu, ab Stephano Languetonio Cantuariensi Archiepiscopo, celebratam lego nouam eleuationem, seu translationem Beati Martyris Thomæ, de qua Robertus Antisiodorensis hæc in Chronico [b]. *Anno M. CC. XX. Corpus B. Thomæ Martyris, à Stephano Cãtuariensi Episcopo, mẽse Iulio, eleuatur, & in loculo deaurato, ac mirabili operum varietate celato reponitur, anno ab eius transitu quadragesimo.* Ita Robertus; quæ eadem penè habet, Hector Boëtius; sed multo adhuc exactius Matthæus Paris in sua historia Anglicana, ita scribens [c]. *Eodem tempore leuatum est de lapide marmoreo corpus Beati Thomæ Archiepiscopi, & Martyris, à Stephano Cantuariensi Archiepiscopo, præsente Rege, & omnibus ferè Episcopis totius Regni cum Abbatibus, Prioribus, Comitibus, & Baronibus, Clero & populo multo, in crastino octauarum Apostolorum Petri & Pauli. Cuius corpus Sanctissimum collocatum est honorificè in feretro, ex auro, & lapidibus pretiosis mirabiliter fabrefacto: interfuerunt etiam huic translationi Archiepiscopi, Abbates, Priores, & alij multi de Regno Francorum, aliarumque diuersarum regionum, qui ob honorem,*

b *Ad hunc annum.*

c *Ad hunc annum.*

&

& reuerentiam Beati Martyris, vt tantæ adessent solemnitati, alacriter conuenerunt. Hæc Matthæus.

6. Meminit item huius translationis Nicolaus Arsseldius addens ferè omnes expensas in ipsa factas ab Stephano insumptas larga manu: quin & vndique ad ipsam confluentibus multa data in subsidium, neque solum Cantuariæ, sed in via. *Cuius*, inquit [d], *id est Thomæ trãslatio in Pontificatum illius incidit, octẽnio ante illius obitum. Cui Rex cum omni ferè nobilitate, & Episcopis, & cœnobiorum præsidibus interfuit; multique etiam Archiepiscopi, atque Episcopi exteri. In quam maximas Stephanus impensas contulit, & præter alias, curauit, vt equorum sumptus, à Londino Cantuariam vsque, de suo cuicumque poscenti, suppeditarentur.* Hactenus ille. Hugo Menardus hanc ipsam translationem Martyrologio Monastico inseruit, ad septimam diem mensis Iulij, atque additis notis illustrauit.

[d] Sæculo 13. cap. 5.

7. Verum his omnibus ex Regesto Vaticano addendum censeo, auctoritate Pontificia factam, litteris datis ad eundem Archiepiscopum, in quibus post encomia totius Regni, sed maximè Ecclesiæ Cantuariensis, tanti Martyris sanguine illustratæ; tandem Honorius Pontifex concludit, eundem alloquens Stephanum [e]: *Tu*, inquam, *diligenter attendens, quantum te deceat tantum Martyrem venerari, cui, disponente Domino, in Pontificalis officij onere successisti; sacratissimum corpus eius subleuare proponis de terra, ipsumque translatum honorabilius collocare; cum dignum tibi, & condecens videatur illum, quãtum in te fuerit, ex altare in terra, quem in cœlo dignatus est omnipotens Dominus honorare. Hoc igitur pium, & laudabile tuum propositum dignis in Domino laudibus commendantes, fraternitatiuæ per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus auctoritate nostra suffultus, & Apostolica benedictione munitus, reuerenter efficias super hoc in nomine Domini, quod intendis. Datis Laterani VII. Kalendas Februarij, Pontificatus nostri anno quarto.*

[e] Epist. Honorij lib. 4.

8. Porrò eadem die, qua has ad Stephanum, alias ad vniuersos fideles litteras dedit, eidem affuturos solemnitati, quas hic non minus censui subiiciendas [f]. *Vniuersis Christi fidelibus, nobilibus, & aliis, per Angliam constitutis cantet nostrum Domino Canticum fœlix Cantuariensis Ecclesia, cuius aram suo purpurauit pretioso sanguine Martyr Thomas: quinimo ciuitas ipsa tota Domino potest, & debet in exultationis voce non immerito iubilare, quæ cruore roseo sui Martyris rubricata, pulchra facta est, & apparuit speciosa: vnde diuersarum multitudine gentium, ex omni ferè, quæ sub cœlo est natione, celebritatem ipsius summo opere venerante, quodam quasi fœlici præsagio suum videtur esse sortita vocabulum, ex euentu, ac si dicatur expressè Cantuaria, id est cantus aræ. Vos inquam si diligenter attenditis hunc honorem, gratiarum actiones assiduas largitori bonorum omnium exoluetis, cui vos ex impensa benedictionis gratia, terræ vestræ potestis cognoscere debitores, vt ingratitudinis euitetis vitium, & possitis deuoti filij nuncupari. Et quidem & si omni tempore puro corde benedicere, ac honorare Dominum debeatis, isto tamen præcipuè vos oportet vestes induere nuptiales, & cum iucunditate in laudes vestro assurgere creatori, cum ventura festiuitatis veneranda solemnitas id exposcat. Sanè à Venerabili Fratre nostro S. Cantuariensi Archiepiscopo, Sancta Romana Ecclesia Cardinali, nuper accepimus intimante, quod idem volens ostendere in effectu, quanto deuotionis feruore Martyris supradicti memoriam veneretur, sacratissimum corpus eius subleuare proponit de terra, ipsumque translatum honorabilius collocare, cum dignum sibi, & condecens videatur, illum quantum in eo est exaltare in terra, quem in cœlo Dominus exaltauit. Hoc igitur pium, & laudabile Archiepiscopi memorati propositum acceptantes, vniuersam vestram hortamur per Apostolicam vobis Sedem mandantes, quatenus pacem mutuam, & concordiam in charitatis vinculo conseruantes vestras conscientias cunctis peruersitatibus expietis, & sic vos in bonis studeatis operibus exercere, vt cum dies ipsius solemnitatis aduenerit, in occursum vestri Sanctissimi Martyris, & patroni, ipsum possitis honorificentia debita taliter venerari, quod doceatis alios per exemplum quantum esse debeat celebris per diuersa mundi climata præfati Martyris memoria glorioſa. Datis Laterani octaua Kalendas Februarij anno quarto.* Demum hanc ipsam quadraginta dierum indulgentiam, simul, & alias ab Episcopis concessas, pro eiusdem translationis annua solemnitate celebranda in perpetuum sub finem anni extendit, & ampliauit. *Litteris datis Laterani quinto decimo Kalendas Ianuarij, Pontificatus anno quinto.*

[f] vbi suprà.

9. Peridem tempus ad instantiam Episcopi Conuenarum, crescentibus miraculis, quæ Deus ad sepulchrum Beati Bertrandi eiusdem Ecclesiæ Præsulis, operabatur, de canonizatione illius agi cœptum, tribus Iudicibus commissa per Honorium inquisitione, Garsiæ Archiepiscopo Auxitano, & Episcopo Consoranensi, Abbas Bonifontis socius adiunctus est, atque de his tribus scriptum in hunc tenorem [g].

[g] Loco cit.

Archiepiscopo Auxitano, & Episcopo Consoranensi, & Abbati Bonifontis Diœcesis Conuenarum.

Venerabilis Frater noster Episcopus Conuenarum exposuit coram nobis, quod bonæ memoriæ Bertrandus Conuenarum Episcopus claris miraculis, & dum viueret, & post obitum coruscauit; vnde nobis ex parte sua, & cleri, ac populi sui supplicauit instanter, vt super his faceremus veritatem inquiri; quatenus ea cognita, illum possemus Sanctorum Catalogo aggregare: ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de vita, & miraculis ipsius studeatis inquirere diligenter, & quod inueneritis, per vestras nobis litteras fideliter intimetis, vt in negotio ipso securius procedere valeamus. Datis Laterani quinto Kalendas Decembris anno quinto. Hactenus litteræ.

10. An fuerit adscriptis Sanctorum Canoni Episcopus Bertrandus mihi non constat. Quippe Ioannes Chenu multas Ecclesias maximè in Auxitana Prouincia & inter eos Conuenas prætermisit. Sed neque Martyrologium Romanum Bertrandi meminit, quod tamen video paucis Sanctis deesse, maximè Ecclesiarum Prælatis, si verè tales. Nihilominus Augustam Conuenarum dirutam olim, mox ex propriis ruinis renascentem vrbem Sancti Bertrandi nominatam, vulgo Sanct-Bertrand de Comenge ab Auberto Mireo [h] notatum lego. Quod vt non negent ex consensu solius vulgi potuisse fieri; at publicam, communémque acclamationem populi ab Ecclesia permissam,

[h] In geograph. Ecclesiast.

magnam in se habere auctoritatem, non est qui ambigat. Verum hæc melius ipsius loci incolæ noscent, & an idem, an alius Bertrandus sit, qui vrbi nomen dedit? à quibus vtinam licuisset nobis haurire.

11. Hoc ipso anno memorandi pueri Belgæ pretiosa mors ipsius matrem Cistercio conciliauit. *Anno M. CC. XX.* ait Meyerus [i], *obiit Achas Toraztanus septem annorum puer, cuius ad tumulum nullus Psalmum C. X. X. IX. id est*, De profundis: *finire potuit. Indicantibus plerisque, beatam pueri animam precibus non indigere.* Ita Meyerus, quod attinet ad tempus: at de puero ipso præuento haud dubiè singulari gratia, & Franciscani instituti in illa ætate perfecto æmulatore, ferè coæuus scriptor Cantipratanus multa, & mira [k]. *Sub nostro nuper tempore in Thorouth oppido Flandriæ, puer Achas annorum quinque, honestis valdè parentibus oriundus fuit: qui primum visis minoribus Fratribus, à parentibus suis lachrymis multis obtinuit, vt ipsorum habitu vestiretur. Sed cum hoc illi primum, quasi puerile iudicarent, crederéntque secundum quod in aliis pueris videri solet, obliuione temporis in illo similiter aboleri, animaduertunt parentes, & vicini eorum omnes, quod seriosè puer cœpit consuetudines Ordinis modis mirificis obseruare, incedere nudipes, nodata, & dura corda præcingi.*

i *lib. 8. ad hunc annum.*

k *lib. 2. Apis cap. 28. p. 2.*

12. Pergit deinde plura alia de ipso dicere, quæ & Annales Minorum late commemorant, & tandem de illius morte concludit [l]. *Hic nondum ætatem septennem impleuerat: & consummatus in breui expleuit tempora multa: placita erat enim Deo anima illius. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ipsius, aut fictio deciperet animam eius. Appropinquans ergo morti, confessus Sacerdoti, Sacramentum Corporis Christi postulauit. Sed cum hoc propter Generalis Concilij vetitum, ne in ætate tali puero conferretur, Sacerdos facere non auderet: puer cum mira oris gratia extensis in cœlum manibus dixit. Tu nosti Domine Iesu Christe quod meum summum desiderium est te habere, petiui te, fecique quod debui, & spero confidentius, quod tui præsentia non frustrabor. His dictis parentes circum sedentes, & flentes consolatus est, & ad meliora prouocans, inter verba exhortationis, orationis, & laudis spiritum Deo reddidit impollutum, nec mora sine vllo interstitio habitus Ordinis Fratrum Minorum, tunica scilicet cum assuto Capucio, quæ super eum extensa iacebat, repentè disparuit, & nunquam postea visa fuit.* Ita Cantipratanus de Sancto puero, qui etiam addit, quod Meyerus refert, neminem ad sepulchrum eius integrum Psalmum *De profundis* potuisse recitare.

l *ibid. p. 7.*

Tum vero tanti pueri fœlices parentes, tum illius consiliis prouocati, tum exemplis, relictis omnibus, Christum sequuti sunt: & vt neuter adhæserit Francisco, tum forsan minus radicato instituto in illis partibus; at patrem nouum Prædicatorum ordinem, matrem Cistercien sem ingressos esse, idem, qui supra, auctor his verbis prodit [m]. *Parentes pueri post mortem eius, in tantum exemplo filij, profecerunt, vt omnia sæculi deserentes oblectamenta, pater Ordinem Prædicatorum, mater autem Cistercien sem Ordinem, iisdem simul temporibus intrauerint.* De Monasterio nihil nobis constat. Fortè Pratense Duacenum electum est, quod tunc recens exortum eximia in Flandria florebat opinione. 13.

m *vbi supra.*

---

1. *Ottocari ad Honorium Papam petitio:* 2. *Honorij concessio:* 3. *& concessioni Archiepiscopus Saliz-Burgensis,* 4. *& Abbas Sanctæ Crucis, Austriæ Præfecti.* 5. *in Britania violata iura Ecclesiæ;* 6. *vsurpatæ possessiones,* 7. *spoliatus Episcopus Nannetensis,* 8. *grauatúsque;* 9. *dirutæ Domus,* 10. *atque alia damna illata;* 11. *in censipagi, sed demum super cunctis concordia inita,* 12. *confirmata ab Honorio:* 13. *atque commissa Abbati Sauigniacensi.*

CAPVT SECVNDVM.

1. QVæ longo tempore, prolixa nimium lis Ottocarum Boëmum, atque Andream Pragensem exercuisset, cum iam hoc anno, interuentu Abbatis VValsasi, Romam ad id ab Honorio Papa vocati, componenda veniret; nec nisi in paucis discordia remaneret, noui ab eodem Rege, ex primis aulæ, & totius Regni viris, legati missi, compositionem non quidem turbarunt, sed distulerunt. Petebant rem terminari nec Romæ neque in Boëmia: quippe loco altero, Episcopo suspecto, in quo Regis potentia præualeret. Altero, vt non suspecto Regi Ottocaro, (quis enim sub Honorio Summo Pontifici Romanam Curiam suspectam habere posset) at Ecclesiasticis viris fauorabilis, adeóque laicis, si litigent in clerum, non appetendo; cum ibi, maximè absente Rege, omnia, Episcopo præsente, & dudum habitante, tractanda forent: esse Vienam Ciuitatem insignem Austriæ vtrique indifferentem, vtrique æquam: in qua Rex, & Episcopus conueniant pacatis animis, amicabiliter omnia componi possent. Quod si, vt sperabant, negotium non proueniret, eosdem Principes, qui Episcopum deducere, si Honorius permittat, illuc aduenerant: eundem per se ipsos reducturos, præstito iuramento, quod personam Episcopi, non secus atque proprias, custodirent.

2. Placuit arbitrium Honorio Summo Pontifici, & sperauit, si inter se mutuo componerent, pacandos animos, & firmiùs obseruanda quæcumque pacta. At cum ne hoc fieri sine Cistercio pro voto posse, aut putaret, aut vellet: & aliàs Abbatem VValsasi, seu nominatim petitum ab Episcopo, siue in Curia cum ipso tunc versantem, suspectum Regi crederet; alium ex Austria censuit sufficiendum, Sanctæ Crucis nimirum, insignis Domus, quam in gratiam Ottonis, non multo ante conuersi in Morimundo, Leopoldum patrem condidisse, atque Conradum Fratrem habitasse, superiùs diximus. Hinc ergo Abbati, simul cum Archiepiscopo Saliz-Burgensi, committendum putauit, vt & Regem adirent, & peragendis Vienæ præsiderent ipsius

ipsius nomine, censuras confirmantes, aut relaxantes, provt expedire viderent, atque ipsa negotia postularent. Igitur ad vtrumque hoc ipso anno tales litteras dedit, exceptas ex Regestis eiusdem Papæ [a].

a lib. 4. litter. Hon. 3. 3.

Saliz-Burgensi Archiepiscopo, & Abbati Sanctæ Crucis Cistercienſis Ordinis Patauiensis Diœceſis.

Post diutinam moram, quam Venerabilis Frater noster Pragensis Episcopus apud Apostolicam Sedem traxit, pro quæstione inter ipsum pro parte vna, & illustrem Regem; & Barones Boëmiæ ex altera, super decimis, iurisdictione Ecclesiastica, Ecclesiarum immunitate, ac nonnullis aliis ad Ecclesiasticam pertinentibus libertatem, suborta pro qua etiam ipse Rex, & Barones excommunicationi, & Regnum eius subiacent interdicto: tandem procuratoribus ipsius Regis, & Baronum in nostra præsentia constitutis, vtraque pars arbitrio nostro liberè se commisit. Habito igitur cum Fratribus nostris, & cum ipsis partibus longo de compositione tractatu, ita quod partes ipsæ à forma sibi tractata in paucis articulis discordabant. Ecce nobilis Vir Dalchor maior Iustitiarius, & Martinus Pincerna ipsius Regis, ac Marchuardus de Dechin, & Dionysius de Prachen Castellani aduenerunt ex parte dicti Regis, & sua, cum instantia postulantes, vt præfatum Episcopum ad Vienain, Ciuitatem nobilis Viri Ducis Austriæ, mitteremus, affirmantes quod Rex, & Barones prædicti, quos illuc venturos firmissimè promittebant præsente dicto Episcopo inducerentur facilè ad concordiam: & ipsi ad hoc impenderent diligens studium & operam efficacem: quod etiam firmauerunt prædicto iuramento quod ipsi ad hoc directi, hoc de ipsorum, Regis, & Baronum mandato speciali procurabant; & quod ad pacem, & concordiam fideliter laborarent; quodque custodirent personam Episcopi, sicut suas tam deducendo eum ad Ciuitatem prædictam, quàm ad nostram præsentiam reducendo, si fortè non posset concordia prouenire.

4. *Nos igitur acquiescentes precibus, & instantiæ nobilium Prædictorum, Episcopum ipsum ad Ciuitatem iam dictam duximus transmittendum, vt huiusmodi controuersia finem, donante Domino, sortiatur, ideoque per Apostolicam vobis Sedem mandamus, quatenus ad locum ipsum, vel propius, si necesse fuerit, ad Regni confinium, personaliter accedentes, & commonentes dictum Regem, cui super hoc scribimus, vt & ipse iuxta promissionem nobilium dictorum, cum aliquot de Baronibus, à cæteris, tam Baronibus, quam nobilibus Boëmiæ mandatum habentibus, ad locum accedat eundem; interponatis prudenter, & sollicitè partes vestras ad reformandam concordiam inter eos; quæ, si studio vestro mediante prouenirent, eadem sufficienti, & idonea cautione, firmata, præfatas excommunicationis, & interdicti sententias relaxetis; alioquin Episcopum ipsum ad nos reduci, iuxta promissum nobilium prædictorum, in Coloniam facientes, easdem sententias præcipiatis vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Datis Viterbij VIII. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.* Ita Honorius, qui & in eandem formam Regi scripsit. Hic tandem finis prolixæ satis litis, non anno præcedenti terminatæ, vt Bzouius putauit, sed ad hunc vsque ex vtraque parte productæ. Quin quod hoc anno terminata sit, non aliunde colligimus, quàm quia non alias super hoc negotio litteras in Regestis videmus, quod signum est non vltra prolatam fuisse.

Inter hæc aliam eo insolentiorem, quò inferiori potentia subnitebatur, non tamen ideo Ecclesiæ minus molestam, siue minus prolixam, in Britania Sauigniacensis Abbas terminauit. Petrum Britaniæ Comitem, in Nannetensem Episcopum, & Clerum multa, & atrocia ausum, primum ipse Episcopus Stephanus, mox Metropolitanus Turonensis, exinde etiam Concilium Prouinciale, demum Honorius Papa diris omnibus terram eius interdicto longo mulctauerat; Comes non ideo desistere ab incœptis, aut scelerum ministros deterrere; sed appellare Honorium, etiam post causam ab ipso delegatam; & interim iniurias continuabat. Non inuasionibus, non incendiis parcitum: & vix Ecclesia à tyranno, aut infideli plus aliquid metuerit, quàm à discolo filio patiebatur. Catalogus Episcoporum Nannetensium, eo rem deuenisse memoriæ prodit, vt Comitis Vassalli per Honorium, cum Comes aliter non posset coërceri, à Sacramento fidelitatis eximerentur. *Stephanus* (ait) *à clero, ad Innocentium tertium PP. contra oppressiones Petri Maucler Ducis Britaniæ in Ecclesias, & Ecclesiasticos, quem hac de causa Summus Pontifex excommunicauit, missus, subditos à Sacramento fidelitatis liberauit circa annum* 1222. Sic in Catalogo; quamuis non credam in cunctis satis ex fide. Quippe nec controuersiam sub Innocentio, sed sub Honorio cœptam, neque tandiu prolatam, quas statim dabo, litteræ conuincunt. Nisi tamen in pastorum obseruatione fefellit Comes, quod hactenus non potui inuenire, demum anno M. CC. XXII. non Innocentius, sed Honorius præsidebat. Certè Britaniæ Dominum, non Ducem, sed Comitem appellatum illis temporibus, quas statim dabo litteras; neque illæ tantum, sed omnes penè auctores testificantur: vt de his tribus erroribus conuicto, tertius haud temerè potuit imputari. Excessus hominis non aliunde melius, quàm ex ipsa concordia, Romæ coram Cardinali Sfabinæ, ex Honorij mandato, hoc anno inita, atque eiusdem litteris inserta, poterunt declarari, quæ ita habet [b]. 5.

b vbi suprà.

6. *In hanc formam compositionis, tam Episcopus Nannetensis, quàm procuratores Comitis conuenerunt. Comes Britaniæ restituet Episcopo, & Capitulo terram suam, & redditus inde perceptos, tam per se, quam per suos, tam in decimis, quam in aliis; talias, firmagium, & exactiones alias quocumque modo, tam per se, quam per suos extortas, & quitabit coram Iudicibus homagia, & Sacramenta, si quæ habuit ab hominibus Episcopi, in præiudicium ipsius Episcopi. Et reuocauit in irritum danda, quæ fecit, contra libertates, & antiquas Ecclesiæ Nannetensis consuetudines, de lignis non vendendis nisi de foresta sua, de pane non faciendo nisi de farina sua, de sale non vendendo nisi de suo: & assisias & malam tossam, & si quæ alia fecit contra libertates, & consuetudines Ecclesiæ Nannetensis, & sicuti fecit clamari sine consensu Episcopi, faciat declamari supradicta, & in aliis libertatibus conseruabit Ecclesiam in eo statu, in quo erat, quando primo venit ad Comitatum, saluo iure proprietatis vtrique parti in foro competenti.*

7. *Præterea promittet fideliter coram iudicibus, quod defendet Ecclesiam bona fide secundum quod*

tenetur;& quod de catero non ſpoliabit Epiſcopum, nec Eccleſiam,neque ſuos quandiu voluerint parere iuri, vbi debuerint. Reſtituet autem damna Comes ad Sacramentum eorum,qui damna paſſi ſunt, cum tranſactione iudicum, vel eorum, qui loco iudicum recipient Sacramenta, & ſi Epiſcopus,vel ſui dubitauerint, aliquos de hominibus Comitis, quod de ſuo aliquid habeant, Comes coget eos per Sacramentum dicere veritatem, & ablata reſtituere. Habebit autem Epiſcopus pro debito vndecim millium ſolidorum, exceptis ſolutis, quos debebat ei Comes pro aliis damnis,& pro quibus redditus ſuos de Garrandia ei obligauerat, redditus quos inde habuit Comes à tempore,à quo de terra illa ſpoliatus fuit Epiſcopus; & ad Sacramentum illorum qui receperunt. Ità quod Comes compellat eos dicere veritatem, & niſi de redditibus inde habitis plenaria facta fuit ſolutio, quod Epiſcopus habeat redditus, donec ſolutio fiat.

8. Præterea habebit Epiſcopus à Comite pro damnis ſibi datis,antequam Comes abſoluatur,quingentas libras bonæ monetæ currentis in pecunia numerata, & pro reſiduo aliorum damnorum, & producentis viginti libris probatis,quas debebat Comes pro eleemoſyna Danielis Auis,Epiſcopo, & ſuis;& pro rebus habitis à tempore, quo ſpoliatus fuit Epiſcopus de redditibus Comitis de Garrandia; ei pro vndecim millibus ſolidis aſſignatis dabit Comes competentia pignora auri, & argenti in manu Iudicum, ſecundum quantitatem rei, quam exiſtimauerit Epiſcopus, & ſui poſſe probari; & iudicis facta probatione ab Epiſcopo ſine contradictione, & dilatione aliqua, tam de ducentis, & viginti libris ſupradictis,& probatis,quam de aliis, quæ probauerint, ſecundum quantitatem ab eis probatam. Et ſimiliter reddent pignora Epiſcopo, habito Sacramento de Baliuis Comitis, de rebus habitis de redditibus Comitis Epiſcopo aſſignatis in Garrandia,à tempore quo ſpoliatus fuit, ſecundum quantitatem, quam ſe iurauerint recepiſſe, & ſecundum quod ſucceſſiue probauerint ab Epiſcopo, & à ſuis, dentur pignora Epiſcopo ſucceſſiue à Iudicibus. Epiſcopus vero data ſibi pignora à Iudicibus tenebitur ſeruare vſque ad quatuor menſes, quibus tranſactis,vel ea recipiet in ſolutum, vel vendet.

9. Promittet etiam Comes coram Iudicibus bona fide, quod non impediet per ſe,vel per ſuos,homines Epiſcopi quo minus veniant probaturi damna ſua. Si autem Comes nollet intereſſe terminis aſſignatis à Iudicibus per ſe vel per alium ad audienda Sacramenta hominum,nihilominus per Iudices,vel per eos,qui eſſent loco Iudicum,probationes Epiſcopi,& ſuorum audirentur, & Epiſcopo redderentur pignora,ſicut ſuperius eſt notatũ.Pro domibus vero reædificandis in tam bono ſtatu, vel meliori, ac quando combuſtæ fuerunt; & hoc infrà natiuitatem Domini proximè venturam tradentur etiam pignora. Item promittit Comes coram Iudicibus, quod bona fide coget Alanum, & ſuos complices ad pœnitentiam temporalem ſecundum quod eis à iudicibus iniungetur,vel ſi noluerint eliminabit eos de toto Comitatu ſuo.

10. Hæc autem debent præcedere antequam ſententia relaxentur,ſcilicet, reſtitutio terræ Epiſcopi, & Capituli, quitatio homagiorum, & Sacramentorum extortorum in præiudicium Epiſcopi, reuocatio, & reclamatio bandorum ſupradictorum, & Aſſiſiarum, & malæ toſſæ, & promiſſio coram Iudicibus quod Comes conſeruet Eccleſiam, & quod de cætero non ſpoliet eam, & ſolutio quingentarum librarum pro damnis Epiſcopo datis, & datio pignorum pro reſiduo aliorum damnorum, & pro ducentis & viginti libris, & pro redditibus Garrandiæ, & pro reædificatione domorum Epiſcopi; & promiſſio coram Iudicibus, quod compellat Alanum ad corporalem pœnitentiam,vt dictum eſt,vel eliminet de terra ſua. Quibus peractis Comes abſoluatur, & interdicti ſententia relaxetur ab illis, quibus Dominus Papa ſcripſerit ſuper compoſitione ſeruanda.

De Combuſtione de Marchileio, & de deſtructione domorum propter Hoſata in terra Epiſcopi facta, & occupatione terræ, & de redemptione Britonis Hoſim, de quibus erat contentio inter Epiſcopum, & Comitem, ponit ſicut alia vice pro bono pacis Epiſcopus in reſpectu. Hactenus compoſitio, ſiue concordia. Ex cuius Verbis facile coniicias, nulli non ſolum violationi ſacrorum Iurium, verum neque inuaſioni, hoſtilitative Comitem peperciſſe,per ſe,per ſuos in Eccleſias debachatum:& quod in his plerumque ſolet contingere,ſub vmbra illius,& alios eadem auſos,ex his ad atrociora deueniſſe, & quæ maiori indigerent ſatisfactione. 11.

Concordiam tamen pro bono pacis initam confirmauit Honorius ſub huius anni initium: atque eius obſeruantiæ, ſimul, & cenſuratum relaxationi,Sauigniaci Abbatem,cum duobus aliis coniudicibus,præfecit,litteris ad eos datis in hæc verba. c 12.

c ex eiſdem Honor. Reg.

De Sauigniaco Ciſtercienſis Ordinis, & de Vadacio Abbatibus Abrincenſis, & Cenomanenſis Diœceſis, & Magiſtro Scholarum Andegauenſi. Accedens olim ad præſentiam noſtram Venerabilis Frater noſter Nannetenſis, Epiſcopus poſtulauit excommunicationis, & interdicti ſententias, quas in nobilem Virum Comitem Britanniæ, ac terram ſuam,pro violatione libertatum,ac multis, & grauibus damnis,& iniuriis ab ipſo Comite atque ſuis,ſibi, & Eccleſiæ ſuæ,ac eius ſubditis irrogatis, fractis etiam quibuſdam compoſitionibus inter eos initis, tulerat, & Metropolitanus poſtmodum confirmarat; nec non illas, quas idem Metropolitanus in Comprouinciale Concilio, aſſiſtentibus ſibi ſuffraganeis ſuis,promulgauerat in eundem, Apoſtolico munimine roborari.

Nos autem dilectis filiis Cantori, & Magiſtris, Canonicis Cenomanenſibus dedimus in mandatis, vt ſi Comes prædictus præſtaret de damnis, & iniuriis,tam circa libertates, quam aliis manifeſtis emendam, ac deinde ſufficientem, quod ſtaret Iuri ſuper dubiis, cautionem, relaxarent ſententias memoratas; alioquin ipſas, ſicut rationabiliter eſſent latæ,auctoritate Apoſtolica facerent vſque ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruari.Cúmque ſuper his iam dicti Iudices proceſſiſſent, parte Comitis appellante,memoratus Epiſcopus,& procuratores Comitis,videlicet Oliuerius miles,qui ad litigandum & componendum,& Abbas Rothonenſis, qui ad componendum ſpeciale mandatum habebant, in noſtra comparuere præſentia, quibus dilectum filium noſtrum Th.Sanctæ Sabinæ Preſbyterum Cardinalem conceſſimus auditorem. Quo mediante amicabilis peruenit compoſitio inter eos, cuius tenorem de verbo ad verbum præſentibus iuſſimus adnotari. Sequitur concordia: & ea tranſcripta pergit Summus Pontifex. *Nos igitur compoſitionem ipſam gratam. & ratam habentes,diſcretioni veſtræ per Apoſtolicam Sedem mandamus, quatenus faciatis eandem per cenſuram Eccleſiaſticam ſub Apoſtolica obedientiatia firmiter obſeruari, ad abſolutionem* 13.

absolutionem Comitis, & ad relaxationem interdicti; non nisi obseruata forma compositionis huiusmodi processuri. Datis Viterbij. V. Februarij Pontificatus nostri anno quarto. Ita Honorius: ex cuius litteris incœptum sub ipso litem facile constat: & super illa transactum ad hunc annum. An autem resiliente à promissis Comite, vlterius protracta, vsque ad subditos eius absoluendos à præstito Sacramento fidelitatis? nisi in illo Catalogo, non potui hactenus alibi inuenire.

---

1. *Franciscani Martyrio coronati,* 2. *Sanctiæ apparent.* 3. *Congregatæ, nec sine magno labore sacræ exuuiæ.* 4. *& clarentes miraculis* 5. *Conimbricæ reponuntur ad Sanctam Crucem.* 6. *Missio tamen ad Lorbanum integro corpore.* 7. *Canonicorum Sanctæ Crucis in Cistercium mirus affectus;* 8. *& de eo ibidem plantando consensus Regis:* 9. *Approbatus per omnes Regni Proceres.* 10. *Reginæ mors, & exequiæ de cœlo missæ.* 11. *Tum funus eius deductum ad Alcobaciam.*

CAPVT TERTIVM.

1. INTER hæc viri illi religiosi, quos à Francisco ad Sarracenos missos anno præterito Hispalim Sanctia Virgo destinauerat; cum neque fidem paganis prædicare, nec, quod optabant, coronari Martyrio, concederetur; post dira verbera, post diutinæ carceris squalorem, Marrochium profecti, atque semel & iterum dimissi, ob reuerentiam Petri, Alfonsi, Lusitani Regis Fratris, qui inter infideles (heu tristem sortem!) irati Fratris potentiam declinabat: tandem nec sic à proposito deterriti, aut à prædicatione cessantes, ab ipso Rege decapitati sunt, decimo sexto Kalendas Februarij provt latius Minorum Annales scribunt, quos Lector consulat. Hinc Monasterio fundato ad Alenquerium, ex quo demum profecti, & fundatrici Sanctiæ noua gloria; quin sorori Tarasiæ, & Lourbanensibus; omnia ad nostros Annales transitura. Quippe Franciscus, tam læto nuntio audito pergunt Acta Minorum. [a] *Bona multa precatus est conuentui Alenqueriano, seu Gerabricensi, in quo viri Sancti se aptarunt ad Martyrium. Efficaciter pro illa Ede orasse, sed & exorasse probat religiosa, & Sancta Vita multorum incolarum, inter quos ex Sancti Viri benedictione saltem vnus semper habetur disciplinæ regularis, & Franciscani instituti perfectus obseruator, quem & populus non sine veneratione frequenter obseruat.* Ergo hæc prærogatiua illius domus à Sanctia structæ, quod nunquam aliquo Sancto Fratre careat, in quo exauditæ videantur Franciscipreces.

a *num. 38. ad hunc ann.*

2. At vero Martyres hospitis, & benefactricis suæ Sanctiæ memores, ne ipsa insalutata, relictaque in terris, euolarent ad cœlum: neve omnia ad Franciscum Patrem remitterent. *In ipsa Martyrij hora (pergunt Annales* [b] *) ei oranti apparuerunt macheram sanguine rubentem in signum sui Martyrij manu tenentes, dicentesque se iam per Martyrium curis finem posuisse, & ad cœlum euocasse, ibique perpetuos suos fore intercessores apud Deum, qui exhibitam eis beneficientiam noluit irremuneratam.* Hactenus ibi: & satis nobis ista pro instituto, si non Vrraca Regina hoc anno mortua & delatam Alcobaciam; ipsorum etiam Martyrum exuuiæ ad Alfonsum adductæ, & Lourbanensibus, Farasiæque donatæ bona ex parte, plus aliquid exigerent, quod & huic capiti censuimus adiiciendum.

b *num. 39.*

3. Coronatis Martyrio Christi Athletis, corpora membratim discerpta, extra vrbem proiici, atque ibi canibus in escam remanere primum, mox ne à Christianis veneranda colligerentur, combusta iussa. [c] *Sed igne copioso accenso, cum in eum Sanctorum corpora iactarentur, hinc inde flamma declinans reliquit intacta: imò (quod dictu mirabile est) cum vnum de capitibus in ignem pluries proiectum esset, diuina fauente virtute de igne semper exiliens, nec in capillis est læsum, & nunc cum pelle, & capillis integrum demonstratur, quod & ipse non semel vidi, & attentius obseruaui cincinnum coronæ adeo in orbem illibatum remansisse vt ne vnus quidem capillus deesse videatur, quod lucem affert illi sacræ paginæ oraculo:* Et capillus de capite vestro non peribit. Ita Sanctorum Martyrum exuuiæ, post adeptas coronas, non de hostibus tantum, verum & de elementis triumphabant. Pergunt Annales. [d]

c *vbi suprà.*

d *ibid. n. 4.*

4. *Deuenerunt omnes illorum reliquiæ in Domini Petri Infantis potestatem, partim emptæ à Sarracenis, partim collectæ à Christianis, qui libere adesse poterant carnificinæ, partim etiam dono receptæ. Cum incredibili deuotione, & reuerentia cunctas collegit vix Princeps, curandasque commisit Ioanni Robert Canonico regulari Sanctæ Crucis Conimnimbricensis suo sacellano, adiutoresque adhibuit, & custodes tres adolescentulos modestos, & probatæ honestatis. Hi in secreto solario carnem aromatibus conditam, & ab ossibus separatam desiccauerunt. Illis in Sancto hoc obsequio laborantibus voluit in solarium ascendere Petrus Rosarius Principis familiaris, ita cognominatus à Rosa Burgensi Conimbrina, quam longo tempore, apud se retinebat, & ardentissimè diligebat, sed in Scalæ medio factus immobilis, vt sibi succurreretur exclamauit. Accurrit ex solario prædictus Canonicus, & excepta eius confessione, salutarique imposita pœnitentia, gradus illos, per quos ascendit, remensus est, sed loquelam amisit, nec recuperauit, donec ex Principis iussu, super pectus eius vnum de Sanctorum Capitibus positum est, per quod perfectæ corporis, & mentis sanitati restitutus est, & amplius post carnis concupiscentias non abiit.* Hactenus Annales de Sanctorum exuuiis, priusquam ad Lusitaniam adducerentur.

5. His, & aliis miraculis compertis, quæ plura ibidem legat quicumque volet, & licentia à Pagano Rege obtenta remeandi in Hispaniam, Petrus infans, duabus thecis argenteis decenter inclusas sacras reliquias, Duces itineris, secum reportauit. Multa pericula terræ, marisque, multi, & varij euentus Principem exercuere, quæ suorum Ducum auxilio superauit. Non tamen ausus credere se Fratri, qui hostibus crediderat, nisi ante se reliquias præmisisset. Ex vrbe Astorica decenter

decenter comitatas, ad Alfonſum referri, atque illi præſentari iubet munus egregium, quod non poſſet ab eo non acceptari. Rex, & Regina ſuſcipiendis tantis hoſpitibus ad tria extra vrbem Conimbricam vſque comitantur. Ibi de loco hoſpitij varia conſilia, & diuiſi in partes, provt quiſque potentia, gratiave pollebat apud Alfonſum, vrbes, Eccleſiæ, oppida, aut ſibi, aut ſuis ambiebant pignora ſacra. Qui adduxerant relinquendum equo cenſuere, cui Reliquiæ inſidebant; vt vbi ſiſteret, ibi remanerent, ad priſcum ritum. Nec defuit piis votis Diuinum numen, ſatis patente, & certa approbatione. Ad Auguſtam, & Religioſam ædem Sanctæ crucis recta tetendit: ad illius Eccleſiæ valuas occluſas ſtetit; per apertas intrauit, & ad maius ſacellum vſque peruenit. Tum ante Altare curuatus vtroque genu, non antea ſurrexit, quam ſacra Sarcina illi ſubtraheretur. Ergo in Conuentu Sanctæ Crucis collocata decenter Sanctorum corpora: dolentibus cæteris: ſed nullo prorſus reſiſtere audenti diuino nutui.

6. Haud tamen expers Ciſtercium ab hoc theſauro, neque illi negatum creditum eſt, quicquid aliis conceſſum; tum quia Monaſterium Sanctæ Crucis, quod ſtatim oſtendam, Ciſtercium per hoc tempus deliberabat; tum quia ex ſacro & glorioſo illo theſauro, & ſi non Sanctiæ, Sanctorum quondam hoſpitæ, [e] *Corpus vnum cum capite (ait auctor Annalium Franciſcanorum) pro ingenti, & Rege digno dono miſit (ſcilicet Alfonſus) ſorori Abbatiſſæ cœnobij Lorbanenſis Ciſtercienſis Ordinis: & alterius partem ab eodem tranſmiſſam ad Fratrum Minorum Conuentum. S. Spiritus Goueæ, vici Diœceſis Conimbricenſis aſſerit Marcus. Sed neque adeo antiquum illud Monaſterium; neque alterius corporis, quam illius, quod acceperunt moniales prædictæ Ciſtercienſes, ſpatulam ſeruat dono acceptam anno 1515. ab illuſtri, & religioſa ſorore Catharina de Za eius loci Abbatiſſa, ex Apoſtolica diſpenſatione.* Hæc ibi vt verè extra Conuentum Sanctæ Crucis, ſoli Ciſtercio tunc, ſed neque poſtea niſi per Ciſtercium, vel ipſis Franciſcanis, ad has ſacras exuuias pateret aditus. Verum quod, ait, Taraſiam tunc Abbatiſſam Lorbanenſis cœnobij, à veritate deuiat, quippe quæ nec dum habitum aſſumpſerat, vt cum aſſumpſerit latius oſtendemus.

e num. 45.

7. Cæterum quanta Conuentui Sanctæ Crucis Conimbricenſis, cum Ciſtercio coniunctio, deuotioque, per hoc præcipuè tempus; inde vel maximè licet coniectari, quod hoc eodem anno Menſe Martio, Alfonſus Rex, qui nihil proculdubio in tam graui materia, ſine Prioris, & Canonicorum conſenſu deliberaret; egerit de inſigni, ea Eccleſia donanda Ciſtercienſibus, atque ad hoc ipſe conſenſum ſuum præbuerit, approbante Regina, filiiſque, & Principibus Regni, ſi id Romanus Pontifex concedat, quod VValtero relinquunt pertractandum. Porro vt de hac voluntate conſtaret Pontifici, inſtrumento expreſſam, firmatamque ad eundem Abbatem tranſmiſerunt. Exemplar inſtrumenti, ab Antonio Brandaonio, ex publicis tabulariis Regni deſumptum, & Luſitanæ Monarchiæ per anticipationem inſertum ad annum Chriſti M. C. XLVII. in re, quæ adeo ad gloriam Ciſtercij facit, quippe de inſigni Conuentu per totum orbem, & tunc viris ſanctiſſimis florente, atque adeo approbato per miracula, vt partim vidimus, & partim mox dicemus; nequaquam duxi ſilentio prætereundum. Eſt autem tale. [f]

f apud Brandaon. fol. 182. tom. 8.

Ego Alfonſus Dei gratia Portugaliæ Rex, notum eſſe volo vniuerſis præſentem paginam inſpecturis. Quod ſi Abbas Ciſtercienſis potuerit facere cũ Domino Papa, quod ponat Ordinem Ciſtercienſem in Monaſterio Sanctæ Crucis, placet mihi multum, & firmum habeo, & acceptum, retentis tam mihi, & ſucceſſoribus meis in eodem Monaſterio iure patronatus, & collectis, & aliis ſeruitiis, quæ inde facere conſueuerunt auo meo, & patri meo, & mihi, tali pacto, quod ſemper faciant inde Priori, & Fratribus Sanctæ Crucis amorem, & honorem, ſecundum Ordinem ſuum, quandiu voluerint ipſi ibi viuere in ſuo Ordine. Tali etiam pacto, quod dent Magiſtro Vincentio Vlixbonenſi Decano, & Magiſtro Pelagio Cantori Portugalenſi ſua præſtimonia, quæ nunc ab ipſo tenent Monaſterio. Vt autem factum noſtrum maius robur obtineat, hanc chartam præcipi fieri apertam, & meo ſigillo plumbeo communiri, quæ fuit facta apud Colimbriam Menſe Martio, Era M. CC. LVIII. Hactenus inſtrumentum Alfonſi Regis. 8.

Porro vt conſtaret hanc ipſam voluntatem, non eius tantum, verum, & Reginæ, & filiorum vtriuſque, atque procerum omnium Regni eſſe, nec minus Eccleſiaſticorum, quam ſæcularium, eorumdem approbationes, & ſubſcriptiones apponi fecit ſcriptas ſequenti ſerie. *Ego Vrraca eiuſdem Regni Regina hoc approbo, & confirmo. Et nos infantes Donnus Sanctius, & Donnus Alfonſus, & Donnus F. & Donna Alionor, hoc approbamus, & confirmamus: qui affuerunt, Donnus Martinus, Ioannes Signifer Domini Regis, Donnus Petrus, Ioannes Maior domus Curiæ, Donnus Gunſaluus Mendez, Donnus Laurentius Suarij, Donnus Egidius Valaſquis, Donnus Garcias Mendiz. Donnus Rodericus Mendiz, Donnus Petrus Garcia, Donnus Pontius Alfonſi, Donnus Lupus Alfonſi. Dominus Stephanus Bracharenſis Archiepiſcopus, Dominus Martinus Portuenſis Epiſcopus, Dominus Petrus Colimbrienſis Epiſcopus. Dominus Suarius Vlixbonenſis Epiſcopus, Dominus Suarius Eborenſis Epiſcopus, Dominus Petrus Lamecenſis Epiſcopus. Dominus Bartholomeus Viſenſis Epiſcopus. Dominus Martinus Egitanenſis Epiſcopus. Magiſter Pelongius Cantor Portuenſis. Petrus Garſia teſtis. Martinus Petri teſtis. Vincentius Mendiz teſtis. Suerius Stephani teſtis. Gunſaluus Mendiz Cancellarius, Dominicus Petri ſcripſit.* Inſigne hoc monumentum antiquitatis, neque debui neque volui præterire. Neque refert hanc eandem voluntatem caruiſſe effectu, quod multas alias cauſas habere potuit. 9.

Sequitur, quæ hoc etiam anno contigit, Reginæ Vrracæ mors in eadem vrbe & celebratis in Conuentu Sanctæ Crucis cæleſtibus exequiis, funus inde perductum ad Alcobaciã, & de morte. [g] *tertio nonas Nouembris (ait liber obituum Monaſterij Sanctæ Crucis apud Conimbricam) obiit Domina Vrraca Portugalenſis Regina, filia Domini Alfonſi Regis Caſtellæ. Era M. CC. LVIII.* Cæterum in huius venerandæ Reginæ obitu admirandam viſionem contigiſſe in eodem Conuentu Conimbricenſi, quæ non ſolum Sanctorum quinque Martyrum, ſed totius inſtituti Franciſcani gratum erga ipſam animum oſtenderet, teſtatum inuenio in actibus eorumdem, verbis ſequẽtibus, [h] *Nocte quadam Dominus Petrus, Canonicus eiuſdem Sanctæ Crucis cœnobij, ac ibi in omni* 10.

g apud Brandaon. lib. 3. cap. 18.

h vbi ſuprà.

Sanctitate

Sanctitate præclarus, & eiusdem Reginæ Confessor, vidit innumerabiles Fratres Minores chorum intrantes, inter quos erat vnus cum magna dignitate præsidens, & post, alij quinque quodam singulari honore inter alios præcedentes. Statim vero dum chorum processionaliter intrauerunt, Matutinum cum melodia incredibili cantauerunt. Donnus vero Petrus Nuñes totus attonitus quæsiuit ab vno eorum, ad quid, & per quem locum tali hora tot Fratres intrassent, cum omnes portæ essent cœnobij clausæ? Qui respondit: Nos omnes, quos hic vides, fuimus, sumusque Fratres Minores, & nunc cum Christo gloriosè regnamus. Ille vero cum tanta gloria prænalens, est Sanctus Franciscus, quem tantum desiderasti in hac vita videre. Alij vero quinque inter alios præcellentes, sunt Fratres quinque pro Christo in Marrochio interfecti, & in isto Monasterio tumulati; & scias quod Domina Vrraca Regina Portugaliæ ex hac vita migrauit, & quia toto corde nostrum dilexit Ordinem, Dominus Iesus Christus nos omnes huc misit, vt pro eius honore hic diceremus sic solemniter Matutinum. Et quia tu eras eius Confessor, voluit quod tu ista videres: de morte vero Reginæ non dubites, nam statim cum recedemus, de eius certissimo obitu, seu morte audies certa nuntia. Tunc illa deuota processio clausis ianuis cœnobio exiuit, & statim illi de familia dictæ Reginæ ad portam Conuentus pulsauerunt, & denunciauerunt Reginam tunc carnis debitum in pace soluisse. His suffragiis adiuta Regina nobilis haud temere ad cœlos transisse credenda venit.

Funus ad Alcobaciam deductum est, Regia, vt decebat, Pompa, & Capella sumptuose ædificata, iuxta templi ingressum, quam sibi, & suis Alfonsus Rex constructerat, primo reconditum: Hodie cum aliis sepulchris translatum est, ad dexteram transuersæ nauis partem è regione Capellæ S. Vincentij; vbi post annos CCC.XLIX. Sebastiani huius nominis primi, & vltimi, Regis Lusitani, reserato Sacrophago, corpus Vrracæ integrum inuentum viuida facie, & quæ hodieque pulchritudinem præse ferat vestitu item, nec putrido, nec trito, Frater Antonius de Fala Dominicanus dicitur scripsisse, qui præsens fuit. Præcessit Vrraca virum per tres annos, post quos ipsam sequutus, vt videbimus, primi Regum sepulti in Alcobacia: non quod antecessores noluissent, sed quod nondum perfecto nouo templo, nec poterant in ipso, quia nondum sacro; & antiquum fugiebant, quia detestendum. Testamentum adducit Brandaonius, [i] in quo inter alia duo millia Marauitinos Alcobatiæ legat, emendis possessionibus, ex quibus anniuersaria suffragia, & sacrificium Missæ quotidianum dotare posset. 11.

i *lib.13.cap. 18. & in appendice.*

---

1. *Fratres Prædicatores ad se venturos, Eberhardus in Equis,* 2. *Gregorius videt in specie duplicis Solis* 3. *adoptati in filios Beatæ Virginis,* 4. *Quod de Cistercienſibus paulo ante præuisum* 5. *ad ipsos extensum.* 6. *Alacrinus inuisens Sanctum Dominicum,* 7. *Magistrum Conradum ad Ordinem trahendi occasio fuit.* 8. *ratio temporis:* 9. *& dictum de Abbate, quam Sanctus Pater sanauit à graui morbo.*

CAPVT QVARTVM.

1. IN commendanda nostris, & per nostros vniuersæ Ecclesiæ tenella plantatione Prædicatorum, multa hoc tempore cœlestis cura fuit. Eberhardo Abbati Salemmitano per speciē Equorum: Gregorio tunc Priori, mox Abbati Monasterij Obacinæ (non Obsunæ, vt mendose scribit Bzouius) in Sole duplici, diuinitus ostensi, ingentem sibi conciliarunt venerationem. Primam visionem, generalis Magister eiusdem Ordinis, Venerabilis Humbertus scriptam reliquit, ex quo, vt puto, Theodoricus atque Garzo, Flaminius, & alij transcripsere.

2. *Religioso,* [a] *& venerabili Viro Domino Eberhardo Abbati Ordinis Cistercienſis in Teutonia apparuit Dominus in somnis, dicens. Cras mittam ad te Equos meos, & feriabis eos mihi. Quod ille euigilans exponere nesciebat. Sequenti itaque die venerunt Fratres duo Prædicatores ad Monasterium illud, quorum vnus fuit Frater Ioannes Teutonicus, qui post fuit quartus Ordinis nostri Magister: Quos adhuc in illis locis incognito Ordine, cum prædictus Abbas interrogaret de Ordine, & cur libros, & baculos, & varium portarent habitum? & Frater Ioannes eleganter respondisset, ad singula distinguens, Equos Domini secundum Prophetiam Zachariæ ostendens, quod varij, & fortes erant, parati discurrere per orbem, & quod Dominus non dimisit Prædicatoribus, nisi Virgam tantum, id est Virginem Mariam, in qua confiderent: vel crucem quam prædicarent. Procidens Abbas ad pedes eorum, & deuote deosculans, ait, verè vos estis Equi Domini, quos promiserat mihi. Statimque lotis pedibus eorum, calceamenta noua, & vestimenta iussit proferri, & ex tunc amicus Ordinis intimus factus est.* Hæc Humbertus. [b] Theodoricus Abbatiam declarat Salemmitanam, & Ioannem, alterum è duobus Prædicatoribus, non solum quartum Ordinis Magistrum, sed & Bornensem in Vngaria Pontificem fuisse affirmat. Transeò ad alia.

a *lib. 1. de vitis Fratrū Epist. 6.*

b *lib. 4. vitæ S. Dom. c. 5.*

3. Stephanus de Salanacho, ex quo Bzouius, & alij; præostensos Venerabili Gregorio Obacinensi duos alios Fratres eiusdem Ordinis sub typo Solis duplicis, totidem verbis memoriæ commendauit. [c] *Obacinam (sic enim legendum est) Lemouicensis Diœcesis domum, ante quam Fratres Prædicatores venissent, Gregorius de Cardalhaco tunc Prior, sed postmodum Abbas Ordinis Cistercienſis, qui Religionem Prædicatorum institutam quidem à Sede Apostolica confirmatam acceperat, nondum autem quemquam eius instituti aspexerat, cum in dormitorio meridiaretur, vidit in visione duos Soles claustrum Abbatiæ prædictæ subito ingredientes & tum ipsum claustrum, tum vniuersum Monasterium, atque adiacentem viciniam radiis suis illustrantes. Cum autem ex aspectu tam nouæ, & insolitæ lucis admiraretur, signo facto ad Nonam, euigilans visionemque in animo versans, cum de dormitorio descendisset, duos Fratres Prædicatores vidit in claustro scilicet Fr. Greg. alumnum Lemouicens,*

c *apud Bzouium hoc ann. num. 8.*

cens. & Fr. Ioan. Baliſtarij, laude conuerſationis bonæ, & prædicationis facundia inſignes; dixitque mox ſpiritus: Ecce iſti duo Soles, & vera mundi lumina. Per has & alias Deus reuelationes, viris haud dubie Sanctis, probatiſque diuinitus oſtenſas, nouam orbi familiam commendabat.

3. Cæterumque præ aliis longe omnibus, eandē noſtris arctius deuinciuit, glorioſo vinculo nouæ Fraternitatis, ex adoptione Virginis, quæ numquam vtinam veniat diſſoluenda, ea eſt, quā Th. Cantipratanus, eius etiam familiæ coæuus auctor, ſcriptam reliquit, Ciſtercienſi non minus Monacho factam ſed quæ aliam ſupponit, cuius quia certus annus ignoratur, neque aliàs ab hoc longe diſtare poteſt, conſulto reſeruaui hic tranſcribendam. Adoptatum à Virgine Ciſtercium, ab ipſo ſui initio ſuperius vidimus: contractis cum Roberto Patre ſponſalibus, antequam naſceretur; Alberico donato candida veſte; & lactato Bernardo; quæ omnia matrem non ſolum adoptiuam, ſed audeo dicere, infra naturalem, perfectiſſimam arguunt: quid enim aliud reſtat, quod poſſit fieri? Acceſſere tamen & alia quædam ſigna non contemnenda. Inter quæ non poſtremum locum obtinet, cuidam Monacho facta reuelatio, quam ſub hoc tempus recitatam in Capitulo, indeque diuulgatam per totum Ordinem, quippe in cunctorum ſolatium, fiduciamque, Cæſarius Heiſterbacenſis, velut particeps gaudij, memoriæ prodidit. Fuit autem talis.[d]

d *lib.7.c.40.*

4. *Monachus quidam Ordinis noſtri Dominam noſtram plurimum diligens, ante paucos annos mente excedens, ad contemplationem gloriæ cœleſtis reductus eſt; vbi cum diuerſos Eccleſiæ triumphantis Ordines videret, Angelorum videlicet, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & eoſdem certis characteribus diſtinctos; item Canonicos regulares, Præmonſtratenſes, ſiue Cluniacenſes, de ſuo Ordine ſollicitius, cum ſtaret, & circunſpiceret, nec aliquam de illo perſonam in illa gloria reperiret, ad Beatam Dei genitricem cum gemitu reſpiciens, ait: Quid eſt Sanctiſſima Domina, quod de Ordine Ciſtercienſi neminem hic video? Quare famuli tui, tibi tam deuote ſeruientes, à conſortio tantæ beatitudinis excluduntur? videns eum turbatum Regina cœli, reſpondit: Ita mihi dilecti, ac familiares ſunt hi, qui de Ordine Ciſtercienſi ſunt, vt eos etiam ſub vlnis meis foueam; aperienſque pallium ſuum, quo amicta videbatur, quod miræ erat latitudinis, innumerabilem multitudinem Monachorum, Conuerſorum, & Sanctimonialium illi oſtendit: qui nimis exultans, & gratias referens, ad corpus rediit, & quid viderit, quidve audierit, Abbati ſuo narrauit. Ille vero in ſequenti Capitulo hæc referens Abbatibus, omnes lætificauit, ad ampliorē Sanctæ Dei genitricis amorem illos accendens.* Hæc tunc recentia, & ſparſa per totum Ordinem, cuidam alteri Monacho occaſionem præbuere, non vulgarem, vt ſolos Ciſtercienſes crederet illuſtratos hoc tanto titulo.

5. Cæterum cum eadem B. Virgo Prædicatores adoptatos ſibi etiam in filios, adeóque à noſtris, vt fratres amplectendos, vellet oſtendere; alteri Monacho etiam ex Ciſtercio (adeo illa ætas Sanctorum inter noſtros fertilis fuit:) apparere dignata, viſionem oſtendit, quam Thomas de Cantiprato, coæuus item auctor, ſcriptam reliquit, quæ ita habet.[e] *ſupra hoc quidam Ciſtercienſis Ordinis Monachus, vitæ tam Sanctæ viſionem mirabilem vidit, vt ei non credere flagitioſiſſimum, & impium putaretur. Raptus enim in ſpiritu patronam ipſius Ciſtercienſis Ordinis vidit, Chriſti Ieſu benigniſſimam genitricem. Cui B. Virgo; vt ſincere, inquit, diligas eos, & pro eis intenſius ores, tuæ charitati meos Fratres, & filios recommendo. Cumque ille lætus annueret, Fratres Ordinis ſui hos confidens, Beata Virgo: habeo, inquit, & alios Fratres, quos meo patrocinio fouendos, & cuſtodiendos amplector. Et hæc dicens releuato pallio Fratres Ordinis Prædicatorum ſub eo contutatos oſtendit, & adiecit, Hi ſunt inquit, qui ſpecialiter reſiſtunt negotio, ne dilecti filij mei ſanguis inutiliter ſit effuſus.* Hactenus ille.

e *lib.2.apud c.10.p.16.*

6. Hoc ipſo anno Venerabilis Alacrinus tunc Caſſæmarij Prior, poſt Epiſcopus, cuius ſupra meminimus, ab Honorio Pontifice ad Teutoniam miſſus (incertum quam ob cauſam, niſi quod eo in multis, iiſque grauiſſimis vſum, compertum eſt) cum per Bononiam forte pertranſiret: Beato Dominico, cuius familiaritatem Romæ, non ſine vtriuſque gaudio, adeptus eſſet, Magiſtrum Conradum ad Ordinem trahendi, quod ſumme filij eius optarent, auctor fuit, cum Beatum Patriarcham ex quibuſdam ipſius verbis reconueniret. Rem Belluacenſis Vincentius, qui tunc etiam viuebat, memoriæ prodit[f] *interea, ait, Sanctus Dominicus multis floruit miraculorum virtutibus, & orationum affectibus: vnde Alacrinus vitæ Venerabilis Epiſcopus, cum adhuc Prior eſſet Caſſamarij de Ordine Ciſtercij, & ab Honorio Papa in Teutoniam miſſus per Bononiam iter faciens, ad eundem Sanctum Dei virum Dominicum, cum quo magnæ familiaritatis notitiam dudum Romæ contraxerat, viſitandum acceſſiſſet; ſecretum, & conſolatoriam de diuinis, ac cœleſtis vitæ delitiis, cum eo collationem habuit; & ei quadam familiari confidentia, exigente materia, dixit: fateor tibi, quod nulli adhuc expoſui, nec tu, quandiu vixero, reuelabis: Quod numquam adhuc à Deo in hac vita aliquid petij quod non conſequerer iuxta votum.*

f *lib. 30. cap. 110.*

7. *Erat enim tunc Bononiæ Magiſter Conradus Teutonicus, cuius ingreſſum ad Ordinem mirabiliter affectabant. Itaque Alacrinus, vbi prædictum Sancti ſecretum audiuit, vehementer admirans, confidenter adiecit. Pete ergo Pater, vt det tibi Magiſtrum Conradum ad Ordinem; cuius Fratres introitum tam ardenter flagitare videntur: At ipſe: Rem, inquit, Frater, bene difficilem poſtulaſti; ſi tamen volueris in hac noſtra oratione mecum inſiſtere; confido in Domino, quod nos à petitionis noſtræ deſiderio non fraudabit. Finito itaque completorio Fratribus ad quieſcendum pergentibus, Vir Dei Dominicus, in Eccleſia, præſente dicto Priore, & vidente remanſit, & in oratione more ſolito pernoctauit. Peractis vero Matutinorum vigiliis, alluceſcenteque die, conuenientibus ad primam Fratribus, cum cantor incœpiſſet.* Iam lucis orto ſidere; *ecce verè lucis ſidus nouum, Magiſter Conradus ſubito veniens, & ad pedes Beati Patris Dominici ſe proſternens, habitum Ordinis, & inſtanter petiit, & perſeueranter accepit,* Iſta Vincentius: quæ eadem Theodoricus de Apoldia habet,[g] Conradi Sanctitatem ſubiungens, atque fœlicem exitum, quo ex hac vita ad Deum tranſmigrauit.

g *lib.4.c.6.*

8. Porro quod ad rationem temporis attinet, hiſtoriam hanc hoc anno contigiſſe, poſt eam tranſcriptam, Maluenda his verbis probat.[h] *Colloquium Sancti Dominici cum Alacrino, & nocturnas preces contigiſſe hoc anno in Vigilia Aſſumptionis Deiparæ: & ingreſſum Conradi*

h *ad hunc ann.*

in

in Ordinem ipso manè Assumptionis post primam Theodoricus,& alij sunt auctores. Subdit verò Flaminius de Alacrino Cistercienſi. Hic posteà factus Episcopus, annis viginti supervixit, & rem hanc Romæ, Prouinciali Prædicatorum narrauit, litteris etiam suis hoc testatus est. Ergo ex his, si exactè perpendantur, non solum annus colloquij Alacrini cum Beato Dominico, sed & mortis ipsius deduci potest. Quippe si ab eo supervixit viginti annis, consequitur obiisse M. C C. X L. non tamen quoto Episcopus anno, nec cui Ecclesiæ præfederit, quod neque in aliis inuenire hactenus potui. Is supra alios in continuandis Annalibus Cistercij labor nos grauat, quod nihil quasi ex proprio horto decerpimus, sed ex alienis omnia, eaque manca, & mutila; & quæ pro suo quisque instituto libat magis, quàm narrat: pro nostro nihil.

9. Hoc idem tempus concernere videtur, plus minusve, id quod idem Maluenda etiam transcribit: [i] *Cistercienſis Abbas in Moguntienſi Diœcesi vita, & Religione ad modum commendabilis præcipuo quodam cultu B. Dominicum, atque ob id Prædicatores Fratres magno amore, obseruantia, & liberalitate prosequebatur; venientes ad se non dici posset, quam libenter, & quoto cum gaudio susciperet. In Monasteria quoque illorum mire beneficus ac liberalis. Ibat is forte ad suam Generalem Synodum, sed in ipso itinere in grauem incidit agritudinem, nec medici amplius quidquam de illius salute pollicebantur: cum sic ope humana destitutus iaceret, venit ad eum, sed vigilantem, B. Dominicus habens secum Ordinis Su. Fratrem; & assedit in lecto ad ægrotantis caput, ipse, comes vero ad pedes, Putabat Abbas duos esse amicos Fratres, qui officy, & visendi sui gratia ad se adiissent. Tunc illi B. Dominicus: bono, inquit, esto animo Abbas ac spem Domino tuam repone: viuis enim, neque in præsentia morieris. Tunc Abbas: & quomodo tu, charissime, hoc nosti? Tunc Sanctus: Ego inquit, sum Dominicus, quem tantopere colis, ac diligis, missus à Domino, vt tibi hoc nunciarem. Lætitia ingenti exhilaratus Abbas, cum pararet multa dicere, sensit Sanctum euanuisse; statimque conualuit* Hæc ad hunc annum, aut certe circa ipsum: nam plura alia in sequentibus dicemus. Ferdinandus Castillus hanc S. Patriarchæ apparitionem Volcolderode Abbati factam, atque eum restitutum saluti, tradit sequenti anno, cum iam Sanctus Humanis exemptus esset.

[i] *fol. mihi 387.*

---

1. *Beati Vlrici in Villario glorioſus tranſitus:* 2. *& Ludouici in Valle S. Petri:* 3. *de aliis tribus.* 4. *Pauliacenſis Abbatis viſio* 5. *conuerſi vntus pauenda ſatis mors* 6. *Dictum & de Bertrando impœnitenti,* 7. *& de Bertolfi ad ipſum petitione.* 8. *Horrenda viſio:* 9. *Bartolfuſque ex pſeudo-Sacerdote, tandem conuerſus:* 10. *in hac vita punitus, atque decedens.*

CAPVT QVINTVM.

1. HOc nobis caput Cæsarius noster implebit, eo frequentior occurrens in his annis quo citius deserturus: Quippe qui suos scribebat Dialogos anno M. C C. XXII. vltra quem, nihil prorsus in illis libris; ex reliquis rariora decerpi possent: Addam tamen in aliis, si quæ occurrerint, clariori luci, & apertiori narrationi. Illustrauit ad Kalendas Octobris Villariense cœnobium Beati Vlrici obitus, de quo hæ ab eodem scripta lego. [a] *In Villario Brabantiæ, ante hoc biennium Monachus quidam defunctus est nomine Vlricus, iuuenis disciplinatus, & valde gratioſus, tam corpore, quam mente Virgo. Hic cum in Namurco die quinto decimo ante mortem suam Missam celebraret, sicut mihi retulit loci prædicti Prior, venerabilis inclusa, Vda nomine, cui Deus reuelare consueuit globum igneum super caput eius conspexit; erat enim tunc temporis grangiarius. Qui cum infirmus in extremis ageret, & Abbas deesset, dixit ei quidam ex circunstantibus: Velletis Dominum Abbatem modo videre? etiam, inquit, valde illum videre desidero, vt præsens congaudere posset mihi eunti ad nuptias: & adiecit: Cras habebitis propter me Festum, scilicet duas Missas; quod ita factum est. Nam altera die dicta Missa in Conuentu, post primam (erant autem Kalendæ Octobris) animam virgineam efflauit, quæ à cœlestibus paranimphis susceptæ, in æthereum thalamum ad nuptias agni, & ad amplexus sponsi; deducta est. Post tertiam vero, celebrata pro eo Missa solemniter in Conuentu, secundum quod ipse prædixerat, terræ commendatus est; & sicut mihi dixi Dominus VVillelmus, nunc Abbas Villarienſis, tunc Prior ibidem, ne vnum quidem peccatum mortale deprehendere potuit in eius extrema, & generali Confessione: fuerat siquidem magnæ spei iuuenis, vultum habens Angelicum, moribus bonis adornatus, natione Colonienſis.* Hactenus ex Cæsario Heisterbacensis, qui eiusdem Villarienſis cœnobij Prior fuit. Virum Arnaldus de Rayse, Aubertus Mireus, Chrysostomus Henriquez, aliique; sed ex Cæsario memorant, Rayse ex Chronico etiam Villarensi, sed qui à Cæsario dictis nihil addit.

[a] *lib. 9. c. 31.*

2. Heisterbachi moriente Ludouico (id nomen Monacho) duplex visio salutem prænunciauit. Sic enim ait idem qui præsens fuit, cum iam propriam Domum reuersus esset, [b] *Monachus quidam simplex, Ludouicus nomine, ante hoc biennium apud nos defunctus est; Hic cum tempore meridiano agonizaret, & Conuentus dormiret, Monachus quidam in somnis, interim vidit Columbam candidam in tecto Cellulæ, in qua moriens iacebat residentem; cui catus niger insidiabatur; & cum esset ei nimis importunus, columba ab eo apprehendi timens, ad Ecclesiam volitando fugiens, super crucem ascendit, ibi residens secura. Eadem hora visum alteri cuidam Monacho fuit, quod Fratribus circularetur hinc inde stantibus, Leo circumiens stationem eandem irrumpere nisus sit, & intrare, sed à singulis prohibebatur, & calcibus eorum impulsus fugabatur. Interim percussa tabella, Conuentus accurrit, morientem circumstetit, dictaque Latania, Sacerdos defunctus, lotus, & vestibus, cum solemni cantu deportatus est in oratorium, & spero quod cati, leonisque euaserit insidias.* Hactenus ille modeste de Fratre loquens.

[b] *lib. 6. c. 36.*

3. Vtilior forsan, certè manifestior Pauliacensis Abbatis visio fuit : illud, dum nullum peccatorum genus à salute excludit ; hoc dum visibilem post se effectum relinquit, quo facile veniret comprobanda. Sed neque dormienti ; vt præcedentes ; sed vigilanti facta, eoque minus obnoxia deceptionibus. [c] *In Regno Franciæ, ait, Domus est, quæ Pauli dicitur Ordinis Cistercienſis. In hac recenter contigit res satis mirabilis, sicut retulerunt nobis Abbates nostri anno præterito reuertentes de Generali Capitulo : nam quidam ab Abbate, in quo visio facta est, se audiuisse testati sunt. Adolescens quidam in eadem domo factus est nouitius, quem Magister suus mox sequutus est, qui cum factus fuisset Monachus, ita districte se habuit, ita singularis fuit, vt ei Abbas timeret, & pro indiscreto feruore sapius argueret. Ille vero Saluatoris monitis non acquiescens, in pertinacia sua perseuerauit ; sicque post aliquot annos defunctus est. Nocte quadam, cum Abbas quarta feria ad laudes in stallo suo staret, & contra Presbyterium respiceret, tres personas quasi tres candelas ardentes, ad se venire contemplatus est ; quibus propius accedentibus, cognouit omnes : medius fuit prædictus scholasticus ; & ex vtroque eius latere duo conuersi, omnes nuper defuncti. Tunc Abbas memor pertinaciæ scholastici, interrogauit eum, dicens : Quomodo habes ? Respondente illo, bene : mox subiunxit : Nunquid passus es pro inobedientia tua ? etiam, inquit, multa, & maxima tormenta ; sed quia intentio mea bona, licet indiscreta fuerat, Dominus mei miseratus est, nec sum damnatus.*

c *lib.* 12. *cap.* 29.

4. *Et ait Abbas ; quid est quod iste conuersus (digito eum demonstrans) altero clarior est, cum ipse apostauerit, & alter numquam, ex quo ad Ordinem venit, grauiter excesserit ? Respondit Monachus : quia iste post lapsum, fortius surrexit ; & altero multo feruentior fuit. Interim choro cantante versiculum ; Pedes Sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent ; Scholasticus signa suæ præsentiæ ibi relinquere volens, tabulam pedibus psallentium substractam tam fortiter calce percussit, vt frangeretur, sicque disparuit. Abbas vero, in testimonium tam manifestæ visionis tabulam fractam reparari, vel mutari non permisit.* Ita Cæsarius. Certè, si nec Apostata conuersus, neque inobediens Monachus excluduntur à gloria, non est qui debeat, aut possit desperare, si modo resipiscat. At non nimium de statu præsumendum, quo perfectioni, periculosiori : pauendo Deus miraculo monstrauit hoc ipso anno, quod idem qui supra auctor etiam scribit. [d]

d *lib.* 9. *c.* 64.

5. *Vix duo anni sunt elapsi, quod conuersus quidam de Ordine nostro infirmatus est grauiter in Pictauia Domo, quæ dicitur Fumoringeus : cuius confessionem cum Abbas audiuisset, cumque satis diligenter ad emendationem conscientiæ monuisset, allatum est ei corpus Domini, quod quidem aperto ore suscepit, sed os ad masticandum claudere non potuit. Mirantibus vniuersis, qui aderant, Sacramentum extrahens, alteri dedit infirmo, quod ille deuote satis sine omni suscepit impedimento. Non multo post Conuersus idem mortuus est, & causa salutem eius impediens declarata est, nam quinque solidi, non argentei, sed ærei, cum esset ab luendus, circa eum inuenti sunt, non autem ei licuit habere pecuniam. Et glorificauerunt Deum videntes hæc : ad mandatum vero Abbatis in Campo sepultus est, & super eum idem solidi proiecti, dicentibus omnibus qui aderant : Pecunia tua, quam clam nobis contra professionem tuam possedisti, tecum sit in æternam perditionem. Hac cum idem Abbas recitasset in proximo Capituli Generali subiunxit, & vt sciatis nullam fuisse infirmitatem in causa, quare corpus Domini sumere non posset, eadem die gallinam integram vitæ gratia commedit.* His, & similibus Cistercium conseruabat qui præelegerat : & quia nullibi deesse discoli possunt, si quos per ipsem veniæ non alliciebat, supplicij æterni terrore, in vno amisso multos reuocabat.

6. Regeram tamen adhuc obitum alium concernentem hûc annum, Bertholfi in sæculo Pseudo-Sacerdotis, in Religione laici ; per horrendam visionem conuersi, & per infirmitatem corporalem tandem purgati, vt pie credidere, qui interfuerûnt. Rem totam ab initio pandit idem Cæsarius, cuius verbis à nobis dicenda erit. [e] *In Villa quadam Diœcesis Traiectensis, quæ dicitur Olchoym, erat homo nomine Hildebrandus. Die quadam Syluam cum alio quodam cõcine suo intrauit, quem suadente Diabolo, cum soli essent, occidit. Fuerant aliquando inter eos inimicitiæ, sed tunc temporis penitus erant sopitæ. Reuerso Hildebrando in Villam, interrogabant eum amici occisi, vbi esset ; qui respondit, nescio : expectantibus illis die illo, & altero, cum non rediret, qui iam redire non potuit, suspectum habentes Hildebrandum propter antiquas inimicitias, coram Iudice in causam traxerunt, crimen homicidij imposuerunt ; quo timide negante, cœpit ipsa facies eum prodere ; & cum instantibus illis iam negare non posset, confessus est, quia hominem occidisset. Statim data super eum sententia, pœnæ rotali adiudicatus est.*

e *lib.* 2. *c.* 4.

7. *Cumque duceretur ad mortem, Sacerdos eiusdem Villæ, nomine Bertholfus cum alio Sacerdote, qui vocabatur Ioannes, Germano Fratris supradicti Bernardi, & aduocato Villæ, vtpote virum honestum, traxerunt in partem, satis diligenter eum monentes de confessione, atque contritione cordis. Et quia miser homo per se surgere non potuit, nec manum in se subleuantem sensit, miserabiliter respondit : Quid mihi possunt illa prodesse ? homo enim damnatus sum. Reuera respondit sicut homo induratus, & desperatus, similis illi, qui dicebat :* [f] *Maior est iniquitas mea, quam, vt veniam merear. Et ait illi Sacerdos : adiuro te per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, vt infrà hos dies triginta mihi appareas, & sine omni periculo vitæ meæ de statu tuo me certifices. Respondit : si mihi licuerit, libenter hoc faciam. Sicque rotali pœna plexus, de tormento corporis transiuit ad tormentum æternæ damnationis.*

f *Genesis* 4

8. *Nocte quadam infrà statutum tempus, Bertholfo dormiente in stratu suo, tantus esse cœpit circa Domum fragor arborum, tam vehemens flatus ventorum, vt ipsa animalia stuperent, & vix suis loris infrà claustra stabuli retineri possent. Expergefactus Bertholfus, respexit ad ostium domus, & ecce ianuæ quasi vi ventorum impulsæ aperiebantur : viditque Hildebrandum in camino ardente residentem, sibique celerius propinquantem. Territus autem supra modum, se signauit, & vt staret sub inuocatione diuini nominis præcepit : ecce hic sum, sicut promisi, inquit. Scisitante illo de statu suo, respondit : Eternaliter damnatus sum, aterniſque incendiis propter desperationem maximè*

maximè deputatus : si secundum tuum consilium egissem pœnitentiam , per pœnam temporalem; euasissem æternam. Non enim Deus punit bis in idipsum : hoc autem scito , quia si non fuissem viuus à te adiuratus , ne tibi mortuus nocerem , malo tuo huc aduenissem : consule tibi , vt vitam tuam emendes , ne post hanc vitam similem pœnam recipias.

9. *Erat autem idem Bertholphus Sacerdos nomine , sed non re ; nam vsque ad illud tempus sine Ordine Presbyterij celebrauerat ; quem cum adhuc miserum amplius interrogare vellet , respondit : non licet mihi hic diutius morari , quia multi dæmones foris ante hostium præstolantur redditum meum. Hoc dicto statim impulsus , & expulsus cum stridore , & vllulatu maximo ab eo discessit , transiensque circa stabulum , animalia, sicut prius, in stuporem, & commotionem conuertit. Bertholphus vero timore tam horrendæ visionis sæculum deseruit , & in domo quadam Ordinis nostri , quæ vocatur Herselhusim, Religionis habitum suscepit. Abbas loci illius , eo quod intellexisset virum esse litteratum , & eloquentem, vt ei ad Ordines liceret ascendere , satis apud Dominum Papam Innocentium laborauit , sed obtinere non potuit.* Hactenus Historia Bartholphi vsque ad hunc annum.

At cum iam venit decretum à Deo tempus, in 10.
quo, qui remissionem peractæ vitæ , & tot sacrilegiorum illi concesserat,pœnitentiæ etiam præmium redonaret : vt qui à culpa purgatus per contritionem , à pœna etiam , vel à parte pœnæ saltem , per corporis dolores eximeretur. *Ante hoc biennium , (pergit idem Cæsarius* g *) sicut mihi retulit Prior de Campo , in manu , quam extenderat temere ad arcam Dei,morbo,qui Anthrax dicitur , punitus est : quæ cum ei , quasi pro remedio , eo quod morbus serpens sit , abscinderetur, nihil illi profuit , imo dolori dolor additus, mortem ei potius accelerauit.Voluit eum Dominus,vt spero,punire in præsenti,ne puniret in futuro.* Hactenus ille, sic ex vnius damnatione hominis , salutem alterius:& ex iactura membri corporalis,& temporalis vitæ,æternam Deus gloriam electis parat. g *vbi suprà.*

---

1. *Rachelis Iudææ ad hunc annum conuersæ* 2. *Parentes , patria , & in Virginem affectus.* 3. *Leodij auditis Magistri Reynerij disputationibus* , 4. *ad fidem conuertitur :* 5. *detecta à Patre, fugam meditatur.* 6. *Oblita , à Maria Virgine admonetur.* 7. *Baptizatur , & Cistercij habitum induit.* 8. *Parentum de ea peruertenda sollicitudo.* 9. *In Duce frustrata, non in Episcopo :* 10. *sed delusa per Virginem.* 11. *& Episcopus in Synodo accusatus , sed non correctus.*

CAPVT SEXTVM.

1. HOc fere tempus concernere videtur admiranda Rachelis puellæ historia : quam diu lite protracta per duos annos, quæ post eam desertam sequuta sunt effugere Cæsarium scribentem , neque ab eo in dialogis potuerunt recenseri. Rem à principio tam ipse , quam Thomas Brauantinus , siue Cantipratanus, quorum vterque Virginem assequutus est , vsque ad desertam litem scripsere ; nisi quod Thomas, quæ Virginem concernunt , longè distantius ; quippe qui cuncta audiuit ab eius ore : Cæsarius quæ in lite per nostros gesta , ab eisdem hausta fusius narrat : & alter alteri cum mira consonancia succenturiatur. Quin à lite deserta circa annum Christi M. C C. X X I I. quod Cæsarius non potuit in suis dialogis , Cantipratanus addidit , & suo libro de Apibus inseruit , siue mauis, de Bono vniuersali : Ergo Rachel hoc anno baptizata,& Monialis effecta , hoc etiam anno nobis dicenda venit.

2. Patria illi Colonia, Iudæi Patres, mercatores, & diuites, nullis lucris, parcentes pro more gentis. *Annorum non plene quinque ,* [a] *ait Cantipratanus , in domo parentum Iudæorum aduertere cœpit animo , cur distinctio nominum fieret Iudæorum pariter, & Christianorum cum vnius vultus, atque loquelæ homines essent vtriusque gentis. Miratalis puellæ discretio. Inhærebat tamen,vt postmodum mihi retulit,auidius audienti, magis Christianum nomen quam Iudaicum , & specialiter Beatæ Mariæ nomen lætabatur audire , cum Christiani aliquid inuicem petere , vel iurare solerent. Furabatur autem sub vtraque assella panem de mensa parentum, & pueris occulte mendicis partiebatur, vt regratiãdo sibi Mariæ nomen audiret,In his ergo de tempore in tempus mire proficiens,ita sagaciter latitabat, vt neuter parentum aliquid super cogitatu filiæ aduertere posset vel audire.* Hæc prima signa diuinæ vocationis , quæ in Rachele præuenit rationis vsum. Sed in Colonia profecta tantum terra , & veluti emollita ; femina ad Louanium faciendæ reseruabantur. Nam pergit auctor.

[a] *lib.2.c.29. part.20.*

Contigit autem , vt parentes eius à Colonia in 3.
Louanium , Brauantiæ oppidum , cum filia deuenirent. Vbi cum successu temporis in domum cuiusdam præclari Presbyteri Magistri , Reineri nomine,puella cum Christianis pueris aduenisset,eamque ex nomine nouisset Presbyter , eamque venire libentius ad se,frequentius aduertisset, interrogauit eam, dicens:visne,Rachel charissima Christiana fieri? Et illa : volo , inquit , dummodo erudias me : quid sit fieri Christianam. Ita Thomas. Sed eadem Cæsarius distinctius adhuc , & prodens occasionem, qua Virgo tenera,& fidem Christi non sine delectu, & prudenter susceperit etiam supra ætatem, & Reynerio familiaris , & nota fuerit. Sic enim ait. [b] *Clericus quidam, Reynerius nomine,Capellanus Ducis Louanij,solitus erat intrare domum Iudæi eiusdem ciuitatis,& disputare cum eo de fide Christiana. Habebat autem filiam paruulam, quæ valde diligenter intendebat disputationi,secundum capacitatem intellectus sui ponderans tam verba clerici opponentis, quam verba Iudæi respondentis : sicque sensim per diuinam dispositionem imbuebatur ad fidem Catholicam.*

[b] *lib.1.c.26*

Ergo cum Clericus , & bonam puellæ indo- 4.
lem,& specialem in Christum propensionem nõ leuibus indiciis cognouisset : cumque eam,quacumque causa quæsita sæpius, vel sine causa domum suam frequentare , atque ipsius expetere

colloquia, præcipuè quæ de Euangelica doctrina, ſerius aduerteret: puellam vltro ad Chriſtum properantem, an vellet fieri & ipſa Chriſtiana, non leuiter ſed maturo conſilio, & veluti aut decreti æterni conſcius, aut futuri præſagus, interrogauit. Sed neque illa quod ardebat, differre potuit: quin ſtatim, & ſe Chriſtianam fieri, & in lege Chriſti eruditi velle profiteretur. Pergit Cantipratanus.[c] *Tum Preſbyter, vt vir Sanctus, mire gauiſus, in ſpiritu ſentiebat de puella futurum, neſcio quod diuinum, & incipiens à conſtitutione mundi, cœpit illi ſcripturas exponere, per quas fides Chriſti, vel ipſe Chriſtus ſignificari poterat, vel oſtendi. Quarum expoſitiones, vt mihi ipſamet dixit, ita integro ſenſu in illa ætate ſex annorum tunc, & dimidy, diſcretione ſpiritus intellexit, vt raro oporteret Preſbyterum rationem aliquam iterare. Hæc eruditio fere per annum dimidium perduranit, occulto aditu, per quem furtiuè, & oportune raptam puellam edocebat. Et vide admirationis inſigne prodigium. Numquam Rachel auditu verbi Dei ſatiari poterat, vel laſſari, cum tamen Preſbyter, & Martha miniſtra eius, mulier, religioſa, & prudens valde, ambo laſſati ſibi inuicem ſuccederent in docendo.* Cæſarius Martham, non ſolum, vt doceret, doceri auidam, ſed *vt ſine nota de domo Patris adduceret* adhibitam puellæ, teſtificatur.

c *vbi ſupra.*

5. Haud facile celatur amoris ignis, lumine qui ſemper, vt cecinit Poëta,[d] proditur ipſe ſuo. Et Rachel, quem conceperat ardorem in flammas erumpentem, non potuit diu à domeſticis celare. Senſere famuli, quos fere namquam latent dominorum ſecreta, & qua facilitate cætera alia (errant, qui errata ſua ſeruis committunt, non ab aliis facilius detegenda) hoc ipſum primum domi, mox etiam extra; neque vt rem dubiam, ſed certam diuulgarunt. Tum vero Patres, ait Cantipratanus.[e] *Mox vt in filia cœperunt aduertere cogitatum, conuenientibus Iudæis pluribus, conuenerunt in hoc, vt miſſam filiam de Louanio vltra Rhenum, ſponſo traderent arctius conſeruandam.* Sic octo annorum puellam viro tradere, & quo à Chriſto abducerent, vel à ſeipſis abdicare filiam, quam vnice amabant, deliberarunt. Senſit Rachel parari ſibi dolos, parari vim; nam vim, & dolos in conſilio latere non dubitabat. Et niſi aliqua ad ſalutem via pateret, non alios ſibi peremptores animæ fore, quam vitæ auctores fuiſſent, & decuiſſent habere procuratores. Quare à parentibus carnis, ad parentem ſpiritus appellans. *Preſbytero, (ait, Cantipratanus) indicauit cum lachrymis, quod ſi illam in eadem nocte non raperet, & Chriſtianam efficeret, perdita eſſet in perpetuum, & confuſa.* Reynerius lachrymantem Virginem videns, nec de malitia parentum quicquam dubitans, pium raptum aggreſſus, *Puellæ præcepit, vt ad ſolitum aditum ſummo mane veniret.* Annuit illa; domumque reuerſa, nec promiſſionis immemor, cum nox inſtaret Matri dixit, *Sola mater, hac nocte, iacere volo. Quod cum ſimplex puella dixiſſet: & diutius mater renuiſſet, conſenſit tandem, eidem ſuper ceruical, ad pedes ſuos, lecticulum præcipiens præparari.*

d *Ouid.*

e *vbi ſuprà.*

6. Hactenus raptim, & verbis verba miſcentes: Nunc quæ ſequuntur, quia mirabiliora, ex ſolo Thoma venient tranſcribenda. [f] *Iacente ergo puella vſque ad mane, & obliniſcente penitus quod Preſbytero præcedenti nocte promiſerat; aſtitit illi glorioſiſſima Mater Dei Maria in habitu candido ſuper niuem; & offerens illi Virgam ſplendidam, quam geſtabat, dixit: ſurge Catharina, & iter arripe; grandis enim tibi reſtat via. Hæc illa dicente, Rachel credens Virgam apprehendere, de lecto cecidit, & exclamauit; cuius clamore mater excitata, & quærente clamoris cauſam: filiaque cautius diſſimulante, mater protinus obdormiuit: & Rachel ſurgens, ad conditum locum Preſbyterum mox inuenit.* Hactenus Thomas. Quibus plane videas, quanta gratia Maria Virgo reſponderit, quod Rachel tenera, dum Coloniæ degeret, eius nomen audire delectaretur. Quippe quæ illi, & auctrix, & adiutrix exequendi diſceſſus à domo Patrijs: Quin & regenerandæ per Baptiſmum ipſa nomen impoſuit, nec dubium quin ad Ordinem veniendi, quem ſibi præelegiſſet, eadem Catharinæ principium fuit; Nam audi quod ſequitur. [g]

f *lib. eod. 2. cap. 29.*

g *vbi ſuprà.*

7. *Qui, id eſt Reynerus, latus aſſumpſit eam, & venit ad Monaſterium, quod Parcus Dominarum dicitur; quod erat ad leucam dimidiam dictæ Villæ, & gaudentibus cunctis baptizauit illam, nomen Catharinæ imponens ei, quo vocata prius fuerat à matre Chriſti: ſtatimque habitum Ordinis induit baptizatam.* Eadem in hac parte habet Cæſarius, qui hactenus pauciora, quia minus familiarem habuit Virginem, à qua cuncta quæ ſcripſit Thomas acceperat. [h] *Quam clericus iam dictus baptizari fecit: eamque in Monaſterio Ordinis Ciſtarcienſis, quod Parcus dicitur locauit* Ita Cæſarius. Pergit vterque de dolore parentum, & qualiter nullum lapidem non mouerint, quo poſſent filiam ab incœpto reuocare: de quo hæc Thomas. [i]

h *vbi ſuprà.*

i *eod. loco.*

8. *Vt audiuit Pater, & amici eius, quod geſtum eſt, conſternati ſunt, & per Ducem Dominum terræ, & per Epiſcopum Leodienſem, tandemque per Papam Honorium, datis maximis pecuniis, laborauerunt, vt infra ætatem legitimam filia ablata parentibus redderetur. Quæ ſi in domo parentum vſque ad duodennem ætatem perſeueraret in fide ſuſcepta; tunc iuſtè Chriſtiano nomini reddi poſſet: cogitantes nequiſſimi medio tempore infantilem animum faciliter poſſe deflectere, vt ad natiua parentum vota rediret. Horum fraudulenta conamina, proh dolor! multi magni, & litterati viri, pecunia ſuſcepta, fouebant, pro quo Preſbyter ſupradictus, non modice tribulatus, ſolum Chriſtum, & Matrem eius, quæ auctrix fuerat facti huius, multis lachrymis inuocabat.* Hactenus de his Thomas Cantipratanus. Verum hæc ipſa diſtinctius ex Cæſario, & ſingula ſeorſim proferamus.

9. Et primum quidem, quod ad Ducem Louanij attinet; & ſi in principio pro Iudæo multus extiterit; ſtatim tamen per Magiſtrum Reynerum, & per VValterum, Abbatem Villarienſem, repreſſum fuiſſe; & deſtitiſſe ab incœpto teſtificatur. [k] *Cognita, ait, filiæ conuerſione, Pater infidelis doluit, multam pecuniam offerens Duci, quatenus ſibi reſtitueret filiam, quam furtim conquerebatur fuiſſe ſublatam. Dux verò cum vellet Patri reſtituere filiam, Iudæo ſcilicet Chriſtianam;*

k *lib. 2. c. 26.*

stianam ; restitit ei Reynerus clericus , dicens : Domine si hoc scelus commiseritis contra Deum, & sponsam eius , numquam saluabitur anima vestra , restitit ei , & Dominus VValterus Abbas Villariensis. Itaque quæ prius Iudæo fauerat , aut fauere voluerat , sæcularis potestas , retrocessit : & Christo se cessisse congratulata , non vnquam certe potentior visa est, quam cum sibi ipsi potuit imperare. Sed proh dolor ! cedente Christo potestate sæculari , Ecclesiastica in ipsum rebellauit, saltem non cessit, aut longe tardius cessit. Nam audi quæ sequuntur. [l] *Videns Iudæus se fruſtratum spe , quam habuit erga Ducem ; corrupisse dicitur Dominum Hugonem Episcopum Leodiensem ; qui Iudæo in tantum fauebat, vt Conuentus Sanctimonialium de Parco litteris suis mandaret , quatenus illi filiam restituerent.* Ita quod sæcularis Princeps non ausus,ausus Sacerdos , non leue scandalum aliis irrogauit.

l *vbi suprà.*

10. Expedito ab Episcopo mandato de restituenda Virgine , quod contigit miraculum, & Virginis constantiam in resistendo , nequaquam licet silentio præterire. Narratur autem à Cæsario totidem verbis. [m] *Veniente vero Iudæo ad iam fatum cœnobium , cum amicis , & cognatis suis, Virgo intro constituta , cum de illorum aduentu prorsus nihil sciret,sentire cœpit fœtorem magnum, ita vt palam diceret : Nescio vnde sit ? fœtor Iudaicus me grauat. Interim Iudæis pulsantibus ad fenestram , cum puellæ diceret Abbatissa , viputo; Filia Catharina (sic enim vocata fuit in Baptismo) parentes tui volunt te videre : respondit illa: & non acquieuit exire.* Ita & ostensum diuinum beneplácitum, pro Virginis quiete & delusa Episcopi facilitas , qui contra partem inauditam adhuc protulisset sententiam, atque ouem lupis tradendam condemnasset.

m *ibidem.*

Hæc ad hunc annum , vt coniectari licet ex 11.
supra traditis , inferiusque dicendis. Neque vltra processum, quia multorum zelo insurgente contra Episcopum *Anno præterito , inquit idem Cæsarius ,* [n] *accusatus fuit (idem Episcopus Leodiensis) pro eadem causa coram Domino Engelberto Archiepiscopo Coloniæ in Synodo eius, & præceptum fuit ei, ne de cætero molestaret prædictum cœnobium, pro puella Baptizata. Et tunc quidem subticuit, sed non obediuit.* Ita Cæsarius. Sed qualiter obedientiam transgressus sit puellamque Leodium citari fecerit , per se , aut per idoneum procuratorem Patri suo responsuram. Demum qualiter ipsa comparuerit , & cunctos suis prudentibus responsis , in Dei laudem , & lachrymas deuotionis prouocauerit , anno sequenti , quo euenerunt , hæc omnia , dicenda erunt.

n *ibidem.*

---

1. *Grauati per Hispaniam Cistercienses exactione vicesimæ , 2. exemptionem ab Honorio Papa impetrant , 3. consultatio Prioris Scalæ-Dei, & responsum Honorij. 4. Cœnobia aliena per nostros reformata : 5. Hugo Kir Kestadensis & Ethelredus VVardonensis, scriptores florent. 7. Iacobi Aragonensis prudentia supra ætatem. 8. cessio, & successio Abbatum in Populeto ; & Ioannis Fontanensis Pontificatus. 9. Acta capituli : 10. & prohibita admissio plurium Monialium. 11. Dictum de Sancto Angelo de Frigillo Calabriæ domo. 12. Et de Stella reædificata in Lusitania.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. QVos anno proximo Gualo Cardinalis afflixerat per Galliam , procurationum indebitarum exactione ; eosdem per Hispaniam Hugutio Cynthuysque delegati ab Honorio, alter eiusdem Honorij Capellanus , alter Canonicus Ecclesiæ Sancti Petri,non minori conamine vexabant , nouo quæsito titulo vicesimæ, quæ Ecclesiasticis cunctis , in Orientalis militiæ subsidium iniuncta erat. Atque eo negotium ventum est , vt in quosdam Abbates, excommunicationis , in Monasteria interdicti sententias promulgarent. Miserint ne,ex eisdem Abbatibus aliquem?in dubio est;constat Honorium ab ipsis sollicitatum , cum nimis vrgerentur , tale ad eos responsum , talem indemnitatem, provt extat in ipsius Regestis, transmisisse. [a]

a *epist. Honorij lib. 4. 2.*

Abbatibus, & Conuentibus Cistercienſis Ordinis per Hispaniam constitutis.

Cum sicut accepimus Hugutio Subdiaconus , & Capellanus nester , & Cynthius Basilicæ Principis Apostolorum Canonicus , in quosdam ex vobis excommunicationis, & ex Monasteriis vestris, interdicti sententias , occasione vicesimæ , à nobis super hoc auctoritate non habita , promulgauerint : vniuersitati vestræ præsentium auctoritati mandamus, quatenus sententias ipsas nullatenus obseruetis : cæterum ne occasione huiusmodi vos , vel Monasteria vestra de cætero molestari contingat , vos à præstatione prædictæ vicesimæ duximus eximendos. Datum Viterbij III. Kalendas Maij , Pontificatus nostri anno quarto. Hactenus ibi. Certè in Gallia Archiepiscopo Rhemensi , qui Cistercienses, Carthusienseſque à vicesima indemnes velut Legatus Honorij declarauerat , idem Honorius scripsit non multo post. *Nos statutum huiusmodi , tanquam prouide factum , auctoritate Apostolica confirmamus , & præsentis scripti patrocinio communimus. Datum Laterani septimo Kalendas Ianuarij anno sexto.*

Hoc ipso anno , cum Prior scalæ-Dei, variis 3.
acceptis ab Honorio Papa litteris super inquisitione contra Episcopum Dertusensem, de quibus supra;itemque aliis contra Vrgelitanum,vtrumque in Catalonia , quibus esset parendū dubitasset:& super hoc Pontificem consuluisset,vir modestus, & prudēs,qui nec Apostolicis deesse præceptis vellet, & alias inquirere in Principes Ecclesiæ,Apostolorum successores,nisi vrgente precepto formidaret. Tales ab eo litteras suscepit. [b]

b *libro eodē.*

Priori Scalæ-Dei.

Quia nostro petisti responso doceri,vtrum inquisitionis litteras contra venerabiles Fratres nostros Dertusensem, & Vrgelensem Episcopos impetratas, duxerimus reuocandas : noueris quod cum ipsi ad Sedem Apostolicam venientes diutius expectauerint , si appareret aliquis contra eos ; quia multi

fide digni laudabile nobis in ipsis testimonium perhibent; mandauimus, ne procederetur in inquisitionibus contra eos. Datis Viterbij III. Nonas Iunij anno quarto. Hac familiaritate Honorius Pontifex, non modo primos illos Abbates Ordinis, sed Priores ex mediis dignabatur.

4. Multæ aliæ litteræ ad nostros hoc anno datæ, & plurium Ecclesiarum visitationes, tam Monachorum, quam Canonicorum Regularium, nec non, & sæcularium, illis iunctæ: Bribatensis, Abbati de Bocheto cum duobus adiunctis: Sanctæ Mariæ nouæ de Calabria, Abbatibus de Curatio, & de Frigillo, tunc recens orta, aut nostris adaucta domo, si fides Chronologiæ: Crasensis Abbati fontis frigidi: Neronensis Abbati de Gallaso: ac demum aliæ aliis commissæ sunt, quas longum, neque vtile, esset recensere. Adducam tamen Abbatis Kir Kestedensis in Anglia scrupulum ab Honorio sedatum, cum ob litterarum ad ipsum directarum filum (illud credo à quo pendebat sigillum) casu detractum, post contestatam litem, non auderet in causa vltra procedere, super quo idem Honorius ita respondet: *Ad audientiam nostram peruenit: quod cum ipse contra Abbatem, & Conuentum Sancti Edmundi Noruicensis Diœcesis, quasdam ad vos, super Capella quadam ad Ecclesiam suam spectante, ac rebus aliis, Apostolicas litteras impetrasset: vos citatis partibus, & habito iam in parte, super commisso vobis negotio, litterarum prædictarum auctoritate processu, quia postmodum à litterarum ipsarum Bulla filum fuit fortuito casu detractum, vlterius in eodem procedere negotio noluistis. Quocirca discretioni vestræ, per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus, si est, ita casu non obstante prædicto, in negotio ipso, secundum earundem litterarum tenorem, appellatione remota, ratione præuia, procedatis. Datum apud Vrbem veterem quinto Idus Iulij anno quarto.*

5. In eodem Kir Kestedensi cœnobio hoc anno decessisse lego Hugonem pium, & eruditum vtique virum, cuius ô vtinam scripta adhuc starent, atque ad nostras manus peruenissent; haud dubiè plurimum hos Annales illustratura! de eo Ioannes Pitsæus hæc habet verba [c]. *Hugo Kir Kestedus (Kircostalensem vocat Ielandus) in Anglia natus, & ibidem Ordinis Cisterciensis Monachus, vir pius, & eruditus, quique suam professionem, & institutum mirè dilexit, suorúmque honori, quantum potuit, in omnibus optimè consultum cupiuit. Secutus in hoc Frustini olim Archiepiscopi Eboracensis exemplum, qui illi Ordini plurimum fauit, & res quasdam ab illis Monachis præclarè gestas aliquando scripsit. Vixit per idem tempus Serlo quidam Eboracensis, vir grandæuus, illis Monachis multum familiaris. Quo iuuante, & dictante, Hugo scriptis mandauit, optimo ordine disposuit, & in vnum volumen redegit multa de rebus gestis Monachorum Cistercienſium in Anglia; quæ pleraque se vidisse testatur Ioannes Lelandus apud Ripondunum in Northunbria. Scripsit itaque, & Ioanni, Fontanensis cœnobij tunc Abbati, dedicauit,*

De Origine Fontani cœnobij, Librum vnum.

Historiam rerum à Monachis Cistercienſibus gestarum, Librum vnum.

Claruit anno redemptionis humanæ M. CC. XX. dum rerum in Anglia potiretur Henricus tertius. Hactenus ille. Vtrum autem loquatur de Serlone Viro docto, & Sancto Meilrosensi, quem post biennium Martyrio coronatum dicturi sumus? aliorum iudicio discernendum.

c *Descriptoribus Anglia.*

Eundem annum concernere videtur Ethalredus, VVardensis cœnobij Abbas, Honorij tertij à sacris concionibus, quem omnes ferè scriptores Angli eximiè laudant, adeo vt cum Sancto Ailredo multi confundant. De eo, idem Ioannes Pitsæus hæc habet verba [d]. *Ethelredus, vel Edilredus Ordinis Cistercienſis Monachus, Anglus, & tandem cœnobij VVardensis Abbas. Hic postquam politiorem Doctrinam, & omnes ingenuas artes affatim hausisset, lectioni sacrarum Scripturarum, meditationi cœlestium rerum, & prædicationi diuini Verbi se dedit. Sancti Bernardi diligens imitator, imo quodammodo pertinax amulator. Huius in communibus colloquiis sequebatur affabilitatem, in sacris concionibus mellifluam dulcedinem, in suaui stylo delicioſam facundiam, in omnibus actionibus mitem, ac mansuetum spiritum. His Sanctis verborum lenociniis ineſcauit populum, & rudem plebeculam pia fraude circumueniens, à mundanis cogitationibus, ad Christum deduxit; & ad se audiendum, imo ad Dei legem obseruandam, tanquam bonus hominum piscator, esca allexit, hamo cepit, ac tennit, filo attraxit. In explicandis sacris eloquiis D. Bernardi vestigiis insistens, mirè perspicuus erat, & spiritualis. Hæc ferè ex Ioanne Trithemio. Thomas etiam VVualdensis honorificam huius scriptoris mentionem aliquando facit, potissimum in concionibus, quas habuit coram Angliæ Rege Henrico tertio. Quædam ex scriptis eius nonnunquam confunduntur cum scriptis Ealzedi Abbatis, quæ claruit anno 1166. sequentium tamen auctorem puto hunc Ethelredum; scripsit enim*

d *Descriptoribus Anglia.*

6.

Expositiones in quædam sacra Scripturæ loca, Librum vnum.

De Vinculo perfectionis, Librum vnum. Extendisti Domine sicut cœlum.

Homilia in S. Lucam, Librum vnum. Cum in exordio narrationis.

Conciones notabiles, Librum vnum.

De Tribus hominibus, Librum vnum.

Epistolarum ad diuersos, Librum vnum.

Tandem in VVardensi cœnobio mortuus, & sepultus dicitur circa annum Verbi incarnati 1220. sub Angliæ Rege Henrico tertio. Hactenus, quæ Pitsæus de Ethelredo.

7. Hoc primum anno (nam neque hoc omittam) Iacobus Aragonius ciuili bello expertus, cum se à suis videret ludificari, dum cedit tempori, supra ætatem prudens egregiam indolem atque imperare natam demonstrauit. *Iulio mense (inquiunt iudices [e]; nam eos quia breuiores, & veriores, in his quæ longam non requirunt disquisitionem, præcipuè sequor) Petrus Ferdinandus Azagra, Abarrazino vrbe inclusus, à Rege obsidetur: Regi assident Simon Cornelius, Guillelmus Ceruera, Petrus Cornelius, Valles Antilionius, Petrus Ahonesius, & Peregrinus Ahonesij Frater, & Guillelmus Pogius: & Cæsar Augustorum, Ilerdensium, Calatrauensium, Darocensium, & Iurolensium copiis præficiuntur. Vrbem, Arcemque, regiis admotis machinis oppugnant. Proceres, omnesque vicini populi communi animo, consilioque consenserant, vt ex obsidione Azagram eriperent. Cum se Rex à suis (Ahonesiis, & Guillelmo Pogio demptis) ludificari videret, vrbem obsidione liberat. Azagra se Regi submittit;*

e *Zurita ad hunc ann.*

submittit : & illius erratis ignoscitur. Hæc de Iacobo.

8. In cuius Regio cœnobio Populetano Arnoldus huius nominis secundus cessisse dicitur, cum eam Ecclesiam sexennio administrasset. Interfuit iuramento, Iacobo præstito, & fundationi Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, aliisque, quæ grauia intra id tempus contigere. Accepit ab Honorio tertio plures litteras, quæ hodieque leguntur: sed inter alias paulo ante cessionem. *Abbati Populeti, & Priori Scalæ-Dei, & Præposito Ecclesiæ Tarraconensis. Datum Viterbij pridie Nonas Iunij, anno quarto.* Arnoldo successisse dicitur Raymundus huius nominis primus, in Ordine Abbatum duodecimus, post quadriennium in Episcopum Elienſem, vt suo loco dicemus, eligendus. Matthæus etiam Paris auctor est hoc eodem anno consecratum in Episcopum Elienſem Ioannem Abbatem Fontium, cui diximus Hugonem Kir Kestàdensem scripta dicasse. Verba Matthei. *Eodem anno (scilicet M.CC.XX.*[f]*) consecratus est in Episcopum Elienſem Ioannes Abbas Fontium apud VVest Monasterium, in crastino Sanctarum Perpetuæ & Fœlicitatis.* Arsfeldius præter successionem Episcoporum nihil commemorat. *Eustachio* (ait Ioannes Abbas Fontanienſis) *vir pius, & eo obeunte, Galfridus Nordouienſis Archidiaconus, & huic Hugo, Præses prius cœnobij Diui Erdundi, suffectus est.* Reliqua si quæ de ipso occurrent, suis temporibus, locisque reddemus.

[f] *De rebus Anglia ad hunc annum.*

9. In Capitulo statuta quædam video: pro Sabbathis, in Missis Beatæ Virginis, adaucta solemnitas; & iussæ celebrari cum *gloria in excelsis*, & præfatione propria. Indultum etiam Abbatibus Angliæ *vt solemnitatem Sancti Sigismundi Regis, cum vnius Martyris officio celebrarent.* Relatum deinde de conuersis, quibus maior probatio necessaria, ex maioris periculi, & quo in negotiis externis frequentioribus, eò efficacior præcautio debebatur. Præceptum ergo, quod ô vtinam hodie obseruaretur! Vt *in receptione conuersorum ista sit consideratio, vt solo victu contentus antequam vestiatur, sex menses seruiat in habitu sæculari; & tunc si vtilis inuenitur, tonsuretur, & probationem faciat in Ordine consuetam.* Ita præuisum honestè, contra inutiles, faciliùs non admittendos, quàm repellendos: prouisum item ipsis, Conuentuique, qui minorem notitiam vitæ, & morum, ex rariori conuictu, atque omnino diuersis exercitiis, tempore diuturniori compensarent.

10. Actum præterea de Sanctimonialibus, quarum copiosa seges, & quotidie per orbem diffundebatur. *Multiplicata est* (air, Iacobus de Vitriaco [g]) *(qui hoc videbat, & scribebat tempore) sicut Stellæ cœli, & excreuit in immensum Cisterciensis Ordinis religio Sanctimonialium, benedicente Domino, & dicente eis; crescite, & multiplicamini, & implete Domum. Fundabant cœnobia, ædificabantur Monasteria, replebantur claustra, confluebant Virgines, currebant viduæ; & mulieres coniugatæ, de consensu maritorum suorum, carnale matrimonium, in spirituale commutabant. Ex aliis Monasteriis mutato habitu ad fructum melioris vitæ, & arctioris viæ aduolabant.* Itaque de hac ipsa nimia, vt putabant, multiplicatione Sanctimonialium relatum in Capitulo: Nullum sibi ab his fructum, multa incommoda: & vt ex charitate onus suscipiant, quas hactenus haberent fat multas fore. Quid sibi prosit; si vniuersum mundum lucrétur, animæ, saltem quietis suæ non leue detrimentũ patiantur? Viros mutuis auxiliis promoueri: iuuari inuicem, inuicem iuuare. A fœminis quod sibi auxilium, nisi vt cadant? Quanto periculo custodiri gregem, in quo ab ouibus, canes; atque à canibus oues, non secus atque à lupis seruari debeant? In quo ne à Pastore quidem securæ sint, neque Pastor ab ipsis. Lubricum sexum, & regi difficillimum; siue ament, siue fugiant, facilè metas recti transgressurum; sed nec si omnes sanctissimæ existant, sufficere Abbates tot Monasteriis: neque equum esse filios naturales dimittere ieiunos, vt eorum pane, adoptiuæ, seu mauis, filiæ aduentitiæ sustentarentur. Esse Episcopos, à quibus gubernari, si vellent, possint: esse & recenter ortas religiones, quas possent sectari: esse sibi in omnibus modum semper positum: & Monialibus etiam imponendum. Placuit consilium, quod omnes dedisse vellent, atque illico lex sancita est, & absolutè inhibitum. *Ne aliqua Abbatia Sanctimonialium Ordini de cætero incorporetur.* Ita VValterus Sancto omnino zelo: sed quo eo tempore faciliùs haberi potuit, quàm obseruari. Lata in virorum Monasteria lex, multitudinem fundationum temperauit, vt non extinxerit: Monialium à prohibitione, creuisse visa: innato more fœminis, vt in vetitum fortius adnitantur.

[g] *In Histor. Orient.*

11. In Chronologia vnam tantum Ecclesiam notatam video Kalendis Aprilis, sub Sancti Angeli, dicti de Frigillo, aduocatione. Crediderim antiquius Monasterium sub diuerso instituto hoc anno suscepisse Cistercij iura. In libris Cameræ in Sanct-Seuerinensi Diœcesi ponitur in Prouincia Calabriæ, & triginta trium Florenorum taxa notatur. In Genesibus, filia Sambucinæ, de linea Claræ-Vallis. Sanè si hoc anno ad Kalendas Aprilis cœpit, vt habet Chronologia, non parum est quod intra eundem visitationi alterius præficiatur. Et sanè litteras ad Abbates de Curatio, & de Frigillo Cistercienſis Ordinis, Marturanensis, & Sanct-Seuerinæ Diœcesis, de Sanctæ Mariæ nouæ visitatione, intra hunc annum datas Laterani pridie Idus Nouembris, Pontificatus anno quinto, inter alias superiùs memorauimus [h]. *Quatenus ad Monasterium ipsum personaliter accedentes, & habentes præ oculis solum Deum, & vice nostra visitationis officium impendatis, corrigentes, & confirmantes quæcumque correctionis noueritis officio indigere.*

[h] *Ex Regest. Honor. 3.*

12. Eodem anno in Regno Lusitaniæ Abbatia Sanctæ Mariæ de Stella, à Laurentio Viegas fundata parentis iussu, ante annos sexaginta plus, minusve, vt suo loco diximus; cum ante paucos miserabilior conflagrasset, in Vigilia Natalis Christi Domini; & iam à Monachis omnino deserta esset; per Abbatem Macedarani reædificata, denuo Conuentum admisit, & nouos Monachos, ex Conuentu Alcobatiæ; quos conseruauit, quoad, vsque ætate Patrum Conimbricensi Collegio vnita fuit, vt suo loco dicet, qui continuauerit. Ita Bernardus Brito Lusitanus [i] in suis Chronicis: neque alium inuenio, qui quicquam addat. Sed iam ad Abbatias Sanctimonialium, quæ hunc annum concernunt, accedamus.

[i] *lib. 5. c. 10.*

1. *Porzetum Monasterium perantiquum à Beato Gregorio fundatum*, 2. *sed tempore solutum, Cistercienses admittit Sanctimoniales*, 3. *Quis Gregorius?* 4. *& progressus, ac finis vitæ ipsius*, 5. *Pro Monachis, ex Monte Sancti Saluatoris, suffectæ Virgines*, 6. *locum, & corpus Sancti, & Sancti Nicolai tabulam miraculosam accipere.* 7. *Dictum obiter, de Nicephoro Imperatori, Beati Gregorij patre.* 8. *Terhargen, seu Theragia iuxta Axellam.* 9. *Et Selle, siue Cella, Antisiodori.*

CAPVT OCTAVVM.

1. QVATVOR hoc anno Abbatias Sanctimonialium accreuisse Cistercio, auctores produnt, hæ sunt Porzetum, Vallisrosarum, Terhargen,& Selle, siue Cella Altisiodori. Ex quibus tamen secundam recentiorem, Gosuini Bosuti, [a] qui tunc viuebat, scribebátque, atque cunctis interfuit, testimonium conuincit: quippe fundatam sub Guillelmo Abbate Villarij, & post secessum, siue feriationem Arnulfi Bruxellensis, de qua nos infra. Vnde miramur deceptum fuisse Miræum [b], alias non incuriosum scriptorem, qui cum eundem Gosuinum citet, haud tamen tempus exactè computauit. Ergo de Valle-rosarum cœnobio infra dicendum [c]. Ex aliis tribus, duo hoc anno nata, Terhargen,& Selle,siue Cella: Porzetum longè antiquius, non tam natum, quam renatum inuenio, ac restitutum: nec in eodem sexu, sed in diuerso: nam translatum ad fœminas, cum viris antea, nec leuiter floruisset. Illustris planè domus, à fundatore, nempe Beato Gregorio, Nicephori Constantinopolitani Imperatoris filio, Theophanij Imperatricis Romanæ fratre, qui & primus eius Abbas, multis in vita,& post mortem clarus miraculis, atque ibidem sepultus, potuisset filiis perseuerantiam impetrare. Sed ea est rerum humanarum vicissitudo, vt nihil vnquam manere patiatur diu, quo excellentius, aliquando citius; & quo sublimius, ferè semper casurum periculosius. Gregorij Sanctitas deriuata ad filios, declinans in nepotibus, in pronepotibus tandem adeò euanuit; vt Monachi, aut parentis sui obliti, sponte loco cederent, aut degeneres,& prorsus desperati, ad alia transmigrare compellerentur. Vt arborem aliquam, si semel creuit, multo facilius, quam dirigas, euellas: sic societatem hominum, si longo tempore in vita declinarunt; timendum illis non solum à seipsis,verum à sociis: & si vel vnus solus relinquatur, timendum ab eo, vbi antea peccare solitus fuit.

a *In vita B. Arnulfi lib. 2.*

b *In Chron. Cisterc. ad hunc annum.*

c *Ad annum 1224.*

2. In eam disciplinæ solutionem, in ea regularis obseruantiæ prophana laxamenta Porzetum venit, vt Monachis dispersis, ne locus sacer vacuus habitatore, & corpus Sancti Abbatis fundatoris, sine decenti cultu remaneret, noua aliunde colonia vacanda foret, quæ disciplinam collapsam instauraret, & dignum se exhiberet semen tanti parentis. Electa Cisterciensis familia ad tantum opus, vel quia tunc inter omnes alias florens, vel quia eandem cum Beato Gregorio professa Regulam, absque dispensatione, ipsum præ aliis videbatur reddere posse. Sed Monachis timentibus à loco, sola recordatione præteritorum, pellecturo, ad similia, nec satis cauet, qui ab exemplis sibi non timet; placuit Moniales ibidem subrogari. Quibus ob sexus dissimilitudinem, eo minus periculum, quo maior mutatio, & vix quod imitari possent relinquebatur. Florebat tunc virtute,& opinione Mons Sancti Saluatoris, & tot Virginibus fœcundus abundabat, vt earum Conuentum numerosum, sine vlla sua iactura mittere posset. Ergo inde petitæ Sanctimoniales, quæ Monachis succederent, & quinquagintæ (ingens profecto numerus) simul egressæ sunt, corpus Sancti accepturæ simul cum loco. Hoc initium Monialium in Porzeto sub legibus Cistercij. At qualiter hæc omnia gesta sint, simul cum breui Gregorianæ vitæ Epitome, & aliis circunstantiis historia dignis, ex M. S. quodam Porzetano, temporibus, vt in eo habetur, primæ Abbatissæ scripto, atque à grauissimo Doctore Ioanne Molano [d] primum; mox ab Auberto Miræo etiam vulgato, in gratiam mei Lectoris, placet transcribere,sic autem habet [e].

d *In Natal. Sanctor. Belg. Nou. 4.*

e *In Cisterc. Chron.*

3. *Beatus Gregorius, primus Abbas, & fundator huius loci, Nicephori Bizantini Imperatoris filius, & Frater Theophanij, quam vxorem habuit Otto secundus. Hic autem Gregorius, omnibus posthabitis, sub Abbate quodam Pachomio, Monasticam vitam amplexus est, eiusque iussu sacros Ordines suscepit; cui etiam morienti in regimine successit. Fuit autem semel à Sarracenis interceptus, & ad mortem vsque, grauiter, & turpiter vulneratus. Cum autem variis clareret miraculis, Diabolus, cui à calumnia hoc nomen est, aliquot ei hostes dedit; sed vir Sanctus eorum insidias, Romam fugiendo, declinauit. Vbi prius loca sancta visitauit, quam Theophanium sororem adiret. Verum mox sororis suæ consilio, & sumptibus, in vrbe struxit cœnobium Sancti Saluatoris: in quo dum præesset, multos Romanos à lasciuiis sæculi conuertit, nobilium pueros cœlesti dogmate instruxit. Nobilis quidam nomine Ioannes, decem summarios auro,& argento oneratos famulo Dei transmisit, quam eleemosynam Beatus Abbas mox pauperibus dimisit: quod percipiens memoratus nobilis, Deo inspirante, cœnobium Beati Viri adiit, atque ab eo sacrum habitum, & Monasticam suscepit disciplinam.*

4. *Cum autem Romanis ob Sanctitatem, & Miracula esset admirandus, Otto Lotharingos adiens (indixerat enim Aquis Grani Principibus suis Curiam) Virum tanti nominis à latere suo abesse noluit. Sed cum dictus Imperator sentiret eum tædium habere sæcularium negotiorum, obtulit ei construendum cœnobium extra Aquas Grani Porzeti, eundemque locum, tum propter Deum, tum propter Virum Sanctum, quibus poterat honoribus ampliauit. Ibidemque in senectute bona, pater Monasterij, vitam præsentem in æternam commutauit, pridie Nonarum Nouembris. Sicut autem in vita, ita & postmodum mirabilia fecit; de quibus multa antiquitate, aut potius negligentia, obsoluerunt? Cæterum Abbas VValframus, quem*

aqua

aquæ Porzetanæ à calculo non liberabant, per sancti merita radicitus est liberatus. Vnde pro sui medici exaltatione, & translatione sollicitus, vitæ Historiam casu non satis noto combustam, cum Arnoldo successore suo, iterum colligi fecit; potissimum & cortina, quam Theophanium obtulerat Coloniæ in Ecclesia Sanctimonialium Beatæ Mariæ, quæ vitam pij fratris cum euidentibus Capitulis continebat.

5. *Arnoldus autem post preces, & ieiunia, sacra membra iuxta summum altare deposuit. Non enim maiora ausus est, quia auctoritate Apostolica nondum canonizatus erat. Non multo post dispersi sunt Monachi, quibus ex Monte Sancti Saluatoris successerunt Abbatissæ, & Sanctimoniales Ordinis Cisterciensis circiter quinquaginta, anno Domini Millesimo ducentesimo vigesimo? Eæ autem hactenus permanent, & natalem primi sui fundatoris celebrant.* Hactenus Historia illa Porzetana, quam Molanus, Miræúsque vulgarunt, & nos ex ipsis. Verum, quod ait de Abbate VVolframo, sanato per miraculum, cum non potuisset per aquas Porzetanas: sciendum est, idem cœnobium celebre haberi, ex Balneis salutaribus, ad quæ ex tota Prouincia fit concursus. Itaque infirmi Porzetum aduenientes duplicia simul remedia morbis adoptant; corporalia, per Balnea; spiritualia, per Beati Abbatis Gregorij intercessionem. De his Balneis Aubertus Miræus ait [f]. *Porzetum, vulgo Porzet in agro Lemburgensi, haud longè ab Aquis-Grani situm: cœnobium istud salutaribus Balneis, quæ in eo sunt, est celeberrimum, &c.* Haud aliter in Hispania nostra Fiterium, celebre alias cœnobium multis de causis, ex Balneis Fiterienſibus, aqua salubri, & calida ibidem ebullienti, est celeberrimum.

[f] *In Chronico Cistere.*

6. Accipere Moniales simul cum Domo, perantiquam iconem miraculosam Beati Nicolai, de qua, & de aduentu earúm ad Porzetum; qui biennio post tantum scribebat, eoque fortè non integro, Cæsarius hæc nobis scripta dedit in suis Dialogis [g] *in Porzeto Monasterio, quod iuxta Aquas-Grani situm est, tabula cubitalis est, imaginem Beati Pontificis Nicolai ab vmbilico, & sursum in se repræsentans; quam Beatus Gregorius Regis Græciæ filius, & cœnobij eiusdem primus Abbas, & fundator illuc aduexit. Dicitur eadem fuisse Icona, quam barbarus, sicut in miraculis Sancti Nicolai legitur, tulit, & ad custodiam sui telonei posuit; cuius occasione ad fidem conuersus est, cum sua perdidisset, & cæsa imagine eadem recepisset. Plurimæ per eam virtutes factæ sunt, maximè in prægnantibus. Tempore quodam, cum ad Domum cuiusdam honestæ matronæ in partu laborantis fuisset deportata, & contra eam ad parietem suspensa, ea hora qua partum edidit, ne parietem quasi attenderet, cunctis, qui aderant intuentibus, tabula se vertit. Est autem eiusdem imaginis facies oblonga, & obesa, multæ grauitatis, & reuerentiæ, & in fronte caluities; capilli tam capitis, quam barbæ, candidæ canitiei. Nuper vero, Monachis cedentibus, Sanctimoniales Ordinis nostri cum tabula locum receperunt.* Hactenus ibi.

[g] *lib. 8. c. 76.*

7. Cæterum quisnam ille barbarius fuerit, qui à Cæsario ad fidem conuersus dicitur, per imaginem Sancti Nicolai, prorsus me latet. Namque Nicephorus, S. Gregorij pater, de quo loqui videtur, sub nomine Regis Græciæ, neque barbarus, neque vnquam à fide alienus fuit. Potuit fortasse tyrannus nuncupari, qui Imperium Romani filiis, cuius ipse Dux erat, alias debitum, exercitu offerente, non recusauit. Potuit Sanctorum Canonum transgressor, qui viuente vxore Theophaniam Romani viduam, & cuius filium à Baptismo leuasse dicebatur, super induxit: Christianus tamen & Græcorum more Catholicus; qui cum de transgressionibus illis accusaretur, Ecclesiæ se subiicere, atque eius sententiam subire non recusauit. Sed de his alias. Forsan ergo de alio Cæsarius loquitur, sed non cognito nobis, nec ab ipso ibidem notato satis. De Imperatoribus Romano, atque Nicephoro, legi potest Baronius Centuria decima, quam eorumdem Imperium occupauit. Porzeti meminit, inter alia Monasteria Robertus Claudius in sua Gallia Christiana Andegauensis Diœcesis, sed diuersi à Porzeto, non eiusdem, vt falso quidam putant, quod ex nomine, & loco palam constat.

8. Sequuntur alia duo Monasteria Terhargen, atque Selle, siue Cella, de quibus pauciora nobis dicenda subsunt. Nam de Terhargen, alias ignota domo, solum Antonium Sanderum auctorem habeo. Is rerum Gandauensium accuratus scriptor, in suo illo, quod de eis contexuit opere, hæc habet. *Eiusdem instituti, Cistercien sis nimirum, hoc est cœnobium, ac primatus cœpit, anno Domini M.CC.XX. auspiciis Margaritæ Flandrorum Dominæ iuxta Axellam in Parrochiis de Lutsdorpe, & Boosteemblide. Eodem anno facultatem ædificandi, & immunitatem, qua vniuersus Cistercien sium Ordo fruatur, concedit in suo patronatu VValterus Dominus Aielanus: idem anno M.CC.XXXV. quantum in se erat concessit liberam mobilium, & immobilium bonorum possessionem.* Ita Sanderus. Qualiter autem post annos XXXV. Et qua vrgente occasione, sedes mutauerint, non multo post ab eisdem repetendas, suo loco dicemus. Si Deus dederit, Primam loci Abbatissam Margaritam Vulbeciam ibidem nominat: sed cum Alcidem, qui illi successit nulla alia mediante, obiisse tradat anno M. CCC. LII. argumento est, non de prima in hac prima fundatione, sed neque in translatione; sed ad summum in relatione ad primum locum, posse intelligi. Terhargen, seu Terhargiæ (nam sic ipse appellat) meminit etiam in Commentariis Flandriæ Iacobus Merchantius, nonnihil adhuc de situ loci addens, & vicina Axella, sub his verbis [h]. *Viciniam maris, lacusque habet, scilicet Axella, & Abbatiæ Terhargiæ Bernardinæ fœminarum, per Margaritam secundam Constantinopolitanam institutam, nundinasque Augusto, & Octobri annuas, &c.* Hæc ille.

[h] *lib. 1. in Axella.*

9. Vltima venit Abbatia Altisiodorensis, quam Guillelmus Episcopus, Monialibus, ex Monasterio Sancti Antonij Parisiensis adductis ædificauit. De qua hæc in Chronico Antisiodorensi [i]. *Hoc anno (scilicet M.CC.XX.) VVillelmus, qui ex Antisiodorensi Episcopo Archiepiscopus factus fuerat Parisiensis; ab Ecclesia Beati Antonij Parisiensis Conuentum Sanctimonialium Cistercien sium, Antisiodorum in locum qui dicitur Cella adduxit.* Ita Robertus Altisiodorensis. Cæterum cum ex Chronologia Pontificum Parisien sium habeamus compertum, eum Guillelmum ad Parisiensem Ecclesiam promotum circa hunc annum interuentu Honorij; consequenter fit, vt vel recens Monialibus adductis, aulsus sit, vel recens ipse Parisios translatus, Moniales miserit, Monasterium, quod in prima sede fundasset, habituras. Meminere & huius Monasterij

[i] *Ad hunc annum.*

nasterij plures alij Auctores, & ferè omnes, qui Guillelmi Parisiensis. Cæterum qualiter idem Sanctus Pontifex, spretis tandem insulis, non multo post, vitam suam in Cistercio consummauerit, anno sequenti, à nobis & rursus post biennium dicendum erit.

ANNVS CHRISTI M. CC. XXI. — ANNVS CISTERCII C. XXIV.

1. *Sanctia Virgo de nuptiis requisita Cistercium intrat*, 2. *Aulam suam Franciscanis fratribus donat.* 3. *Ferdinandus, pro desponsanda sibi Philippi Romanorum Regis filia, legatos mittit*: 4. *E quibus vnus Abbas: de Riuo sicco*, 5. *celebratæ nuptiæ, & Ferdinandus militari baltheo accinctus.* 6. *Peractum idem à Iacobo Aragonensi*, 7. *matrimonio contracto cum Eleonora* 8. *dictum de nuptiis* 9. *& de dote pacta: ac militari Iacobi, Regis baltheo.* 10. *Atque obiter Antonius Benter correctus.*

CAPVT PRIMVM.

1. ANNVS sequitur vigesimus primus supra Millesimum ducentesimumque, qui fuit Cistercij vigesimus quartus supra centesimum, quo Regia Virgo Sanctia Lusitana de nuptiis Ferdinandi Castellæ Regis requisita per nuntios, ad sacratiorem thalamum Cistercij, & ad Christum sponsum appellauit. Conceptum dudum religionis votum, occurrentia pericula, Castellæ Regnum nulli contemnendum, & Ferdinandi thorus (egregiæ indolis iuuenis, qui vel priuatus amari mereretur) Alfonsi Fratris preces, commodaque, quæ Regibus plerumque pro honestate: atque id genus alia, ægrè expedienda, ni cito fugerentur, acceleraunt. Ferunt [a] instanti, pro consensu extorquendo, fratri, ac multas illi rationes proponenti, atque obstendenti totius Hispaniæ bonum, Virginem respondisse constantem animo. Facilius me in clibanum ardentem coniici patiar, quàm deuiem à proposito, aut semel Deo sacratam Virginitatem, ab hominibus patiar violari. Tum vero, ne vlterius frater persisteret, Cellas ad suum Monasterium profecta est, vbi vocato Conimbricensi Episcopo, de eius manu suscepit Cistercij habitum. Hæc omnia pluribus auctores Lusitani, præcipuè Brito [b] ex monumentis eiusdem Domus.

a *Brito lib. 6. cap. 33.*

b *vbi suprà.*

2. Parum fuit Sanctiæ, spreto Castellæ Regno, in qua habitaret humilis, & pauper, Domum Dei eligere; nisi etiam Domum suam Deo sacraret: atque ex Aula Alenguerij, Conuentum faceret, ad quem se Franciscani, quibus antea cœnobium construxisset, quia minus commodum erat, transferre possent. Vnde de illo in Annalibus Minorum scriptum lego [c]. *Paucos ibi perstiterunt annos fratres: non enim pati potuit nobilissima heros Sanctia, vt procul abessent, aërisque offenderentur manifesta insalubritate. Quare ad annum M. CC. XXII. commutato suo palatio in cœnobium, eos illo deduxit, vt tunc largius, dicemus.* Hæc ad annum M. CC. XXVII. Cæterum ad hunc annum hæc quæ sequuntur. *Quintum cœnobium, seu domicilium, non tam nouiter acquisitum, quam mutatum. Etenim præclarissima fœmina Sanctia Lusitana, de qua alias præfati sumus, hoc anno palatium suum Gerabricense, in Monasterium Fratrum aptauit; euocatosque ex humili, & insalubri loco, quo sibi pauperem constituisse mansionem ad fluuioli marginem iam supra memorauimus, necessaria supellectili, & re familiari donauit. Augusta sanè, & capacissima est vniuersa ædes in optimo & editissimo loco extructa.* Ita Sanctia, quibuscumque potuit modis, & se Deo sacrauit, & sibi Deum studuit deuincire: prima sororum Cistercium amplexata, fortè, quia erat ante alias decessura.

c *Ad annum 1217. n. 23.*

Ægrè tulisset repulsam Ferdinandus, si sibi alium, quàm Christum prælatum cerneret. Sed 3.
Principi deuoto, & qui iam tunc apiscendum Sancti cognomen, ex puritate morum, in ipsa iuuentute præ se ferret, Regi Regum cessisse pro leui fuit: & nisi publica vtilitas obstaret, forsan & ipse Sanctiam sequutus esset. Beatrix Philippi Romanorum Regis filia, illius soror, quam diximus Ottoni, ex Innocentij dispensatione, nupsisse, electa est, quæ Ferdinando nuberet. Sed neque hoc peractum sine Cistercio. Quatuor legati ex toto Regno electi, qui Virginem à Friderico peterent (is iam tunc imperabat) & concessam honorificè deducerent, vt Principum tantorum filiam, coniugem, sororem, consobrinamque duceret. Vnus ex his, Rodericus, Riuicensis Abbas, vir insigni tunc pollens auctoritate; & cuius in multis Berengaria Regina Ferdinandi mater, industriam, & prudentiam expertus esset. Hic cum Mauricio Episcopo Burgensi, Petro Abbate Aslantiæ, & Priore hospitalis missus est, atque idem redux Reginam reportauit. Sed de his omnibus Rodericum Toletanum, sine quo nihil factum, qui eadem scripsit, audiamus [d].

d *Rerum Hisp. lib. 9. cap. 10.*

Sed quia indecens erat, vt tam magnus Princeps extraordinariis petulantiis traheretur, mater sua, quæ semper voluit eum ab illicitis custodire, procurauit ei vxorem, nomine Beatricem, quæ filia fuit Regis Philippi in Romanorum Imperatorem electi, & Mariæ filiæ Corsac Constantinopolitani Imperatoris, quæ fuit optima, pulchra, sapiens, & pudica; missique pro ea Nuncij, Mauricius Burgensis Episcopus, vir laudabilis, & discretus, Petrus Abbas, S. de Aslantia, Rodericus Abbas de Riuo sicco, Petrus Odoarij Prior Hospitalis, ad Fredericum Romanorum Regem, sub cuius custodia erat tunc temporis Domicella, in Theutonia accesserunt: ab ipso Rege honorabiliter sunt recepti. Cumque legationis causam vt iniunctum fuerat, explicassent, prædictus Rex, & sui Principes responsionem aliquandiu suspenderunt, & ferè per menses quatuor prædicti Nuncij expectarunt. Tandem Rex Federicus in Imperatorem electus consobrinam suam Beatricem, Domicellam nobilem, pulchram, 4.

pulchram, compositam, & prudentem, Regi Fernando per dictos Nuncios cum apparatu nobili, destinauit. Et cum Parisios adueniissent, Rex Francorum Philippus nomine, qui tunc Galliis præsidibat, eam honestè recepit, per terram suam, honorificè dans ducem. Ad Regnum Castellæ fœlici itinere pernenerunt. Hæc de itinere quatuor legatorum, & Regina per ipsos reportata. Verum, quæ post hæc ipsa sequuto sunt, partim quia concernentia, partim quia in Regio Huelgensi cœnobio facta, ex eodem auctore proferre licet [c].

[c] *vbi suprà.*

5. *Regina nobilis Berengaria cum comitatu nobili Religiosorum, & sæcularium magnatum, & Dominarum vltra Burgum, qui Victoria dicitur, occurrit nobili Domicellæ; & Burgis exinde venientes, inuenerunt Regem Fernandum cum magnatibus, & nobilibus, & ciuitatum primoribus, expectantem. Qui Domicellam, & Nuncios, honore, quo decuit, receptauit, & tertia die ante festum Sancti Andreæ in Regali Monasterio propè Burgos, celebrata Missa à Venerabili Mauricio Burgensi Episcopo, & armis militaribus benedictis, ipse Rex suscepto gladio ab Altari manu propria se accinxit cingulo militari; & mater sua Regina nobilis ensis cingulum deaccinxit. Tertia die, in festo scilicet Sancti Andreæ, Beatricem dulcissimam Domicellam duxit solemniter, & legitimè in vxorem, Missam Venerabili Mauricio in Cathedrali Ecclesia celebrante, & benedictionem nubentibus largiente. Et fuit ibi curia nobilissima celebrata, assistentibus totius Regni magnatibus, Dominabus, & ferè omnibus Regni militibus, & primoribus ciuitatum.* Hæc Rodericus de vtroque solemni actu.

6. Cæterum alias nuptias hic annus habuit, nouam aliam militiam eamque Regis, Iacobi Aragonensis, quæ adeo nequeunt à nobis præteriri. Contract æillæ cum Eleonora (Berengariæ Ferdinandi matris sorore) acceleratæque, pluſquam ætas Iacobi postularet, sedandis motibus; à quibus concitandis Sanctius Comes, & Ferdinandus Frater, ex Monacho Populetano, Abbas Montaragonius, & ex Abbate procurator regni effectus, qui erant animo auido regnandi, nunquam cessabant. De his primis Iacobi Regis nuptiis, cum Eleonora initis, indices rerum Aragoniæ ita scribunt [f]. *Anno M. CC. XXI. Simon Cornelius, Guillelmus Cerueræ, & Guillelmus Raymundus Moneada, Cataloniæ Seneſcallus, qui Constantiam Regis sororem in matrimonium duxerat, quod Comes Sanctius, & Ferdinandus Regis patrui palam regnum appeterent nuptias Leonoræ Alfonsi Castellæ Regis filiæ Regi conciliant. Regem Agredam proficiscentem, vt nouam nuptam exciperet, comitantur Sanctius Cæsar Augustanus, & Garcias Oscensis Episcopi, Guillelmus Allaco Templariorum, & Fulco Hospitalariorum Magistri, Nunnius, Sancij Comitis filius, Guillelmus Raymundus Moncada Seneſcallus, Simon Cornelius, Blascus Alagon aulæ Regiæ præfectus, & Petrus Ahonesius.*

[f] Zorita ad hunc annum.

7. *Ad VIII. Idas Februarij Agredæ nuptiæ celebrantur: tam tenera Regis ætate, vt illis ipsis diebus XIII. annum attingeret. Leonora & Berengaria Regina sorore, & Ferdinando Rege sororis filio, Turiasonem regio comitatu deducitur: atque ea in vrbe Regi in matrimonium collocatur. Solemnibus nuptiarum celebratis, Rex de more, militaris auctoramenti splendore, atque dignitate decoratur.* Hactenus ibi. Mirum est quanta illius ævi simplicitas, aut quanta incuria rerum, etiam grauium, animos occupabat Hispaniæ Principum. Quotidie ab incestis nuptiis separabantur; quotidie contrahebant incestas nuptias. Separatus Alfonsus Legionensis à Tarasia Lusitana, quod tertio ei consanguinitatis gradu coniuncta esset; Berengariam duxit, ob eandem causam ab ipso separandam. Ferdinandus ambiebat Sanctiæ nuptias, inter quos erat idem impedimentum. Et Iacobo Eleonora tradita est, irrito matrimonio, quod Cardinalis Episcopus Sabinus, Gregorij Papæ legatus, post octo annos, erat dirempturus. Certè ergo Principes in tantos, tantum bellis, & profligendis Mauris, ad hæc minus aduertere, non miror. At tot, ac tantos Ecclesiarum præsules, religiosos, & doctos, ignorasse; incredibile: dissimulasse, cum scirent, indecorum; & quouis modo, culpabile apparet.

8. Bernardinus Gomezius, qui res Iacobi longius prosequutus, ad singulares actiones etiam descendit, sponsalia illius cum Eleonora irrita Agredæ. Sed nuptias celebratas Regio apparatu ad vrbem Turiasonem, quo Berengaria, Ferdinandúsque, Reges Castellæ, sponsos deduxerunt [g]. *Quæ*, ait, *vbi per legatos Rex intellexit, magna, splendidaque procerum caterua comitatus Agredam venit; vbi annum vix tum habens XII. factis sponsalibus, Leonoram, & Berengariam, cum Principe Ferdinando filio, Regio stipatas comitatu, Turiasonem deduxit. Quæ vrbs pernobilis, & antiqua, ad radices bicipitis, altissimique montis, qui Caunus dicitur, non longè ab Ibero flumine, posita est: ibi nuptiæ dignitatis, concordiæ, atque lætitiæ plenæ, magno in templo celebratæ fuerunt.* Idem Gomezius paulo ante recenset, quæ oppida, quæ vrbes, Eleonoræ ab Iacobo assignatæ, sub dotis nomine [h]. *Agredam*, ait, *vbi tunc erat Berengaria, Iacobi Regis nuntij peruenere, eidemque renunciarunt, Iacobum Regem suum, cupere Leonoram eius sororem matrimonio sibi iungere: atque cum tot, tantorúmque Regnorum Dominus ipse, ac Rex esset, solis Leonoræ corporis, atque animi dotibus contentum esse; neque non eidem insignia oppida, nempe Darocam, Epilam, Piriam, Vnde Castellum, Barbastrum, Tamaritium de Sancto Stephano, Montalbanum, & Cerueram, Regni Aragonum, cum his quæ in montibus Siurana, & Pratensi sita sunt in Catalonia, dotem confecturum.* Hactenus Bernardinus Gomezius de iis nuptiis.

[g] *In vita Iacobi 1. lib. 3.*

[h] *ibidem.*

9. Verum quod ad ætatem Iacobi attinet matrimonio immaturam, præter publicas Regni conuenientias, excusatam ex Iacobi pueri dotibus tam animi, quàm corporis, idem, qui supra, auctor memoriæ prodit. *Nam etsi*, ait [i], *reclamaret ætas, ea tamen erat Regis staturæ proceritas, ac elegans corporis habitudo: ea suauitudo oris, atque viriles, temperatique mores; vt à nemine coniugio ineptus reputaretur; eum ætatem etiam multa alia supplerent.* Hinc factus est, vt qui aptus matrimonio, non ineptus militiæ reputatus; adeoque & nuptias, vt ait idem auctor, assumpto militari autoramento, redderet illustriores: & Ferdinando, qui tunc præsens aderat, auctor existeret, eius, quam diximus, cæremoniæ, ab eo seruatæ ad Huelguense cœnobium, vt non ab alio, gladio accingeretur, sed per seipsum. *Nuptias*, ait [k], *quas nouum etiam autorandi regis institutum, celebrio*

[i] *ibidem.*

[k] *ibidem.*

celebriores fecit. Mos enim erat proceribus ad vnumquemque militari autoramento decorandum, vt in templo ensem sacro in altari positum dignior quispiam ex militari ordine caperet, eoque autorandum præcingeret. Vnde pro more, cum Rex nullum se digniorem haberet, idem ipse, ense è sacro altari sumpto, sese præcinxit, atque eius dignitate, & decore militaris auctoramenti potitus est. Ergo primus Iacobus Aragonius, dum militari gladio sese accingit, quia nullus ibi dignior (& erat inter alios Ferdinandus Castellæ Rex) Ferdinando præiuit; tum ipse aliis totius Hispaniæ Regibus, idem semper exemplum imitaturis. Certè Iacobum præiuisse Ferdinando compertum est, cum ille sub initium intrantis anni, hic sub finem eiusdem nuptias contraxerint, & militarem baltheum sibi assumpserint.

Ex dictis facilè confutandus venit Antonius Benter, diligens alias auctor, qui Tarasiam Vidauriam illustrem fœminam, dudum à Rege cognitam, & ex qua duos filios suscepisset, impugnasse has nuptias, scriptum habet. Quippe Iacobus neque in ea erat ætate, in qua iam posset filios suscepisse: nec si iam tunc Tarasiæ commixtus esset, de aptitudine ad contrahendum cum Eleonora, à proceribus Regni dubitaretur. Vera sunt ergo quæcumque de Tarasia scribit Antonius, quæ nos etiam inferiùs (nam & ipsa Cistercio tandem sacrata) fusiùs trademus: at non hoc, sed post plures annos, tempore: nec Eleonoræ Castellæ Regis filiæ, sed violantis Vngariæ nuptias impugnasse, idque satis constanter, suis temporibus, lociſque probabimus. 10.

---

1. *Beati Dominici cum Cistercio familiaritas,* 2. *testamentum ad filios;* 3. *& post ipsum sequuta glorioſa mors.* 4. *Iordani succeſsio, & totus Ordo commendatus Sanctæ Lutgardi:* 5. *atque item Iacobo Sant-Galganensi:* 6. *Orationes diuinitus acceptæ, approbatæ ab Honorio.* 7. *Eiusdem de Prædicatoribus visiones:* 8. *alia pro quodam Prælaturam recusante:* 9. *& rursus quædam vniuersaliores.* 10. *Iordanus in Ecclesiis nostris frequens.* 11. *& Bzouius castigatus, sed remissiuè.*

CAPVT SECVNDVM.

1. HIc idem annus Beati Dominici morte insignis fuit, merito inter Cistercienses numerandi: quippe qui cum plus aliis laborauerit, plus aliis effecerit; nullum lapidem mouit sine Cistercio. Magistrum habuit Didacum de Arabes, Cistercienſem & ipsum: Prædicatoris, inquisitorisque officium exercuit, auctoritate Arnaldi Cistercienſis. Primam Ecclesiam, in qua & Ordinem condidit, Fulconis Cistercienſis dono obtinuit; ab eodem de instituendo eo admonitus, mox, & Romam deductus, & apud Innocentium commendatus, confirmationem etiam impetrauit. Cum Cistercienſibus adeo illi commercium frequens, neque solum Toloſæ, sed vbilibet; vt neque filios haberet frequentiores, vt non immerito, cum Abbati Bolcol Derode ægrotanti ad mortem, sed sanitati per ipsum restituendo, quod anno præcedenti dicebamus, apparere dignatus est, non in tunica, & capa prædicatoria, sed in alba cuculla visus sit, adeo, vt ab eo Cistercienſis putari posset. Id quod, & ex scriptoribus antiquis non difficile colligas, & Ferdinandus Castillus [a] grauis auctor in sua Hispana historia testificatur.

a *lib. 2. c. 10.*

2. Ergo Dominicus Guzmanius, magnum Ecclesiæ, sed præcipuè Hispaniæ nostræ lumen, hoc anno obiit, inter proprios filios, quibus etiam testamento tria legauit, æternum obseruanda Sanctis hominibus. *Hæc sunt*, inquit [b], *filij charissimi, quæ vobis hæreditario iure possidenda relinquo: charitas sit in vobis: humilitatem sectamini, paupertati voluntariæ studete.* Hæc legata Dominici, pro filiis: quos litteris præ aliis destinatos, ex professione status, & vocationis; aduersus litterariam æmulationem, quæ concitat discordias, charitate; aduersus præsumptionem, scientiæ pedisequam, humilitate amandos; contra abundantiam rerum temporalium, quæ sapientiæ inimica, studio paupertatis muniendos voluit. Atque, ô vtinam litterati omnes hæc eadem legata complecterentur! & non quibusdam sapientia in solo quæstu; aliis (quod forsan detestabilius est), in sola contentione posita foret.

b *lib. 5. vitæ cap. 1.*

Obiit Bononiæ quarta die mensis Augusti, manente corpore in cilicio, & cinere, pro eius ævi more: anima ab Angelis lætantibus susceptа, atque ab eorum Regina Beata Virgine, pro sancti Viri meritis, atque Dei in ipsum dignatione. Audi de his Theodoricum de Apoldia Dominicanum [c]. *Mansit autem corpus exanime in cinere iacens, mœrentium luctu miserabile, fidei pietate amabile; & pro eius Sanctitate cunctis venerabile. Affuit tamen è corpore abeunti Viro Sanctissimo Beatissima Dei mater cum filio suo, & Angelorum suauiter modulantium frequenti exercitu, spiritum eius in cœlos secum abducens, quemadmodum fideles quidam per reuelationem didicerunt. Qua enim hora decessit, Venerabilis Frater Gunala, Prior Dominicanorum Brixiensium, postea eius Vrbis Episcopus, leni oppressus somno, vidit oculis interioribus cœlum aperiri, & ab illo submitti duas scalas candidissimas. Vnius cacumen tenebat Christus, alterius Sanctissima mater eius. Angeli per vtramque sursum deorsum cursitabant. In eorum medio posita erat sedes humi: in qua sedebat quidam similis Fratri Prædicatori, ad cœlestem Hierusalem proficisci volenti. Scalas sensim attrahebant Christus, & mater eius: & sedes vna attollebatur cum sedente, donec psallentibus Angelis in cœlum illata est.* Multo plura apud eundem Theodoricum, & alios videas. Sed nobis ista satis pro instituto. 3.

c *lib. 5. c. 2.*

Sancto Dominico ad superos translato, Iordanus suffectus, qui noui Ordinis Magistrum supremum ageret. Porrò neque hic Cistercio minus addictus, aut minus deuotus, Cistercienſibus frequens, atque ex Cistercio aduocatam sibi elegit Beatam Lutgardam, quam sui Ordinis matrem, & nutricem, vt verbis vtar Thomæ 4.

Cantipra

Cantipratani, post Sancti Patris Dominici discessum habere voluit. *Dilexerat*, ait [d], *ille, scilicet Iordanus, Lutgardem haud vulgariter: & inter fœminas omnes, illi vel maximè fidere consueuerat. Itavt totius Dominicani instituti, siue Ordinis eam matrem, & nutricem constituerit.* Ita, qui tunc viuebat, vtrique notus, & Lutgardi nimirum & Iordano, Dominicanus Thomas, qui etiam addit specialiter ab ipsa petiisse, vt Psalmum *Deus misereatur nostri*, cum oratione de Spiritu sancto, pro suo Ordine recitaret per dies singulos. Quod ipsam etiam libenter promisisse, & fideliter obseruasse, suo tempore à nobis dicendum erit.

d *lib. 3. vitæ S. Lutgardis cap. 23*

5. Sicut Lutgardim Ordinis Magister Beatus Iordanus, ita, & Iacobum Sancti Galgani Monachum insignem opinione Sanctitatis, quidam ex filiis, non solum optarunt, sed etiam habere meruerunt intercessorem: reuelatis ei precibus diuinitus, quas funderet pro illis, quæ & ab Honorio approbatæ esse dicuntur. Porrò de Sancto Viro, precibúsque, & multis illis à Deo factis reuelationibus, sed præcipuè circa ipsos Prædicatores, demum de amore, quo eos diligebat, hæc Theodoricus de Apoldia, & ipse Dominicanus habet scripta [e]. *Quædam hoc loco referam, quæ de his Sanctis Prædicatoribus Dominus voluit reuelare. Fuit ea tempestate in Tuscia, in Monasterio Sancti Galgani Cisterciensis Ordinis Monachus, Iacobus nomine, multæ, & simplicitatis, & gratiæ, & famæ; quippe cui oranti sæpè Dominus appareret. Venerunt ad eum duo Fratres Dominicani, seque, suumque Ordinem totum illi obnixè commendarunt. Post preces nocturnas cogitanti illi, quid pro Prædicatoribus oraret? apparuit Dominus, & quasdam illum preces docuit, quas funderet pro eis. Eas ille publicauit, & Romanus Pontifex approbauit, permisitque, vt sub sacrificio dici queant. Erat enim Monachus ille propter Sanctitatem suam Pontifici charus, & ad eius Curiam sæpè vocabatur, vir simplex & rectus.* Hactenus Theodoricus.

e *lib. 6. vitæ Sancti Dominici epist. 7.*

6. Preces ipsas à Domino dictatas, & Iacobo ostensas transcribit Humbertus, eiusdem Ordinis, Magister Generalis, & ex ipso Bzouius, Maluendaque [f], anno licet sequenti, totidem verbis. *Cum igitur nocte post matutinas oraret Dominum, & vt simplex, & deuotus, quid potissime pro Fratribus oraret nesciret; apparuit Dominus ei, & sibi videbatur, dicens: Frater Iacobe, accipe istas orationes, & sic pro Prædicatoribus ora.*

Corda famulorum tuorum, Domine, illumina Sancti Spiritus gratia, & ignotum eis eloquium dona: & qui tuum prædicant verbum, largire virtutis augmentum. Per Dominum.

Famulis tuis, Domine, verbum tribue gratiosum, & munera oblata sanctificans, corda eorum in salutari tuo, quæsumus, visita. Per Dominum.

Conserua Domine famulos tuos vnigeniti tui corpore, & sanguine suscepto: & tuum nuntiantibus verbum largitatem tribue gratiarum. Per eundem Dominum.

Has orationes Dominus Papa approbauit, & concessit, vt dicerentur in Missa. Hæc ex Humberto. Thomas Maluenda ait, prædictas orationes, ad hunc vsque diem, in Missali Ordinis Prædicatorum scriptas legi.

f *Ann. 1222.*

Cæterum plures alias reuelationes eidem Iacobo factas de Beata Virgine, quæ Verbum Dei, aut legendum ostenderet, aut enuntiandum dictaret Prædicatoribus, idémque supra Theodoricus fusius narrat. *Solebat*, inquit [g], *scilicet Iacobus, crebro audire Fratris cuiusdam conciones; viditque, Domino reuelante, beatissimam Dei parentem librum expansum coram illo tenere, vnde ille totam suam depromebat concionem. Alterius quoque Prædicatoris, argumentum non præmeditatum tractantis, concionem auscultans, vidit sacratissimam Virginem comiter illi adstantem, & quæ diceret, liberaliter suppeditantem. Ex his autem Prædicatoribus sermonibus multa salus animarum consequuta est: quippe matre Verbi, virtute multa, Verbum euangelizantibus subministrante. Itaque vir Sanctus dilexit Ordinem nostrum, Fratresque sequebatur, optans, vt omnes sui Ordinis, & alij litterati Clerici, Prædicatorum institutio essent adiuncti obscurandam animarum salutem.* Hæc Theodoricus: quæ eadem Humbertus, aliique. 7.

g *vbi supra.*

Ast aliam adhuc diuinitus ostensam visionem eidem Monacho, cum à quodam Religioso Prædicatorum in Priorem electo, sed Prioratum pertinacius recusante, consuleretur, à Theodorico omissam Humbertus narrat, & ex ipso Maluenda verbis sequentibus [h]. *Accidit autem semel in Tuscia, quod quidam Frater electus in Priorem à quodam Conuentu, subterfugiens Prioratum, die quadam veniret ad locum, vbi erat dictus Frater Iacobus, sibi valde familiaris. Rogauit autem eum Prior, vt pro se Dominum, & eius matrem piissimam exoraret. Cumque sequenti nocte apud Dominum sollicitè instaret, vidit (& ipsemet narrauit) Beatam Virginem paratam quasi ad iter, versus partes illas, vbi erat Conuentus ille, qui Fratrem Prædicatorum in Priorem elegerat. Et dum humiliter quæsisset à Domina, quò pergebat? Respondit: Vado ad Conuentum talem, curam habere Fratrum, qui adhuc non habent Priorem. Hoc igitur vir Sanctus in crastinum, cum retulisset illi, compunctus acquieuit accipere Prioratum, confidens de adiutorio Virginis gloriosæ.* Ita Humbertus. 8.

h *cap. 6. §. 14.*

De hoc eodem Venerabili Iacobo Sancti Galgani Monacho, in magno Chronico Belgij scriptum lego [i]. *Eodem tempore (loquitur autem de gestis circa hos annos) cuidam Monacho, Iacobo nomine, Sancti Galgani, Viro religioso & simplici, cum quadam die Missam celebraret, apparuit nebula, scilicet inter Crucem, & Calicem; & cum subleuasset caput ab oratione, quæ dicitur (supplices te rogamus) prospiciens, & admirans, vidit lumen ardens in nebula in modum lucis candelæ ardentis: & cum hoc intueretur, exiuit manus de nebula & lumine, & extendens se super corporale, quod positum erat super altare scripsit multa ad correctionem generis humani deprauati, & in quatuor apparuit Missis, diuersam in qualibet Prophetiam scribens.* Hæc de Iacobo: quem, vt plures alios, nisi ab exteris, nunquam nouissemus; quare nec quicquam aliud de illo nouimus, quia vel exteros 9.

i *Pag. mihi 221.*

nihil aliud concernebat; vel neque ipsi scribere curarunt. Sed redeo ad Iordanum.

10. Eum planè Cistercio familiarem, atque eius Monasteriis frequenter vsum, non secus atque propriis, quæ Gregorio Pontifici, quandam sententiam rescindere volenti, quod apicibus Iuris non subsisteret, dicitur proposuisse, manifestant, vt à proposito eundem reuocaret. Refert Bzouius ad annum M. CC. XXXVI. quo ipse Iordanus ad cœlos euolauit. *Cum Pontifex accepisset, non seruatum Ordinem Iuris, ad preces eorum, qui, facinoribus occultandis, iniustè se damnatos queritabant, cupiebat sententias rescindere. Cæterum Iordanus superueniens, facta hac parœmia reuocauit Gregorium, ne faceret. Dixit enim: Pater Sancte, mihi hoc sæpè accidit, vt dum volo ad aliquod Cistercienſis Ordinis Monasterium declinare, & aduerto consuetam viam in longum protrahi: per tramites autem, inter prata, semitam aliquam compendiosius ducere, hanc prosequor, illa derelicta. Quæro itaque; si tunc ianitor me interrogaret, qua via veniſſem? & intelligeret per tramites: an non seuerior videretur, si me ad consuetam viam remitteret; neque me ad Monasterium introire permitteret? Sic igitur Pater Sancte licet per Iuris viam Fratres non incesserint, quæ fortè nimis longa illis videbatur, ad Abbatum istorum depositionem: cum tamen eam censuram meruerint, prout vestra Sanctitas de facili potest cognoscere, sustineatis rogo quod factum est, licet per quamcumque viam eo fuerit deuentum.* Ita Iordanus, velut qui in Cistercij cœnobiis frequens esset, nec minus familiariter in eis, quam in suorum Prædicatorum Monasteriis susciperetur.

Verum quod ait Bzouius, dum hæc narrat, 11. talia à Beato Patre dicta Pontifici, occasione quarumdam Ecclesiarum Cistercienſium, & Cluniacensium, quæ Fratribus quibusdam Dominicanis Gregorius Papa visitanda commisisset; quod ad Ecclesias Cistercienses attinet, quàm (salua pace) à veritate deuiet? quàm bullis ipsis Apostolicis obuiet? suo loco inferius demonstrabimus.

---

1. *Conradus Alberstadenſis in Sedebeke Cistercienſi cœnobio Monachum induit*, 2. *De nece Balduini notatus.* 3. *Sed sine causa.* 4. *Commendatus ex litteris Honorij:* 5. *Guillelmus Parisiensis in Pontigniaco*, 6. *de quo obiter auctores concordati:* 7. *VValdemarus Kanuti Regis filius.* 8. *Sleſvvicenſi Ecclesiæ primum cedit:* 9. *ad Bremenſem deinceps promotus, cum non confirmaretur eam inuadit:* 10. *Lucellenſem Abbatem infirmus vocat, Cistercium intrat*, 11. *Demum Honorium adit; à quo & confirmationem Monachatus, & litteras ad Abbatem Cistercij impetrat.*

CAPVT TERTIVM.

1. TVLIT hic annus rerum vicissitudines, & multas, & varias: sed inter alias, insignium trium Præsulum, ex Infulis ad cucullam transeuntium: sponte duorum; alterius per fortunæ casus adacti, quos non licet silentio præterire. Repleuere Sazoniam, Galliam, Daniam, quandiu in sæculo. Verum post abdicatos Pontificatus inclusi cœnobiis, vix arctæ cellæ spatium occuparunt. Hi sunt Conradus, Guillelmus, & VValdemarus; duo Priores doctrina, & pietate, tertius sanguine clarus; & si propria fortuna contentus esset, nulli alteri forsan postponendus. Ergo in Sazonia Conradus Alberstadenſis, cum septem annos Ecclesiæ illi præfuisset, impetrata licentia Summi Pontificis, in Sedebeke Cistercienſi cœnobio baculum cum ligone, & cum capucio mitram commutauit. De eo Albertus Krantzius hæc habet verba [a]. *Alberstadenſis Ecclesia tum Pontifice gubernabatur Conrado, insigni, & religioso viro. Qui cum septem annis illi præfuisset, tædio rerum sæcularium, ex auctoritate Summi Pontificis eam dimisit, & in Monasterium Sedebeke concessis, ibique vitam finiuit.* Ita Albertus Krantzius de Monachatu; quem in Cistercio assumptum, non solum Monasterium ipsum prodit, sed idem etiam auctor non multo post. *Conradus*, inquit [b], *Episcopus Alberstadenſis, qui postea Cistercienſem Ordinem intrauit.* Habuisse dicitur successorem Fridericum, quem anno M. CC. XXIV. legimus Præsidentem, quamuis non satis constet, quo sit assumptus.

a *lib. 7. Metaph. c. 37.*

b *vbi suprà.*

2. Conradi reliqua haud satis nobis nota, nisi quod tamen priùs quam ad Alberstadenſem Ecclesiam assumeretur, traiecisse in Orientem cum Balduino, tunc Flandriæ Comite, mox Constantinopolitano Imperatore, auctores produnt. Quin laborasse infamia in eius morte, quasi, Conrado agente, occisurus fuerit, Albertus Stadenſis Abbas testatur, agens de quodam Pseudo-Balduino, qui sese gloriabatur Imperatorem. *Venit*, ait [c], *quidam in Flandriam, qui se asseruit esse Comitem eiusdem Prouinciæ Balduinum, qui, ante paucos annos cum peregrinis Constantinopolim profectus, ad Imperiale culmen ibidem fuerat coronatus. Qui, quia simillimus Comiti Balduino fuit, vel potius, quia ipse fuit, Flamingi receperunt de Ciuitate, multis eum muneribus honorantes.* Et post pauca. *Sed Balduinus Comes, Imperator Constantinopolitanus, à Conrado Episcopo Alberstadenſi, qui postea Cistercienſem Ordinem intrauit; & à quibusdam aliis, qui tunc Constantinopoli fuerunt, cum Balduinus Imperator Græcorum contra Sarracenos conflictum habuit, dicebatur verissimè interfectus.* Hæc Abbas Stadenſis in suo Chronico.

c *Ad annum 1224.*

Et quidem Balduinum Imperatorem vix vl- 3. tra annum Imperium prorogasse; nec certum adhuc, captum ne, an occisum? Superstitem occultum, & incognitum; an fato statim functum? auctores produnt: ex quibus hæc Meyerus in Annalibus [d]. *Hadrianopolis vrbs Græcorum firmissima, neque Gallis, neque Venetis parere in animum induxit. Eò Græci, complures odio nominis Latini refugerunt: ac itaque in auxilium Valachorum gente, tenere Vrbem contra nostros obstinatissimis*

d *Ad annum 1205.*

natissimis perseuerabant animis. Eam ciuitatem Balduinus dum obsidet, commisso prælio interceptus, ne an occisus? parum constat; nunquam posthac est inuentus? Sunt qui ab Ioanne Valachorum Rege captum, ac clam decollatum constanter tradant; Baptista tamen Egnatius fatali refert decessisse morte, imperio Fratri per manus tradito. Itaque occisum eum, quamuis non certò, multi, & varij rumores diuulgarunt. Verum qui hanc maculam Conrado, & sociis impingat, præter Albertum Stadensem, alium non video. Certè Ioanna Flandrensis Comitissa, Balduini eiusdem filia simul, & hæres, cum de patris salute pia inquireret, *Ioannem Episcopum Mutilanensem* (ait idem Meyerus [c]) *& Albertum Theologum Ordinis Diui Benedicti, misit in Græciam ad disquirendum diligentius de morte Balduini: renunciauerunt captum fuisse ad Hadrianopolim, ab Ioanne Valachorum Rege; missumque ad Reginam in oppidum Cernoam, ibique membratim dissectum. Collectas tamen corporis partes, ac tumulo compositas à fœmina quadam Burgundica, amore nominis Latini,* Maneat ergo vindicatus Conradus ab hac calumnia, qua proculdubio, si inter viros cordatos, prudentésque malè audiisset, nequaquam postea ad Pontificatus dignitatem tanto omnium plausu promotus esset.

c *Ad annum 1225.*

4. Extat Conradi memoria non contemnenda in litteris Honorij Papæ tertij, in quibus inter alia [f]. *Quæcumque Conradus, Alberstabensis quondam Episcopus, in nobilem Virum Comitem.....atque eius fautorem Archiepiscopum Magdeburgensem statuisset: atque eorumdem omnium executionem (quod ipse Conradus quieti religiosa in Sedebeke vacare præelegerat) successori ipsius Friderico, & duobus Abbatibus Cistercij de VValkenrede, nimirum, & de Volcolderode, cum ampla potestate committit, & properari iubet. Datis apud Vrbem veterem, tertio Nonas Septembris, Pontificatus ipsius anno sexto.* Portò ex his litteris obiter coniicio, cessionem, si à Conrado facta hoc anno, quod ego veriùs puto; sub ipsius initium factam esse; nempe, vt nouæ electioni, confirmationique tempus superfit, vsque ad mensem Nouembrem, quo datæ litteræ alloquuntur successorem, vt ex eis apparet, iam possidentem. Hæc de Conrado Pontifice in Saxonia.

f *Epist. Honorij lib. 6.*

5. In Gallia Parisiensis Præsul Guillelmus, qui anno præcedenti ex Altisiodorensi sede promotus fuerat; hæc item, abdicato Pontificatu, Pontigniacum abiit, quod vitæ reliquum, in Monachatu peracturus. Huius vitam, & acta, vsque ad hunc annum ex Catalogo Episcoporum Parisiensium, atque Antisiodorensium, & aliis, sic describo. Anno M. CC. XVIII. in Episcopum Altisiodorensem electus, ædificia Antisiodorensis Ecclesiæ inchoauit, primo lapide posito, qui eius industria creuit in magnam molem. Anno M. CC. XX. Honorio Papa tertio iubente, ad Ecclesiam Parisiensem promotus, vnde ipse Moniales ex Conuentu Sancti Antonij, ad Monasterium Selle, siue Cellæ, quod Altisiodori construxerat, remisit, vt supra vidimus. Anno M.CC.XXI. *Cum iam graui senio esset confectus (ait Philippus Seguinus [g], ex monumentis Ecclesiæ Pontigniacensis) eremum, & quietem suspirans, ad celeberrimum Pontigniaci Cistercienſis Ordinis Monasterium sese recepit, vbi scribens, & Deo vacans cœnobiticam vitam fœliciter traduxit.* A vinculo Belluacensi in suo speculo dicitur [h]: *Libertatis Ecclesiasticæ mirabilis defensor.* In Catalogo Episcoporum Parisiensium Frater Vgonis Archiepiscopi Senonensis intitulatur. Verum cum constet Vgonem obiisse, anno M. C. LXIX. neque iuuenem, sed confectum ætate graui; difficile videtur ipsius Fratrem ad hunc annum pertingere potuisse.

g *In Bibliotheca.*

h *lib. 30. epist. 124.*

Vixit Guillelmus Pontigniaci duobus annis, sub Venerabili Petro loci Abbate, in quibus quædam scripsit, quæ nos etiam in tempore dicemus obiitque anno M. CC. XXIII. vnde factum est, vt auctores, Monachatus eius obliti, in anno mortis, dimissæ, aut amissæ dignitatis inter se diuidantur; & quidam referant ad M. CC. XXI. in qua classe sunt Vincentius Belluacensis [i], & Petrus Buretea Celestinus. Alij in annum M. CC. XXIII. quod Democharis [k] prodit, & ex Rigordo in obitu Philippi planè conuincitur; quippe inter assistentes eiusdem Regis exequiis, quæ in eum incidere annum, commemoratur. Nempe priores, dum alium iam Episcopum in Parisiensi sede locatum vident, antecessorem obiisse existimarunt: posteriores, dum eum vixisse comperiunt ad annum vigesimumtertium non ineptè coniiciunt, ad eum vsque produxisse Pontificatum. Maximè eum à Rigordo Parisiensis Episcopus tunc, cum Philippus obiit, nominetur. Verum Episcopos post abdicatas Infulas, nomen, & titulum dignitatis retinuisse, non solum illa ætate, sed etiam nostra, nequaquam potest in dubium reuocari. Quid scripserit Guillelmus Pontigniaci, post biennium edisseram, quando de obitu eius sermonem faciam. 6.

i *vbi suprà.*

k *Apud Ioan. Chenu.*

Conrado Alberstadensi, & Guillelmo Parisiensi, tertium adiungo VValdemarum Slesvvicensem primum, mox Bremensem Pontificem intrusum & nisi sceptrum baculo coniungere haud obscurè tentasset, forsan in Sacerdotio regnaturum. Is clarior sanguine, quippe Kanuti Regis Daniæ filius; sed moribus obscurior, quando in Ecclesiam etiam rebellauerat: vt longam ante-actæ vitæ superbiam, humili, & voluntaria paupertate; contumaciam, obedientia compensaret; cum se in extremis laborare cerneret (quamuis id postea periculum euasit) Lucellensi ad se Abbate vocato, atque ab eo absolutus, Cistercium induit, si diutius viueret in eo permansurus. Nec retractauit, cum morbo pœnitentiam, quod satis frequens: Post adeptam salutem ratum habuit, quod fecerat infirmus. Quin, & quo indissolubilius permaneret, ab Honorio curauit confirmari. Huius viri historiam satis mirabilem, neque quid medium passam, Albertus Krantzius ex magna parte narrat, breuiter licet, & succinctè pro suo more. Nos quæ ipse expediit, eiusdem verbis, reliqua Honorij Papæ, quin etiam Innocentij, prosequemur. Itaque Krantzius hæc habet in Metropoli [l]. 7.

Bremensis Ecclesia post Hartuuicum, cum spem conciperet ad antiquum legationis honorē redeundi, 8.

non multi ex Canonicis elegerunt VValdemarum Sleſvviſenſis Eccleſiæ Epiſcopum, ſed eo iugo Summi Pontificis auctoritate abſolutum. Erat vir regij ſanguinis, filius eius Canuti, qui cum Suenone, & VValdemaro Regibus, quorum alter ante, alius poſt illum regnauere, eſt tripartitus. Sed in conuiuio Rodtſchildiæ per Suenonem cæſus, cum VValdemarus quoque, qui periculum euaſerat, peteretur. Is cum eſſet Epiſcopus Sleſvvicenſis, per materni generis amicos Norwegios, ſtudebat coronam regni iungere mitræ Pontificali. Id cum perſenſiſſet Canutus Rex VValdemari filius, captum ſeruauit, ac diu macerauit in carcere. Interuentu tamen Reginæ, poſt multos annos, laxatur; & Summi Pontificis interueniente decreto, abiurauit Eccleſiam Sleſvvicenſem. Et omnem locum, in quo ſuſpectus videri poſſet Regi; profectuſque eſt Bononiam, & ibi litteris vacabat, cum haberet ex patrimonio, vnde viueret abundantiſſimè. Hactenus prima pars eius hiſtoriæ, quam Crantzius narrat. Et in qua ſe VValdemarus haud dubiè, vt in Regem rebellis, (& forſan prætendebat paterna iura) ſic in Eccleſiam exhibuit obſequentiſſimum.

9. Verum, quæ diu ſtare fortuna neſcit, maximè in viris magnis, extulit rurſum, ſed extulit, vt atrocius præcipitaret. Nam audi quod ſequitur. *Eum Virum* (ſcilicet VValdemarum) *cum ſcirent Canonici Bremenſes abſolutum Eccleſia ſua viuere, ſimul quod ſperarent per illum, magni ſanguinis Virum, recuperatores pro Eccleſia ſua legationis honorem per regna Aquilonis, elegerunt Epiſcopum. Alij tamen poſtularunt Gerardum Oſnaburgenſem Epiſcopum; ita inter duas poſtulationes res hærebat. Cumque VValdemarus decretum electionis, ſiue poſtulationis ſuæ ad Eccleſiam Bremenſem, per ſolemnes oratores accepiſſet, profectus eſt cum illis Romam, & apud Summum Pontificem Innocentium de confirmatione inſtabat. Gratulabatur illi Pontifex, quod poſt Eccleſiam, cui cedere cogebatur inueniſſet digniorem: nec feſtinabat confirmare, ſuſpicatus eſſe in itinere, qui aliud nunciarent. Venit Cancellarius regni, amiſſis in itinere litteris, incurſu latronum; ſed verbo oppoſuit VValdemaro: ab illo præſtitum iuramentum, quod in nullo loco, quo Regi ſuſpectus videretur, conſiſteret. In Brema autem ſuſpectiſſimus eſſe, quod eſſet ille locus inſidiandi regno opportuniſſimus. Itaque cum cerneret ſe VValdemarus nihil in vrbe profecturum, abiit inſalutato Pontifice, cum tamen eſſet iuſſus, indiſcuſſa cauſa non abire. Contulit ſe ad Regem Philippum, quem ſciebat Ottoni æmulo, & Danorum Regi, qui illi affinis erat, infeſtiſſimum. Cuius ope, & litteris, & nunciis, miſſus eſt Bremam, & ab eligentibus non mediocri ſuſceptus honore.* Ita in altum ſublatus VValdemarus, incubabat Eccleſiæ, cuius nondum haberet confirmationem. Pergit Krantzius. *In vrbe, quod illicentiatus abiiſſet, excommunicationis litteræ in eum decernuntur: quæ multo tempore latuerunt, nemine audente illas inſinuare. Erat ſumma Bremæ feſtiuitas, fortè dedicationis: & magna multitudine ad altare pro oblatione contendente, immiſcuit ſe turbæ, qui litteras tenebat: & illas incognitus, cito manum retrahens, aræ impoſuit, in turbam amiſſus: ita patuit; cum mirantibus cunctis poſt ſacrum Officium, quod litteræ, vnde veniſſent incertæ, continerent, VValdemarum non ſolum non eſſe confirmatum, quod prætendebatur, ſed à Summo Pontifice etiam excommunicatum. Ita res in multam differentiam excreuit, cum Papa Gerardum Oſnaburgenſem ad hanc Eccleſiam confirmando tranſtuliſſet.* Hactenus Krantzius. Extant litteræ Innocentij Papæ tertij ad Magdeburgenſem, & Moguntinum Archiepiſcopos, [m] nec non, & ad Abbatem Campi Sanctæ Mariæ (ne vel hoc etiam effugeret Ciſtercium) in quibus VValdemarus, vſurpaſſe Eccleſias, in bona clericorum extendiſſe manus, expuliſſe à Bremenſi veros Canonicos, & loco eorum alios ſubſtituiſſe, atque id genus alia, grauia quidem, ſed non nimis atrocia, memoratur. Atque ipſi, ad quos ſcribit Papa, iubentur *quatenus in eum & ſuos ſententias latas ſingulis diebus Dominicis & feſtiuis, per Eccleſias innouent, & mandent per iſtam Bremenſem Prouinciam innotari. Datum Laterani, tertio Kalendas Martij, Pontificatus ipſius anno X.* Eadem habet exactius, quam Albertus, Ioannes Pontanus: ſed nobis iſta ſatis pro inſtituto. Nunc quæ vterque omiſit, neque Innocentius, morte ante præuentus, patefacere potuit; ex aliis litteris Honorij proferamus.

m *Apud Boſchatū lib. 3. Epiſt. 3.*

Longo tempore rebellis in Pontificem incubauit Eccleſiæ, ab ea præciſus: nec fortè deerant, (quæ conditio plerumque hominum eſt) qui de valore excommunitationis, nedum de iuſtitia, dubitarent. Adeò nunquam defuerunt, nunquam deerunt, qui errantibus principibus applaudant, & contumacibus obtendant iuſtitiæ laruas. Sed laruas tamen, quas ipſi etiam agnoſcant; & quibus ſe in ſpeciem tantum excuſent: non quibus fidant. Acuta febre VValdemarum vexante, detectus dolus: & qui ſe antea indemnem publicabat, petiuit abſolui: atque habitu Ciſtercij per Abbatem Lucellæ, quem accerſiri fecit, ſibi impoſito, nouum, & longo diuerſum vinculum ſubiit, quo prætetiti nodos, explicare, & plagas longo tempore vlceratas purgare poſſet. Porrò hæc adeo ex animo fecit, adeo conſtanter hanc viam ingreſſus eſt, vt redditus ſaluti Romam pergeret, eadem ab Honorio confirmaturus. Tum vero Honorius, non mortem peccatoris, ſed conuerſionem volens, & conuerſioni VValdemari congaudens, has ad VValterum Abbatem Ciſtercienſem, ſimulque ad Guidonem Morimundenſem, ad cuius lineam lucella pertinebat, litteras dedit [n]. 10.

n *Epiſt. Honorij lib. 5.*

Ciſtercienſi, & Morimundenſi Abbatibus.

VValdemarus, lator præſentium, multæ humanitatis, & gratiæ, quam Apoſtolica Sedes olim ſibi exhibuit, immemor, & ingratus contra illam ſe ſpiritu rebellionis aſſumpto erigere non expauit; propter quod Epiſcopali dignitate priuatus, diutius in ſua rebellione permanſit. Demum eo, qui tangit montes, & fumigant, tangente duritiem cordis eius, & per neceſſariæ infirmitatis angustiam ipſum à longo mentis exilio reuocante, ab excommunicationis vinculo, quo adſtrictus, auctoritate Apoſtolica tenebatur, per Abbatem Lucullenſem Ordinis veſtri, qui ſibi extrema imminere credebat, ſicut nobis per litteras Venerabilis Fratris noſtri Mindenſis Epiſcopi; & Abbatis eiuſdem, innotuit, abſolutus, habitum Ordinis Ciſtercienſis aſſumpſit. Condeſcendentes 11.

igitur

igitur instantiæ precum eius, ac simul respectum ad Ordinem vestrum habentes; ratam habemus absolutionem prædictam; ideoque discretioni vestræ per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus eundem VValdemarum Ordinem vestrum humiliter obseruantem, faciatis in aliquo Monasterio ipsius Ordinis, quod idem elegerit: tractari sincera in Domino charitate; ita quod tamen ab executione officij Sacerdotalis abstineat, nisi fortè pro casu temporis super hoc Apostolicæ Sedis meruerit licentiam obtinere. Datis apud Vrbem veterem octauo Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno quinto. Hactenus Honorius, in cuius litteris duo licet aduertere. Alterum, qua constantia Summus Pontifex VValdemarum, quantumuis Regium Virum, contumacem humiliet, neque obsequenti parcat à pœnitentia; qui eum priuat officio Sacerdotali: sed nihilominus admittat pœnitentem, & efficaciter saluti eius prouideat, nec desperare iubeat, etiam ab ipsa pœna releuanda. Alterum, quam in nostros honorifici, in quorum non in Regij Viri sanguinis, neque in fautorum respectum fieri dicit, quæcumque erga eum censet statuenda. Ergo VValdemarus Cisterciо confirmatus, in eo reliquum vitæ consumauit. Qualiter autem post quatuor annos exactos in Monachatu, tandem circa M. CC. XXV. non sine multæ humilitatis laude, atque ostensione veræ pœnitentiæ sublatus sit, suo loco à nobis dicendum erit.

---

1. *Catherina, quæ olim Rachel Iudæa, coram Episcopo comparere iussa 2. cunctos ad lachrymas, & ad Dei laudem prouocat. 3. constantia eius, audaciaque pro Christo; 4. atque aduocatus, qui illi aduersabatur, viriliter repressus ab VValtero: 5. Nouæ litteræ, à quibus appellatum per VVillelmum Claræ-Vallis Abbatem. 6. Quid pro Episcopo? 7. & emendatus in hac ipsa historia Cæsarij locus. 8. Heruæi Niuernensis Comitis mors, 9. & Cistercienſium Abbatum, qui funus ad Pontigniacum deportabant, ab infidelibus ingens persequutio.*

CAPVT QVARTVM.

1. INTER hæc, qui Engelberti Colonienſis repressus mandato, à teneræ puellæ Catherinæ vexatione cessasset Leodienſis Episcopus, cum à Iudæis, per munera, per preces, per apparentes iustitiæ allegationes (nam hæ Aduocatis quando deesse possunt) vt eam sibi iuberet restituere, frequentibus instantiis pulsaretur: tandem cõsensit. Et *litteris suis* (inquit Cæsarius [a]) *puellam citauit Leodium, sub pœna excommunicationis, patri suo responsuram super obiectis.* Quasi vero vel salus animarum, atque sacrum baptisma, quod in Ianuam Ecclesiæ Christus instituit, fraudibus litigantium, & iurisperitorum Doctrinis subiicerentur. Sed placuit Deo, quam sibi præelegisset sponsam sanguinis, aut saltem vita, & sanguine charioris affectus teneri, ostendere mundo; ac per infirma sexus, ætatisque, & confundere fortia; & suam potentiam in vtrisque demonstrare. Nulli procuratori Catherina fidendum censuit; non Priori Parci, non VValtero Abbati Villarienſi, non denique Reynero suo Magistro. Quin per se ipsam, quæ illi fides inerat, iudicio sisti; nouennio vix dum expleto; & respondere ad obiecta deliberauit. Audi de his loquentem Cantipratanum [b].

a *lib. 1. c. 16.*

b *lib. 2. epist. 29. part. 20.*

2. *Res mira, & vsque in præsens cunctis sæculis inaudita. Petiit à Presbytero ad omnem citationem, & iudicem, se puella deduci. Forsitan, inquit, iudices, flectentur ætate; & ad me piaculum mouebuntur. Et factum est, vt petiuit, & vixit. Vt enim die quadam apud Leodium venit coram Episcopo, Clericis, & magnatibus, diuersos Aduocatos, & iudices, tam constanti, quam viridica ratione confudit, & mouit, vt voces vlulantium, & clamantium cum lachrymis, præ stupore, in Ecclesia Sancti Lamberti, à locis distantissimis audirentur: itavt omnes manifestè dicerent, & viderent, in tam exili ætate, diuini spiritus sapientiam præualere.* Ita Thomas, qui ea cuncta quæ narrat, partim ab ore Virginis, partim ab aliis, qui affuerunt, namque ingens concursus, audire potuit.

3. Addit Cæsarius, sistendæ tribunali Virgini sacræ, assuisse Gualterum Villarienſem, ad quem, velut ad Patrem Parcensis Monasterij, spiritualis Catherinæ cura, atque eius defensio pertinebat. Addit & aliqua allegata Aduocatorum, atque interrogationes puellæ factas, & responsiones eius, in hunc modum [c]. *Allegatum est pro Iudæo, quod infra annos rapta fuisset, & violenter baptizata. Et dixerunt quidam ipsi puellæ: Catherina, dictum est nobis quod libenter redires ad patrem tuum, si permitteretis. Respondit puella: quis hoc dicit? Responderunt illi: Pater tuus. Tunc illa clara voce tale protulit verbum; Pater meus rectè mentitus est per mediam barbam suam.* Hæc de puella calcante pro Christo patrem; neque vllis obseruantiæ vinculis detenta, quo minus sacratiora religionis, quæ semel cœperat, perseueranter complecteretur. Pergit vlterius Cæsarius [d] de Aduocato, & Villarienſi Abbate, quod non Iudæis tantum, verum etiam Christianis solet accidere.

c *vbi supra.*

d *vbi supra.*

4. *Cum adhuc instaret Aduocatus Iudæi, commotus Dominus VValterus Abbas Villarienſis, ait illi; Magister, vos loquimini contra Deum, & contra honorem vestrum: sciatis pro certo, si adhuc vnum verbum locuti fueritis contra puellam, ego laborabo apud Dominum Papam, vt perpetuum vobis in omnibus causis imponat silentium. Tunc ille timens, secretè respondit Abbati: Domine Abbas, quid nocet vobis, si potero pecuniam extorquere à Iudæo? Ego nihil loquor, quod obesse poterit puellæ. Qui mox vt salarium suum accepit, dixit Iudæo: Non audeo de cætero loqui de hac causa.* Hactenus quæ de illo iudicio scripta inuenio, non audente Episcopo Virginem reuocare, quamuis neque cessante, vt iustum erat, ab illius & Conuentus vexatione. Quin nouas litteras contra illam ab eo datas indicare videntur, quæ mox sequuntur, in quibus tamen per errorem Guido pro Guillelmo irrepsit facili transitu; illo præcipuè æuo, quo propria nomina, ex primis tantum litteris notari, vel in publicis instrumentis in vsu fuit.

5. *Anno præterito, subdit idem Cæsarius,* [e] *quando Dominus*

e *vbi supra.*

Dominus Guido Abbas Claræ-Vallis, visitauit in Episcopatu Leodiensi, eundem Episcopum conuenit, monuit, & rogauit, quatenus intuitu Dei, & honoris sui, cessaret à vexatione puellæ iam Christo dicatæ; cui Episcopus respondit: Bone Domine Abbas, quid ad vos de causa ista? respondit Abbas: Bene ad me duplici de causa; Primò, quia homo Christianus sum; Secundariò, quia Domus illa, in qua degit, de linea Claræ-Vallis est; & adiecit: Puellam, & causam eius sub protectione Domini Papæ, constituo, & super litteras, contra illam à vobis datas, appello. Ita Cæsarius. Quibus clarè videas, nouas litteras datas aduersus Virginem, de quibus Claræ-Vallis Abbas causatus esset; adeò fauente Episcopo Iudæis, vt nisi Honorius interpellaretur (ex quo ipsi nihil amplius facere licuit) haud dubiè ab eius violentiis timendum foret. Certè Guillelmum non solum appellasse, sed impetrasse litteras, Honorij inhibentes Episcopum, anno sequenti, quo ad Parcum transmissæ referemus.

6. Non deerant qui Episcopum defenderent, quasi iustitia, zeloque subnixus, non auaritia ductus, Virginem vellet ad patres suos redire: perseueraturam, si ex Deo erat vocatio, aduersus persuasiones; si ex leuitate, vel vltro retro cessuram, nec securiorem inter religiosas à Iudaismo noto, & familiari; quàm à fide ignota, imò inuisa inter Iudæos parentes immunis fuit. Christianam religionem voluntariam, non vi, non metu ab aliquo assumendam; frustra humanam industriam laborare, nisi Deus inspiret: si ipse donet, frustra dissuasuram. Hanc libertatem decere Christi ministros, decere fideles. Et scirent omnes ad fidem non per fraudes, non per persuasiones; sed solo Deo mouente, veniendum fore. Id vel in viris adultis obseruandum, qui difficiliùs duci, siue seduci; quanto magis in Virgine tenella, & vix nouem annorum; quæ vt reuera non fuerit decepta, at constat facilè, decipi potuisse. Et primam eam ætatem iure naturæ parentibus deberi gubernandam; intra quam irritare vota possunt, quantumuis reseruata, quantumuis sacra; quod ipsa lex Euangelij etiam admittit. Hæc, & similia pro Episcopo allegabant, qui ipsi fauebant. Cæterum qui rem melius iudicabant (ait Cæsarius) [f] his minimè credebant. *Quia si agitaretur stimulis iustitiæ, nequaquam cogeret puellam baptizatam, Virginem Christo consignatam, & religione Christiana, etiam supra ætatem feruentem, ad Iudaicam redire perfidiam.* Saltem non traderet Iudæis peruertendam.

f *lib. 2. c. 26.*

7. Cæterum quod ad Guillelmum attinet, quem diximus pro Guidone substituendum, in littera Cæsarij, manifestum apparet. Quippe Guido ante sex annos obierat; atque inter ipsum, & Guillelmum in Clara-Valle Conradus mediauerat; vt non potuerit à Cæsario de ipso dici, quod anno præterito visitauit in illis partibus. Sed clarius adhuc constat ex VValtero Villariensi Abbate, qui cum Conrado in Villario successisset, postquam ipse Guidoni in Clara-Valle, non potuit cum Guidone coincidere, nedum antequam Guido causam agere, & Catharinam ad Leodium comitari.

8. Hoc ipso anno, ne noui filij Guillelmi Parisiensis, quem Pontigniaci, Insulis spretis Monachum induisse superius diximus, aut gloria, aut complacentia, venerabilem illius loci Abbatem Petrum posset extollere, persequutionem grauem cum suis passus, vix impiorum manibus ereptus, omnibus imminentem mortem euasit. Id quod Vincentius Belluasensis præsul, eius temporis auctor, memoriæ prodit. Simone Comite ad Tolosam vrbem occiso, neque Amalrico filio, quamuis magnanimo, & tanti patris digno successore, sustinere valente pondus belli, quod adsuetudine refrigescens inter Catholicos, hæreticis audaciam, & ex audacia, vires ministrabant; inter errores denuo pullulantes, vindictæ ardor, præcipuè in eos, quos hostes habuissent, & potentiæ, atque errorum extirpatores, dissimulari nescius, per flagitia, per cædes erumpebat. Hinc sæuum odium in omnes Cistercienses: & nisi metu Philippi detinerentur, nullis violentiis, nullis irruptionibus, nullis demum sacrilegiis, parcitum foret. Inter Principes, qui cum Simone arma sociauerant, atque Arnoldo obedierant, Comitem Niuernensem, Herbæum de Gumis supra vidimus. Hunc vita functum, & Pontigniaci sepeliendum more maiorum, Petrus Abbas, cum aliis septem præsulibus, Cistercien sibus cunctis, & multis Monachis, nec non haud dubiè, cum omni sua familia, cognatisque, ex Sancto Aniano Castro, vbi decesserat, ad Pontigniacum solemni satis pompa, vt tantum Principem decebat, reportabant.

9. Ergo cum primum occasionem nacti hæretici deseruiendi in vtrosque, & quas hactenus viuo non potuissent inferre iniurias, mortuo, suisque; & Cistercienses pessundari posse putarunt. Obsidere vias, intercipere transitus, & transeuntes, aut gladiis trucidare, aut lapidibus obruere, vt non potuerint, saltem intentarunt. Paucis hæc, sed ex fide Vincentius narrat in suo magno speculo, ita scribens g. *Non multo post (scilicet quàm Guillelmus Parisiensis Episcopus, in Pontigniaco Monachum indueret, & Parisiensi Ecclesiæ renuntiaret) Herbaus de Gumis Comes Niuernensis, vir magna vi Ecclesiastica iura conseruans, præcipuus hæreticorum persecutor, hostium superator, fidelis Vasallus iustitiæ; cuius etiam magnanimitati inuidebant Barones Franciæ; apud Sanctum Anianum, in Bituria, Castrum suum, moritur. Ibique in quindena Dominicæ apparitionis tumulatur. Porrò Abbate Pontigniacensi cum septem Abbatibus, pluribusque Monachis, & aliis multis venientibus, vt corpus eius secum portarent, ferè ab inimicis populis lapidantur: Demum tamen idem corpus ad Pontigniacum transfertur.* Hactenus ille. Nos de Albigensibus, & nouo ad eos legato ex Cistercio mittendo, magno Conrado, anno sequenti, quo euenit, dicemus.

g *lib. 30. cap. 124.*

1. *Cæsarius dialogos suos incipit scribere.* 2. *Hertuuici Hemmenrodensis senis Sancta mors;* 3. *& cuiusdam conuersi,* 4 *atque Steponis in monte Sancti Saluatoris Capellani.* 5. *Theobaldi Eberbacensis Abbatis glorioſus obitus,* 6. *atque aliæ notitiæ.* 7. *Beata Sophia Houenensis breuiter dicta.* 8. *Conradus senex in Heisterbaco;* 9. *& Amelius Dunensis.* 10. *Arnaldusque insignis Abbas Monasterij de la Espina.*

CAPVT QVINTVM.

1. GLORIOSOS obitus quorumdam Monachorum, atque Sanctimonialium ad hunc annum, quos Cæsarius, qui tunc scribebat dialogos, commendauit memoriæ, in hoc capite placuit coaceruare. Certè hoc anno incœpisse Cæsarium dialogos suos scribere, & sequenti absoluisse, ipse testatur. Quippe sub eius operis initium hæc habet verba. *Annus* [a] *modo vicesimus est secundus, plus minus, eo tempore, quo ad Ordinem veni, qui fuit ab Incarnatione Domini milleſimus ducenteſimus vno minus.* Et capite sequenti. [b] *Ante hoc quadriennium, eodem, si bene memini, anno, quo de functus est Innocentius Papa, mulier quædam igne libidinis succensa, proprium adamauit filium, de quo concepit, & peperit filium alterum.* Demum de Waltero de Traiecto Villarensi Abbate, quē hoc anno obiisse memorauimus, in eodē libro secundo ita scribit. *Retulit nobis hoc anno Dominus VValterus Abbas Villarienſis.* Itaque hoc anno incœptos clare constat. Porro absolutos sequenti, habes ad finem, nempe libro decimo, in quo Caput quadrageſimum octauum ita exorditur. *In anno præsenti, qui est milleſimus ducenteſimus ſecundus ab Incarnatione Domini, &c.* Igitur qui hoc anno, sequentique Dialogos scribebat, hos ad hunc obitus contigisse Cæsarius narrat.

[a] *lib. 1. c. 10.*

[b] *lib. 2. c. 11.*

2. Prouectus iam ad Religionem venerat Venerabilis Hertuuicus, qui tunc, Priorem agebat in Hemmenrode: sed multo zelo, & feruore Religionis, ſæcularis vitæ defectus compensauerat. In huius obitu, quo die, & hora prædixerat, auditas Angelorum voces ait, qui animam susciperent, & gloriam ei paratam manifestarent. *Anno præterito,* ait, [c] *defunctus est ibidem, (id est in Hemmenrode) Dominus Hertuuicus Prior, vir quidem grandæuus & circa disciplinam feruentiſſimus; qui cum sero putaretur esse moriturus, multis, qui conuenerant, clara voce dicebat: Non modo moriar, sed craſtina die, hora nona, ero ante Summum Iudicem, de omnibus operibus meis ibidem redditurus rationem: eadem si quidem hora expiraui. In cuius tranſitu quidam confessi sunt, se Angelos audiuisse.* Pergit Cæsarius Hertuuicum Vlrico conferre, de quo quid simile dictum anno præterito. Introducit autem Apolonium interrogantem. *Quid est quod ille, scilicet Vlricus, prædixit, se iturum esse ad nuptias, iste ad Iudicium? Cæsarius: ille; vtpote in adoleſcentia conuersus, pie præsumebat de custodita innocentia; istum terruerunt peccata multo tempore commissa: senex enim venerat ad conuersionem.* Ita fidentior illius innocentia, sed huius pœnitentia forte humilior, nec minus hæc, quam illa coronanda.

[c] *lib. 11. cap. 10.*

3. Haud multo minus glorioſus fuisse videtur anonymi cuiusdam conuersi tranſitus, cuius (cum in eadem domo, super quibusdam rebus malè audiisset) innocentiam occultatam quandiu vixit, in morte Deus voluit manifestare, neque alio instrumento, quam eo ipso, quem habuisset accusatorem. [d] *In eodem cœnobio, quodam Fratre fautore, nomine VVernero: conuersum aliquem quidem ex fratribus calumniati sunt sine causa, ita vt eiiceretur ab illis. Contigit post hæc, vt Frater idem moreretur, & iam dictus VVernerus interesset commendationi eius, moris autem tunc erat, vt aliquo super mattam posito, Fratres sicut si sine processione occurrerunt, ita sine Ordine circa morientem starent, vbi cuique prior occurſus, aut deuotio locum dedit; laicis Fratribus hinc inde circa Monachos stantibus. Corpore igitur mortui loco, & allato, vidit idem VVernerus multas candelas in circuitu feretri statutas, & omnes ardentes, in parte autem, qua ipse stabat, omnes candelæ pariter extinctæ sunt. Vnde miratus simul, & territus, cum corpus in Eccleſiam delatum fuisset, ipse Dominum Sifridum traxit in partem, & confeſſionem fecit, extinctionem candelarum suis peccatis imputans, & innocentiæ Fratris manifeſtandæ. Reuersus in Eccleſiam, easdem candelas inuenit, & omnes ex omni parte ardentes vidit.* Ita innocentia, quæ latuisset, quandiu vixit exercendæ patientiæ conuersi Sancti, detecta post mortem, maiorem illi gloriam, & veram zelatori eius pœnitentiam, conciliauit.

[d] *lib. 11. cap. 19.*

4. Per idem tempus ad superos volauit Beatus Stepo, in Monte Sancti Saluatoris Capellanus, coronam sibi repositam in cœlis & dudum Margaritæ, eiusdem domus Moniali, per Virginem ostensam recepturus. Sed ô altitudo diuitiarum Sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehesibilia sunt iudicia eius, qui sui compos à diuinis laudibus vix, aut numquam cessasset; morbo in morte permissus, atque phræneticus, in blasphemiam erupit. Quod genus mortis ordinatum ad alios fines, nobis prorsus occultos, ne eius opinionem denigraret, per miracula Deus compensauit: multis ad sepulchrum eius infirmis restitutis saluti; nec dubito quin, & menti; multis amentibus, *Idem Stepo (ait Cæsarius* [e]*) Presbyter, fuit valde Religionis, & mire charitatiuus in eodem Monte, Deo, prædictisque sororibus seruiens. Vt autem noueris non esse curandum quacumque morte iustus moriatur, idem Stepo, cum in acutis laboraret, anno præterito, materia rapta in cerebrum, totus factus phræneticus, itavt multas blasphemias euomeret. Defuncto eo, atque sepulto, Dominus merita eius volens ostendere, miracula ad eius tumbam dignatus est operari: infirmi, sicut audiui, super illam dormiunt, & sani surgunt.* Steponem suo inseruit Menologio Chrysostomus Henriquez, sicut, & Hertuuicum; alterum mensis Maij die vigesima, alterum vero Iunij decima nona.

[e] *lib. 12. cap. 36.*

5. Idem tempus concernere videtur, plus minusve, Theobaldi Eberbacensis Abbatis mors, & (pie creditum) præmium obseruantiæ diuturnæ

simul, & rigidæ. De anno & opinione Sanctitatis. Ita Cæsarius. [f] *Narrauit nobis anno præterito Beatæ memoriæ Theobaldus Abbas Eberbacensis, &c.* Vt facile inde liceat coniectari, & ante annum vixisse, & tunc non viuere; & reliquisse bonam sui memoriam, & quæ Beata posset appellari. Atque hinc obiter corrigendæ veniunt Tabulæ Ecclesiæ Eberbacensis, quas Gaspar Iongelinus euulgauit, prodentes decessisse Sanctum Virum anno M. CC. XIII. id est nouennio antequam Cæsarius libros illos Dialogorum concinnaret. Cæterum de vigore disciplinæ, quo longo polluit tempore, hæc ab eodem alibi lego. [g] *Hoc etiam noueris, quod ex desuetudine, scientia discernendi inter cibos gustu minuitur. Vnde non mirum, si Dominus Theobaldus Abbas Eberbacensis, qui in quinquaginta sex annis, quibus in Ordine fuit, numquam carnes comedit, sub typo piscium, illas comedendo falli potuerit.* Crediderim pia fraude Monachorum, cum in extremis ageret, nec carnem sibi apponi consentiret, deceptum esse. Hic ille Eberbacensis Abbas est, qui conuerso sanitatis dono illustri, cum ex concursu aduentantium infirmorum, turbaretur Conuentus, & eius quies; ne cuiquam manus imponeret, præcepit; obediente non solum conuerso, sed Deo hominis voluntati; quippe sublato dono ex illa hora, in maius meritum haud dubie transituro.

f *lib. 5. c. 27.*

g *lib. 6. c. 4.*

6. Sub eodem Abbate multos floruisse Sanctitate perspicuos in Eberbaco idem Cæsarius prodit inter quos VVernerus, de quo supra: & Theodoricus Abbati suo superstes, de quo idem Cæsarius. [h] *In Hademnare Villa Diœcesis Treuerensis, cum quidam Sacerdos, qui adhuc viuit, Missam celebraret, Theodoricus Monachus Eberbacensis, in hora sumptionis, carbones nigerrimos illum vidit masticantem. Est enim idem Theodoricus Sacerdos simplex, & rectus, & multa ei diuinitus reuelantur.* Floruit etiam Monfridus, eiusdem loci Prior, Sanctitatis opinione præ aliis celebris, qui sub Conrado, & Raymundo successoribus, ad annum vsque M. CC. XLVI. vitam immaculatam pro humana fragilitate conseruauit: nec non conuersus ille, de quo Cæsarius, [i] quod solo tactu manus morbos fugabat, quoad vsque abigendæ frequentiæ hominum, quod quietem Monasterij sui turbarent, iussus abstinuit, cuius nos etiam facimus mentionem. Hæc obiter de discipulis Theobaldi, sub quo & Sanctæ Agathæ domum, vltimam Eberbaci filiam Diœcesis Leodiensis, ac Vallem Dei translatam, interuentu Archiepiscopi Engelberti, superius vidimus. Vtrum autem tam prima illius fundatio, siue adoptio, quam Domus de Arnesburg, & montis, quem vocant Sancti Disibodi, illi debeantur, cum de annis præfecturæ eius non constet, aliorum linquo examini indagandum.

h *lib. 9. c. 54.*

i *lib. 10. c. 6.*

7. Incidisse etiam videtur in hunc annum Beatæ Sophiæ Abbatissæ Houenensis prætiosa mors, cuius superius fecimus mentionem. Hæc primum Benedictina Ordinis nigri, inde mutato habitu, in Monte Sancti VValburgis, nec sine præcedenti reuelatione, Cistercienses effecta, atque ibidem Prioriæ munere fungens, tandem in Monasterio de Houenes in Abbatissam, post Gertrudem, vt puto, electa est; vbi, & claruit miraculis. De eius obitu hæc tantum Cæsarius. [k] *In Houene, Domo Sanctimonialium Ordinis nostri, quæ Abbati nostro commissa est, anno præterito, quadam Abbatissa defuncta est, nomine Sophia: hac tam feruens & ita rigida fuit circa disciplinam, vt sorores sæpe turbatæ, quod erat virtutis, vitium Iudicauerit. Huic aliquando tenuis ceruisia est in vinum conuersa. Quam etiam Angelus Domini quadam nocte, cum de matutinis exiret, cum lucerna antecedebat: Hæc duo miracula in extremis confessa est Abbati nostro Domino Henrico.* Hactenus ille. Ex quibus etiam constat, Henricum Abbatem, cui multa illa prædixerat, affuisse morienti: atque vltimam eius confessionem excepisse. Idem Cæsarius, quod ad Ceruisiam attinet, non semel illi tantum contigisse, alio item in loco memoriæ prodit. [l] *Beatæ memoriæ Sophiæ Abbatissæ de Houene (sic enim legendum est non Ierouene) tenuis Ceruisia, quæ modicum ab aqua distat, bis conuersa est in vinum.* Meminit inter alios Virginis Sanctæ Aubertus Mireus [m] in suis Originibus Monasticis. Cæterum quod ibidem coniectatur, hanc esse Sophiam, ad quam recens conuersam Bernardus scripsit Epistolam C. XIII. cum Bernardus ante septuaginta pene annos decesserit; quando Sophia obiit, nisi ipsa nonagenaria pene obierit, vix, aut ne vix quidem videtur posse stare. Sed & de illa, ad quam Bernardus scribit, commendatur nobilitas; hanc non inuenio ex prosapia commendari.

k *lib. 10. cap. 16.*

l Dominic. post Pentec.

m *lib. 5. c. 13.*

8. Memoranda non minus in Heisterbacho Venerabilis Senis Conradi mors post quinquaginta annos exactos in Monachatu, placida, & quieta, & quam ipse præuentus non recusauerit. *Nondum annus elapsus est, ait, idem auctor,* [n] *quod Lambertus Monachus noster, nocte Dominica in choro obdormiens, Richuuinum nostrum Cellerarium, ante aliquot annos defunctum, chorum intrantem conspexit: & cum annueret ei manu, dicens: Frater Lamberte, veni simul ibimus ad Rhenum. Ille sciens eum mortuum, renuit, & ait: credite mihi non ibo vobiscum, A quo cum repulsam pateretur, ad oppositum chorum se vertens, quendam Senem Monachum, Conradum nomine, qui circa quinquaginta annos militauerat in Ordine; simili signo, ac verbo vocauit: quem ille mox secutus est, caput in capiti impositio. Eadem die post cænã, cum Prior quosdam ex nobis vocasset, & idem Conradus præsens esset, ait ei, me audiente, iam dictus Lambertus: vere Domine Conrade, vos cito moriemini: in hac enim cuculla vidi vos hac nocte Richuuinum sequẽtem. Referens ei visionem per Ordinem: cui ille respondit: Non curo, modo vellem esse mortuus. Sequenti die, si bene memini, infirmari cœpit, & post breue tempus defunctus in eadem cuculla sepultus est.* Hactenus ille. Quæ omnia nobis, quia præsentem annum spectant, ex eodem auctore, in hoc capite licuit coaceruare.

n *lib. II. cap. 33.*

9. Eundem etiam concernere inuenio duorum insignium Abbatum obitus, Dunensis in Belgio, & Spinæ in Hispania, neque eos libet intactos pertransire. Certè Amelium in Dunensi Ecclesia Ægidius excepit. Dubium morte an cessione: & primum illud similius vero iudico. Quippe Ægidius de Roma Dunensis Monachus, cuius Chronicon ab initio mundi, vsque ad annum M. CCCC. XXX. Cistercij extat, ex quo multa transcripta bona fide, & Fiteriensi Abbati olim transmissa apud me habeo. Hæc ad hunc annum de vtriusque successione. *Anno M. CC. XXI. obiit supradictus Amelius, cui successit Ægidius de Steene, qui præfuit quinque annis.* [o] Cæterum in Chronico Dunensi, quod

o *in fasciculo.*

quod transcripsit Henriquez, aliter dicitur. *Amelius octauus Abbas Dunensis, vir laudabilis vitæ, quinque annis præfuit, & Domino Ægidio resignans cessit. Ægidius de Steene resignatum sibi regimem Ecclesiæ Dunensis anno Domini M. CC. XXI. suscepit.* Vtcumque fuerit morte, seu cessione, constat hoc anno Dunensis cœnobij clauum ex Amelio, ad Ægidium transiisse. Verum quod de quinquenio Amelij dicitur omnino expleto, intelligendum est atque incepto sexennio; alias in tempus electionis computes, vix quod vterque scribit constare poterit.

10. Eandem in Hispania vicissitudinem Abbatia de Spina experta est, defuncto Arnaldo, quarto eius Abbate, cui multa & grauia Innocentius Papa iniunxerat. Ex quibus supra aliqua. Præfuerat, cœnobio annos XXVI. obiit autem decimo octauo Kalendas Septembris, vt habet Martyrologium eiusdem Domus, quod eius tempore scriptum fuisse, duo mihi argumenta persuadent; alterum quod ipsius, & post ipsum sequentium Abbatum obitus ad marginem notentur; cum præcedentium in textu reperiantur: alterum quod Sanctorum post ipsum adscriptorum Ecclesiæ Canoni, vt Fraciſci, Dominici, Edmundi; nulla in eo notitia; à recentiori nequaquàm omittenda. Atque hoc dixerim, vt maior fides constet his, quæ ex hoc libro excerpta superius diximus. Arnaldum Petrus excepit ordine quintus, sed primus huius nominis, quem Ferdinandus cognomento Sanctus plurimi fecit, & cui multa atque grauia commendauit. Extat Indultum ab eodem Rege Monasterio de Spina sub hoc initio. *Ego Ferdinandus Dei gratia, &c. facio chartam donationis, & firmitatis in perpetuum valituram Deo, & Monasterio Sancti Petri de Spina, & vobis amico meo Venerabili Petro Abbati eiusdem loci. Facta charta Vallisoleti sexta die, Marty, Era de M. CC. LXI.* Sed de his satis.

---

1. *Guillelmi Claræ-Vallensis Abbatis mors, successor, sepultura,* 2. *Memoriaque.* 3. *Dictum de VValtero Villarienſi,* 4. *insignis gloriæ viro,* 5. *& ratio temporis, ex Cæsario computata.* 6. *De eo alia, tum vera, tum fabulosa.* 7. *Guillelmi in Villarienſi domo successio;* 8. *obitus Danielis in Sconaugia,* 9. *& gratia illi indulta.* 10. *Apud Principes fauor, & auctoritas.* 11. *Cistercio olim damnati concedi soliti.* 12. *& dictum obiter de Beata Elizabeth Sconaugienſi.*

CAPVT SEXTVM.

1. EVIT item hic annus nostris funestus aliorum morte Abbatũ, quique licet subrogatis viris non inæqualibus, ingens sui desiderium reliquerunt. Inter hos primus Guillelmus Claræ-Vallis; quem nondum integro expleto quadriennio, ad superos translatum, tabulæ produnt. Diem obitus notat Martyrologium eiusdem domus. *Quarto decimo Kalendas Iunij, obiit Dominus Guillelmus duodecimus Abbas Claræ-Vallis,* Annum successor eius manifestat, nempe Robertus, qui hoc ipso assumptus in Catalogo Abbatum commemoratur. *Anno, ait, M. CC. XXI. successit Robertus Monachus, & Cellelarius Claræ-Vallis: postea Abbas de Domo Dei: Abbatizauit tantum (scilicet in Clara-Valle) annis duobus.* Guillelmi sepultura hodieque visitur in Claustro Regulari, inter alios Abbatum eiusdem Domus, cum hac superscriptione illi apposita. *Hic iacet Dominus Guillelmus, duodecimus Abbas Claræ-Vallis.*

2. Extat eiusdem Abbatis memoria non contemnenda in inuentario Reliquiarum Claræ-Vallis, in quo, quæ ab ipso, tabula argentea, auro, & gemmis ornata, confecta est, obtinet primũ locum, ab auctore descripta totidem verbis: *Primo loco est tabula cum portis, in quarum superficie sunt duo Angeli elenati: quæ facta sunt tempore Domini Guillelmi* 12. *Abbatis Claræ-Vallis, ex triginta quinque marcis argenti, & duobus marcis auri; cõtinens plures lapides pretiosos videlicet sexdecim balagia, & saphyros triginta vnum, & alios lapides minoris pretij. In huius tabulæ medio, collocata est portio Dominicæ Crucis; quæ missa fuit Beato Bernardo à Patriarcha Hierosolymitano, sicut ipse scribit ad ipsum Patriarcham in quadam Epistola. Et à tempore ipsius diu sola fuit in Clara-Valle: & sub pede eiusdem Crucis habetur portio de ferro Lanceæ Domini, & in eadem tabula continentur istæ reliquiæ:*

De Purpura Domini.
De Præsepio Domini.
De Sepulchro Domini.
De Pannis Domini.
De Tunica Domini.
De Columna Domini.
De Linteo, quo præcinctus fuit Dominus.
De Manna.
De Sanguine, & spongia Domini.
De Panno, quem Beata Maria filauit.
De Sindone Domini.
De Zona Domini.
De Sudario Domini.
De Pallio Domini.
De Stratu Domini.
De Pargameno in quo repositus fuit Sanguis Domini.
De Spinis Coronæ Domini.
De Cunabulo Christi.
De Capillis Domini in vno putulo.
De Velo Beatæ Mariæ.
De Sepulchro eius.
De Veste eius.
De Capillis, & de tunica eiusdem.
De Camisia, & cingulo eius.
De Ossibus Beatæ Agnetis Martyris.
De Sancto Ioanne Baptista.
De Sancto Iacobo Fratre Domini.
De Sancto Thadeo.

Quas Reliquias attulit de thesauro nobilis viri Henrici Imperatoris Constantinopolitani, Vir Religiosus Dominus Hugo, quondam Abbas Sancti Guillelmi, postea humilis Monachus Claræ-Vallis:

&

& plures alias reliquias, de quibus inferius dicetur. Continentur etiam in eadem tabula reliquiæ multorum Sanctorum. Ita quod omnes Reliquiæ, quæ in ea continentur, sunt trecentæ quadraginta. Hæc de Guillelmo. Reliqua quæ egisse virum comperimus, suis singula locis explanauimus.

3. In Villario VValterus Traiectensis longo senio confectus, cum infirmior, tunc fortior, potentiorque, per augmenta gratiarum, ad culmina virtutum promouebatur. Multa, & mira de eo scripta inuenio, ex quibus, quædam dicta: quædam hic breuiter venient interenda. Cum senio supra modum iam grauati oculi caligarent, & videre non posset: nec tamen ideo cessaret à celebrando, murmuranti ministro, nec dubium quin in ipso aliis, dixisse fertur. Pone manum tuam in quacumque parte libri, sicut tibi placuerit, & ego dicam tibi oculis clausis quid ibi scriptum sit. Signauit locum auidus minister, aut videndi miraculi, aut Sanctum Senem, vt ipse existimabat, comprehendendi. Sed VValterus legit oculis clausis, non secus ac apertis alius posset. Obstupuit minister: & forsan alium illi locum designare parabat, prætendens casum: cum Sanctus Senex: Quid in libro experiri tentas? ait; concipe mente quæcumque tibi placeant, & si ea legero, scrupulum depones: Concepit ille sententiam quandam breuem: *Tam bonus vellem esse, quam iste est.* Sed pauca verba differuit triplici idiomate, Latino, Gallico, & Theutonico. *Ego Vellem esse Preud, Homme, Als, Ghi Siit,* Res mira, in mente illius verba legit diuersis idiomatibus, non secus ac si in libro illa legisset. Hæc, & similia narrantur de Sancto Viro, [a] quæ longum esset in præsenti recensere. Legat qui velit Chrysostomum Henriquez, [b] Ioannem de Asigines; [c] Hugonem Menardum [d] (qui tamen quod attinet ad tempus nimium aberrat) & Arnaldum de Rayse Martij primo, quo die viri memoriam celebrem ponit.

a *in Chron. Villar. lib. 1. cap. 10.*
b *lib. 2. Fasc. dist. 19. c. 48.*
c *tom. 2. l. 1.*
d *in Append.*

4. Multæ sententiæ referuntur de Sancto Viro, quibus vti solebat, vt filios suos in bono promoueret. Verum vnam præ alis ingeminabat. *Nihil aque timorem Dei conciliat, quam ipsius præsentia, & mortis memoria.* Quis enim eum præsentem, & videntem offendere audeat, à quo se, aut condemnandum sperat, aut absoluendum? De eodem viro à Chrysostomo Henriquez [e] relatum video. Quod cum multa Monialium Monasteria regenda suscepisset sub Villarienſis Ecclesiæ filiatione, *Diligenter considerans, quod melius, imo necessarium illi erat, proprij sui Monasterij curam gerere, & oues sibi commissas custodire, quam alienas seruare; sciens insuper, quod si diuideretur per Monasteria Monialium pro Confessionibus audiendis, licet seniores Monasterij sui erant zelatores Ordinis; & lucentes verbo, & exemplo, iuuenes illuminabant, forsitan absente Pastore, disciplina Monastica minueretur; resignauit ius, quod in octo Monasteriis Monialium habebat, in manus Abbatis Cistercienſis; & deinceps solitus fuit pro grege sibi commisso, tanquam pro eo rediturus rationem.* Obiit Venerabilis Abbas, iacetque. *In Valle Sancti Lamberti, ad quod cœnobium, incertum qua de causa, cum diuertisset, ingraueſcente morbo præuentus est, anno ab incarnatione Domini M. CC. XXI.* Ita in Chronico Monasterij Vallarienſis. Hinc est quod ab Arnaldo de Rayse in Auctuario ad Natales Sanctorum Belgij, VValteri memoria, non in Villario, sed in Valle Sancti Lamberti commemoratur. *In Valle, ait, Sancti Lamberti, Natalis Venerabilis VValteri Traiectensis, Abbatis decimi Villarienſis. Is prosapia nobilis fuit, sæculi fastu spreto, Villarium ad humilitatis asylum sese recepit; vbi adeo virtutibus claruit, vt in decimum Ordinis Abbatem electus sit.*

c *dist. 19. cap. 2.*

5. Meminit & eiusdem Beati Viri Cæsarius Heisterbacensis in suis dialogis, non vno tantum, sed pluribus in locis, ex quibus duo video posse colligi. Alterum est pertigisse vsque ad hunc annum, quippe in quo quædam Auctor scribit, dicitur retulisse; Alterum hominem ingenij omnino placidi, facetique, ac iucundi; & qui seueram morum grauitatem, suauiori semper alloquio temperaret. De primo sic, qui anno cœpit scribere. [f] *Retulit nobis hoc anno Dominus VValterus Abbas Villarienſis, &c.* De secundo sub finem eiusdem Capitis. *Recitauit nobis simile huic idem Abbas in sua Sancta iucunditate, &c.* Verum est tamen quod attinet ad tempus, Cæsarium non solum dicto libro secundo, quem proculdubio hoc scribebat anno, sed libro septimo, in quo opus longe processerat de VValtero, vt superstite adhuc loqui, sic enim ait, [g] *Eo tempore veniens Vercellas ad domum Ordinis nostri, Dominum VValterum, quandoque Magistrum suum, & tunc nouiter conuersum, modo Abbatem Villarienſem, ibidem reperit, & salutauit.* Sic ille ibi. Vt credi debeat obiisse VValterum sub finem anni; quandiu Cæsarius, qui opus in eo cœpit, & insequenti, vt constat, consummauit, adeo processerat, cum adhuc idem VValterus superstes esset. Ex eodem Cæsario etiam colligitur, hominem fuisse doctum, & qui ad Traiectum Scholas publice rexerit. Alias vir, vt auctores omnes tradunt, prosapia nobilis, numquam alterius, seu priuatum Magistrum egisset, sui pædagogum.

f *lib. 2. c. 20*
g *lib. 7. c. 13.*

6. Certè concionatorem eximium extitisse, dubitari non potest, & quem communis hostis Verbum Dei seminantem multo cum fructu audientium, expertus sit, & multis actibus conatus reuocare. Quippe cum per internas suggestiones turbare non posset, per externas figuras aggressus est, homini visibiliter apparens in specie simiæ, quæ variis corporis gesticulationibus, attentionem loquentis disgregaret. Vnde incipiens annua commemoratione sic scriptum lego. [h] *Dum in Valle Sancta Mariæ concionem haberet, Dæmon in specie Simiæ eidem apparuit, gesticulationes ridiculas coram eo faciens, vt sic illum à sermone compesceret, quem ipse signo Crucis fugauit.* Plura alia de Viro referuntur, quæ nos superius: alia: quæ apud Henriquez videri possunt. [i] Verum quam tradit eodem loco fabellam, de colloquio inter ipsum, & Sanctum Guillelmum Bituricensem Præsulem, cum ille delicatiores cibos recusaret, quos hic comederet; ad quod Guillelmus Prophetice responderet. *Abbas tu cibis istis vesci non vis: ego vero ex eis reficior, ego tamen canonizabor, & celebrabitur festiuitas mea.* Hanc, inquam, fabellam, vel ex tempore ipso confutari compertum est, quippe VValterus nequaquam Abbas fuit ante annum M. C C. X I V. quo Conrado successit, [k] cum antea nullibi exercuisset munus Abbatis; & tamen constat Sanctissimum Pontificem iam ante quatuor annos obiisse; vt numquam conuenire potuerint, & prius Guillelmus hominem exuerit, quam VValterus in Abbatem assumeretur. Mitto, quod nec Guillelmus vn-

h *in Menolog.*
i *Fascic. dist. 19.*

quam

quam delicatis cibis vsus est; sed tantum regularibus, vt constat ex eius vita: nec profundissimam illius humilitatem eo adductam, maximè sine vrgenti causa credam, vt se canonizandum, & celebrandam de eo festiuitatem, etiam si præsciuisset, manifestaret.

7. Beato Waltero ad superos translato successit Guillelmus, Patria Bruxellensis, ex nobili Dengelbertorum familia, vir æque pius, nec tandem in Villario permansurus. In libro antiquitatum Burgundiæ Bruxellæ edito anno M.DC.X. vterque inter miraculis illustres Abbates Villariensis memoratur. [k] *Ex Abbatibus Sanctimonia vitæ eximios in Villario, miraculis claruisse inuenio Carolum, anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo, Conradum anno milleſimo ducenteſimo nono, VValterum anno milleſimo ducenteſimo decimo quarto, Guillelmum anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo primo.* Et reuera de Guillelmo multa narrantur, quæ eximiam Sanctitatem eius commendant, virtutes extollunt, de quibus multa nos anno sequenti, occasione miraculi insignis, quo occisum iam, excoriatum, & in frusta concisum bouem, imo ex parte comestum, suscitauit; nec pauca postea, cum eum, & promotum ad Claram-Vallem, & consummatum per Martyrium, quippe in carcere, in quo in odium Ecclesiæ detinebatur, commemoremus.

k in Menolog.

8. Hoc ipso anno decessisse videtur Daniel, Sconaugiæ Abbas, cuius in dialogis Cæsarius non semel meminit.[l] Quippe in prioribus libris velut de homine, qui adhuc superstes esset; in nono iam vt de defuncto loquitur. *Bonæ memoriæ, inquit,* [m] *Daniel Abbas Sconaugiæ, &c.* Hic ante cõuersionẽ scholasticus, atque homo litteratus, vt tradit idẽ auctor, [n] post conuersionem eximie pius fuit. De domo conuersionis eius, non constat, nisi quod tamen, in Valle Sancti Petri, Priorem egit, antequam in Abbatem promoueretur. In sacrosanctum Missæ sacrificium deuotione feruentem, duo euentus confirmant, in quorum altero præmium; quamuis nec primo præmium suum defuerit, vt quæ idem auctor scribit, sequentia pandent. *Abbas Daniel, ait,* [o] *de Sconaugia, cum Prior esset apud nos, sicut ipse nobis retulit, celebrandi gratia Capellam Sancti Reinaldi, quæsita est iuxta Ecclesiam Sanctorum Apostolorum in Colonia, intrauit: qui cum Sacerdotalibus, fuisset indutus, & populus, ad audiendam Missam per nolam conuocat, cum calicem præpararet, particulam crudæ carnis illi intrinsecus reperit adhærentem. Territus valde, cum deliberaret, vtrum sibi esset celebrandum, vel cessandum, populum timens scandalizare, si vestes exueret; panem calici super posuit, vinum, & aquam infudit, sicque celebrans, totum simul sumpsit. Dicta Missa requisiuit ab inclusa, cui calix commissus fuerat, quis nouissimè in eodem Calice celebrasset: quæ respondit: Dominus talis, nomine eum designans. Erat enim dictæ Ecclesiæ Sanctorum Apostolorum Canonicus sacerdos, sæcularis nimis, modicum, vel nihil habens religiositatis, deuotionis, siue diuini timoris. Ego puto me eidem Missæ interfuisse. Confessus est nobis præfatus Daniel, & si tunc non mihi, numquam se in aliqua Missa tantum habuisse consolationis, antea, vel postea, quantum in illa.* Hactenus Cæsarius de primo euentu, in quo, & Danielis circa hoc mysterium deuotio prompta, in nullo prorsus hæsitans, & Dei erga ipsum misericordia, per internam emicuit consolationem, qua voluit eum vel tunc remunerare.

l lib. 1. c. 31. & lib. 7. c. 31.

m lib. 9. cap. 17.

n lib. 9. c. 19.

o vbi supra.

Cæterum quam exterius habere meruit, sanguinem Christi sub speciebus vini conspiciens, cum iterum diuina celebraret, in omni humilitate, & propriæ indignitatis timore; sed nihilominus cum gratiarum actione debita ab ipso susceptam, ex eodem auctore accipiat Lector. [p] *Bonæ memoriæ Daniel Abbas Sconauiæ, quandoque Prior noster, cum in die quadam Missam celebraret, formam humani sanguinis in calice vidit: & quia tunc temporis non fuit sibi conscius alicuius mortalis peccati, eamdem visionem nequaquam sibi ad Iudicium, sed ad consolationem concessam sperauit. Huius visionis testis est Bernardus Monachus noster, aliquando Canonicus eius in Ecclesia maiori Coloniæ.* Ita quem Deus pretioso filij sui sanguine visibiliter reficere dignatus est, prius seipsum, & conscientiam suam probauit, an in condemnationem; dein cum nullius sibi culpæ grauis conscius esset, agnouit fauorem, & tunc demum ex ipso consolatus, quem semel concepisset deuotionis feruorem in hæc misteria, altius haud dubie, & firmius radicauit. 9.

p lib. 9. c. 17.

Cæterum quantæ apud Principes, etiam sæculares, auctoritatis fuerit, vltra grauia commissa illi negotia ab Honorio Papa, quæ supra memorauimus, alius etiam euentus manifestat, quem idem auctor refert verbis sequentibus. [q] *Eo tempore, quo Rex Otto profectus est Romam coronari in Imperatorem, imperium supra Mosellam Fratri suo Henrico Palatino regendum commisit: hic nobilem quendam virum prædonem per iudicium capitali sententia damnauit: aduenit Daniel Abbas Sconauiæ, suisque precibus apud palatinum obtinuit, vt ei liceret viuere, & Deo pro peccatis suis in Ordine Cistercienſi satisfacere. Hic homo pro suis sceleribus morti addictus, per gratiam conuersionis euasit sententiam damnationis.* Hactenus ibi. Vt palam videas, quanti habitus sit, cui Comes Palatinus, Imperatoris Frater, vicariusque, in re grauissima, & concernente publicum bonum, nihil omnino sit ausus denegare. 10.

q lib. 1. c. 31.

Verum est tamen tunc temporis non infrequens, vt pro suis flagitiis condemnati, si Cistercium intrarent, ipsius beneficio liberarentur; siue deferrent illius æui Sanctitati homines familiæ; quæ velut locus sacer ante capturam quoscumque criminosos, ita vel post sententiam indemnes faceret; siue putarent longa Ordinis cruce, laboriosaque, quodcumque mortis genus compensari; si debite feratur, satisfactoria pro quibuscumque excessibus; si indebite, haud dubie crudeliore, atque magis sæuera quacumque morte. Hanc consuetudinem immediate post subdit idem Cæsarius. *Frequenter, ait,* [r] *hinc similia audiui, scilicet vt homines flagitiosi pro suis criminibus variis suppliciis deputati, beneficio Ordinis sint liberati.* Certe Bernardus pater Constantinum ab ipsis mortis faucibus eripuit; & conuersis fontis salutis concessum esse, lata super hoc lege, vt homines damnatos petere possent, apud Gasparem Bruschiam scriptum inuenio vt dixi primo Tomo anno M. C. XXXIII. cap. V. num. VII. 11.

r eod. loco.

Danielem etiam inseruit Menologio Chrysostomus Henriquez ad vigesimam septimam diem mensis Iunij; addens eundem ab ineunte ætate in studiis virtutis educatum, & sacris postea initiatum Ordinibus, in maiori Ecclesia Coloniæ primum Canonicum, dein Monachum factum in 12.

in Hemmenrode,vbi,& Priorem egerit, quæ tamen vnde hauserit, non video. Sic neque satis adhuc capere potui (nam & id obiter libet propalare, ne quibus tot ac tanta propria suppetunt, ad aliena extẽdere manus videamur,aut cum eis, qui extendunt dissimulare) quo fundamento nixus, Beatam Elizabetham Sconaugiensem, huius Sconaugiæ, cuius Daniel Abbas fuit, Abbatissam commemoret; quin & Benedictinos nonnullos Monachos,qui de ipsa scripserunt:alterum in indice Chronographico, alterum in notis ad decimam octauã diem mensis Iunij. Neque enim Cistercium Monasteria duplicia hactenus habuit; & si Hildegundis in Sconaugia (Cisterciensium virorum cœnobio) fuit;at latuit semper sub habitu virili, quoad vsque,cum lauanda post mortem nudaretur, detectus sexus, & pro miraculo historia habita est quod nos etiam præcedenti tomo tradidimus. Sola igitur nominis identitas hanc cõfusionem peperit,sub qua & Hentiquez, & alij laborarunt; & neque nos olim ab ea prorsus indemnes, cum primis labiis historiam libaremus: [f] non quod putauerimus, idem cœnobium commune fuisse viris, fœminisque; sed quod duo distincta, Cistercienſe vtrumque, crediderimus, quæ eodem nomine fuerint appellata; cuius rei multa exempla proferre licet.

f lib. 3. Laureæ disceptat. 7.

---

1. *Digressio de Purgatorio Sancti Patricij.* 2. *Quid de eo Iacobus de Vitriaco, & Matthæus Paris?* 3. *Quid Antoninus, & Dionysius Carthusianus?* 4. *Demum quid alij dixerint?* 5. *Quanta ad illud frequentia populorum.* 6. *Inter quos Cistercienſis illud ingressus.* 7. *Dubia quædam de eodem Purgatorio.* 8. *Et quid nobis appareat probabilius?* 9. *Miraculum in Hostia consecrata,* 10. *& in non consecratis,* 11. *gloriosa visio,* 12. *Cellerarius diuinitus reprehensus,* 13. *& comprobata prophetia Simonis conuersi Alnæ.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. PER idem tempus (nam absoluente Cæsario Dialogos, nuper id contigisse memoratur)Monachus quidam de licentia sui Abbatis; ingressus in Hybernia panendum antrum, quod vocant Purgatorium Sancti Patricij breui periodo (nam pauciora aliis vidit, nec quicquam passus) amplam huic capiti materiam ministrauit. Quippe in quo agemus de ipso purgatorio,quod polliciti sumus, & eo magis concernere videtur Cistercienses Annales, quo plures ex Cistercio auctores sunt, qui de illo loquantur: & qui eum locum effecit celebriorem, Oenus miles, vitam ab eo in Cistercio consummauit.Certe de purgatorio Sancti Patricij Henricus Salterienſis integrum librum scripsit,vt supra vidimus, multa de eo lateque diseruit Gilbertus de Luda, de quo etiam Radulfus Heigedem,Monachus,vt coniector, Coggheſalenſis: nec non Cæsarius, quem statim memorabimus. Demum qui Oeno militi subiungitur vice Comitem Raymundum Peralloſium,fœliciter purgatorium illud ingressum, Gaubertus item Fabricius Vegad scribit, Monachus Cistercienſis, & Ferdinandi primi Aragonenſis Regius Chronologus, qui recentioribus, qua auctoritate, & fide pollet, paginas implet. Ergo de eo quæ auctores graues narrant breuiter promam: mox quid euenerit Monacho ad hunc annum, qui id ingredi voluit: demum quæ mihi appareant probabilia, quæve apocrypha, quod supra etiam promisi,propalabo.

2. Esse in Hybernia viuentium purgatorium, Sancto Patricio ostensum, quo animæ corporibus immersæ, aut purgentur, aut pereant, iuxta cuiusque ingredientium dispositionem, siue etiam constantiam; multa etiam de pœnis damnatorum, & de Sanctorum gloria contemplentur, cognoscantque: antiqui, & graues auctores testificantur. Cardinalis Iacobus de Vitriaco, eius sæculi scriptor,quod nunc describimus, pietate,& doctrina nulli secundus,in Historia Orientali hæc habet verba. [a] *In Hybernia locus quidam habetur, qui purgatorium Sancti Patricij nuncupatur: si quis illuc ingressus fuerit, statim à Dæmonibus raptus,& necatus,numquam postea reuertitur. Qui autem vero contritus, & confessus ingreditur,per ignem,& aquã,& mille genera tormentorum à Dæmonibus correptus ibidem purgatur. Qui autem amplius deliquit, acerbius in eodẽ loco punitur. Qui autem à prædicto loco purgatus regreditur, numquam deinceps ridere poteſt,vel ludere, vel aliqua,quæ in mundo sunt, diligere,sed semper lugens, & gemens posteriorum oblitus,in anteriora se extendit.* Ita Vitriacus. Nec dissimilia habet Matthæus Paris paulo recentior auctor eiusdem sæculi, nisi quod alteram partem tantum exprimit. *Dum Sanctus Patricius,ait,* [b] *pro salute populi in ieiuniis, vigiliis,& orationibus positus, Dominum precaretur propensius, pius, Dei filius apparens ei,duxit eum in locum desertum, & ostendit illi speluncam rotundam,& obscuram intrinsecus,& dixit. Quisquis veraciter pœnitens, & in fide constans hanc speculam ingressus fuerit,spatio vnius diei,ac noctis moram in ea fecerit,ab omnibus purgabitur peccatis,quibus in vita tota sua Deum offendit,&c.* Ita Matthæus Paris Benedictinus. [c]

a in Hist. orientali.

b in Hist. Ang.

c 4. part. titulo 14. cap. 10. §. 8.

Referam duos alios recentiores, non tamen minus, Beatum Antoninum, & post eum Dionysium Carthusianum, quorum primus in summa hæc habet verba. *Sanctus Patricius missus fuit ad prædicandum in Hyberniam,quæ dicitur esse in extremis terræ habitabilis. Cumque populum illum, vt durum non posset conuertere: nec comminationibus, nec promissionibus flecterentur: oranti ei pro huiusmodi ostendit ei Dominus fossam rotundam secundum circulum, quem baculo suo in terra fecerat: declarans quod, qui intraret in illam, & per vnam diem,& noctem remaneret,purgaretur à peccatis commissis. Qui Patritius iuxta dictam foueam fieri fecit Abbatiam quandam, in qua Monachi Deo seruiebant. Et illi Monachi instruebant volentes intrare purgatorium illud, quid eos facere oporteret pro prapatione ad huiusmodi. Ad quem locum multi intrantes egressi retulerunt multa ab eis visa, propter qua alij conuersi sunt, & quidam*

3.

Magister

Magister Ioannes Lector Parisiensis referebat in suis lectionibus, vidisse quendã, qui dicebatur fuisse in purgatorio illo; qui de nullo, quem viderat in mũdo gaudere poterat, vel ridere: cui amara videbantur delectabilia mundi, qui inter viuos quasi mortuus videbatur. Hæc Antoninus. Nec dissimilia Dionysius Charthusianus;[d] nisi quod addit rationẽ non contẽnendam diuini in hoc consilij, vt increduli populi, & alias recusantes Christi iugũ, ad fidem, tum cœlestis Beatitudinis, tum pœnarũ inferni ostensione, velut arctis catenis, pertraherẽtur. *S. Patricius, ait, cũ Hybernis prædicaret, neque eos per miracula, neque per comminationem futurarũ pœnarũ, nec per promissa cœlestium gaudiorũ posset cõuertere, dicentibus ipsis Hybernis, se numquã credituros, nisi quis eorum ipsa tormenta impiorum, & gaudia electorũ conspiceret; tunc Dominus monitis, & precibus B. Patricij, monstrauit ei locũ fossam, seu puteum, per quẽ intraretur in purgatorium quoddam, in quod aliqui intrauerunt, nec redierunt, aliqui vero ingressi, fuerunt regressi; qui scilicet constantes manserunt in fide, in omni (quæ eis euenit) tentatione, ac pœna. Et quia Historia illa de purgatorio S. Patricij est vulgata, & nota, non intendo multa narrare de ea.* Hæc Carthusianus.

d lib. 4. de nouissimis a. 48

4. Consonat simul, & rationẽ cõsilij reddit, antiquior cunctis auctor, Henricus Salteriensis, Bernardo P. coæuus, qui de hoc purgatorio librũ scripsit, cuius fragmẽta operis Thomas Messimghamus vulgauit hoc nostro sæculo. *Magnus Patricius, ait,*[e] *dum in Hybernia Verbũ Dei prædicaret, & multis ibi miraculorum signis corruscaret, infideles illius patriæ homines terrore tormentorũ infernaliũ à malo reuocare, & Paradisi gaudiorũ promissione studuit in bono cõfirmare. Sed ipsi affirmabant, se plano sermone ad Christũ non conuersuros, nisi aliqui eorũ, & tormenta illa malorũ, & gaudia bonorũ possent intueri, quatenus rebus visis certiores fierent, quã promissis. B. vero Patricius Deo deuotus, etiã tũc pro salute populi deuotior in vigiliis, ieiuniis, & orationibus, atq; operibus bonis effectus est; & quidem dũ talibus pro salute populi intenderet, pius Dominus Iesus Christus ei visibiliter apparẽs, duxit eũ in locũ desertum, & ostendit illi speculã rotundam, & obscuram intrinsecus, & dixit: Quisquis veraciter pœnitens, & in fide constãs hanc speluncã ingressus fuerit, & spatio vnius diei, ac noctis morã in ea fecerit, ab omnibus purgabitur peccatis, quibus in tota vita sua Deũ offendit: atque per illam transiens non solũ tormẽta malorũ, sed si in fide cõstanter perseuerauerit, videbit, & gaudia Beatorũ. Sicque ab oculis eius Domino disparẽte spirituali iucunditate repletus est B. Patritius ta pro Domini sui apparitione, quam pro speluncæ ostẽsione, per quã sperabat miserũ Hyberniæ populum, se ad fidem Catholicam conuersurum: statimque in illo loco Ecclesiam construxit, & B. P. Augustini Regulares Canonicos, vitã Apostolicam sectantes, in illã introduxit; speluncam autem prædictam, quæ in Cœmeterio est extra frontẽ Ecclesiæ Orientalẽ, muro circundedit, & ianuas, seraſque apposuit, ne quis eã ausu temerario, & sine licẽtia ingredi præsumeret; Clauẽ vero Priori eiusdẽ Ecclesiæ custodiendã cõmisit,* Ita Henricus. Nec dissimiliter Giraldus Cambrensis antiquior adhuc (si qua fides Chronologis) in Topographia Hyberniæ, vbi post loci, & in eo contentorũ descriptionẽ, hæc habet verba[f] *Hic autẽ locus, Purgatorium Patricij ab incolis vocatur. De infernalibus, namque reproborum pœnis, de vera post morẽ, perpetuaque electorũ vita, vir Sanctus cum gente incredula dũ disputasset: vt tanta, tã inusitata, tã inopinabilis rerũ nouitas rudibus infidelium animis oculata fide, certius imprimeretur, efficaci orationum instãtia, magnam, & admirabilẽ virtusque rei notitiam, duræ ceruicis populo, perutilem meruit in terris obtinere.* Hactenus ille. Denique consonat perantiquum officium S. Patricij, in quo inter alios versus, hi cani soliti;

e apud Mafeum c. 3.

f distinct. 2.

Magni Patris sunt miranda merita Patricij,
Cui Dominus ostendit locum Purgatorij,
Quo viuentes se expurgent deliquentes filij.

Alios auctores cõgessit Messimghamus, g quãuis verba non referat, quos Lector cõsulat, ex eius citationibus. g cap. 1.

Hactenus quę de re ipsa ab auctoribus, deque eius origine: verũ ad huius miraculi experientiã, atque expiationẽ criminũ, qualis, ac quantus aliquandiu concursus fuerit, lego in eodẽ Thoma Mesimghamo, qui cũ speluncã non vltra nouẽ homines capere posse dicat, dũ alij aliorũ vices præstolabãtur, vsque ad mille quingẽtos in loco cõgregatos, his verbis tradit.[h] *Adhuc superest nõ nemo optimæ fidei, qui nobis in verbo Sacerdotis asseruerat, à se visos mille quingẽtos homines, qui simul, & semel in insula obibãt nudi pedalia, & alias pœnitentias de more cõsuetas, dũ præstolarentur per nouenos ingressum in puteum; nisi quod aliqui per cõmutationem secubuerint in aliquo ex septem, quæ habentur ibidẽ, pœnalia strata aliorũ Sanctorũ, finitima ipsi puteo S. Patricij. Quod si vna vice tantus fuerit numerus peregrinorũ, quo censebimus de vna aliqua ætate, præsertim quãdo liberior erat aditus, quã nunc experimur, ob Colonias protestantium in circuitu?* Adeo vt curiosi, videre, quæ in alia vita, aut pœnitentes pro admissis peccatis satis pati in præsenti homines properabant: neq; dũ quosdã reduces videbant, audiebantve, aliorũ perditione deterrebãtur. Inter reliquos Oenus miles fuisse dicitur, de quo tomo I I. & eo tempore longe posterior Vice-Comes Raymundus Perallosius, ex prima nostræ Hispaniæ, & Regni Aragonẽsis nobilitate: quẽ tamẽ non tã affectus pœnitẽtiæ tulisse dicitur, quã amor Ioãnis Regis, cui inseruierat, vt quẽnam locũ in alia vita occuparet, cernere posset. Historiam eius Gaubertus Fabric. Vegad in suis Chronicis, & nouissimè Philippus Ossuleuanus[i] in Patriciana Decade, quam scribit late cõmemorant. Aliorũ pluriũ exempla proferũtur. h cap. 1. i lib. 9. c. 9.

6. Ast inter omnes, qui antrũ ingrediebantur expiãdi à peccatis Monachus Cisterciensis quidã fuit, cuius nos occasione ista tradidimus. Is cæteris pauciora multo expertus, sed aliqua tamen, arcanis loci, & pauorẽ, & fidẽ auxit, quippe in veste sacra defenderetur, ad intima trahendus, dubio, vt alij, euentu, incertũque, an victurus, an superãdus? Porro qualiter antrũ ingressus sit, sed in eo non progressus, & quam ob causam? qui tunc scribebat, Cæsarius his narrat verbis. k *Nuper Monachus quidã Ordinis nostri, sicut didici ex relatione cuiusdã Abbatis, ex licẽtia proprij Abbatis purgatoriũ S. Patricij intrare volẽs, dissuadẽtibus secundum morem Fratribus, & Priore, super margine fossæ positus est, in vespera: mox locus versus est in baratrũ; & ecce Dæmones, quasi de abyssо bulliẽtes, dixerunt Monacho: si vis intrare ad nos, depone crucẽ (cucullam ad instar crucis formatã sic vocãtes) quibus respondit: vestẽ meã non deponam, paratus sum intrare paratus sum vobiscũ cõtendere, sed non sine veste professionis meæ. Cũque tota nocte in hunc modum cum eo verbis disceptarent, nec tamẽ tangerent; mane in eodẽ loco, vbi fuerat dimissus, repertus est.* Ita ille de Monacho, cui vestis religionis, pro tutamine, & siue mystica significatione, siue benedictionis efficacia, etiã ante congressum, victoriam dedit: si congrederetur, fortasse superando, atque hæc ad mentem auctorum, qui ista narrant. Nunc quæ mihi sententia, quia semel iam promisi, breuiter promam. k lib. 12. cap. 39.

7. Ego nõ dubito prudenter credi posse, dari in Hybernia locũ molestatũ præ aliis, frequentia dæmonum & quẽ laruæ infernales spectraque mortalibus horribilem efficiant: & rursus facile fieri potuisse, vt multa aliquibus in illo visa sint, sicut in quouis alio, quæ pœnas dãnatorum, atque Sanctorũ gloriam manifestarent. Quid enim prohibet, quæ alibi apparuerunt, apparuisse ibidẽ, neque vni tantũ, sed pluribus hominibus? Maximè ea quam tradunt, occasione, nempe, vt gens illa rudis, & incredula, per spem, & metum (quæ

alias non concipiebant)ad verã Christi fidem pertraherentur:nec demũ dubito fieri potuisse,vt alicui,seu viuo,seu defuncto,in purgatoriũ is locus assignaretur. Cæterũ quæ de purgatorio illo traduntur,qui cunctis pateat,æternũ perituris.aut à peccatis omnino liberãdis,multas,& graues difficultates habent,quæ nõ facile veniunt expediendæ. Et primo quidẽ si de culpis ipsis agitur,& de pœna æterna:certũ est cõtritione ea deleri, siue atritione, & virtute Sacramenti;neq; quid aliud ad hoc posse sufficere. Cũ autẽ nec cõtritio,neque attritio alligatæ sint loco,palã fit,neq; ibi sine illis remitti quicquam,neque cum illis opus esse loco, extra quem,omnino eandẽ vim sortiẽtur. Sed neque, si de pœna tẽporali sermo sit,vt est verè,aliũde emergunt minores obiectiones. Quod possit nunc de lege patere cuilibet propria iustificatio citra renelationem quod in Sacro Conc. Trid. dãnatum video. Pateret autẽ cuicũque antrum ingresso, ex eo solũ quod in illo nõ periisset. Quod inuincibiliter putãs se dispositum, cũ reuera non esset ; aut sine dispositione vera iustus euaderet,quod dici nõ potest, aut periret præ aliis nõ intrãtibus,ex solo desiderio satisfaciendi,quod nõ decer. Quod si peccauit exponẽs se periculo;cur qui verè cõtritus est non peccet,nõ magis certus de sua dispositione? Atq; hoc est aliud incõueniens graue,quod vix potest eludi. Qualiter liceat in re prorsus grauissima,& semel amissa,omnino irrestaurabili;tã manifesto periculosè exponere? Demũ quis credat, expiãdis peccatis in hac vita, quandiu adhuc offendendi tempus est,consortium Dæmonum posse vtile esse? Neque Inuitare Deum ad hoc homines sine vllo delectu,vt cum Dæmonibus vltro confabulentur.

8. Hæc,& alia me mouẽt,vt existimẽ,in hac de S. Patricij Purgatorio recepta vulgo historia, veris aliquibus falsa,alia misceri,quod satis frequẽs. Atque in hac sentẽtia video fuisse D. Bonauenturam, qui disputãs de loco Purgatorij,vltra cõmunẽ deputatũ cũctis delege ; tradit aliquibus deputari posse specialẽ,triplicẽ ob causam [l]. *Vel propter eorũ celeriorem liberationem, vt possint aliis suã indigentiam reuelare;vel propter nostram instructionẽ;vt aliquãdo recogitemus, magnã post hanc vitam pœnam infligi peccantibus. Vel propter alicuius Sancti impetrationẽ,sicut legitur,quod S. Patricius impetrauit cuidã,vt puniretur in quodã loco in terra. Ex quo fabulosè ortũ est,quod ibi est purgatoriũ.* Hæc Bonauentura. Ergo aliquos passos in eo loco,tũ propter instructionẽ populi rudis,& alias increduli;tum propter S. Patricij impetrationem, nequaquam ambigo. Cæterum locum deputatũ cunctis mortalibus,siue in vita purgandis, siue post mortem , fabulosum existimo,& ex his quæ dum vulgò circumferuntur, etiam verissimis,addi consueuere. Quin locum ipsum infestatum frequentia Dæmonum, non difficile credam, maximè cum ea infamia laborasse ante Patritium videam , si tamen de eo Claudianus [m] loquutus est, dum in Rufinum hos versus decantauit.

l *In 4. dist. 20. p. 1. art. vnic. q. 6.*

m *In Rufinum.*

Est locus extremum pandit qua Gallia litus.
Oceani præuentus aquis, quo fertur Vlysses,
Sanguine libato, populum mouisse silentum.
Illic vmbrarum tenui stridore volantum,
Flebilis auditur questus : simulacra Coloni
Pallida, defunctasque vident migrare figuras.

Diuina autẽ virtute effectũ esse,vt si qui bona fide,& zelo feruido, speluncã intrarũt,nõ solum à Dæmonibus illæsi,sed victores euaserint,atque compotes voti multa viderint, quæ eis Deus voluit reuelare;aliis ob proprias culpas,derelictis ; vt & reliqui timeant,nec Deum tentent , neq; audeant se sociare cœtibus Dæmonum quos ibi adesse,aut credunt,aut experiũtur. Atque hæc satis de isto purgatorio. Pergo ad alia.

9. Inter hæc in diuersis Monasteriis varij euẽtus,miraculosi haud dubiè,habitantiũ virtutẽ,fidẽque,dum obiter augebãt,cõmendabãt. In Heisterbacho reuerẽtiã in Eucharistiã duo auxere,quæ præsens tũc Cæsarius inseruit Dialogis [n]. *Anno præterito,ait,cũ quidam ex Sacerdotibus nostris corã Episcopo Theodorico Missã quotidianã de Domina nostra celebraret,in ipsa hora fractionis,musca grãdis circa,& supra Calicem volitare cœpit,ita importunè,vt quasi vi velle intrare videretur: Sacerdos timẽs,ac tremẽs, cũ manus haberet occupatas, & muscã exuflaret,nec proficeret, Hẽricum Diaconum, qui hora eadẽ Episcopo pacẽ porrigebat,tussiẽdo crebrius aduocauit. Tũc illa alacri volatu altius labẽs,præsũptionis culpã ibi luit, quia post morulã completa sumptione, atque ablutione , intuente Sacerdote quem turbauerat, quasi lapillus,inter corporale, & Calicem extincta ruit, quam Diaconus de altari proiecit.* Hactenus primum.

n *lib. 9. c. 9.*

Sed patentius aliud,atque eo,vt apparet,glorioſius, quo in minus glorioso pane factũ,quippe nõdũ sacrato,anticipatã virtutẽ ostentauit. *Nondũ,ait [o], annus,vt puto trãsiit, quod hostiæ plures à ministris propter fissuras,siue pustulas reprobatæ,in Eberbacho in fenestra,altari cõtigua,proiectæ sunt:accedentes vero mures,omnia, quæ erant extra circulos,deuorabãt,litteras vero,& quæ intus erant,in nullo penitus ladebant. Sacrista ista considerans,reputauit pro miraculo.* Hæc de Eucharistia. 10.

o *lib. eodem cap. 10.*

Feruorem deuotionis eiusdẽ domus iuxta hoc idem tẽpus nõ leuiter cõmendat,quod idẽ ait ostẽsũ Sacerdoti, de cuius ore audiuit ipse,qui refert [p]. *Sacerdos quidã de Domo nostra, sicut ipse mihi retulit, cum anno præterito in sacratissima nocte Paschæ staret ad Matutinas,finito duodecimo responsorio,& Hymno,* Te Deum laudamus, *incœpto,tantã circa se sensit fragrantiã aromatũ,& per tantã morã,vt miraretur quid esset? vel vnde esset ? Cui cogitationes suæ dicebant : Non est aliunde oder iste aromaticus , nisi ex præsentia Sanctarum mulierum , de quibus tota nocte cantatum est ; quia venerunt cum aromatibus , vt vngerent Iesum.* Quanta putas deuotione feruere eos , quibus aderat Christus, & se vngendum præbebat, fœminis Sanctis? 11.

p *lib. 8. c. 34.*

Cæterum,vt feruẽtes charitate consolabatur;ita si quos tepidiores inueniebat,nõ solũ erudiebat,sed castigabat. *Anno præterito,ait alibi idem auctor [q], Cellerarius maior cum Priore suo de rebus exterioribus verbis contendit , & videbatur ei , quia valde rationabiliter moueretur. In ipsa nocte Saluator ei in cruce apparuit iacens in terra,eratque velamen tenue,ac perspicuũ super corpus illius expãsum:cuius cum vellet vulnera retracto panno deosculari , imago manu auersa indignabunde illum amouit;tanquam diceret:non est dignus à tactu corporis mei, qui sero me in Priore tuo prouocasti. Ille mox euigilãs,& causã regulæ,non ignorans, dictis matutinis, me præsente, ad pedes Prioris se postrauit, veniam pro excessu suo postulans.* Hactenus ille. Simile quid contigisse in alia domo Capite præcedenti etiã tradiderat. 12.

q *lib. 4. c. 35.*

Per idẽ tẽpus, nam neque hoc omittã, Venerabilis Simon conuersus Alnæ ab Archiepiscopi Engelberti nunciis consultus, cum Romã pro quibusdã negotiis pergerent, in spiritu Prophetico respõdit,quod postmodum euentus cõprobauit. *Anno præterito,ait idem Cæsarius [r], cum Dominus Engelbertus Archiepiscopus Coloniensis Decanũ Hermannum,& Godescalcum eius Canonicũ, direxisset ad Curiã Romanã,pro absolutione crucis,& inuenissent eundẽ Simonẽ in quadam grangia, sciscitati sũt ab eo de processu negotij:sicut eis euenit,ita de eis prophetauit: Nuncij,inquit,Episcopi parum in curia proficient,Monachus bene negotium suum expediet: vtrumque rei exitus comprobauit : nam illi , imperfecto negotio reuersi sunt : Monachus vero noster , quem cum eis misimus,ibi obtinuit.quod voluit.* Ita Cæsarius. Atque pro nunc satis de his euentibus,quorum tempus expressit in suis Dialogis. Nunc ad diuersa,grauiaque negotia , quæ per hoc idem tempus nostris iuncta ex Honorij Regestis,transeamus. 13.

r *lib. 3. c. 33.*

1. Constantiensis Episcopus, & Salemitanus Abbas expeditioni Hierosolymitanæ præfecti. 2. Claromariscensis, scrupulis Ioannæ Flandræ; 3. aliis negotiis in Germania, aliis. 4. in Gallia; visitata Ecclesia Cellensis; 5. & inquisitum in Lascurrensem Antistitem: 6. in Hispania Morerolæ Abbas Legatus cum duobus Episcopis, 7. ad Alfonsum Legionis, 8. & litteræ ad ipsos Honorij Papæ. 9. Pontigniacum litigans, & causa cadens. 10. Concordia inter S. Iacobi militias, & Calatrauæ; 11. ac concordiæ fructus, 12. & Calatrauæ vnita militia de Montegaudio.

CAPVT OCTAVVM.

1. INTER hæc quædam ab Honorio nostris iniuncta exercuerunt Abbates, quos viciniores locis, atque rebus gerēdis aptiores existimabat. In Alsatia Constantiensis Episcopus, atque Eberhardus Salemitanus Abbas præfecti sunt, qui Comites, & Barones cruce signatos, sed nihilominus recusantes crucis laborem, neque vt promiserant, in Orientē traiicientes. [a] *Ad exequendum vota sua sine morā dispendio, per censuras Ecclesiasticas, appellatione postposita, compellerent. Datum apud vrbem veterem. Quinto Kalendas Septembris, anno VI.* Abbati atque Priori Belliprati Tullensis Diœcesis simile quid iniunctū, eadē die; addita in officialem Tullensem auctoritate, qui quosdā impediret, prætextu litium, quæ dudum contestatæ, ipsius propemodum sententiam præstolarentur.

a *epist. Honorij 4.*

2. Cum Ioanna Flandriæ, & Hannoniæ Comitissa, Ferdinandi Lusitani infantis vxor, laboraret scrupulis, quod, vt ipsius ad Honoriū verbis vtar, [b] *Cū pro posse suo conseruare, atque personas, & bona, tam Camarecensis, quā aliarum Ecclesiarum defendere teneretur, præstito Iuramento: Quidam ex eisdem Ecclesiis asserebant, quod omnia damna ipsis vbicūque locorum illata à quibuscumque, in integrum resarcire deberet. Super quo conscientiæ suæ grauis dubitationis scrupulū ingesserunt; quem per declarationem Apostolicam, ab eius animo petebat remoueri.* Cum, inquam, hæc Pōtifici insinuasset: Abbatem de Claromarisco, tunc, vt coniecter, Lambertum, elegit Honorius, cui sine vlla limitatione iniūxit, *Quatenus forma iuramēti diligenter inspecta, declararet, qualiter prædicta Comitissa obligata maneret eiusmodi vinculo iuramenti. Datum apud vrbem veterem, pridie Kalendas Septembris, anno quinto.*

b *ibidem.*

3. In Germania Abbatibus de VValkenrode, & de Volcolderode; vna cū Alberstadēsi nouo Episcopo, quæ statuisset prædecessor eius Cōradus, exequenda commissa, quod supra vidimus. Quin, & Episcopo (incertum quā ob causam) inde submoto, & loco eius substituto Abbate de lapide S. Michaēlis, Cisterciēsi non minus, confirmata, & extensa ad alias causas cōmissio eadem [c] in fauorē cœnobij Niembergensis. *Tertio nonas Nouembris, eodem anno.* In Anglia, cum Ordo Springamensis, quem Bernardi consilio, & auxilio fundatū diximus, ab Archiepiscopis, & Episcopis Regni, cōtra sua priuilegia, molestaretur; Abbas de Kirs Kestede per Lincolniam, atque eius comitatum; & per Eboracensem, Abbates Fontium, & Rieuallis, ille nono Kalendas Septembris; isti die sequenti, iudices dati, *Quatenus (ait Honorius) si constiterit alligata indulta vera esse, vos eos, nec cōtra concessiones easdē, nec contra memoratas indulgentias patiamini ab aliquibus indebite molestari; molestatores eorū indebitos per censurā Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes.* Siue vt aliæ habent litteræ. *Quatenus libertatibus, & dignitatibus eorū, iuxta tenorem priuilegiorum, & indulgentiarum eis à Sede Apostolica indultarum, diligenter inspectum, quod in eis inbetur vel permittitur, aut etiam prohibetur auctoritate Apostolica sub Apostolica obedientia faciatis inuiolabiliter obseruari*

c *in Regest. Honorij.*

In Gallia, cū Ecclesiæ de Cella Fratrum, alias de Cella Fridni, Canonicorū Regularium S. Augustini Engolismensis Diœcesis, quæ, vt Canonici eius asserebant, [d] *In temporalibus abundare, ac florere in spiritualibus consueuerit ab antiquo, tunc per malitiā Abbatis eiusdē Ecclesiæ Engolismēsis Diœcesis, collapsa esset, taliter in virisque; quod nisi per sollicitudinē Sedis Apostolicæ celeriter subueniatur eidē, vix adiicere posset, vt resurgat. Idē enim Abbas bona ipsius dilapidat taliter, & consumit, quod vix octo Fratribus de bonis ipsius potest cōmodè prouideri, de quibus viginti Fratres, & amplius solebant honorifice sustētari: alia multa cēmittens enormia, quæ limā Apostolicæ correctionis exposcunt.* Cum inquā, hæc relata essent Honorio: eidē Episcopo Engolismensi, & Abbati de Corona Cisterciensis Ordinis, per Apostolica scripta mandauit, *Quatenus præfatā Ecclesiā personaliter accedentes, & habētes præ oculis solū Deum, reuocato in irritū quidquid inueneris per eundē Abbatem, post appellationē ad nos legitime interpositam, attentatum, & vice nostra visitationis officium impendatis, corrigendo, & reformando, ibidem, appellatione remota, tam in capite, quam in membris, quæ correptionis & reformationis officio inueneritis indigere. Datum Viterbij, septimo Kalendas Nouembris anno quinto.* 4.

d *epist. lib. 5.*

In VVasconia, denunciāte Archiepiscopo Auxitano, Garsia, in quē antea inquisitū Honorij iussu; ne solus ipse suspectus traheretur: inquisitū & in Episcopū Lascurrensem, [e] *Quod in officio Pastorali negligens, & enormiter remissus, de trāsgressione fidei, atque aliis pluribus criminibus infamatus existeret: Tum quod excōmunicationis, & interdicti pœnas, quas dilectus filius P. tituli S. Stephani in cœlio Monte Presbyter Cardinalis, tunc Apostolicæ Sedis Legatus, & ipse, in Guillelmum, Raymundum, & eius complices rationabiliter promulgauit; auctoritate, imò temeritate propria, de facto, cū de iure nequiret, relaxare præsumeret, à suo Vicario relaxari sustinuerat fraudulenter: & quod Canonicos, & clericos Lascurrenses, quos sciret excommunicationis vinculo innodatos, diuina officia celebrare, seu magis profanare, permitteret.* Ergo hæc & alia inquiri iussa ab Honorio per Episcopum Consoranēsem, & Abbatem Bonifontis Cisterciensis Ordinis Diœcesis Conuennarum. Litteris *Laterani datis, quarto Kalendas Decembris, anno quinto.* 5.

e *ex eisdem Regestis.*

In Hispania, cū Alfonsus Legionēsis, Ferdinandi Castellæ Regis Pater, in suis Legationibus, præcipuè ad Sarracenos, siue etiā Africanos, Iudæis internūtiis vti soleret, atque id Honorio videretur minus tutū, & indecēs omnino Christianū Principē: Zamorēsem, & Legionensē Episcopos, cum Abbate de Morerola Cisterciēsis Ordinis Zamorensis Diœcesis, ad eū Legatos misit simul cū litteris, per quas Regem, alias pium, & fidelē ab eo abusu auerteret; & fidelibus, si fideles sibi cuperet, non infidelibus vti persuaderet. Quam ex Iudæis Legatis vtilitatem Christiani Principes possent experiri, in dubio est: constat omnes Hispa- 6.

nos eis vsos;nam ad omnes Honorius Papa scripsit. Fortè dedignabantur fideles proceres ad paganos mitti;aut Iudæi hunc honorem supra meritũ,multo soluto prætio,cõparabant.Ast Honorius paterna sollicitudine exhortandos curauit, vt tantũ malũ fugerent,litteris ad eos datis,sed præcipuè ad Legionẽsem Alfonsum,in hunc tenorẽ.[f]

f ex Biblioth. Vaticanol.

Illustri Regi legionis.

7. *Ad audientiam nostram noueris peruenisse,quod multa dispendia eueniunt Christianis ex eo quod, cum contingit te ad nobilem virum Miramamolinum, seu ad subditos eius,tuos nuntios destinare, numquam, aut raro transmittis alios,quam Iudæos, qui eis consilia,& statum Christianorum exponunt, ac secreta reuelant; ideóque circunspectionem tuam sollicitandam duximus,& monendam,quatenus cum incumbet tibi huiusmodi nuncios destinare, potius destinet Christianos, cum tibi non sit de infidelium fidelitate sperandum:nec verisimile sit,quod qui negauerunt impie ipsum Christum,fideles esse debeant Christianis. Datis Laterani secundo nonas Nouembris Pontificatus nostri anno V.* Hæc ad Alfonsum Porro vt has litteras per Legatos animaret,easdẽ per supradictos duos Episcopos, & Abbatẽ Morerolæ ad Alfonsum deferri,atque ipsum per eos efficaciter persuaderi iussit,hæc rursus scribens.[g]

g ibidem.

8. *Legionensi,& Zamorensi Episcopis,& Abbati de Morerola Cisterciẽsis Ordinis Zamorẽsis Diœcesis. Ad audientiam nostram noueritis peruenisse, quod charissimus nobis in Christo filius A. Legionensi Rex illustris, cum contingit ad nobilem virum Miramamolinum, seu ad subditos eius nuncios destinare,numquam,aut raro transmittit alios, quam Iudæos, qui eis consilia, & statum Christianorum exponunt,ac secreta reuelant,ex quo multa dispendia ipsis contingunt. Nos autem volentes, quantum in nobis est,huic malo obuiare, ad eundem Regem scribimus,rogantes,& monentes, quatenus cum opus habuerit eiusmodi nuncios destinare,potius destinet Christianos: nec sibi putet de infidelibus fidendum, aut eos, qui infideles fuerunt in ipsum Christum, fideles posse existere Christianis. Vt ergo hæc,quæ expedire ipsis atque vniuerso nomini Christiano, non dubitamus,desideratum effectum sortiantur; discretioni vestræ,per Apostolica scripta mandamus,quatenus ipsum Regem cum nostris litteris personaliter adeuntes ad id monere attentius,& efficaciter inducere studeatis. Datum vt supra.* Hactenus Pontifex in perfidos Iudæos: per quos tamen,vt id obiter dicam,non ex eis descendentes Christianos,quos nulla adhuc prouincia,extra Hispaniam,exclusit ab honoribus,maximè iam probatos per longum tempus:sed in sua perfidia permanentes,& Christum abnegantes,qui vt hodie Romæ,& alibi,ita tunc habitabant inter Hispanos.

9. Extant & aliæ plures ad nostros litteræ,inquisitionis,ad Abbatẽ Firmitatis, vna cum Engolismensi Episcopo:visitationis, ad Abbatem de Columba;atque id genus multæ, quas longum esset seorsim recensere. Hoc tamen anno litigatum video cum Trecensi Episcopo,ab Abbate,& conuentu Pontigniacensi super quodam vsuagio, quod in eiusdem Episcopi nemoribus ad se pertinere Pontigniacum allegabat.Porro sententiam prolatam aduersus nostros,quod,quia rarum,pene etiam inuisum illis temporibus (adeo vt Iustitia opinionem sequebatur, nam potentiam non dicam:aut nullas nisi certas lites,& sine tergiuersatione iustas prosequebamur) quia,inquam,rarũ & pene etiam inuisum,nequaquam libuit silentio præterire.Pronunciatum fuit,[h] *Venerabilem Patrem Episcopum Trecensem Harbeum per sententiam diffinitiuam absolui ab impetitione Abbatis, & Conuentus Pontigniacensis, super Vsuagio,quod idem Abbas, & Conuentus petebant in nemoribus dicti Episcopi tam ad pastum pecorum, & ædificationem domorum suarum, quam ad alia necessaria.* Atque hanc sententiam confirmauit Honorius Papa,litteris Datis Viterbij pridie Idus Nouembris, Pontificatus ipsius anno sexto.

h vbi supra.

Quod ad sacras militias attinet,hoc anno inter Calatrauenses,S.Iacobæosque Fraternitatis titulo,amicitia firmata,salua per omnia vtrorũque professione. Auxilia mutua aduersus Sarracenos, & neutros sine aliis,siue pacem, siue etiam inducias cõposituros:in bello collaturos simul signa; nisi aliud expediat;& quocumque Magistro deficiente,qui præsens fuerit vtrisque præfuturum:si simul coëant, partitos terminos habeant; atque vtrique in suo districtu alteri subsint:spolia semper ex æquo diuisuri. Hæc, & plura alia firmata per instrumentum, quod Andradius adducit lingua vernacula: & tandẽ instrumentum ita concludit. [i] *Nos supradictus Martinus Dei gratia Magister Ordinis,& militiæ B.Iacobi, insimul cum cõmendatore nostro,& nostro Conuentu:& nos Gundisaluus Ioannis Magister Militiæ Calatrauæ, insimul cum cõmendatore nostro,& Conuentu;promittimus Deo, & Domino Iesu Christo, hoc vinculum Fraternitatis secundũ Deum, fideliter, sine fraude seruaturos in posterum,procuraturosque,vt nec dissolui,valeat, neque rumpi:facta charta apud Calatrauam nouam sub Era.M.CC.LIX.* Quæsitos à S. Iacobæis Calatrauẽses charta apud Calatrauã facta confirmat.Et forsan ideo S.Iacobæi Prælati in instrumento, quod hospites essent, & quibus is exhiberetur honor ab exceptoribus. Andradius notat hunc eundem Martinum,S.Iacobæum,non verum,sed intrusum Magistrum fuisse: Adeoque hanc eandem Fraternitatem ratificatam postea veri Magistri Pelagij Peracij Correæ tempore. 10.

i apud Rades Andradium.

Huius Fraternitatis fructũ expertus dicitur Ferdinandus Castellæ Rex,inter nuptias expugnãdis Mauris intentus;quippe qui adiutus vtriusq; Magistri copiis Baëciæ Regulum ad deditionem cõpulit,pacto annuo tributo,per quod se Ferdinãdi Vasallum profiteretur.Plura oppida exinde Mauris erepta:Quesada,Lacia,Toua,aliaque;cæsa infidelium copiosa multitudo,in bello capti ad septem millia,& vltra numerabantur.Inde vterque Magister missus ad agros Corduuæ:omnem circa regionẽ depopulatus, præter incendio,ruinisque sepulta,ingentem prædam ad propria reportauit. Alcantaræ Militiam ab his omnibus,diuersi fines, & Rex etiam diuersus alienabant.Nisi forte tunc vna cum Calatraua,vt eisdem legibus, sic & eisdem pactis gaudere poterat.Hæc ad hunc annum. 11.

Quo item lego,eundem Ferdinandum Castellæ Regem, Militiam quandam nostris de Monfracdictã,ab Arce,in qua habitabat,cũ ea in Castella nimis extenuata,decrescensque,ad aliarum incrementa,quæplerũque rerum vicissitudo est,neque aliter conseruanda videretur, quã si alteri vnita, ab ea vires,& spiritum resumeret;Calatrauæ Militiæ incorporasse;ipsis eius reliquiis consentientibus:& nihil prorsus esse recusantibus,dum non esse euaderent,quod sibi iam instare non dubitabant.Militia ea in Oriente primum orta sub Alexandro tertio, atque à loco, de Monte gaudio dicta, propagata inde breui per Occidentem, etiam Hispaniæ fines penetrauerat. Constat ex Bulla eiusdem Alexandri expedita anno M.CC.LXXX. 12.

M. CC. LXXX. cuius Andradius meminit; nec pauca, nec exigua in Castella habuisse per illa tempore, quantumuis parua eius ex historiis notitia subsit. In tabulario Ecclesiæ Meiritanæ, cuius supra meminimus, donatio visitur eidem Ecclesiæ facta anno Christi M. C. LXXXII. sub hoc initio. *Ego Rodericus Aluarez quondam dictus Comes, tunc Magister Militiæ Montis gaudij; post mortem matris meæ Comitissæ Donnæ Sanctiæ, facio chartam donationis, &c. facta charta octauo Idus Iulij, Era M. C C. XX.* Certè quod Comites eam sacram militiam profiterentur, nec iam se Comites vellent appellari; sed eius milites, argumento est illius, qua apud omnes vigebat, æstimationis. Ergo, hanc militiam cum multum decreuisset, Ferdinandus Calatrauæ vniendam censuit, neque ipsi renuerunt, si qui remanserant, adstrictiorem Ordinem, dummodo permansuram, petransire.

---

1. Acta Capituli & petita S. Patris Roberti canonizatio, 2. & dictum de Abbatia Lusitana S. Pauli. 3. Honorius gratulatur Fratribus de Monte Foliano, quod Cistercium suscipiant. 4. & Virdunenses S. Michaëlis ad id inducit. 5. Speculum B. Mariæ apud Coloniam. 6. Roberti mons in Belgio, 7. Patronatus Ducum Brabantiæ, & Lotharingiæ: 8, atque obiter genealogia Montensium Comitum. 9. Dedicatio Ecclesiæ S. Anastasij.

CAPVT NONVM.

1. IN Capitulo nihil magnum peractum video: nisi quod tamen frequentibus miraculis S. Patris Roberti, primi Cistercij Abbatis, & fundatoris; atque crescente ex ipsis deuotione, & concursu fidelium ad eius tumulum; siue sollicitati à Molismensibus Cistercienses Abbates, siue ipsi è contra Molismenses sollicitantes, scripsere Honorio Summo Pontifici, sùpplicantes deuotè, vt communem parentem vtrorumque adscribere dignaretur Sanctorum numero. Indecens esse tot filiorum Patrem, tantorumque, sine honore manere; neque modestiæ in filiis si non procurent, sed desidiæ tribuendum; aut quæ longè deterior, impietati. Potuisse hactenus cessare Molismenses, dum Cistercienfibus velut dilectioribus, incumbere id munus; potuisse & Cistercienses, dum Molismensibus, velut corporis sacri possessoribus, eóque magis propinquis, arbitrabantur. Cessisse forsan laudabiliter vtrosque, dum præstolantur alios, & eis deferunt: nunc post centuriam integram annorum, si vtrique sileant, æquali vtrosque culpæ subiacere. His & similibus inuicem accensi, per litteras, per nuncios, Summum Ecclesiæ Pastorem sollicitarunt. Porro exauditos pro sua reuerentia, atque meritis Sancti, ex Epistola eiusdem Papæ Honorij anno sequenti à nobis transcribenda, & reliquis sequutis, palam fiet. Cætera, quæ in Capitulo tractata minoris notæ sunt; nec nisi duoacta perseuerant: Alterum Dei, & Sanctorum cultum concernens, à quo augendo vix vnquam cessabatur; Alterum in conuersos, qui occasione artium, quibus instabant, seu leuando labori; facile, transiliebant Cistercij leges. Prima lex. *Solemnitas S. Hugonis, Lincolnienfis Episcopi, conceditur fieri cum duodecim lectionibus, & vna Missa in domibus Ordinis nostri illius Diœcesis, celebrabitur autem sicut S. Gregorij.* Secunda de conuersis. *Præcipitur de conuersis, qui passim, & de consuetudine frangunt silentiũ, & correcti negligunt se emendare, vt in familiares redigantur.* Hęc ex actis Capituli.

2. Nec plura nobis ministrat Chronologia, quæ vnam memorat tantum fundationem præsentis anni: *Anno, inquit, M. CC. XXI. fundata est Abbatia S. Pauli.* Hæc tantum ibi S. Paulo Abbatia in Lusitania, altero lapide ab vrbe Conimbricensi, ad cuius spectat Diœcesim, ad pedem Montis arduí, sed alendis armentis, & pecoribus supra modum vtilis, & Monasterio ob hanc causam fructuosi; fundator eius quidam Ferdinandus, vt creditur, Sacerdos, atque Vlyssiponensis Ecclesiæ cantor, qui & terris & vineis, atque pagis quibusdam adauxit illius dotem, quæ omnia, simul cum cœnobio ipso dicitur confirmasse Honorius III. litteras adhuc non potui inuenire. Permansit per trecentos triginta annos plus minusve, vsque ad proximum sæculum, quo Sereniſſimus Cardinalis Henricus, tunc Portugaliæ infans, mox etiam Rex, & Abbas Alcobatiæ, cum Conimbricæ Collegium condidisset, suppressis, vt de alia superius diximus, quibusdam Abbatiis, quibus S. Paulus, dicto Collegio applicari impetrauit earum redditus. Hæc ex Guillelmo, dicto de Passione, & relatione Collegij Conimbricensis. Memoratur S. Paulus in libris Cameræ, septuaginta Florenorum taxa præfixa. Nec non, & in Genesibus, in linea Claræ-Vallis, & inter Alcobatiæ filias numeratur. Qua autem ratione Apostolo Paulo adtitulatus fuit, non Mariæ Virgini, cum à Cistercio incœperit, non facile experiri posse video. Nisi quod tamen in Regno Lusitaniæ, dum primæ domus, quia antiquiores defecerunt à Regula, S. Ioannis nimirum de Tarouca, & S. Christophori, in aliis declinare facilius fuit.

3. Prædicto Monasterio S. Pauli alterum in Italia licet adiungere, dictum S. Angeli de Monte Foliano, cuius habitatores, quicumque fuerint, cum ex regula, vtputo, S. Augustini; ad S. Benedicti institutiones, & Cistercij obseruantias transire vellent, & super hoc scripsissent Honorio Papæ tale ab eo acceperunt responsum, hoc ipso anno. [a]

a *epist. Honorij lib. 5.*

Priori & Fratribus S. Angeli de Monte Foliano.

4. *Gaudemus in Domino, quod æmulantes charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam aggredi cupientes, nobis humiliter supplicastis, vt suscipiendi regulam S. Benedicti, sicut in Cistercienfi Ordine obseruatur, vobis licentiam concedere dignaremur. Nos igitur vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, vobis concedimus postulata, & tibi fili prior, vt nouitiis post regularem probationẽ, consueta benedictione præmissa, cucullam tribuas, auctoritate præsentium litterarum indulgemus. Nulli ergo &c. Datis Laterani, decimo Kalendas Februarij anno V.* Est S. Angelus, quantũ licet cõiectari ex tabulis Geneseos, Abbatia in Calabria Diœcesis.... quæ inter Sãbucinæ filias numeratur.

5. Sicut autẽ Honorius per has litteras congratulatus est transeuntibus ad Cistercij disciplinam, sic Sancti Michaëlis Virdunensis Benedictos Monachos, vt ad ipsam transirent, inuitauit.

Cum enim quosdam ex Cistercio suscepissent, in eo solo casu id posse fieri, si & ipsi Cistercium profiteantur, litteris ad eos datis, ita
b *ibidem.* scribit [b].

Abbati, & Conuentui Monasterij Sancti Michaëlis Virdunensis Diœcesis. Cum Regularis obseruantiæ statum non deceat, vt hi, qui religioni alicui professionis vinculo se astringunt, ad regulam transeant laxiorem: vobis auctoritate præsentium inhibemus, ne de cætero illos, qui Cisterciensi Ordini spontanea professione tenentur, in Monachos vestri Monasterij admittatis; nisi forsan ipsum Monasterium in posterum eiusdem Ordinis receperit instituta. Datum apud Vrbem veterem, octauo Kalendas Septembris, anno quinto. Hactenus Pontifex. Non suscepere Cistercium Virdunenses; sed Cistercienses, si quos fortè receperant, ad propria Monasteria transmiserunt.

5. Sequuntur Abbatiæ Sanctimonialium, quarum duæ præcipuè: speculum Beatæ Mariæ propè Coloniam, & Roberti Mons in Belgio: de prima hæc lego in sacrario Ecclesiarum Agrippinensium, quod Erhardus Carthusianus euulgauit.

Especulum Sanctæ Mariæ vocatum, Sanctimonialium velatarum.

Ecclesia hæc propè Rhenum in loco insulari sita anno Domini M. CC. XXI. perillustrem, & generosam Virginem Machthildem, Comitissam de Senen (vnde & nomen adhuc retinet) sub patrocinio Beatæ Mariæ Virginis pro Virginibus Ordinis Sancti Bernardi fundata est; ipsam fundatricem ante summum Altare, saxo paululum eleuato, sepultam continet. Rhenus autumnali, hyemali tempore frequenter adeo molestus est his Virginibus, vt diuina in Ecclesia multoties peragere nequeant, provt anno M. CCCC. XXXII. eius inundationem ipsis templi aris altiorem extitisse, ibidem notatum cernitur. Porrò templi dedicatio quotannis festiuè celebranda, feria secunda Pentecostes occurrit. Hactenus ille.

6. Roberti montis fundatio minus nota. Dotationem ab VValeramo, Lemburgensi duce, factam, & à Cunegardi, Comitissa Montensi, auctam, Miræus prodit in suis Ecclesiarum Belgij notitiis: & quia prima dotatio hoc anno facta, hoc nobis etiam venit referenda. Ergo Mi-
c *Ad c.136.* ræus hæc de hoc cœnobio [c]. *VValeramus, Dux de Lenburg, & Marchio de Corlon, vniuersis Christi fidelibus. Inde est quod Conuentui Sanctimonialium de Roberti monte, Cisterciensis Ordinis, nemus de Nigerreij, sicut in spelunca eiusdem loci vsque ad nemus earum extenditur, contulimus, & concessimus perpetuo possidendum. Datum Lemburg anno M. CC. XXI.* Hæc illius cœnobij prima dotatio. Augmentum post tres, & viginti annos collatum, idemmet auctor in eisdem no-
d *cap.215.* titiis tradit [d]. *Henricus, Dux de Lemburg, Comes de Monte, & Kunegardis Ducissa, & Comitissa ibidem, notum facimus, quod sororibus de Roberti monte, pro nostrarum, & successorum nostrorum remediis animarum, quolibet anno, dum glandes in nostris nemoribus creuerint, quinquaginta porcos. Datum M. CC. XLIV. Dominica post Matthæi Apostoli.* Atque hoc quidem habuit Roberti mons à suis fundatoribus, & eorum filiis, vt puto, seu successoribus.

7. Cæterum ab Adolfo Montensi Comite, VValerami nepote, maius quid, nempe patronum longè potentiorem. Cum enim Limburgensis ducatus, cum aliis eius VValterami Ducis bonis hæreditario iure ad eum venirent, in Ioannem Ducem Brabantiæ, & Lotharingiæ vniuersa resignans, incertum quem ob finem, hæc ad Rudolfum Imperatorem scripsit, quæ eadem adducit idem Miræus [e]. e *vbi supra.*

Serenissimo Domino suo Rudolfo, Dei gratia Romanorum Regi semper Augusto, Adolfus Comes de Monte quidquid potest obsequij.

Cum nos Ducatum Lemburgensem cum omnibus bonis, qua fœlicis recordationis Dominus VValeramus, Dux Lemburgensis, Patronus noster, nec non Domina Ermergardis filia sua, olim Comitissa Geldriæ tenebant, dum viuerent: ad nos ex morte vtriusque, tanquam ad legitimum hæredem deuolutum, donationis titulo transtulerimus in illustrem Principem Dominum Ioannem, ducem Lotharingiæ, & Brabantiæ Dominum nostrum simpliciter, & de plano: magnificentiæ vestræ celsitudinem requirimus, quatenus ipsi Domino Duci ducatum ipsum, & bona ad ipsum ducatum pertinentia, concedere dignemini cum solemnitatibus consuetis. Datum M. CC. LXXXII. feria quinta post Pentecostem. Sic manfit Monasterium Roberti Montis sub patronatu Lotharingiæ, & Brabantiæ Ducum.

8. Libet his addere genealogiam istorum Principum, quam idem auctor immediatè ibidem subiicit, quod eos, tum cum Eberhardo Morimundensi, cuius meminimus in secundo tomo, tum cum Beato Engelberto, de quo in isto, vtroque planè nostro, altero, professione, affectu, altero, arcto sanguinis fœdere coniungit. Sic autem habet [f]. f *Apud Miræum ibidem.*

Theodoricus de Altena (qui anno M. C. XLV. diploma Vltraiectense apud Ioannem Beeanum signauit) filios reliquit Eberhardum, Monasterij Aldebergensis in Diœcesi Coloniensi anno M. C. XXXIII. conditorem, ex Comite Monachum Morimundensem Ordinis Cisterciensis in Francia, Adolfum Comitem de altera, & Berg. Aldolfi filius Aldolfus secundus, Comes Bergensis, genuit Eberhardum Comitem de Altena, Fridericum, & Brunonem AA. Colonienses, & Engelbertum Comitem Montensem, Eberhardus Comes de Altena genuit Adolfum (Cæsario Arnoldum) Comitem de Altena, & Fredericum Comitem de Marcha, patrem Adolfi Comitis Marcani, anno M. CC. XLVI. defuncti: Engelberti ibidem Comitem Marchani. Adolfus Comes de Altena fœdus Colonienſe anno M. CC. XVII. signauit, & genuit Fredericum Comitem de Altena Essendiensis Ecclesiæ aduocatum qui VValerami Ducis Lemburgensis filiam duxit, & ob eadem S. Engelberti Archiepiscopi Coloniensis anno M. CC. XXVI. in rotam actus fuit (vt in huius vita Cæsarius refert apud Surium) Theodoricum, Episcopum Monasterienſem, Engelbertum electum Osnaburgenſem, Philippum Canonicum Colonienſem, Brunonem, Guillelmum, & Godefridum. Ex his vicinioribus Fratribus vnus, aut alter putatur in Liguriam migrasse, & familia Altena-ensem, seu Marcanam, ibi propagasse: quam in Germania Adolfus Comes Marcanus, Frederici in rotam acti in comitatu Altanaensi successor, longa posterum serie ad nostra vsque tempora perduxit, vt libro primo Don. Belg. cap. 93. docui.

9. Hoc ipso anno, communis totius orbis, sed affectu præ aliis Cistercij parens, Honorius III. ad

ad instantiam Monachorum Sancti Anastasij, eorum Basilicam solemniter sacrauit prima die mensis Aprilis: assistentibus Cardinalibus Episcopis Sabinensi, Tusculano & Prænestino, cum Presbyteris quatuor incerti tituli, Archiepiscopis, Narbonensi, Magno Arnaldo, qui Romæ tunc adesset, & Florentino. Extant de hac dedicatione versus incompti pro more illius æui, quos eiusdem Ecclesiæ marmori sculptos Iongelinus vulgauit, sub hoc initio

Anno millesimo, bisq; centeno, vno quater quino,
Quo Christus venit, mundūq; redemit actu diuino,
Kalendis Aprilis, Honorius fœlix, Minos Dia sacer,
Hanc aulam sacrauit, Papaque dicauit diuinis acer.
Septem Cardinales collaterales interfuerunt,
Præsul Sabinensis, Tusculanensis, hi bonitate,
Post Prænestinensis, Archi-Narbonensis, &c.

Quæ latè prosequitur Iongelinus, cum exacta cunctorum, quæ eam Ecclesiam illustrant descriptione.

ANNVS CHRISTI M. CC. XXII. — ANNVS CISTERCII C. XXV.

1. *Conradus ab Honorio legatus contra Albigenses.* 2. *Raymundi Tolosani Comitis mors, & eius circunstantiæ.* 3. *Hæreticorum petulantia sacrilega,* 4. *atque audacia repressa per Conradum.* 5. *A quo actum de pace, sed tunc frustra.* 6. *Indulta vigesima aduersus Albigenses,* 7. *in Henricum conuersa,* 8. *super quo Honorius,* 9. *ad Bertrandum scribit.* 10. *sed nihilominus aduentum successoris acceleraret.*

CAPVT PRIMVM.

1. CONRADVM ex Abbate olim Cistercij, Cardinalem Episcopum Portuensem, anno Christi millesimo ducentesimo vigesimo secundo, qui fuit Cistercij centesimus vigesimus quintus, missum in Galliam cum potestate legati de latere, ad petulantiam Albigensium compescendam, auctores scribunt: neque dissentiunt, qui in præcedentem referunt. Quippe suscepto sub illius finem mandato, non ante huius initium eò peruenit. Eius aduentum Raymundi Comitis mors sequuta est, adeò improuisa, adeò vix pœnitentiæ, nam confessioni ne vix locum relinquens; vt facilè in ea diuina manus, sanguinem iustum vindicans, & sacrilegia vlciscens conspiceretur. De ea Guillelmus de Podio Laurentij; qui non multo post scripsit, hæc habet verba [a]. *Anno sequenti ab incarnatione Domini M. CC. XXII. moritur Comes Tolosanus, morte præuentus subita, quia non potuit quidquam loqui; sed adhuc habens memoriam, sicut dictum fuit, atque notitiam, Domino Iordano Sancti Saturnini Abbate occurrente, sibi manus extendit, motum deuotionis ostendens; eo superuenientibus Fratribus Hospitalis Sancti Ioannis, proiecto sibi desuper pallio in cruce, ipsam osculabatur, & subito spirauit: eiusque corpus ad eorum domum portatum est; non tamen sepultum; erat enim ipse excommunicatus; & adhuc tenetur, vt conspicitur, insepultum.* Hactenus ibi.

a cap. 34.

2. Porrò hæc post aduentum Conradi sequuta fuisse, idemmet auctor prodit non multo post, in hæc verba de illius aduentu scribens [b]. *Erat autem anno præcedenti missus Venerabilis Pater Conradus, Ordinis Cistercienſis, Cardinalis in Ecclesia Romana, Episcopus Portuensis, legatus à Sede Apostolica.* Diuinam in Raymundi morte iustitiam auctores commendant; cuius pauenda; sed ineuitabili prorsus ordinatione effectum est, vt neque quod optauerat, inter hæreticos mori concederetur; neque Catholicorum consortio frui; quos testes infœlicis sortis passus, sicut fuerant scelerum; non tamen potuit experiri coadiutores. Sic Sacramentis, quæ viuens respuisset, in morte caruit, neque habuit, cum voluit (si tamen voluit) quæ dum habuit, contempsit: & solam, inquam dudum rebellasset, præsentem crucem vidit, tenuitque; vt triumphantem agnosceret, nec cui succumberet, posset dubitare. Ego vlterius occasionem mortis noto, sub aduentum Conradi; vt qui à legato Sedis Apostolicæ ex Cistercio assumpto, Beato Martyre Petro, insaniendi in Ecclesiam initium sumpserat, eundem in Conrado præsentem videns, duplicata memoria Crucis, & Martyris, qui in vtrumque sæuierat, vtriusque in se potentiam, experiretur. Cadauer insepultum mansisse constat, feruente in Vicariis Christi iustitiæ zelo: adeo vt neque post filium reconciliatum, & offerentem testes, eius, quam pater contritionem præ se tulisset, audiri meruerit; nedum ei obtinere sepulturam. Nam audi, quod in eodem auctore sequitur. *Filius eius processu temporis, postquam obtinuerat pacem Ecclesiæ, & Regis Franciæ, productis testibus, ad Sedem Apostolicam, super probando, quod signum pœnitentiæ habuisset, nullo modo quòd sepeliretur potuit obtinere.*

b *ubi supra.*

3. Potuisset tristis Raymundi Comitis mors hæreticos terrere, & effrenem eorum petulantiam, vel omnino reprimere, vel ad aliquod tempus moderari: si non in reprobum sensum semel dati, à monitis diuinis deteriores; ab ipsa luce cæci, atque desperatiores ex remediis efficerentur. Audi quod de eis Conradus Cardinalis, ad Capitulum generale Cistercij, hoc anno scripserit, referente Cæsario [c], dum libros Dialogorum iam absolueret, aut absolutos poliret, & elimaret. *Hoc anno Dominus Conradus Episcopus Portuensis, & Cardinalis, contra Albigenses missus legatus, scripsit Capitulo Cistercienſi. Quidam ex potētibus Tolosanæ Ciuitatis quiddam tam horrendum, in odium Christi, & ad confusionem nostræ fidei egit, vt etiam ipsos Christi inimicos mouere merito debeat. Iuxta Altare maioris Ecclesiæ ventum suum purgauit, & palla altaris ipsas immunditias detersit. Cæteri vero, furori furorem adiicientes, scortum super sacrum altare posuerunt in*

c *lib. 5. c. 21.*

aspectu crucifixi, eò ibi adeuntes. Postea ipsam sacram imaginem detrahentes, brachia ei præsciderunt: multo militibus Herodis deteriores, qui mortuo, ne eius crura frangerent, pepercerunt. Ita insaniebant inimici crucis Christi. Nec qui in Deum crudeles, & petulantes, reuerentiores hominum, seu mitiores in illos inueniebantur.

4. Raymundus filius Raymundi senioris, non contritionis hæres, si quam præ se tulit; sed perfidiæ, & errorum, hæreticorum omnium protectionem, & bellum in Ecclesiam continuauit. Accesserat & Comes Sancti Ægidij, qui, vt habet Cæsarius eodem loco: *Omnibus sibi in Concilio Lateranensi adiudicatis, feudis videlicet, & allodiis, ciuitatibus, & Castris, & ex maxima parte eisdem à Comite Simone de Fortimonte, Viro Catholico, iure belli occupatis, in Tolosam se transtulit, de qua vsque hodie fideles vexare, & impugnare non cessat.* Igitur his, cum manu hæreticorum multa, & valida, non solum vrbes, & Castra quæ habebant, pertinaciter defendentibus, sed etiam in Catholicos grassantibus, armis etiam Conrado cogendum fuit. Pergit Guillelmus de Podio loco supra. *Qui (id est Conradus) audito, quod Comes iunior Tolosanus Castrum de pœna Agenensi obsedisset, vna cum Comite Amalrico collecta manu valida, habens secum Episcopum Lemouicensem, & alios Prælatos plurimos, transibat per Albiam, & eius Diœcesim in succursum, & destructo Castro, qui dicitur Lescura, in transitu cœperunt Bastitam Deo dati Alamani, & munitionem, quæ ibi erat, & venientibus cesserunt, qui obsiderant Castrum pœnæ.*

5. Ita repressus inimicorum impetus, & processisset longius illorum clades, si non ab homine, non vindictæ cupido, sed solius conuersionis, petiissent inducias, atque obedientiæ, & pacis spem feciissent; quibus, se & si frustrandum præuiderit, nequaquam tamen potuit denegare. *Eiusdem legati tempore (pergit Guillelmus) sumptis treguis sub spe pacis, duo fuere colloquia permissa ad tractandum, vnum apud Sanctum Florum, Castrum Auerniæ; & aliud Senonis Burgundiæ Metropoli ciuitate: tamen pacis effectus in vento est sequutus: nondum enim completa erant peccata Amorrhæorum.*

6. Notat Abraham Bzouius hoc ipso anno, quod *cum Raymundus iunior senioris filius, Catholicis, vt modo dicebamus, infestior esset, neque ab eorum iniuriis sibi temperaret; Honorius Pontifex vindex Catholicæ libertatis, Philippum Augustum Gallorum Regem, hortatus est, vt hæreticos, armis sumptis, ab vniuerso regno expelleret. Causabatur is, non sibi sufficere sumptus in stipendia, & in commeatus militares. Quamobrem idem Honorius vigesimam partem redituum, pro subsidio terræ sanctæ in Gallijs impositam, tandem illi concessit. In clientelam Sedis Apostolicæ illum & vniuersum Regnum suscepit, & pares, & indulgentias, & immunitates cruce signatis, contra Albigenses militaturis, indulsit, quemadmodum Palæsthinis. Itaque in eam rem vniuersis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Ducibus, Principibus, Magistratibus, & Popularibus scripsit; vtque contra hæreticos insurgerent, hortatus est. Datum Alatri secundo Idus Maij.* Ita Bzouius: quæ tamen non post mortem Raymundi Senis, sed antea contigisse, argumento est, quod hæc ipsa vigesimæ concessio, cum in diuersos vsus conuertenda, neque ad Pontificis votum speraretur; aduentum Conradi acceleratum creditur, quem tamen præcessisse mortem Senis ex Guillelmo de Podio iam probauimus. Certè vigesimam indultam Betrandi tempore, quæ statim dicam, satis manifestant, nam audi quod sequitur.

Accepta Ecclesiarum pecunia planè non modica, Philippus Ludouicum filium misit, multo stipatum milite, vt tantum Principem, tam grauem belli causam, & tantam etiam decebat concessionem: is siue patris monitis, siue odio in Anglos, & Henricum inueterato, seu verius, qua plerumque Reges aguntur, vtilitate propria, si opulentas Prouincias, confinesque, quod diu optauerat, suo Regno copularet; sub crucis, & militiæ sacræ prætextu, terras magis Henrico Anglo subiectas occupare tentabat; & militantes stipendiis Ecclesiæ copias, in Ecclesiam conuertens, quod ipsa Regnum fouere tenebatur, (quia pupilli sub tutela eius relicti, quia feudatarium Petro, quia positum sub eius protectione) inuadere hostiliter, omni post-habita honestate, machinabatur. Constat Honorium perculsum his rumoribus, præueniisse flagitium; atque has ad Bertrandum Cardinalem, qui Ludouico adesse dicebatur, dedisse litteras, acres, & viuidas, neque minus zeli, quàm constantiæ, & iustitiæ Christianæ plenas [d]. 7.

d *Ex Regest. Honor. lib. 5.*

B. Sanctorum Ioannis, & Pauli Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis legato. 8.

Præsumitur à multis, & publicè dicitur, quod dilectus filius nobilis Vir Ludouicus, Illustris Regis Franciæ primogenitus, sub prætextu persequendi hæreticos, terram, quam charissimus in Christo filius noster Henricus Rex Anglorum illustris habet in partibus illis, Pictauiam, & Vasconiam scilicet, occupare satagit; & suo, vel alterius Dominio subiugare, quod in immensã Ecclesiæ Romanæ iniuriam redundaret. Quia non maiorem pati possemus iniuriam, quam si pecuniam, quam, pro extirpanda hæreticorum grauitate, ab Ecclesia subtraximus, conuerti (quod absit) in exhæredationem ipsius Regis cruce signati, pupilli tutelæ Ecclesiæ Romanæ relicti, & in eam post Dominum, totam suam habentis fiduciam, videremus.

Nam reclamare posset contra nos merito totus mundus, & dicere: nos exhæredationis ipsius pupilli, quem nuper tanto studio, tantoque labore de tot, & tantis angustiis liberauimus, causam manifestè dedisse. Nec enim ipse Ludouicus hoc iter fuerat aggressurus, nisi tum pater eius, cum ipse ad id esset precibus, & indulgentiis nostris, ac prædictæ concessione vigesimæ incitatus; quin imo etiam sic, illuc vadit inuitus, sicut nouimus manifestè. Vnde multis pulsati precibus, vt per litteras nostras inhiberemus eidem, ne dicti pupilli terram inuadere, aut id quomodolibet attentare præsumat: id facere nullo modo voluimus. Non quia velimus terram ipsam inuadi; sed ne idem Ludouicus, ex inhibitione huiusmodi, occasionem assumat remanendi. Habentes autem plenam fiduciam, quod à viis nostris, postquam te illas commonefecerimus, non recedas; tibi auctoritate præsentium declaramus, communem esse nostram, & Fratrum nostrorum omnium voluntatem, vt iura prædicti Regis omnino conseruentur illæsa, & vt nulla è terris ipsius, occasione huiusmodi, ad alterius Dominium transferatur. 9.

Vnde, si fortè illarum aliqua sic erit labe hæretica 10.

tica prauitatis infecta, vt nisi adhibita violentia, nequeat emundari; non tamen volumus, quod ob hoc cuiquam in illa ius aliquod acquiratur; sed relinquatur absolutè, ac liberè ipsi Regi, sicut ad eum noscitur pertinere. Tu ergo hæc ipsi Ludouico, & aliis, si opus fuerit, diligenter exponens, eos, si contrarium, quod non credimus, attentare voluerint, sedula commonitione, ac comminatione retineas; ac, si necesse fuerit, per te, vel per Episcopos circumstantes, modis, quibus videris expedire, compescas: ac inter cætera idem expressè denuncies, quod prædicti Regis grauamina (præsertim quæ occasione nostra incurrere videtur) non sustinebimus vllatenus: sed pro defensione ipsius ita pugnabimus, sicut pro Ecclesia Romana proprio & speciali negotio faceremus. Hæc Honorius ad Bertrandum Cardinalem, quem tamen, siue addictum Ludouico vltra modum putaret, siue minus constantem fortè timeret, seu tandem aliis causis nobis occultis, legatia amouit; & Conradum substituit, de quo nihil siniſtrum, nihil degenerans vnquam timeri posset. Hæc occasione legatiæ iniunctæ Conrado, de qua plura in sequentibus dicemus. Nunc parentem Robertum Sanctis adscriptum, atque in ipsa solemni relatione distinctos gradus Beatificationis, & Canonizationis, quos nunquam hactenus Ecclesia distinxisset, ex prototypis ipsis describamus.

---

1. *Honorius pro canonizatione Sancti Roberti*, 2. *ad duos Episcopos, & Abbatem Cluniacensem scribit.* 3. *Abbas vni eorum causam subdelegat.* 4. *Episcopi de miraculis inquirunt*, 5. *& multa probant* 6. *per oculatos testes*, 7. *iuratosque*, 8. *nihil prorsus omittentes*, 9. *ex omnibus, quæ facere potuerunt.* 10. *Vicinorum Abbatum testimonium de fama Sancti.* 11. *Cunctatio Honorij*, 12. *& salubre consilium initum*, 13. *quod canonizationi, per præuiam beatificationem aperuit viam.*

CAPVT SECVNDVM.

1. AN solas litteras, an nuncios etiam miserint Cistercienses Abbates ex Capitulo anni præcedentis, qui litteris & nunciis Molismensium adiuncti, adiutique, communis Patris cultum sollicitarent? In dubio est; neque expressum inuenio apud Auctores: id vnum constat, vtrorumque petitionem peruenisse ad Honorium. Et erat ille in Cistercium adeo propensus, vt vel non requisitus, rogatusve, hanc illi gloriam vltro decreuisset, si modo sine præuia inquisitione, atque aliis necessariis concedi posset. Ergo vt libellos supplices accepit, ne siue pium petentium desiderium, ac gloriam Dei, & Sancti distuliſſe, quantum in ipso erat; vel rem grauissimam inconsultè præcipitasse, merito notaretur; duos Episcopos, Lingonensem, & Valentinum, atque vnicum Abbatem Cluniacensem inter alios elegit, quorum prudentiæ causam delegaret. Porrò ne res, & Deo, & sibi grata differretur vlterius, hanc ad illos epistolam scripsit, quam à Claudio Roberto publicatam in sua Gallia [a], non licuit hic silentio præterire.

a *In Molismo.*

2. *Honorius Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Lingonensi, & Valentino Episcopis, & dilecto filio Abbati Cluniacensi Matisconensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem.*

Gaudemus in Domino, & in eius laudibus delectamur, quod sicut dilecti filij vniuersi Abbates Cistercienſis Ordinis in Capitulo generali congregati, nec non & Abbas & Conuentus Molismensis, suis nobis litteris insinuarunt, fœlicis recordationis Robertus, qui primus Monasterij Molismensis fuit Abbas, primusque iecit Cistercienſis Ordinis fundamentum, quod diuina gratia fauente creuit in templum sanctum in Domino, religiosè viuens, tanta fulxit gratia meritorum, quod Dominus tunc multa & magna miracula per eum operatus, adhuc post eius fœlicem obitum ad sepulchrum ipsius ad ostensionem Sanctitatis eiusdem dignatur operari maiora: vt quem virtus morum honestauit in via, miraculorum gloria nobis insinuet in patria honorari. Quare iidem nobis supplicarunt instanter, vt cum luce clarius pateat, ipsum in Ordine Confessorum regnare in Ecclesia triumphante, etiam in militante Sanctorum Catalogo adscribere deberemus. Verum quia in tanto negotio non est nisi cum grauitate plurima procedendum, nos de fide, ac discretione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tam de vita, quam de miraculis Sancti prædicti perquirentes sollicitè, veritatem, quam inueneritis, per vestras nobis litteras fideliter intimetis: vt ex vestra relatione sufficienter instructi, procedamus exinde, prout secundum Deum viderimus procedendum. Quod si non omnes, his exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur.

3. Hactenus Pontifex ad Episcopos, & Abbatem, quorum fidei prudentiæque committebat negotium. Ex quibus tamen cum Abbas Cluniacensis, vrgenti præpeditus necessitate, parere non posset; sed nihilominus alteri Episcoporum, nimirum Valentino, vices, & votem suam subdelegasset. Illi non segnes confestim iussa capessunt; atque ad Molismum pariter venientes, quæ plurima probare tunc potuerunt miracula recentia, per oculatos testes, iuratósque authenticè omnino comprobarunt. Addiderunt præterea testimonium vicinorum Abbatum, qui famæ publicæ, acclamationique totius Prouinciæ, & terræ fidem facerent. Cæterum de miraculis antiquis, quæ Sanctus patrauisset, dum adhuc viueret, cum ante centum annis sublatus esset, neque vlli prorsus testes superuiuerent, contenti historia, quam Odo de eius vita, virtutibusque & signis publicasset, censuerunt Honorio remittendam. Quare cum ea, & litteris Abbatum testimonialibus, processum à se factum, & cum his omnibus epistolam miserunt totius processus acta continentem, cuius hic tenor [b].

b *Apud eundem ibidem.*

4. *Sanctissimo Patri ac Domino Honorio Dei gratia Sanctæ & Apostolicæ Sedis Summo & vniuersali Pontifici, H. eadem gratia Lingonensis, & G. Valentinensis Episcopi, cum pedum*

dum oſculo ſalutem, & debita reuerentiæ famulatum.

Mandatum Sanctitatis veſtræ ſub hac forma. Honorius Epiſcopus, &c. Huius igitur auctoritate mandati, ad locum perſonaliter accedentes, Domino Abbati Cluniacenſi collega noſtro, nobis Epiſcopo Valentinienſi committente vices ſuas, teſtes recepimus, quorum depoſitiones de verbo ad verbum ſcribi fecimus in hunc modum. Oddo Moliſmenſis Abbas iuratus dixit, quod cum eſſet in habitu ſæculari in pueritia conſtitutus, vidit quandam mulierem cæcam à natiuitate habentem filiam, ſicut ipſa mater firmiter aſſerebat, quam ipſe ad Venerabilis Patris Roberti, de quo agitur, adduxit ſepulchrum: & cum ibi cum matre quadam nocte vigilaret, viſum recepit. Huic facto interfuit idem Abbas, & vidit. Vidit etiam idem Abbas tempore Dedicationis Eccleſiæ Moliſmenſis, poſtquam habitum Monachalem, & Ordinem Sacerdotalem ſuſceperat, quod cum ſepulchra propter reuerentiam dedicationis ab Eccleſia tollerentur, & ventum eſſet ad ſepulchrum eiuſdem Venerabilis Patris, ad motum ſepulchri proprios oculos de terra liniens recepit ibi mulier quædam viſum. Altera de eadem terra comedens, recuperauit loquelam, cum per triennium muta fuiſſet, ſicut maritus eius, & ipſa firmiter aſſerebant. Accidit poſtea, nondum à præſenti teſtium examinatione duobus annis elapſis, quod quædam vaca vulnerata fuit à lupo, quod ſentiens mulier, cuius erat, vulnus aqua benedicta reſperſit; ſtatimque ipſam capitis, & brachij tremor continuus, & enormis inuaſit, quæ ipſa die ad memoratum ſepulchrum rediens, ſtatim curata eſt penitus, & ſanata. Hoc vidit idem Oddo temporibus iſtis, iam Abbas in eadem Eccleſia conſtitutus. Vidit præterea quendam Monachum Raynerium nomine, qui factus fuerat furioſus, ad ſepulchrum eiuſdem Venerabilis Patris ligari, ibidemque recuperare per diuinam gratiam ſanitatem.

5. VVillelmus Preſbyter iuratus, dixit, de muliere, quæ viſum receperat tempore dedicationis, idem quod Abbas: de muliere vero, quæ loquelam recuperauerat, audiuiſſe ſe ſæpius, ſed non vidiſſe. De muliere quæ tremorem Capitis, & brachij patiebatur, idem quod Abbas. Vidit præterea quandam mulierem, quæ tempore feſtiuo fuerat operata: propter quod ipſa die, ſicut creditur, in manu percuſſa; & vſque adeo orba fuit manu, vt deſperaretur, ipſam poſſe ſanari: ſed per diuinam clementiam, & Sancti merita, ad ſepulchrum eius accedens, ſtatim ſanata eſt. Vidit etiam ibi, quendam furioſum ſanari.

6. Albericus Monachus, & Preſbyter, iuratus dixit de miraculis factis in dedicatione, idem, quod Abbas: de muliere, quæ recuperauit ſanitatem manus, idem, quod VVillelmus. Iacobus Monachus, & Preſbyter, iuratus dixit, quod quidam Frater eius carnalis in ætate puerili conſtitutus ita enormiter læſus fuit in capite, quod oculus de proprio erutus loco ab eius facie dependebat. Qui ad ipſius Iacobi inſtantiam ad ſæpè dictum tumulum deportatus, ſtatim ibi per diuinam clementiam ſanatus eſt, & abſque omni læſione oculus ad locum debitum eſt reuerſus. Hæc omnia vidit enim Monachus Iacobus circa fratrem ſuum: de aliis autem duobus miraculis factis in dedicatione, idem quod alij. Vidit etiam prædictus Iacobus quandam mulierem de longinquis partibus deportari, quæ longo tempore fuerat contracta; ſtatimque viſo Monaſterio, in quo requieſcit Abbas Venerabilis, cui ſe in ſpe recuperandæ ſalutis deuouerat curata eſt, & omnino ſanata.

Milo laicus iuratus dixit, de oculo eruto, & reſtituto, idem quod Iacobus: de miraculis factis in dedicatione, & de muliere, quæ tremorem Capitis, & brachij patiebatur, idem quod Abbas & alij. Bartholomæus Monachus, & Preſbyter iuratus, dixit, de duobus miraculis factis in dedicatione, & muliere percuſſa in manu, idem quod alij. Hugo Preſbyter, & Monachus iuratus, dixit, quod vidit quendam ciuem Metenſem cæcum, venientem cauſa deuotionis, & ſpe recuperandi viſus ad ſæpè dictum ſepulchrum: qui veniens ad illud, viſum recuperauit: & vidit Squamas ab oculis eius viſibiliter defluentes. Qui citius inde ad Sanctum Iacobum proficiſcens, hoſpitatus eſt in itinere, in domo mulieris cuiuſdam, quæ contracta iacebat in lecto. Sed ad conſilium illius ad ſepulchrum Sancti ſe portari faciens ſanata eſt. Hæc eſt autem illa, de qua ſuperius loquitur Iacobus Monachus, & Sacerdos, qui Iacobus conuenit cum Hugone, ſed de auditu. 7.

Guillelmus Monachus, & Preſbyter, iuratus dixit, quod vidit quendam Clericum, qui longo tempore contractus fuerat ad idem ſepulchrum ſanari: & de duabus mulieribus in dedicatione idem quod alij. Licelinus Monachus, & Preſbyter, iuratus, dixit de duobus miraculis in dedicatione, idem quod alij. Martinus, iuratus dixit de miraculis factis in dedicatione, & de muliere, quæ ſanata fuerat à læſione manus idem quod alij. Haymo Monachus, & Sacerdos iuratus dixit, quod vidit, quendam furioſum ibi ſanari. Magiſter Simon, Preſbyter, iuratus dixit, de miraculis factis in dedicatione, idem quod alij; adiiciens, quod quidam laicus apud Moliſmum illudens conuiciis Venerabilem Patrem, & eius miracula irridens, inde recedens, ſequenti die infra fines eiuſdem villæ, à duobus militibus eſt occiſus. Hoc etiam dixit Iacobus, ſe vidiſſe. Vidit præterea quendam laicum, qui contractus fuerat per vndecim annos ad ſæpè dictum ſepulchrum ſanari. 8.

Fulco, & Iacobus Monachi, & Sacerdotes, iurati, dixerunt quod cum quadam die eſſent iuxta tumulum ſæpè dictum, & Viro Sancto reuerentiam exhiberent capita inclinando, quidam Monachus adſtitit cum eiſdem, in hæc verba, ipſis præſentibus, & audientibus, contumelioſè prorumpens, vt quid ei capita inclinatis? ſciatis pro certo, quod nunquam Sanctus fuit. Imo quidam ruſticus multum deformis ſepulchrum pede percutiens ſimilia proclamabat. Statim autem tumor arripuit pedem illum, per totum corpus vniuerſaliter aſcendendo; ita quod infra quindenam illam infirmitate grauatus ſpiritum exhalauit. De furioſis & febricitantibus ſanatis, infinita multitudo clamabat coram nobis, & ſe eſſe ſanatos firmiter aſſerebant. Ita quod communis opinio totius regionis in tantum inualuit circa iſta, quod plurimum ipſum tenorem atteſtationum extollit. Hæc noſtris temporibus accidiſſe dicuntur, ſicut ſuperius eſt expreſſum. A tempore autem obitus ipſius, cuius non extat memoria, infinita miracula referuntur. Ita quod tota vicinia nequaquam dubitat, ipſum Sanctorum Catalogo miraculis coæquatum. Cæterum vita ipſius, Sanctitati veſtræ per nuncios Eccleſiæ Moliſmenſis porrigetur in ſcriptis, quæ ſatis oſtendit ipſum multis meritis claruiſſe. At quæ audiuimus cum ſumma diligentia fideliter inquirentes, beatitudini 9.

dini vestræ per scripta præsentia declaramus, vt vestra Sancta paternitas videat, quid talibus sit agendum. Hactenus litteræ Episcoporū ad Pontificem.

10. Cæterùm vicinorum Abbatum testimoniales, quas simul etiam ad eum transmissas diximus, in hunc modum scriptæ, atque ab eodem Roberto Claudio vulgatæ [c] circumferuntur.

c ibidem.

Sanctissimo Patri & Domino vniuersali Honorio diuina prouidentia sanctæ Sedis Apostolicæ Pontifici, Sancti Benigni, & Sancti Stephani Diuionensis, Rhemensis, Sancti Michaelis Tornodorensis, & Sancti Martini Melundensis Abbates, Lingonensis Diœcesis, cum pedum osculo salutem, & debitæ reuerentiæ famulatum.

Cum Molismensis Ecclesia, & illæ Ecclesiæ, in quibus habemus administrare, proximæ sint sibi inuicem, & adeo vicinæ, vt vix, aut nullatenus in aliqua earum aliquid magnum contingat, quod ad alias fama velox cito non deferat; de Sancti Patris nostri Roberti, Molismensis Ecclesiæ primi Abbatis, & Cisterciensis Ordinis fundatoris, vita, quæ innumeris veneranda virtutibus effulsit, & de miraculis, quæ quotidie ad sepulchrum ipsius, diuina operante clementia fiunt, dignum duximus in præsenti articulo veritati testimonium perhibere. Nam incessanter totius regionis eiusdem populi vox clamat in auribus nostris, quod multitudo maximè contractorum, cæcorum, mutorum, & aliorum variis languoribus detentorum, quotidie ad sepulchrum dicti sancti in Ecclesia Molismensi confluentium, facta oratione, & Sancti nomine inuocato, pristina sanitate recepta, incolumis videtur remeare ad propria. Inde est quod ipsius Sancti inflammati miraculis, Sanctissimæ Paternitati vestræ in quantum possumus, humiliter & deuotè supplicamus, quatenus sæpè dictum Sanctum Robertum, quem Deus inter electos suos coruscantibus meritis per miracula mirificè magnificauit in partibus nostris, canonizari, & Sanctorum Catalogo aggregari decernantis. Ita Abbates.

11. Vtrasque litteras, processum, & vitam Sancti suscepit Honorius hoc anno M. CC. XXII. nec dubitauit de veris Sancti meritis, per quæ adscribi deberet Ecclesiæ Canoni. Cæterùm, quia viuentis virtutes solùm constabant Odonis narratione, hæc quamuis cætera omnia palam essent; ne vel quid simile in exemplum trahi posset pro aliis Sanctis, vel ipse in hoc deesse videretur deuotioni fidelium, atque tot, & tantorum filiorum petitionibus; mediam quándam viam ingressus est, eatenus inauditam, quod sciamus, frequenter tamen vsurpandam nostris temporibus: nempe vt distingueret inter Beatificationem, canonizationemque: & restrictiorem facultatem primum venerandi Robertum, atque officium de ipso celebrandi in ea tantum Ecclesia, in qua sacra eius ossa recondebantur, Molismensibus daret, quod Beatificationi correspondet: exinde, comprobata traditione (quandiu actiones non poterant) & constanti inuenta, eundem, quod canonizare propriè est, vniuersæ Ecclesiæ colendum propositurus. Itaque quandiu hoc vltimum fiebat, ne in primo deesset, has ad Abbatem Conuentúmque Molismi litteras dedit.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Abbati, & Conuentui Molismensi, salutem & Apostolicam benedictionem. 12.

Cum olim per litteras & nuncios vestros supplicassetis instanter, adiuti testimoniis & intercessionibus plurimorum, vt Sanctæ memoriæ B. Robertum, cuius corpus in vestra requiescens Ecclesia, multis, & magnis miraculis coruscabat, Sanctorum Catalogo adscribere deberemus, nos, ne in tanto negotio videremur vti aliqua leuitate, tam de vita ipsius, quam de miraculis, per Venerabiles Fratres nostros Lingonensem, & Valentinensem Episcopos, mandauimus inquiri: cum ad id, vt aliquis habeatur vt Sanctus in Ecclesia Militanti, necesse sit, vt & veræ fidei, quæ per dilectionem operatur, merita cum perseuerantia finali præcedant, & clara etiam miracula subsequantur. Neque alia sine aliis plenè sufficiant ad indicium Sanctitatis: eo quod nonnulli faciunt opera sua, vt videantur ab hominibus; & nonnunquam Angelus Sathanæ transfigurans se in Angelum lucis: hominibus frequenter illudit, sicut de Magis legitur Pharaonis. Cum itaque Inquisitores prædicti nobis super his plenè rescripserint veritatem, quia licet nobis quædam miracula, quæ post mortem fecerat intimarunt; de his tamen, quæ in vita fecisse dicitur fidem plenariam non fecerunt: nos, ne precibus vestris videremur omnino deesse, concedimus vobis, vt eum tanquam Sanctum in vestra Ecclesia venerantes, eius apud Deum suffragia fiducialiter imploretis. Datum Laterani VI. Idus Ianuarij, Pontificatus nostri anno sexto. Has litteras nos ex Vaticano decerptas dudum habemus: exstantque in Bibliotheca Cluniacensi in notis ad epistolas Venerabilis Petri, cognomento Mauricij [d], quas Andræas Quercetanus publicauit; atque item in Gallia Christiana Roberti Claudij [e].

d *lib. 2. epist. 36.*

e *vbi supra.*

13. Beatificationem, vt vocant, Sancti Patris, filiorum lætitia, & festiuitas prima sequuta est; quam albi & nigri celebrarunt apud Molismum. Neque enim dubium vicinos Cistercienses, imo & multos distantes, siue inuitatos, & vocatos à Molismensibus, siue vltro se ingerentes ad primam hanc concurrisse solemnitatem: atque ex vtrisque factum vnum ouile discoloribus vestibus, non animis, communem omnium parentem acclamauisse coronatum in cœlis, quem in terris communem omnium Ducem, communemque Magistrum sequuti essent. Porrò hoc anno, aut initio sequentis, compertum est, traditionem virtutum comprobatam, & si quid aliud defuit primo processui; exindeque expeditas secundas litteras, quæ absolutè adscripsere Robertum Sanctorum canoni; atque vniuersæ Ecclesiæ proposuerunt. Certè in Capitulo generali Cistercensis familiæ, ad quod ex omni natione concurrebatur, legimus publicatum festum Parentis Sancti per vniuersum orbem celebrandum, vt nos etiam dicemus in ipso anno. Sed iam, quia semel Patrem inter Sanctos relatum loquuti sumus, qui hoc anno vestigia eius sequuti, illustres filios, Martyres, Confessores, & Canoni adscribendos, solita breuitate prosequemur.

1. *Sancti Serlonis cum Beato Adamo Martyrium.* 2. *Alexandri tunc Scotiæ Regis Zelus,* 3. *laudatus à Pontifice,* 4. *sed mox remissus, diuinæ vltionis manifesta materia fuit.* 5. *Celebrata memoria Sanctorum Martyrum; & Serlonis doctrina, scriptaque.* 7. *Ratio temporis,* 8. *& dictum de Adamo; quem sunt qui Meilrosensem Abbatem dicant.* 9. *Bonæ Vallenses pro Sancti Hugonis canonizatione solliciti,* 10. *litteras primum,* 11. *mox ipsum inter Sanctos adscribi impetrant.*

CAPVT TERTIVM.

1. SANCTVM Serlonem Meilrosensem Monachum, à Beato Adamo, Cathanensi, Episcopo in Scotia, ministrum verbi assumptum, & Pastoralis officij coadiutorem, glorioſa hoc anno coronauit Palma Martyrij, cum eodem Episcopo combustum, ob Ecclesiastica iura defendenda. Indignam cædem Episcopi Adami Hector Boëtius, atque supplicium sumptum de Parricidis, ab Alexandro Rege: Demum vbi ipse seueritatem exuit, manifestam vindictam diuinæ manus, in sua historia Scotorum, his verbis narrat [a]. *Hoc sedato tumultu, Cathanenses Episcopum suum, cui nomen Adamo erat, decimas more consueto fortè à popularibus exigentem, ac cum non persoluerent, diris, vt mos, execrationibus eos persequentem, correptum domi suæ flagris priùs fœde cæsum, in propria ipsius crudeliter culina concremarunt.* Ita Boëtius, popularibus solis cædem imputans, nec memorans Serlonem, quamuis vterque per eundem ignem transierit. Cæterum Martyrologium Scoticum à Demstero adductum, in Clibanum, siue furnum ardentem proiectum, ait, & cum ipso Serlonem, sacrilegium in Cathaniæ Comitem referens, quem saltem consensisse Sanctorum cædi ex his, quæ infra dicemus, palam fiet. *In Cathanis,* ait [b], *Adami Episcopi, & Martyris, qui quod dignitatem Ecclesiæ tueretur, à Comite loci, in ardentem furnum coniectus, in cineres resolutus, in cœlum euolauit.* Et paulò inferius. *Ibidem Sancti Serlonis Monachi Meilrosenſis, & & Martyris, qui cum Præsule Adamo eadem passus est.* Hactenus ibi,

a *lib.* 13.

b *Septembris* 13.

2. Cæterum quantum zelum præ se tulerit in vindicanda cæde Sanctorum Martyrum Alexander secundus, qui tunc regnabat, idem qui supra Boëtius ita prosequitur [c]. *Quod flagitium, vbi perlatum ad Alexandrum est (is tunc Idburgi erat) contractis paucis quibusdam copiis, illuc extemplo ipse proficiscitur, ac statim comprehensis sceleris auctoribus, qui supra quadringentos erant, omnes supremo afficit supplicio, filios vero impuberes eorum (nam puberes eundem cum parentibus exitum habuere) testiculis priuat, ne hominum sceleratorum proles successione multiplicata, diu superstes esset. In cuius rei signum certissimum, extat in hanc diem locus, vbi proiecti testes erant, nomine rem ipsam referens. Testiculorum enim appellatus est collis. Comitem vero Cathanensium, quod nec succurrisset innocanti auxilium Adamo, nec trucidato, de homicidy supplicium mox sumpsisset, Comitatu priuauit.* Egregium sanè exemplum, si non nimium, Christiani zeli; & dignum Principe verè Christiano; si non Alexander, quæ priùs bene cœpisset, degeneri indulgentia commaculasset; de qua statim.

c *vbi suprà.*

Interim tamen laudatum à Pontifice, egregiè commendante Principis factum, idem, qui supra, tradit Hector Boëtius [d]. *Pontifex*, ait, *vbi Alexandri in puniendis hominibus flagitiosis diligentiam, ac curam audiisset, plurimis verbis eum per legatum laudauit.* Demsterus hoc ad Cælestinum quartum (decem, & octo tantum dierum Pontificem, qui Gregorio nono, anno M. CC. XLI. successit) refert; & *extant*, inquit [e], *Cælestini quarti Bullæ, Regi, de tam insigniter vindicata Ecclesia gratias agentes.* At si Martyrium vtriusque Sancti Athletæ incidit in hunc annum, vt ex ipso inferius referamus, sera nimium vindicta, & seræ laudes, post decem, & nouem, à perpetrato flagitio, annos transactos. Nisi dicamus, declaratos eo anno Martyres à Cælestino Papa, atque ea occasione laudatum Ecclesiæ vindicem. Sed, & huic etiam coniecturæ obstat, quod statim dicam de Comite Cathanensi à Deo percusso, cum ei Alexander, pecunia, vt ferunt, corruptus, peperciſſet. Certè Alexandri Regnum diuturnum fuit, nempe ab anno M. CC. XIV. vsque ad M. CC. XLIX. quo tandem obiit sepultus in Meilrosia, contra morem parentum; fortè ex affectu erga Serlonem Martyrem, vt suo loco dicemus: quare cum comprehendat vtrumque tempus, neque aliàs alij auctores nobis subsint, facilè factum ad vtrumque referri potest.

3. d *ibidem.*

e *vbi supra.*

Quocumque fuerit, *tertio inde anno (pergit Hector Boëtius [f]) (cum Alexander Rex cum matre Emengarda (vti Scotiæ mos est, & paucis post diebus, in festo Regum, apud alios fieri consuetum) natali Christi genio liberalius indulgeret, captata oportunitate, Comes Cathanesius, supplex ad eum veniam rogatum venit cædis Adami; cuius, cum se innoxium esse se diceret, insimulatus fuerat eum Alexander, seueritate exuta, pristinæ fortunæ, accepta priùs ingenti pecunia, restituit. Sed impunitatem hanc ab homine concessam, haud inultam Deus dimisit. Nam famuli eius, quod eos asperius aquo tractasset, post paucos annos, noctu trucidatum ac in grabatum impositum (quo facilius occultum maneret) accensis ædibus concremarunt. Periit igitur illo eodem supplicij genere, (& si aliquot annis postea) vt diuinitus factum videri possit, quo Adamum Episcopum affecerant, cuius in morte ipse haud dubiè consenserat.* Sic quod homines reliquerant inultum in Comite flagitium, puniuit Omnipotens; qui ideo Deus vltionum vocari voluit, ne quis putaret flexibilem, vt homines, aut scelus aliquod indemne permissurum.

4. f *Eodem loc.*

Passi sunt Sancti Viri, vt habet Scoti Chronicon [g], Dominica infra octauas Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis, quæ incidit in tertiam decimam diem mensis Septembris: qua eadem in Martyrologio Scotiæ commemorantur. Porrò sacræ

5. g *lib.* 9. *c.* 37.

h *Apud Demsterum.*

Serlonis

Serlonis Martyris eximiæ ad Meilrosam non multo post delatæ,ibidem ad vltimam diem Decembris , in Vigilia Circumcisionis Domini honorificè susceptæ , & reuerenter collocatæ sunt; dolentibus de patrato flagitio Monachis ; sed nihilominus Serloni congaudentibus,& sibi gratulantibus, quod nouum ad Deum haberent,post tot alios præmissos,intercessorẽ. Extat in eodem Martyrologio Scotico illationis memoria , ad prænotatam diem,verbis sequentibus. *In Cathanesio,Serlonis Monachi,& Martyris,cum S. Adamo Episcopo cremati : & reliquiæ hoc die Meilrosam illatæ sunt.*

6. Cæterum Serlo non Martyris tantum , sed & Doctoris & aureola insignitus,ex hac vita migrauit , quippe qui præter verbi prædicationem , in qua mirè enituit, quædam alia scripsit , per quæ etiam prædicabat,vbi non erat; nec solum coætaneos,sed & posteros,ab ignorantia,ad lucem,à vitiis, ad virtutes reuocat. Demsterus eius scripta nobis recenset , ita de ipso scribens in suo opere de gentibus Scotorum. *Sanctus Serlo Monachus Meilrosensis , ac socius Episcopi Cathanensis S. Adami, cum eo etiam à furente plebe combustus, vt libro primo supra hoc opere vidimus. Scripsit,*

Vitam Adami Magistri , Librum vnum.

Contra Vsuras , Librum vnum.

De Decimis , Librum vnum.

Chartam libertatum Scotiæ , Librum vnum.

Affectus Martyrio Dominica infra octauas Natiuitatis B. Mariæ, vt loquitur Scoti Chronicon , libro nono , Capite XXXVII. annus erat M.CC.XXII. Hactenus ibi.

7. Cæterùm quod ad rationem temporis attinet; non posse vltra differri,inde colligitur;quod idem auctor subdit post hęc gesta,aduenisse in Scotiam Prædicatores missos ab ipso eorũ S.Patre B.Dominico. Porrò eorum aduentum in Scotiam nequaquam prolatatum,compertũ est;tum ex cunctis, qui de eis scribunt , auctoribus, tum ex ipso Boëtio,qui Sanctos Viros,non ab alio,sed ab ipso B.P.Dominico missos testificatur. *Aliquo tempore,postquam hæc gesta sunt, aduenerunt in Scotiam Viri Sanctitate præclari,à D.Dominico missi.* Et tamen constat missos à S.Patre , qui anno præterito, aut hoc ad summum obiit, vt multum in via detenti sint,non potuisse tardius peruenire. Certè Bzouius eorumdem Patrum aduentum ad Angliam,& Scotiam in annum præcedentem refert; nec video alios ab illo discordare.

8. Non tacuerim,recẽtiores cõplures,non solum Serlonem,sed Adamũ nostris adscribere ; quippe quem tradunt assumptum ex Meilrosia,cum ageret Abbatem eiusdem domus.Ita VVionius in suo ligno vitæ [h]. *Adam,*inquit, *Scotus, Monachus & Abbas Meilrosensis, deinde Episcopus Cathanensis in Scotia,* Arnoldũ VVionium Barnabas Montaluo [i],vtrumque Chrysost.Henriq.sequutus est, qui Adamum Menologio suo inseruit, ad vigesimam secundam diem mensis Iunij.Sed his auctoribus nulla maior fides, quàm VVionio ; & ille, præterquam quod non alium pro se adducit exter, & recens, in coaptandis familiæ suæ Sanctis facilis nimium ; & Meilrosiam, non domum Cistercienſem , sed Benedictinam putauit , vt olim fuerat. Nobis nihil prorsus vt certum asserendum , quod tale non fuerit ; sed nec prætereundum,quod alij tradunt, maximè vbi contrarium nequaquam constat.

h lib.2.c.39.

i lib.2. c.37.

9. Hoc eodẽ anno,cum miracula frequentia,quæ Deus ad sepulchrum S.Hugonis,quondam Bonæ Vallis Abbatis,operabatur,populorum ardentem deuotionẽ ; hæc Monachorũ humilẽ modestiam; atque illa tãdem clamoribus fidelium pulsata simul,& precibus fulcita, Honorij tertij claues,atque eius super Sanctitate Viri decretũ sollicitarent:ille quo erat in familiam Cistercienſem, sed multo magis in Sanctorũ veneratione,& pietatẽ fidelium propenso animo,& ne fortasse,retardata inquisitione ; quod euenit Roberto , testes deessent ; Archiepiscopo Viennensi , & Episcopo Gratianopolitano has , ad illius canonizationem , vt vocant , præuias litteras dedit [k]. k *Ex Regest. Honorij Præsent. anno.*

Archiepiscopo Vienensi , & Episcopo Gratianopolitano.

Licet Deus in operibus primæ creationis mirabilem se ostẽderit,& mirabiliorẽ in exhibitione redemptionis humanæ;adhuc tamen misericordias suas mirificare non desistens,variis miraculorum insignibus Ecclesiam suam ornat,dum electos suos,quos in Ecclesia ,& fidei veritate renatos prouehit in augmentum virtutum,dat miraculis coruscare:vt sic magis, & magis fides in Christo credentium renouetur,spes proficiat,& charitas augeatur, & confundantur,& erubescãt Ecclesiæ inimici,qui gloriã eius insaniam existimantes,idẽ detrahere multipliciter moliuntur.

10. *Sanè gaudemus in Domino , & in eius laudibus gloriamur,quod sicut dilecti filij Abbas & Cõuentus Bonæ Vallis Cisterciẽsis Ordinis,suis nobis nũtiis,& litteris adhibitis,querũ multorũ Prælatorũ testimoniis,intimarũt,Fœlicis recordationis Hugo,quõdam eorũ Abbas, pie ac faste in hoc sæculo viuens multa obtinuit à Domino fieri miracula manifesta;& nũc anima eius in Sanctorũ splẽdoribus habitãte,corpus ipsius multis fulget mirabilibus gloriosum. Quare nobis supplicarũt instanter,vt cum valdè reputetur indignũ,eum,quem pro sua merito Sanctitatis cõstat à Domino in triumphanti Ecclesia taliter honorari, ab hominibus sine debita veneratione in Ecclesia militante relinqui,eundem adscribi Sanctorum Catalogo faceremus. Nos igitur , licet supplicationes huiusmodi libentissime amplectamur ; ne tamen in hoc aliquid de contingentibus videamur omittere, fraternitatem vestram , de qua plurimum Domino fiduciam obtinemus, rogamus, & monemus attente, per Apostolica vobis scripta mandantes , quatenus tam de vita,quam de miraculis Sancti prædicti plenissime inquirentes, rescribatis nobis super his fideliter veritatem ; qua cognita , procedamus exinde, provt secundum Deum viderimus procedendum, Datis Laterani, quarto nonas Decembris, Pontificatus nostri anno sexto.*

11. Hactenus litteræ Honorij Papæ tertij,pro inquirendis Abbatis Sancti meritis , & miraculis: quas sub finem præcedentis anni expeditos , initio huius Episcopi acceperunt, & exequuti sunt, ingenti totius Galliæ acclamatione. Recentium operum testes inuenire , facilè fuit : & miracula multa ingentiaque virtutes, & merita, quantum constare possunt in hac vita , adeò miraculis per omnia concordabant , vt Hugo statim Sanctis adscriptus fuerit. Litteras canonizationis eius nondum accepi ; sed datas produnt Ecclesiæ publicus cultus, iam non alias permissus, & festum celebratum officio proprio , olim per totum Ordinem , nunc saltem in Ecclesia Bonæ Vallis, & & eius filiis. De Diœcesi,& Prouincia Viennensi,neque affirmare,neque negare possum, quippe qui nihil de illis compertum habeo.

1. *Subiugata Lubauia, Culmaque,* 2. *Christianus Monachus in Episcopum eligitur:* 3. *assignatis redditibus copiosis,* 4. *quos largitas fidelium,* 5. *atque industria Christiani breui auxere.* 6. *Bernardus de Lippia, ex Monacho, & Abbate Lealhensis, Episcopus.* 7. *Quos filios ipse Episcopos habuerit?* 8. *& qualiter se mutuo consecrauerint?* 9. *Ratio temporis:* 10. *& gloriosus fructus Bernardi prædicationis.*

CAPVT QVARTVM.

1. DVo insignes Episcopi in Liuonia, adeoque duo illius gentis Apostoli, (nam noua semper Barbarorum seges) hoc anno nobis veniunt memorandi; Culmensis, & Lealhensis; melius dixerim erecti Episcopatus, institutæ Ecclesiæ; sed quæ plantandæ Cistercio committerentur. Certè Culmensem incœpisse in Christiano non dubiè constat; & de Lealhensi, auctorem suum agnoscere Bernardum Lippianum, multis mihi indiciis, persuadeo. Neque assero vtrumque promotum hoc anno fuisse, nam fortè vterque antiquior; sed ignorato promotionis tempore, is præ aliis annus electus est, in quo ab auctoribus infulati commemorantur. Et quidem de Christiano multa supra, quæ breuiter in memoriam reuocanda. Ipsius opera, prædicationeque multos cruce signatos, Principes, populares, nec minus sæculares, quàm Ecclesiasticos; inter quos etiam Henricus Dux Silesiæ, Sanctæ Heduvigis coniunx, & Lescus, Dux Poloniæ; complures Episcopi, & præcipui ex Poloniæ nobilitate. Eorum armis subiugatos Barbaros, qui à Conrado, Massouiæ Duce, defecerant; coactosque, vt non ferre iugum Christi: at non per vim repellere, neque impedire Euangelij prædicationem. Id satis Viris Euangelizantibus pacem, Euangelizantibus bona; & pro plantanda in ea Prouincia fide, nec viuere, nec mori recusaturis. Non credo Surbaunum, & VVerpodam, de quibus supra, Paulum, & Philippum in Baptismo nominatos, defecisse à Christo: quod nequaquam Historiæ tacuissent. Sed rebellante in eos barbara plebe, validos ortos motus; queis compescendis cum omnino impares essent, diminuta apud Barbaros auctoritate ex variatione legis, aut timidè cessisse, aut forsan per speciem prudentiæ dissimulasse.

2. Vtcumque fuerit, Conradus Massouiæ Dux, cum iam Culmensem, & Lubarienſem tractus in suam potestatem redegisset, eundem Christianum, primum gentis Episcopum, iam antea designatum, auctoritate Summi Pontificis constituit: ratus nimirum ab eodem fructuosius prædicandam crucem Paganis, à quo in eosdem prædicata hactenus tam fœlices progressus sortita esset. Verum ne Episcopum, præ nimia paupertate despicabilem barbaris, & qui non posset Christianis subuenire per eleemosynas creare videretur (adeo dum in hac vita sumus hæremus temporalibus, vt sine eis ne spiritualia quidem proueniant, à quibus tamen sæpius obrui solent) ne, inquam, aut Paganis despicabilem, aut in suos fideles minus beneficum crearet Episcopum; pro his, qui antea fuissent designati; sat pingues reditus Ecclesiæ nouæ attribuit, ex Castris, pagis, Villis, aliisque, quæ larga manu dedit, ab eodem perpetuo possidenda. Meminit piæ huius donationis Martinus Cromerus in sua historia Polonica, memorans possessiones, testesque, prout in instrumento tunc desuper confecto continebantur. Atque ecce eiusdem Martini Cromeri verba [a]. a *lib. 7.*

3. *Conradus*, ait, *eundem Christianum, primum Episcopum, Pontificis maximi auctoritate constituit, per quem barbari ad Religionem Christianam adducerentur: eique, & successionibus eius Episcopis Prussiæ (sic enim tunc appellati sunt, qui deinde Culmenses dicti sunt) partem tractus Chelmensis, in quo fuerunt munitiones Grudentum, Vapscum, Coprinum, siue Coprinuum, Villisazum, Colnum, Ruhc, siue Ruth, Kisinum, Glemboki, siue Profundum, Turnum, Pin, Ploth, siue Ploch, Postolsco, Coualeno, Boloz, Colman, Ostrozuith, Neuir, Bobroth, VVencino, Milesceuo, Osiezno, Plovvanis, Iablono. Eas igitur cum omnibus Villis, & Pagis attinentibus, & iure ducali, Episcopo illi, & Ecclesiæ, iure sempiterno donauit: & præterea centum pagos. In reliquo autem Culmensi territorio dimidiam partem ducalium prouentuum, & in arce ius, Curiam sibi, & Fratrum suorum collegio construendi ipsi concessit. Adscripti sunt autem testes (vt hanc quoque antiquitatis memoriam ne prætermittamus) hoc ordine. Gothardus, Cancell. Massouiæ, Nicolaus, Cancell. Cracouiæ, Arnoldus Massouiensis, Marcus Cracouiensis, Iacobus Sendomiriæ, Dersco VVratislauiæ Palatini, Pascoslaus Cracouiæ Mestuinus Sendomiriæ, Hostasius Vislitiæ, Clemens Plocensis, Theodorus Crusuiciæ, Mauricius VVladislauiensis, Sobeslaus VVratislauiensis, Stephanus Bolesłauiensis, Petricus Legnitiæ Castellani.* Hactenus Cromerus de pingui nouæ Ecclesiæ dotatione per Conradum exhibita in ipsa, vt arbitror, eius creatione. Hoc initium Culmensis Ecclesiæ sub Christiano Episcopo, in cuius gratiam, reuerentiamque plura haud dubiè, quam aliàs conferrentur, concedebantur. 3.

4. Verum cum nec hæc satis apparerent pro dignitate Viri, & desiderium ampliandæ nouæ Ecclesiæ, à Conrado, ad alios pertransiret; hoc anno accepit ingens augmentum dotis, largitate Episcopi, & Capituli Plocensis Ecclesiæ, atque Henrici barbari, Siletiæ Ducis. Quod idemmet Cromerus immediatè subiungit, in hæc verba [b]. b *vbi supra.* 4.

Adiecit etiam Gedeon Plocensis Episcopus, assentiente sacro Collegio, Carnouum, & Papouiam, cum omnibus eius oræ pagis, seu Villis suis, & omni iure, profano, iuxta ac Ecclesiastico, quod habebat in tractu Culmensi, atque etiam decimas; iis bonis exceptis, quæ tunc Silesiæ Dux Henricus obtinebat. De his porro permisit, vt inter eum, & Episcopum transigeretur. Id adeo anno Christi M. CC. XXII. Louiciæ actum est, vti videre est ex diplomate à Conrado, & Gedeone, vna cum Capitulo supra memoratis, pariterque à Lesco Poloniæ, & Henrico, Silesiæ Ducibus, Vincentio Archiepiscopo Gnesnensi, Cracouiensi, Posnaniensi, VVratislauiensi, Lubussensi, & Cuiauiensi, Episcopis, cõsignato. Hactenus ibi.

Porrò

5. Porrò qui Principes, qui Episcopos, qui Clerum ad nouæ Ecclesiæ augmentum permouisset; multa alia acquisiuit sua industria, multa ex aliorum fidelium eleemosynis, addidit supradictis; vt verè, si non milites Theutones inuasores in breui passa esset, quæ sub Christiano initia habuisse noscitur, plurium aliarum progressus superarent. Nam audi quod in eodem auctore sequitur [c]. *Accessere postea complura alia bona eidem Ecclesiæ, partim vendita, partim donata à piis hominibus. Sed pleraque Theutones Crucigeri deinde per vim, & fraudem interuerterunt, & occuparunt.* Hæc tantum ille. Ea militum frequenter conditio est, vt amicos spolient, si desint hostes; & vbi semel furere cœperunt, ægrè discernant inter sacrum, atque profanum. En qui ad plantandam Ecclesiam acciti sunt, & plantandæ viam aperuerunt, plantatam expilant, atque eius bona diripiunt, vt hostes possent. Hactenus de Christiano, Culmensis in Liuonia Ecclesiæ primo Episcopo. Nunc de Bernardo Episcopo Lealhensi, quæ pauca suppetunt, in medium proferamus.

c *ibidem.*

6. Arnoldus VVionius vera falsis permiscens pro suo more, de Bernardo de Lippia hæc habet verba [d]. *Bernardus Bernardi filius, ex concessione Conradi IV. Imperatoris primus Comes Lippiensis, ducta vxore Sophia filia Friderici bellicosi Comitis Arensbergici, cum ex ea quatuor filios generasset, iam senex, eius consensu resignat, & fit Monachus Marienfeldensis Benedictinus, mox Abbas. Tandem in Liuoniam profectus, Religionem Christianam prædicauit.* Hæc ille. Sed nec Conradus quartus Imperator hactenus fuit, nec Lippiæ sese Comites vocabant, sed tantum Dominos, qui terræ illi præerant, vt eorum gentilis adnotauit Albertus Krantzius, nec multo senio grauis Monachum induit, qui hoc iam anno Episcopum agebat, vt mox ostendam, & ab eodem Arnoldo memoratur ad annum M. CC. L X. peruenisse: demum, nec Marienfeld. Benedictinum, vt vulgo sonat, sed Cistercense Monasterium fuisse; & esse, clarius constat, quam vt possit in dubium reuocari. Verum est Lippiæ, aut Luppiæ vrbis Germaniæ, cuius Ptolomæus, & alij meminere [e], Dominos perantiquos, ex prima totius Germaniæ nobilitate: ex his Bernardus, vir in armis strenuus, quamuis corpore debilis, &, vt Alberti Stadensis Abbatis [f] verbis vtar; *Qui in omnibus Domini, & militiæ suæ actibus strenuè se gerens, circa maturam ætatem, quamuis esset debilis, & contractus, in sporta ad prælium deferebatur, & inimicos, potius victoria, superabat.* Ergo hic Bernardus, post plures ex legitimo thoro susceptos liberos, spreta mundi pompa, deliciisque, & quo cæteros hostes debellasset, seipsum vincens animo, Cistercium induit; dubium in quo cœnobio? nam Albertus non Marienfeld. appellat, sed Vurdenert (fortè de Vurbenich, vt statim dicam.) Cæteri silent, & solum Ordinem produnt, sed non Ecclesiam. Quicumque fuerit in ea creatus Abbas non multo post: vnde in Liuoniam transiens (haud dubium quin relicta præfectura) Lealhensis Episcopus efficitur, & consecratur ab vno ex eius filiis, qui iam tunc præerat Ecclesiæ Traiectensi.

d *lib. 2. c. 46. & lib. 4. cap. 39.*

e *Abraham Horthel. in thesauro.*

f *Ad annum 1228.*

7. Constat Bernardum præter Ottonem (sic enim vocabatur) Traiectensem Episcopum, à quo ipse sacratus; habuisse & alium filium, Gerardum nomine, Bremensem Archiepiscopum, quem ipse simul, Ottoque sacrarũt; Pater, & Frater. An autem præter hos, tertiũ habuerit, Bernardum nomine, qui ad Paderburnensem Ecclesiam assumptus, à Bremensi Archiepiscopo Gerardo munus consecrationis acceperit, non ita video conuenire inter auctores. Certè Albertus, in eo quod scripsit Chronico, non solum indicat, sed tradit manifestè. Sic enim habet [g]. *Viulbrando Paderburnensi Episcopo, in sedem Traiectensem translato, & Bernardus Præpositus Paderburnæ in Episcopum eligitur: & Bremæ, à Fratre suo Bremensi Archiepiscopo ordinatur. Hic erat filius nobilis Bernardi Domini de Lippia; qui laudabilem vitam quoad sæculum laudabilius in Deo complens, apud Vurdenert (credo Vurbenich) Cistercienſi Ordini se reddidit: & primum ibidem factus Abbas, non modicum post in Liuoniam profecturus, Lealhensibus populis Episcopus consecratur: itavt in vinea Domini egregiè prædicando, fideliter laboraret.* Hactenus ibi, Bernardo Paderburnensi, Fratre appellato Archiepiscopi Bremensis, qui Bernardi de Lippia filius fuit.

g *Ad annum 1228.*

8. Cæterùm de Gerardo ipso Bremensi, & Traiectensi Ottone, Patreque, consecrationis munus sibi impendentibus, clarius adhuc, & expressius paulò inferiùs. Sic enim, ait, *Mira res! Otto Traiectensis Episcopus Bernardum Patrem suum in Episcopum Scouiensem consecrauit Aldenselæ: & postea Pater, cum eodem filio, Gerardum alium filium, in Bremensem Archiepiscopum consecrarunt.* Ita Albertus, cui consonat Krantzius, rem omnem latius narrans totidem verbis [h]. *Bremensis Ecclesia, morte Gerardi viduata, alium recipit Gerardum, Domini de Lippia filium, pridem Paderburnensem Præpositum, religiosi Patris filium æquè religiosum. Nam Bernardus nobilis Dominus de Lippia (nam se Comites non asserunt) relicto sæculo, Monasterium ingreditur, & in Abbatem prouehitur; inde etiam assumptus cum deuotione pro Christo peregrinandi tangeretur, consecratur Episcopus Lealhensis in Liuonia. Ottonem inter alios Bernardus de Lippia habebat filium, Episcopum Traiectensem, qui manibus suis parentem secundum carnem, consecrauit Episcopum, factus parentis parens; & inde Pater cum eodem filio, Gerardum Archiepiscopum Bremensem, alium filium, oleo sancto initiauit. Tam religiosam iste Gerardus duxit originem; nec minus respondit generi suo in administratione.* Hactenus Krantzius. Consonat Chronicon Archiepiscoporum Bremensium, & quotquot alij scripsere de Patre, siue de filiis.

h *lib. 7. Metrop. c. 40.*

9. Non satis constat, an tunc erecta Ecclesia, sicut Culmensis, neque item de anno creationis Bernardi Lippiani; cæterum hoc M. CC. XXII. Episcopum iam agere, habemus ex Cæsario Heisterbacensi, qui in eo suos Dialogos scribens, vt ipse tradit, & nos ex ipso sæpius admonuimus, non semel eum in Liuonia Episcopum vocat, cum iam Abbatem egisset in propria domo. *Retulit*, ait [i], *nobis Dominus Bernardus de Lippia, quondam Abbas Liuoniæ, nunc Episcopus ibidem, rem satis glorioſam, &c.* Et iterum [k]. *Referre solet Dominus Bernardus de Lippia, quandoque Abbas, nunc Episcopus in Liuonia, quoddam miraculum, &c.* Vt verè dubitare nequeat, hoc iam anno promotum, & multos iam ad fidem, imo ad ingentem spiritus feruorem, verbo eius dante Deo vocem virtutis, ex Paganismo conuertisse. Certè vnum ex his quæ

i *lib. 9. c. 37.*

k *lib. 10. cap. 35.*

referebat, de quodam recens conuerso magnum miraculum, quia vel feruorem prædicationis eius, vel saltem fructum videtur commendare, nequaquam licet silentio præterire. Est autem tale [1].

lib.9.c.37. 10.

Retulit nobis Dominus Bernardus de Lippia, Abbas Liuoniæ, nunc Episcopus ibidem, rem satis gloriosam. Cum quidam, si bene memini, conuersus, qui nuper fidem susceperat, Monachos communicare vidisset, & sibi hoc minimè licere cognouisset; stans contra Altare communicandi desiderio suspirauit: & ecce pius Dominus, sine Sacerdotis ministerio, de altari per Sacramentum descendere dignatus est in os eius, qui mox hostiam aperto ore ostendens, & causam tantæ gratiæ manifestans, cunctos, qui aderant in stuporem conuertit: eandem enim hostiam defuisse repererunt in altari. Ita Cæsarius, ex ore eiusdem Præsulis, vt palam fiat discipulos Bernardi, diuina fauente gratia, inde incœpisse, ad quod Sanctissimos Viros, non nisi raros legimus pertigisse. Sed non est nouum radicandæ fidei, vbi tunc recens seritur, patrari miracula, quæ inter fideles adultos desiderentur. Reliqua Bernardi de Lippia minus nota; adeo nihil de Sanctis illis, & magnis viris scriptum habemus, nisi quæ obiter, neque ex instituto, in aliorum historiis libantur. Non peruenisse Episcopum Bernardum ad annum M.CC.LX. (vt putauit Arnoldus) argumento est, quod vel si iuuenis ad Ordinem venisset, Monachatus & Abbatiæ tempus explere; & alias fermè quadraginta annos Episcopari, supra ætatem consuetam videri posset.

---

1. Guillelmus, vt prægnanti succurrat fœminæ, bouem occidi, & in frusta concidi iubet. 2. Eundem suscitatum videt sequenti die. 3. Hinc eius multa largitas in pauperes: 4. Zelus in Eucharistiam, 5. & seueritas nimia castigata. 6. Arnulfus iuuenis ad habitum susceptus, præcedenti oraculo. 7. Miraculum in alio Sancti discipulo. 8. Hermani VValdsasensis actorum summa. 9. Mors, sepultura in cœnobio Cistercienſi; 10. & dictum breuiter de eius successore.

CAPVT QVINTVM.

1. QVEM anno præcedenti subrogatum in locum VValteri memorauimus, Villariensi cœnobio præfuturum, ex pusillanimi, & vt non auaro, saltem nimium parco; penè prodigum, certè largum in pauperes effecit ingens miraculum, quod à Venerabili Viro Thoma Cantipratano memoriæ proditum non licet nobis silentio præterire. *Nostro tempore,* ait [a], *anno videlicet ab Incarnatione Domini M. CC. XXII. quidam Abbas VVillelmus nomine, in Monasterio VVillariensi, in Brabantiæ partibus fuit, qui in pauperes largus valde, & pius, tali occasione miraculi extitit, sicut Fratri VValtero, quondam Priori Fratrum Prædicatorum in Treueri, à quo & ipse accepit, idem Abbas secretius enarrauit. Curia erat cœnobio Villariensi in Loſſensi Comitatu Hasbaniæ, quæ Hex dicebatur, in qua bos conuersis Fratribus fuit elegans forma, virtute, & pinguedine: de cuius carnibus quædam paupercula prægnans comedere irremediabili desiderio concupiuit. Flebat autem quotidie, & quasi cum vitæ periculo torquebatur. Dabantur illi bouinæ carnes pulcherrimæ: sed ad restringendam eius concupiscentiam non valebant.*

a *lib.2.c.25. num.5.*

2. *Veniente ergo Abbate VVillelmo ad Curiam, & narrante Fratre conuerso periculum mulieris, respondit Abbas; melius est occidi bouem, quam hominem: sed secretè hoc facias, & comple mulieris desiderium. Induxit ergo Frater conuersus bouem, vespere secretius in conclaui, & occisum excoriatúmque membratim diuisit, & reposuit: particulam vero, quam mulier in boue concupierat, eidem mox transmisit. Qua comesta, mulier ex toto conualuit. Mira res! horrendum spectaculum. Mane facto, cum Frater conuersus famulos suos ad aratrum sequeretur, videt bouem occisum arantem in aratro, & vltra quam credi potest, terribiliter stupefactus, recurrit ad domum, intrat thalamum, requirit carnes repositas, nihil de boue prorsus inuenit; nec carnes, nec pellem, nec saltem sanguinem, quem effuderat. Huius rei tres Fratres conuersi in domo, testes idonei pro veritate fuerunt, sed & ipse carnifex, vir fidelis, & bonus, nec non, & super omnes ipsa mulier, quæ in sola bouis occisi carnis comesta conualuit, cum in cæteris non potuisset: quia in eis quodam occulto, sed tamen naturali instinctu, cum violenta desiderij virtute decreuit. Familiam autem Curiæ res penitus latuit, quia eã diuulgari Abbas, districtè prohibuit.*

Hactenus sumptum ex Cantipratano ingens miraculum, & cui pauca similia recenseantur: maius, vix vnum. Porrò apud ipsum Abbatem (pergit auctor [b]) *res adeo valuit, vt sicut ipse dicebat, qui ante naturaliter parcus fuit, largus super omnes Abbates Ordinis, & pius in pauperes extitit.* Hoc primum sub Abbate Guillelmo signum fuit, ipsi in meritum, & in nouæ virtutis acquisitionem; cæteris in exemplum, mulieri in salutem, Christo in gloriam. Narrantur, & de ipso plura alia, ex quibus nos nonnulla subiiciemus. Certè orationi, contemplationique, & lachrymis deditum, inter quas multas, atque insignes haberet consolationes, multa etiam diuinitus accipere, quæ vera omnino, & certa comprobabantur, idem auctor subiungit paulò inferius. *Hunc* (ait) *specialissimè lachrymis deditum vidimus; & vt illi dixerunt, qui eundem secretius cognouerunt: in tantum diuinæ contemplationis assiduitate vacabat, vt ei Dominus multa in visione monstraret: de quibus nonnulla scripta vidimus, & probata.* Hactenus dicta ex Thoma Cantipratano.

3.

b *ibidem num.8.*

Cæterum ex Chronico Villariensi plura alia excerpsere recentiores. Quod de Sancto VValeno narrari solet, cum araneam consecrato calici mersam fortis in fide, intrepidus hausisset; de Guillelmo mirabilius adhuc scribitur. Quippe iecto animali venenoso fermè post annum, adeo integro, ac potuisset eadem hora. Feruntur mira de eius abstinentia, inter quæ illud glorioſius, quo difficilius, quo plus sibi in seipso vincendum fuit [c]. *Cum mensæ accumberet, oblati fuere ipsi cibi delicati, quibus ita*

4.

c *Apud Arnal. de Rayse. Sept.309.*

ita est allectus, & adeo tentatus, vt ex eorum auiditate sanguis ex ore, ac naribus eius profluueret: nihilominus ab iisdem sese abstinuit. Certè si ex lucta, victoria pensanda venit, quanta putas Victoria potitum hominem, cui vsque ad sanguinem secum, & cum proprio appetitu luctandum fuit?

5. Habuit tamen in quo plus nimio excessit, immoderatum zelum, adeo nemo perfectus, dum in hac vita; sed quem, quo sibi virum iuxtà cor suum diuina tandem manus perpoliret, per miraculum insigne temperauit. Ipso profecto ad generalem Synodum (dubium hoc anno, an aliquo ex sequentibus) conuersus quidam in grauem morbum incidens, dum se per Sacramentum confessionis expiandum procurat, reseruatum Abbati peccatum detegit. Subprior domus (nam illi confitebatur) morbo, periculi nihil inesse putans, ad Abbatem remittit, cum primum redeat, per ipsum absoluendum. Interim accidente quodam oppressus, decessit subito, nulla copia vocandi Subpriorem, nulla obtinendæ ab alio absolutionis: deleta tamen culpa per contritionem, quam veram habuisset, & sola temporali pœna relicta, per quam foret pro ea satis passurus. Mox redeunti de Synodo Abbati, atque orationi instanti, conuersus adest; & Pater, ait, *cum recessisses à nobis, mandatum accepi à Subpriore in confessione, vt peterem à vobis absolutionem de tali delicto morte præuentus, post mortem quod possum facio. Ecce nunc adsum, eamque instanter, & verè pœnitens peto.* Absolutus, qua potuit, & capax fuit, iniungi sibi pœnitentiam rursus exposcit: cui, Abbas, quo ardebat zelo immoderato, & in hac parte haud dubiè minus discreto, *præcipio*, inquit, *tibi, quod permaneas per annum integrum in Purgatorio.* Tunc vero ille exclamans voce terribili. *Heu me! pater*, ait, *quare tam duram contra me tulisti sententiam. Ego potius eligerem septennio in ignita fornace Villariensi cruciari, quam vnum annum in Purgatorio degere:* & adiecit, quo hominem instrueret: *suffecisset oratio Dominica, & ea semel dicta, ad huius peccati reatum abstergendum. O quales estis homines in alios! Sed precibus, & suffragiis Fratrum iuuari potero.* Tunc vero Abbas quasi ad se reuersus agnouit excessum: & præter orationes iniunctas Fratribus sequenti die in Capitulo; ipse in futurum temperauit zelum, quin etiam monuit alios temperare. Hæc ex Chronico Monasterij Villariensis, ex quo Henriquez [d], & alij desumpsere.

d lib 1. Fresc. dist 29. 6.

Multos in Christo filios Cistercio genuit Sanctitate insignes, inter quos primus Beatus Arnolfus fuit, ætate iuuenis, moribus ingenuus, aspectu decorus, genere nobilis, patria Louanienſis; quem Beata Virgo commendatum Guillelmo voluit, & sua commendatione dignum prædixit. Villariensi cœnobio præficiendum. *Cum Sanctus Abbas* (ait Villarij Chronicon [e]) *aduenisset Louanium, Ducem super quibusdam negotiis alloquuturus; ibidemque peregisset Missæ solemnia; Beata Virgo Maria illi apparuit; & postquam, ait, negotia tua peregeris, venient quidam ciues ad te, & rogabunt te pro receptione cuiusdam pueri. Recipe illum; quia vas electionis est mihi: & his dictis disparuit. Vix peracto negotio, pro quo aduenerat, parabat discessum, cum ecce ciues quidam ad eum veniunt, adducentes Arnulfum, roganteſque, vt eum vellet in Monachum suscipere.* Hic magnus ille Arnulfus Abbas fuit, Ordine tertius decimus, de quo multa, & mira dicturi sumus. Porrò hunc in filium sibi specialissimum adoptauit Guillelmus, haud dubiè credens gloriosam sibi prolem, quam Beata Virgo talem commendauisset.

e Apud Henricum.

Habuit, & alium specialis meriti, quem, per ingens miraculum, eidem Deus Guillelmo manifestauit. Id ex Villariensi Chronico desumptum, Chrysostomus Henriquez narrat totidem verbis [f]: *Cum hic Venerabilis Pater, scilicet Guillelmus, quadam die Missam celebraturus esset, minister eius Monachus, iuuenis bonæ indolis, & bene religiosus, ac bonis exercitiis totaliter deditus, petiit à Sancto Patre sacram Dominici corporis communionem sibi dari. Vir autem Dei paternarum institutionum amulator strenuus, petenti filio sic benignissime respondit. Fili charissime, die Dominica communicasti secundum Ordinis consuetudinem, ideo non est necessarium tuæ pro nunc satisfacere deuotioni; cum videatur Ordinis institutionibus contraria. Imo credo, te salubrius abstinere debere, quàm patrum statuta præterire, sed crede, & manduca saltem spiritualiter, licet non sacramentaliter. Ad hæc verba pij Patris, filius deuotus subticuit, Deo, cui cordis abscondita manifesta sunt, suam deuotionem commendans, non remurmurans, non recalcitrans, non impatiens repulsæ, sed sese humiliter custodiens infra limites veræ, & perfectæ obedientiæ. O Deus infinite, & verè incomprehensibilis misericordiæ; quam magna, imo quam maxima multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te!* Et paulo inferiùs. *Processit igitur Pater Venerabilis tanto deuotius, & sanctius, quanto illud ministerium præ cæteris sublimius, & diuinius est. Attendebat ad sacra perficienda, & ecce mirum, & verè mirum; postquam ad communionem est deuentum, corpore Christi in tribus partibus fracto, vna sanguine intinguitur, altera sumitur, sed tertiam reperire non potuit: nam ab oculis Patris Sancti disparuit, & in ore Ministri sui humilis, & deuoti iacentis in oratione, & puris medullis cordis Deificam participationem desiderantis aduolauit. Mira res, & nostris temporibus inaudita. Cui Pater Sanctæ religionis æmulator corpus Dominicum tradere noluit, huic Deus per seipsum, ne suo frustraretur desiderio, se mirabiliter donauit.* Hactenus de Guillelmo dicta sufficiant, occasione miraculi insignis de boue suscitato, quod ad hunc annum contigisse narrat Cantipratanus.

f lib 1. olim 2. 29. cap. 5.

7.

8. Eodem legitur ad superos translatus Venerabilis Hermanus VValdsasensis Abbas, cum octo annis eam Ecclesiam administrasset. Virum eximiè Sanctum, & Sanctis Angelis apprimè familiarem, de quibus, & libellum composuit, superius diximus: haud tamen ideo ab hominibus abstractum, sed omnibus perutilem; & quem maiores, æquales, inferiores eximia pietate venerarentur. Eius industria Honorius in multis vsus, in multis Fridericus, à quo & non pauca priuilegia obtinuit suo cœnobio, quorum meminit Bruschius verbis sequentibus [g]. *Hermanus eligitur anno M. CC. XIV. laudabiliter præfuit, & plurimum profuit cœnobio suo annis octo.* Et infrà. *Accepit priuilegia anno M. CC. XIV. ab Imperatore Friderico secundo, in Egraria ciuitate,*

g In Catal Abbat. VValsens.

uitate, Datum per manum Conradi Metenſis, & Spyrenſis Epiſcopi, & Imperialis aulæ ſupremi Cancellarij, in quo teſtes allegantur, Albertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Otto Epiſcopus Herbipolenſis, Engelhardus Neuburgenſis, Conradus quondam Halberſtadenſis, Hermanus Langrauius Thuringiæ, Theodoricus Miſnenſis, & orientalis Marchio, Otto Dux de Meran, Adolphus Comes de Shaunburg, Albertus Comes de Eberſtein, Henricus Comes Schvvart Zburg, Fridericus Comes de Richelingem, Burchardus Comes de Mansfeld, Erneſtus Comes de Vilſeck, & quidam miniſterialis de Egra. Accepit eodem anno, ab eodem etiam Imperatore aliud priuilegium Egræ datum XII. Kalendas Decembris, in quo teſtes citantur, Otto Dux de Meran, & Gerardus Landgrauius Leuchtenburgenſis. Tertium priuilegium ab eodem Cæſare conſequutus eſt in eadem Vrbe, Datum anno Domini M. CC. XIX. decimaquarta Kalendas Decembris. Hæc Gaſpar Bruſchius.

10. Quod attinet ad adminiſtrationem temporalem, eſt etiam celebre, quod *fecit primus piſcinas, & inſignes lacus Thurſenreutenſes, pagum enim eum pro prædio Seevvarn permutatum anno M. CC. XVII. à Rabodone, Comite Palatino, ipſiuſque Fratre Henrico, Comitibus de Orthenberge, plenè conſequutus eſt, imperante Friderico.* Plura de eo à nobis in ſuperioribus, quæ non opus repetere, & adunata indice reperiet, quicumque volet. De morte Viri, ſepulturaque non apud VValdſaſum, ſed in Ciſtercio, vbi & obiiſſe dicitur, hæc ab eodem auctore ſcripta lego. *Moritur anno Domini M. CC. XXII. ipſo die Angelorum: non domi, ſed in Ciſtercio, Burgundionum terræ potentiſſimo Monaſterio, vbi in ambitu Eccleſiæ ante aram Sanctiſſimæ Trinitatis honorifica ſepultura donatus eſt.* Hactenus ex Bruſchio. Virum inſeruit Menologio ſuo Chryſoſtomus Henriquez ad vigeſimam nonam diem menſis Septembris, ſed non aliunde, quam ex Bruſchio notitia hauſta.

Hermanum VValſaſi excepit Eberhardus, octauus Monaſterij eiuſdem Abbas, de quo per ſeptem, & viginti annos, quibus præfuiſſe legitur, multa memoria, & laude digna inuenio, tam in ſtructuris, quam in priuilegiis, quæ plurima à Friderico ſecundo, & filio eius Henrico eidem indulta etiam nunc conſeruantur, & obſeruantur non ſine magna Monaſterij auctoritate. Illud etiam in eo memoria dignum, quod cum tot annis cœnobio illi præfuiſſet, & ſe iam ſenio, & morbis fractum cerneret; vltro ante mortem præfecturam abdicauit; diuinam vocationem, in quiete, & ſilentio præſtolaturus. Sed hæc, & alia de ipſo, aliiſque, quicumque hos annales, continuauerit (neque enim credo nobis vltra dabitur) exactiori ſtylo proſequetur. 11.

---

1. *Honorij in Caſæmarium munificentia*, 2. *eiuſdem litteræ* 3. *de Sorano Monaſterio*, 4. *& eius procurata reformatione.* 5. *Vnitum id Eccleſiæ Caſæmarij*, 6. *& vnio confirmata per Fridericum*, 7. *ad inſtantiam Honorij*; 8. *& multa alia bona mobilia*, 9. *& immobilia eidem, ab eodem Papa conceſſa:* 10. *& prohibita vtraque alienari.* 11. *Dictum de Sancto Thoma de Ozech, & de reliquiis, ab eodem Honorio illuc tranſmiſſis, pro eiuſdem Eccleſiæ dedicatione.*

CAPVT SEXTVM.

1. INGENS Honorij in noſtros munificentia, præcipuè in Caſæmarium, (quam ſibi Eccleſiam dudum adoptauiſſet) & ſi nunquam ſterilis, hoc tamen anno præ aliis fœcundior fuit. Cum Monachi Sancti Dominici de Sora (inſignis Monaſterij, cuius ſuperius fecimus mentionem) à Sanctitate Patrum degeneraſſent; neque ipſis diſperſis per varia loca, ſubrogatos ſanctiores experiretur; quippe quocumque ex antiquis remanente, reliqua maſſa, vt fermento, corrumpebatur: Abbatiam ſupprimendam ſibi decreuit: ac Monaſterio Caſæmarij tradidit; Prioratum ibidem erecturo ad ritus Ciſtercienſes informandos. Quin, & Imperatorem Fridericum eo induxit, vt hanc eandem vnionem, & incorporationem ratam haberet, atque ſuo diplomate firmaret, Caſæmario indulgens propter Honorium (nam ea cauſa exprimitur) quicquid in Monaſterio Sancti Dominici iuris ſibi competeret, vt ipſe loquitur, æternum poſſidendum. Vtraſque litteras Honorij, & Friderici adducit Cardinalis Baronius tomo vndecimo: Caſæmario, & Ciſtercio adeo honorificas, vt neque poſſint à nobis pertranſiri. Litteræ porro Honorij ita ſe habet [a].

a *Apud Bermi. anno 1030.*

2. *Honorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Abbati Caſamarij eiúſque Fratribus tam præſentibus, quam futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum. Cuſtodes, & auctores, licet immeriti, conſtituti à Domino in Eccleſia Paradiſo, ſacræ religionis gratioſa plantaria in ea cupimus propagari, quæ flores, & fructus producentia honeſtatis, animam ſponſi ſua ſuauitate delectent, totamque reddant Eccleſiam ſpecioſam. Sed quam nobis eius gratior eſt profectus, tanto defectus eſt grauior, ſi quando propagata plantaria vitiantur, vel in alienæ vitis amaritudinem corrumpantur; dolore confodimus, & rubore confundimus vehementi, cum non vnquam ſui contagione, ſincera etiam turbare ſoleant, & turpare. Quare ſummo eſt nobis ſtudio prouidendum, vt quæ adeo à ligno vitæ degenerant, & quæ debuerant eſſe odor vitæ in vitam, facta odor mortis in mortem, vt nullo culturæ ſtudio reduci poſſint ad priſtinam qualitatem; de vinea Domini radicitus euellantur, quatenus alia plantentur in ea, quæ gratum Domino fructum tempore ſuo reddant.*

3. *Sanè cum Monaſterium Sancti Dominici de Sora, cui Dominus in rore cœli, & terræ pinguedine benedixerat, tanquam hortus deliciarum diu in ſpiritualibus, & temporalibus floruiſſet delectabilium fructuum vbertate, tandem propter malitiam degentium in eodem, qui tanquam tribuli, & vrticæ, veræ religionis plantariis ſuffocatis, diſſolutè viuentes, in bonis Monaſterij prodigaliter graſſabantur,*

bantur, vsque adeo ibi à nullata fuit omnis obseruantia regularis, quod quasi cubile draconum multis erat in scandalum, & horrorem. Sed licet istud studiose tentauerimus reformare, quosdam Monachos pestilentes exinde à mouendo, & faciendo in aliis Monasteriis collocari; & aduocato aliunde Abbate, si forte posset Monasterio succurrere desolato: quia tamen amoti etiam tamquam canes ad vomitum redeuntes, exinde etiam neque Ecclesiastica censura potuerunt arceri, sed fere omnes excommunicati præsumebant celebrare, vel potius profanare diuina: sicque Monasterium iis, qui in circuitu eius sunt, magis ac magis erat in ludibrium, & contemptum.

4. *Nos videntes, & dolentes, quod Babylonem non poteramus adhibitum etiam diligenti cura sanare, vineam Domini aliis prouidimus locandam agricolis; & Monasterium ipsum cum omnibus Ecclesiis, & possessionibus, pascuis, syluis, molendinis, hominibus, & aliis iuribus, & pertinentiis eius, Monasterio vestro vniuimus: statuimus etiam, vt per vos idem Monasterium informetur secundum Cistercienſis Ordinis instituta; ita quod ibi semper duodecim Monachi de Monasterio vestro resideant, Domino famulantes: ad quorum custodiam Abbas vnum instituet, vt rectorem, quem quoties voluerit, poterit commutare; & sic vtrumque Monasterium semper sub vnius tantum Abbatis regimine gubernetur: charissimo in Christo filio nostro Friderico Imperatore Romanorum illustri semper Augusto, & Rege Siciliæ, quidquid in Monasterio illo ad eum pertinuerat, vobis de assensu nostro donante, sicut in eius priuilegio, aurea bulla munito, plenius continetur. Volentes igitur prænotatam vnionem, nec non eiusdem Imperatoris donationem perpetuis durare temporibus, eam auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti priuilegio communimus.*

5. *Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ vnionis, constitutionibus, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si qua vero in futurum Ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam, sciens, contra eam venire tentauerit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque, sui careat dignitate, reamque se diuino Iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat vltioni. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiat, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniat. Amen. Amen.* Sequuntur subscriptiones Cardinalium, & tandem subsequitur. *Datum Alatri per manum Guidonis Capellani Domini Papæ Kalendis Iunij indictione nona, incarnationis Domini millesimo ducentesimo vigesimo secundo, Pontificatus vero Domini Honory Papæ tertij anno sexto.* Hactenus litteræ Honorij Summi Pontificis ad Casæmarienses. Nunc eas, quæ sequuntur Fridericij; ex eodem auctore proferemus. [b]

[b] *vbi suprà.*

6. *Fridericus diuina fauente Clementia, Romanorum Imperator Augustus, & Rex Siciliæ. Edocti per eum, qui transfert Regna, qui nos constituit sua clementia super gentes, euellere, destruere, dissperdere, dissipare; quæ noxia sunt remouere, & propagare quæ prosunt. Monasterium S. Domini, situm in territorio ciuitatis nostræ Soranæ, quod in spiritualibus, & temporalibus ita collapsum est, vt vitam improbam Monachorum (quod vix adiiciat vt resurgat) per religiosos, & Deo placentes Cistercienſis Ordinis Fratres in melius reformet, Monasterio Casemarij (cuius fama est celebris, vnguentum effusum nomen eius, & recta religio) illud prouidimus, committendum, & incorporandum, vt ex hoc nunc, & in sæculum sæculi sint ista duo Monasteria corpus vnum, grex vnus, & Pastor vnus; & Abbas Casamarij, qui pro tempore fuerit, de vtroque disponat, de vtroque prouideat, & ordinet, secundum statum Cistercienſis Ordinis, vt de vno.*

Intendentes igitur & volentes placere Summo Pontifici, Domino Honorio III. Reuerendissimo, & amantissimo Patri nostro, qui & nobis, ordinante diuina prouidentia, & Monasterium Casamarij inter alia sui Ordinis plus dilexit: cum ipsius assensu, & gaudio cordis concedimus, & donamus Monasterium S. Dominici, quantum ad iurisdictionis pertinet potestatem, Monasterio Casamarij memorato, cum omnibus tenimentis, montanis, pascuis, syluis, aquis, Capellis, hominibus, libertatibus, omnibus & omni iure suo, vt ita sint vnum sub vnius Domino Pastoris, Abbatis videlicet Casamarij, sicut supradiximus. Turbatores autem temerarios nostræ huius libertatis, & vnionis, tanquam rebelles lumini, in tempus omne bannimus, & quicumque fuerint, ab imperiali gratia sic se nouerint cecidisse, ac si rei Principi teneantur de personis, & rebus. Ad huius itaque concessionis, & donationis nostræ memoriam, & roboris firmitatem præsens priuilegium per manus Ioannis de Lauro Notarij, & fidelis nostri, scribi, & bulla aurea typacio nostro impressa, iussimus communiri, anno, & mense, & indictione subscriptis. Datum apud Verulam, anno Dominicæ incarnationis millesimo, ducentesimo, vigesimo secundo, mense Aprilis, decimæ indictionis Domini nostri Friderici, Dei gratia inuictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti, & Regis Siciliæ, anno secundo, Siciliæ vigesimo quarto fœliciter. Amen. Sic Fridericus. At duplici fauore suffulta domus, Apostolico, nimirum, & Imperiali, nulla posset potentia labefactari. 7.

Hoc ipso anno in eodem Monasterio, quasi Pater in filio complacens sibi, & de suis beneficiis plane congaudens, quæ alia dederat Honorius confirmauit, quæ danda, disposuit; & vtraque inconcussa manere iussit, litteris intra paucos menses datis in hunc tenorem. [c] 8.

[c] *ex Reg. Hon. Papæ.*

Abbati, & Conuentui Casamarij Cistercienſis Ordinis. Decorum domus vestræ speciali, vt nostis, diligentes affectu, quædam ad profectum, & ornatum eidem largiti sumus, & adhuc plura, faciente Domino, disponimus elargiri; prouiso etiam, quod à Cistercienſi Abbate vobis eadem retinendi licentia est concessa. Verum ne nostro fraudari proposito videamur, si Ecclesia vestra beneficiis sibi à nobis collatis, seu etiam conferendis aliquo ingenio fraudaretur; nouerit is nos irrefragabiliter statuisse, vt quicumque de iis quicquam violenter rapere, vel subrepere fraudulenter, seu vendere, vel donare, siue obligare pignori, seu quocumque alienationis genere diminuere attentauerit, ipso actu sententiam excommunicationis incurrat, à nullo vnquam nisi à Romano Pontifice, vel cui ab eo commissum fuerit absoluendus. Datum Laterani 22. Kalendas Maij, Pontificatus nostri anno sexto. Hæc pro Mobilibus. 9.

At pro immobilibus, de ipsius pecunia emptis, aut emendis in posterum, circa id ipsum tempus 10.

duo prouidit:alterum ne alienari quocumque titulo à quouis alio possent ; alterum vt omnino liberassent à quacumque extraneorum exactione, non secus ac si mansissent ipsi Pontifici. Et Primum illud mense Iunio indulsit, hoc Aprili,
d *vbi supra.* hæ posteriores litteræ sic habent.[d]

Abbati & Conuentui Casamarij.

Vestris inclinati precibus,auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne possessiones de eleemosyna nostra vestro Monasterio acquisitæ alienari ab aliquo præsumantur : Quod si quisquam contra tentauerit, nos eum excommunicationis sententiæ subiacere decernimus, nonnisi per Sedem Apostolicam absoluendum. Nulli ergo, &c. Datis Laterani 7. Kalendas Iulij anno sexto. Priores vero mense Aprili datæ paulo longiores, [e] hæc
e *vbi suprà.* verba continebant.

10. *Abbati & Conuentui Casamarij.*

Et si nequeamus quicquam Domino retribuere pro omnibus,quæ de sua pietatis abundantia tribuit ipse nobis, pro eo quod non est facturæ Vicaria compensatio ad factorem : scientes tamen beneplacitum esse, illi, vt famulos suos qui abnegantes non solum sua, sed etiam semetipsos ipsi soli desiderant famulari, geramus in visceribus charitatis, & eis manum auxilij porrigamus : Monasterio vestro certam donauimus pecuniæ quantitatem,vt exinde ad opus & vtilitatem ipsius prædia,vel res alias immobiles emeretis. Qui dati conditionem studentes implere,iam de parte ipsius pecuniæ possessiones emistis, & adhuc alias de reliqua emere laboratis. Vnde nobis supplicastis instanter,vt cum ea, quæ de munificentia principali vestro Monasterio applicantur, omni debeant libertate clarere, pro eo quod indignũ est,vt quo ab eo, qui assumptus est in plenitudinem potestatis, pietatis amore donantur,aliis subiaceant in aliquo,quam datori:possessiones de pecunia nostra emptas, vel emendas tanquam à nobis donatas omnino eximere dignaremur. Nos itaque vestris supplicationibus annuentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, vt possessiones ipsas, tanquam ad Romanam Ecclesiam immediate expectantes,à cuiuslibet alterius iurisdictione habeatis liberas, & immunes. Nulli ergo &c. Datis Laterani X.Kalendas Maij anno sexto.

Hæc in Casæmarienses Beneficia conferebat 11.
Honorius,tot intra paucos menses eis indulgẽs, tot,ac tanta cõcedens,donansque, quot cuicumque alij Ecclesiæ vel toto tempore sui Põtificatus pro magnis forent. At non in solos eos largus enituit : extat aliud diploma sub idem tempus expeditum ab ipso,cum S.Thomæ de Ozech Cistercienſis Ordinis dedicanda Ecclesia, illustribus Sanctorum exuuiis, eiusdem beneficio, donata esset : concessa indulgentia his, qui eandem deuote visitarent, in anniuersaria eiusdem dedicationis festiuitate. Atque ecce exemplar, quod ita habet. [f] *Vniuersis Christi fidelibus præ-* f *ibidem.*
sentem paginam inspecturis. Cum Ecclesiæ S.Thomæ de Ozech Cistercienſis Ordinis,de reliquiis gloriosissimorum Martyrum Cosmæ, Sebastiani,& Fabiani, Cypriani, & Beatæ Petronillæ Virginis, & quorumdam aliorum Sanctorum duxerimus transmittendas, vt in die dedicationis eiusdem ibi cum digna veneratione condantur,volentes fideles ad deuotionem eorumdem excitari Sanctorum, & eorum patrociniis communiri ; omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui die ipsius dedicationis anniuersario ad Ecclesiam ipsam cum deuotione accesserint, quadraginta dies de iniunctis sibi pœnitentiis, de Omnipotentis Domini misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli, & Apostolorum eius auctoritate confisi misericorditer relaxamus. Datis Laterani, XI. Kalendas Maij,Pontificatus nostri anno sexto. Hactenus priuilegium. Ego duas Ecclesias Cistercienses sub aduocatione Sancti Thomæ notatas lego ; alteram in Venetia, exortam anno M. C C. V I. incerta matre & linea : alteram in Diœcesi Treuirensi, de linea Morimundi, Rosariæ filiam : verum vltra earum, an alia sit, quam loquitur Honorius, non habeo vnde possim diffinire.

---

1. *Lucas Sambucinensis in Archiepiscopum Cusentinum electus*, 2. *de Ecclesiæ suæ consecratione tractat.* 3. *Imperatorem, Legatum Apostolicum, Episcopos, & Abbates multos conuocat.* 4. *Consecratio Aræ maximæ* 5. *& aliarum, cum Reliquiis suppositis,* 6. *simulque Cæmeterij,* 7. *sequenti die.* 8. *Dedicata, & Ecclesia Alcobacienſis.* 9. *Et suppressus Prioratus Monachorum in Diœcesi Papiensi* ; 10. *& Moniales inductæ :* 11. *Alterius innundatio ; & litteræ pro illius restauratione.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. INTER hæc Lucas,olim vt diximus Ioachimi Abbatis scriba, mox Sambucinæ Antistes, quo Innocentium, quo Honorium Summos Pontifices in multis vsos superius memorauimus ; cum in Archiepiscopum tandem Cosentinum promotus esset(neque constat quo anno)pro Ecclesia sua sollicitus,eamque, & si antiquam,& Metropolitanam,tamen consecrationis honore vacuam cerneret, quod indignum rebatur ; pro ipsius solemni dedicatione, omni cura,& studio inuigilabat.Nec satisfactum solemnitati reputans,si fieret per ipsum;nisi consecrationis detentionem celebritatis gloria compensaret, in eo totus esse videbatur,vt quod tarde fiebat,tam solemniter,tam magnifice fieret,vt merito dilatum videri posset.Voluisset ad id munus exequendum Honorium trahere : sed quia id, multis causis impedientibus, consequi non potuit ; infra Pontificem nihil penitus reliquit, quod posset promouere festiuitatem. Quippe & Imperatorem Fridericum præsentem habuit, & plurimos Episcopos;& quod non liceret præstari per Honorium,saltem per eius de latere Legatum, Cardinalem Episcopum Tusculanum præstitum est, & tanta Reliquiarum Sacrarum copia adducta,atque ibidem congesta,vt vix maiorem, vix similem legamus concurrisse alicubi, cum multa suppetant exemplaria consecrationum.

Igitur sub initium præsentis anni, cum Fride- 2.
ricus in Italia adhuc., & Nicolaus Cardinalis Tusculanus,

Tusculanus, Legatus Apostolicus, in partibus Calabriæ demorarentur: ipse prius reliquias congregare, vndequaque exquisitas; mox Archiepiscopos Reginensem, & Tarentinum, Episcopos complures conuocare, inuitare Abbates Monachos, Clerum, dein cum omnes promptos inuenisset, rogare Legatum, vt eam in se reciperet prouinciam, consecrationis officia peracturus: affuturos Episcopos, per quos altaria, si vellet, posset diuidere, aram maximam consecrandam ab ipso fore, vt qui cæteros honore præcedebat, religione præcederet; & iuxta proportionem dignitatum, proportio munerum, ad glorioſiorem tantæ felicitatis celebrationem distribueretur. Assensere omnes piis petitionibus Venerabilis Archiepiscopi, cui vel indifferentes, non denegarent; tanto cum amore, tanta veneratione prosequebantur. Tum vero ipse, vt Diuinæ Maiestati, humana, & dignum erat, famularetur; & ne qua pompa deesset solemnitati, Fridericum cum omni sua curia Cossentiam adduxit, affuturum sacris, & nouæ dedicationis mysteriis Imperij faces religiosè submissurum. In trigesimam diem mensis Ianuarij parata omnia: atque Cusentia vtraque curia frequens, vtramque omnino Romam gentilem, & Christianam æmulabatur. Concurrere ex Calabria, Apuliaque, & vicinis Prouinciis vtriusque sexus, vtriusque Ordinis homines. Cæterum quæ ibidem gestabant, qui Episcopi affuerint, qui Laterales aras consecrauerint; quis syllabus sacrarum Reliquiarum, & demum omnia, quæ magnam illam diem illustrauere, idem, qui cunctis præfuit, Nicolaus, litteris de his datis, memoriæ prodit. Eas adducit Iacobus Græcus Sillenæus in sua Abbatis Ioachini Chronologia, sunt autem tales. [a]

a Sed. 42.

3. *Nicolaus Dei gratia Tusculanus Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, præsenti scripto posteriorum notitiæ tradimus, quod Cussentiam venientes, rogati fuimus à Luca Venerabili Archiepiscopo, & Capitulo eius, vt Ecclesiam Cussentinam, quæ licet antiqua esset, nusquam tamen aliquando consecrata fuerat, consecrare solemniter deberemus: quorum precibus grato conuertentes assensu, presente Domino Friderico, illustrissimo Romanorum Imperatore semper Augusto, & Rege Siciliæ, cum Venerabilibus Landone Regino, & Nicolao Tarentino Archiepiscopis, cum Rogerio Militensi, Guillelmo Bisinianensi, Andrea S. Marci, Bartholomeo Syracusano, Bernardo Geno Castrensi Thadeo Neocastrensi, Philippo Maturanensi Episcopis, astante Abbatum, & Monachorum, Cleri & populi multitudine copiosa, dedicauimus Ecclesiam, & consecrauimus manibus nostris altare maius ad honorem Dei, & Beatissimæ Dei genitricis, semperque Virginis Mariæ: in quo recondimus Reliquias istas.*

De Ligno Dominicæ Crucis,
De Vestimento Virginis Mariæ,
De Sepulchro eius,
De Corpore Beatæ Annæ, Matris ipsius,
De Sepulchro, & præsepio Domini,
Sanctorum Innocentium,
Simonis Iusti,
De Manna, & veste Sancti Ioannis Euangelistæ,
De Baculo Sancti Pauli Apostoli,
Marci, & Lucæ Euangelistarum,
Stephani proto-Martyris,
Dionysij Areopagitæ,
Sixti Papæ, & Martyris,
Anastasij Monachi & Martyris,
Prisci Martyris, Syluestri Papæ,
Martini Episcopi, & Confessoris,
Blasij Episcopi & Confessoris,
Mariæ Magdalenæ,
Teclæ, Sabinæ, Agathæ, Luciæ, & Eufrasinæ Virginum, & Martyrum, & mulieris Samaritanæ: cum qua loquutus est Christus.

Altare ad partem meridianam consecrauit prædictus Militensis Episcopus in honorem Beatissimi Ioannis Baptistæ, recondens in eo Reliquias istas. 4.

De corpore ipsius Beati Ioannis,
Zachariæ Prophetæ, Patris ipsius,
Ioseph ab Arimathia,
Epaphræ, vnius è LXXII. Discipulis,
Fabiani Episcopi, & Martyris,
Donati Episcopi, & Martyris,
Geruasij, & Protasij Martyrum,
Luciani Martyris,
Iuliani, Martyris,
Eleuterij Martyris,
Pantaleonis Martyris,
Cosmæ Martyris,
Eustachij Martyris,
Marcelliani, vnius ex XL. Martyribus,
Antonij Abbatis,
Macharij Abbatis,
Eustitij Confessoris,
Iustinæ Virginis.

Altare vero ad partem Aquilonarem consecrauit prædictus Bisinianensis Episcopus in honorem Beatissimi Petri, & Pauli, & omnium Apostolorum, recondens in eo Reliquias istas. 5.

De Ligno viuificæ Crucis,
De Capillis ipsius Beati Petri,
De corpore ipsius Pauli Apostoli,
Andreæ Apostoli,
Philippi Apostoli,
Iacobi Apostoli,
Mathiæ Apostoli,
Barnabæ Apostoli,
Luciæ, & Geminiani Martyrum,
Crisanti, & Dariæ Martyrum,
Bonifacij Papæ,
Comisini Episcopi,
Vitaliani Confessoris,
Fœlicitatis Martyris,
Clementis Papæ, & Martyris,
Rodes de septuaginta duobus,
Nerei, & Aquilei Martyrum,
Macharij, & Christophori, Georgij & Cæsarij, Cyriaci, Tyberij, & Pancratij Martyrum,
Vnius quatuor Coronatorum Primi, & Fœliciani Martyrum,
De Capillis Beati Gregorij Papæ,
Ioannis Chrysostomi,
Cataldi Episcopi & Confessoris,
Helenæ, Augustæ, & Sabinæ,
Luciæ Martyris.

Quæ vtique consecratio celebrata est anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo vigesimo secundo: Tertio Kalendas Februarij, Indictionis decimæ: Pontificatus Domini Honorij Papæ tertij, anno sexto.

Hactenus litteræ Nicolai Cardinalis, ex quibus constat, præter Imperatorem Fridericum, qui & ipse Rex Siciliæ, & Principes sequentes illius curiam, affuisse Cusantiæ, ad celebrandam Cussentinæ Ecclesiæ dedicationem, Cardinalem vnum, atque eundem Legatum Apostolicum, 6.

Archiepi

Archiepiſcopos tres, Epiſcopos ſeptem, Abbates, & religioſos viros, tot, vt ſigillatim vix poſſent numerari. Porro iidem omnes die ſequenti, qui fuit Ianuarij vltimus, Cœmeterium Baſilicę contiguum eadem conſecrarunt ſolemniter conſuetis ceremoniis: cuius conſecrationis teſtimonium eiſdem ſubiectum litteris, & ſigillis tam ipſius Cardinalis, quam Epiſcoporum munitum, ſimul cum indulgentiis à Legato conceſſis, his qui dictam Eccleſiam viſitarent duobus primis menſibus, ſiue in die anniuerſaria dedicationis, ſequitur immediate totidem verbis.

7. *Secunda vero die perambulauimus: & benediximus Cœmeterium ipſius Eccleſiæ per partes quatuor: vt eſt moris ad ſalutem, & requiem ſepultorum, & ſepeliendorum ibidem. Sane vniuerſis fidelibus Eccleſiam ipſam deuotè viſitantibus vſque ad proximas Kalendas Aprilis indulſimus annos duos, & carinas duas iniunctæ illius pro criminalibus pœnitentiæ; in anniuerſario vero ipſius conſecrationis perpetuis temporibus indulſimus vnum annum, & carinam vnam viſitantibus eandem Eccleſiam per totam octauam. Ad inditium autem huius conſecrationis & indulgentiæ, præſens ſcriptum fieri iuſſimus per manus Guillelmi clerici, & publici notarij Cuſſentiæ, noſtra, & prædictorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ſubſcriptionibus, & ſigillorum impreſſionibus communitum.*

Ego Nicolaus Tuſculanus Epiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus.

Ego Laudonus Reginus Archiepiſcopus.
Ego Nicolaus Tarentinus Archiepiſcopus.
Ego Rogerius Militenſis Epiſcopus.
Ego Guillelmus Biſinianenſis Epiſcopus.
Ego Andreas S. Marcenſis Epiſcopus.
Ego Bartholomeus Siracuſanus Epiſcopus.
Ego Thadeus Neocaſtrenſis Epiſcopus.
Ego Bernardus Genocaſtrenſis Epiſcopus,
Ego Philippus Dei gratia Marturanenſis Epiſcopus.

Hactenus litteræ Nicolai Cardinalis.

8. Hoc item anno conſecratam lego Eccleſiam Alcobaciæ, minori licet pompa, ſed non exigua: certè ea, quæ decebat Regiam domum, & Baſilicam Regiam duplici titulo: & quia à Regibus ſumptuosè fabricatam, & quia in Regum ſepulchrum pene continuandum vſque ad hoc ſæculum. Cæterum quia Conuentus per annũ adhuc in priori Eccleſia manſit, forte dum non à ſacris imaginibus ad altaria locandis, ſedilibus, ſeu ſtallis, antiqua voce, cratibus, aliiſque, quæ ad diſtinctionem, & ornatum faciunt, illuſtrabatur: ne minutatim partiamur, vtrumque placuit illuc reſeruare.

9. Hoc ipſo anno, aut certè non multo ante (nam ſola confirmatio nobis conſtat) Monaſterium Ieſu Chriſti, Ordinis Ciſtercienſis, Papienſis Diœceſis, legitur ſuppreſſum, atque ad illud tranſlatæ Sanctimoniales eiuſdem inſtituti; quæ ante in Abbatia S. Chriſtophori, in eodem territorio demorabantur. Vtriuſque nobis initia prorſus ignota: niſi quod tamen Ieſu Chriſti locum, non Abbatiam, puto, ſed Prioratum, Monaſterio Columbæ ante ſubiectum: alias vix credam peruenisſe ad eum ſtatum, vt indigeret ſupprimi: quin à Capitulo longè ante Generali ſuppreſſam eſſet. Quin & tranſlatio paucorum ibi degentiũ ad aliud Monaſterium per Abbatem Columbæ facta, idem confirmat. Occaſio vnica, paupertas alterius loci, in quo vix duo Monachi cum vno poterant conuerſo ſuſtentari; & multiplex alterius incommoditas, in quo Moniales permanere nequaquam poſſent: & militantibus ſub eodem Ciſtercij iugo, forte, & extunc Columbæ ſubiiciendis, cedere loco Fratres facile fuit. Interuenit tamen Epiſcopus Papienſis, cui forte ante Moniales ſuffuiſſent, & Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, Honorij tunc Legatus: quæ omnia pariter idem Honorius refert, litteris de hoc datis, in quibus ad inſtantiam Abbatiſſæ factum confirmat, atque iubet perpetuo permanſuram. Eæ autem ex Regeſto Vaticano excerptæ hæc habent verba. [b]

b *ex Reg. Hon. III.*

10. *Abbatiſſæ, ac Monialibus Monaſterij Ieſu Chriſti, Ciſtercienſis Ordinis, Papienſis Diœceſis. Referentibus vobis didicimus, quod cum Monaſterium veſtrum, in quo Monachi fuerant, ad eum ſtatum peruenerit, vt nulla ibi pene veſtigia ſui, videlicet Ciſtercienſis Ordinis remanſiſſent, duobus tantum Monachis & vno conuerſo commorantibus in eodem: vos in Monaſterio S. Chriſtophori Papienſis, Ciſtercienſis Ordinis, quo tunc morabamini, propter incongruitatem loci, viuere commode non poſſetis, venerabilis Frater noſter Papienſis Epiſcopus, veſtro, & Capituli ſui accedente conſenſu, vos ad præfatum tranſtulit Monaſterium Ieſu Chriſti, vt in eo ſecundum Ciſtercienſis regulam degeretis: dilecto filio Abbate de Columba de mandato Venerabilis Fratris noſtri Oſtienſis Epiſcopi, Apoſtolicæ Sedis Legati, perſonas in loco conſiſtentes eodem, ad aliud Monaſterium transferente. Huiuſmodi vero trãſlationem, ſicut proponitis, prænominatus Legatus, cum eam prouide factam proſpiceret, ratam habuit, & Legationis auctoritate nihilominus confirmauit. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, quod à dicto Papienſi ſuper hoc prouide, ac vtiliter factum eſt, & à memorato Oſtienſi poſt modum confirmatum, ſicut in eius litteris continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datis Laterani 3. Nonas Iulij, Pontificatus noſtri anno ſexto.*

Hactenus Honorius. Nos hoc vtrumque virorum, & mulierum Ciſtercienſe cœnobium ſuppreſſum, ſeu tranſlatum, quam erectum ante cognouimus: nec de vtroque quid aliud habemus, quod proferamus.

11. Simili modo Monaſterium de Comentio Sanctimonialium in Valentia Diœceſi, inundatum hoc anno, cum nondum conſtet quando fundatum ſit, adeoque ad alium locum transferendum, idem Honorius Pontifex affirmat, litteris datis ad vniuerſos Chriſti fideles in eadem Prouincia commorantes, quibus hortatur, vt ſuis eleemoſynis, & ſubleuare Monialium paupertatem, & eis in tanta neceſſitate ſuccurrere non grauentur. Sic enim ait. [c]

c *vbi ſupra.*

Vniuerſis Chriſti fidelibus per Valentinam Diœceſem conſtitutis.

Cum Monaſterium Monialium de Comentio, Ciſtercienſis Ordinis, Valentinæ Diœceſis, nuper fuerit improuiſo vicini fluminis incremento deſtructum ita quod ad locum alium illud oportet de neceſſitate transferri, nec ad id dictarum Monialium ſufficiant facultates: Vniuerſitatem veſtram, & monemus, exorantes in Domino, atque in remiſſionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus cum, earum nuntij ad vos acceſſerint propter hoc beneficia petituri, de bonis à Domino vobis collatis pias eleemoſynas, & gratia eis charitatis ſubſidia erogetis, vt per ſubuentionem veſtram ipſarum

inopia

inopiæ consulatur, & vos per hæc, & alia bona, quæ Domino inspirante feceritis gaudia peruenire, Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum eius, auctoritate confisi, quinque dies de iniuncta sibi, & deuote susceptа pœnitentia, misericorditer relaxamus. Datis Laterani Nonis Nouembris, anno septimo. Ita Honorius. Nec plura de hoc cœnobio, quod neque video à Roberto Claudio inter cœnobia Galliæ commemorari: neque in Hispania in Valentina Diœcesi aliquod eius vestigium hactenus noui. Non tamen ideo hæc ipsa qualiacumque prætereunda censeo; quæ licet nobis ignorantibus loca, confusa sint; his qui nouerint, non exiguam lucem, etiam eorum quæ ignorant, afferre poterunt.

---

1. *Quartæ diei in Capitulo dotatio*, 2. *confirmata ab Honorio* 3. *à quo, & Gualterus Abbas Cistercienſis*, 4 *cum aliis ad Philippum Regem missus*: 5. *& Laurentius Vrsariæ* 6. *ad Alfonsum Lusitanum.* 7. *Abbatibus de Hemmenrode, & de Caladia*, 8. *visitatio iniuncta*, 9. *Angli in sua exemptione manutenti*, 10. *atque eadem extensa Ropulentanis.* 11. *Procurationes Legato solui iussæ*; 12. *& prohibita susceptio Grandimontensium.* 13. *Demum Abbas, & Prior Vallis Dei exempti ab acceptandis commissionibus.*

CAPVT OCTAVVM.

1. PIA Alexandri, illustris Scotiæ Regis, in nostros liberalitas hoc anno legitur præ aliis enituisse, collata Monasterio Cupri Ecclesia Sancti Medardi, quæ ad ipsius patronatum spectabat, sub annua pensione viginti librarum; ex quibus in Capitulo Generali, quarta die, quæ dotata nondum erat (nam tres priores Rex Angliæ iam dotauerat) qui ex toto orbe conueniebant Abbates, reficerentur. Præbuit consensum, & fecit donationem Sant-Andreanus Præsul, in cuius Diœcesi Ecclesia posita erat. Porro, vt ea dotatio firmior esset, confirmata ab Honorio, ad Abbatis, & Conuentus Cuprensis petitionem. Confirmationem hoc anno expeditam, constat ex ipsis litteris, quamuis non abnuam fieri potuisse, vt donatio antiquior, & ante aliquod tempus facta fuerit. Certè quæ verba in confirmatione posita sunt; *sicut eam iustè, ac pacifice possidetis* paulo antiquiorem sonant donationem. Sed nos quo anno illam inuenimus; commemorauimus. Litteras donationis non habemus: confirmationis transsumptas ex Vaticano, [a] inter alias accepimus, in hunc tenorem.

a *in Regest. Honor. lib. 6.*

2. *Abbati, & Conuentui de Cupro Cistercienſis Ordinis.*

Significastis nobis, quod Ecclesiam S. Medardi Venerabilis Frater noster Episcopus Sancti Andreæ, de Capituli sui assensu, & voluntate charissimi in Christo filij nostri A. illustris Regis Scotiæ, Patroni eiusdem, vobis liberali, & prouida contulit pietate; vt exinde viginti libras Sterlingorum, in procurationem quartæ diei Abbatum, conuenientium in Capitulo Generali, annis singulis, exoluatis, prout in eorum litteris dicitur plenius contineri. Nos itaque vestris supplicationibus grato concurrentes assensu, Ecclesiam ipsam, sicut eam iuste, ac pacifice possidetis, vobis, & per vos Monasterio vestro Apostolica auctoritate confirmamus, & præsentis scripturæ patrocinio communimus. Nulli ergo, &c. Datis Laterani octauo Idus Maij, Pontificatus nostri anno sexto. Ita Honorius, ad Conuentus Cuprensis petitionem.

3. Sub idem tempus idem Summus Pontifex in diuersis Prouinciis, Cistercienſibus vsus pro suo more, multa, & ardua per illos fecisse legitur, quæ non licet silentio prætерire. In Gallia, cum quæstiones graues emergerent inter Philippum Regem, & Parisiensem Episcopum, Bartholomeum, Guillelmi successorem, tres viri ex tota Gallia electi sunt, qui legatione ad Regem fungerentur; atque Episcopum etiam conuenientes, inter vtrumque, aut pacem reformarent, aut de singulis causis instruerentur, instructuri Pontificem, cuius essent Iudicio decidendæ. Porro ex his vnus Cistercienſis Abbas Gualterus, pro ea, qua pollebat apud omnes Principes Orbis, sed præcipuè apud Gallum, auctoritate. Auctores Galli dissensiones has omittunt, quod mihi nō vulgare iudicium est, per Legatos sopitas; aliàs nequaquam à cunctis prætermittendas. Verum exortas, & quidem tales, ex quibus maiora mala timeri possent, litteræ ipse Honorij manifestant ad Legatos scriptæ, quæ ita habent. [b]

b *in epist. Honor. lib. 6.* 4.

Episcopo Trecensi, & Cistercienſi, & S. Mariæ Blesensis Abbatibus.

Intelleximus quæstiones varias, & multiplices inter charissimum in Christo filium nostrum Philippum, Regem Francorum illustrem, & Venerabilem Fratrem nostrum, Parisiensem Episcopum emersisse; ad quas sopiendas volumus eò magis intendere, quò vtrumque syncerioni charitate diligimus; & ex eorum discordiis maiora vidimus posse dispendia, & scandala prouenire. Gerentes igitur de prudentia, fide, ac constantia vestra fiduciam specialem, per Apostolicam vobis Sedem mandamus, quatenus personaliter accedentes Parisiis, vel ad locum alium oportunum; & ipsum Regem, vt spretis prauis suggestionibus Ecclesiastica iura Diuino intuitu illibata conseruet; Episcopum vero; vt quantū sine graui detrimento iuris Ecclesiastici poterit, Regiæ studeat solemnitati deferre, secundum datam vobis à Domino prudentiam, sollicite inducentes quæstiones ipsas sopire per compositionē amicabilem studeatis. Quod si per studium vestrum nequiuerit cōpositio prouenire, inquiratis circa formam iudicij super omnibus causis discordiæ diligentissime veritatem, & eam nobis fidelissime intimetis, vt ea plenius intellecta, salubre consilium apponere valeamus; & ad iungendas eos vinculo charitatis viam facilius inuenire. Datis Laterani XIV. Kalendas Maij anno sexto.

In Hispania ad Alfonsum Lusitanū, Laurentio Abbate Vrsariæ nō minus vsus, vna cū Archiepiscopo Compostellano, & Episcopo Aurienſi (adeo graues collegas illi adiunxit.) Legatiæ occasio, quod Vtraca prædicti Alfonsi coniux, fœmina Sancta, ante biennū mortua, certam pecuniæ summam 5.

ſummam legauiſſet Eccleſiæ S. Petri, quam tamen ſoluere Alfonſus recuſaret: ſiue prætenderet Reginam non habuiſſe;de quo teſtari poſſet, ſiue excuſatio quæſita eſſet, quam non video ab Honorio ſignificari. Solum in primam opponere videtur, facultatem conceſſam ab ipſo Rege teſtandi vſque ad triginta aureorum millia, quam non potuerit poſtea reuocare. Vtcumque fuerit, cum neque Alfonſus ſolueret, neque Honorius remitteret, his tribus viris in mandatis dedit, vt adeuntes Alfonſum, ipſum inducerent ad ſoluendam pecuniam, ſin minus gladium in eum Eccleſiæ exererent. Quod per has litteras, quæ hodie in Regeſtis perſeuerant, eiſdem Præſulibus cenſuit iniungendum. [c]

c *vbi ſuprà.*

6. *Archiepiſcopo Compoſtellano, & Epiſcopo Aurienſi, & Abbati de Oſſera Ciſtercienſis Ordinis Aurienſis Diœceſis.*

Significatum eſt nobis, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter A. Portugaliæ Rex illuſtris inclitæ recordationis. V. Reginæ ipſius vxori, plenam conceſſit legandi pro anima ſua, de bonis regni eiuſdem, vſque ad triginta aureorum millia facultatem, ſicut in inſtrumento confecto exinde continetur, quæ pecunia ipſa piis locis in vltima ſua diſpoſitione legata, de ea mille marabetinos Eccleſiæ Romanæ reliquit. Vt ergo extrema prædictæ Reginæ voluntas, cui maxima piorum conſideratione locorum fauendum eſt, effectui mancipetur: diſcretioni veſtræ præſentis auctoritate mandamus, quatenus Regem ipſum perſonaliter adeuntes, pecuniam iuxta prædictam diſpoſitionem ipſius Reginæ ſoluendam moneatis, attentius, & efficacius inducatis. Quod ſi monitis ad id forte non pōterit, vos eum ad hoc auctoritate noſtra ſub Apoſtolica obedientia coerceatis. Datis Laterani Idibus Decembris anno VII. Ita Honorius. Et percepiſſe Legatos prædictam ſummam argumēto eſt, quod non vltra repetitam intelligamus.

7. Eodem anno, nec multos ante menſes, cū Monachi, & Moniales inferiores Germaniæ nigri Ordinis, ſed præcipuè in Monaſterio Gortienſi Metenſi Diœceſis, viſitationis, & correctionis indigerent, miniſterio reformari; atque eo munere quibuſdam aliis iniuncto maximè pro Monaſterio Gortienſi, fructus aut nullus, aut exiguus appareret; quin conſulto expetiti crederentur occultandis defectibus, ſi quibus forte Abbates, aut Monaſterium officiales maculabantur: cum voces interim zelantium Chriſti cauſam, & bonum publicum ad Pontificis aures penetrarent; reuocatis, quaſcumque antea dediſſet, de his ad alios litteris, Hemmenrodenſi Euſtachio, & N. de Caladia, Ciſtercienſibus, quorum primus id munus in eadē Prouincia non ſine laude fuiſſet exequutus ſemel & iterū; alterum virū ſciret zelo, & prudentia præditū, & qui ſæueritatē diſciplinæ manſuetudinis cleo tēperaret; in hunc modū ſcripſit, [d] iniungens eis, vt hoc tandē officiū conſūmarent, iuxta inſtituta Generalis Concilij Lateranenſis.

d *vbi ſupra.*

8. *De Hemmenrode, & de Caladia Ciſtercienſis Ordinis Abbatibus, Treuerēſis, & Virdunēſis Diœceſis.*

Quia de Monaſteriorū reformatione, ac de obſeruantia ſumus ſolliciti Regulari, per Apoſtolicā Sedē vobis præcipiendo mandamus, quatenus duobus Abbatibus nigrorū Monachorū vobiſcū aſſociatis, quos videritis expedire, auctoritate noſtra Monaſterium Treuerenſis Prouinciæ Monachorū nigrorum iuxta Generalis ſtatuta Concilij, viſitationis officiū impendatis. Et cū Monaſterio Gortienſi Metenſis Diœceſis ſpecialiter prouidere velimus, eadem auctoritate perſonaliter accedentes ad locū vice noſtra, ſub Apoſtolica obedientia, viſitationis officiū exhibeatis eidē, corrigentes, & reformantes, tā in capite, quàm in membris, quod correctione, & reformatione noueritis indigere; ac ſtatuentes ibidē, quod regulare fuerit, & honeſtū, contradictores per cenſurā Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcēdo, nullis litteris obſtantibus inquiſitionis, vel viſitationis pro Abbate Gortienſi ad Abbatē S. Arnulfi, vel ad Abbatem S. Naboris, & ipſorū collegas, à Sede Apoſtolica impetratis: nec obſtāte alia viſitatione ſi quā à nobis, vel à Generali Prouinciæ prædictæ Capitulo conſtiterit eſſe commiſſam. Datis Laterani IV. Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri anno VI. His minutiora alia addita ſunt, in quibus non eſt opus immorari.

Sub idē tempus moleſtatos per Angliā, Hiſpaniāque ſuper non debitarū decimarum contributione, idem Honorius conſtanter manu tenuit, litteris datis ad Abbates totius Angliæ ſuper decimis pecorum; ad Populetanum ſuper agrorum fructibus, etiam ſi alieno periculo excolantur. Atque exemplar litterarum ad Angliæ Præſules. [e] 9.

e *ex Regeſt. Honor. lib. 6.*

Abbatibus de Anglia Ciſtercienſis Ordinis.

Cum ſitis per priuilegia Sedis Apoſtolicæ à præſtatione decimarū, de animaliū nutrimētis immunes, & ſicut, vobis referentibus, intelleximus, quidam Eccleſiarū Rectores, in quibus paſcūtur parrochiis oues veſtræ, à vobis de lana, lacte, ac agnis earundē ouiū decimas exigere moliātur; nos veſtris iuſtis precibus inclinati, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, neqnis cōtra eadē priuilegia à vobis decimas de prædictis exigere, vel extorquere præſumat. Datis Laterani VI. Idus Februarij, Pontificatus noſtri anno ſexto. Hæc ad Abbates Angliæ. Cæterum pro Abbate Populeti, ad quoſdam deputatos exequutores, hæc quæ ſequuntur. [f]

f *vbi ſuprà.*

10. *De Cardon, & Bello Podio Abbatibus, & Priori de Galer, Vrgelenſis Diœceſis.*

Dilectus filius Abbas, & Conuentus Populeti Ciſtercienſis Ordinis, nobis humiliter ſupplicarunt, vt quaſdā, quas per quadraginta annos abſque decimarū, & primitiarū onere poſſederūt, dare vicinis agricolis excolendas, ſine onere memorato, ac quaſdam ſimili modo iā datas illis dimittere, qui eaſdē taliter receperunt, vel dare aliis, ſi magis fuerit oportunum, cū eas propter ſterilitatē ipſarum, & malitiam circunſtantium excolere nequeant vtiliter per ſeipſos, quin imo ſpecialiter ea cauſa debitis ſint grauibus onerati; eiſdem noſtra permiſſione liceret. Quo circa diſcretioni veſtræ per Apoſtolicam Sedē mādamus, quatenus inquiſita ſuper præmiſſis veritate diligentius, ſi vobis cōſtiterit, vē taliter ſe habere, auctoritate noſtra tribuatis eis licentiā poſtulatā; nec cōtra eam permittatis, eoſdē à quocūque temere moleſtari. Datis Laterani X. Kalēd. Iunij, anno VI. Hactenus ibi.

Inter hæc tamen Sūmus Pontifex ſæuera quædā dulcibus miſcebat, non adeo noſtris fauens, vt non quædā in noſtros expediret. Nā & Gregorio, dicto de Creſcētio, Cardinali Legato, procurationes ſoluere, à quibus declarati eſſent immunes; & abſtinere à Grandimontenſiū receptione, & ſi hactenus permiſſa, iuſſi ſunt; quo ſe non ſolū legibus ſubiectos, ſed & gratia indignos; & vbi deſerātur, cæteris ſimiles, atque eadē paſſuros recordarētur. Atque ecce litteras de ſoluēdis procurationibus. [g] 11.

g *vbi ſuprà.*

Vniuerſis Abbatibus, & Conuentibus Ciſtercienſ. Ordinis præſentes litteras inſpecturis.

Quanto Apoſtolica Sedes maiora vobis exhibet indicia charitatis, tanto vos ei maiorem deuotionem exhibere debetis. Frequenter autem conqueſti ſunt

Eccleſiæ

Ecclesiæ Romanæ Legati; quod vos præ cæteris inueniunt indeuotos, priuilegiis vobis ab ea concessis, quæ obsequentes reddere deberent, vos è contrario reddẽtibus insolentes. Vt ergo gratiam vobis factam, gratitudo conseruet, vestram charitatem sollicitandam duximus, & hortandam, per Apostolica scripta mãdantes, quatenus dilecto filio nostro G. de Crescentio, S. Theodori, Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, quem inter cæteros Fratres nostros speciali prærogatiua diligimus charitatis; vos tam in exhibendis procurationibus, quam aliis oportunis obsequiis impendendis, ita deuotos & promptos exhibere curetis, quod solitæ querimoniæ ad nostras, & Fratrum nostrorum aures de vobis non perferantur hac vice, quia eas obaudire non poterimus. Datis Laterani II. Nonas Ianuarij, anno VI. Hæc de procurationibus soluendis acriter, & sæuere: quamuis nec semper, sed illa tantum vice iubentur solui.

12. Cæterum de non recipiendis Grandimontensibus, non nostri solum, sed alij etiam cum illis accepere mandatum, in hunc tenorem. [h]

h *ubi suprà.*

Vniuersis Abbatibus Cisterciensis Ordinis, & Fratribus Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, & militiæ templi, ac religiosis aliis præsentes litteras inspecturis.

Dilecti filij Prior, & Fratres Grandimontenses nobis conquerendo monstrarunt, quod cũ eis à Sede Apostolica sit indultũ, vt nemo sine cautione cõmunium litterarum, recipere audeat professos Ordinem eorundẽ; quidam vestrum contra huiusmodi priuilegium; venientes ipsorum professos, ab eis sine licentia discedentes, recipere non verentur. Vnde idem ordo quibusdam doctis, & aliis Fratribus, vtilibus Ordini memorato, est huiusmodi receptione facilitate nudatus. Quia igitur non debetis id facere aliis, quod vobis fieri non velletis, discretioni vestræ per Apostolicam Sedem districte præcipiendo mandamus, quatenus tali modo receptos, ad Grandimontensẽ Ecclesiã remittentes, eos, vel alios professos Ordinem sæpe dictum, contra priuilegia, ipsi Ordini ab Apostolicæ Sede concessa, nullatenus recipere de cætero præsumatis. Datis Laterani III. Idus Maij anno VI. Mirum est in his litteris contentos etiam Cisterciẽses, imo primos omnium nominatos. Cæterum non quia non liceret transitus, tanquam ad strictiorem; sed ne Grandimonensis ordo vtilibus sibi personis defraudaretur, satis superque expressum in ipsis litteris: Quasi priuatum commodum cuiusque etiam spirituale, publico semper debeat posthaberi.

Hoc ipso anno Abbas, & Prior Vallis Dei, nec 13.
constat cuius, ex tribus, quæ hoc nomine insigniuntur, cum commissionibus nimium grauarentur, quod Laudenses, & alij antea fecissent, leguntur æmulati, impetrato ab Honorio priuilegio, quod præcedentibus censui subiungendum.

Abbati, & Priori Vallis Dei Cisterciẽsis Ordinis.

A nobis humiliter postulastis, vt cum ex eo, quod à puero in ergastulo claustrali fuistis, viri sitis simplices, & causarum sit vobis discussio peregrina, & propter iudiciorum strepitum contingat, Sanctæ contemplationis in vobis ostium impediri, eximere vos à commissionẽ nostrarum sollicitudine dignaremur. Nos ergo vestris supplicationibus annuentes, deuotioni vestræ auctoritate præsentium indulgemus, ne per commissiones quas de cætero ad vos impetrari contigerit, procedere teneamini, si de indulgentia huiusmodi non fecerit mentionem. Datis Laterani II. Nonas Iulij, anno VI. Hactenus ex Regestis Honorij Papæ, quæ digniora historia, nam quod hoc itẽ anno S. Robertum primũ Cistercij Abbatẽ Sanctis adscripserit, & tomo I. diximus, & infra iterũ adhuc referemus. Nunc ad Mafaldã, Castellæ quondam Reginam, in Arouca conuersam; atque ipsum Monasterium longe antiquius, primum duplex, mox simplex, & nunc virorum solũ, nunc fœminarũ, ipsius interuentu nostris adauctum, quæ hunc annũ concernunt, transeamus.

---

1. *Aroucæ in Lusitania initia miraculosa.* 2. *Monialium accessio.* 3. *Quibus, cum Monachi nonnihil degenerarent, concessa domus.* 4. *Henrici Comitis ad Rosimundam litteræ.* 5. *Et Rosimundæ ad ipsum.* 6. *Eiusdem Rosimundæ Sanctitas, mors.* 7. *Laxamenta Monialium;* 8. *& reformatio ad normam Cisterciensium.* 9. *Confirmata ab Honorio* 10. *prima Abbatissa,* 11. *& sub ipsa Monachatus;* 12. *ac quædam alia de Sanctis eiusdem domus.*

CAPVT NONVM.

1. AROVCÆ in Lusitania Monasterium ante trecentos annos, plus, minusve (quãuis antiquius adhuc alij putent [a]) Ansur, & Eleua, nobiles, & diuites, cũ nullos ex legitimo toro haberẽt filios, fundasse leguntur, quasi sic Christũ hæredẽ instituturi. Hoc ipsum apud se deliberantibus, Petrus, & Paulus Apostolorũ Principes per quietẽ visi, ædificandi auctores extitere in ea parte loci, in qua signũ de cœlo proxima nocte mittendũ conspicerentur. Vtriusque visio ab alterius visione certior. Verum ex tertia, Hermelgildo Monacho facta, qui anachoreticam in eadem regione vitam æmulabatur, cum prorsus conuenirent, indubitatam fidem mereri potuit; & præstolantibus sequenti nocte signum, lux de cœlo apparuit, quæ partem agri eiusdem Ansuris proprij cũ oratorio antiquo, Cosmæ & Damiano Martyribus dicato, splendore mirabili circundedit: vt nulla dubitandi occasio relinqueretur, eum locum Diuinitus electum construendo cœnobio, quod sibi Deus per Apostolos suos præceptauerat. Ergo

a *Bruto lib. 6. c. 35.*

responso accepto, accingunt operi: & templum primum, dein cœnobium construunt; illud duobus Apostolis dicatum, & duobus Martyribus, ne vel auctores noui illius operis, vel antiqui patroni excluderentur. Hoc, Hermelgildo in Abbatem constituto, & Monachis Benedictinis inhabitandum. Neque defuere Ecclesiæ dedicatores, Episcopi Lamecensis, Lucensisque, nec Monasterio dos, donantibus Ansure, Eleuaque peramplas possessiones, ex quibus Monachi posset sustẽtari.

Simplex sub his initiis Monasterium Ansuris 2.
morte, pene in duplex trãsiit. Quippe Eleua cum ancillis, & cõsanguineis, ædificata, Ecclesiã iuxta domo, ad Hermelgildi cõsilia Sancta haud dubie, & perfecta, se adaptabant: nec minor erat obseruantia sæculariũ, quã Monachorum, puto nec minus meritum: quippe quam partem in illis euacuabat defectus voti, fragilitate sexus, & propositi instãtia cõpensabant. Mortuo Hermelgildo, nõ sine signis eximiæ Sanctitatis, Froilanus successit, vt putabatur nõ inferior meritis, neque acceptis

à Deo consolationibus. Hinc mors Eleuæ reuelata primum ab Angelo; mox Eleuæ ab ipso; demũ sequuta; præcedẽtibus reuelationibus fidẽ, Eleuæ æternam fœlicitatem. Prius tamen quam ex hac vita migraret, respondens vicẽ, Froilano prædixisse mortem dicitur, quã non multo post esset subiturus. Eleua mortua, Eleuteria neptis eius designata est, cui tanquam matri aliæ obtẽperarent. Verum cum hoc nec firmũ, nec stabile esse conspicerent, tandẽ vnanimo earum omniũ consensu, Regulã S. Patris Benedicti in manu Froilani Abbatis professæ sunt; & quibus antea virtutibus florebant, religionis speciem addidere, conceptis votis. Tum Froilano ad superos translato iuxta prophetiam Eleuæ, continuatum vtrumque Monasterium in æquali progressu, & qui humanarũ rerum inconstantiam facile præseferret. Quippe Monachis in dies retrocedentibus, atque laxantibus rigorem disciplinæ vsque ad dissolutionem; Moniales de virtute proficientes in magno perfectionis feruore conuersabantur.

3. Hinc factum est, vt procedente tẽpore, dispersi Monachi, & Monasteriũ cũ omni eius substantia solis Monialibus possidendũ traditũ sit, auctoritate non solũ Lamecensis, hoc est Diœcesani; sed etiã Bracharensis Metropolitæ, atq; Cõpostellani, qui tunc Legatũ Põtificis agebat in illis partibus. Præerat Monasterio Sanctimonialiũ, & coniunctũ susceperat, expulsis Monachis, Rosimũda Abbatissa insignis fœmina, prudentiæ, & pietatis, & quam Henricus, Tarasiæ Reginæ coniux, Alfonsi pater, qui Lusitaniã regebat titulo Comitis, eximio religionis affectu venerabatur. Extant epistolæ Hẽrici ad Rosimundã, & Rosimundæ ad ipsum, aliæ plenæ honoris, & reuerentiæ, aliæ inter ipsa humilitatis verba redundãtes spiritu Prophetico, & doctrina cœlẽsti, quas ex ipso Aroucæ tabulario authentice transcriptas, quia breues, & graues, in gratiã mei Lectoris, & Rosimundæ honorem, hic subiungã. Epistola Henrici ad Rosimũdam, cum bellum sibi instaret à Sarracenis, acceptas, vt putabant, clades vindicaturis, hæc habet verba. [b]

b *Bruto vbi suprà.*

4. *Honorius, Dei gratia Comes Portugalensium, genersamosi Regis Alfonsi, Imperatoris Hispaniarum, vobis Rosimundæ Abbatissæ Monasterij, quod situ est inter rupes Arouca, iuxta fluuium Alarda, salutem, & perseuerantiam in virtute, & bona fama.*

Non ignorabitis cõtinua bella, & perpetuã discordiã, quã habemus cũ Mauris, inimicis crucis Christi, laborãtes, in quãtũ possimus, vt eos eiiciamus de terra, quã iniuste olim acceperũt à Christianis, & cũ multas terras ab eis recepisse, nouissimè recepimus Lamecũ, & Regẽ eius inde eiecimus. Qui in suã vltionẽ ex diuersis partibus dicitur cõgregasse ingentẽ multitudinẽ, vt dimicet cõtra nos: nos autẽ confisi de misericordia Dei, subire præliũ nequaquã recusabimus. Verũ vt Deũ magis fauorabilẽ habeamus, rogamus vos, quæ tantã apud eũ gratiã obtinetis, vt ipsum pro nobis deprecemini; neq; enim belluvt existimamus, lõge erit à loco Monasterij vestri, nec poterit vobis bene esse, si nobis male fuerit; nec vestrũ Monasteriũ securũ erit, cui nos non minus bonũ desideramus, quã nobis ipsis. Valete. Hactenus litterę Hẽrici ad Rosimũdã, ad quas Rosimunda Abbatissa ista Prophetice. [c]

c *vbi suprà.*

5. *Nobilissimo Henrico Comiti Portugalensium, præliatori bellorum Domini, Rosimunda, humilis ancilla sponsarum Christi, quæ degunt in vallibus Arouca salutem.*

Suscepi litteras magnitudinis vestræ, & de his, quæ de nobis dicitis, gratias damus Deo, à quo omnia sũt, si quæ sint; in nobis enim nihil est, nisi miseriæ, atque peccata, pro quibus misericordiam Dei imploramus omnes, qui in hac valle illi inseruimus. Caterum tam ipse, quam ego affligimus, & humiliamus animas nostras ante patrẽ misericordiarũ, petẽtes misericordiã vobis, & terra vestræ. Confidite, quia ipsa erit vobiscũ, neque solũ victoriã & inimicis vestris, sed fidei Christi magnũ fructũ consequemini. Cũ autẽ euenerint, memẽtote omnia bona esse à Deo neq; obliuiscamini ancillarũ vestrarũ, quæ sẽper vos in orationibus suis habẽt præsentẽ. Valete. Hęc Rosimunda in spiritu prophetico, neq; vllũ verbũ illius vacuũ fuit.

Non solũ prophetiæ spiritu, sed miraculis etiã 6.
claruisse Rosimundã antiqua monumenta cœnobij probant, aliquibus productis, quæ in præsenti non vacat recẽsere. Illud cõpertum, obiisse in magna opinione Sanctitatis, nec solũ Virginitatis insignẽ laurea, sed etiã doctrinæ. Quippe quæ multos conuertit ex paganismo, & inter alios quendã Sarracenũ, qui eius formæ (nã erat pulchra Virgo) libidinoso amore captus fuerat. Extat inter alia nõ pauca eius encomia, epistola Pelagij Bracharensis Antistitis ad Moniales Aroucæ, tantæ matris solatio destitutas, & suam destitutionem ægrè dolentes; in qua virtutes ipsius, meritaque, atque dona cœlestia rara, vel inter Sanctos commemorantur. Quin & alia Alfonsi, tunc tantum Comitis, Regis post Portugaliæ, Henrici Comitis filij, & successoris, in qua non tam Abbatissam Aroucæ defunctam dolet, quam totius Lusitaniæ propugnaculum, & quæ non solum pro populo oraret, sed exoraret Dominum, & eum redderet pacatum, atque propitium: neque cunctatur patronam Lusitaniæ Rosimundã dicere, cuius precibus hactenus triumphauerit de inimicis fidei: nec minus se de cœlesti ciue expectare, quam de exule, & detenta vinculis carnis expertus fuerit. Rosimunda ad superos translata, Eluira Ioannis in Abbatissam Aroucæ suffecta est, quæ præcedentis vestigia pia sequuta, & Sanctè vixit, & in cœnobio Rosimundæ moribus suero, facile disciplinam conseruauit. Hæc sub Alfonso primum Comite, mox Rege.

At postquam tempore sensim procedente, ob- 7.
litterata priora illa vestigia elãguit virtus in animis Monialium; sicut olim in Monachis, & inimico homine super seminante Zizania, paulatim pullularunt mores degeneres. Sub Sancio Rege obscuratum aurum est, & color optimus mutatus conspiciebatur. Hic status rerum cum Aroucæ Monasterium ad Mafaldam peruenit, ipsius zelo, & industria reformandum, & multos quosdam abusus statim sustulit. Verum cum omnes conspicerent, non posse, nisi omnia mutaret, & nouas ibi leges, nouum viuendi genus introduceret; Cistercienſe institutum, quod dudum in Castella concepisset, quod amplexatam ante annum sororem Sanctiam, quod Tarasiam videbat suspirare: & vt non hactenus Monialem effectam, tamen inter Moniales conuersantem, non dubitabat eisdem adhæsurum; Cistercienſe, in quam, elegit institutum, tunc vtrobique florens, per quod cœnobium, solo habitus colore mutato in album, in reliquis ad antequam normam reformaretur. Ergo hoc anno M. CC. XXII. communicato cum Alfonso Fratre consilio, atque eius adiutorio, fauoreque, primum Moniales ipsas ad hoc hortata; mox cũ easdẽ obsequentes inuenisset, atq; ipsius desiderio conformes, & petitioni libẽter subscripturas, vocato ad se Lamecensi

censi Episcopo Pelagio duo proposuit: alterum, vt tantæ mutationi, quæ proculdubio dexteræ Excelsi esset, præberet assensũ: alterum, vt cum suo Capitulo tractaret, qualiter idẽ Monasterium ab omni alia exemptum iurisdictione, ab omni censu, aut debito, soli Cistercio per omnia subiaceret; ab obedientia, gratis eximendum: pro debito, si quod Ecclesiæ solueret (& soluebat sex aureos per annos singulos) se debitã, & super abundantẽ satisfactionem, ad illorum arbitriũ, exhibendum.

8. Regũ arbitria obsequentes inueniunt subditos, etiã in difficilibus, quanto magis in his, quæ faciliora? & grauius iugum ceruici propriæ imponere, multi sunt, qui detrectent; alienis vix vllus. Facta compensatione pro censu annuo, reliqua indulta; atque omnia instrumento firmata sunt, quod hodie perseuerat in hunc tenorem. [d]

d ex tabulario Arouca.

Pelagius Dei misericordia Episcopus, & Capitulum Lamecense, omnibus præsentibus, & futuris, ad quos istæ litteræ peruenerint, salutem in Domino.

Notum facimus vobis, quod cũ Monasteriũ S. Petri de Arouca Monialiũ nigri habitus non solum in tẽporalibus, sed etiã in spiritualibus lapsũ est. Regina Domina, & eiusdem loci Patrona, D. Mafalda, Abbatissa, & Cõuentus eiusdẽ loci institerunt apud nos, quod concederemus eisdẽ, vt de cætero viuerent mutato habitu, sub obseruatione, & districtione Cistercienses Ordinis. Nos igitur earũ propositũ in Domino cõmendantes eisdẽ concessimus, quod petebant, omnẽ illã libertatẽ, quantum in nobis est, concedentes, quam habent Monasteria Cistercienses in aliis Diœcesibus Episcoporũ. Verum quia in eodẽ Monasterio habemus censum sex aureos annuatim, pro eodẽ censu assignauerunt nobis prouentus triũ Cassaliũ in termino Payuæ, duorũ scilicet in loco, quod dicitur Panela, & vlterius in loco, quod Carouca, & nobis placuit, vt ab illis aureis prædictũ Monasteriũ sit de cætero liberũ, & immune. Vt autẽ, quod à nobis actũ est, non possit in posterũ in dubium reuocari, chartã istã, & Alphabeti decisionẽ, discissam sigillis nostris fecimus cõmuniri. E. M.CC.XXII. facta Kalendis mensis Nouembris. Hæc Pontifex in Ecclesia Lamecensi. Quod autẽ vocant *Alphabeti decisionem discissam, &c.* eò adludit, quod olim vsu receptum in instrumẽtis, vt Alphabeto in eis designato, ita discinderentur, vt vni fragmini alternæ litteræ inessent, alternæ alteri: tũ dato cuiq; parti altero fragmine, facile ex coitione alterius cõprobaretur.

9. An statim fuerit mutatio habitus facta, nõ satis liquet; & crediderim expectatã Synodũ Generalẽ Cistercij sequentis anni. Constat in ea præsentatũ instrumentũ Episcopi, & Capituli simul cum litteris, quæ eius confirmationem per Honoriũ faciendam postularent. Tum vero totã Cisterciensẽ Synodum, acceptato Conuentu, & sub Abbatis, siue Cistercienses, siue Claræ-Vallenses visitatione posito, eisdem litteris, suas addidisse, quibus eandem petebat confirmationem. Porro Honorium vtrisque litteris motum annuisse petentibus, atque in hæc verba vtrisque respondisse primo ad Episcopum, & Capitulum Lamecense. [e]

e ex Regest. Vaticani.

Litteræ vestræ nobis exhibitæ continebant, quod cũ Monasteriũ S. Petri de Arouca, Lamesensis Diœcesis, adeo esset collapsũ, in tẽporalibus, & spiritualibus, vt nõ esset spes Ordinis nigri habitus Monialiũ, ab antiquo ibidẽ institutũ, posse in eo facile reformari ad instantiã nobilis mulieris Mafaldæ, filiæ claræ memoriæ Regis Sancij, quæ in eo ius obtinet patronatus, & Abbatissæ, ac Monialiũ eiusdẽ loci instantiã cõcessistis, vt tã Abbatissa, & Moniales ipsæ, quã quæ de cætero in eodẽ Monasterio reciperentur, susciperent Cistercienses Ordinis institutã: eã libertatẽ, quantum per vos fieri potuit, eidẽ Monasterio concedentes, quã habent Monasteria Ordinis supra dicti in aliis Diœcesibus: & quoniã annuũ censum sex aureorũ in eodẽ Monasterio habebatis, prouẽtus trium Cassalium in termino Payuæ (duorum scilicet in loco, quod dicitur Penela, & vnius in loco, quod dicitur Carauæ) prædicti census recõpensatione recipitis: censum ipsum perpetuo remittentes supra dicto Monasterio. Vnde vos, & dilecti filij Abbas Cistercienses, & Abbates Ordinis sui in Generali Capitulo congregati, nobis humiliter supplicastis, vt quod super factum est, Apostolico roborare munimine dignaremur. Nos igitur vestris, & eorundẽ Abbatum precibus inclinati, ordinationẽ, seu commutationem huiusmodi, sicut pie, ac prouide facta est, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli, &c. Datum Laterani Nonis Iunij Pontificatus nostri anno octauo. Hactenus Honorius.

10. Primã sub Cistercienſi habitu Abbatissã, Eldarã nomine, sanguine Regio natã, atq; ipsius Mafaldæ consanguineã, Monasterij instrumenta testificantur: imo ipsa Mafalda in suo testamento, cuius Eldarã cum quibusdam aliis designat exequutricem. Fuit tamen multo clarior pietate, qua eximie præcelluit, adeo, vt multis clareret reuelationibus, inter quas etiã accepisse Mafaldæ mortem, cum iam instaret, suo loco à nobis dicendum erit. Cui è duabus lineis addictum fuerit Monasterium Aroucæ, Cistercij nimirum, an Claræ-Vallis? non video ex instrumentis colligi posse: vtroque designato sub disiunctione. Forte, quia Cistercium pauciora Monasteria in Hispania pro creauerat, Claræ-Valli concessum, vt in Abbatis Cistercienſis absentia visitaret Aroucam, quandiu pluribus filiabus susceptis, ad has oras frequentius in Hispaniam aduentabat. Illud compertum, cum bello inter Hispanos, & Gallos orto omisisset vterque visitationem: Alcobatiæ Abbatem, vera ne, an subreptitia relatione? obtinuisse à Pontifice, vt ipse Aroucam, atque alia cœnobia Lusitaniæ, ad eosdem pertinentia, visitaret. Quod post modum, cessantibus iam bellis, longæ & prolixæ litis occasio fuit, non tam Claræ-Vallensi, aut Cistercienſi visitare curantibus, quam Aroucensi Abbatissa, atque Monialibus, ne per Alcobatiensem visitarentur. Sed hæc longo post tempore sequuta, si quis Annales istos continuauerit, suo tempore latius prosequetur.

11. Reformato Aroucæ Monasterio, Mafalda, quod optauerat, Cistercium induit, non sine multis circunstãtiũ lachrymis, quas in aliis deuotio, in aliis extorquebat commiseratio. Puellam Regiam, delicatam, teneram, viduam, antequam nuptam, & vt creditum, adhuc Virginem, à Regio solio subito deiectam, & viro, & Regno orbam: tunc vili sago indutam, & vilibus æduliis reficiendam, macerandam vigiliis, pauperem inter pauperes, sicut vnã ex illis, quod vitæ reliquum in claustro peracturam, etiã qui suspiciebant, miserabantur. De eius Sanctitate multa inferius: deque miraculis, quibus in vita, & post mortem æque claruit. Cæterum ipsam etiam, quam reformauit, Aroucæ domorum, hæreditatẽ Sanctam, atque Sanctarũ Virginẽ ad nostra hæc tẽpora perpetuã, & necessitatem scaturiginẽ, Spinela, Eldara, & Anonyma paulo adhuc recẽtior, ad cuius hodieq; sepulchrũ fiunt miracula, aliæque suis temporibus dicendæ,

manifestabunt. Interim tamen, quia certo caret tempore, ex ipsa Gallia adductam fœminam principem, atque ibidem Monialē, cōmemorabo.

12. Hæc à parentibus desponsata iuueni, & diuiti nobili, atque ad portandum matrimonij iugū, vt par erat, per omnia, sibi æquali, cū solum Christū sponsū elegisset, cui suā Virginitatē consecrasset, instanti iam solenni nuptiarū die, dicitur inuocasse Petrum, & Paulum, quorū auxilio, & inuisas nuptias fugeret, & locum quietū, ac aptum inueniret, quo Christo libere posset famulari. Quo Ordine Hispaniam penetrauerit? in dubio est. Ferunt cū ad Aroucam peruenisset extera Virgo, & pulchra, & quæ splendorē generis placido vultu, & ingenio præseferret, interrogatā, à quo deducta fuisset? ac linguæ Hispaniæ ignaram respexisse ad altare, ac SS. Petri, & Pauli Apostolorū signatis, imaginibus se ab illis deductā significasse: neq; inde se aliquando separandā; nisi aliò ab eisdē deduceretur. Prodidere se statim genus, & virtus, sed multo magis postquam iam recepta, inter Moniales degens, conuersansque vtrumque comprobauit ipsis operibus. Multoties eleuaram à terra visam, traditio est, Sanctis spiritualibus frequenter, & familiarem; reliqua obtexit temporum iniuria, atque iniuria maiorum. Obiisse tamen in celebri opinione Sanctitatis manifestat sepulchrū, quod hodieque in claustro cœnobij cernitur eleuatum à terra decenti opere; atque conspersum liliis, quibus genus, & patria dignosci possint. Hæc de Arouca ad Cistercium reformata, atque eius patrona, & ipsius occasione reformationis, quæ in hunc annum incidit, nisi forte ad sequentem dilata est, vt prius per Capitulum Generale Cistercij acceptaretur. Reliqua si quæ occurrerint, suis à nobis locis dicenda erunt.

---

1. Regina Vrraca Monasterium Villennæ construit 2. constructumque Abbatissæ Huelgensi donat, 3. & donationem instrumento confecto firmat. 4. Initia domus 5. & Vrracæ Monachatus. 6. Honorij litteræ, 7. & intuitu Vrracæ. 8. Ferdinandi donatio, 9. & larga exemptio. 10. Dictum de eiusdem Vrracæ vita, & morte, & de duabus filiabus Sanctimonialibus.

CAPVT DECIMVM.

1. MAFALDÆ exemplum aut imitata est, aut anteiuit Vrraca Legionensis: nisi quod illa in tenera ætate, hæc in prouecta: & illa quidem antiquum reformauit, vt iam ostendimus, hæc nouum Monasterium sibi condidit, in quo vtraque Deo sub suaui iugo Cistercij famularetur. Vrracæ Lupus Harus, Cantabriæ Regulus, Pater, Mater ..... infans fuit. Hæc Ferdinando Legionensi Regi (Alfonsi Imperatoris filio) nupta, postquam priores Vrracæ alterius nuptias Ecclesia (quod consanguinei essent) secundas diremisset Tarasiæ mors; Sanctium, & Garciam filios, sed & totidem filias iam seni peperit, puella ipsa, & tenera; in qua ætate viduitatis damna mærens, defuncto Ferdinando, ad Castellam reuersa, longe meliorem vitæ suæ partem in continentia viduali conseruauit: Alfonso, & Ferdinando Regibus chara, populis reuerenda, marito suo fidelis, & Deo grata. Verum cum hanc honestam viuendi normam laudabiliori fine consummare haberet in animo, forte & Mafaldæ exemplis prouocata, quæ in teneriori ætate, sicut nuptias, sic & mundanam pompam, delitiasque ante pene reliquit, quam posset noscere: in quo iam grandior vacaret soli Deo, Monasterium construere, & in eo se sacrare deliberauit, quod vitæ reliquum ibidem peractura.

2. Erat eidem in Burgensi Episcopatu possessio pinguis (in oppido Villennæ ab vrbe Regia distans per octo Leucas) quam multæ aliæ per gyrum coronabant. Erant & Burgis Cistercienses Virgines in Huelgensi cœnobio, quæ Religionis æque, & clari sanguinis opinione percelebres, Monialibus Castellæ, Legioniſque, ex Capituli Generalis indulto, quod supra vidimus late, nec sine laude, dominabantur. Ergo Villennam condendo Monasterio euocandis, per quas habitaretur, Sanctimonialibus, tum etiam, cui subesset, Huelgas elegit, tali incremento haud parum nobilitandas. Præerat tunc Monasterio Huelguensi Sanctia post mortem Constantiæ, clarissimæ infantis, venerandæ auctoritatis fœmina, quam ipsi Reges, quam Proceres, quam Clerus, atque ipsum vulgus minus religiosū reuereretur. Ergo vocatis ex his, qui viciniores tribus Abbatibus, de Buxedo, & Ferraria, & de Iranzu (Rodericū, Abbatem Riuiscei, forte alia maiora detinebant) qui vices gererent Abbatis Cistercienſis, & factum suo tempore referrent, in Capitulo generali confirmandum, Burgos primum, deinde Huelgas adeūt; ibi cum Sanctia Abbatissa negotium conferunt, locum, atque ædificium, expensasque, & cætera, discutiunt, ac nouæ fundationi tum Monialęs, tum Antistitam quærunt, cuius auspiciis crescceret, & cuius prouidentia, zeloque tenella illa plātatio dirigeretur. Tum vero cunctis pro humanæ prouidentiæ captu apte dispositis, Regina Vrraca donationem fecit, & loci, & possessionum Huelgensi Monasterio, Sanctiæque, adstantibus Abbatibus, & subscribentibus instrumento donationis, quod ex archiuis loci fideliter transcriptum ita habet. [a]

a *ex tabulario eiusdē Monasterij.*

3. *Facile à memoria hominum rerū gestarū excidit; nisi monimentis scripturæ traderetur. Inde est, quod præsens scriptum notū fieri volumus omnibus hominibus, tā præsentibus, quā futuris. Quo ego Domina Vrraca Regina, filia Comitis Lupi, pro remedio animæ meæ, ac Patris, & Matris meæ, filiique mei Sāctij Ferrandi, omniūque parentū meorum, libenti animo, & spontanea voluntate, dono, & concedo Deo, & B. Mariæ, & Monasterio illi, quod vocatur S. Maria Regalis de Burgis, & vobis Sanctiæ Abbatissæ eiusdem loci, totam hæreditatem, quam habeo in his locis, videlicet in Villenna, & in Lauid, & in Rio de Anguillas, & in Quintana & Bueso, & in Sancta Maria de Ripa redonda, & in Salzedo, & in Quintana de Anaias, & in Quintanilla de San-Garciez, & in Ecclesia Sillena, & in Catabrana, & in Poza, & in Quinta de valde Monasterio, & Busto, & in Villa Prouedo, & illos montes de Barzina, quos dedit mihi Comes Aluarus, filius Comitis Nuntij, & quos comparaui de filiis Domini Molinæ; omnes, inquam, prædictas hæreditates, cum omnibus directuris, & pertinentiis suis, quas habeo, vel habere*

habere debeo, vt suprà dictum est dono vobis, ad cõstruendum Monasterium, & Abbatiam Sanctimonialium Ordinis Cistercienſis, & prædicto loco de Villena, iure hæreditario in perpetuum possidendas. Factum est hoc XVII. Kalend. Maij. Hactenus instrumentum donationis, nam quæ sequuntur ad factum ipsum spectant.

4. Porro, quid ipsa die factũ sit, simul & annus, & Abbates qui affuere, & deduxere ad locũ Sanctimoniales, idẽmet instrumẽtũ ita prosequitur.[b] *Et ipsa die ordinatũ est Monasterium de Villenna per manũ supradictæ Sanctiæ Abbatissæ S. Mariæ Regalis, & fuit ibi creata Abbatissa Domina Aluira Garsiæ, præsẽtibus Venerabilibus Abbatibus, Vitali de Buxedo, & Martino de Ferraria, & Ioanne de Irancio, qui testes sũt huius donationis, quæ facta est sub Æra M.CC.LX. Regnante Rege Fernando in Toleto, & in Extremadura, & in Burgos, & in Castella cũ vxore sua Beatrice Regina, & cũ matre eius Domina Berẽgaria Regina, &c.* Hęc ad hunc annũ.

b *vbi suprà.*

5. Non satis cõstat, an hoc ipso die Regina Vrraca induerit Monialem, neq; an in Regio Huelguensi Monasterio, an in eo, cuius ipsa fundatrix esset quãuis hoc vltimum Honorius Papa innuat, illud cõpertum ante bienniũ habitu donatã, asserente Honorio Sũmo Pontifice, cum idẽ Monasterium cõfirmaret, atque personas eius, bonaq; sub B. Petri, & sua protectione susciperet, priuilegio expedito, quod mox adducã: vt palã fiat id quod alias rarũ, aut forte nunquã visum, in vlla alia familia religiosa; eodem tẽpore intra Hispaniæ solius terminos, tres Reginas Cisterciũ professas esse duas Legionis, Vrracam, & Tarasiam, quæ mox sequetur. Alterã in Villena, Lourbani alteram, tertiam Castellæ Mafaldã apud Aroucã. Quibus si quartã intra breue tẽpus adiungas, Carasiam Aragoniã, Iacobo primũ per incestum cognatã, sed legitimo toro destinatã, & ipsius promissione, & promulgata sententia Sũmi Pontificis: & quinq; alias infantes, seu Regũ filias, alterã apud Cellas, Burgis duas, quas supra memorauimus, duas alias in Cañas, & in Villenna, quas mox dicemus: apparebit haud dubie, nihil vnquam simile, aut euenisse hactenus, aut in posterum facile euenturũ. Adeo tunc tẽporis Cisterciũ florebat, nõ solum Sanctitate, verum etiam mundana claritudine. Sed iam Honorij Papæ priuilegium, quo & cœnobij patrocinium suscipit, & Monachatui Vrracæ fidem facit, proferamus in medium, quod est tale.[c]

c *epist. Honor. lib. 8.*

6. *Honorius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis in Christo filiabus Abbatissæ, & Monialibus de Villenna, Burgensis Diœcesis, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, & honestis potentium precibus fauorẽ beneuolum impertiri. Intellecto itaque, quod charissima in Christo filia nostra; quondã Regina V. Legionensis, de bonis propriis Monasterium vestrum construxerit, & in eo tandẽ Christo se dicauerit Monialem. Nos fauore continuo deuotionem prosequentes ipsius, & suis supplicationibus annuentes, personas vestras, & locum in quo Diuino estis obsequio mancipatæ cum omnibus bonis, quæ impræsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, specialiter autem Villas, quæ Lauid, & Prouedo vocantur cum pertinentiis suis, homines domos, vineas, terras, possessiones, & alia bona vestra, sicut ea omnia iuste, canonice, ac pacifice possidetis, vobis, & per vos eidem Monasterio, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripturæ patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, & confirmationis infringere, vel ausu temerario contraire. Datis Laterani, VI. Idus Maij, Pontificatus nostri anno VIII. Ita Honorius.

7. Confirmato per Honorium Summũ Pontificẽ, recenti Monasterio, Regia, vt decebat, cõfirmatio etiam accessit, quam Ferdinandus vel sola pietate concessisset cuicumque, ne dum Vrracæ sibi dilectissimæ, & quã eximio affectu venerabatur. Cæterũ, vt ipsa eius confirmatio, vim donationis etiã obtineret, & Monasteriũ Castellæ Regibus cederet, sub quorum patrocinio firmius, & illibatius conseruaretur; eidẽ Ferdinando per Vrracã, tunc, vt existimo, cum emisit solennia vota, traditũ est, quod ipsemet affirmat, hæc scribens verba.[d]

d *ex tabulario Villennæ.*

Tam præsentibus, quam futuris notum sit, ac manifestum, quod ego Ferdinãdus Dei gratia Rex Castellæ, & Toleti; vna cum vxore mea Regina Domina Beatrice, & filiis meis Alfonso, & Frederico, ex assensu, & beneplacito Reginæ Dominæ Berengariæ, genitricis meæ, ob reuerentiam, & gratiã venerabilis amicæ meæ Reginæ Dominæ Vrracæ, facio chartam donationis, concessionis, confirmationis, & stabilitatis Deo, & Ordini Cisterciẽsi, vobisque Dominæ Eluiræ instanti Abbatissæ Monasterij de Villenna, vestrisque sequacibus, nec non, & conuentui Monialiũ ibidem sub Cistercienſi Ordine Deo seruientiũ, præsenti, & futuro perpetuo valiturã. Dono itaque vobis Monasterium de Villenna, quod mihi contulit, & concessit Regina Domina Vrraca prædicta cum omnibus pertinentiis suis iure hæriditario habendum, & irreuocabiliter perpetuo possidendum. Pergit deinde possessiones omnes exprimere, quas habebat cœnobium, & tandem concludit.[e]

e *vbi suprà.*

8. *Hæc, inquam, omnia suprascripta cum omnibus terminis, & hæreditatibus suis, eremis, & plantis, aquis, piscariis, molẽdinis, & eorum locis, pratis, pascuis montibus, deesiis, ingressibus, & egressibus suis, & cum omni iure suo, & iurisdictione, quam ibi iam dicta Regina Domina Vrraca habebat, vel habere debebat, & cætera quæcumque donatione Regum, collatione Principum, concessione Pontificum, seu oblatione fidelium, vel alio quocumque iusto titulo potuerit is adipisci, dono, & concedo Monasterio libere, & absolute in hæreditario habenda, & irreuocabiliter perpetuo possidenda. Et hæc meæ donationis, & concessionis pagina rata, & stabilis omni tempore perseueret. Facta charta apud Manionem V I. die Iunij, Æra M.CC. LXII. anno Regni Domini Ferdinandi Regis memorati septimo, regnante eo in Toleto, & Castella. Et Ego Rex Ferdinandus præfatus hanc chartam, quam fieri iussi, manu propria roboro, & confirmo.* Sic Ferdinandus in fauorem noui cœnobij.

9. Cæterum ne ea solum, quæ ab Vrraca accepisset, videretur donare: sequenti die priuilegium aliud, quo omnem illi concedit immunitatem, eamque adeo extensam, vt vix, aut ne vix alia reperiatur, quæ similem contineat exemptionem. Est autem tale.[f]

f *vbi suprà.*

Tam præsentibus, quã futuris nostrũ sit, ac manifestum, quod Ego Ferdinandus, Dei gratia Rex Castellæ, & Toleti, vna cũ vxore mea Regina Beatrice, & filiis meis Alfonso, & Friderico, & assensu, & beneplacito Reginæ Dominæ Berẽgariæ, genitricis meæ, ob gratiã, & reuerentiã venerabilis amicæ meæ Reginæ Dominæ Vrracæ, facio chartam absolutionis, concessionis, cõfirmationis, & stabilitatis Monasterio de Villenna, vbisque Dominæ Eluiræ instãti Abba-

tissæ eiusdem, vestrisque sequacibus, nec non & Conuentui Monialium ibidem Deo seruientium, præsenti, & futuro perpetuo valituram. Absoluo itaque vos in perpetuum, homines vestros de Villa-Prouido, & Villa-Vid, ab omni pecto, postura, facendera, fosado, fosandera, pedido, apellido, & ab omni Regio grauamine, & tributo. Mandans, & firmiter præcipiens, quod nullus Sagio, vel merinus, sit ausus occasione pecti intrare prædictas Villas. Et hæc meæ absolutionis pagina rata, & stabilis omni tempore perseueret. Facta charta apud Munio VII. die mensis Iunij, æra M. CC. LXII. anno Regni mei septimo. Hactenus Ferdinandus sequenti die.

10. Hæc initia Monasterij de Villenna in Diœcesi Burgensi in ea parte veteris Castellæ, quam Burebam appellant, altero lapide ab oppido Birbiesca, quod hodieque, sub Huelguensi Abbatissa perseuerat cum aliis pluribus. Prima illius cœnobij vera propago: nam aliæ domus adoptatæ magis, quam genitæ, cum ante ipsas Huelgas fundatæ essent. In medio chori eleuatum sepulchrum surgit, in quo duæ Vrracæ filiæ esse dicuntur: vtraque Monialis Cistercienſis, Abbatissa vtraque; altera apud Cañas, Villennæ altera, illam porrò cum matrem visitaret, seu fortè sororem, præuentam ægritudine, vltimum exhalasse ibidem spiritum; adeoque in eo loco sepultam esse, præstolantem sororis sepulturam. Ergo si hæc traditio verum habet, Vrraca non se solam Deo sacrauit, cum condidit Villennam, sed filiam secum cum antea aliam ad Cañas sacrauisset, deuotione insigni, qua se, & sua omnia Cistercio tradidit. De obitu Vrracæ nobis non constat: Sancte vixisse creditur, nec minus Sancte vitam consummasse. Sepulchrum eius in Sacello maiori cernitur eleuatum à terra, cum debita, & competenti veneratione.

---

1. *Cessantibus à lite Rachelis parentibus*, 2. *tentata noua, & periculosior fraus*, 3. *qua superata, Virgo Sanctam vitam* 4. *Sanctiori morte, quamuis annus non constet, consummauit.* 5. *Iucunda historia alterius Sanctimonialis.* 6. *Henricus Prophetiæ spiritu pollens.* 7. *Cuiusdam alterius tristis obitus.* 8. *Guillelmi Claræ-Vallensis miranda visio*, 9. *& totius Cistercij commendatio.* 10. *repetita per Virginem, cum ei per sæculares detraheretur.* 11. *Albini Episcopi Fernensis obitus, & recolendæ memoriæ Sanctitatis.*

CAPVT VNDECIMVM.

1. HOc tandem anno, biennio iam transacto (vt ait Cantipratanus) Iudæi parentes Virginis Rachelis, seu Catherinæ cessauerunt à lite coram Episcopo, atque aliam viam periculosiorem aggressi sunt, qua eam ad Iudaismum reuocarent. Cessandi occasio, siue quod Episcopus post interpositam à Guillelmo appellationem, remissius ageret, & timidius in ea causa; siue quod nouas fraudes excogitantibus displicerent forenses, multa semper pecunia comparandæ; seu tãdem, quod Honorius inhibuisset Episcopum, ne vltra Parcum, ob puellam, molestaret. Constat impetratas ab eo super hoc litteras, quas per Abbates reduces à Synodo, misit ad Parcum Abbas Claræ-Vallis, sic enim à Cæsario memoriæ proditum [a]. *Tempore Capituli Generalis litteras à Domino Papa contra Episcopum impetratas per Abbatem nostrum misit Priori de Parco (scilicet Guillelmus Abbas) vt si fortè Episcopus adhuc Conuentum vexare propter puellam attentaret, eisdem litteris defenderet.* Ita Cæsarius, nec constat de his litteris, an vsu venerint, an non eguerint Episcopo intimari.

a *lib. 2. c. 26.*

2. Siue ergo hoc aliqua ex his occasionibus, siue alia quauis factum. *Post annos duos* (ait Cantipratanus [b]) *à lite iuris cessatum est, & aliud deceptionis tendiculum præparatur. Iuuenis elegantis formæ Iudæus, conductus ad hoc, venit ad Monasterium supradictum, in quo erat puella, & simulato animo Baptisma suscepit. Qui cum se fingeret miro modo, quærebat, vt puella, quasi cognatæ suæ eruditionis gratia loqui posset: dicebat enim: plus super omnium sermonibus mihi cognatæ verbum salubrius imprimetur. Illa tamen, vt mihi retulit, interius discernebat fictum ad fidem iuuenem accessisse, & ideo nec prece, nec pretio, nec vlla obedientia flecti potuit, vt solum verbum iuueni loqueretur. Hæc vt viderunt Iudæi cessauerunt ab illa; iuuenis autem ad vomitum est reuersus.* Hoc vltimum certamen in hac causa Virgini subeundum: eo periculosius, quo occultius, & sub specie pietatis, & religionis occludebatur.

b *lib. 2. c. 29. p. 20.*

Mansit Catherina Virgo à parentibus libera; 3.
& quo ab omnibus suis destitutior, eo sponso Christo commendatior, atque dilectior matri; quam Ducem, quam suæ conuersionis auctricem, simul & adiutricem habuisset. Exinde impleto anno quinto ad probationem, mox ad vota admissa, in magna Sanctitate, & vita ab his principiis non degeneri, vsque ad longam ætatem perseuerauit. De ea, idem, qui supra Cantipratanus [c], nec scio an ipsa viuente? Ita scribit. *Hanc postea tanta gratia potiri vidimus, vt nihil ea serenius videri posset. Cumque nobilium Monialium parentes, cum multa ambitione venirent videre filias, vel cognatas, hæc coram imagine Beatæ Virginis veniebat, & gratioso vultu dicebat: Aliæ sorores nostræ Moniales à matribus, & amicis solatium habent, & gaudium. Ego autem paupercula pupilla, & indigna ad te Dominam, vt cognatam meam fidenter accedo: tu sola pro omnibus esto mihi refugium, & solamen. Et hæc dicentem, quis dubitet eam, à misericordissima pietatis matre solatio non defraudari. Non te decet, ô Domina, tuam carnem, tuum sanguinem spernere, de cuius genere, vt rosa de spinis orta es: Lilium de tribulis generatum.* Hactenus quæ de vita Catherinæ scripta reliquere Cæsarius; & Thomas, qui ipsam assequuti. Reliqui alij ex ipsis transcripsere.

c *vbi supra.*

Memoratur Catherina inter Sanctos Prouinciæ Brabantiæ in prima parte Noualis Sanctorum Brabantiæ; ex qua, & Thoma Cantipratano hausit Arnoldus de Rayse Duacenus in suo 4.

auctario

auctario ad Natales Sanctorum Belgij Ioannis Molani, adscripsitque ad quintam diem Maij, non sine exacta eiusdem vitæ epitome. Annus mortis illius ignoratur, nisi quod tamen scribente libros Apum Thoma Cantipratano [d], quod creditur fuisse circa annũ Domini M.CC.LXXII. vt ipse testatur (nisi error irrepsit numero) verosimilius apparet iam obiisse. Quandocumque decessisse dicatur, clara miraculis, reuelationibusque, sed virtutibus adhuc longè clarior, earumdem præmia in cœlis receptura. Henriquez Menologio suo inseruit ad præcedentem diem, multis aliis citatis, qui eius conuersionem, & acta memorant. Meminit & B. Catherinæ Aubertus Miræus, tam in Chronico Cisterciensi, quam in originibus Monasticis [e], aliique, quos longum esset in præsenti recensere. Atque hæc satis de Beata Catherina, quondam Rachele: iam ad alia huius anni transeamus.

d lib.2.c.26. num.22.

e lib.5.c.15.

5. Iucundum est, quod in quodam Monasterio Sanctimonialium dicitur contigisse, cum quædam Virgo in communi sororum mensa, ab ea, quæ ministrabat, præteriretur. Rem describit Cæsarius in suis Dialogis [f], & in Homiliis repetit; cum eius Abbas Henricus ab ipsa Virgine, ipse ab Abbate hausisset totidem verbis. *Dum nuper (hoc anno scilicet) in quadam domo Sanctimonialium Ordinis nostri, à Celleraria per totum Conuentum pictantia, id est ova frixa, dividerentur; nescio quo casu vna ex eis neglecta est: non tamen arbitror actum casu, sed Diuino nutu, vt Dei gloria manifestaretur in illa: patientissime autem defectum illum sustinens; imo neglectam se gratulans, cum Deo gratias referret, summus ille Abbas inuisibilem ei pictantiam misit, cuius inenarrabili dulcedine sic repletum est os eius, fauces, viscera, & venter, vt nunquam aliquid tale in vita sua sentiret: corporalis erat hæc dulcedo. Porro in mente, & anima dulcedine spirituali Deus tam copiosè visitauit eam, vt diceret Abbati nostro, quod omnibus diebus vitæ suæ pictantiis omnibus carere vellet, dummodo in consimili dulcedine, & hoc vna tantum vice, sibi liceret deliciari. Pro qua idem Abbas noster ad eius petitionem, pro gratiarum actione Hymnum* Te Deum laudamus, *singulis nobis iniunxit.* Hactenus in Dialogis. Eadem, licet breuius in Homiliis post biennium conscriptis, vt ipse ait: vbi & domum, in qua contigit miraculum, Heisterbacensi Abbati commissam tradit.

f lib.8. Dialog. c.94. & ser.5. in Domin.3. post Pentecost.

6. Duo alia admiranda, pauendaque, concernentia idem tempus, memoriæ prodit; alterum singulare, commune alterum, quæ non licet silentio præterire. Et quidem in vtroque dona gratiæ, & Sanctitas Monachorum secundæ huius centuriæ perpendi possunt: quippe etiam hi, qui vix agnoscebantur, & Prophetiæ dono, & multis merebantur clarere reuelationibus. *Hoc anno* (inquit [g]) *cum Abbas noster iret ad Capitulum generale, iuxta Vitriacum à quodam Hospitalario, tam ipse, quam Abbas de Stymenu, charitatiuè satis susceptì sunt. Comedentibus eis, idem Hospitalarius (erat enim Hospitalis Magister) sedebat ad latus Henrici Cellarij nostri, qui post prandium dicebat iam dicto Abbati. Est vobis notus homo iste? Etiam, inquit, homo bonus est, & religiosus. Respondit Henricus: credite mihi in malo statu est, iam in mensa visum habuit infernalem.*

g lib. 12. cap 61.

7. *Mane vero Cellario dicente Missam, Abbas, nescio quo instinctu, sicut ipse nobis referebat, nihil aliud per totam Missam orabat, nisi hoc: Domine da mihi bonum finem. Eadem nocte, præfatus Hospitalarius ad vicinum flumen solus vadens, vestes exuit, & de ripa in aquas saltauit: & cum ibi mergi non posset, altius ascendit, locum profundiorem quærens. Vigiles de Castro videntes hoc, clamabant: Bone homo, non est tempestiuum tali hora balneari: erat enim nox Natiuitatis Dominæ nostræ. Quid plura? Miserrimus de littore se præcipitans, limo profundi infixus est, atque submersus. Et territi sunt valde audientes hæc, scientes hominem plusquam triginta annis pauperibus seruiuisse. Simile contigit cuidam conuerso in Ordine nostro, qui pro Sanctissimo Viro ab omnibus habebatur.* Hactenus ibi. Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor; & cui voluerit Deus reuelare. Certè Henricus ea gratia præditus fuit, vt etiam nosceret, & videret occulta cordium.

8. Pauenda magis quædam alia visio in Clara-Valle facta Beato Guillelmo, quia generalior: sed illius ævi Cistercio glorioſior; vt nobis confusionis maioris causa, qui adeo ab illis mediis (neque enim post centum & vigintiquinque annos, initia iam appellem) degenerauimus. *In Clara-Valle*, ait [h], *Sacerdos quidam est VVillelmus nomine, cuius mentionem feci in distinctione octaua, Capitulo quadragesimo nono: huic Diuinitus multa reuelantur. Anno siquidem præsenti, cum in oratione staret, factus in excessu mentis, raptus est ad tribunal Christi, ad cuius dexteram Angelum cum tuba stare conspexit, quem Christus clara voce, cunctis cœlestis patriæ exercitibus audientibus, sic alloquutus est: Buccina. Quod cum factum fuisset, tam valida erat vox eiusdem tubæ, vt totus mundus, quasi folium de arbore, tremere videretur.*

h lib. 12. cap.58.

9. *Cui cum secundo diceret: Buccina adhuc semel: Mater misericordiæ, Virgo Maria, sciens mundum, si denuo buccinaret, consummari, cæteris Sanctis tacentibus, surgens ad pedes filij procidit, & vt sententiam differret, & mundo parceret, cum instantia multa supplicauit: cui Christus respondit: Mater mundus in tam maligno statu iam positus est, & sic quotidie me suis peccatis irritat, vt vel sententiam suspendere, vel homini parcere merito non debeam. Non solum laici, sed etiam clerici, & Monachi vias suas prorsus corruperunt, & me de die in diem offendunt. Tunc illa Parce dilecte filiam, & si non propter illos saltem propter amicos meos, personas Ordinis Cistercienſis, vt se præparent. Abbates nostri hoc anno de Capitulo Generali reuertentes nobis ita retulerunt.* Tale Cistercium illa ætate fuit, vt & matris fauores sibi ipsi, & mundo filij impetraret propitiationem.

10. Hic referenda venit alia visio ex eodem Cæsario [i], & si non nostris facta de nostris tamen, atque illos commendans, cum sæcularium paterent detractionibus, quasi plus iusto temporalibus diuitiis dediti essent. *Coloniæ scholaris est penè quatuordecim annorum, cuiusdam Ciuis filius, & Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Capitulo Canonicus; iste miro modo Ordinem nostrum diligebat. Hoc anno, cum naues Ordinis per Zelandiam timore prædonum transire non auderent, rumor venit Coloniam, quod omnes essent depredatæ: & dixerunt quidam: Iustè actum est cum eis Monachi auari sunt, mercatores sunt, Deus illorum auaritiam sustinere non potest. Huiusmodi verbis prædictus puer in tantum iratus est, vt odio aduersus Ordinem concepto, religioni detraheret, nec*

i lib.7.c.42.

æquo oculo *Monachum, siue conuersum respicere posset. Nocte quadam insomnis ante imaginem Dei genitricis sibi stare videbatur; quem cum illa seuerius intueretur, & puer tremeret, faciem ab eo auertit, sic dicens: Male puer optimis amicis meis, quos habeo in toto mundo, maledicis, & detrahis. Quod verbum ille bene intelligens, & ex terrore euigilans, amorem extinctum gratia Beatæ Virginis in eius corde reaccendit.* Hæc satis nunc de huius anni euentibus ex Cæsario desumptis. Nunc, qui hoc tempore Monachi clarebant, Monialesque, quia hoc nos anno Dialogi eius deserunt, ex eodem auctore prosequamur.

11. Hoc idem anno dicitur ad superos migrasse Venerabilis Albinus, ex Monacho, & Abbate de Baltinglas, Fernensis Episcopus, cum annos sex, & triginta præfuisset plus minusve. Meminit eius cum laude Matthæus Paris in sua historia Angliæ [k]: vbi & refert certamen, quod maiori constantia, quàm fortuna habuerat cum Guillelmo Mariscallo seniore, & Comite Pembrochiæ, qui quædam suæ Ecclesiæ bona inuaserat, cupidine consueta multis Principibus. Hæc Matthæus Paris. Porrò hunc Albinum scriptores Angli Sanctum appellant: si qua fides quibusdam notationibus, quas admodum Reuerendus Pater Malachias Achij ex Hybernia ante annum ad nos transmisit, de quo mihi non licet dubitare. VVaræus de eo hæc tantum habet. *Decessit admodum senex, sub exitum anni M. CC. XXII. cum præfuisset annos plus minus XXXVI.*

k Pag. 931.

---

1. *Ioannis Claræ-Vallensis in Beatum Ioannem Baptistam mira deuotio, 2. miraculosè ostensa, 3. & alterius in Sanctum Nicolaum. 4. Imaginariæ assumptiones corporum frequentes in Cæsario. 5. Henricus per miraculum sanus à morbo animi, 6. & corporis Arnoldus. 7. Visio in Luka iucunda: 8. profundior alia. 9. Sanctimonialis cuiusdam gratia mira, 10. & dictum de Cæsario, & eius Dialogis.*

CAPVT DVODECIMVM.

1. NON est mentis nostræ referre omnes, qui, Dialogos scribente Cæsario, viuebant, ingnes viros, quippe id de multis hactenus præstitimus; neque eadem inutiliter repetere, aut vacat, aut libet, cum tot nos vocant noua per annos singulos. Verum cum aliqui prætermissi sint, ex anni, in quo euenerunt, quæ de ipsis narrantur, incertitudine, eos tantum colligere iuuabit, vt ex tempore vitæ, quam ad hunc annum produxisse constat, aliqua eorum ratio possit haberi; ne penitus prætereantur in his Annalibus. Primo ergo loco recensendus nobis venit Ioannes Claræ-Vallensis, præcursoris Christi feruens dilector, reuerens veneratus, de quo hæc idem auctor scripta habet [a]. *In Clara-Valle Monachus quidam iuuenis est ætate, Ioannes nomine, mirus dilector Sancti Ioannis Baptistæ: in die siquidem natiuitatis illius est natus, & ob hoc à parentibus Ioannes vocatus. Supra reliquos Sanctos illum diligit, & quotiens aliquid ad ipsum pertinens psallitur, vt est Canticum Patris eius Zachariæ, ibi penitus voci non parcit.*

a *lib. 8. c. 49.*

2. *Nocte quadam cum idem Canticum in choro cantaret, & ventum fuisset ad illum versiculum;* Et tu puer Propheta altissimi vocaberis, *Sacerdos quidam stans in choro opposito, flammam de capite eius surgere vidit: vocatur autem VVillelmus, estque Sacerdos religiosus, cui multa diuinitus reuelantur. Qui dictis Matutinis, Dominum Sygerum Priorem adiit, & quid de Fratre Ioanne viderit, exposuit: quem statim vocauit Prior dicens: Dic mihi, bone Frater Ioannes, quid cogitasti in laudibus, quando inchoatum est Canticum,* Benedictus Dominus Deus Israël. *Cui ille respondit: Credite mihi, Domine, ego cogitaui, si esses in cœlis, vox tua nunquam rauescceret, & semper Deum laudares cum Angelis. Et Prior: Quid habuisti in corde infra istum versiculum,* Et tu puer Propheta altissimi vocaberis? *Ad quod iterum respondit: ita accensum est cor meum in illa hora ad memoriam Sancti Ioannis Baptistæ, quem valdè diligo, vt vix me capere possem præ gaudio. Et cognouit Prior; quod flamma eadem signum fuisset vehementissimi amoris, de corde adolescentis in cœlum ascendistis. Anno præterito visio hæc à prædicto Priore Claræ-Vallis Priori de Claustro, recitata est, à quo ego illam didici.* Ita Cæsarius, Ioannem hunc Menologio inseruit Chrysostomus Henriquez ad decimam nonam diem mensis Decembris, vbi post verba Cæsarij de Sygero Claræ-Vallis Priore, ait in hæc verba. *Porrò Sygerus ille fuit decimus octauus Prior Claræ-Vallis, qui postmodum missus in Belgium (nam & ipse Belga erat ex ciuitate Gandensi) præfuit Camberonensi cœnobio, & fuit quintus illius loci Abbas.*

3. Ioanni Claræ-Vallensi Heisterbacensem quendam conuersum adiungo, cuius nomen Cæsario, quia coram scribebat, non licuit prodere, ne Viri Sancti modestia offenderetur. Porrò, vt ille præcursorem Domini, ita & hic Sanctum Nicolaum Pontificem diligebat ardenter, atque eius amplexis, & memoria delectabatur. De hoc ergo Cæsarius ita scribit [b]. *Est quidam apud nos conuersus, cuius nomen prodere non licet, vir bonæ conuersationis, & Sanctum Nicolaum specialiter diligens: iste, sicut ab ore eius audiui, in quadam solemnitate infra Matutinas iam dictum confessorem Pontificalibus indutum in choro stare conspexit, de cuius visione, quæ magnæ fuit reuerentiæ, tantum gaudij cor eius concepit, vt sibi altitudine duorum pedum à terra suspensus videretur.* Ita Cæsarius, in hoc genere suspensionum à terra frequens, quæ non exterius aliis apparerent, sed ab his solis, qui eas patiebantur, cognoscerentur. Nam audi quod de Sacerdote alio scribit [c].

b *lib. 8. c. 71.*

c *lib. 9. c. 30.*

4. *Noui quendam Sacerdotem Ordinis nostri, qui hanc gratiam accepit à Domino, vt quotiens cum deuotione Missam celebrat, per totum Canonem vsque ad Sacramenti perceptionem, in aëre ad mensuram pedis vnius se stare sentiat.* Sequuntur quædam, quæ veram corporis à terra eleuationem denotare videntur, dū ita subditur [d]. *Nec mirum, deuotio enim ignea est, & semper nititur sursum; nec*

d *vbi supra*

nec magnipendo, si quandoque sibi attrahat suum exterius domicilium, mens est in qua maiorem habet potestatem, quia illud in cœlum subleuat. Cæterum siue veram, siue apparentem multam aliis, quæ sequitur inquisitio veritatis facta à Cæsario haud dubiè manifestat: sic enim ait [e]: *Cumque tantam gratiam ab alio quodam Sacerdote eius amicissimo comperissem, scire volens veritatem, non absque timore ab ipso cœpi sciscitari, quæ audieram: qui statim rubore perfusus, cum me confundere nollet, ita esse confessus est. Quando festinanter, & sine deuotione celebrat, vel quando strepitu circunstantium impeditur, prædicta ei gratia subtrahitur.* Hactenus ille. Et certè si exterius appareret corporis subleuatio, facilius per seipsum, certiusque veritatem inquireret, quam ab amico quæreret: imo cum cunctis intra eandem domum constaret, ipsa inquisitio superflua videretur.

e *vbi supra.*

5. Eodem tempore viuebant Monachi duo verè religiosi, alter in claustro, alter in Villario; vterque per miraculum sanatus à morbo, alter animi, alter corporis: ille Mariæ Virginis attactu, hic Mariæ Magdalenæ, de quibus idem auctor ita scribit. *Miles quidam iuuenis, & delicatus in Hemmenrode ante paucos annos est conuersus, vocabulo Henricus. Factus Monachus, cum die quadam à quodam commilitone suo requireretur, quomodo ei ordo placeret, & quomodo haberet; respondit: Optimè mihi placet Ordo, & bene habeo, sed per tempus valdè male habui. Interrogatus de causa; quia hominem dilexit, & ædificare voluit, subiunxit: Quando primo conuersus sum, ita graues erant mihi solemnes vigiliæ, vt quotiescumque oportebat me ire ad matutinas, timore, ac tædio illarum, tam corpore, quam corde tabescerem. Nocte quadam defectum passus, cum stare non possem, à Priore de choro sum eductus, & in sede infirmorum positus. Conuerso ad custodiam mihi deputato. Mox in ecstasi factus contemplatus sum Dominam clarissimam, quam diuersi Ordinis personæ præcedebant per viam, quæ erat inter me, & chorum incedentem; habebat in capite coronam diuersorum colorum, & erat more Iudaico velata. Cum mihi propinquasset, quasi ex necessitate me tangens, veste percussit; & ecce subito confortatus, ita omnis prædicta tentatio conquieuit, vt ab illa hora delicia mihi sint ire ad matutinas. Spero, quod Domina nostra fuerit, quæ pusillanimes confortat, ne tentationi succumbant. De his à me requisitus Henricus non negauit.* Hæc de Henrico, qui viuebat in Hemmenrode.

f *lib.7.c.36.*

6. Cæterum de Arnoldo, qui in Villario, hæc ab eodem auctore scripta inuenio [g]. *In Villario, domo Ordinis nostri, & Diœcesis Leodiensis, Monachus quidam est Arnoldus nomine, vita laudabilis, & magnum zelum habens circa Ordinis disciplinam; hic cum ex nimia abstinentia in tantum stomachum suum infrigidasset, vt vix aliquos cibos reciperet, imo recepta mox eiiceret, tempore quodam ad tantum deuenerat defectum, vt lecto decumbens, mortem minaretur. Cui Beata Maria Magdalena nocte apparens visibiliter corpore discooperto, contra locum stomachi manum misit, ac deliniuit, qui ex sacra manus attactu, adeo confortatus est, vt mane surgens sanus, non absque magna Fratrum admiratione chorum intraret.* Hæc, & alia frequentia illis temporibus ingentem arguunt feruorem perfectionis, & vt aliquibus deceptio inesse potuerit, ex vehementi obiecti apprehensione, siue alia libera, aut naturali causa, quod non negabo, atque miraculis sequentibus probata, vera deprehenduntur, non solum sibi, sed aliis conciliant fidem; vt nihil incredibile videatur, vbi tot, ac tanta credenda conuincuntur.

g *lib.8.c.18.*

7. Sequuntur duorum aliorum Monachorum (nisi fortè eiusdem) in Luka Monasterio duæ illustres visiones, quos, ne offenderet, Cæsarius non nominauit. Primam, & quidem breuem, sed glorioſissimam, idem, qui supra, auctor his verbis narrat [h]. *Alius quidam ex Monachis eiusdem loci vir tanta gratia dignus, nocte quadam Dominam nostram Sanctam Mariam vidit chorum psallentium circuire, & singulorum Monachorum vultus detergere, duobus tantum neglectis, ex quibus vnus mox incurrit Apostasiam, de altero, quid adhuc futurum sit ignoratur.* Hactenus prima visio satis glorioſa: cui subiungit secundam profundiorem, quippe cuius arcanum nondum detectum, sed non prætereundum verbis sequentibus [i].

h *lib.7.c.18.*

i *lib.7. c.19.*

8. *In eodem cœnobio Monachus quidam nocte quadam putans in oratorio Nonam ad Matutinas esse pulsatam, cum multa festinatione surgens, oratorium intrauit, venienſque ad Presbyterium, circulum nimiæ claritatis, adinstar iridis formatum in aëre super altare conspexit. In quo Dei filium Saluatorem nostrum Iesum Christum, cum Beatissima matre sua Maria contemplatus est, & circa ex omni parte multitudinem Sanctorum, illorum maximè, quorum in Ecclesia reliquiæ continebantur. Nouerat enim illorum nomina, eo quod quandoque ibidem fuisset Sacrista. Nec mihi constat, si idem fuerit, qui supra. Stante eo in loco prædicto ait Domina nostra duobus Angelis: Adducite eum ad me. Quo facto, cum litteras in circuitu coronæ Beatæ Dei genitricis scriptas legere iuberetur, nec posset, ait illa Angelis: Deponite eum ad terram, ibique petens veniam, dicat Angelicam salutationem, & reducatur. Quod cum factum fuisset, & adhuc easdem litteras minimè legeret; tertio eodem modo dispositus, & reductus, litteras quidem legere, & intelligere potuit, sed ne scripturam vlli hominum proderet, interdictum accepit. Quo ad terram ab Angelis deposito, disparuit hæc visio.* Hactenus ibi. Plura alia pertranseo sciens, & prudens.

9. Venio ad Moniales, quarum, & si minor notitia, non minor seges; & de his etiam quædam apud Cæsarium [k]. *Noui*, ait, *quandam Sanctimonialem Ordinis nostri, quæ illam accepit à Domino gratiam, vt quando communicat, tantam ex ipso sacro corpore dulcedinem sentiat, ac si mel reciperet: non saporem panis, sed mellis vt dixi in masticatione sentit tota illa die, maximè ante perceptionem cibi corporalis, saliuam habens melliſluam. Nec mirum, legitur enim de Manna, quod gustus eius fuerit quasi simile cum melle. Est autem eadem Sanctimonialis Virgo vitæ Venerabilis, cuius personam supprimo, eo quod adhuc viuat, & se prodi non permittat.* Hanc ipsam gratiam in aliis Sanctimonialibus, & supra vidimus, & infra etiam videbimus.

k *lib.9.c.39.*

10. Hic nos deserunt Dialogi Cæsarij, de quibus ipse, cum Dominicas Quadrageſimales scriberet, non multo post super illud lectionis Euangelicæ, [l] *colligite, quæ superauerunt fragmenta. Fragmenta autem sunt* (inquit [m]) *memoria digna virtutum exempla, de quibus maxima diligentia debet*

l *Ioan 6.*

m *Ser.16. in Dom 4 Quadrages.*

debet esse. Prælato, vt aliquibus Fratribus litteratis illa per scripta colligere præcipiat, ne per obliuionem pereant. Cophini sunt libri, vel chartulæ, in quibus illa colliguntur. Ego siquidem Abbate meo præcipiente, & Fratrum charitate instigante, duodecim sportellas impleui ex fragmẽtis huiusmodi, Dialogum ex eis conficiendo duodecim distinctionum. Hæc idem ipse Cæsarius de suis Dialogis, quibus conformia in eorum prologo scribit. Cæterum an Magistri Nouitiorum fungeretur officio, per id tempus quamuis multi affirmant, non ausim dicere. Iniunctum sibi id munus videtur supponere in eodem ipso prologo sic loquens. *Cum ex debito iniuncta sollicitudinis, aliqua ex his, quæ in Ordine nostro, nostris temporibus miraculosè gesta sunt, & quotidie fiunt, recitarem Nouitiis, &c.* Cæterum in ipso opere de alio loquitur, qui tunc esset Magister Nouitiorum Heisterbacensium [n]. *Godefridus*, inquit, *Magister Nouitiorum nostrorum, &c.* Fieri potuit, vt Cæsarius Magister fuerit, cum ex his aliqua Nouitiis recitaret, sed cum scriberet, iam alius ei successerit.

n *lib.* 10. *cap.* 24.

---

1. *Ioannis Succiæ Regis breue regnum*, 2. *mors propera & in Albastra sepultura.* 3. *De Alexandro Alensi Franciscano historia, seu fabella.* 4. *Acta Capituli* 5. *Chronologia,* 6. *& dictum de Mogila, seu Clara-tumba.* 7. *Henrichouium, atque eius fundator Monachum induens.* 8. *Locus nostræ Dominæ, atque huius nominis duo Monasteria.* 9. *Brailla Sanctimonialium,* 10. *& de Percheio in Græcia nostris accedens.*

CAPVT TERTIVMDECIMVM.

1. HOc item anno fœliciſſimæ expectationis Rex Sueciæ, & Gothiæ, Ioannes cognomento, Pius, nimium heu! immatura morte præuentus, atque ingens sui desiderium relinquens subditis, in Albastra Cistercienſi cœnobio sepultus est, non sine ingenti Monachorum luctu, qui & Regem lugebant, & populis à tanta expectatione frustratis, miserabantur. De eo Ioannes Magnus [a], & ex ipso Olaus, hæc habent verba [b]. *Ioannes, Suercheri Regis filius, tam Procerum, quàm populorum consensu, ad vtriusque Regni sceptra, sublato è viuis Erico, sublimatur: dictusque est ob defectum ætatis Ioannes Iulienſis, siue ab innata pietate Pius. Erat namque benigniſſimæ indolis, spemque de se maximam, & optimam toti Regno polliceri videbatur. Cum enim sub tutoribus ageret, nihil, quod ab eis vetabatur, facere audebat: maximè autem Sapientiſſimo Archiepiscopo Vpsalensi Olao obediuit, eiusque consilia, perinde ac vnici Patris præcepta venerabundus, impleuit: cui etiam maximarum, & difficillimarum causarum in suis regnis emergentium examinationem, decisionemque permisit, nihil dubitans, quin is, qui in Diuina lege, & Christianis moribus esset instructiſſimus, de humanis etiam causis, & controuersis certius, sapientiusque iudicare posset, & vellet. Ita teneræ ætatis Princeps prudentiam, quam ex se, nec præstare, nec polliceri poterat, alieno pectore prudentius erutam, sapienter subditis populis accommodauit.* Ita Ioannes Magnus de Ioanne Rege.

a *lib.* 19.
b *lib.* 16. *cap.* 24.

2. Verum cum Proceres, ob ætatem ipsius teneram graues in Regno tumultus concitarent, atque in Eccleſiam, & Episcopos insurgerent, cui malo Principes frequenter obnoxij viuunt, quippe qui dedignantur potentiæ æmulos: siue tædio insurgentium seditionum; seu Diuina clementia prouidente, ne subditorum exemplo peruerteretur, quinto sui Regni anno mortuus est, id est post quartum, vt idem auctor scribit. Ergo de eius morte, atque illius occasione, ita prosequitur [c]. *Sed hæc est malignorum, aut ignauorum Procerum consuetudo, vt cum videant rerum summam vel ad pueros, vel ad imprudentes Præsides deuolutam, mox sibi quidquid libet, idem etiam licere putent. Proinde nimis infœlix est Regnum, cuius Rex puer est, & cuius Principes magis lucra, quam honestatem sectari didicerunt. Sed euenit huic adolescenti Regi Ioanni, quod in sacris litteris dicitur:* Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius. *Quippe anno quarto postquam regnare, vel Regium nomen portare cœpisset, præmaturo fato in insula Vinsingiana sublatus publicum, & maximum dolorem toti patriæ incussit. Sepultus in Monasterio Albastra anno Christi M. CC. XXII. non longè à Patris, & aui sui monumentis.* Hactenus ibi. Sic Bernhen, & Albastra, Cistercienſe vtrumque Monasterium, funera Regum Sueciæ alternabant. Quippe Ericus in Bernhen sepultus; Ioannes in Albastra, vbi Pater Suercherus anteceſſor Erici, sepultus erat.

c *vbi suprà.*

3. Sub idem tempus, (nam ne hoc quidem omittam) dicitur euenisse historia illa, siue fabellam mauis, de Alexandri Alensis conuersione ad Franciscanum Ordinem, ex petitione cuiusdam Minoritæ; cum Cistercienſem, Dominicanúmque proposituros, obliuio alterum, vrbana præludia, & verbosa procœmia, alterum retardarent. Rem narrant Antoninus, Marianus, Ioannes Pitsæus, & alij ex quibus Franciscani Annales totidem verbis [d]. *Eam*, inquiunt, *erga Beatissimam Virginem Mariam concepit deuotionem, vt statuerit, aut etiam vouerit, nihil denegare, quod eius interposito nomine peteretur. Id scitum à fœmina quadam dictum item Cistercienſibus, vt propter hanc fidem datam peterent, sui vellet fieri instituti. Illis accedentibus ad Magistri ædes, vt rem hanc sibi summè honorificam, ob Virginis Mariæ reuerentiam postularent, magna irrepsit obliuio, vt nihil minus meminerint, quàm huius. Mulier iudicans suam præmonitionem, & consilium, vt contemptum reiectum, prædicatores adiit, vt suo magno luero, & honori, quod Cistercienſes neglexerunt, efficerent. Illi vero læti abeuntes, communem Magistrum salutarunt, & de rebus seriis alloquentes, vt vrbane, & quæsita opportunitate commodius suam petitionem subiungerent, rem distulerunt, in colloquij finem, ne præpropere, & nimis inconsulto, ex abrupto viderentur rem grauissimam proponere. At superuenit quidam ex Minoritis, qui ostiatim panem mendicabat, & quod illi multa prauia consideratione explicare statuerunt, hic ex abrupto cœlitus motus rogauit: Reuerende, inquit, Magister, magnum, & celebre apud omnes pietatis, & doctrinæ*

d *Hoc anno num.* 26.

nomen

nomen obstinuisti ; & res sæculi tibi satis secundæ. Porro obsecro te per amorem Beatæ Mariæ Virginis, vt serio & impensè consideres, vtrum ad æternitatis fœlicitatem consultius tibi sit sæcularem vitam agere, an Christi crucem in pauperculo hoc nostro instituto perferre ? Obstupuerunt prædicatores ad præreptam sibi de tanto homine lucrando occasionem : & Magister quidem imo condidit, & fouit pectore verba, tanquam sibi dicta per Dei nuntium, & protinus cogitauit de mutando vitæ genere, & assumendo Franciscano. Hæc siue vera, siue falsa sint, omittere non libuit, siue otij causam fatigato lectori præbeant, siue negotium facessant deuotis animis.

4. In Capitulo decretum ante omnia, *vt de Sancto Roberto primo Cistercij Abbate fiat festum quinto decimo Kalendas Maij, cum duodecim lectionibus, sicut de Beato Hieronymo, & vna missa, sicut de Beato Benedicto.* Quippe, & si litteræ solos Molismenses alloquebantur, communis tamen vtrorumque causa, pietasque (fortè & communis petititio, vt notabamus [e]) communem etiam faciebat concessionem. Sed nec tunc adhuc Sanctos à Beatis discernere, in vsu : & in his, siue illis celebrandis, indulgentia Pontificum, ingens ea ætate Capituli Generalis Cistercij potestas fuit ; eodem etiam Capitulo indulgente, *Abbatibus de Scotia concessum fuit, vt in Abbatiis suis de Sancta Brigitta celebretur.* De illa, inquam, Brigitta, cuius meminit Surius tomo primo, quam Marianus Scotus, anno D. XXXI. Sigebertus D. XVIII. obiisse tradunt. Crediderim obortam aliquam litem, super alicuius Abbatis depositione ; aut fortè eam, quæ in Cistercienses, & quatuor primos ventilabatur, retractam, & vocatam in dubium iterum. Constat decretum Patrum illud fuisse, *vt quod in charta charitatis continetur de promotione, & depositione Abbatum, quàm simpliciter, & inuiolabiliter ab omnibus obseruetur.* Hæc forsan ideo, ne quid in re grauissima diminuere, aut addere, aut aliquo modo innouari dici possent : quippe in antiquis obseruandis, nullum periculum : in nouis condendis, ingens esse solet. Nec video plura decreta in hoc Capitulo.

[e] c. 1. n. 13.

5. In Chronologia vnicam Abbatiam fundatam lego, dictam de Clara-tumba, quæ in linea Ecclesiarum Morimundensium, aliàs Mogila dicitur, filia Lubentis ; & in Polonia Cracouiensis Diœcesis nulla maiori notitia memoratur. Cæterum, quantum ex nomine Mogilæ, & anno fundationis licet colligere, multo clarior eiusdem fundationis haberi potest, ex historia Polonica, collecta est Bibliotheca Ioannis Pistorij, in qua & fundatorem loci, dotatoremque Iuonem Cracouiensem, quem successisse Vincentio superius diximus ; & translationis annum, & occasionem ; demum quæ alia scitu digniora sunt, his verbis video recenseri [f] : *Anno Domini M. CC. XXII. Iuo, Episcopus Cracouiensis, fundauit Monasterium Cisterciensis Ordinis in Villa Patrimonij sui Kaczioze prope oppidum Slumniki : pro dote ei assignando Kaczioze, Prandokin, Monikouize Choleuicze : nec non decimas manipulares mensæ Episcopalis de eisdem quatuor Villis prouenientes. Verum cum intelligeret locum pro Monasterio parum idoneum, anno Domini M. CC. XXVI. ad Mogilam, locum paternæ sortis vberem, propè Vistulam, illud transtulit : Ecclesiam quoque ex dolata petra, & partim excocto latere in titulum Sancti Pauli Apostoli, quod nunc Sancti Bernardi vocant, extruxit, & dedicauit. Decimisque manipularibus de mensa Episcopali in oppido Pocschyezei in Villa vinarij, & circumiacentibus Villis dotauit.* Hæc ille de Mogilensi Abbatia : quam Cazycensem à primo loco vocatum apud Cromerum [g] lego, vbi & reddit rationem secundi nominis.

[f] tomo 2. lib. 3. c. 33.

[g] lib. 7. fol. mihi 188.

6. *Iuo Cracouiensis Episcopus* (ait) *Cazycense Monasterium Cistercensibus Monachis condidit ; nec multo post Mogilam supra Vistulam, vno à Cracouia milliario, locum, à Vendæ Reginæ tumulo dictum, id transtulit, & magnificè locupletauit.* Hoc Monasterium incendium passum fuisse, tempore Cazimiri, tertij Regis, præsagium impiæ, & crudelis persequutionis in Ecclesiam futuræ sub illo Rege, idem auctor affirmat multo inferius. *Monasterium quoque Mogilense,* ait, *quo die Cazimirus, tertius Rex Poloniæ, fines attigit, totum fortuito incendio conflagrarat, nec sanè fefellit omen : sensere enim præsuram Ecclesiæ, & Monasteria postea, hoc Rege regnante.* Hæc obiter per anticipationem dicta, de hoc cœnobio, quod Mogilense, Cazycense, & aliàs Claram-tumbam vocatum lego : nec debito hanc eandem pluralitatem nominum in aliis inuentam, nobis in multis occasionem errandi esse, quæ ô vtinam ! qui melius nouit, corrigat.

7. Hoc ipso anno fundatum etiam lego Henricouium cœnobium in eodem Poloniæ Regno, in Diœcesi Vratislauiensi, ex eodem Monasterio Lubentis ducta Colonia, locum, & dotem dante Nicolao Henricouio, Henrici Barbati Ducis, à secretis, & seipsum ibidem Deo sacrante, votis solemnibus. De eo hæc in historia illa Polonica [h]. *Anno Domini M. CC. XXII. Nicolaus de Henricouio, Ducis Henrici Barbati notarius, genere, & actione nobilis, de consensu, & annuentia eiusdem Ducis, fundauit Monasterium Ordinis Cistercensis in prædicta Villa Henricouij sui patrimonij, Vratislauiensis Diœcesis propè Nisam : & tam Villa, quàm aliis ad illum locum spectantibus dotauit. Nec sua omnia Deo donasse contentus assumpto habitu in eodem loco, vsque ad mortem fœlix fundator militauit.* Hactenus sumptum ex historia illa Polonica. Consonat Martinus Cromerus, qui postquam Trebnicense Monasterium ab Henrico Barbato fundatum dixerat, subdit de Henricouio [i]. *Quod exemplum sequutus Nicolaus Henricouius Vir nobilis, & locuples, qui Henrico Barbato à secretis fuit, & ipse patrimonium suum omne Cistercensibus Monachis, assentiente Henrico Barbato, donauit ; extructoque eis Monasterio in pago suo Henricouio, ipse quoque ibi religionem professus vitam peregit.*

[h] vbi suprà.

[i] vbi suprà.

8. Lego & hoc anno fundatum Monasterium sub titulo Loci nostræ Dominæ, de quo hæc tantum habet Robertus Claudius [k]. *Locus nostræ Dominæ Ordinis Cistercensis, Diœcesis Aurelianensis propè Remorantium : Ædificatur mense Maio, anno M. CC. XXII. ab Isabela, vxore Ioannis Comitis Carnotensis. Et confirmatur à Sancto Ludouico anno M. CC. XLIV.* Hæc tantum ille ; qui statim subdit aliud Monasterium Sanctimonialium in Turonia situm, eiusdem Ordinis, atque eodem vocabulo Loci nostræ Dominæ intitulatum, nec plura nos habemus, quæ proferamus.

[k] *In sua Gallia Christianâ.*

9. Ex litteris Honorij Papæ tertij hoc anno datis ; aliorum duorum cœnobiorum notitiam haurio,

haurio, non quasi fundatorum ad hunc annum, sed quia eo primum inuenio commemorari. Vtrumque autem fœmineum esse constat: primum de Brailla dictum, in Diœcesi, vt coniector, Cameracensi, ad quod admitti, cum Venerabilis quædam recluſa postulasset, pro ea Honorius ad Abbatissam, & Conuentum ita scribit [k].

k *In Regest. Honorij lib. 6.*

Abbatissæ, ac Conuentui de Brailla Cisterciensis Ordinis.

Dilecta in Christo filia Frecluſa domus Sancti Lazari Cameracensis, nobis fecit humiliter supplicari, vt cum ei tutius videatur agere in Monasterio residuum vitæ suæ, quam sic esse recluſam, & ipsi licentiam concedere Cisterciensem Ordinem assumendi, & vos pro receptione ipsius nostris inuitare litteris dignaremur: nos itaque preces eius, & propositum, benigno fauore in Domino prosequentes, charitatem vestram rogamus, & monemus attente, per Apostolicam Sedem mandantes, quatenus ipsam, ob reuerentiam Diuinam & nostram in sororem vestram sine difficultate qualibet admittatis; ita quod ipsa vna vobiscum de virtute proficere valeat in virtutem, & vestra charitas vos charas, & commendabiles reddat in oculis Saluatoris. Datum Laterani III. Kalendas Iunij, Pontificatus nostri anno sexto. Hæc de Priori Abbatia Sanctimonialium.

10. Posterius Monasterium longè antiquius apud Constantinopolim, sed ad Cistercium recens reformatum, nimirum post Imperium Latinorum ibidem stabilitum, litteræ eiusdem Honorij Papæ probant, quæ ita habent [l]. l *Ex eiusdem Regest.*

Beatrici, Abbatissæ Monasterij de Percheio, quondam de Ysostis nominato, Cisterciensis Ordinis, Constantinopolitanæ Diœcesis, eiusque sororibus præsentibus, & futuris, Regularem vitam professis.

Vestris supplicationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium Sanctæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ de Percheio, quondam dictum de Ysostis, in quo Diuino estis obsequio mancipatæ, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, vt Ordo Monasticus, qui secundum Beati Benedicti Regulam, atque institutia Cisterciensium Fratrum, ibidem institutus esse dignoscitur, perpetuis futuris temporibus obseruetur. Et paulò inferiùs, post designatas multas possessiones, *quæ omnia idem Monasterium antequam Cisterciensis Ordinis institutia susciperet, possidebat.* Et infrà. *Datum Laterani per manum Iulij, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vice Cancellarij, tertio Kalendas Martij, indictione decima Incarnationis Dominicæ, anno M. CC. XXII. Pontificatus vero Domini Honorij Papæ tertij, anno sexto.* Ergo vt Monachi, ita & Sanctimoniales Cisterciensis vsque ad vltimos fines penetrabant Christiani orbis.

ANNVS CHRISTI M. CC. XXIII. ANNVS CISTERCII C. XXVI.

1. *Honorius Papa sermones suos colligit:* 2. *& Abbati, ac Conuentui Cisterciensi dicat:* 3. *Nec constat an VValtero,* 4. *an successori?* 5. *Sancti Mauritij post mortem crebra miracula,* 6. *de quibus Diœcesanus, cum inquisisset,* 7. *ad Pontificem cum multis aliis scribit.* 8. *Litteræ Honorij pro illorum comprobatione,* 9. *primæ,* 10. *& secundæ.* 11. *Et dictum obiter de ipso Monasterio;* 12. *& de Raymundo, Abbate Sagrameniæ, & quadam causa ab Honorio illi commissa, atque à Gregorio inserta corpori iuris.*

CAPVT PRIMVM.

1. HVNC nobis annum Christi M.CC.XXIII. Cistercij XXVI. *sup. c.* auspicetur Honorius antecessoris sui Innocentij imitatus exemplum, & quos dudum sermones declamauerat acri, & viuido stylo ad populum Romanum, clerúmque, in vnum haud exiguum volumen colligens, atque Abbati, & Conuentui Cistercij dicans, epistola præfixa, quam mox subiungam. Porrò volumen ipsum hodieque Cistercij perseuerat, atque ea obseruatur veneratione, quæ decet tantum munus, siue quia id religio postulabat, siue quia idem Honorius, futura præcauens, & sui in Cistercium amoris firmus assertor, perpetuúsque ostentator, lata sententia excommunicationis strictè prohibuit, ne aut distrahi posset, aut alienari. Quod ipsum de omnibus donariis, quæ multis ab eo Ecclesiis donata sunt, ex quibus aliqua supra memorauimus, in vniuersum cautum; specialiter tamen de hoc volumine intelligendum fore, in ipsa dedicatoria declarauit. Litteræ Honorij sermonibus præfixæ, ex quibus etiam quædam alia dona ad Cistercium ab ipso transmissa, constat, prout ex ipsa Cistercij Bibliotheca, ad Ignatium Firminum Fitercensem Abbatem primo adductæ, deinde ad nos remissæ cum aliis exemplaribus, quæ non parum hoc opus illustrarunt, illustrabuntque adhuc, hæc habent verba [a]. a *Ex Bibliotheca Cistercij.*

Honorius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis Abbati, & Conuentui Cisterciensi salutem, & Apostolicam benedictionem. 2.

Aquas nostras iubemur diuidere in plateas, ita tamen, vt non sint nostri participes alieni, quia scilicet riuulum, imo rorem scientiæ datæ nobis à Domino, qui etiam mutorum linguas facit esse disertas, debemus in latitudinem spargere populorum; & excusso inanis gloriæ puluere, ac respectu quæstus temporalis excluso, arentia subditorum corda sic ex sola charitate rigare; vt nullam in opere nostro partem sibi spiritus valeant vendicare maligni. Qualibet igitur proprij corporis infirmitate grauati, quamlibet pressi onere Pontificalis officij, quamlibet irruentibus vndique sollicitudinum fluctibus agitati; vix tandem aliquando valeamus recolligere mentem, in tam diuersa diuisam, & lectioni, seu meditationi, vel modicum dare tempus: ne tamen id temporis, quod occupationibus nostris subducere, & quasi furari potuimus,

potuimus, effluëret otiosum, sermones, quos diuersis temporibus habuimus, ad clerum, populumque Romanum studuimus in vnum compilare, ac ordinare volumen ad vtilitatem præsentium, ac etiam posterorum.

3. *Ipsum ergo volumen vestræ charitati duximus destinandum, in quo si quid laudabile inueneritis, Domino, qui dat, omnibus affluenter, & non improperat, adscribatis: ea, quæ minus bene, minusve sufficienter dicta inueneritis in eodem, nostræ insufficientiæ imputantes. Pro huiusmodi autem dono, quod vobis ex multa charitate dirigimus, orationum vestrarum valde necessaria vobis antidota postulamus. Illud vos latere nolentes, quod cum Ecclesiis vrbis, & aliis simus, Deo propitio, quam plures sacras vestes, & alia Ecclesiastica ornamenta largiti; protulimus sententiam excommunicationis, in illos, qui ea dare, vel vendere, seu quocunque modo alienare præsumpserint ab eisdem. Vnde caueatis vos vniuersi, & singuli, ne vel præsens volumen, vel alia ornamenta Ecclesiastica, quæ Ecclesiæ vestræ contulimus, distrahendo, & alienando quomodolibet ab eadem, supradictam sententiam incurratis. Valete.* Hactenus ad Abbatem Cistercij, Conuentúmque summus Ecclesiæ Pastor, tunc demum putans fructificaturum Diuini Verbi semen, si ab ipso in Cistercio, à Cistercienſibus per orbem diffunderetur.

4. Non satis constat, cuinam Cistercij Abbati Honorius sermones suos direxerit? nam Gualterus obiisse hoc anno creditur: quamuis sub ipso illius initio mortuus successori cessisse videri potest. Decessit Gualterus decima nona die mensis Ianuarij, in Vigilia Sanctorum Martyrum Fabiani, & Sebastiani, qua etiam in Martyrologio Cistercienſi Natalem eius (vt piè credendum est) antiqui Patres adnotarunt. *Quarto decimo Kalendas Februarij obiit D. Gualterus, decimus nonus Cistercij Abbas.* De sepulchro nihil certè hactenus habeo. Chrysostomus Henriquez suo eum Menologio inseruit, postponens diem, quippe ad tertiam decimam Kalendarum eiusdem mensis. Memoratur inter alias illius glorias, quod Sanctum Ioannem de Monte mirabili, dum Abbas Longi Pontis esset, susceperit ad habitum; fœlix tanto filio, & qui miraculis, quibus claruit post mortem, superstes fuit. Successorem habuit Venerabilem Iacobum. Dubium vnde assumptum? De quo Claudius Robertus [b]. Solum nomen, & diem obitus. Chronicon metricum hos versus sat impolitos.

[b] In sua Gallia Christiana.

Decertat Iacobus Christo pietate placere,
Doctrinis valdè tritus cœlestibus ipse.

Fœlix profecto Præfecturæ initium habuit, si eam ab Honorij Papæ sermonibus ad eundem transmissis, auspicatus est, quod nobis probabilius longè apparet. Sed ad ipsum Honorium redeamus.

5. Sub idem tempus, Mauricio iam defuncto (illius Monasterij primo Abbate, quod Monachis transmissis ex Longonio, in Diœcesi Corisopitensi, ad annum M. C. LXXVII. seu reformatum, seu fundatum superius diximus) miracula ad illius tumulum crebra, populi deuotionem, rursus deuotio vndequaque concurrentium, & beneficia accipientium, aut expectantium, maiora in dies miracula, & præsentiorem Dei manum sollicitabant. Surdi, muti, & cæci, claudique, gressum, visum, loquelam, & auditum recipiebant gaudentes: & iam cœnobium, non ex proprio nomine (quod supra notabamus) sed ex Sancti Mauricij appellatione, per vicinas Prouincias dignoscebatur. Obliterata prima vocatione, obrepebat secunda; & Mariæ Virginis nomen venerandum, in Mauricium transibat communi calculo: nec displicebat Virgini cultus, qui ipsius seruo à cunctis exhibebatur.

6. Tum vero Episcopus Corisopitensis, Rainaldus, seu Ranulfus, qui ab anno Christi M. CC. XVII. (si qua tabulis fides) præsidebat, piis fidelium clamoribus permotus, mediusque inter credentem, & dubitantem; primum de veritate rei inquirere, vocare singulos, qui se saluti redditos, & suis sensibus restitutos gratulabantur, atque in eis, nec saluti omnino credere, nec præuiæ infirmitati donec per testes, per medicos, per socios, vtramque manifestè, & transitum ab vna ad aliam celerem, & supra leges naturæ comprobaret. Demum quo posset de cunctis circunstantiis certior fieri, nihil prorsus omisit diligens Pastor; vt neque pateretur seduci populum per speciem pietatis; aut leuiter credentem, vt solet fieri, ficta pro veris, & opera naturæ pro miraculis, noxia superstitione venerari; neque aliàs in obsequium Sancti feruentes, & beneficiis per eum acceptis gratos, arceret ab illius, si veram merebatur, veneratione. Ast vbi dudum momentis rerum perpensis, patuere miracula adeo ingentia, adeo clara, frequentiaque, vt nefas duceret de illis dubitare; congregatis Ecclesiæ suæ clericis, ad Capitulum Generale Cistercij primum & vicinos Episcopos, Prælatos, vt & ipsis paterent; mox simul omnes ad Honorium Papam scribunt, vt quem Deus tot signis manifestabat, ipse susciperet, & venerandum fidelibus proponeret; seu verius, quam iam antea illi exhibebant deuincti beneficiis, ipse, qui poterat, approbaret venerationem.

7. An cum his litteris legati missi fuerint, in dubio est, & credibile missis dilectis filiis Sancti parentis, cultum sollicitantibus. Certum Honorium cum primum eas accepit, Episcopo Leonensi, & Abbati Sancti Lupi Corisopitensis Diœcesis in mandatis dedisse. *Vt inquirerent super prædicti Sancti vita Viri, & miraculis diligentissime veritatem.* Extant, leguntúrque in Regestis Honorij sub finem præsentis anni expeditæ, quibus post longam satis prælibationem, hæc Summus Pontifex. *Piæ memoriæ Mauricio, Abbate Monasterij Sancti Mauricij Cistercienſis Ordinis, claris, vt dicitur, Diuino munere coruscante miraculis, adeo, vt Monasterium ipsum quadam vsurpatione vsus, seu quadam anticipatione futuri, nomen ab eius nomine sortiatur: Venerabilis Frater noster Episcopus, & dilecti filij Capitulum Corisopitense, in quorum Diœcesi locus ille consistit, atque vniuersi Abbates Cistercienſis Ordinis, in Generali Capitulo congregati, multique alij Episcopi, & religiosi, vna cum Abbate, & Conuentu præfati Monasterij, nobis humiliter supplicarunt, vt ipsum annumerari Sanctorum Catalogo faceremus: quia quod populus deuota præsumptione vsurpat, seu forsan Diuino instinctu anticipat, illum appellando Sanctum, & absque auctoritate Sedis Apostolicæ venerando, ritè tandem iussione Apostolica fiat, ad gloriam Christi, & nominis Christiani.*

Licet igitur quos Diuina honorat dignatio, humana deuotio p ompto debeat affectu venerari; quia tamen Apostolica Sedes in talibus cum multa maturitate procedere consueuit; discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquiratis super dicti Viri vita, & miraculis diligentissime veritatem, & nobis per litteras vestras fideliter intimetis, vt ea plenè comperta, pio postulantium desiderio securius annuere valeamus. Datum Laterani secundo Nonas Decembris, anno sexto. Hactenus ad vtrumque delegatum Honorius Papa.

8. Cæterum illis mandatum exequentibus, & procedentibus ad inquisitionem, rarum quid, atque inauditum pene hactenus contigit, scilicet tantam affuisse testium copiam, tot deponentium turmas aduenisse, velut certatim id Sancto Viro obsequium præstituras, vt non potuerint sigillatim examinari; sed turmatim iuratos; & deponentes (licet ex nomine designatos omnes, & singulos) quasi vna omnium voce, quæ audierant, quæ viderant, quæ manus earum contractauerant, eisdem prorsus verbis profiterentur. Neque putarunt delegati Iudices id obesse negotio; quin potius vocem illam, quia multorum, velut populi esset, pro voce Dei habendam; eò certius testimonium esse, quò plurium, neque pro suo ipsorum beneplacito, sed ad Vicarij Christi iussionem, & in nomine ipsius congregatorum. Ergo non tam diuersorum testium depositiones, quam diuersarum testimonia congregationum, vt ita dicam, sigillis suis signata remisere Pontifici. Nec dubitauit vt ipse de veritate, in qua, vt quisque seorsum posset falli; at omnes simul, aut deceptos fuisse, aut voluisse decipere, vix possibile esse iudicabat. Voluit tamen seruari rationem Iuris, & testes sigillatim, tam de substantia facti, quam de eius circumstantiis examinari, maximè in grauissima materia, & vbi neque pauca, neque vulgaria; sed miracula multa, magnaque, velut indubitata continebantur. Itaque non vt res magis constaret, quamuis hoc etiam voluit, sed vt magis secundum iuris normam comprobaretur; ad eundem Corisopetésem Episcopum, qui Orator extiterat, simulque ad Fricasinum (Frecorensem alij legendum putant) litteras dedit, quæ postmodum insertæ corpori iuris, in capite *Venerabili* 52. De testibus; & attestationibus. Atque ex integris haustæ hæc habent verba [c].

c *Ex Regest. Honorij & ex lib. 2. Decretalium titulo 2.*

Corisopitensi, & Trecorensi Episcopis.

Venerabili Fratri nostro Episcopo, & Capitulo Corisopitensi, ac vniuersis Abbatibus apud Cistercium in Generali Capitulo congregatis, multisque Episcopis aliis, & religiosis, vna cum Abbate, & Conuentu Sancti Mauricij, Monasterij Cistercien sis Ordinis, Corisopitensis Diœcesis, olim nobis insinuantibus, piæ memoriæ Mauricium, Abbatem præfati Monasterij, Diuino munere claris coruscantem miraculis, adeo, vt Monasterium ipsum, quadam vsurpatione vsus, seu potius quadam anticipatione futuri, votum ab eius nomine sortiatur; & humiliter supplicantibus, vt ipsum annumerari Sanctorum Catalogo faceremus, vt quod populus deuota præsumptione, vt sic dixerimus, nunc vsurpat, seu etiam Diuino instinctu anticipat, illum appellando Sanctum, & absque auctoritate Apostolica Sedis venerando; ritè tandem iussione Apostolica faciat ad gloriam Christi, & nominis Christiani. Nos eorum deuotis precibus, inquantum decuit, annuentes, Venerabili Fratri nostro Episcopo Leonicensi, & dilecto filio Abbati Sancti Lupi Corisopitensis Diœcesis dedimus in mandatis, vt inquirerent super prædicti Viri vita, & miraculis diligentissime veritatem, & eam nobis fideliter intimarent, vt ea plenius comperta, pro supplicationum desiderio plenius annuere valeamus.

9. *Idem Episcopus, & Abbas, quandam nobis epistolam transmiserunt, propriorum sigillarum appensione munitam; in qua quidem multa, & magna miracula continentur, facta, vt dicitur, à Domino, meritis dicti Viri: quæ licet probata per testes iuratos, & nominatos in ipsa pagina inueniantur; non tamen apparet per paginam sapè dictam, quod ipsos testes examinauerint sigillatim, & quod eos super his, de quibus sunt testificati; ac eorum circumstantiis, cum ea examinauerint diligentia, quæ solet, & debet in testium receptione adhiberi. Vnde licet humana deuotio prompto debeat affectu honorare, quos dignatio Diuinæ bonitatis honorat: tutius tamen esse censuimus hoc differre negotium, quam in eo sententiam minus considerate proferre. Nolentes autem deesse Diuinæ gratiæ muneri, sed adesse; discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus testes, quos Abbas, & Monachi Monasterij Sancti Mauricij Cistercien sis Ordinis, super vita, & miraculis piæ memoriæ Mauricij Abbatis Monasterij supradicti, duxerit producendos, examinare sigillatim curetis, cum ea diligentia, quæ solet, & debet in receptione testium adhiberi.* 10. Hactenus litteræ Honorij Summi Pontificis. Nec dubium quin examinati testes secreto, & sigillatim eadem dixerint, quæ publicè dixissent: & Honorius tot piis supplicationibus, imo & Dei voluntati, per tot miracula manifestare satisfecerit. Litteras canonizationis nondum vidi: nec quæ in Regestis Honorij inueniuntur, ab anno præcedenti vsque ad ipsius mortem ad me transmissæ; incertum quam ob causam. Constat tamen, vt Sanctum Veneratum, publico ritu Sanctum Abbatem, vt inde facilè liceat coniectari adscriptum ab Honorio Sanctorum numero.

11. Chrysostomus Henriquez, dum integram non vidit, Monasterium Sancti Martini vocat in Menologio [d]: cum tamen constet nominatum ab ipso Sancto, cum priùs Carnoetum, siue Sancta Maria de Carnoeto nominaretur. Robertus Claudius, non Carnoetum vocat, sed Coërmalem, corrupto vocabulo, quod cum in desuetudinem abiisset, facilè potuit inuerti & variari. Vitam, & acta Mauricij scripta ab Alberto *Legrand*, inter vitas Sanctorum Britaniæ Armoricæ, die trigesima Septembris *fol.* 348. Testatur Gaspar Iongelinus in suis notitiis Abbatiarum Cistercien sium in Ducatu Britaniæ, quas nuper edidit, quod nos etiam ex ipso superius diximus: verum Albertum ipsum nec tunc habuimus, nec nunc quæsitum potuimus inuenire.

d *Septembris 22.*

12. Sub idem tempus (nam neque hoc quamuis leue præteribo) certè intra quatuor Honorij vltimos annos, lite pendente inter Episcopum, & Capitulum Burgense; & Clericos Sanctæ Mariæ de Castro Soret (corrige de Castro Geriz) atque Leone, sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali,

dinali, tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, concesso eis ab Honorio in auditorem; exceptionibus testium comprobandis iudices designati duo Abbates, quorum alter Raymundus de Sagramenia, ordine Abbatum sextus: & litteræ insertæ, non minus corpori iuris in cap. *licet* 49. de testibus, & attestationibus, cuius hic titulus. *Vallisoleti, & Sagramenia Abbatibus, Palentina, & Segouiensis Diœcesis.* Atque huius generis multa alia in iure, quæ prudens omitto, quia paruam præ se ferre videntur vtilitatem.

---

1. *Resumente Albigensium errore vires,* 2. *Conradus Cardinalis Concilium cogit.* 3. *Litteræ eius ad Primates, & suffraganeos.* 4. *Animaduersum in earum data mendum:* 5. *& Concilium Parisios translatum in gratiam Regis:* 6. *qui tamen ante obiit. Mors Pseudo-Papæ ab hæreticis electi.* 7. *Quot, & qui Patres ad Concilium vocati fuerint?* 8. *Qui omnes affuerunt funeri Regio.* 9. *Dictum de aliis* 10. *& de Principibus sæcularibus, deque ipsius Regis testamento.* 11. *Conradi de familia Prædicatorum dubitatio, & responsum;* 12. *quæ alij putant Bononiæ contigisse.*

CAPVT SECVNDVM.

1. SERPEBAT interim pestis Albigensium, & iam non tantum intra proprios fines conclusa, sed per Vulgariam, Dalmatiam, & Croatiam, trans Alpes, trans Italiam grassabatur. Sed neque acephali, & veluti congeries inordinata, vt hactenus vixissent, proprium sibi caput constituerunt, cui cæteri parerent, & cuius concessionibus, aut legibus in ipsa sua perfidia gubernarentur. Vicarium Christi, & Petri successorem, atque Ecclesiam negare parum fuit, si non Idolum sibi fabricarent, quem Pontifici opponerent, & suos, siue errores, siue flagitia, per speciem religionis palliata obtundere tentarent fidelium mentibus. Porrò de his hæc habet Matthæus Paris [a]. *Circa dies istos (& refert annum M.CC.XXIII.) hæretici Albigenses constituerunt sibi Antipapam in finibus Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ, cuius nomine Bartholomæus quidam Carcassonensis, Vicariam sibi potestatem vsurpabat, à quo in illis partibus error iste adeo inualuit, vt etiam Episcopos, & alios multos Regionum illarum ad suam allexerit prauitatem.* Ita Matthæus: & potuisset hoc malum plures inuoluere, quantumuis in contrarium conante Conrado, qui vices tunc habebat Summi Pontificis (adeo repente serpserat) si non opportuna satis morte Antipapæ, velut acuta falce, in ipsismet initiis præcisum esset.

[a] *Ad hunc annum.*

2. Conradus interim, quod sui muneris erat exequens diligenter, cum iam, vt puto, in partibus Tolosanis celebrasset Concilium, in quo per statuta salutaria, & per arma Ecclesiæ his malis occurrisset, in quantum potuit: ne petulantia perditorum hominum incassum laboraret, aliud Concilium celebrandum in Gallia censuit: quo pluribus consiliis, consultius, & iunctis viribus Prouinciarum non infectarum, efficacius per gladium materialem per multitudinem, potentius opprimerentur. Ergo cum in dies crescere flagitia, atque serpere morbum contemplaretur, ex tota Gallia congregari Præsules iubet, acturos de remedio, & ne improuisi tantæ molis negotium pertractarent, in ipsis litteris, quas dedit conuocatorias, & malum præsens, & imminens periculum luculenter describit, conuocatorum animos accendit, excitat zelum: atque vltro pro fide pugnaturos; ipsius fidei propositis iniuriis ad seueriorem vindictam prouocatos, armat in hostes, penè classicum canens ante congressum. Extat exemplar harum litterarum apud Matthæum Paris, transcripta ea, quam ad Rothomagensem Archiepiscopum, & eius suffraganeos scripsit in hunc tenorem [b].

b *vbi suprà.* 3.

[Venerabilibus Patribus, Dei gratia Rothomagensi Episcopo, & eius suffraganeis Episcopis salutem in Domino Iesu Christo.

Dum pro sponsa veri crucifixi vestrum cogimur auxilium implorare, potius compellimur lacerari singultibus, & plorare. Ecce, quod vidimus loquimur, & quod scimus, testificamur. Ille homo perditus, qui extollitur supra omne id, quod colitur, aut dicitur Deus, iam habet perfidiæ suæ præambulum hæresiarcham, quem hæretici Albigenses Papam suum appellant, habitantem in finibus Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ, iuxta Vngarorum nationem. Ad eum confluunt hæretici Albigenses, vt ad eorum consulta respondeat. Etenim de Carcassona oriundus, vices illius Antipapæ gerens Bartholomæus hæreticorum Episcopus, funestam ei exhibendo reuerentiam, sedem & locum concessit in Villa, quæ Porlos appellatur, & seipsum transtulit in partes Tolosanas. Iste Bartholomæus in litterarum suarum vndique discurrentium tenore, se in primo salutationis alloquio intitulat in hunc modum: Bartholomæus seruus seruorum Sanctæ fidei, tali, salutem. Ipse etiam inter alias enormitates, creat Episcopos, & Ecclesias perfidè ordinare contendit. Rogamus igitur attentius, & per aspersionem sanguinis Iesu Christi propensius obsecramur, auctoritate Domini Papæ, qua fungimur, in hac parte districtè præcipientes, quatenus veniatis Senonis in octauis Apostolorum Petri, & Pauli proximè futuris, vbi & alij Prælati Franciæ, fauente Domino congregabuntur, parati consilium dare in negotio prædicto: & cum aliis, qui ibidem aderunt prouidere super negotio Albigensi; alioquin inobedientiam vestram Domino Papæ curabimus significari. Data Planium VI. Nonas Iulij.] Hactenus Cardinalis Conradus ad Episcopos.

In quibus litteris, vt id obiter notem, non dubito irrepsisse mendum in data, quæ designatur sexto Nonas Iulij, quarta nimirum die ante octauam Apostolorum Petri, & Pauli, in qua Concilium celebrandum indicebatur. Quippe id tempus, ne vni quidem Præsuli, quantumuis loco proximo, & vicino vocando sufficiens: nedum Archiepiscopo Rothomagensi, loco haud parum distanti, tam ab Vrbe, in 4.

qua litteræ conſcriptæ, quam ab ea, ad quam ire iubebatur; atque tot ſuffraganeis, qui longè per Normaniam diſperſi eſſent. Crediderim pro Iunio menſem Iulium, & numeris inuerſis pro IV. VI. Nonas poſitum eſſe. Quod attinet ad locum non ſatis mihi conſtat, quis ille ſit, niſi quod tamen in Abrahamo Hortelio Planaſiam lego Galliæ Narbonenſis, in qua fuiſſe Conradum eſt vero ſimile. Cæterum quod ad conuocatos attinet, ſolos Galliæ Epiſcopos, non Aquitaniæ VVaſconiæ, Gothiæve, cum hæ Prouinciæ ab hæreſibus Albigenſium infectæ eſſent; id mihi ingens argumentum eſt, præceſſiſſe iam aliud, in quo Bituricenſis Auxitana, Burdegalenſis, & Narbonenſis Prouinciæ conueniſſent, quamuis non videam memoratum ab auctoribus. Reliqua, ſi quæ in litteris notanda, ipſa ſeries hiſtoriæ manifeſtabit.

5. Celebrandum Concilium apud Senonas tranſlatum Pariſios, in comperto eſt. Cauſa vt credo, Philippus Galliæ Rex, qui licet abſens, & febre tunc correptus, adeſſe voluit, conſilia Patrum firmaturus ſua potentia. Certè quominus illuc adueniret (namque peruenire impediuit inuiſa mors) nullis febris, aut temporis ardoribus, nullis itineris incommoditatibus potuit, nullis medicorum præceptis retardari. Extant de hac à Conrado in dicta Synodo, & Philippi ad ipſam, in ipſa vltima febre feſtinatione, Guillelmi Britonis Carmina, quæ non abs re in præſenti memorabo. Conradus ait [c].

[c] *Philippidos lib. vlt.*

——— qui ſumma negotia ſummi
Pontificis voce diſponens contra hæreſiarchas
Miſſus erat, partes Toloſanas qui maculabant;
Totius & Regni, Sanctorum concio Patrum
Concilium tunc Pariſiis Generale tenebat;
Procurante ſtatum Eccleſiæ reparare Philippo,
Quem mare peruerti citra lugebat, & vltra.
Quo ſine cum reliqui nihil diffinire valerent,
Quamuis torreret ipſum intolerantia febris
Continuæ, proprio geminata, & temporis æſtu;
Communi propriam poſtponens vtilitatem,
Pariſios, medicis contradicentibus, ibat:
Paciacoque mouens, ad Concilium properabat.

Hactenus ille.

6. Philippum properantem ad Concilium mors intercepit, cum ad Meduntam Caſtrum peruenisſet, quarta decima die menſis Iulij, non ſine ingenti luctu ſuorum omnium, & totius Concilij, cuius præcipuum, imo vnicum negotium, adeo ab eo pendere videbatur, vt niſi eius potentia fulciretur, nullum fœlicem progreſſum habere poſſet. Sed vbi deficit humana prouidentia, Diuina procedit; & nihil adeo arduum nobis eſt, quod facili compendio illa non peragat. Morte Antipapæ ſecurius, firmiuſque prouiſum periculo, quam poſſet per Philippi potentiam prouideri. Vnde immediatè ſubdit Matthæus Paris [d]. *Dum hæc contra Bartholomæum Carcaſſonenſem in Galliis ageret legatus, eundem tumultum mors prædicti Antipapæ celeriter terminauit.* Hæc tantum ille. Certè hæreticus ſententiam Patrum in ipſum, aut ſuſtinere nequiuit, aut formidauit. Nec dubium quin à Domino factum ſit iſtud, quando præciſo hoc capite per mortem, non pullularunt alia, quod in his Hydris plerumque ſolet contingere. Sublato Antipapa colluuies illa criminum, à ſuperſtitione creſcentium, quod frequens malum, non potuit non ceſſare cum eius vita. Cæterum, quam iam ſemel imbibiſſent, errorum ſentinam, atque ipſam viuendi libertatem, nulla mors potuit omnino eradicare. Laborandum ergo Conrado, & Patribus fuit in mores perditos, atque ingenia deprauata, nullis iam monitis obtemperatura, nullis præceptis. Nec dubium, quin multa ab illis decreta ſint, multa prouiſa, quæ hereticis exterminium, quod iam inſtabat, & Catholicis triumphum præſagirent. Sed interim ſoluta iuſta Philippo, & qui viuens in Patres officioſus, paulo ante ad Concilium properabat, poſt mortem officioſos Patres expertus eſt, & ſui peragentes officia funeris.

[d] *Ad hunc annum.*

Quot, & qui Patres congregati fuerint, ex his, qui affuerunt exequiis Philippi Regis diſcerni potuit. Primus, qui cæteros alios congregauit, Conradus noſter, quem male Bertrandum, & Epiſcopum Prænestinum appellat Guillelmus [e], obtulit ſacrificium, & tanti Regis funus illuſtrauit. 7.

[e] *In vita Philippi.*

Ampliat exequias, multoque inſignit honore
Bertrandus, Summi qui Pontificis vice fungens
Se Præneſtinam decorabat Præſule, plebem.
Baſilica regione latus, Viri nobilis ortu,
Religione ſacer, habitu Ciſtercius: adſunt
Regni primores, &c. Ita Guillelmus.

Rigordus non ſolum Conradum (quamuis is etiam licet minus aberrat in eius nomine) ſed ipſum ſimul & Archiepiſcopum Rhemenſem ſolemne Miſſæ ſacrificium celebraſſe, his verbis tradit [f]. *Miſſam autem exequialem celebrarunt ſimul Portuenſis Epiſcopus, & Rhemenſis Archiepiſcopus vna voce ad duo altaria propinqua, cæteris Epiſcopis, cum clericis & Monachis, quorum aderat innumera multitudo aſſiſtentibus, & eis reſpondentibus.* Hæc de oblato ſacrificio Miſſæ pro Rege. Verum qui, & quot fuerint Epiſcopi, qui choro aſſiſtebant. Rigordus paulo ante ita tradiderat.

[f] *In eius vita.*

Sepultus autem eſt (ſcilicet Philippus) *in Eccleſia Beati Dionyſij dignè, & honorificè, ſicut tali, & tanto Principi competebat. Ad ipſius enim exequias, quod non ſine nutu, & prouidentia Dei geſtum eſſe videtur, affuerunt duo Archiepiſcopi, videlicet, Rhemenſis Guillelmus, Senonenſis Galterus, & viginti Epiſcopi, videlicet de Romana Curia Coradus, Portuenſis Epiſcopus Cardinalis, & Sedis Apoſtolicæ in terram Albigenſium tunc legatus. De Anglia Pandulfus, Noruicenſis Epiſcopus: de Rhemenſi Prouincia Cathalaunenſis Guillelmus; Belluacenſis Milo, Nouionenſis Girardus; Laudunenſis Anſellus; Sueſſonienſis Iacobus, Syluanectenſis Garinus; Attrebatenſis Pontius; Ambianenſis Gaufridus. De Prouincia Senonenſi; Carnotenſis Galterus; Altiſiodorenſi Henricus; Pariſienſis VVillelmus; Aurelianenſis Philippus; Meldenſis Petrus; Niuernenſis Rogerus. De Prouincia Rothomagenſi, Baiocenſis Robertus; Conſtantienſis Hugo; Abrincenſis VVillelmus; Lexouienſis VVillelmus. De Prouincia Narbonenſi, Fulco Toloſanus. Qui Prælati de mandato Domini Papæ, imo de ipſa potius, vt credibile eſt, ordinatione Diuina pro negotio Albigenſi, tunc temporis erant Pariſiis congregati.* Itaque ſecundum Rigordum affuit & Fulco Toloſanus Epiſcopus, fortè ſpecialiter vocatus à Conrado, quamuis non eſſet ex Prouinciis, pro quibus illud Concilium congregabatur. 8.

Verum

9. Verum est tamen Guillelmum multo plures, & quosdam in conuocatoriis non contentos, sicut Bituricensem, recensere. Certè Archiepiscopum in Gallia nullum omittit, sic enim ait [g].

g *vbi suprà.*

Nec minus Archipater Rhemorum, cum Senonensi
Galtero Guillelmus adest, qui Regis in aula
Præcipui: clarum genus alto à sanguine ducunt.
Nec non Bituricus, Turone cum Præsule, Primas,
Et qui Rothomago Theobaldus præsidet vrbi:
Vir precibus vix flexibilis, nimiique rigoris:
Vt Lugdunensis, quo Gallia tota solebat,
Vt fama est, Primate regi, &c.

Ego Rigordo maiorem habendam fidem, duplici ex capite mihi persuadeo, & quia exactior in aliis, & quia soluta oratione historiam tradens, minori lasciuiendi licentia, à qua Poëtæ plerumque non abhorrent, gaudere potuit.

10. Præcipuos Principes qui funeri affuerunt, nempe Ioannem, Hierosolymitanum Regem, & duos eiusdem Philippi Regis filios; nec non & testamentum illius satis magnificum, & pro tempore factum, idem Rigordus narrat totidem verbis [h]. *Inter quos affuit Ioannes, illustris Rex Hierosolymitanorum, qui in Franciam venerat pro negotiis, & necessitatibus terræ Sanctæ: præsentibus etiam inclytis prædicti Regis Philippi filiis, Ludouico primogenito, & Philippo. Sæpè dictus autem Rex Philippus tale condidit testamentum. Legauit ad subsidium terræ Sanctæ trecenta millia librarum Parisiensium; videlicet præfato Regi Ioanni, centum millia; Militiæ templi, centum millia; Hospitali Hierosolymitano, centum millia. Datum est de suo, Amalrico, Comiti Montisfortis, viginti millia librarum Parisiensium ad vxorem eius, & suos de Albigensium terra, & manu hostium reducendos. Præterea dedit quinquaginta millia librarum Parisiensium pauperibus eroganda, magnam etiam summam pecuniam dicitur insuper erogasse.* Hæc de Philippo. Coronatio Ludouici filij, & hæredis non fuit facta in Concilio, quia ea ex more Rhemis, non Parisiis, & per Archiepiscopum Rhemensem facienda erat. Sequuta tamen octauo Idus Augusti, in Festo Sancti Siricij, cum Sereniſſima Blanca, vxore sua, ex Hispania transmissa, quæ iam ante nouennium Sanctum Ludouicum illum pepererat, non multo post in Regno successurum.

h *vbi suprà.*

11. Permanserit ab exequiis Philippi Regis, Cardinalis Conradus apud Parisios, an ad partes Tolosæ remeauerit; non satis potest colligi ex auctoribus. Cantipratanus inclinat in hoc vltimum; quippe quæ illi contigisse Parisiis narrat; nequaquam ait, cum ibi moraretur, sed cum è Gallia ad Germaniam pertransiret. Vtcumque fuerit, cum Parisiis esset & recentium tum Patrum Prædicatorum adiisset Conuentum, dubitans de eorum vtilitate, & ad quem finem in Ecclesia deseruirent; responsum ad se factum quasi de cœlo, & deuotus suscepit, & dum vixit religiosissime obseruauit. *Hic*, ait, *cum legatus, in Alemaniam, vnde nobilissime natus erat, à Sede Apostolica mitteretur, venit Parisios. Et videns Fratres Ordinis Prædicatorum, qui de nouo illuc aduenerant, visitauit eos. Dubium autem quid gerens de eis in corde, orauit Dominum, vt sibi, ad quid Ordo iste veniſſet? ostendere dignaretur. Nec mora oblatio, & aperto libero, ad quid Prædicatorum Ordo veniſſet, responsum est cogitationibus eius:* Laudare scilicet, benedicere, & prædicare. *Qui statim effusus in laudem Christi coram omnibus dixit. Licet alterius professionis si in habitu, Frater tamen vester ero quamdiu subsistam in vita, nec vlla vnquam à vobis aduersitate diuellar.* Ita Cantipratanus.

12. Eandem planè tum Conradi dubitationem, tum cœleste responsum, & claritatem cum ipso, viro infusam, Theodoricus de Apoldia Dominicanus commendauit memoriæ. Cæterum non Parisiis contigisse, sed Bononiæ scribit totidem verbis [i]. *Quodam tempore, cum Fratres cœnobij Bononiensis frequentes adessent, Apostolicæ Sedis Legatus, Episcopus Portuensis, Conradus nomine, Vir religiosus, professione Cisterciensis Monachus, eo aduenit, & apud Fratres honorificè susceptus est. Inerat eius animo scrupulus quidam de instituto Dominicano, quidnam sibi vellet noua isthæc, & inaudita professio, vel religio, atque vtrum ex Deo esset, an ex hominibus? Posita Cathedra in templo resedit, petiitque aliquem sibi Codicem exhiberi. Oblatus est ei Missalis liber: quem cum expressisset, crucis signum aperuit, & in primæ paginæ suprema parte legit;* Laudare, benedicere, prædicare. *Atque ea re tanquam cœlesti quodam oraculo exhilaratus, omnem à se hæsitationem reiecit. Deinde quasi totis visceribus Fratres amplexans, ait: Ego quidem tametsi alterius professionis habitum extrinsecum fero, at vestrum intus, animo indutus sum, nec ambigere debetis, quin totus vester sim. Vestri Ordinis sum: Vobis me tota deuotione committo.* Hæc Theodoricus. Nec mihi constat, cui fidendum magis, quod attinet ad locum: nam de re ipsa non licet dubitare. Alia, quæ addunt Miræus [k], Henriquezque [l], dum ille approbatam à Conrado nouam familiam legatiæ, qua fungebatur, auctoritate; hic Beatam Virginem eidem gratulatam, quod approbauerit, in suis historiis produnt, suspectum est; cum approbatio Honorij dudum præcesserit, & fortè de priuata approbatione intelligendi sunt, quæ tanti Viri auctoritate fulta ingentem conciliauit opinionem nouæ familiæ. Reliqua, quæ in fauorem eius Coloniæ egit, suo tempore à nobis dicenda erunt.

i *lib. 6. vitæ S. Domin. cap. 7.*

l *lib... Fasc. cap...*

k *In Chron. Cisterc. ad ann. 1209.*

1. *Roberto Laurentius succedit in Clara-Valle.* 2. *Quid sub vtroque gestum aduersus Monachos,* 3. *ad nouos Mendicantium Ordines transeuntes?* 4. *Cæsarius Homiliarum opus resumit.* 5. *Repetitum miraculum conuersi,* 6. *qui nihil aliud præter* Aue Maria, *dicere potuit.* 7. *Vincentij quondam Episcopi mors, scripta,* 8. *atque Guillelmi item.* 9. *Et quid hic vltimus in religione scripserit.* 10. *Demum quid de eo Cantipratanus?*

CAPVT TERTIVM.

1. EXERCVIT Claram-Vallem, sicut Cistercium vicissitudo rerum, Roberti Abbatis morte, & Laurentij pro eo subrogatione: nec desunt, qui in sequentem annum differant. Sed Robertus electus ante biennium, duobus tantum annis præfuisse dicitur [a], & in Catalogo [b] Abbatum Vrsarienſium, Laurentius non transcendit præsentem annum; siue ergo hoc, siue initio subsequentis, illi per mortem rapto, hic sufficitur, ex vltimis Hispaniæ oris assumptus; adeo illo sæculo nulla nationum ratio, nulla gentium, sed solius virtutis habebatur. Hic ille magnus haud dubiè Laurentius est, de cuius conuersione, & Monachatu, tum de assumptione in Abbatem Vrsasiensem; déque variis, quibus ab Innocentio, Honorioque, functus est legationibus, in superioribus multa memorauimus. Nec dubium vitum senio iam grauatum ad sedem Claræ-Vallis vocatum esse: quippe qui adultus Ordinem intrauit: & post aliquot annos Monachatus, in Abbatem promotus, decem, & septem Vrsariæ iam præfuerat, nempe ab anno M. CC. VI. siue ab æra M.CC.XLIV. vsque ad M. CC. LXI. vt habet Syllabus Abbatum Vrsarienſium, quare nec diu promotioni suæ superuixit, & vix diuturniorem Præfecturam habuit in Clara-Valle, quam eius antecessor habuisset. Inde versus de eo vulgo recepti.

Hispanus laude dignus Laurentius iste,
Qui mirabiliter Monachus extiterat:
Pastoremque suum nobis hunc contulit Vrsa
Post annos binos transiit ad superos.

In Vrsaria reliquit successorem nomine Ferdinandum, quintum Loci Abbatem, qui nouem annos cœnobio præfuisse legitur.

a *Robertus Claud. in Catal. Abb. Clara-Vall.*
b *Apud Henr. lib. 2. Fascic. dist. 4. cap. 50.*

2. Roberti tempore, quantum ex scriptis Cæsarij colligi potest, qui hoc anno absolutis suis Dialogis Homiliarum, vt ipsemet testatur, opus resumpsit, & eo toto, & sequenti continuauit; Christiano Claræ-Vallis Monacho docto, & eloquenti, sed vitæ solitariæ minus apto, primum Apostata, mox tacita Apostasia nouum Prædicatorum Ordinem ingresso, ac demum in Priorem sublimato: cum res detegeretur anathema in desertorem indictum est: quod vt Honorius in gratiam nouæ familiæ relaxauerit, non tamen priùs, quam iusserit redire ad sui Monachatus professionem: quod & cum alio circa hoc idem tempus fecisse legitur, non tamen constat, an in Clara-Valle? De vtroque Cæsarius in Homiliis [c]. *Cum anno præterito Monachus quidam Ordinis nostri se transtulisset ad nouum Ordinem Prædicatorum, ne ab Abbate suo posset repeti, factum suum auctoritate Domini Honorij Papæ, petiuit roborari. Cui cum Apostolicus diceret: vbi est cuculla tua? Responderet, se habitum suscepisse Prædicatorum: cum indignatione subiunxit: Vade cito, resume habitum tuum.* Hæc de posteriori; atque anonymo: at de Christiano hæc, quæ sequuntur [d].

c *Sermone 5. post Pentec.*

d *vbi supra.*

Simile egit cum Christiano, quodam Monacho nostro: hic, cum multo tempore apostatasset, tacita Apostasia Ordinem intrauit Prædicatorum, venienſque cum paucis Fratribus Coloniam, factus est ibidem Prior eorum, eratque eloquens valdè, multam habens gratiam in Prædicatione. Quem ante hoc quadriennium Abbas Claræ-Vallis, & Apostatam excommunicauit, de ciuitate eum eliminans. Dominus Honorius Papa Ordinem nouum promouere volens, eo quod vtilis esset in prædicatione, personam exemit, & habitum professionis suæ resumeret, præcepit. Ita Cæsarius, qui & annum, quo hæc ipsa scribebat, esse M. CC. XXV. non multo post affirmat, dum loquens de Ordine Sanctissimi Patris nostri Benedicti, atque eius in Cistercio reformatione, hæc subdit verba [e]. *Considerato igitur die gratiæ, occurret secundum computationem, sexta hora eius diei, regulam à Venerabili Patre Benedicto fuisse conscriptam: nam anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo, quasi in meridie diei gratiæ, eius Magisterium floruisse Chronica commemorant. Hora vero duodecima, in qua nos sumus, iam annis viginti quinque centenarium suum transcendit.* Quasi dicat in die gratiæ, qui Christo Sole Oriente, mundo illuxit, singulis centum annis computatis, pro horis singulis, Sanctus Benedictus, qui anno sexcentesimo vixit, meridiem, id est horam sextam dici tenuit: nos vero sumus in hora duodecima, id est in anno M. CC. postquam XXV. sunt elapsi. Consonat, quod idem auctor ait, Homilia XXXV. quæ est in secunda Dominica Aduentus. *Anno,* inquit, *præsenti, qui est M. CC. XXV. ab Incarnatione Domini, &c.*

e *vbi supra.*

3. Igitur (vt & hoc obiter notem) quod multis aliis dicendis, quod attinet ad tempus lucem dabit Cæsarius, qui olim sermones illos dulces, mellitosque, de infantia Saluatoris, mox vsque ad annum M. CC. XX. decem, & octo Homilias in Euangelia, quæ in Dominicis occurrerunt, deuotè concinauerat, hoc est à Dominica prima post octauas Epiphaniæ, vsque ad Dominicam in Ramis Palmarum inclusiuè, anno M. CC. XXI. ad petitionem Fratrum, nec minus ad sui Abbatis Imperium, incœptum Homiliarum opus interrupit, vt libros Dialogorum conscriberet, quos duobus primis annis consummauit, vt supra vidimus. Mox ad hunc annum M. CC. XXIII. Dialogis absolutis interruptum Homiliarum opus resumpsit, & eas à Dominica resurrectionis, vsque ad exitum anni, tribus annis contiguis consummauit. Porrò hanc interruptionem ipsemet scribit in prologo ad easdem ipsas Homilias, sic, Vt existimo, Hermanum Abbatem alloquens. *Cum charitas vestra mihi iniunxisset, Domine, Dominicalia exponere Euangelia;*

Euangelia ; vix decem , & octo Homiliis expletis, quas Fasciculum vocaui moralitatis , Abbate meo præcipiente,& Fratrum importuna petitione vrgẽte, compulsus sum,vt nostis,opus interrumpere,& Dialogum scribere miraculorum, quo,Dei adiutorio,expleto, rursum ad Homilias recurro. Sic de se ipso. Qualiter autem anno M. CC. XXVI. absoluto opere Homiliarum Dominicalium , vitam Beati Engelberti Colonienſis , ante annum coronatum palma Martyrij , ornatiori adhuc stylo concinauerit ? Deo dante , in tempore dicemus.

5. Exhac tum temporis , tum scriptorum Cæsarij calculatione , facile videas in hunc annum, aut circiter incidisse insigne miraculum , quod tunc recens patratum in posterioribus Homiliis ipse describit, in conuerso, quodam, adeo simile miraculo conuersi Grandis Syluani , vt nisi circunstantiæ loci,& temporis ; atque aliæ non minores probarent diuersa facile pro eodem haberi possent.Igitur rem his verbis memoriæ prodit.

f Homil. in Domin.9. [f] *Referam vobis nunc Fratres bonos fructus bonæ arboris. In Polonia laicus quidam in Ordine nostro conuersus est, nullam omnino sciens orationem. Est enim consuetudo gentis illius,vt cum intrant Ecclesias , caput pauimento allidant , & pectus tundant, sicque recedant.Cumque instruendus esset conuersus, neque* Miserere mei Deus, *neque orationem Dominicam discere posset , proposita est ei salutatio Angelica,ad quod ita respondit : Iam dulciter sonat, spero, quia bene discam , Quid plura ? Citius illam didicit,quam sine cessatione,die, noctuque, dummodo vigilaret, & cum delectatione multa ruminauit. Nuper mortuus est homo, & sepultus, & ecce arbor pulcherrima,ramis, & foliis decenter ornata, de illius tumulo egressa est. Mirantibus cunctis,quidnam hoc esset, vel quid portenderet , ad consilium plurimorum etiam laicorum, qui tunc aderant, qui scire desiderabant , de quo loco radices eiusdem arboris exirent , reiecta terra viderunt omnes,quod principalis radix de corde hominis egrederetur.Nec ignorabant causam , qui eius narrant vitam , nam in singulis foliis , distinctis litteris* , Aue Maria *apparuit.*

6. *Pius Dominus tam dulci miraculo ostendere dignatus est,quantum ei in suis seruis placeat laus,& memoria Matris. Quid enim dixerim eandem arbustulam ; nisi salutationem Angelicam , quid radicem cordi infixam , nisi iugem eius memoriam. Credo, quod de Benedicto fructu figuratæ arboris, id est,filio Virginis , reficiatur , & satietur in vita æterna. Ecce Fratres, quod olim per Isaiam de Iesse mystice prophetatum est, in isto quodammodo etiam ad litteram impletum.Hæc nobis relata sunt à Domino Godefrido. Abbate de Belgis, qui hoc anno in eadem Prouincia visitauit.* Hactenus ex Cæsario: qui dum euentum , & tunc recentem narrat , & Prouinciam determinat Poloniam, manifeste distinctum videtur facere ab eo , qui in Wasconia longe antiquior ab auctoribus aliis memoratur. Quin huius arboris radices,à corde hominis, alterius procedentes ab ore inuentę dicuntur.Non tamen ideo negem placuisse fieri, vt vnicum miraculum semel tantum contingens, dum per hominum ora diuagetur, circunstantias mutauerit, adeo, vt merito duplex videri posset.

7. Hoc item anno ad superos transierunt duo insignes Pontifices , Vincentius , & Guillelmus, quos,spretis infulis,Cistercium amplexatos,alterum in Polonia, in Gallia alterum , superioribus annis commemorauimus. Vincentium Cracouienſem olim Episcopum , post quinquennium peractum in Monachatu , excepit mors, ipsi soli læta , & fœlix : nam Andreouienſibus plane deploranda, qui tanti viri non solum Magisterium amisissent,verum exempla. De eo in Polonia historia ex Bibliotheca Ioannis Pistorij collecta,& Basileæ excussa , post infulas spretas , & Monachatum assumptum,commemorata, hæc habentur scripta. *Nudus nudum Christum sequutus est, anno Domini M. CC. XVIII. Et post quinque annos ergastulo carnis solutus in Domino quieuit , octaua die mensis Martij anno Domini. M. CC. XXIII. in Monasterio Andrezeoniensi , in medio chori sepultus. Hic dum Cathedram Cracouiensem regeret , Chronicam Polonorum , quæ incipit :* Fratres tribus ex causis theatrales odere solennitates ; *scripsit. Plura de exteris, quam Polonorum gestis nodose, & inuolute in primis tribus libris perstringens. Hic etiam decem præbendas in Ecclesia Kielcensi fundasse, & dotasse asseritur.* Hactenus ibi de Vincentij morte , & scriptis. Consonant Martinus Cromerus , [g] & Ioannes Herbertus , & quotquot res Polonicas scripserunt. Meminit eius inter scriptores Ordinis Cistercienſis in sua Bibliotheca Philippus Seguinus , [h] biennio tamen ante ponens illius mortem, sicut & Monachatum, & electionem in Ecclesiam Cracouienſem.Meminit & Henriquez in Menologio ad secundam diem mensis Februarij.

g lib. 7.

h lib.5 c.3.

8. Guillelmum obiisse ante hunc annum, qui affirmant auctores , facile ex Rigordo conuincuntur,qui scribit eum interfuisse exequiis Philippi Regis. Quem melius Tabulæ Monasterij Portigniacenſis,vbi sepultus iacet , quas, vt existimo, sequutus est Demochares , scribens obiisse in Festo Sancti Clementis,hoc est vigesima tertia Nouembris præsentis anni,in Villa Sancti Clodoaldi , ad quam forte diuertit rediens ex Synodo. Quod si verum est, obiit biennio peracto in Monachatu, quo tempore librum de Diuinis officiis scripsisse creditur. Vir fuit pietate ; & doctrina æque insignis, & quem omnes eximia cum laude memorant ; nec solum inter Pontifices illustres illius æui verum inter Doctores, quorum ad nos scripta peruenerunt.Cardinalis Robertus Bellarminus , [i] hæc de summa Theologiæ ab eo scripta. Aubertus Miræus in suo actuario ad Bibliothecam Ecclesiasticam edicto hoc ipso anno M. DC. XXXIX. quo nos hæc scribimus, referens Bellarminum hæc pauca addit. *Guillelmus Antisiodorensis primum , dein Parisiensis illo nomine secundus Episcopus , obiit anno M. CC. XXIII. Sepultus Pontigniaci , quod est Ordinis Cistercienſis cœnobium. Guillelmus iste, quem vulgo Antisiodorensem vocant, scripsit summam Theologicam in quatuor libros sententiarum,anno M. D. Parisiis excussam. De qua vide censuram Bellarmini in Catalogo.* At neuter libri de Diuinis officiis meminit.

i de scriptor. rib.Eccles.

9. Exactius ergo Seguinus in hac parte ex monumentis Ecclesiæ Pontigniacenſis [k] *Guillelmus ait,Parisiensis Episcopus, vita, & doctrina conspicuus, scripsit insigne , & vtile volumen , siue Summam Theologiæ. De officiis Diuinis, & alia multa. Nonnulli eum non Parisiensem , sed Antisiodorensem nuncupant. Hic cum iam grauissimo esset senio confectus, Eremum,& quietem anhelans,ad celeberrimum Pontigniaci Cistercienſis Ordinis Mona-*

k in Bibliot. lit. G.

sterium sese recepit; vbi scribens, & Deo seruiens, cœnobicam vitam fœlicissime traduxit. Cessit autem fatis, vt scribit Vincentius Belluacensis, anno ab orbe redempto vicesimo secundo, supra duodecies centesimum: sepultus est Pontigniaci. Conradus Gesnerus in Catalogo omnium scriptorum. Sanson Hauis libro de veritate vitæ, & Ordinis Sancti Guillelmi. Archinum Pontigniaci. Hactenus Philippus Seguinus, in anno errans, quia Rigordum non vidit, & alias, quæ, Vincentius vnit in vno capite, putat ad eundem annum referenda. Ego, quod ait, Pontigniaci scripsisse, ad librum Diuinorum officiorum censeo referendum: aliàs summam iam longe ante conscripserat, vt in procœmio illius videre licet. Hunc item virum adscribit Menologio Chrysostomus Henriquez, vigesima tertia Nouembris, hoc est ea ipsa, qua obiit die.

10. Guillelmi Parisiensis Episcopi egregia cum laude meminit Thomas Cantipratanus lib. 1. boni vniuersalis, cap. 19. & lib. 2. cap. 56. in quorum primo loco introducit, sollicitum pro Philippo Cancellario Parisiensi, qui plura Ecclesiastica beneficia possidebat, suadentemque, vt omnia, vno excepto, renunciaret. *Renuit ille, ait, experiri se velle dicens, vtrum esset damnabile, beneficia plura tenere? Mortuus est ergo sic: post paucos autem dies, cum dictus Parisiensis Episcopus, finitis matutinis, orare vellet, vidit inter se, & lumen, quasi vmbram hominis tetram nimis. Eleuata ergo manu consignat se, & si ex parte Dei est, præcipit, vt loquatur. Cui respondit apparens: Alienus à Deo sum. Et Præsul: Tu, quis es, inquit, Cui ille respondit: Ego sum Cancellarius ille dudum, miserrimus. Rursus Episcopus, elato altius gemitu; Et quomodo tibi est sic dolenti. Male, inquit, imo pessime quia æternaliter damnatus sum.* Hæc in primo loco. In secundo vero. *Audiuimus, ait, & de Venerabili viro Guillelmo, nato Albernia, Parisiensi Episcopo, quod cum nunciaretur ei, quendam Canonicum Ecclesiæ Parisiensis intestatum decessisse, & ipse de iure Canonico, in tribus millibus Marcharum succedere deberet eidem, complosis manibus, respondit, absit hoc à me: sed heu misero! pecunia sua secum sit in perditionem: & hæc dicens præcepit pecuniam in vsus pauperum erogari.* Hæc, & alia scripta de Guillelmo, non solum pietatem, & zelum viri, sed fauores commendant, quibus visitabatur vltra consuetum.

---

1. *Petrus Abbas Gumielis, à Ferdinando in Germaniam Legatus mittitur: 2. Ab Engelbertô Archiepiscopo Coloniæ, 3. atque aliis Prælatis, 4. & Ecclesiis, 5. Immensum reliquiarum thesaurum accepit. 6. Easdem apud Gumielem visitantibus, remissiones indultæ. 7. Dedicata Ecclesia Alcobacensis, 8. & Conuentus translatus. 9. Alfonsi Regis testamentum, 10. per tres Cistercij Abbates exequendum. 11. Mors, & in Alcobatia sepultura. 12. Et Sanctius filius cum amitis suis componens.*

CAPVT QVARTVM.

1. INTER hæc Ferdinando: Castellæ Rege, & belli, & pacis negotia pertractante; nec tantum in Prouinciis propriis, aut conuicinis, sed etiam in remotis, Venerabilis Abbas Sancti Petri, Petrus itidem dictus (sextus hic Cisterciensium Abbatum fuit) ab eodem eligitur, qui legatione in Germania fungeretur expediendis negotiis, quæ fœliciter breui consummauit. Et facile potuerunt plura offerri sub Regina Beatrice, quam Philippi Sueui quondam filiam, (Imperatoriam stirpem) memorauimus. Habemus Legatiæ huius illustrem testem, Engelbertum Pontificem Coloniæ (Martyrem Christi futurum intra biennium) litteris ad fideles omnes datis, quas mox subiungam. Hic transeuntem per vrbem Colonienſem Venerandum Abbatem amanter suscepit, quo erat in religiosos omnes, maximè in Cistercienses, deuoto animo; tum religiosè ardentem sacras reliquias, quibus ea Prouincia præ aliis locupletatur: non solum multis, pretiosisque donauit, verum aliis tum Prælatis, tum Ecclesiis, vt idem facerent, suo Venerando auctor exemplo fuit. Vix ex totius terræ Sanctuariis immunificum aliquod: Canonicorum, Monachorumque, & Sanctimonialium illustriora collegia largitate cerrabant; vt Hospitem Hispanum de suis inæstimabilibus thesauris locupletarent. Hinc celebre Sacrarium Sancti Petri, quod post fragmina multa, neque exigua, dispersa per Hispaniam, integrum pene adhuc, certe inexhaustum, neque vnquam exhauriendum, perseueret. Porro sacrarum omnium reliquiarum eiusdem, qui supra Engelberti Archiepiscopi testimoniales litteræ, quæ hodieque leguntur pro lectionibus, in anima earundem collocationis festiuitate, hæc verba continent. [a]

a *ex officio proprio.* 2.

Engelbertus, ordinatione Diuina Sanctæ Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopus, vniuersis Christi fidelibus, quorum conspectui præsens scriptum oblatum fuerit, in Salutis auctore salutem.

Dominus Petrus, Abbas Sancti Petri de Gumiele, Cistercienſis Ordinis, Vir actu, & habitu Venerabilis, pro Regni sui Castellæ negotio, quod gerebat, per ciuitatem Colonienſem iter faciens, dum meritis Sanctorum se commendando, perambularet diuersas loci nostri Ecclesias, tanquam in horto deliciarum consito, florum decore vario, reperit rosas Martyrum, lilia Virginum, & Violas Confessorum, in ipsarum Ecclesiarum gremiis confoueri, & tam deuota, quam debita fidelium frequentia venerari: & occulta fide prospiciens inæstimabilia Sanctorum pignora plurimorum, tanquam Regina Austri, mensa Salomonis, cibis, & apparatu Regio visis, non habet in aliquo spiritum hæsitandi, asserens cum ipsa Regina: quæ videret fore maiora, quam rumor, quem audierat in terra sua. Plenus itaque fide, & deuotione, ad instantiam nostram, à diuersis Ecclesiis nostris, diuersorum Sanctorum reliquias sibi impetrauit donare. Sequitur Reliquiarum Sanctorum syllabus, & vnde singuli accepti distincta loca, sequenti serie.

Ab

3. *Ab Eccleſia Sancti Gereonis, de reliquiis Thebeæ Legionis. Ab Eccleſia Sanctarum Virginum, de reliquiis earumdem, & corpus vnius Virginis. A Magiſtra, & Conuentu Sancti Maximini, caput vnum, & mentum Diaſmæ Virginis, cum aliis oſſibus eiuſdem collegij. A ſorore Eliſabeth recluſa apud Sanctum Marcellum, quondam Sanctimoniali Beati Maximini, caput Candidæ Virginis, de eodem collegio: & Caput Georgij Martyris, & de ſcapula Petri Apoſtoli, & de pluribus aliis reliquiis intitulatis à præfata Magiſtra: & de Capillis Magdalenæ. A Domino Hermano de Saxonia, maioris Eccleſiæ noſtræ Canonico, caput vnum de collegio Virginum. A Decano, & Conuentu S. Conuberti, de Reliquiis earumdem Virginum, & Sanctorum Martyrum Nerei, Pancracij, & Aquilei.*

4. *A Magiſtra ex Conuentu Sanctorum Machabæorum, de reliquiis earundē Virginum. Ab Abbate, & Conuentu S. Pantaleonis, de Reliquiis Sanctorum Innocentium, S. Vincentij Martyris, Sanctorum Eualdi, & Albini Martyrum: & Sanctorum Martyrum Fœlicis, & Audacti; & de petra, ſupra quam ſedit Dominus, quando diſcipulis ſuis ait.* Meſſis quidem multa, operarij vero pauci. *Ab Abbate, & Conuentu S. Martini, de Reliquiis Sanctarum Virginum. A Decano, & Conuentu S. Mariæ ad gradus, de reliquiis earundem Virginum, & S. Annonis Archiepiſcopi, Patroni ſui. Ab Abbate Vallis S. Petri Ciſtercienſis Ordinis, caput vnius Virginis: Oſſa Simeonis Martyris, & de legione Thebeorum. A Decano Bonenſi de eadem legione. Ab Abbate Campenſi Ciſtercienſis Ordinis; caput vnius Virginis, & multa alia oſſa: & de liquore Iconis Dominæ noſtræ. Ab Abbate de Beynfed, Ciſtercienſis Ordinis, ampullam vitream cum oleo S. Catherinæ. Ab Abbate de Bergis, Ciſtercienſis Ordinis, de Reliquiis Sanctarum Virginum. Ab Abbatiſſa Sancti Quirini, de capite S. Benedicti Abbatis, de Sanctis Martyribus, Laurentio, Georgio, & Sebaſtiano, & de ſepulchro Dominæ noſtræ. Apud S. Trudonem, Coſta S. Liberti Martyris, & de cineribus eius, & ſanguine coagulato: & de cineribus S. Trudonis, & de panno, in quo inuoluta fuit Hoſtia, quæ in carnem conuerſa eſt.* Hactenus ſyllabus Sanctorum Reliquiarum, quibus enumeratis pergit Engelbertus.

5. *Prædictorum itaque Sanctorum Reliquias ſub teſtimonio præſentis ſcripti, noſtro, & aliarum Eccleſiarum noſtrarum communiti ſigillo, prænotato Abbati dandas duximus, & transferendas in patriam ipſius, pro præſidio patriæ, pro Sanctorum noſtrorum veneratione dilatanda, & vt hæſitantes de tot ciuitatis noſtræ pignoribus, ad credendum facilius prouocentur. Nos vero ſollicita pietate proſequentes dulciſſima munera noſtra, ſupplicamus attentius, & in Domino conſulimus omnibus, ad quos fuerint tranſlata, vt ipſa cum deuota lætitia, & læta deuotione ſuſcipiant, & condigne venerentur ſuſcepta: quatenus meritis dictorum Sanctorum, quorum certiſſimæ ſunt reliquiæ, præſentia munera, hic, & in futuro propitiationis abundantiam mereantur ab Altiſſimo, qui in eiſdem vult honorari Sanctis, quos cum ipſo Beata iam perfrui conſtat immortalitate. Datis Coloniæ quarto Nonas Decembris, anno gratiæ M. CC. XXIII.* Hactenus litteræ Archiepiſcopi Engelberti.

6. Hic fructus Legatiæ à Petro peractæ vſque in hunc diem manens. Nam quem negotia exitum habuerint, antiqui nobis nequaquam tradidere. Sed etſi non ex occaſione Reliquiarum legatiam nouiſſemus, ſepulta permanſiſſet cum multis aliis. Extat & in eodem Monaſterio duodecim Pontificum indultum, in quo ſinguli quadraginta dies concedunt remiſſionis pœnarum, tum his *qui ad Fabricam luminaria, ornamenta, dicti Monaſterij manus porrexerint adiutrices, aut qui in eorum teſtamentis, vel extra, aurum, argentum, veſtimenta, libros, calices, ſeu quæuis alia dicto Monaſterio neceſſaria donauerint, legauerint, ſeu donari, vel legari procurauerint, tum his, qui reliquias plurimas ibidem exiſtentes deuote viſitauerint, honorauerint, aut eis oblationes fecerint, &c.* Et tandem concludunt. *In cuius rei teſtimonium præſentibus litteris ſigillã noſtra apposuimus. Datum Auenioni, ſeptima die Iuly, anno Domini M. CCC. XLV. Pontificatus Domini Clementis Papæ VI. anno quarto.* Hæc de incrementis Monaſterij Sancti Petri, quod tantus Reliquiarum Theſaurus, tantus indulgentiarum locupletauit.

Hoc ipſo anno, quia Hiſpana ſemel cœpimus, 7.
cum præcedenti dedicata fuiſſet, ſolenni ritu noua Baſilica Eccleſiæ Alcobatienſis in Luſitania, Monachi demum, relictis antiquis ſedibus, tranſierunt ad nouas, in die S. Sixti Papæ & Martyris, quæ numeratur ſexta Menſis Auguſti. In hoc opere Brito Luſitanus, [b] duplicia contigiſſe narrat miracula, vtraque repetita, quæ nefas eſſet ſilentio præterire: Alterum in Brutis, alterum in Magiſtro totius operis præcipuo. In Brutis illud admirandum fuit, quod longo ſatis tractu, quippe vltra leucam, quo lapides portabant ad ædificium, ſine vllo ductore ſemper ierint, ſemper redierint, neque de via ab itinere, neque in illo impedita vllis obſtaculis, adeo, vt ſolum egerent onerari, exonerarique ab his, qui præſidebant, aut fabricabant; reliqua immunia ab humana conductione, quod toto dicitur duraſſe tempore fabricæ. Sed mirabilius adhuc in Magiſtro, Claræ-Vallis conuerſo, nomine Deſiderio, Viro Sancto, quod quoties ad priorem, Domum vbi Conuentus erat, tranſire vellet, maximè ſacris myſteriis affuturus, pallio, vt nauigio, vti conſueuerit, quo flumen trannaret, atque adeo ſolidam aquam ſemper inuenerit, vt non ſolum ſubmergi non timeret, ſed neque pallium madefactum inde extraheret; quin adeo ſiccum, ac ſi aquas non tetigiſſet. Hæc prodigia illuſtraſſe feruntur Eccleſiæ opus.

[b] *lib. 3. c. 22.*

Conſummata memoratur lapidea fabrica, an- 8.
no M. CC. XV. à quo vſque ad M. CC. XXII. ſacris picturis, altaribus, atque id genus aliis exornata, eo tandem anno dedicata legitur, à duobus Epiſcopis Vliſiponenſi Aluaro, & Conimbricenſi Ægea, cum clauum Alcobatiæ teneret Petrus cognomento Egeas, cuius ſuperius fecimus mentionem. Contigit autem dicta dedicatio ad vigeſimum diem menſis Octobris. Nec multo poſt, ſequenti nimirum anno, ſed non integro elapſo, id eſt, hoc ipſo, quem Annales noſtri deſcribunt tranſlatus Conuentus; ad perpetuam memoriam præfixa nota, atque exarata verſibus, qui hodieque leguntur in muro Clauſtrali,

Nos trahe Virgo Pia, trahe nos Virgo Maria
Nos trahe, nos patria pene tuere via.
Sic quia tranſlati viuemus ad aſtra vocati
Nobis, noſque ſibi conſociemur ibi.
Hic te laudamus cordibus, pectore, vocibus, hymnis,

Quo

Quo loca trænstulimus inueterata nouis.
Auguſti menſis octauus tunc erat Idus;
Eram ſi quæris, huic erat iſte modus.
Mille ducentorum tunc ſexageſima prima
Extitit annorum.

Hactenus de Alcobatiæ tranſlatione.

Creuiſſe habitatores nouæ fabricæ, vſque ad circiter mille, traditio eſt: quamuis ad Millenarium nunquam pertigerint: quippe nonnullis de medio ſublatis priuſquam alij ſuccederent, qui eum numerum forent impleturi. Inde Diuinam laudem inceſſantem viguiſſe in Alcobatiæ, cum omnes ſimul non poſſet chorus capere, continua centuriarum, ſibi in eo ſuccedentium viciſſitudine. Atque hunc numerum permanſiſſe tradunt per multos annos, vſque ad graſſantem totius Europæ peſtem, quo imminutus legitur; & quod mireris, vix ad partem decimam; neque ad hanc diem vltra reparandus.

9. Hoc eodem anno quinque ante menſes à Conuentus tranſlatione, obierat Alfonſus Rex Luſitanus, condito ante ſeſqui annum teſtamento quod Brandaonius adducit, [c] in quo & ſe apud Alcobaciam ſepeliri; & tam in ea, quam in aliis Eccleſiis Ordinis per vniuerſum Regnum anniuerſarium celebrari iubet; & demum teſtamenti exequutores tres, inter alios, Ciſtercienſes Abbates nominat, de Alcobacia, de Tarouca, & de Zeiza, per quos omnia venirent adimplenda. Integrum teſtamentum apud Brandaonium legat, quicumque volet: quæ ſpeciales Ciſtercio concernunt clauſulæ, ita habent. *De tertia vero parte (ſcilicet bonorum nobilium, & ſe mouentium, nam duas alias paulo ante prædixerat inter legitimos filios diuidendas.) Mando, quod Abbas Alcobaciæ, & Prior Sanctæ Crucis, & Magiſter Templi, & Prior Hoſpitalis, & Abbas S. Ioannis de Tarouca, & Abbas S. Tyrſi, & Abbas de Cecia faciant tali modo, quod vbicumque me mori contigerit extra Regnum meum, faciant duci corpus meum per meas expenſas ad Alcobaciam; vbi me ſepeliri iubeo. Et mando, quod de ipſa tertia dent Domino Papæ III. M. morab. Monaſterio Alcobatiæ II. M. morab. pro meo anniuerſario. Sanctæ Mariæ de Rocamador. II. M. morab. pro meo anniuerſario. Capitulo S. Iacobi de Galletia II. M. morabit. pro meo anniuerſario.* Et paulo inferius. *Monaſterio S. Ioannis de Tarouca D. Morabit, pro meo anniuerſario. Et rogo, quod quodlibet iſtorum anniuerſariorum fiat ſemper in die mortis meæ, & fiant tres commemorationes pro me per tres partes anni, & qualibet die faciant celebrari vnam Miſſam in perpetuum pro anima mea. Etſi ego in vita mea dedero iſta anniuerſaria, vel eorum aliquid, ipſi, quibus ea, vel illud dedero, orent pro me, tanquam pro viuo, & poſt mortem meam faciant iſta anniuerſaria, & iſtas commemorationes, ſicut ſupra dictum eſt, ſicut faciunt in aliis locis, vbi ego iam dedi mea anniuerſaria. Mando & Abbati Alcobaciæ, & aliis ſupra nominatis, quod dent Monaſterio de Salzeda. C. morabit. pro meo anniuerſario. Monaſterio de Mazacira. C. morabit. pro meo anniuerſario. Monbſterio S. Petri de Aquilis. C. morabit. pro meo anniuerſario. Monaſterio de Burio. C. morabit. pro meo anniuerſario.* Et tandem concludit. *Mando Monaſterio de Alcobacia omnes meas ſortelias maiores, & minores; & omnes meos annulos, quos habuero in die mortis meæ.* Hactenus, quæ ab Alfonſo noſtris Legata.

[c] *lib. 3 c. vlt. & in Appendice.*

Verum, quod attinet ad eorundem, & aliorum Legatorum exequutionem per eoſdem facienda, præter eas, quas in principio memorauimus, aliæ clauſulæ veniunt tranſcribendæ [d] *Mando, ait, quod Abbas Alcobatiæ, & alij ſupra nominati dent filiis meis, & filiabus, quos habuero, de aliis mulieribus, vnicuique illorum D. marabitinos.* Et infrà. *Mando adhuc, quod quicumque tenuerint meum theſaurum, vel meos theſauros in die mortis meæ, quod dent illos Abbati Alcobatiæ, & aliis ſupra nominatis, ad diuidendum, ſicut ſuperius dictum eſt.* Et item. *Mando & quod filius meus, vel filia, qui, vel quæ loco meo regnauerit, & mei Vaſalli ſine mora, & ſine contradictione aliqua, dent totam iſtam meam tertiam Abbati Alcobaciæ, & aliis ſupra nominatis, & ipſi diuidant eam ſicut ſuperius dictum eſt. Etſi filius meus, vel filia mea, qui, vel quæ loco meo regnauerit, & mei Vaſalli noluerint ei dare iſtam meam tertiam, rogo ipſe, ſicut in illis confido, quod ipſi quærant illam per Dominum Papam. Et rogo, & deprecor Dominum Papam, & oſculor terram coram pedibus eius, quod ipſe per ſuam Sanctam pietatem faciat iſtam meam mandam adimpleri, & obſeruari, ita quod nullus contra illam venire poſſit.* Hactenus teſtamentum, quod factum dicitur Æra M. CC. LIX. id eſt ante biennium, cum idem Rex, vt ipſe initio ait *incolumis exiſteret, & nulla corporis grauaretur infirmitate.* Cæterum, quo illibatior conſeruaretur, vſque in diem mortis eius, hanc illi tandem clauſulam impoſuit, quæ claudit cæteras. *Vt autem hæ meæ mandæ melius poſſint impleri, præcepi fieri octo chartas, meo ſigillo plumbeo munitas, quarum vnam tenet Abbas Alcobatiæ, ſecundam Prior S. Crucis, tertiam Magiſter Templi, quartam Prior Hoſpitalis, quintam Abbas Sancti Ioannis de Tarouca, Sextam Abbas S. Tyrſi, ſeptimam Abbas de Ceiza, octauam penes me facio conſeruari; quæ fuerunt factæ apud Sanctarum, Menſe Nouembris, Æra M. CC. LIX.* Ita Alfonſus, neque in vita, neque in morte quidquam tutum putabat ſine Ciſtercio. 10.

[d] *ex eodem teſtamento.*

Dies, & annus obitus conſtat ex libro obituum Sanctæ Crucis Conimbricenſis, quem refert Brãdaonius, [e] & in quo, ait, hæc verba contineri. *Octauo Kalendas Aprilis obiit Dominus Alfonſus, tertius Rex Portugaliæ, Æra M. CC. LXI.* Hinc factum eſt, vt Conuentu nondum tranſlato ad nouam Alcobaciam ex antiqua, nec ante menſem Auguſtum transferendo, corpus Regis non ſtatim aſportatum ad proprium tumulum; ſed depoſitum fuerit, cum Conuentu & ipſum transferendum. Sed neque ante decennium tranſlatum eſt, incertum quam ob cauſam, quod ſepulchralis inſcriptio, quæ hodie conſeruatur, manifeſtat, ſic enim habet. *CONDITVR HOC TVMVLO DOMINVS ALFONSVS SECVNDVS NOMINE, ORDINEQVE TERTIVS LVSITANIÆ REX. ANNO M. CC. XXXIII.* 11.

[e] *vbi ſuprà.*

Frequens eſt, quæ non ſtatim exequamur differre nimium, illud rarius, quod non prorſus omittamus, quæ iam diſtulimus. Sepulchralis inſcriptio Alfonſi fefellit multos, vt vixiſſe putarent ad illum annum. Verum obiiſſe ante M. CC. XXIII. quo Sanctius filius eius iam regnaret, vltra memoriam libri Sanctæ Crucis inſtrumenta confirmant, & acta publica; ex quibus nos nonnulla receñſebimus.

Quo anno Patri in Regno ſucceſſit Sanctius, 12.

compoſuit,

compoſuit cum amitis Sanctia, Taraſiaque, quibus addita Blanca, natu minor, amicabilius, quam Frater compoſuerat. Extat, & legitur inſtrumentum compoſitionis ſatis prolixum, ex quo in gratiam Lectoris hæc decerpo. *In Dei nomine. Hæc eſt forma pacis, & compoſitionis facta inter Dominum Sanctium, illuſtrem Regem Portugaliæ ex vna parte, & nobiliſſimas Reginas. D. T. & D. S. & D. Brancam ex altera, ſua ſponte, & in ſua ſanitate, ſuper Caſtris Montis maioris, & Alenquer, & ſuper Iſgeiram: videlicet, quod Regina Domina Taraſia, & Domina Sanctia debent tenere in vita ſua Caſtrum de Alenquer, & poſt mortem naturalem Reginæ D. T. & Reginæ D. S. ipſum Caſtrum de Alenquer debet redire cum omni iure ſuo libere, & ſine omni diminutione, ad dictum Dominum. S. Regem Portugaliæ, & ad filium eius, vel ad ſuum hæredem legitimum; & Regina Domina Taraſia debet habere in vita ſua Caſtrum Montis Maioris, & Iſgeiram, & poſt eius mortem naturalem, Regina Domina Branca debet habere ipſum Caſtrum, & Iſgeiram: & poſt mortem naturalem ipſarum ambarum, Caſtrum ipſum cum omni iure ſuo, libere, & ſine omni diminutione redeat, cum ſuis pertinentiis ad dictum Dominum. S. Regem Portugaliæ, vel ad eius legitimum hæredem; & poſt mortem naturalem Reginæ D.T. & Reginæ. D. B. Iſgeira debet remanere Monaſterio de Lorbano pro hæreditate. Et ſciendum eſt, quod propter iſtud pactum, quod prædictæ Reginæ Domino Regi faciunt, de ipſis Caſtris, Dominus Rex dedit Reginæ Dominæ Taraſiæ, & Reginæ Dominæ Sanctiæ in vita ipſarum, annuatim quatuor millia morabitinorum, pro quibus Dominus Rex dedit eis in vita earum omnes redditus, de turribus veteribus, ſiue plus valeant, ſiue minus, quos ipſæ ambæ Reginæ debent diuidere inter ſe; Alcazar vero eiuſdem Caſtri debet tenere Vaſallus Domini Regis, & debet habere Alcaidariam, & quando Reginæ, vel aliqua earum voluerit, quod prætor mutetur, debet hoc Domino Regi ſignificare, & Dominus Rex debet illum mutare, & mittere ibi alium, qui bene paret eis totas ſuas cauſas.* Hæ præcipuè concordiæ conditiones, reliquas in Brandaonio legat, quicumque volet.

1. *In Luſitania, conſummata Arce Auiſienſi,* 2. *Eborenſes, & locum, & nomen mutant.* 3. *Calatrauenſium victoriæ repetitæ* 4. *ſub Ferdinandi auſpiciis,* 5. *Beaciæ Regulus à ſuis interfectus,* 6. *& acquiſita Ferdinando vrbs, prævalente virtute Sacræ militiæ.* 7. *Petri Comitis, & violantis vxoris mors, ſepultura notanda.* 8. *Acta Capituli,* 9. *& iuſſum celebrari anniuerſarium Philippi Regis.* 10. *Chronologia, & notata cœnobia duo.*

CAPVT QVINTVM.

1. INTER hæc, quod ad militias ſacras attinet, Eborenſis pro Ferdinando Yanez Ferdinandum ſecundum Roderici, cognomento Monteyro, ſubroguerat: & ſub vtroque Arcem Auiſienſem, ad quam tranſiret, atque oppidum contiguum ædificabat. Fabricam noctu tantum ſurrexiſſe, ne à Mauris videretur, traditio eſt, appoſitis interdiu arborum ramis, quibus occultaretur, quouſque ſubitaneum opus velut erumpens terreret miraculo, & vt non victos, pauidos, hoc eſt faciles vinci hoſtes efficeret. Ita in præludio [a] de exordio huius Ordinis, quod ſtatutis præfixum circunfertur, quamuis non deſint, qui de facto dubitent, quibus modo non vacat reſpondere. Conſtat perfectis Arce, oppidoque, atque muris vallatis per circuitum, Ferdinandum Ruizium in eum locum Conuentum tranſtuliſſe. In porta oppidi, quæ à Sancto Rocho dicitur, inſcriptio hodieque extat confuſa ſatis, quippe quæ nec Magiſtrum diſtinguat, neque annum exprimat. En eius verba.

a cap. 6. tit. 1.

FERRANDVS, MAGISTER DEI GRATIA ORDINIS CALATRAVENSIS IN PORTVGALIA, CVM SVO CONVENTV PLANTAVIT AVIS IN FESTIVITATE ASSVMPTIONIS SANCTÆ MARIÆ ÆRA M. CC. XXII. STEPHANVS MARTINI SCRIPSIT. PATER NOSTER PRO ANIMA EIVS.

Ex qua inſcriptione triplex dubium oritur.

2. Primum ſub quo Ferrando, ſeu Ferdinando tranſlatæ Sedes, Yanez, an Monteyro? & multi ad hunc putant referendum, multi ad illum, Secundum, quiſnam annus deſignetur in numero, illa poſteriori nota XXII. quam Brito LXI. interpretatur; auctor illius tractatus, qui circumfertur cum diffinitionibus LII. Denique tertium; quid verbo illo *plantauit*, ſignificetur? An poſuit primum lapidem, an poſt opus perfectum Conuentum tranſtulit, atque in eo collocauit militiam ſacram? Mihi vt non omnia, ſic duo certa videntur, conditionate tamen pronuncianda; non abſolute. Primum eſt, ſi nota numeri ſignificat Æram M. CC. LII. id eſt, annum M. CC. XIV. neque ad Magiſtrum Ferdinandum Monteyro; neque ad conſummationem nouæ Arcis, aut tranſlationem Conuentus referendam, ſed ad primum ædificij ſurgentis lapidem ſub Ferdinando Yanez, quod poſt nouennium ſucceſſor conſummauit. Secundum eſt, ſi denotet hunc annum, quem nunc deſcribimus, hoc eſt Æram M. CC. LXI. & de Magiſtro Ferdinando Monteyro loqui, & de Militiæ & Conuentus tranſlatione. Nam quod ea ſub ipſo facta ſit, ipſi etiam fatentur, qui in aliis contrarium aſſeuerant. Vnde & à multis Magiſter primus dicitur Ordinis de Auis, non quaſi alij eundem non præceſſerint, Petrus Ægeas, & Ferdinandus Yanez, ſed quia omnes in Ebora, reſeruata illi militiæ tranſlatione, vt & vltimus Eboræ, & primus merito Auiſij dici poſſit. Ergo ad hunc annum mutationem factam credimus ſub hoc quarto Magiſtro, loci ſimul, & nominis, in quibus perſeuerat vſque ad hanc diem.

Eiſdem temporibus Militia Calatrauenſis in 3.
Caſtella, ſub Ferdinandis Regis fauſtis ſignis, multas

multas de Mauris victorias reportabat. Beaciæ Regulus (nam ea vrbs Sarracenis iterum cesserat) in seruitutem adactus, retenta licet vrbe; expugnatum illustre Castrum Quesada: & hostes, qui effugere gladium, capti ad septem millia hominum. Vicina oppida, qua capta, qua incensa; ingens ex cunctis præda abigebatur. Inde Rege his in locis consistente, Sanct-Iacobæus, & Calatrauensis Magistri missi, qui in agros Cordubæ grassarentur ferro, & igni. Et restitere lacessiti barbari, plusquam mediocri animo: sed tandem cessit victoria cruce signatis, & profligatis hostibus, ingentia ex prælio spolia reportarunt. Tum Hyeme vrgente, Ferdinandus ad propria redux vtrumque armis præfecit, queis parta tuerentur, & conseruarent. Atque hæc ad finem anni M. CC. XXI. Gienium vrbs expugnata, Arx illustris, cui Pliego nomen: atque ingēs illinc præda abacta est Almohadum nobilium, & prædiuitum; qui dudum Castrum illud inhabitabant. Indę Arce Loxæ diruta, & cæsis ad quatuordecim millia Sarracenis, ni fallit numerus: ad Illiberim vsque peruentum est (Granatam vulgo dicimus) & tantus pauor Barbaris incussus, vt: ne per nostros agri vastarētur, vltro captiuos omnes Christianos, (& erant multi numero) offerrent; sine vllo alio pretio restituendos. Aderat his victoriis Beaciæ Rex Ferdinandi, vt pepigerat, Vasallus; & tribus armatorum ex suis millibus (metu ex nostris, an in socios æmulatione?) in suæ gentis Reges decertabat.

4. Ast Ferdinandus aspernatus fidem hominis infidelis, nec tutum reputans barbari obsequium, à quo cum vellet posset resilire, antequam ad Castellam reuerteretur, illustria duo Castra sibi fitmauit; Martos, & Anduxar, petita ab ipso per speciem amicitiæ: sed quæ si forte dare renuisset, auferenda violenter non dubitaret. Nec voluit Regulus, cum sola Castra posset, gratiam Regis cum eis simul amittere; pro qua sociorum inuidiam incurrisset. Summa stultitia est offendere eum, pro quo alios offenderis, tunc demum omnium vindictas excepturus. Ferdinandus ad Martos Gundisaluum, Calatrauæ Magistrum, cum aliis viris magnis pro se reliquit, dum hyeme vrgente, Toletum redit. Sed Gundisaluum non deterruit hyems, quo minus Hispalim vsque penetraret, tanta obsistente barbarorum multitudine, vt pene eum insultus penituerit, pene retrocessisset, si tunc liceret. Hispalim inter, & Carmonam pugnatum est, magno vtrinque ardore, vt multo tempore anceps victoria fuerit: sed vicit tandem Magister Calatrauæ, tanta tam sua, quam suorum militum gloria, vt cæsi in eo prælio, præter fuga elapsos, captosque, vsque ad viginti millia commemorentur. Tot homines alebat tunc Hispania, tot absumebat gladius, tot incolarum frequentia reparabat. Hæc ad annum M. CC. XXII. quæ hucusque distulimus, vt huius anni victoriis aggregaretur.

5. Ergo hoc anno, aperiente vere, iterum Ferdinandus cōtra Paganos, & cū eo iterū militia Calatrauæ, agmen ducēte Magistro Gundisaluo, qui pro decem millibus à Rege cōputabatur. Affuisse dicitur etiā cū suis copiis Beaciæ Rex, ne perderet per vnā omissionem, quæ hactenus meruisset per tot obsequia. Sed Ferdinandus nō tā suos milites habere concupiscens, quàm suū Regnū, tria alia Castra petiit, obtinuitque; nā quid iam Barbarus negare illi auderet? Burgalimar, Capellam, & Salnaterrā. Neque contentus litteris petentibus, quibus redi iubebat; Arcem Beaciæ sibi tradi fecit, velut inobsidem, tandiu possidendā, quandiu tria illa Castra non acciperet. Tot petere Ferdinandus videbatur, vt aliquid ei Regulus negaret; verum è contra Regulus tot dare, vt in nullo de eo cōqueri posset. Hæc plerumq; conditio miserorū, illa potentium. Traditis statim Regi duobus Castris, Saluaterra nimirū, & Burgalimar, rebellauit Capella, & neq; suo, neque Castellæ Regi parere voluit. Siue alterū coactū id iussisse prudēter putauit, seu propriis viribus, & natura loci fidens contempsit alterū, à quo nihil timeret, vt ipse etiā euentus paulo post docuit. Hæc vltima miseria Barbari fuit. Quippe dum Regi nimium placere cupit, Beaciæ Arcem ab ipso recepturus; suos cōtra Capellā milites mittit, quod Beaciani, iniquo ferentes animā, siue nefas putarent impugnare, quos ipse fideliores expertus esset; siue transiisse ad Christianā religionē persuaderentur; qui adeo in cunctis Christianis obsequebatur; comprehensum atrociter trucidant, & qui Regno spoliatus ab inimicis, vitā saltem tranquillā produxisset, à suis vita orbatus simul, & Regno, in scyllā incidit, dū Carybdim deuitaret. Contēptui veniunt obsequiosi Reges, & pudet populū parere parēti aliis.

Occiso Regulo, Beaciani Proceres, dū Ferdinādum timent, haud dubie in eis vlturū, quod delectabat, & qui iā Regulū de medio sublatum videt, vt vrbē sibi assereret (qui omnium consiliorū illius scopus fuit) per speciem pietatis, fidcique, in amicum defunctum, ipsos etiā haud dubie sublaturum: truces à cæde proprij sui domini, atque à desperatione concepta sumentes animū, obsidere Arcem, impugnare, per vim apertam, per subterraneas fraudes in obsessos irruere; demum neque machinis parcebant, neque insultibus. Præerat arci, Ferdinandi iussu, Magister Calatrauæ, cum non valida manu suæ Militiæ: quippe in amica vrbe nihil sibi timendum arbitrabantur. At vbi cuncta in contrarium mutata vident, & pro Rege obsequente, rebelles Proceres, armatam multitudinem, atque ipsum vulgus in ipsos coniurare, neque vllum sibi paucis, & concluſis, forte & penuria victualium laborantibus, nisi in propria virtute præsidium fores, tandiu viriliter insultus sustinuere, quandiu transmisso à Ferdinando Rege auxilio, territi Sarraceni, pars fuga elapsi, & pars se vltro Magistro dedidere. Ita Beacia virtute Calatrauensium in potestatem Ferdinandi Regis venit, neque, vt hactenus, statim amittenda, sed iam non vltra ad Paganos reditura. Hæc raptim ex historia generali, [c] atque ex Rades Andradio, qui cuncta narrant. [d] 6.

Hoc ipso anno, (nam neque hæc omittam) funestauit Hortense Monasterium, illustris Comitis Petri Manrique mors, quē Virginis Mariæ inuocatione: Giganteæ staturæ hostem paganum, nomine Zafram superasse diximus, è cuius gratia in Mariam munificentia, dilatam Hortam in finibus Valeriæ, quam hodie Concham vocant memorauimus. Iacet in muro claustri, sub arcu lapideo, ordine secundo, ab Ecclesia in Capitulum euntibus (nam primum Comes Petrus, & Sanctia Infans, Regis Nauarræ filia, coniuges occupant) sub recenti inscriptione, vulgari lingua, sed ex antiqua extracta, quæ tam victoriā partam de Sarraceno, Virginis interuentu, quam piam Comitis in ortam largitatem memoriæ prodit. Sub eodem arcu iacet Violans vxor, de qua in recenti auctore scriptum

7.

c circa hos ann.
d Calatr. 18

scriptum lego : quod superuiuens Comiti, cum violatæ castitati s nota esset inusta, Alfonsus decimus, cognome nto Sapiens,ab arcu extractam in Cœmeterio sepeliri iusserit, velut indignam sociari tanto viro, cui vel defuncto fides seruanda foret. Addita & inscriptione sepulturæ,quæ diuisionis causam propalaret. Iacuisse porrò sub hac nota fœminam intra ducentos annos, quoadvsque inuictus orbis Imperator, Carolus V. inuisens Hortam, lustransque sepulchra,restitui loco iussit, quasi iam tot annorum pœnitentia admissæ culpæ abluisset suspicionem. Ita in Epitome vitæ Caroli V. nec libuit rem silentio præterire.

8. In Capitulo statuta pauca lego, aut periere,si quæ alia promulgarunt antiqui Patres. Id tamen in B. Virginis honorem præceptum est *Vt in omnibus Abbatiis nostri Ordinis fiat processio in Assumptione B. Mariæ, & in egressu dicatur responsum,* Hodie Maria Virgo. *In secunda statione:* Fœlix namque es. *In ingressu Ecclesiæ Antiphona,* Ascendit Christus. Statutum item : *Vt nullus destitutus à Capitulo Generali,restituatur in loco, de quo depositus fuerit, sine nutu Capituli Generalis.* Hoc ad sæuiorem disciplinam,ne facili pœnarum relaxatione,contemnerentur culpæ in totius perniciem Religionis. Grauiora crimina tutius sine pœna,quàm cum leui coerceas : quippe præsumi possunt ignorata, quando dissimulantur ; si non laterent, sæuere castiganda. At leuiter correpta statim produnt, quam impune peccare cunctis liceat ; & multo plures exemplum culpæ allicit, quam pœna deterreat, à qua sciant non multum timendum fore.

9. In eodem Capitulo prouisum est (grati simul, & pij animi signum) vt *Anniuersarium Philippi, Francorum Regis,fiat per totum Ordinem, secundo Idus Iulij in perpetuum. Cum collecta.* Præsta quæsumus Domine : *singulariter: Secunda :* Fidelium. Non multum esset, si per totam Galliam, anniuersarium Regis celebraretur: at per Hispaniam, Angliam, Italiamque, Germaniam, atque reliquas nationes celebrari iuberi,ingens haud dubiè pietatis indicium fuit. Quamuis non negem,nonnihil potentiæ : aliàs quis dubitet à multis aliis Regibus æqualia beneficia suscepisse Cistercium? Ab aliquibus fortasse etiam maiora. Certè ab Alfonso, Hispaniæ Imperatore,multa,& magna susceperat,neque pauciora, minorave ab eius nepote;quem & vxorem simul Eleonoram, vltra illustria fundata Monasteria, tam Monachorum quàm Sanctimonialium,vt non absoluto conditionali voto, se ipsos addixisse Cistercio superius vidimus. Haud tamen vlli eorum concessum est id quod Philippo Regi, non solum in totius cœnobiis Ordinis, sed nec in propria ditione, aut in his saltem, quæ ab ipsis constructa essent.

In Chronologia duas tantum Ecclesias notatas lego, quæ hoc anno accreuerint : S. Mariæ de Cips, & Fontis Clari. Et prima nobis penitus ignota : nisi quod tamen apud Henricum in Genesibus de linea Morimundi memoratur incerta Matre. Clarus Fons,notius multo Monasterium, si forte idem, quod in Aragonia, ad Cince fluuij ripas constructum in Ilerdensi Diœcesi;post longum tempus translatum Cæsaraugustam, altero ab vrbe lapide, à Sancta Virgine Fide cognominatur;fundatore Iacobo Aragonensi, vt eiusdem cœnobij tabulæ habent. In Chronologia Fonte-Claros duos inuenio : hoc anno vnum, alterum post tredecim;nempe M.CC. XXXVI. Neutrum tamen conueniens huius initiis, quæ ex instrumentis constat referenda ad annum M. C C. X X X. Nobis hæc breuiter in præsenti notasse satis pro instituto, in reliquis instrumenta ipsa sequemur. Interim Monasteria Sanctimonialium,quæ plura hoc anno exorta,provt ea inuenimus,proferamus. 10.

---

1. *Villa-Maior in Burgensi Diœcesi domus,* 2. *Sanctimoniales suscipit ;* 3. *quam tamen Monachi olim inhabitarunt.* 4. *Ferdinandi indultum,* 5. *& ex eo opulentia domus notata.* 6. *Dicatæ Deo fundatoris filiæ :* 7. *& Conuentus translatus,ac relatus nostra ætate.* 8. *Dictum de aliis duobus Abbatiis.* 9. *Et de Suiuicana,* 10. *& eius incrementis non contemnendis.* 11. *Demum de Itala ad hunc annum surgente sub S. Mariæ de Monte Oliueti aduocatione.*

CAPVT SEXTVM.

1. HOc ergo anno noua prole auctum Huelgense Monasterium in veteri Castella, in nouam se familiam dilatauit. Villamaior loco nomen,cuius hæc fere initia fuisse lego. Erat in Diœcesi Burgensi antiqua ædes, quæ Monachorum olim tunc deserta, & vacua, solo cœnobij nomine retento, Domino sæcularium subiiciebatur : hanc Garsias Ferdinandus, dictus Sarmiento perantiqua familia illustrique, Berengariæ Reginæ magnus Oeconomus (maiorem domus Hispani nostri appellant) duabus filiabus quas,susceperat, Christo in ea consecrandis,concupiuit, & iusto pretio emit à propriis Dominis. Extat adhuc venditionis, & emptionis publicum instrumentum, hoc anno factum, quod quando proximiora alia non subsunt, extractum ex archiuis eiusdem domus,non pigebit ad litteram transcribere. Sic autem habet. [a]

[a] ex Arch. Monast. Villamaioris.

Notum sit omnibus, tam præsentibus, quam futuris, quod ego Dominus Garsias, vna cum vxore mea Donna Marquesa, & cum Domino Roderico, Roderici, & Domino Petro Roderici, & Domino Guillelmo Petri, & Domino Tello Alfonsi, & Donna Maiore Alfonsi, & Donna Tarasia Alfonsi, & Ego Rodericus Menoz̃ius ; omnes simul damus, & vendimus vobis Domino Garsiæ Ferdinandi, maiordomo de la Reyna Donna Berengela, & vxori vestræ Dominæ maiori, quantum nos habemus in Monasterio de Villamaiori, & in omnibus grangiis, & pertinentiis suis, Vasallis, & pagis, populatis, & eremis, cultis, & incultis, cum montibus, fontibus, aquis, molendinis, pascuis, & hortis, cum omni iure, quod in supradicta omnia habemus, vel habere debemus ..... Et omnium supradictorum, pretium nos à vobis recepisse fatemur. Damus igitur vobis, & concedi- 2.

mus prædictum Monasterium, cum omnibus suis pertinentiis, vt habeatis, possideatis illud, sicut nos hactenus habuimus in sempiternum. Facta charta apud Valloter, nono die Ianuarij, Æra M. CC. LXI. anno Regni, Regis Castellæ Domini Ferdinandi sexto Existentibus Domino Lupo Diez Alferez, Don Gundisaluo: maiordomo, &c. Hactenus instrumentum emptionis hoc anno factum.

3. Cœnobium olim à Monachis possessum argumento est, quod nostro sæculo, anno nimirum millesimo sexcentesimo, vigesimo sexto, cum nouæ fabricæ iaciendis fundamentis effoderetur terra, inuentum sepulchrum, quod operiebat lapis ita inscriptus.

Alme, pie opifex, da quiescenti veniam.
In Æra millesima centesima septuagesima prima,
Tertio Kalendas Iunij obiit seruus Dei Seuerinus Abbas.

Ergo anno Christi M. C. XXXIII. hoc est nonagesimo ante hunc, quem describimus per Monachos, seu Canonicos Regulares, sub Abbate degentes, habitabatur. Nec constat adhuc, quandiu in ea permanserint, & qua occasione ab ipsis desertum fuerit. Quantumque arripuit Garsias Ferdinandi, & redemptam domum, possessionesque, Huelgensi Monasterio, quod mire tunc florebat, tradenda censuit, vt ex eo Monialibus transmissis, Sancta illa congregatio, in nouos palmites, velut vitis abundans dilataretur: atque obiter filiæ eius haberent Magistras idoneas, sub quibus iugum Christi suaue, quod ipsæ etiam optabant iuxta leges Cistercij portare discerent. Non extat instrumentum traditionis, vnde nec primæ Abbatissa, neque annus certus scitur innouati cœnobij; nisi quod ante quatuor iam cœpisset, constat ex priuilegio Ferdinandi, Reges Castellæ, Monialibus indulto, tam super pastu pecorum suorum, quam super lignis cædendis in vsum fabricæ, quod ita habet.[b]

b *ex eodem Archiu.*

4. *Tam præsentibus, quàm futuris notum sit, ac manifestum, quod ego Ferrandus, Dei gratia Rex Castellæ, & Toleti, vna cum vxore mea Regina Beatrice, & cum filiis meis Alfonso Friderico, & Ferrando, ex assensu, & beneplacito Reginæ Dominæ Berengariæ genitricis meæ, facio chartam concessionis, confirmationis, & stabilitatis Monasterio de Villamaior, quod est in Canal de Muño, & omnibus Monialibus, sub instituto Cistercienſi ibidem habitantibus, in perpetuum valituram. Concedo itaque & confirmo, quod ganata dicti Monasterij ambulent secure, tam de nocte, quam de die pascătur, & amesnentur per omnes montes, & pastus de Lerma; concedo etiam, quod homines memorati Monasterij curtent ad vsus proprios Monasterij in omnibus montibus de Lerma. Et hæc meæ concessionis, & confirmationis pagina rata, & stabilis omni tempore perseueret. Si quis vero hanc chartam infringere, vel in aliquo diminuere præsumpserit, iram Dei incurrat, & Regiæ parti mille aureos incauto persoluat; & damnum super hoc Monasterio iam dicto, ille tunc reddat duplicatum. Facta chartam apud S. Dominicum de Silos, XV. die Ianuarij, Æra M.CC. LXV. anno Regni mei decimo.* Hæc Ferdinandus.

5. Ex quibus clare videas, iam tunc inhabitatum Monasterium à Sanctimonialibus, & ædificia nondum consummata paulatim perfici, in quorũ vsum ligna Rex concesserat, quæ ex monte vrbis vicinæ cædi possent. Porro, quod attinet ad pascua illis concessa, historia inuenio dignum in ea domo, ante non multos annos, quippe intra septuaginta plus minusve, adeo in pecoribus, & gregibus creuisse, vt duo millia, & quingenta vacas pingues, æquas fœtas ducentas, ouium vsque ad sex millia cumulauerit: quibus cum montes vicini non sufficerent, Regia alterius Ferdinãdi largitate affectum est, vt pascua eis paterent totius Regni: quin & pastoribus liceret ligna cædere ad conficiendos pontes, per quos tam ipsi, quàm pecora transirent. *Facta charta apud Placentiam, vigesima nona die mensis Octobris, Æra millesima, trecentesima, trigesima sexta.* Hæc fausta initia Monasterij Villæmaioris, secundo lapide ab vrbe Lerma sito (celebri ex eius Duce nostra ætate) ad quam se Moniales transtulisse sub illius auspiciis, statim dicam: non tamen ibi diutius permansuras.

6. Ordinato in hunc modum Monasterio, ditatoque, Garsias Ferdinandus, duas in eo filias consecrauit, Maiorem, & Menciam, quas tractu temporis præfectas Monasterio, Menciam in Abbatissam, in Prioriſſam Maiorem constat ex instrumentis, & variis quarumdam possessionum permutationibus. Iacet in medio chori Monialium fundatoris sepulchrum, paululum eleuatum ab ipsa terra, sed modestum, & humile, nec marmoreum, sed ligneum, & iam corrosum ab ipsa vetustate. Ecclesiam occupant non pauci alij nobiles ex eadem familia Sarmientorum, qui patroni habentur, quamuis ius patronatus, quod sciamus, in nulla eorum familia (& habẽt multas illustres) conseruetur. Forte ad Saluaterranos pertinuit Comites, qui ad Gallitiam translati excidere memoria, iureque; hoc desuetudine, illud temporis, & locorum intercapedine. Ecclesia Parochialis loci cœnobio subest, Abbatissa instituente Capellanos, per quos administrabatur. Et quamuis ea Moniales non vtantur, contiguam habent, & crateres parietibus defixos, per quos Diuinis interesse officiis, cum libet, licet. Monasterij Basilica Mariæ, & Martyri Vincentio sacrata est: primũ, vt puto, ex legibus Cistercij, secundum ex antiqua Monasterij, cũ Monachos haberet, aduocatione.

7. Nostris temporibus, cum magnus Lermæ Dux Philippo tertio vtrisque orbis Herculi fidus haud dubie Athlas, robustusque; Lermam amplificare desideraret, hoc inter alia elegit Monasterium, quod illuc transferret, si principiis progressus respondissent, non parum vrbem illam illustraturum. Celebrata translatio est, sub certis conditionibus, anno M.DC.XVII. tanta cum pompa, Regioque apparatu, vt vix alia solennior in historiis, vix alia sumptuosior inuenietur. Quippe in qua vltra concursum Regularium, ex diuersis ordinibus, clericorum Prouinciæ, & Collegiatæ eiusdem loci Ecclesiæ, qui omnes anteibant Sanctimoniales; ipsæ mox singulæ peplis coorpertæ inter duos maiores Castellæ Proceres (*Grandes* Hispani dicimus) aut alios regni Comites, Marchiones, subsequebantur. Tum Venerandum Eucharistiæ Sacramentum, quod Sedis Apostolicæ Legatus, qui tunc eo munere fungebatur apud Philippum, gestabat manibus, medius inter Legatos aliorum Principum, & duos Cardinales; processionem claudente Rege Catholico, & nudum caput offerente solis obtutibus. Hæc translationis illius, ac deductionis Conuentus Sanctimonialium, ex Monasterio Clarissarum

eiusdem

eiusdem loci in quo præstolabantur vsque ad ædes ludibrij illius fortunæ, Roderici Calderonij, Marchionis septem Ecclesiarum, quas quandiu nouum surgebat ædificium ab ipso susceperunt inhabitandas. Reliqua omnia pompæ persimilia, quandiu res steterunt. Verum mutatis pro humana conditione, & deficiente tum Philippo tertio, tum Duce Cardinali (nam Cardinalis Dux Lermæ creatus fuerat) in eum omnia statum redacta sunt, vt ad propria redire cogerentur intra decennium. At non sine prouentu satis vtilis, nimirum renouata antiqua dono, multiplicatis vtensilibus suis, præcipuè, quæ ad cultum altaris pertinent; & quingentorum aureorum per annos singulos ampliatæ redditibus, vt verè Monasterio illa translatio, quamuis non permansura, honorifica fuerit. Sed hæc satis superque de hac domo, nunc ad alias coæuas transeamus.

8. *In Germania (vt Auberti Miræi verbis* [c] *vtar quandiu non alia eorundem cœnobiorum maior, aut clarior nobis notitia subest Anno M. CC. XXIII. (alij volunt M. CC. LX. fundatur cœnobium Virginum in Bennikzouen, Diœcesis Colonienſis, non procul à Lippia, quod reformatũ est anno M.CCCC. LXXVII. Item aliud Monialium, quod vocatur Honepa iuxta Dauentriam.* Ita Aubertus Miræus ad hunc annum; qui tamen postmodum ad annum M.CC.LXVI. de fundatore Honepæ Episcopo Vltraiectino, intra quam Diœcesim Monasterium situm, hæc habet verba. *Anno eodem obiit Henricus, eo nomine primus, Episcopus Vltraiectinus, qui Honepensæ Virginum cœnobium, in vico Horstensi, haud procul à Dauentria, Germaniæ inferioris vrbe Episcopali, instituit, ac dotauit.* Hæc ille: nec nos plura de his cœnobiis.

[c] *in Chronico Cist. ad hunc ann.*

9. In Belgio item idem auctor ait [d] *Abbatiam suiuicanam fœminei sexus apud Teneremondam, Flandriæ oppidum, sitam, fundauit Machthyldis, Teneremondæ Domina, mutato Hospitali S. Ægidij, quod paulo ante struxerat in cœnobium cum omnibus emolumentis, & redditibus, qui ante fuerant Hospitalis; cum aliis de nouo fundis, cum sua, tum aliorum liberalitate. Qua de re hoc extat diploma. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Sciat vniuersitas vestra, tam posterorum, quam præsentium, quod ego Machthyldis, Domina de Teneremonda, in spe Diuinæ Clementiæ, cultum domus Domini ampliari desiderans, domum S. Ægidij in Teneremonda temporibus meis factam cum suis appendentiis ad struendam Abbatiam Sanctimonialium Ordinis Cistercienſis libere contuli, & approbaui. Eam vero cum suis personis, & possessionibus nec non & omnibus bonis à me, vel ab aliis collatis, vel in posterum conferendis, sub nostra, ego, & dilectus filius meus Robertus, nec non & successorum meorum protectione suscepimus. Vt autem ampliori dicta nostra domus gauderet beneficio, nobis à nostris feudalibus, ad opus Abbatiæ in manu nostra resignatis, scilicet terra Regnoti, & terra Heribrandi; nec non & bonis à nobis, intuitu Diuinæ remunerationis collatis, scilicet Peerbroech, & Meerbroech ad nos pertinente, Brulo Molendino, iuxta fossatum, apud Teneremonde decima nostra in Hamme, decima de Hardbure; & piscatione cum vna naui in aqua, qua vocatur Denre à molendinis, supra eam donauimus. Hæc autem supradictæ domui, sicut iustè modo possidet, vel in posterum possidebit, libere confirmamus. Et ne aliquis supradictæ domui violentiam inferre attentauerit præsentes litteras sigillorum nostrorum munimin: corroborauimus, quod si quis ausu temerario nostræ donationi contraire præsumpserit, sciat se indignationem Dei Omnipotentis, & nostram incursurum. Testes Ioannes, Archidiaconus Brabantiæ, VVillelmus Archidiaconus in Antuerpia Cameracensis Diœcesis: Gyselbertus Presbyter de Gandauo, Arnulphus Presbyter de Opuuye; VVillelmus de Betunia, Hugo de Gandauo: Sigerus Frater eius, Giselbertus de Rassemghem, Ioannes de Betunia, Ægidius de Morseka, Margareta de Feneremonde, Margareta de Betunia, Mathyldis Domina de Rassemghem. Actum anno millesimo ducentesimo, vigesimo tertio V. Idus Octobris.* Hactenus ex Miræo, qui se ex Dauide Lindano sumpsisse ait.

[d] *vbi suprà.*

Subdit idem auctor cœnobium hoc subesse nostris temporibus visitationi Prioris S. Saluatoris Antuerpiensis, ex commissione Reuerendissimi Domini Cistercienſis. Cæterum idem Suiuicanum Monasterium, post annos quinque translatum ad alium locum, intra tamen eandem Parochiam Suiuicanam, auctoritate Cameracensis Episcopi, videtur colligi ex alio instrumento, quod idem auctor, Miræus nempe, vulgauit in suis Ecclesiarum Belgij notitiis, quod ita habet. *Godefridus, Dei gratia Cameracensis Episcopus, notum fieri volumus, quod cum nos dedissemus in mandatis VV. Affligimensi, & R. Niuenensi, Abbatibus, & VValtero, Cameracensi Archidiacono in Antuerpia, vt accederent apud Suuiuek ad considerandum locum competentem, in quo posset Claustrum Sanctimonialium Cistercienſis Ordinis, infra ambitum Parrochiæ de Suuiuek collocari; ipsi nobis retulerunt, quod in dicta villa, vbi prius sita erat Parochialis Ecclesia, locus esset aptus ad prædictum claustrum ædificandum, locus vero Parochiæ competentior, vbi prius erat claustrum. Cum igitur personæ, & Presbytero Parochiali ad plenum satisfactum sit, nos huic transmutationi nostrum consensum adhibemus, prædictis Monialibus dictum locum (vbi scilicet erat prius Parochialis Ecclesia) præsentibus litteris confirmantes. Datum anno M. CC. XXVIII. Feria quarta post Festum B. Barnabæ Apostoli.* Hactenus ibi. Nec multo post, nimirum intra biennium, Arnoldus, Grimbergiæ Dominus, eiusque soror, & hæres, hanc donationem fecere Sanctimonialibus, quam idem auctor vulgauit eodem loco. *Ego Leonius, Bruxellensis Castellanus, & Sophia, vxor mea, eiusdem Villæ Castellana, notum facimus vniuersis, quod Arnoldus de Grimbergis, filius prædictæ Sophiæ vxoris meæ, & Arnoldi, quondam Grimbergæ Domini, septemdecim bonaria nemoris de allodio suo in Buggenhout sita, iuxta locum, qui dicitur Bedrinuelt, claustro Monialium B. Mariæ iuxta Hemmenrodam Ordinis Cistercienſis in Eleemosynam libere contulit. Quæ vt rata permaneant, sigilli nostri munimine roborauimus. Actum anno Domini M. CC. XXX. Mense Martio.*

10.

Per idem tempus in Italia constructum lego Monasterium Monialium, sub inuocatione S. Mariæ de Monte Oliueti, iuxta fluuium Arda in Placentino, non longe ab Ecclesia Sancti Dominici, quod Beaumontij Vice-Comites ob honorem Dei, atque Carentiæ Abbatissæ, & Abbatis Beaumontij obsequium, ædificarunt. Missæ illuc Moniales ex tertio passu, inter quas vna, quæ ob Beatæ Virginis Franchæ deuotionem, ab eius nomine Francha dicebatur, Præfecta cæteris, cõfirmationẽ ab Honorio Papa, & protestationem

11.

Sedis Apostolicæ impetrauit, litteris datis apud Lateranum, vigesima septima die mensis Aprilis, Pontificatus ipsius anno octauo, Incarnationis Domini M. CC. XXIV. Eadem Abbatissa Francha biennio post dicitur composuisse cum Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ, in cuius territorio idemmet Monasterium constructū erat: soluenda per singulos annos libra incensi, quæ taliter Dominum loci agnosceret, vt nihilominus Moniales non grauaret. Ita Petrus Maria Placentinus in vita S. Franchæ, [c] quem nos auctorē in his sequuti sumus, nam neque alium habere facile fuit. c cap. 10.

ANNVS CHRISTI M. CC. XXIV. ANNVS CISTERCII C. XXVII.

1. *Arnulfi Bruxellensis secessus, & feriatio.* 2. *Ratio temporis,* 3. *atque Sancti occupatio per illud otium.* 4. *Visio admiranda totius cœlestis curiæ,* 5. *neque forte vlla clarior infrà Beatam,* 6. *septem Virginis gaudia meditanti.* 7. *Eadem Virgo gloriosa alia reuelat,* 8. *cuius frequentibus illustratur visitationibus.* 9. *Spirituum in eo vigens discretio,* 10. *& quantumcumque occultorum,* 11. *notitia criminum.* 12. *Proposita materia sequentis capitis.*

CAPVT PRIMVM.

1. ANNVS sequitur millesimus ducentesimus, vigesimus quartus, Cistercij septimus, vigesimusque supra centesimum, quo B. Arnolfus Bruxellensis, quo morti proximior, eo quæ retro erant obliuiscens, & cum Apostolo ad potiora se extendens, quasi inutilis hactenus, & tepidus, amplioribus à Deo donis præuentus, maiora sibi merita, maiores proximis fructus cumulabat. Quippe in Grangia, vicina Monasterio, (Quercetum loco nomen) ab Abbate Guillelmo velut feriatus, sibique ac Deo vacans, supra seipsum, seipsum subleuabat. De hac solenni ipsius feriatione, hæc habet Gosuinus [a] in eius vita. *Primo & enim conuersionis suæ tempore, per aliquos annos non tantum permittebatur quieti contemplationis, & orationis vacare, quantum forte voluisset. Processu vero temporis, cum habitaret in Grangia, quæ olim à Sylua Quercea, Quercetum fuit vocata, ibi quatuor annis habitauit, licentia Magistrorum suorum, qui Sanctis eius studiis arridebant; permissum fuit ei, vt pene à cunctis forensibus curis liber habitaret secum, cum Sabatho corporis, delicatum habens Sabbathum mentis, gustando, & viuendo, quoniam suauis est Dominus. Omni itaque tempore tam æstatis, quā hyemis à mane vsque ad horam tertiam orationi vacabat. Tantam adeptus orandi gratiam, vt diutissime cœlestibus intentus inuictum ab oratione spiritum non relaxaret.* Et paulo inferius. *Degens in Grangia oratione roborabatur, euntem ad Monasterium, vel alio oratio comitabatur, reuertentem inde oratio iterum prosequebatur, & per orationem purissimam omnia ei vtilia à Domino tribuebantur: & cuncta proculdubio noxia ab eo effugabantur. Nihil enim aliud ei dulce, nisi adhærere Deo, & ponere in Domino Deo spem suam. Et cum pro aliquibus, qui peccatorum pondere premebantur, vel graui tentatione, seu qualibet alia tribulatione angustiabantur, Dominum attentius exoraret, non poterat se continere, quin totus in lachrymas solueretur.* Hæc vsque ad horam tertiam diebus singulis: qua completa, pergit idem Gosuinus, *solo tenus totum suum corpus dimittere solitus erat, deinde surgens, & profunde Domino inclinans, licentiam, vt ita dicam, recedendi ab ipso recipiebat.* Hactenus ibi. a lib. 2. c. 4.

2. Ex quibus obiter, quod ad rationem temporis attinet, præsentem nobis annum licet colligere: Quippe qui obiit M: CC. XXVIII. Vt suo loco videbimus si quatuor ante mortem annis feriatus vixit, necesse est, vt hoc feriari cœperit sub Guillelmo Abbate, quem semper habuit fautorem, & promotorem. Non me latet in aliis exemplaribus non quatuor, sed octo annos dici, quos ad Quercetum vixit; in aliis multos, nullo præfixo numero (adeo scriptores variant, non solum cum scribunt, sed cum transcribunt.) Sed nobis vnam tantum sequi licuit, & certiorem lectionem ignorantibus hæc præ aliis electa, siue vt excellentiores virtutes viri, excellentiora dona præmitteremus morbi vicinioris; siue quia omnia, quæ de eo eo narrentur, in hoc velut secessu tempus Guillelmi concernere videntur; quod non semel exprimitur: & tamen constat anno M. CC. XX. nondum eum in Abbatem promotum fuisse. Ergo his obiter de tempore notatis, redeo ad Sancta exercitia, vt inde ad dona, & frequentes Dei, & Sanctorum visitationes, atque consolationes gradum faciam.

3. Post orationem Arnulfo nulla requies, non laxamentum aliquod, quippe ab ipsa ad verbera statim, inde ad necessitatem proximorum, & eorum salutem euolabat; nam audi quod sequitur. [b] *Quoties autem dies prandij erat, à tertia vsque ad sextam, armata, roseo, ferrea, manu dextera (sicut in præcedenti libello pœnitentiæ eius descriptum est) vsque ad copiosam sanguinis effusionem verberibus atrocissimis cum corpore suo ludebat, & inter verbera quinquaginta vicibus orationem Dominicam (officium videlicet Missæ, quod tamen soluere per hebdomadam non tenebatur) deuotissimè exoluebat. Cum vero dies ieiunij erat, à tertia vsque ad nonam, & in Quadragesima vsque ad horam vespertinam, id ipsum largius, & sedulius adimplebat. Et nunc, quia non corporalem eius afflictionem, quæ superius satis propalata est, sed modum orationis eius describendum suscepimus, congruenter asserere possumus, quod omnis Sancta eius conuersatio, in oculis Domini pro oratione reputata est.* Hæc vsque ad quotidianam refectionem, quam sumebat parcissime, totius pene cibi iam impatiens, ex assuetudine. Diei reliquum, quæ frequens occurrebant, aliorum necessitatibus audiendis, pro quibus Deum

oraret,

oraret, & animabus lucrandis, destinabat, sub noctem rursus rediturus ad Deum, rursus ad Verbum. Ita Vir Beatus in hac quiete ab oratione ad afflictionem corporis, & ad hanc rursus orationem rediens, nunc mactatus per verbera, nunc per contemplationem inflammatus, nunquam non se exhibebat hostiam Deo placentem; nisi cum tamen alienis miseriis materiam quæreret, pro qua rursus oraret, rursus affligeretur. Proximorum salutem adeo sitiens, vt suæ etiam nonnunquam ante ferre videri posset. Cæterum quæ ad alios spectant, inferius multa, quæ ipsius ad Deum, & è conuerso, quia multa suppetunt, neque vacat omnia, aliqua saltem, eaque illustriora, dicenda erunt. [c]

[c] *lib. 6. c. 6.*

4. *Cum esset aliquando orans Vir Dei, & vita præsens variis plena calamitatibus penitus cordi eius in fastidium verteretur, cœpit omnium exercitiorum obliuisci, cupiens ardenter choris cœlestium interesse Sanctorum, & iam, si fieri potuisset, facie, ad faciem Beata conditoris sui visione perfrui. Interea gratia Domini plenus eum interius illustrante, repente anima eius in supernæ pulchritudinis admiratione suspensa, tanto amoris igne succensa, tam vehementi stupore concussa est, vt statu suo funditus deiiceretur, & in altissimum quendam mentis excessum eleuaretur. Cumque tam copioso gratiæ cœlestis rore perfunderetur, apparuit ei Dominus Iesus Christus, qui eum intuens vultu serenissimo, dixit ei. Quid petis à me? Et quid vis, vt faciam tibi fili mi? Qui cognoscens eum esse Dominum Saluatorem, respondit dicens: Domine mi, tu nosti. Et Dominus ad Deum: sufficit ne tibi, inquit quod propter te dignanter carnem indui, propter te sustinui opprobria, spata, colaphos, flagella, spineam coronam, clauos: & vt maiorem sustinerem confussionem, in patibulo crucis nudus pependi; in qua mortem superans, à morte superari me permisi, reputatus cum sceleratis, & morti innocenter adiudicatus? sufficiunt ne ista tibi? Qui respondit: Nequaquam Domine mi. Cum hæc autem dixisset, non ideo vtiquam dixit, vt negaret passionem Domini, sibi, & vniuerso mundo sufficere ad redemptionem; sed demonstrabat, se corde ardentissimo anhelare ad Beatissimam Sanctæ Trinitatis visionem; sic inferens, & dicens: Tu scis Domine mi, quid desiderem. Tunc Dominus, luminaris gratiæ suæ radiis mirabiliter cor eius illustrans, respice, inquit, sursum, vt contempleris mirabilia, quæ tibi ostensurus sum. Quo statim sursum oculos attollente, aperti sunt ei cœli, & quantum hominibus adhuc in hac mortalitate consistentibus datur intueri, vidit omnes choros omnium Sanctorum Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, ac Monachorum; in super & choros Angelorum, quorum omnium Ordines, charitate inæstimabili fulgentes, lucide, & distincte intuebatur. Horum quidem omnium gloriam mirabatur, sed nullam requiem spiritui suo in omnibus his poterat inuenire.*

5. *Dominus autem iterum dixit ei: sufficiunt ne tibi hæc omnia, fili mi; an adhuc ad sublimiora festinare desideras? Cumque ille responderet, & diceret, nequaquam sibi sufficere. Dominus iterum dixit ei: Leua oculos tuos, & contemplare gloriosam genitricem meam, quam tibi ostendam. Qui statim oculos superius dirigens, vidit speculum totius curiæ cœlestis, singularem Reginam, nomine, & meritis Venerandam Mariam super choros Angelorum exaltatam: cuius decoris magnitudinem, cuius gloriæ plenitudinem, nullus omnino cogitatus, aut intellectus valet attingere. Cumque in consideratione gloriæ ipsius miro modo hærens, & attonitus redderetur, non tamen omnimodam requiem spiritui suo, in admirabili eius gloria inueniisse sibi videbatur. Rursus Dominus loquutus est ei dicens: sufficiunt ne tibi omnia, quæ vidisti, an adhuc multo sublimiora cupis intueri? Cumque ille in omnibus, quæ sibi ostensa fuerant, quæ desiderabat, minimè inueniisse, se diceret, Dominus cognoscens Sanctam eius obstinationem, & vehemens cordis eius desiderium, iterum dixit ei: Euola adhuc multo sublimis fili mi, & secundum mensuram, qua dignanter tibi metior gratiam meam, mirabilem Maiestatis meæ celsitudinem, & ineffabiles gloriæ meæ delicias contemplare. Tunc imperscrutabili Diuini luminis abysso immersus, quantum à Magistro vniuersorum edoctus est, vidit mirabiliter; mirabiliter, inquam, vidit, sicuti videre licuit, trinum in personis, & vnum in substantia: vidit inæstimabiles gloriæ eius thesauros; in quibus conuersari, quibus perfrui, & sociari, quæ omnia in æternum contemplari, & possidere vita æterna est. Ibi stabilem consolationem, ibi veram requiem, ibi gaudium sempiternum inuenit contemplator noster: & quod desiderauerat, assecutus est, vt merito dicere posset. Dilectus meus mihi, & ego illi. Et iterum: Iuueni, quem diligit anima mea, tenebo illum, nec dimittam. Et quid mirum si nouus iste scholaris, vir equidem simplex, & gratia instructus in schola Summæ Diuinitatis didicit, quod mundi huius sapientes per sapientiam suam inuenire non potuerunt? Vnde postea, cum quidam Magister Theologus proponeret ei quæstiones aliquas de Beata Trinitate, ille, qui erat vnus ex simplicibus, cum quo sermocinata fuerat Dei sapientia, libere, & absolutè eodem Magistro testimonium perhibente, propositas quæstiones enodauit.* Hactenus Gosuinus, qui consulto non dixit absolute, visum Arnulfo mysterium Trinitatis, sed cum addito illo, sicuti videre licuit; veluti recentiores coercituros, qui quamcumque visionem eximiam legunt, Diuinæ eam Essentiæ fuisse, aut leuiter credunt, aut audacter scribunt, nullo, aut exiguo plerumque fundamento.

6. Hic plane summus, & maximus fauorum, quos suscepit Arnolfus. Cæterùm specialem alium glorioſæ Virginis, quia & gaudiis eius congaudere fideles docet, & nobis noua, maioraque proponit, de quibus collætemur, quia statum eius concernunt, glorioſum, impassibilemque ex eodem auctore proferre libet. [d] *Cum in primis (ait) conuersionis eius annis cœpisset vir vitæ venerabilis, cælestibus insistere meditationibus, & cor suum ad Deum dirigere, cœpit & Beatæ Virginis Matris deuotus amator existere, piissimam attente venerari, & salutare frequenter omni laude dignissimam; vt quo plenius obtineret matris gratiam, eo facilius per Matrem consequeretur filij misericordiam. Studuit etiam sedula meditatione, reuoluere septem gaudia, quibus Virgo Beatissima, cum adhuc in hoc mundo teneretur, specialiter gauisa est. Primo igitur contemplabatur Arnolfus, gauisa est, quando Angelo salutante eam, cum dixisset:* Fiat mihi secundum Verbum tuum; *de spiritu Sancto concepit Verbum Dei. Secundo gauisa est in Verbis gratiæ, quibus obloquta est ei Elizabeth, cum salutasset illam Virgo Maria. Tertio gauisa est, quando*

[d] *lib. 2. c. 5.*

quando peperit sine dolore Saluatorem sæculorum, Virgo ante partum, & Virgo in partu, & Virgo post partum. Quarto gauisa est, cum videret tres Magos ab Orientis finibus, stella duce egressos, domum, in qua cum Ioseph morabatur, intrantes coram Iesu humiliter procidentes, & mysticas munerum species ei offerentes. Quinto gauisa est, cum eidem filio suo in die oblationis, ad templum videret lætabundum occurrere Simeonem iustum; amplecti inter vlnas desideratum, gratias agere, & congratulari nouo puero, quem pronunciabat esse lumen ad reuelationem gentium: cum etiam audiret Annam viduam confitentem Domino, & loquentem de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Hierusalem. Sexto gauisa est, cum vidisset eundem filium suum resurrexisse à mortuis, quem paulo ante multis lacessitum iniuriis, pendentem lachrymosa videret in patibulo crucis. Septimo gauisa est, quando quadragesimo post resurrectionem die, in nubibus eleuatum, & cœlorum alta cœlesti potentia penetrantem, fœlici oculorum intuitu, & ineffabili charitatis desiderio sequuta est. Hæc supradicta septem gaudia Vir Domini quotidie ad memoriam, ob venerationem gloriosæ Virginis reducere solebat, & in eorum dulci recordatione plurimum delectabatur.

7. *Volens autem Virgo Beatissima deuotionem famuli sui sublimioribus, ac fœlicioribus suis consummare gaudiis, apparuit ei die quadam in infirmitorio consistenti dicens. Quid, dilecte mi, quotidie tantum meditaris ea gaudia, quibus in hoc mundo sum fœliciter iocundata? Recole etiam & ea, quibus nunc, & semper incomparabiliter fruor in cœlestibus, docuitque eum, & dixit: Primo gaudeo pro eo, quod assumerer in cœlum, supra quam speraueram, vel cognoueram: imo supra quam dici, vel æstimari potest, maiorem mihi gloriam præparatam inueni, ita quod solius gloriæ meæ plenitudo præcedat omnimodam gloriam Sanctorum omnium, & Angelorum. Secundo gaudeo: pro eo, quod sicut dies à Sole, sic tota cœlestis Curia à mea Beatitudine, quasi illustrata iocundatur. Tertio gaudeo pro eo, quod omnes ipsius cœlestis Curiæ habitatores mihi obedientes, me tanquam Matrem Regis sui venerantur. Quarto gaudeo, pro eo, quod summæ Maiestatis, & meæ vna est voluntas: & in omnibus, quæcumque desidero meæ voluntati summa, & indiuidua Trinitatis benignissimo, ac paratissimo fauore consentit. Quinto gaudeo pro eo, quod secundum voluntatis meæ arbitrium mihi seruientibus in hoc sæculo, in futuro retribuitur. Sexto gaudeo: pro eo quod super choros Angelorum exaltata, speciali quadam prærogatiua proxima sum Sanctæ Trinitati, & iocundam omnium Sanctorum societatem obtineo. Septimo gaudeo: pro eo, quod omnino secura sum, quia gloria mea nunquam decrescet, nunquam deficiet. Cum hæc famulo suo dignanter referasset Virgo clementissima, Vale faciens ei, ab oculis eius euanuit. Ille autem Sanctis Dominæ, & consolatricis suæ roboratus admonitionibus, deinceps ad seruiendum ei deuotior est effectus.* Hactenus auctor vitæ Beati Viri.

8. Cæterum Virginis gloriosæ Visitationes, &, quoties rogabatur, intercessio, adeo illi frequentes, & familiares, vt non vereatur præcedentibus adiungere. *Præterea sciendum, quia frequenter fideli suo famulo Mater misericordiæ visibiliter apparuit, & se ei tanta benignitate familiarem exhibuit, & quotiens ille negotium aliquod haberet, totiens illa piissima Virgo ad filium suum deferret; donec tandem illi spectanti, &, vt ita dicam, ore cordis hianti, à filio suo gratiæ cœlestis buccellam panis cum affectu petitionum eius reportaret.* His, & similibus Diuinis consolationibus, & cœlestibus gaudiis effectum est, vt qui aliàs raro, aut nunquam, vel leniter ridere visus fuisset, tamen sub finem fœlicis suæ vitæ, neque raro, nec tenuiter in risum iubilationis erumperet, adeo, vt ex vehementia huius passionis (ait idem auctor,[e]) *in tantum concussus corporaliter fatigaretur, vt viscera eius sibi interius dissecari viderentur..... cum enim de Cantico amoris, & visione Beatæ Trinitatis, de gloria Sanctorum, de Cherubim, ac Seraphim, sine de similibus aliqua disseruisset, tunc anima illius virtute, & dulcedine verborum, velut adipe, & pinguedine repleta, conceptum interius cordis gaudium per risum exteriorem promere compellebatur, &c.* Et alibi *quoties autem ex plenitudine gaudij interioris, exterius in risum oris soluebatur, toties facies eius apparens ignea, tota conridere quodammodo, & gaudium promere vndequaque videbatur.* Demum hoc illi sæpius contigisse inter verba ipsa, adeo, vt ab eis cessare compelleretur, idem auctor ibidem testatum habet. Atque hæc quidem quæ in Arnulfo Deus: nunc quæ ipsum ad aliorum salutem operabatur, paucis quibusdam propositis, videamus.

[e] cap. 7.

Sanè pro animabus curandis spiritu polluisse 9.
Prophetiæ, quo defectus quoscumque internos, nosceret, & spirituales morbos, multa ostendunt [f]. *Fuit quidam Sacerdos sæcularis, qui moribus satis honestis, vitam quidem bonorum exterius æmulari videbatur, sed per omnia glorias hominum affectans, & carnalis illecebræ cœno se immergens; in oculis Dei vniuersa intuentis hypocrita reputabatur. Huic à muliere quadam religiosa cautum est, vt ad Fratrem Arnulfum pergeret, eiusque familiaritatem, qui religione celebris habebatur; & orationes pariter sibi acquireret. Fecit ille, quod mulier dixerat, vadens ad hominem Dei, & ab eo, qui benignus erat omnibus, benignè susceptus est. Cum igitur causa videndi eum, & etiam propter orationes eius se diceret aduenisse, Vir Dei respondit: vt quid simulatorios vitæ vestræ mores, quibus hactenus multos fefelliftis, quæritis palliare? Nihil mihi de misera conuersatione vestra potestis occultare. Tunc Vir Beatus ad nutum, & voluntatem dicti Sacerdotis, detestabilia eius opera, &, quæ dici nefas est, ab eodem perpetrata, totum nihilominus conscientiæ eius statum in malignis, & in puris cogitationibus expresè, ipso audiente, explanauit: & ad comprobandam eorum, quæ dixerat, veritatem, dedit illi signum dicens. Quando Magistrum Ioannem de Niuella, vel alium aliquem religiosum, & probum in Christo Virum habere potestis, vt miseram vitam vestram eis confitendo publicetis, hæc omnia, quæ hic vobis sigillatim exposui, reticetis, ne per horum publicationem apud eos opinio famæ vestræ denigretur: & auribus eorum aliqua leuia, vestram palliando mortem, insusurratis. Quibus auditis, cum accusante eum conscientia, subterfugium aliquod à facie Viri Dei non inueniret, tactus dolore cordis intrinsecus, & exterius in facie rubore perfusus, vera esse omnia, quæ seruus Christi protulerat, certissimè asseruit. Vir autem Domini confortans eum in Domino, suggessit ei, vt deinceps excessus suos omnimoda corrigeret cautela, & vitæ, in qua habitabat, se corporali subduceret præsentia.*

[f] lib. 2. c. 13.

Prodam

10. Prodam & aliud exemplum duorum iuuenum, non minus admirandum, & fortassis in eis fructuosius §. *Duo clerici, ætate adolescentes, venerunt ad hominem Dei, postulantes ab eo, vt diceret eis, si quid esset intra conscientiam eorum, quod reprehensione dignum iudicaretur. Sed hæc ille: Modo, inquit, nihil respondebo vobis. Ite ad proximam Villam loqui reclusæ, quæ ibi commoratur, vt cum regressi fueritis ad me, sciatis me vobis responsurum. Statim illi gratum habentes, quod dixerat, abierunt. Interim autem Vir Beatus orauit Dominum attentius, vt sibi aliqua de statu eorum reuelaret: & exauditus est. Eodem itaque die ad vesperam, cum reuersi fuissent; vnus eorum loquens ei seorsum, interrogauit eum, dicens: Bone Frater, quod est illud peccatum in me, vnde magis reprehensibilis iudicandus sum in oculis Domini? Qui respondit ei: Dico tibi, quia in præsenti hebdomada confitendo, euomuisti peccatum huiusmodi; vnde me interrogas: iis intersignis, quod huius peccati pœnitentiam nondum opere implere cœpisti. Quod cum audisset ille, videns, quia deprehensus esset, obstupuit, & in hoc verbo, veridicum esse Dei Virum asseruit.*

11. *Post hunc accessit alter, audire cupiens, & ipse, quale testimonium de se Vir mirabilis perhiberet. Erat autem nox. Et dixit ei homo Dei. Frater mi, quia beneplacitum est tibi, vt statum vitæ tuæ aliquo verborum modo exprimam, dico tibi secundo, quod tua conscientia nouit, quia tu aliquantulum exterius moribus honestis religionem simulas: sed cor tuum interius inquietum, & girouagum, vanis sæpè, & illecebrosis cogitationibus inquinatum. Quandoque enim religiosarum conuenticularum mulierum, tuam corporaliter exhibes præsentiam, non vt monitis earum caueas tibi à laqueis peccatorum, & vitam bonorum imiteris, sed vt gratioso gestu, quem in risu, & iocis eis exterius familiariter ostendis, vel aliquam earum ad peccatum allicias, vel saltem aspectu, & cogitatu detrimentum animæ tuæ patiaris. Scito igitur prænoscens, quia si foris in sæculo permanseris, factus quasi equus effrenis, in profundam peccatorum foueam præcipitaberis. Vade igitur, & confitere peccata tua, quia valdè tibi necessarium est. Quibus auditis, ille cum negare non posset ea, quæ à Viro Dei dicebantur, mente confusus est, & adhuc multo magis exterius verecundandus fuisset, pro eo, quod Vir Dei oculos suos in eum defixerat, nisi nobis caligo in hac parte ei obstaculum præfuisset. Confortans itaque eos Vir misericors, & ad vitam virorum bonorum æmulandam verbis salutaribus corroborans; dimisit eos in pace. Illi autem valefacientes ei, abierunt: & vt Monasticæ se deuouerent militiæ, ad Ordinem Cistercienſem ambo pariter se transtulerunt.* Hæc, & similia ad salutem animarum planè innumera.

At quæ ad salutem corporum, & temporalium remedium necessitatum, quamque in singulis, & consilia salutaria, & Prophetiæ domum, quo præ cæteris aliis longè polluit, absentia, occulta, futuraque cognoscens, æquè ac præsentia, & publica, salubriter miscuerit; seorsim nobis; neque vno tantum capite (adeo multa subsunt historia digna) sed breuiter ex more dicenda erunt. Ordiar autem ab illustri fœmina Blancha, Campaniæ Comitissa, cuius non semel supra mentionem fecimus, quæ in homine vtroque Cistercio debita, nec Cistercij Annales potest effugere, neque eosdem ingressa, quantumuis leuiter, non multum illustrate. 12.

---

1. *Occasio belli inter Erardum Principem, atque Blancham Comitissam.* 2. *Huius cautiones per Cistercium omnes adhibitæ:* 3. *sed frustra in principio.* 4. *Status rerum ex Honorij litteris notus.* 5. *Consultus, interpellatusque ad Deum Arnulfus,* 6. *atque ipsum orans.* 7. *Virginum Abbatiam fundari iubet.* 8. *Qua cæpta pacem prædicit subsequendam.* 9. *Prima Abbatissa pro sua fundatrice morti se offert.* 10. *Sanctitas eius, & cœnobij ipsius aliæ notitiæ.*

CAPVT SECVNDVM.

1. THEOBALDO cognomento magno (nam inde ordiar) Campaniæ illustri Comite, quem toties primo, atque secundo tomo, ex Bernardi amicitia, ex pietate, ex multis dotibus cum laude memorauimus, ad superos translato ad annum Christi M.CC.LI. Henricus primogenitus successit, cui ex Maria, Ludouici Iunioris Regis filia, duo filij superstites, vnus post alium vterque successere. Nempe Henricus, qui maior natu erat, ab anno M. C. LXXX. quo pater obiit, Theobaldus, qui fuit secundo genitus, ab anno M. C. XCII. quo Henricus Frater viduus sine liberis ex Ermurgardi, Namurcensis Comitis filia, in Syriam traiiciens, Campaniæ Comitatum Theobaldo cessit, vt Blancham, Sanctij Nauarræ Regis filiam, sibi legitimo toro copularet. Cæterum ipse dum in Syria demoraretur, Elizabetam duxit, Reginam Cypri, filiam Amalrici, ex qua duas etiam filias procreauit, Aleidem, Hugonis Lusignani sponsam, quæ in regno successit, atque Philippam Erardo Brienensi, cum per ætatem licuit, copulandam. Interim Theobaldus in Campania è viuis decedens, filium reliquit posthumum, Blanchæ parentis tutelæ commendatum: quem ipsa postmodum fœlici partu edens, ex patris nomine Theobaldum appellauit. Hinc inter filios Fratrum graues lites, atque intestina bella, inermes sexum, ætatemque innodarunt: Blancha pro puero, qui verus hæres erat ex cessione auunculi: sed pro Philippa (nam Aleidis successisse matri in regno ducebat satis) Erardo decertante, qui Fratris maioris natu filiam, filio Iunioris præferendam disputabat.

Timuerat hoc ipsum Blancha dudum, & qua licuerat cauere, procurauerat. Nam primo se, & filium tenellum adhuc sub protectione Ecclesiæ ab Innocentio suscipi, & ab Honorio confirmari fecerat: litteris datis Viterbij tertio Idus Nouembris, Pontificatus Honorij anno quarto, quæ de litteris Innocentij mentionem faciunt verbis sequentibus [a]. *Sanè dilectæ in* 2.

a *in Regest. Honor. ann. 4.*

Christo filiæ, nobilis mulieris, B. Comitissæ Campaniæ, & nati eius, precibus inclinati, ad exemplum fœlicis memoriæ Innocentij Papæ prædecessoris nostri, personas eorum cum omnibus bonis suis, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, &c. Deinde testamentum Viri, quo filium posthumum hæredem declarauit, ratum habere impetrauit ab eodem Honorio, per ipsius testamenti exequutores, ad quos hæc scripsit [b]. *Vestris precibus grato concurrentes assensu testamentum à claræ memoriæ Theobaldo, Campaniæ Comite, in vltima conditum voluntate, sicut prouidè noscitur esse factum, & in scripto authentico signato sigillo eiusdem Comitis continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, &c. Datum Laterani quinto Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.* Rursus, ne filius, dilata inquisitione, præ testium defectu, causa caderet, cum multi senes essent, & morti proximi, eosdem antea curauit examinari, litteris ad hoc etiam impetratis, quas per Cistercij Abbates exequendas superius dedimus. Porrò in his omnibus obiter notabo, nihil omnino factum sine Cistercio. Nam primæ litteræ ad Abbatem Longi Pontis, qui velut exequutor designabatur: secundæ ad Abbatem Eleemosynæ, qui vnus ex testamentariis Theobaldi fuit. Et tandem tertiæ ad Abbatem ....., quasi nihil sibi tutum reputaret, si non per aliquem Cistercienſem Abbatem, atque eius interuentu sibi contingeret. Sic & Erardi, post multam contumaciam, absolutionem per Claræ-Vallis, & Quinciaci Abbates Cistercienſem vtrumque, vt supra vidimus, & infra etiam videbimus.

b *vbi suprà lib.3.*

3. Principibus plerumque ius in armis. Neque Erardus, quod propria vi vsurpare (vt sibi videbatur) facilè poterat, alieno censuit iudicio permittendum. Hostiliter inuasit Campaniæ Arces, & tot, ac tanta mala terræ intulit, vt Blanchæ in ipsum (qua mulieri, & viduæ permittebatur) gladio corporali, spirituali Honorio; atque vtrique ne quidquam agendum foret. Quippe in matre, alias virili fœmina, spernebatur sexus, in filio ætas, & victoria ante oculos proposita Pontificis censuræ posthabebantur. Sed neque Blancha in arduis, quod peius erat, firmam suorum fidem experiebatur. Erardum anathemate percussum, nec semel tantum litteræ patefaciunt, quas mox subiungam, & cupiebat absolui ritu Catholico, ac pro impertienda sibi absolutione, ad Abbates Claræ-Vallis, & Quinciaci litteras impetrauit, sed effectu frustrandas ipsius culpa: quippe qui neque Ecclesiæ iudicio subdi, nec damna resarcire paratus erat. Hinc recusantibus iudicibus delegatis ipsum absoluere, nisi hæc priùs præstaret, ac super his scribentibus Honorio, tale ab eodem rescriptum susceperunt, quod in hunc locum remisi transcribendum [c].

c *vbi suprà lib.4.*

4. *Claræ-Vallensi, & Quinciacensi Abbatibus Cistercienſis Ordinis, Lingonenſis, & Cabilonenſis Diœcesis.*

In litteris vestris, nobis exhibitis, perspeximus contineri, quod vos super appellatione nobilis Viri Erardi, & Philippæ, vxoris eius, & coadiutorum suorum, interponentes iuxta mandatum Apostolicum partes vestras cum dilecta in Christo filia, nobili muliere Comitissa Campaniæ; illa absolutioni se opponens eidem asseruit, quod non debebant absolui, nisi iuxta formam Ecclesiæ consuetam, vos visis, auditis, ac plenius intellectis rationibus, & allegationibus hinc inde propositis: quia vobis constitit per litteras Apostolicas præfatum Erardum, & vxorem eius, esse pluribus excommunicationum, quibusdam propter contumaciam, tum propter manifestas offensas, sententiis innodatos, de prudentium Virorum consilio interloquuti fuistis, quod iam dicti Erardus, & Philippa, de parendo mandatis Ecclesiæ super contumacia iuratoriam debere præstare cautionem, ac satisfacere secundum possibilitatem suam de damnis, quæ ipsi Comitissæ, ac eius filio intulerunt; tunc demum eis absolutionis beneficium impensuri. Nos igitur interloquutoriam huiusmodi approbantes, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus secundum eam innariabiliter procedatis. Datis Reati V I I. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno quarto.

5. Has litteras inserendas putaui duplici titulo, tum quia ad nostros scriptas, tum quia totius negotij statum pandunt, quod soli Arnulfo absoluendum reseruabatur: quippe Erardo quotidie insolescente, neque acquiescente mandatis Pontificiis, nec Regis Galliæ, atque aliorum Principum precibus, nihil nisi arma, & clades, nihil nisi ferrum, & ignis, quibus omnia subessent, sperabatur. Ergo cum sanguis innocentium fusus, fundendúsque, atque ipsa Comitissa frustra clamarent, neque esset, qui exaudiret, Arnulfum pauperem solum elegit Deus (ne vel hoc saltem expers Cistercij foret) per quem cuncta componeret, & finem tantis malis fœlicem daret. Cæterum qualiter id tandem factum sit, obiterque constructum Monasterium Argensolienſe, siue Argenteæ Cellæ, quod signum pacis, velut Iris in cœlo fuit, ex Gosuino, qui eo viuebat tempore, in vita eiusdem Arnulfi præstat describere [d]. *Quomodo consilio eiusdem Beati Viri, quoddam Monasterium Sanctimonialium fuerit constructum paucis explicandum est. Cum Vir potens, & nobilis Dominus Eraldus Venerabilem Comitissam Campaniæ, Blancham nomine, per guerram violenter opprimeret, adeo, vt Castellis obsessis, terram ipsius, & filij sui, adhuc iunioris, & incendiis, & rapinis deuastaret, prætendebat, Comitatum totius Campaniæ sibi iure hæreditario competere, ex parte filiæ Henrici Campanienſis, Regis Hierusalem, quam in transmarinis partibus duxerat in vxorem. Vnde ipsi nobiles Campaniæ, tum propter ipsius militis consanguinitatem, tum propter vxoris eius affinitatem, quidam occultè, quidam apertè, Comitissam deferentes, illi adhærebant.*

d *lib.1.c.10.*

6. *Super his igitur mente nimis anxia matrona, nobilis genere, sed longè nobilior, honesta morum conuersatione, ferè omni humano tam auxilio restituta, quam consilio, illius suffragium toto corde cœpit implorare, qui suis in tribulatione positis nouit subuenire: se insuper Sanctis bonorum orationibus studuit commendare. Et accersiri faciens Monachum quendam de Ripatorio, familiarem sibi, Gerardum nomine, interrogauit eum dicens. Nosti dilecte mi, aliquem Virum Sanctum, qui orationibus suis in tribulatione mea mihi succurrere valeat? Scio Domina mea, ait ille, in Monasterio Villarienſi, quod est in Brabantia, Fratrem quendam laicum, Venerabilis conuersationis Virum, Arnulfum nomine, qui potens est, vt credo, vobis in hac necessitate, suis*

ad

ad Dominum precibus ſuffragari. Quibus auditis illa plurimum gauiſa eſt, & accepta licentia ab Abbate Ripatory pro negotio ſuo duxerit Fratrem Gerardum ad Virum Dei. Salutans eum ore Nuncij ſui. Cum autem ille peruenisſet ad dilectum ſuum Arnulfum, ſalutauit eum ex parte Comitiſſæ Campanienſis: deinde negotium, pro quo illuc aduenerat, ei intimauit. Dixitque ei: Me oportet chare Frater proficiſci Leodium; vos vero orationi inſiſtite, vt cum ad vos reuerſus fuero, audiam à vobis quid Dominæ Comitiſſæ, ſuper hoc renunciare debeam.

7. *Profectus eſt igitur ille: Vir autem Domini pro iniuncto negotio ſe totum orationi dedit: & dum inſtantius oraret, mirabilem vidit viſionem: gallinam ſcilicet candidam cum pullis eiuſdem coloris, qui eam tanquam matrem ſequebantur, & ſub alis eius fouebantur. Quo viſo, cum ignoraret, quid hoc eſſet? Petiit à Domino ſignificationem viſionis huius ſibi reuelari, & continuo cœlitus reuelatum eſt ei, Comitiſſam cœnobium Sanctimonialium conſtruere debere; quia intellexit per gallinam cum pullis ſignificari Abbatiſſam cum Monialibus ſuis. Poſt dies aliquos reuerſus eſt Frater Gerardus ad Virum Dei, vt de commiſſo ſibi negotio reſponſum ab eo acciperet. Vir autem Domini, ſecundum quod ei reuelatum fuerat, poſuit verbum in ore eius, dicens: Reuertimini, dilecte mi, in pace, ad Dominam Comitiſſam, quæ miſit vos, & reſalutantes eam ex nomine meo, ſuggerite ei ex parte mea, quia ſi Monaſterium Sanctimonialium Ordinis Ciſtercienſis fundare voluerit, ſtatim, vt voluntatem corde conceperit, omnis querela, quæ inter ipſam, & calumniatorem eius verſatur, interueniente concordia ſopietur. Quæ cum audiſſet Monachus lætus effectus eſt: & valefaciens chariſſimo ſuo Arnulfo, regreſſus eſt ad Venerabilem Comitiſſam, eiqus omnia, quæ à Viro Dei audierat, recitauit.*

8. *Quibus auditis, illa gauiſa eſt gaudio magno, & quæ nunquam voluntatem conſtruendi Monaſterium habuerat, ac ſi Diuinitus conſilium huiuſmodi accepiſſet, ſtatim eadem die cœpit tractare, qualiter, & vbi nouum poſſet fundare Monaſterium. Et vt impleretur ſermo, quem dixerat Vir Dei, non longè poſt, contumacia Viri potentis, qua aduerſus Comitiſſam fremebat; ad pacem, & concordiam reuocata eſt. Tandem itaque Monaſterio conſtructo cum officinis ſuis, cui nomen impoſitum eſt Argentea cella, nobilis matrona, aggregato illic tam de Epiſcopatu Leodienſi, quam de aliis locis, Virginum Conuentu, quæ regulariter ſecundum Ordinem Ciſtercienſem inſtituerentur; locum ipſum, vbi vſque hodie floret, & feruet religio, redditibus, & poſſeſſionibus, quibus abundabat, copioſè ditando ampliauit.* Hactenus Goſuinus, quibus clarè videas, quot, quantaque gratiarum dona acceperit: oppreſſos populos à timore imminentis belli, ab incuria pupillum, viduamque, à proditione eorumdem ſubditos liberat: furentem Principem, & ab ipſa potentia velut præcipitatum, in medio curſu detinet; inter proſpera euentuum ſuperbientem ad modeſtiam componit; compoſitum Eccleſiæ, & Deo reſtituit, meritum Blanchæ nouæ fundationis, Virginibus in terra ſedes parat, Virgines cœlo. Atque hæc omnia Prophetiæ ſpiritu pollens, æquè à meritis, non ſolum impetrat cunctis, ſed prædicit.

Porrò, quantum Comitiſſæ Blanchæ profuefuerit Monaſterij fundatio, qualiterque non ſolum pacem illi, ſed & vitam debuerit, prima ipſius Abbatiſſa, fœmina Sancta, pro ſua ſe fundatrice vltro offerente, cum mortem illi videret imminere, Thomas Cantipratanus coæuus auctor, certè, cui iam tunc natus, memoriæ prodidit [e]. *Sed & in Campania* (inquit) *Galliarum Prouincia, in Monaſterio Ciſtercienſis Ordinis, quod Argenſoles dicitur, Abbatiſſam vidimus, quæ ſine vlla littera artis grammaticæ, non ſolum libros Theologiæ; verum etiam libros Auguſtini de Trinitate pleniſſime intelligebat, & difficillimas quæſtiones eorum, lucidiſſimis ſolutionibus exponebat. Et hoc quidem, ſicut Venerabilis Robertus, Abbas Vallcellenſis, mihi retulit, & probauit, impetrauerat à Domino annis plurimis ante mortem. Hæc eadem, cum videret quodam tempore cernici Comitiſſæ Campaniæ, Dominæ Blanchæ, quæ Monaſterium dictum fundauerat, cum gladio Angelum imminere; cum lachrymis Domino ſupplicauit, vt Comitiſſæ parceret, & correctionis inducias daret. Cui Dominus: diffinitiua, inquit, ſententia lata eſt, eam mori oportere, vel te morituram ictum gladij, ferientis excipere. Et illa: Fœlix, inquit, mors, qua Comitiſſa ſententiam damnationis euadat. Et ego cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, ab incolatu miſere carnis abſoluar. Nec mora, poſthæc verba decumbens, ad potiora tranſiuit. Et quid in hoc facto, niſi illud Chriſti maioris charitatis exemplum.* Hactenus ibi. 9.

e *lib. 2. de apibus.*

Cæterum de eadem Abbatiſſa non multo ante hæc habet idem auctor [f], *Vnde etiam accidit, ſicut per illas, quæ verè nouerunt, audiui. Eadem, de qua inferius faciemus mentionem, Venerabilis, ſcilicet Abbatiſſa de Argenſoles, cum Damon nequam omnes in Conuentu Moniales, ſomno fallaciæ deluſiſſet, & nulla earum, ad Matinarum officium euigilaſſet, illa Dæmonem cachinnis irridentem omnibus, vidit; & fuſa prece ad Dominum, eum viſibilem multis oſtendit. Iniunxitque ſingulis in Conuentu pro negligentia pœnam; & de cætero contra aſtutias Diaboli, qui impedire Diuinum Officium ſemper nititur, cunctas reddidit cautiores.* Decuit, auctore Arnulfo, fundatam domum, non niſi ſub auſpiciis Sanctæ Abbatiſſæ, ſuæ obſeruantiæ primordia conſecraſſe. Ab Hugone Menardo, Henriquez video inter Sanctos Ciſtercij commemorari: ab altero in ſecunda appendice Martyrologij, ab altero ad ſeptimum diem menſis Maij. Verum quod addit Henriquez eodem loco, Euſroſinam vocatam, quamuis ex nobis referat, non ſatis audeo, vt verum affirmare. Meminit & Argenteæ Cellæ, ſiue Argenſolij Monaſterij in Campania Robertus Claudius [g], & alij, quos non vacat memorare. 10.

f *lib. eodem cap. 40.*

g *In ſua Gallia Chriſtiana.*

1. *Arnulfus consultandus ab Ægidio, nobili Principe,* 2. *eius consultationem mirè præuenit.* 3. *Vallem Rosarum cœnobium fundare iubet,* 4. *quod & ab eo dotatur,* 5. *sacratis filiabus per vota solemnia.* 6. *Animaduersum de ipsa fundatione.* 7. *Dictum de Beata Ida Lobanensi Sanctimoniali ibidem.* 8. *Et de Capitibus vndecim millium Virginum.* 9. *Quid Arnulfus cum Monacho?* 10. *quid cum Nouitio?* 11. *Quid cum Aleida muliere religiosa?* 12. *Demum quid cum inclusa.* 13. *Parisiensi.*

CAPVT TERTIVM.

1. ARGENTEÆ Cellæ, siue de Argensolio, Vallem Rosarum iungo, illustre aliud cœnobium, neque ex incolis primis minus celebre, quod idemmet Arnulfus construi fecit, cum nutaret fundator, nec sine ostenso Prophetiæ dono, cuius nullum non genus Virum Dei illustrasse commemoratur. Futura prædicere, aut præsentia occulta noscere, vtrumque Propheticum: & Arnulfus in prima fundatione illud exercuit, hoc in secundo. Neque in hac requisitus, consultusve: ipse se vltro obtulit, & quod per spiritum ante cognouisset, ore propalans, nutantem in proposito concepto, seu magis desistentem à proposito reuocauit, & impulit, ne manum semel ad aratrum missam retraheret, quin quod conceperat ocyus exequeretur; gratum Deo, & Virgini, quod ipse asseuerare non dubitabat. Verum de Vallis Rosarum fundatione, & Arnulfo pro ipsa, eundem Gosuinum præstat producere [a].

a *lib. 2. c. 20.*

2. *Miles quidam pluribus abundans redditibus, & diuitiis cogitauit nouum de rebus suis fundare Monasterium fœminarum, quæ secundum Ordinem Cistercienſem disciplina regulari reformarentur. Super quo cum sæpius mente tractasset, vbi, & qualiter cogitationem suam opere implere posset, cœpit repentè ex obliquo. Dissuasione quorumdam, propositum cordis eius impedire, quasi quædam dubietas, ne bonum, quod corde conceperat, perduceret ad effectum. Cumque in hunc modum res in pendulo esset, nemini quicquam, inde loquutus venit ad Monasterium Villariense, consilium super hac re à Domino Abbate Guillelmo quæsiturus. Cui dum loquutus fuisset, perrexit ad Grangiam, vt Viro Dei (scilicet Arnulfo) loqueretur, & ipsum etiam super hac re consuleret. Quem cum Vir Dei benignè suscepisset & nunquam alter alterum vidisset, statim conuersus ad eum idem Vir Dei: Vos, inquit, estis Dominus Ægidius Bertholdus, qui de ædificatione noui Monasterij consulere veniſtis. Quare opus dignum benedictione cœlesti, opus planè laudabile, & prædicandum memoria nihili penditis? Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius: & Monasterium Sanctimonialium, quemadmodum interius in corde vestro, primitus voluntate concepistis, ita exterius opere impleatis. Dico enim vobis gratum esse Beatissimæ Virgini Matri, & voluntatem eius esse, vt Monasterium nouum, sicut proposuistis, construi faciatis.* Hæc ad Ægidium, in spiritu Prophetico Venerandus Arnulfus.

3. At qualiter, loquente ipso exterius, intus Deus tetigerit cor hominis, atque in proposito Sancto confirmauerit, opere extunc non vltra differendo, pergit auctor scribere in hunc modum [b].

b *ibidem.*

Audiens miles, & in cogitatione sua à Viro Dei deprehensum se esse attendens, vehementer obstupuit, nihil animo habens, quid ei è contra responderet. Tandem ab ipso plurimum confortatus in Christo, ad propria regressus est. Et ne fortè hi, quibus hoc scire daretur illuderent ei dicentes, quia hic miles proposuit in corde suo Monasterium ædificare, sed exterius opere noluit consummare: gratia cœlesti cor eius roborante, nouum fundauit Monasterium Ordinis Cistercienſis, cui Vallis Rosarum nomen est, vbi aggregari fecit de alio Monasterio Sanctimoniales, quæ debitum diebus, ac noctibus Domino exhiberent famulatum. Hactenus Gosuinus. Qui tamen forsan, quia tunc adhuc viuebant, nec prodit filias Ægidij fundatoris in eodem cœnobio Sanctimoniales (adeo non sterilis Arnulfi sermo fuit) nec de Beata Ida Louanienſi, insigni Virgine, quæ hæc cœnobij primordia consecrauit, quidquam commemorant: de quibus tamen, sed præcipuè de hac vltima, & multa, & illustria haud dubiè potuisset scribere.

4. Confirmatus Ægidius in proposito locum primum quæsiuit, inuenitque,; dein constructa tumultuariè domo, Moniales adduxit (incertum adhuc vnde) inter quas filias proprias consecrauit; demum intra triennium fundato loco, & iam per Moniales inhabitato, ex earumdem filiarum patrimonio, dotem constituit, quam etiam instrumento confirmauit. Et quidem quod ad locum cœnobij attinet, hodie ob tumultus bellicos deserti & Mechliniam translati, hæc Aubertus Miræus, quamuis annum nonnihil postponat, quod supra etiam à nobis notatum manet [c]. *Vallis Rosarum Abbatia Monialium, in Brabantia ad Netam fluuium, haud procul à Duffelia, circa annum M. CC. XXV. ædificatur, ab Ægidio Bertantio, ex Baronibus Grimberganis oriundo, vt Gosuinus Bossutus refert in vita Beati Arnulfi Cornibentij, &c.* Hæc de loco fundato Monasterij. Cæterum de filiabus fundatoris in ipso consecratis, & constituta dote pro Monialibus, extat, & legitur instrumentum dotationis, quod idem auctor vulgauit, in suis Ecclesiarum Belgij notitiis, quod ita habet [d].

c *In Chron. Cisterc.*

d *cap. 199.*

5. *In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Ægidius Bertaut, Vir nobilis, omnibus Christi fidelibus in perpetuum.*

Notum esse volumus, tam futuris, quam præsentibus, quod nos intuitu miserationis Diuinæ, & pro animarum prædecessorum nostrorum salute, decimas de Berlaëre, & de Ghele, Conuentui Monialium Cistercienſis Ordinis de Clauſtro, iuxta VVallem in honore Dei genitricis Mariæ constructo, in quo etiam filias nostras locauimus, cum omnibus attinentiis suis perpetuo possidendas, in Eleemosynam contulimus; & coram ipso Conuentu, multisque aliis, tam nobilibus, quam ministerialibus, in altari Beatæ Mariæ reportauimus, his, omnibus nostris hæredibus assensum præbentibus. Et vt hæc

pia

pia donatio firma permaneat, scriptum præsens nostro sigillo munire curauimus. Huius rei testes sunt VValterus Bertaut, & Henricus Frater eius, Eustachius Camerarius de Flandria, & Gerardus Frater eius, aliique quamplurimi. Actum anno gratiæ M. CC. XXVII. Hactenus instrumentum dotationis.

6. Subdit Miræus notans ad has litteras. *Ex illis colligi videtur, Ægidium Bertholdum Monasterij Vallis Rosarum, non tam fundatorem, quam dotatorem primarium fuisse. Quis autem illud, & quo anno primum fundauerit, ex illius loci Archiuis, hactenus erui non potuit. Hoc constat, quartam Ordine ibi Abbatissam fuisse Sophiam Bertaut, Florentij Bertholdi, Toparchæ Duffellensis filiam, & ab anno M. CC. XCIV. vsque ad annum M. CCC. XXVIII. præfuisse, atque ab eodem Fratre suo VVastinam, seu Miricam Monasterio vicinam, & Villam Stacydeke, Duffeliæ sitam, emisse. Cæterum ob tumultus bellicos hodie Moniales in Vrbe Mechlimensi agunt: & inter alia adseruant diploma confirmationis, quod Innocentius IV. Papa, anno Christi M. CC. XLIV. Pontificatus sui primo scripsit.* Ita Miræus. Verum, quod ait, ad domus fundationem; cum legerit Gosuinum, quem in suo illo Cistercienſi Chronico plures ante annos edito, citauerat, immerito dubitat, cum constet eam ab eodem Ægidio factam, Arnulfi, seu consilio, seu præcepto, vt ex eodem auctore latè vidimus. Omisit sanè, fundatorem se appellare in instrumento dotis, quia fœlici illo sæculo in hac parte, non ad superbiam, sed ad religionem construebantur cœnobia; neque vt hominibus factum celebraretur, sed vt Deo placeret, quem nullis indigere scriptis non dubitabant. Et nisi, vt firma Monialibus staret; indiguisset scripto, nec dos haud dubiè per illud propalata: & forsan ad notitiam nostram non peruenisset.

7. Facit etiam ad gloriam Beati Arnulfi, quod inter primas Virgines, quæ Vallis Rosarum cœnobium consecrarunt, Beata Ida Louanienſis fuit, insignis planè Virgo; nec constat adhuc, an aliunde adducta, an ibi primum induerit Cistercium? quamuis hoc vltimum magis adoptetur ipsius actis, quæ nullam faciunt memoriam mutationis cœnobij, nec credendum omissam, si præcessisset. Illud compertum, quod in ipsius vita scriptum est, migrasse circa annum M. CC. cum veritate nequaquam stare posse: quippe nondum fundato Monasterio, in quo floruisse constat, & in quo sacrum eius corpus hodie colitur. Quin, neque quod in eadem vita dicitur, Virginem Sanctam habuisse familiares Fratres Prædicatores, siue Dominicanos, cum illo anno vllo pacto valet componi, nempe nondum exorta illa familia ante annum M. CC. XVI. quare non dubito irrepsisse per errorem mendum in numero. Crediderim non longè ab his initiis ad probationem intrasse cum filiabus Ægidij fundatoris, aut paulò post, noui cœnobij primordia consecraturam; quare & nobis sub eis veniat memoranda. Integro tamen cuicumque suo iure, si tempus certius nouerit, hæc eadem ad ipsum transferenda. Certè, quod neque fuerit ex primis, quæ conuentum ibidem effecerunt, ex eiusdem vitæ contextu colligi videtur.

8. Cæterum, præter corpus Beatæ Idæ, de qua inferius, illustrant Vallis Rosarum Monasterium (nam & hoc obiter libet adnotare) duodecim capita, ex sociabus Sanctæ Vrsulæ, cuiusdam Comitissæ Flandrensis dono accepta, cum Moniales alia duo dederint, liberali, an profusa donatione? certè non imitanda, ne Thesauris præcipuis Ecclesiarum ad sæculares translatis, & Sanctis ipsis desit publicus cultus, solemniorque, & Ecclesiis Sanctorum patrocinium; quos vt non pulsos, abire tamen permissos, imo donatos, promptiores habent, & deuinctiores, qui petunt, & accipiunt, quam qui dimittunt. De his capitibus hæc habet scriptor recens [c]. *Vallis Rosarum duodecim Virgines. Harum quoque Virginum* (scilicet sociarum Beatæ Vrsulæ) *capita sibi vendicant. Habebant antea quatuordecim, Comitissæ Flandriæ dono sibi oblata; sed ex illis duo Domino Bockorne, Brabantiæ consiliario, instanter petenti, liberali munere concesserunt.* Hæc obiter de Monasterio Vallis Rosarum, occasione Arnulfi, ne eadem repetenda iterum forent: nunc ad eundem Arnulfum, atque eius merita; & quæ plurima patrabat, per hoc tempus illustria miracula, sed penè omnia Prophetiæ dono admixta, paucis productis exemplis, redeamus.

[c] *Rayse Octobris 22.*

9. Habuit sanè commune cum multis Sanctis mederi corporibus: habuit mederi & animis: id tamen illi speciale præ aliis fuit, vt vix quid impetraret per orationem, cuius non circunstantias ante præsciret, & prædiceret euenturas, antequam forent. *Monachus quidam*, ait [f], *auctor vitæ eius, Cistercienſis religionis amator, & omnium bonorum amicus fidelis, quondam in Monasterio Villarienſi hospes habitauit. Hic, accidente casu, in grauem incidit infirmitatem, quæ ruptura vocatur; & tali incommoditati plurimum arctabatur, propter quod diebus multis illum in infirmitorio teneri vidimus; & cum ignoraret, qualem huic infirmitati medicinam adhibere posset, tandem orationes Fratris Arnulfi expetiit, apud quem magnam in Christo obtinuerat familiaritatem. Tunc ille, qui proximorum suorum necessitatibus ex animo occurrebat, pro dilecto sibi Monacho, Dominum attentius orauit, & exauditus est. Nam diem, & horam, qua curari deberet illi prædixit: & ita secundum Verbum Viri Dei curatus est. Postmodum autem idem Monachus sæpe rogauit eum, quatenus sibi mitteret Deum, sicut consuetudinis est quibusdam dicere, cum orationes aliorum expetunt, dicentes: mitte mihi Deum. Vir autem Domini, sicut liberalis, & benevolus erat omnibus, interrogauit eum, qua die vellet in hac re sibi suffragari? Tunc ille, in festiuitate, inquit, Beatæ Virginis Luciæ. Qui statim quod ab eo petebatur, fieri se facere promisit. Postmodum autem, cum in festiuitate supradictæ Virginis idem Monachus equitaret cum altero Monacho, quondam Abbate, visitante eum interius gratia Dei, ruptæ sunt cataractæ capitis eius: & ab oculis ipsius tanta lachrymarum erupit inundatio, quod impetum earum, etsi voluisset retinere, non potuisset. Cum autem retrocederet, & dulcem pictantiam, quam Dominus ei miserat, cum quadam auiditate spirituali gustaret, Monachus, qui præcedebat, reuocauit eum nomine suo, monens eum, vt quantocyus properaret. Ille vero surda, vt dici solet, aure, vocem loquentis audiebat. Sed cum post horam fluminis illius impetus, qui animam eius lætificauerat, pertransiisset, subsequutus est præcedentem; à quo interrogatus, quare moram fecisset? ille rem, vt erat manifestans; Frater, inquit. Arnulfus promisit mihi, quod in hac die gratiam Domini essem habiturus: quod*

[f] *lib. 2. c. 9.*

&

& factum est. Simili modo quibusdam Monialibus Roberti Montis die determinato gratiam Domini prædixit affuturam, & quemadmodum prædixerat, ita accidisse certa relatione cognouimus. Hæc Gosuinus per totum illud caput.

10. His non pauca similia, si vacaret, liceret adiungere; tamen vt omnia referre superfluum, sic nulla alia, defectuosum foret. *Fuit Nouitius quidam*, ait idem auctor g, *in Monasterio Villariensi, qui infra annum probationis, in camino tribulationis positus, dicere poterat cum Psalmista:* Tribulationem, & dolorem inueni: *duabus siquidem, & importabilibus corporis infirmitatibus plurimum affligebatur; quarum altera erat dolor capitis ferè continuus, vt silentij vix posset tenere censuram; & vsque ad horam vescendi ieiunium sustinere. Altera vero infirmitas turpis, & inhonesta erat, cuius qualitatem, causa honestatis, non publicandam, sed palliandam iudicamus. Cumque ille sub dolore gemino concideretur, vt ita dicam volueret se super vulnus, & de recuperanda salute desperaret, quia nullum inueniebat remedium, quod infirmitatibus suis adhiberet. Tandem accepta licentia famulo Christi suam secretius incommoditatem intimauit. Cuius angustiis vir multæ pietatis medullitus compatiens, & orans pro eo: responsum huiusmodi reddidit ei, dicens: Vade in pace, & confortare in Domino; duplici enim infirmitate, qua te hactenus obsessum conquestus est, ab hac die, & in reliquum, scias, te nunquam angustiari. Conualuit igitur prædictus Nouitius ab infirmitatibus suis, repentinam, & inopinatam reportans sospitatem, & gratias referens Omnipotenti Domino, & famulo eius, anniuersarium suæ professionis diem cum gaudio expectauit. Simili modo, cum Monachus quidam eiusdem Monasterij grauissima tentatione vrgeretur, accessit ad hominem Dei, tentationem, qua molestabatur, ei ostensurus, & orationum eius opem petiturus: & accepit ab eo responsum, se in proximo penitus liberandum. Eodem igitur die orante Beato Viro, & tanquam altero Moyse leuante manus in altum, fugatus est ille spiritualis Amalecho, qui nostrum Ismaëlitam impugnabat, ita vt pax illi stabilis redderetur: nec vltra hostili, quam vsque ad diem illum perpessus fuerat, tentatione fatigaretur.*

g *lib.2.c.14.*

11. Simile quid prædictis adhuc addam, vt non solum duobus, sed tribus testibus Arnulfi maneat potentia comprobata, sapientiaque; nam vtramque ostendebat Diuino more h. *Mulier quædam Aleidis dicta, degens iuxta Grangiam domus Villariensis, quæ Noua curia dicitur, filiam habebat, Clementiam nomine, quam malignus spiritus, nocturnis maximè horis infestans, ei somnum, & corpoream omnino requiem adimebat. Videbatur etenim illi, quod quasi catus sub vestibus suis carni suæ irrepens, & sursum vsque ad guttur ascendens ipsam vnguibus laniaret, & ore mordens suffocaret. Mater autem agrè ferens, miserabilem filiæ suæ afflictionem, assumpsit eandem secum, & ad supradictam Grangiam profecta est, pro eo quod illuc hominem Dei aduentasse cognouerat; & faciens eum accersiri ad portam, pariterque Magistrum Grangiæ, Gumbertum nomine, ab ore cuius rei euentum huius agnouimus, recitauit coram eis filiæ suæ incommoditatem, obnixè deprecans seruum Domini, vt filiæ suæ meritis, & orationibus suis succurrere dignaretur. Statim Vir Beatus aduocans seorsum Fratrem Gumbertum, insusurrauit auri eius omnia, quæ puellæ agenda erant ad curationem adipiscendam; mandans illi per eundem, vt in omni puritate cordis confiteretur peccata sua: & religiosis personis familiarem exhibendo, vitam, moresque suos absque macula in bona simplicitate custodiret, donec die Purificationis Beatæ Virginis Mariæ, in Missæ celebratione Eucharistiam de manu Sacerdotis, in spe salutis suæ acciperet. Et subintulit asserens, quia post viuifici sumptionem Sacramenti, nullam deinceps infestationem Diaboli sentiret. Erat autem circa festiuitatem Epiphaniæ Domini, quando hæc gesta, & dicta sunt. Nunciauit igitur Frater Gumbertus puellæ vniuersa per ordinem, quæ ab ore Viri Dei audierat; quæ cum audisset, illa lætata est valde, & anima, quæ mandato acceperat, opere compleuit, expectans promissum cum lætitia & exultatione cordis sui. Et, cum illuxisset dies festiuus Purificationis Benedictæ Matris Domini, accessit ad Ecclesiam, vt sacris Missæ solemniis interesset. Cumque lecto Euangelio, & oblatis ex more candelis, Sacerdos ad Canonem percurrisset, dictoque,* Agnus Dei: *& accepta pace, illa corpus Dominicum, de manu eiusdem Sacerdotis accepisset: confortata in Domino secundum fidem suam, à die illa, & in reliquum, perfectè à ludibrio Dæmonis liberata est. Mater autem eius reuersa ad Fratrem Gumbertum, lætabunda, & laudans dixit eis Chare Magister, reddite gratiarum actiones Deo omnipotenti, & fideli seruo eius, qui meritis, & orationibus suis, filiæ meæ curationem integram cœlitus impetrauit.* Hactenus Gosuinus, qui plura alia narrat inter vicinos facta, atque ab eis decantata celebri fama.

h *lib.2.c.19.*

12. Verum cum ea nimium excrebrescerent, remotis etiam Prouinciis Arnulfum notum, atque ab earum incolis quæsitum, produxere per orbem; impetrationem, Prophetias, miracula vsque ad exteros, longè diffusurum. Quid contigerit Blanchæ Comitissæ, capite præcedenti; in huius calce, quid inclusæ cuidam, Parisiis commoranti, proferamus i. *Quædam mulier religiosa, Magistra Hospitalis, quod est secus maiorem Ecclesiam Beatæ Mariæ Parisius, Theophania nomine, audita fama mirabilis conuersationis Viri Dei, desiderauit videre faciem eius, & optatum ipsius ad ipsum colloquium; sed obstante longo terrarum interuallo, frustrata est in hac parte cordis sui desiderio. Et quia oculo ad oculum videre Virum Sanctum, simulque ore ad os ei loqui non potuit, accersiuit quendam clericum, natione Brabantium, illic studentem, quem Vicarium suum constituens, transmisit eum ad supradictum Christi famulum, gratiosè salutans eum ore ipsius, & mandans ei, quatenus copiosum gratiæ cœlestis munus, sibi à Domino impertiri flagitaret. Quæ cum ab ore Nuncij audisset, Vir magnificus, gratum habens, quod ei deuota, & fidelis matrona mandauerat: illo suo gratioso, quoad omnes vti consueuerat, alacritatis modo, præ gaudio risisse, & responsum huiusmodi nuncio reddidisse perhibetur. Regredere, amice mi, ad Religiosam Dominam, quæ misit te ad me, & primitus ei à corde, & ab ore meo rporta salutis æternæ plenitudinem; deinde subinferens, annuncia ei ex me, quia die illa, die, inquam, illa, quam ei designo, tantam cœlitus à Domino consequetur gratiæ affluentiam, quantam in omni vita sua, nec habuit, nec habitura est. Tunc Vir Domini designauit illi diem, in qua id fieri deberet. Et adiecit dicens; quia nisi obstaculo negligentiæ suæ obstructus fuerit, aquæductus, per quem*

i *lib.2.c.16.*

quem riuulus gratiæ debet influere in cor eius, nullo modo poterit frustrari mensura gratiæ, qua vsque ad super affluentem cumulum, replendum eius spiritum, prænunciauit.

13. *His auditis clericus reuersus est Parisios, & ex ore Viri Dei salutans mulierem deuotam: ei omnia, quæ ab illo audierat, per Ordinem recitauit. Lætata est illa in his, quæ dicta sunt ei, & permissam sibi ad cumulum gratiæ supernæ benedictionem, cum ingenti desiderio, & absque hæsitatione præstolata est. Post paululum igitur illuxit dies ille festiuus, dies lætitiæ cordis eius, & factum est, orante ea, die illa, subito, & inopinate irruit in eam spiritus Domini, spiritus vehemens, & fortis cuius potenti virtute concussa sunt omnia viscera eius, & sicut fluit cera à facie ignis, sic tota liquefacta est anima eius, & transfusa in amplexus dilecti sui, ita vt cum interius mellifluo Diuinæ dulcedinis sapore pasceretur se, quodammodo, quasi in quoddam Paradisum deliciarum translatam fuisse miraretur. Cum autem post ebrietatis suæ alienationem ad se reuersa fuisset, cœpit lætabunda, & laudans, velut altera Regina Saba in laudem nostri Salomonis erumpere dicens: verus est sermo, quem audiui in terra ista super virtutibus Viri Sancti, & non credebam narrantibus mihi, donec ego experta vim meritorum eius occulta fide vidi iam, & probaui. Quod media pars admirabilis vitæ, virtutumque eius mihi nunciata non fuerit. Maior est enim eius Sancta Religio, quam rumor, quem audiui. Tandem igitur ancilla Christi, tam per clericum illum, quem prædiximus, quàm per alios multos, salutans, & resalutans in Domino Virum Domini, gratias ei rependit, de orationum ipsius suffragio annuncians omnibus, & commendans merita, & virtutes eius; laudans nihilominus, & magnificans Dominum Saluatorem, qui eum tam copiosè ditauit gratiæ priuilegio. Si quis fortè ambigat vtrum ea, quæ præmissa sunt, vera fuerint, an non? vel absens mandet, vel præsens interroget Venerabilem fœminam, quæ vsque ad diem hanc, in Vrbe Parisiensi superstes est, & ab illa poterit rei gestæ cognoscere veritatem.* Hæc satis nunc de Arnulfo Cornibontio: nam cætera inferiùs referemus.

---

1. *Inter Catholicos & hæreticos Albigenses resumptum bellum*, 2. *euentu vtrimque vario.* 3. *Amalricus Ludouico Regi Prouincias cedit:* 4. *quod Philippus, dum vixit recusauerat.* 5. *Repressi hæretici, cum multa vltro offerrent.* 6. *Arnoldo Narbonensi examinanda,* 7. *congregato Concilio remittuntur.* 8. *In Prussia Martyres Oliuenses clarent.* 9. *Dictum de terræ situ, & positione.*

CAPVT QVARTVM.

1. INTER hæc induciarum transacto tempore, quas Raymundus Tolosanus Comes, & Amalricus interuentu Conradi pepigissent, arma vtrimque resumpta, atque vtrimque pugnatum fortuna varia, & quæ dum neutri parti victoriam donat, vtramque primum gemere, mox succumbere fecit sub belli mole. Sarcinam humeris excutere curauerat longè ante Amalricus, & Ludouico imponere, quem parem oneri, & supra, non dubitabat. Verum Philippus temporali saluti filij prouidens, vt ipse asseueraverat, impediuit, dum vixit. Quin, & præsagiuit post mortem suam futurum, vt, ipso acceptante, bellum in eius caput conuerteretur. Sed de hac prædictione Philippi statim; nunc reassumptum bellum prosequamur. Primi Comites, Tolosanus, Fuxensisque, aggressi Catholicos, Carcassonam obsedisse memorantur conatu irrito. *Transactis treguis* (ait Guillelmus de Podio [a]) *ad guerram redierunt, & Tolosanus, & Fuxensis obsederunt Carcassonam, & cum diu ciuitatem tenuissent obsessam, casso labore, tædioque affecti ab obsidione recesserunt.* Hactenus ille. Et certè fauorabilis Catholicis sub his belli initiis fortuna fuit.

a *cap.34.*

2. At breui se aduersam eis ostendit, duplici incommodo; altero orto ex ipsis terræ incolis, qui amore libertatis, seu charitate in suos antiquos Dominos, à Comite Amalrico deficientes ad hostes transibant: altero vel ab ipsis cruce signatis, qui expleto tempore peregrinationis, quod quadraginta dies excedebat, quominus statim ad sua loca redirent, nullis precibus valebant retineri: nec suppetebant ad stipendia sumptus, vnde alios conducere, aut eosdem sustentare possent, si remanerent. Vtrumque incommodum, idem qui supra auctor recensuit breuiter [b]. *Terra autem,* ait, *reuertebatur ad eos,* b *ibidem.* *scilicet ad Comites Fuxensem, & Tolosanum, nec Amalricus eam defendere poterat, nec sufficientia stipendia ei erant, quibus posset milites retinere.* Ita fortunam aduersam Amalricus: sed nec Raymundus propitiam experiebatur. *Militibus Gallicis* (pergit idem auctor [c]) *qui ab Amalrico* c *cap.34.* *recesserant, circiter 60. Tolosanus it obuiam, ipsi in hostes se conuertunt, & vertentes in fugam viriliter insequuntur.*

3. Ita se res habebant apud vtrosque. *Cum Comes Amalricus* (eiusdem Guillelmi de Podio verba transcribo [d].) *Videns incolarum terræ inconstantiam, & quod de die in diem in contrarium abirent,* d *cap.34.* *terram illustri Regi Franciæ Ludouico resignauit, & in iure suo fecit totaliter successorem.* Et paulò inferiùs. *Missus est enim legatus Romanus, qui cum Dei auxilio induxit Regem, vt seruatum sibi negotium imperactum sub aliis, ipse assumeret peragendum; quod idem Rex tanquam Deo deuotus, atque magnanimus acceptauit, collato constabullatus officio in Francia Comiti Amalrico, quem nouerat Virum prouidum, atque extrenuum, & expertum in exercitio militari.* Ita Guillelmus de Podio de Amalrico, qui pondus belli, cui se videbat imparem, humeris Ludouici Regis imposuit.

4. Cæterum qualiter Philippus Rex, dum viueret, prædictum onus cauerit, & filio suo, vt caueret, consuluerit: prædicans fore, vt si illud sibi assumeret, vita simul, & Regno breui careret, idem auctor describit his planè verbis [e]. *Cuius* (id est, Ludouici) *Pater, Rex Philippus, negotium ipsum*

nunquam voluerat acceptare, defunctus anno M. CC. XXIII. qui dum viueret, quasi futurorum præsagus, sicut referebat Dominus Fulco Episcopus: qui hoc se ab ipso audiuisse dicebat: scio dicebat, quod post mortem meam insistent clerici, quod filius meus Ludouicus assumet negotium Albigensium, & ipse cum sit homo delicatus, & debilis, laborem illum non poterit ferre, & breuiter morietur, & tunc remanebit Regnum in manu fœminæ, & infantium, & periculo non carebit; & ex parte, quæ dicebat ex prouidentia sunt sequuta. Hactenus ille. Qualiter autem reuertens ex hoc bello Ludouicus obierit, vix expletis in Regno tribus annis, ipso quo euenit M. CC. XXVI. à nobis, Deo dante, dicendum erit.

5. Interim tamen Ludouici nomen, potentiaque, ingens fidei negotio pondus adauxit; timentibus hæreticis, ne non viribus eius, quibus suas inferiores agnoscebant, obruerentur. Constat, Raymundum Comitem Tolosæ in hoc ipso anno ad Pontificem misisse obedientia promissa, neque abnuentem, quæcunque sibi ab eo iniungeretur, satisfactionem. Raymundum multi alij Barones sequuti sunt; idque adeo obnixè, atque supplicitèr, vt eo audito Honorius non dubitauerit reuocare indulgentias contra Albigenses, velut iam non rebelles, & Catholicum Raymundum declarare. Vnde in actis Ludouici Regis, quæ cum Rigordo, & Guillelmo de Nangis, altero vitam Patris scribente, altero filij, Franco futuri vulgata, circunferuntur, hæc ad hunc annum memoriæ prodita lego [f]. *Anno Domini M.CC.XXIV. Ludouicus Rex Franciæ apud Parisios, parlamentum generale tenuit, in quo Honorius Papa indulgentiam, quæ in Lateranensi Concilio contra Albigenses hæreticos fuerat instituta, auctoritate propria ad tempus reuocauit, & Raymundum Comitem Tolosanum in fide Catholicum approbauit.* Hactenus ibi. Non absolutè reuocasse indulgentias, sed tantum ad tempus, Honorius dicitur; siue quia perfidis hactenus hominibus, non vsquequaque fidendum sibi censuit; siue vt extenta adhuc manu furoris, per metum compesceret, si quos per indulgentiam non attraxisset. Atque hæc quidem intrante Iunio mense.

f *Ad hunc annum.*

6. Cæterum, vt hæc omnia, quæ offerebant, inconcussa manerent, atque ad debitam simul, & optatam exequutionem perducerentur, & neque fraus, neque dolus in re grauissima tuerentur hæreticos, si fortassis non verè resipuissent, longa experientia edocto mores hominum Venerabili Arnoldo Narbonensi causam commisit; neque solum probandam, sed peragendam. Quatenus congregato Concilio Patrum, cui Raymundus adesset, sociique, resipiscentes benevole audiret, obsequentes reciperet; iuramenta, & cautiones ab eis sumeret, satisfactionem delictis competentem, & præcepta imponeret, per quæ, & præteritis, & futuris prouideretur. Tum demum, si omnia ex voto successissent, monere Pontificem, eadem, Apostolica auctoritate, in totius Ecclesiæ pacem, & vnitatem, confirmaturum. Voluit Honorius Arnaldo præ cunctis aliis hanc Prouinciam iniungere, duplicem ob causam; altera, quod tunc nullus inueniretur, qui statum rerum, circunstantiasque; atque hominum mores, & necessarias vtrisque præcautiones, vt ipse, nosceret: altera, vt qui à principio tot, ac tanta pro fidei negotio perpessus esset, vltimam illi tandem manum imponeret, si ita Deus daret: & restitutis, Ecclesiæ pascuis, quibus, quæ hæreses dudum aberrauerant, cunctis in vnitatem fidei compositis, quod adeò optauisset, lætus maturam mortem præstolaretur; & cum Euangelico sene dicere posset: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Et potuisset hanc gloriam adipisci: si non malitia deprauatæ gentis, longiores adhuc moras, ad eruendam, quam semel imbibissent, audaciam, & perfidiam, præstolaretur. Disposuit tamen corda lapidea hactenus, & emolliuit, vt semel tunc suscepta forma obedientiæ, & si mox abolenda, facilius posteà susciperent mansuram, quod ita etiam probauit rei euentus.

7. Apostolicis litteris susceptis, Arnaldus Pater, quo erat feruens zelo charitatis, & obedientiæ, ad montem Pessulanum, qui locus cunctis aptior, securiorque congregauit Concilium, cui Raymundum, & socios sisti iussit. Comparentium audiuit petitiones, iuramenta, cautionesque suscepit, atque alia præstitit, quæ nisi per rebelles stetisset, pacem haud dubiè Ecclesiæ firmare posset. Verum de his, quæ ibidem gesta sunt, & qualiter rei nihil prorsus recusauerint, eadem Ludouici acta præstat audire: sic autem habet [g]. *Infra octauas Conceptionis B. Mariæ apud Montem Pessulanum, auctoritate Apostolica Concilium celebratur, nam Honorius Papa Narbonensi Archiepiscopo dederat in mandatis, quod ibi modum pacis, quam Raymundus Comes Tolosanus, & alij Albigenses Sanctæ Matri Ecclesiæ offerebant, audiret, & quod deinde faceret, remadaret. Qui conuocatis totius Prouinciæ Episcopis, & Abbatibus, ac clericis vniuersis, à Comite Tolosano, aliisq; Baronibus iuramẽta recepit, quod terram securã, & obedientẽ Romanæ Ecclesiæ redderẽt, & clericis redditus suos in integrũ restaurarẽt, eisq; pro damnis quindecim millia marcharum infra tres annos persoluerẽt: & de hæreticis confessis, vel conuictis, iustitiam facerent indilatam, ac pro posse suo per vniuersam Prouinciam prauitatem hæreticam extirparent.* Hactenus quæ in eo Concilio gesta tunc minus firma, molita perfidia versutæ gentis: verum breui firmanda sub Ludouico filio, vt suo loco, & tempore dicemus.

g *Ad hunc annum.*

8. Hoc ipso anno copiosa Martyrũ seges illustrauit Cisterciũ, & choris Virginũ, ac Confessorum cuneis, in dies scaturiẽtibus agmina purpurata superaddit. Prutheni, quod à Barbara sua superstitione, ad veram fidem Christi multi conuerterentur per Cistercienses, exosos eos habentes, Oliuense cœnobium inuasere; neque vnum, aut alterum, quod aliàs satis esset explendæ siti; sed Monachos, cõuersos, Abbatemque (vniuersum Conuentum) variis afflictos tormentis trucidarunt. Ita in magna Polonica historia, collecta ex Bibliotheca Ioannis Pistori (Nidani, & Basileæ vulgata perpaucis verbis [h]. *Barbari*, ait, *Pruteni, anno Domini M.CC.XXIV. facta irruptione in Monasterio Oliuensi, Abbatem cum Fratribus, & vniuerso Conuentu captiuant, & versus Gedanum deductos crudeli morte omnes interimunt.* Hæc tantum ibi, neque plura alibi. Adeo modestia nostrorum, aut ignauia occupasse videtur cunctorum calamos: vt vel in his, quæ rara, & religiosa, non tam sibi, quàm Christo, vix aliqui habeamus, nisi ab exteris; quæ ipsi omittunt, omnino ignoraturi. Chrys. Henriq. in Menologio [i], quasdã tabulas refert Coloniæ excussas, quæ Sanctos Christi Martyres inter eiusdem illustres tutelares Prouinciæ numerant. Item antiquum librum M. S. ex Collegio Romano Societatis IESV, cuius titulus est: *Reges,*

h *lib. 3. c. 33.*

i *Septembris 17.*

Reges,& Sancti,& Bellatores,ac ſcriptores Poloni: vbi hæc habentur. *Abbas Ciſtercienſis cum pluribus Fratribus in Monaſterio Oliuenſi in Pruſſia palmam Martyrij adepti ſunt.* Demum à quodam libro M.S.antiquo,ex Bibliotheca Abbatis Conſtantini,deſumptum,ait,vna cum totius Conuentus palma, nomen Abbatis, ac diem certum eorundem coronationis; illud,Cazimirum: hunc, decimum ſeptimum menſis Septembris. Ecce eius verba. *Decima ſeptima Septembris Sanctus Cazimirus Abbas, & Monachi Martyres Monaſterij Oliuenſis in Pruſſia.* Ita quod habet hiſtoria ipſa Polonica,plures inculcant,in quo deficit, nullus ſuperaddit.

10. Certè Pruthenos per hoc ipſum tempus inſolentiores ſolito Maſſouiam vehementer infeſtaſſe, Cromerus affirmat [k],adeo vt Conradus Dux. *Inops Conſilij, habito Conuentu ſuorum, tandem Chriſtiano Epiſcopo ſuggerente,Fratres,ſiue ſodales, Theutonicos,& ipſos piam cõtra Barbaros militiam ſub titulo Sanctæ Mariæ profeſſos (qui paulo antea à Sarraceuis è Syria eiecti erant) per eum ipſum Chriſtianum à Roma acciret, quod nos etiam in tempore dicemus. Cæterum cum Maſſouia, atque Oliua omnino ſint oppoſitæ: illa, quæ inter Meridiem, & Orientem,hæc inter Occidentem,& Septentrionem, integra penè Pruſſia diuidantur,diuidatur,vix potuerunt ab eiſdẽ motibus pati. Niſi fortè dicamus eodẽ tẽpore per varias partes irrupſiſſe Barbaros,atq; vtramque Prouinciam conuicinã adiacentẽ Poloniæ, id eſt Maſſouiam, atque Pomeraniam, impetu duplici,atrocius deuaſtaſſe. Certè Oliua,ſicuti Gedanum, ex oppoſito maris Pomeraniæ adiacet, ſubſidentibus ex ea parte montibus, qui vtramque Prouinciam inter ſe diuidunt.* Sed de his ſatis. Iam ad alia huius anni tranſeamus.

[k] *lib.2. in fin.*

---

1. *Epiſcopos in Ciſtercium inſurgentes occaſione obedientiæ, ab Abbatibus præſtandæ,* 2. *& Archidiaconos ob iura inſtallationis,* 3. *Honorius reprimit,* 4. *& iuſtam, ac antiquam præſcribit vtriuſque formam.* 5. *Plebani mox contendunt pro certis decimis,* 6. *quibus Iacobus,Ciſtercij Abbas, reſpondet.* 7. *Declaratio Honorij de Noualibus;* 8. *tum de animalibus, hortis, virgultiſque,* 9. *atque alia pro terris,quæ ex noſtris tranſiiſſent ad ſæculares.* 10. *Gunneri,ex Abbate Claræ inſulæ, Archiepiſcopi Lundenſis notitia breuis.*

CAPVT QVINTVM.

1. PER idem tempus potentia concitante noſtris inuidiam,quod olim Stephanus Pater præcauiſſet,ſed heu! fruſtra;nouæ ab Epiſcopis,à Clericis moleſtiæ, noua grauamina Honorij Papæ lineam poſtularunt. Inſtallationes non niſi ſolemnes & quæſtuoſæ,è quibus Archidiaconus inſtallans equum haberet;neque obedientia ab Abbatibus præſtanda,ſaluo Ordine ſuo,vt hactenus conſuetum,indultúmque; ſed abſoluta,vt in regula habetur, & ſine aliqua exigebatur limitatione. Nam quid verbis in ſpeciem honeſtis additis, id ipſum, quod ſpondebant, ludificarent? Omnes,& ſingulas Abbatum actiones,ſiue etiam occurrentium culparum cognitiones,& infligendas pœnas præuentas ab Ordine: neque eſſe aliquid in quo obedire debeant,ſi ſaluo Ordine ſuo profiteantur. Votum illud, aut omninò otioſum fore,eoque repellendum, aut aliquam materiam aſſignandam, in qua obliget vouentes, quæ tamen ſaluis ſtatutis Ordinis, non de facili valeat aſſignari. Primitiuum Ciſtercium inſtitutum ad obſeruantiam Regulæ,quàm ad litteram, & ſine vllo addito,diminutioneve, obſeruare per omnia pollicebatur. Cur in textu adeo claro, adeo expreſſo in re ſubſtantialiſſima de præſtanda obedientia propriis Epiſcopis,tam pernicioſa additio permitteretur. Summos Pontifices habere in ſcrinio pectoris,quodcunque ius commune,non ſpeciale: quare neque ei videri derogare,quoties de illo nõ fecerint mentionẽ. Cõceſſiſſe hãc formam profeſſionis Abbatibus Ciſtercij, ſed nulla facta mẽtione de textu Regulæ;quẽ proculdubio,ſi ante oculos habuiſſent,nequaquam reuocarent;pro his præcipuè,quibus ea ſumma,& fortè ſola laus. Quod Regulam obſeruandã ad vnguem profiterentur. Hæc,& ſimilia efficacia adeo putabant,vt priuilegiis ſpretis,nec ſuper eis Põtifice cõſulto, conſuetam profeſſionẽ recuſarent,& nouã exigerent,in qua omnes Abbates obedire profiterẽtur.

Sic,& quod hactenus receptum vſu fuiſſet,inſtallare Abbates ſine ſolemnitate,& ſine iurium, quæ cæteri ſoluebant,contributione;aboleri præceptum: iniunctúmque, vt Abbas inſtallandus equum daret miniſtro inſtallationis. Hinc gloſſa in capite. *Ne Dei Eccleſiam.* De Simonia. *Abbates Ciſtercienſis Ordinis conſueuerant dare Archidiaconis palafredum in ſua inſtallatione, vel aliquid aliud æquiualens.* Nam cur, quæ olim pauperibus remiſſa velut in Eleemoſynam, tunc diuitibus etiam indulgerentur. Fuiſſe antea opus eximiæ pietatis; tunc ſeruitutis eſſe; neque accipi à noſtris, vt liberale, gratuitúmque; ſed vt omnino debitum: cui præſumptioni niſi reſiſtatur per oppoſitos actus, futurum, vt in verum ius tranſiret, ipſa aſſuetudine. Moderatam in Concilio Generali decimarum exemptionem, quam à principio habuiſſent, propter hanc cauſam: cur non & iurium exemptio moderaretur; & illam quidem, ſancitam priuilegio, hanc omnino præcariam, neque aliud firmamentum habituram, quàm quod à ſemel tenta contradictione, ſi non aboleretur, capere poſſet. Et ſanè in hoc conſenſerant Abbates, velut qui nollent in cunctis litigare; quamuis moleſtè ferrent onus ſubire, quod Patres eorum nequaquam ſubiiſſent: vnde & in gloſſa *conſuetum*, nominatur. At poſtquam obedientia abſoluta, etiam contra ſtatuta promittenda ſenſerunt,ſe ab Epiſcopis grauari:tum vero per communem Patrem omnium, Venerabilem Abbatem Ciſtercij, Honorium adeunt, & ſibi ex propriis meritis nihil debitũ, omnia Romanæ ſedis largitate ab initio indulta poſſediſſe pacificè: defendat ipſa,ſi velit, ſua munera,ſi pietati,ſi rationi ſubnixa putet. Se neque ab aliis quicquam accepiſſe, neque aliis reddituros. Eccleſiæ ſoli, aut habituros gratias pro tantorum donorum continuatione; aut obſequentes,nec minus ideo

a *cap.* 1. gratos cum Sancto Iob dicturos [a]: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Hæc summa Iacobo totius propositionis: nam petitionem nolebat appellare, conscius legis via, se certius obtenturum, Nec fefellit opinio seruum Dei, quando Honorius ab ipsa humilitate veluti victus, has ad omnes Abbates eiusdem Ordinis, & subditos eorum litteras dedit [b].

b *in Regest. Honorij & lib. 5. Decretalium.*

Honorius Episcopus, seruus seruorum Dei, vniuersis Abbatibus, & Fratribus Cistercienſis Ordinis.

3. *Ne Dei Ecclesiam, quam lauit proprio sanguine Iesus Christus, macula fœditatis coinquinet, ruga deformet cupiditatis, quæ omnium radix est malorum: & ne deformitas quasi ruga sub prætextu consuetudinis contracta; eliminandæ sunt penitus ab eadem, & dispensatio mysteriorum Dei, & ipsa mysteria gratis accepta, Gioziea prauitate prorsus abolita, charitate gratuita conferantur: quæ emere, vel vendere, quam detestabile, quamve periculosum existat, liquido potest perpendi, ex eo quod Dominus vendentes, & ementes oues, & boues eiecit de Templo, & Cathedras vendentium, & ementium columbas euertit. In eiectione denique vendentium, & ementium, facinoris inquinantis vtrosque exprimitur detestatio; & in Cathedrarum euersione, cui pœnæ subiaceant, hi, qui præsunt, vendentes Dei dona, & Ecclesiastica Sacramenta. Vt huiusmodi igitur facinus, quod coinquinat Prælatos, & subditos, non possit inficere quoquomodo, auctoritate Apostolica districtius inhibemus, ne quis Archiepiscopus, Episcopus, Archidiaconus, vel officiales ipsorum, à quoquam in Abbatem electo, pro benedictione, seu installatione, vel recipienda professione, ab eis sub consuetudinis prætextu cuiusdam, palafredum, seu aliquid quicquam, quocumque nomine censeatur, exigere, vel extorquere præsumat. Vobis etiam sub prætextu huiusmodi exacta, taliter interdicimus, ne præstetis, cum non solum à malo, sed omni specie mali sit abstinendum. Installationis solemnitates in electis Abbatibus Ordinis vestri fieri prohibentes.* Ita quod attinet ad iura installationis.

4. Verum quantum ad formam professionis, subdit statim. *Adiicimus, vt Archiepiscopi, & Episcopi, ea sint forma professionis contenti, quæ ab origine vestri Ordinis noscitur instituta; quæ talis est: Ego Frater Abbas Cistercienſis Ordinis, subiectionem, & reuerentiam, & obedientiam, à Sanctis Patribus constitutam, secundum Regulam Sancti Benedicti, tibi Domine Episcope, tuisque successoribus Canonicè substituendis, & Sanctæ Sedis Apostolicæ saluo Ordine meo, perpetuo me exhibiturum promitto.* Hactenus Honorius ad Abbates. In quibus litteris id obiter perpendo, cum ex duobus, quæ fuerant petita, siue proposita, alterum priuilegio niteretur, alterum non: pro hoc, quod hactenus indultum non fuisset, recurrisse Honorium ad Simoniam; ob eamque indemnes iudicasse Cistercienſes Abbates, à consuetorum iurium solutione; quod non posset aliàs, nisi tunc nouum priuilegium illis concederet. Quod adeo placuit successori eius Gregorio nono, vt easdem litteras, insertas corpori iuris, sub eo titulo censuerit collocandas. Vnde maiori ex parte hodieque extant in capite. *Ne Dei Ecclesiam 43. de Simonia*; vbi Panormitanus, aliique, in quibus nunc non vacat immorari.

5. Fauor Pontificis nostrorum inuidiam auxit: inuidia alias nocendi vias inuenit. Reditum ad decimas est: & quæ non poterant simul expugnari, impugnatæ seorsim, & ferè singulis quæsitus color aliquis, quo à nostris deberentur, non obstante ea, quam habebant exemptione. In primis de prædiis acquisitis ante Concilium tentatum est, quoties per eos coli desiissent, decimalia constitui, non vltra ad exemptionem reditura, etsi ad ipsas redirent, & iterum per eos excolerentur. Nam cur non reditus pro acquisitione sit: & veluti de acquisitis de nouo, de his, quæ ad ipsos de nouo redierunt, soluere debeant? cum maximè Concilij intentio fuerit conseruare Ecclesias Parochiales in decimis, quas semel accepissent; neque accepisse minus ab his prædiis, quando per alios culta, quam si nunquam à nostris possessa essent. Deinde de Noualibus aiebant, si post Concilium acquisita fuissent, soluendas decimas, neque Honorij super hoc declarationem, externis annis datam, valorem habuisse: quippe prolatam contra inauditas partes, & quæ adeo nequierint condemnari. Tertio de animalibus quibusque eandem ac de terris rationem fieri, vt pro his, quæ habuissent ante Concilium immunes essent, secus de his, quæ postea acquisissent: nam quæ in vno militare ratio posset, quæ non in alio? Quare cum fœtus post Concilium nati, post illud acquisiti censendi essent, consequenter fiebat, vt non solum de acquisitis de nouo gregibus, emptione, aut donatione, sed de præhabitis tenerentur soluere, & iam nulla exemptio remaneret. Demum de hortis, virgultisque, sicut de prædiis decimam partem fructuum persoluendam, si de nouo acquisita; quia talia; si ante possessa, saltem de arboribus, quæ in illis de nouo, aut hactenus plantatæ essent, aut plantarentur. Atque hæc omnia cohibentibus Episcopis, & se in priori iudicio à nostris victos, iam velut vltro in hac secunda parte congratulantibus Plebani, & alij, non tam exigebant, quam vsurpabant.

Hinc nostrorum querelæ, precesque frequen- 6.
tes ad Honorium, & se solos præ aliis in hoc miseros, qui cum omnium obsequiis deputentur, omnium tela excipiant, neque solum ab exteris patiantur, sed ab amicis. Quod ab hæreticis tandiu tolerauerant, quod hoc anno à Paganis, quod præcedentibus, facilè esse zelantibus pro Christo, neque difficile, quod à sæcularibus, qui plerumque Ecclesiasticos fastidiunt, & eò forte insolentius, quo Sanctiores. Ast ab ipsis pastoribus Ecclesiæ bellum sibi insurgere, hoc opus, hunc laborem, quem vix æquo animo possent tolerare. De se haud dubiè, vt eis videbatur, loquutam sponsam, cum clamaret, & diceret [c]. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui.* Quippe à filiis Ecclesiæ exagitati, dum vineam Christi (Ecclesiam ipsam) custodiunt ab hostibus (Paganis) à falsis Fratribus, (scilicet hæreticis) vinea Cistercij omnino incustodita dirupitur ab ipsis, quibus inseruit. Quod crimen terris acquisitis ante Concilium, si per alios excultæ decimassent? An quia semel Plebanos ditauissent, cum non deberent, deterioris conditionis censendæ essent? Non amittere Plebanos, quod habuissent, quàdo ad nostras redibant, potiùs acquisisse, quod non habuerant, quando per sæculares colebantur. Iam de Noualibus etiã pro Conciliũ, quod percipere

c *Cantic. 1.*

possent,

possent, cum nihil percepissent? Sanè si ad ea limitatio se extenderet; non solum fieri, quod Patres intenderunt; ne Ecclesiæ sæculares, aut Regulares, occasione Cistercij depauperentur: sed vlterius habere, quo ditescerent Cistercienſium sudore; quod tamen nunquam Patrum consilium fuit. Iam de animalibus, quis queat dubitare, omnia Noualium loco habenda fore. Quippe quæ, nisi à nostris educarentur, non solum non fructifera, vt Noualia priusquam excolantur; sed neque omnino forent, breui tempore statim absumenda. Demum virgulta, & hostes, in proprios cibos, vt lautioribus hospites cibarent, non decimari tantum, sed partiri, dum ex eis pauperes cum Monachis aluntur: neutris ex æquo, sed si fortè aliquibus longè his priùs, quàm illis defecturos.

7. Hæc, & similia frequentibus clamoribus ad Honorium perlata, propitium ipsum, vt semper inuenire, vnde duo alia priuilegia sub finem huius anni nostris indulsit, alterum pro prædicante Concilium habitis, sed per alios excultis, alterum pro reliquis; adeo vtrumque intra breue tempus concessum, vt vix quindecim dies interceſſissent. Ergo prioris tenor, quod inter alia, sed secundo loco vulgauit Ioannes Abbas, hæc habet verba [d]. *Honorius Episcopus, seruus seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Officialibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos litteræ istæ peruenerint: salutem, & Apostolicam benedictionem.*

d *Tomo* 1. priuil. 13.

Cum Abbates Cistercienſis Ordinis, tempore Concilij generalis, ad commonitionem fœlicis memoriæ Innocentij Papæ prædecessoris nostri, statuerint, vt de cætero Fratres ipsius Ordinis, ne occasione priuilegiorum suorum Ecclesiæ vlterius grauarentur, de alienis terris, & ab eo tempore acquirendis, & si ea propriis manibus, aut sumptibus colerent, decimas persoluerent Ecclesiis, aliter ducerent complendum: idem prædecessor noster, quia sperabat, vt Ecclesiarum Prælati proniores, & efficaciores existerent, ad exhibendum eis de suis malefactoribus iustitiæ complementum, & eorum priuilegia diligentius, & perfectius obseruarent: statutum huiusmodi ratum habens, & gratum, hoc ipsum ad alios Regulares, qui gaudent similibus priuilegiis, extendi voluit, & mandauit.

8. *Sed, quod dolentes referimus, in contrarium res est versa: quia sicut ex inculcata querela Abbatum ipsius Ordinis frequenter audiuimus: nonnulli Ecclesiarum Prælati, & alij clerici, eorum priuilegia temere contemnentes, & contendentes malitiosè ipsorum peruertere intellectum, eos multipliciter inquietant. Nam cum sit ipsis indultum, vt de Noualibus, quæ propriis manibus, aut sumptibus excolunt, siue de hortis, virgultis, & piscationibus suis, vel de suorum animalium nutrimentis, nullus ab eis decimas exigere, vel extorquere præsumat, quidam peruerso intellectu conficto, dicentes, quod non possunt, nec debent intelligi, nisi de his, quæ sunt ante dictum Concilium acquisita, ipsos super his multiplici exactione fatigant. Nos igitur eorum quieti, paterna sollicitudine prouidere volentes, vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Abbates, & Fratres eiusdem Ordinis, à præstatione decimarum, tam de possessionibus habitis ante Concilium memoratum, & de Noualibus, siue ante, siue post ipsum Concilium acquisitis, quæ propriis manibus, ac sumptibus excolunt, quam de hortis, virgultis, piscationibus suis, ac de suorum animalium nutrimentis, singuli vestrum omnino seruetis immunes. Datum Laterani V. Idus Nouembris, Pontificatus nostri anno nono.* Hactenus ad pastores Ecclesiarum Honorius Papa in fauorem Cistercij, quod attinet ad Noualia, virgulta, hortos, & pecora.

Verum pro terris ante Concilium habitis, sed traditis Colonis sæcularibus, quoties ad nostros redire ad eas contigerit, ad Abbatem Cistercij, & Coabbates, has intra eundem mensem litteras dedit [e]. 9.

e *Tomo* 1. priuil. 9.

Honorius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis, & Abbatibus, & Fratribus Cistercienſis Ordinis: salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cum aliquando, cogente necessitate, vel vtilitate propria requirente, terras vestras ante Generale Concilium acquisitas concesseritis aliis excolendas: ne pro eo quod de possessionibus, post idem Concilium acquisitis decimas soluitis, si ad manus vestras taliter concessæ redierint, à quo quam vexari possitis; vt nullus à vobis de huiusmodi terris, quæ ad vos taliter redierint, si eas manibus, propriis, aut sumptibus colitis, occasione Concilij memorati, decimas exigere, vel extorquere præsumat, auctoritate præsentium inhibemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Laterani VII. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno nono. His priuilegiis pacata nostris omnia, quæ vt Honorio Pontifici, sic diligentiæ industriæque Cistercienſis Abbatis fuere debita.

In auctore recenti [f] scriptum lego, hoc anno in Dania obiisse insignem virum inter primores Cistercij memorandum, si maior cura antiquis, Gunnerum, ex Abbate charæ, seu Claræ insulæ, in Archiepiscopum Lundenſem, atque Daniæ Primatem promotum non multo ante; ingenti suorum luctu, quòd amiserint; sed non minori nostro, bonorúmque, quod tanti viri solùm nomen habeamus, & dignitatem; sed neque hæc nisi in morte, velut simul cum ipso sepelienda. 10.

f *Longel. lib.* 8.

1. *Elisabetha VVansia in seruanda castitate mira constantia.* 2. *Cistercium induit, & Christum per triennium Comitem habet.* 3. *Illustris eius visio comprobata:* 4. *& sub dubio infirmitas.* 5. *Sibillæ Gagesiæ patria, Monachatus;* 6. *& dubitanti Lutgardi ministrare, vox facta cœlitus.* 7. *Lutgardis surdam sanat,* 8. *sanguine fluit miraculo illustri:* 9. *per orationem, à morbo animæ militem;* 10. *& Monialem à morbis corporis curat.* 11. *Prophetiæ donum,* 12. *in multis comprobatum.* 13. *Cognitio cordium,* 14. *& quid scriptori illius vitæ acciderit?*

CAPVT SEXTVM.

1. IN Aquiria Brabantiæ per hoc tempus Elisabetha VVansia, & Sibilla de Gagis, seu Gagesia, Monialibus adiunctæ, dum Sanctitatem Lutgardis æmulantur (triplex funiculus difficilè rumpendus) terrorem hostibus, Angelis lætitiam, Deo gloriam, hominibus exempla pietatis, & salutis subsidia ministrabant. Vtramque Virginem secundum carnem nobilem, verum spiritu longè clariorem suscepit Cistercium: Sibillam sæculari sapientia præexcellentem: Elisabetham triumphis castitatis, quos à se, quos à Viro (nam coniugata priùs) reportauisset. Et de hac quidem rarum satis illud, glorioſumque, quod Thomas Cantipratanus, eius temporis auctor, scriptum habet [a]. *Monialis, genere, & vita nobilis, Elisabeth, dicta de VVans in Monasterio Brabantiæ, quod Aquiria dicitur, à cunabulis ferè Christo deuotissima fuit; cuius Sanctitati parentes eius simpliciter inuidentes, eam militi probatissimo, licet inuitam in coniugium tradiderunt, cum quo in vno lecto annum integrum agens, Virgo tamen impolluta permansit.* Hactenus inauditum penè exemplum: nam quæ plura recensent Arnaldus Rayſus, dum hanc Sanctam commemorat [b], castissimorum coniugum, magna quidem ex parte inferiora sunt, vtpote eorum, qui domo, quàm thalamo leguntur cohabitasse.

a *lib. 2. Apum cap. 50.*

b *Rayse Octobris 9.*

2. Consensu, an morte Viri solutus torus, neque Cantipratanus memoriæ prodit, nec video ab alio tradi; quippe recentiores solum addunt, Virginem Sanctam ex nobili Eburonum prosapia ortam. Cætera Thomæ verbis nihil addentia. Constat post annum induisse Monialem in Aquiria, vbi & Sanctæ Lutgardi familiaris, & eximiè dilecta, vitam Sanctissime post ipsam consummauit. Cæterum quantæ Virgo Sanctitatis, quantaque gratia à Deo præuenta fuit, cum primum se Cistercio consecrauit, quæ duo alia scribit Cantipratanus, alterum bona fide ab ipsa, acceptum, alterum in seipso expertus, antequam scriberet, non minus raris exemplis manifestant. *Hanc* (ait [c]) *pedetentim ferè tribus annis, imago crucifixi vndique sequebatur, & si quando immundum quid, aut noxium cogitasset, manum de cruce porrectam, eius pectori superponebat, & incommodum protinus effugiebat.* Quales putamus cogitationes fuisse, quas sola Christi manus moderabatur? *Pone me vt signaculum super cor tuum* (ait Christus ad sponsam [d]) vix vlla alia facilè inuenietur, quæ hoc signaculo glorioſius custodiatur. Atque hæc quidem quantum ad seipsam, verum quantum ad alios, audi quod sequitur [e].

c *vbi supra.*

d *Canticorum 8.*

e *vbi suprà.*

3. *Hæc Angelicis sæpius assuefacta colloquiis, ad amœna virentis Paradisi die quadam euecta est, vbi quidem, sicut mihi ipsa confessa est, non solum ex viuis adhuc, & tunc natis, verum etiam postmodum nascituris; eorum, inquam, qui ab illo tempore visionis, vsque in finem mundi saluandi erant, similitudines vidit, &, quod mirabilius est, in quo statu, Virginitatis, viduitatis, aut coniugij singuli glorificandi essent, spiritu reuelante, discreuit. Hos igitur cum postea videret in vita, quorum similitudines in cœlo viderat, licet eos antea non nouisset specialissimè ex facie cognoscebat, & subito in ictu oculi, in singulis meritorum, vel statuum differentias discernebat. Vt autem mihi Christus iudex, & testis sit in die iudicij, si falsum loquar, ipsemet in me veritatem rei certissimè comprobaui, cum mihi statum meum, quem nisi confessor meus, nullus hominum nouit, luce clarius indicaret. Hoc & à multis aliis, quibus idem fecit, certissima reuelatione cognoui. Adauxit autem illud valdè miraculum, quod in illa nobili puella Elisabeth de Ascha euidentissimè contigit. Hanc cum vidisset in pompa, & ornatus gloriæ sæcularis, vtpote illam, per quam parentes eius, spe posteritatis gaudere cupiebant, constanter dixit ad eam: Frustra tu ornaris, quoniam præuidi te in statu virginitatis certissimè morituram. Quomodo autem hoc, & quam mira occasione factum sit, ipsamet puella nobilis, & omnes, qui audiere, mirati sunt.* Hactenus de Elisabetha Cantipratanus expertus in seipso, quam mirabilis Deus in illa fuerit.

4. Hinc Beatæ Virgini apparuisse post mortem Sanctam Lutgardam suo tempore dicam. Vtrum autem hæc ipsa eadem sit, de qua in vita eiusdem Sancti legitur, cum laboraret stomacho, adeo, vt frequentius refici indigeret, curatam per Christum, cum ad eam à Lutgardi missus esset, quod è contrario præoccupata eius deliciis comedere non posset? non ausim dicere. Certè siue ipsa, siue alia fuerit, Aquirienſis fuit, & res à nobis digna memorari. *Quodam Dominico die, cum sacram Eucharistiam suscepisset* (scilicet Sancta Lutgardis [f]) *& reliquiæ cogitationis diem festum in ea agerent Saluatori, ita, vt molestum ei esset, ad mensam pro corporeo alimento capiendo accedere; ita ait ad Dominum: Domine Iesu, non est mihi iam opportunum tuis deliciis occupari, sed vade ad sororem Elisabet, quæ nec vna hora à cibo abstinere potest, illiusque interim animum occupa; me autem patiaris cibum corpori sustentando necessarium accipere. Elisabeth eiusmodi laborabat morbo, vt crebro, & interdiu, & noctibus eam cibo refici opporteret. Et ecce piissimus Dominus illi obediens, mox ad Elisabeth se contulit, eiusque pectus tanta suauitate compleuit, vt ab esca præter suam consuetudinem, longo temporis spatio sine vlla molestia abstineret.* Hactenus ille. Vt videas qualem, quamque familiarem Deum habuerint, quibus ipse pro esca corporali; & sibi inuicem, mutuoque donandus proponebatur.

f *lib. 2. c. 18.*

Venio

5. Venio ad Sibillam, de qua pauciora antiqui, sed recentiores occasione eleuationis corporis eius, hoc nostro sæculo solenniter celebratæ, aliqua tradiderunt, nequaquam nobis in præsenti prætereunda. *Nata est, (ait recens auctor Belga g) in comitatu Hannonienſi, Patre Ægidio, ex nobili familia de Gages. Primum canonica fuit in collegiata Ecclesia Sanctæ Gertrudis Niuigellæ, deinde Monialis effecta est Aquiriæ. Magna stetit ei cum Sancta Lutgardi, ibidem etiam Moniali, familiaritas; cui tanquam magis litteratæ, eius in omnibus cura demandata erat, nam sæpius quæ à Domino Diuinitus agnouerat, Sibilla aperiebat.* Hæc recens auctor ex notitiis Aquirienſibus. Ergo Sibilla inter Deum, & Lutgardim, velut interpres, cuique adeo secreta reuelabantur.

g Rayse. Nou 9.

6. Mirum est, quod de hac ipsa Sibilla, Lutgardi ministrante, cum ægrotaret, Cantipratanus narrat, cum ob continuum laborem deficientem communis hostis subdole tentaret; cœlestis sponsus glorioſe præueniret. *Quondam tempore (ait h) aduersa laborabat valetudine, scilicet B. Lutgardis, & Domina Sibilla de Gagis, quæ à primo Ordinis ingressu denotissime ei seruierat, instigante nequitiæ spiritu, præ diuturno labore pene deficiens, corde, & corpore defessa fuit, dixitque apud se. Cur ego in Dominæ Lutgardis ministerio adeo me fatigo, cum mater mea toto vitæ suæ spatio, nulli vnquam ita seruierit, nec me deceat tali addictam esse seruituti? Ea ipsa nocte audiuit vocem quandam dicentem sibi: Non veni ministrari, sed ministrare. Ea voce audita, se ipsam reprehendit, atque Lutgardi deinceps cum multa iucunditate, & delectatione inseruiit.* Hæc Thomas in vita Sanctæ Lutgardis: vt vno verbo vtramque procuratam à Deo nequaquam dubites: ne corpore deficeret Lutgardis, si necessario sibi ministerio defraudaretur: ne spiritu Sibilla, si defraudaret. Plura de hac in sequentibus dicenda: nunc de Lutgardi aliqua, quæ hoc tempus concernere coniector: referam autem actorum eius verbis, ex multis pauca colligens, quæ singularia præ aliis esse apparent. i

h apud Sur. lib. 2. c. 23.

i lib. 2. c. 18.

7. *Mathyldis, matrona nobilis, ex territorio Leodiensi orta, filios milites hæredes relinquens, in Aquiriæ Monasterio Domino seruiebat. Ea iam, & senio, & virium infirmitate confecta, surda prorsus erat. Cum autem die quodam solenni Moniales alta voce canerent idque signo quodam vna ex Monialibus, huic surdæ indicaret; atque illa signum intelligens suam ploraret surditatẽ, pia Lutgardis ad eã accedit; rogat, cur ploret? Et illa: Ego, inquit, miserrima lugere nõ debeo, quæ adeo obsurdui, vt etiam solennem cantum, quo Deus colitur, audire non possim? Mox Lutgardis eius miserta, ad preces parumper se inclinat: inde surgens, & duos digitos suos saliua imbuens, auribus surdæ admouet. Mira res! confestim illa cum fragore quodam, aurium obstructionem perrumpi audit & ex tanto miraculo virtutem Lutgardis colligens, Dominum magnifice benedicit.* k

k Cap. 19.

8. *Quoties rapta spiritu Lutgardis, Dominicæ passionis recordabatur; videbatur sibi ex re ipsa toto corpore sanguine perfusa. Id vbi quidam Religiosus Presbyter secretius audiuit, obseruans tempus opportunum, quo dubium non erat, eam Christi Passionem commemoraturam, accessit ad illum, sub Diuinarum rerum contemplatione ad parietem incumbentem, viditque faciem eius, & manus, quæ solæ videri poterant, tanquam recenti sanguine tinctas rubere. Porro vt etiam cincinnos, quasi guttis noctium infusos sanguine vidit, clam forfice aliquid præcidit, & ad lucem adducens, supra modum attonitus admirabatur. Interim Lutgarde ab illo mentis excessu ad se reuertente, cincinni quoque in manu stupentis Presbyteri, ad naturalem colorem illico reducuntur. Ea re supra quam credi possit, Presbyter obstupefactus, parum abfuit, quin supinus corrueret.* l

l Cap. 20. 9.

Miles quidam, & opibus, & nobilitate conspicuus, filiam Monialem in Aquiria habuit, quæ cum non ignoraret illum multis flagitiis coopertum, eò adduxit, vt Lutgardim rogaret, vt pro ipso Dominum deprecaretur, ipsumque, vt in eiusmodi moris est, in spiritualem filium reciperet. Fecit ille, quod filia monuit & Lutgardis eius preces admisit, contulitque se ad deprecandum pro illo Dominum. Apparuit autem Satan cuidam Moniali eius Monasterij, dixitque ei: En Domina Lutgardis nititur ex vinculis meis Reynerum militem, qui mihi tot annis seruiuit, eripere. Nitatur sane: sentiet, se non parui temporis laborem suscepisse. Ego vero, etiam si nihil aliud, vel hoc vnum efficiam, vt in camino paupertatis vratur cor eius, & tabescat anima illius, perinde vt solet caro in patella torreri. Et ecce tibi vera dicentem mendacij patrem. Quamuis enim per id tempus esset mire opulentus vir ille, adeo tamen breui opes omnes dilapsæ sunt, vt assumptis primo mille quingentis promptæ pecuniæ libris, ac proinde distractis possessionibus, ad eam egestatem redactus sit, vt in summa necessitate vix panis ei suppeteret. At interim tamen ea animi moderatione, & patientia eam tulit inopiam, vt nullus ambigeret Lutgardis preces ei adesse. Hunc nos in Affliginiensi cœnobio, quo illius instituti, nullum est rectius, & religiosius constitutum Monachum vidimus, quem pro admiranda conuersatione in tali ætate, & patientia omnes venerarentur. Hoc vero, & id genus aliis modis Lutgardis precibus suis per multos è Satanæ laqueis extraxit, & ad emendatioris vitæ statum perduxit. m

m Cap. 22. 10.

Puella quædam Ordinis Cistercienſis, grauissima tentatione laborans, ante multos annos vidit in somnis apparere sibi Lutgardim, dictumque illi est, eius precibus se liberatam ire. Postea multo euoluto tempore venit in Aquiriam, agnouitque Lutgardis faciem, quam tamen non nisi in somnis viderat. Multa autem precum instantia eam Lutgardis ab omni tentatione liberauit. Tum illa in hac sui liberatione, eius experta virtute, rogauit eam, vt ab Omnipotente Domino impetraret ipsi vires, quibus posset ordinis labores ferre, & esu carnium carere. Ab infantia enim languerat, ita vt etiam ieiunij diebus, ægre posset carnibus carere. At Lutgarde eius nimis tenerem ætatem, quæ talem abstinentiam ferre non posset, prætexente, ac nihilominus puella, instantissimè in prece perseuerante, tandem eius lachrymis victa Lutgardis. Abi, inquit, & deinceps habeto vires, quibus, & Ordinem ferre, & carere carnibus, atque insuper quod visum fuerit, super addere possis. Mirum vero, & stupendum miraculum. Reuersæ puellæ ad Monasterium suum inualetudinario pro more carnes apponebantur: quas illa intuens, vidit abominabilem quandam speciem præseferre, ita vt auersa facie, prorsus eas comedere non posset. Cumque id sæpius accidisset, tantus carnium horror eius mentem obtinuit, vt post Lutgardis verba, nunquam carnibus vesci voluerit: nec modo labores Ordinis perferre potuit, sed etiam quicquid pro corporis castigatione tolerare voluit, citra molestiam facillime id fecit. Hæc mihi eadem puella, sed iam vetula, & cuiusdam Monasterij creata Abbatissa verecunde narrauit, compulsa haud dubie Lutgar-

dis virtute, cuius meritas laudes tacere non potuit. Hactenus ex actis S. Lutgardis, nec de eius miraculis nunc plura: de dono tamen, quo polluit prophetiæ, aliquid ex eisdem libet addere,[n]

n *lib. 2. c. 26. 11.*

Constat multis, idque per multa argumenta, Lutgardem etiam spiritu prophetiæ claruisse. Presbyter quidam in Gallis ad Iotrense Monasterium, cum in crypta quadam, vbi Sanctorum corpora quiescebant, nocte oraret, & Sanctæ cuiusdam tumulum ex alabastro confectum, præter suam opinionem, aperiret, nec tamen eius nomen, & meritum scire posset: Lutgardim rogauit, vt à Domino eius nomen sibi peteret reuelari. Illa se totam confert ad rogandum Dominum, & cito, quod voluit, impetrat. Apparuit ei enim prædicta Sancta, & ait: Ego vocor Osmanna, Virgo filia quondam Regis Scotiæ, & per miraculum Domini in Gallias adducta sanctè vixi, defunctaque ibidem sum, ac sepulta solenniter, sed mei tandem per incuriam incolæ obliti sunt. Hæc cum Lutgardis Presbytero referret, subiunxit: vellem, hæc eadem tibi quoque Dominus in confirmationem veritatis reuelaret. At ille: Non sum, inquit, dignus, vt mihi talia reuelentur. Et Lutgardis: Et si (ait) fortassis minus dignus es, attamen illa digna est, cuius præconia innotescant. Orante igitur Lutgardi, eadem nocte prædicta Virgo Presbytero illi dormienti ter apparuit, & Osmannam se dici indicauit. Qui vidit testimonium perhibuit, & scimus, quia verum est testimonium eius.[o]

o *Cap. 27. 12.*

Erat quædam in Parco prope Louanium piissima Monialis, quæ Fratrem suum, qui professione Franciscanus fuerat, sed iam annis duodecim apostata manebat, acerbissimè deplorabat. Rogata autem Lutgardis, vt pro illo Dominum oraret, quod soror eius præ dolore non multum ab amentia abesse videretur, illa vtrique condolens rogauit Dominum. Surgens ab oratione ait: Dicatur illi bonæ puellæ, vt tranquillo prorsus animo sit, certa Fratrem suum hoc anno ad Sanctum Ordinem suum reuersurum. Quod ita præter omnium expectationem factum didicimus, cum ille multis modis esset mundi huius rebus, & studiis implicatus, & irretitus. Eodem fere tempore, illustris Ducissa Brabantiæ, filia Philippi, Regis Franciæ, graui erat affecta morbo. Ea vero ex multo iam tempore amabat Lutgardem, mandauitque ei, vt pro se Dominum rogaret. Fecit id Lutgardis, & quam primum remandat ei, vt tanquam à lecto ægritudinis suæ minimè surrectura per confessionem præparet se, & cum multa cordis fiducia Dominum expectet. Non diu post Ducissa defungitur, ac deinde apparet Lutgardi, indicans ei certissimè, præter spem, ab omnibus pœnis Purgatorij, Beatissimæ Matris Dei, quam viuens mire dilexerat, intercessione se liberatam. Idem contigit viro Nobili Domino Godefrido, Domini Godefridi Castellani Bruxellensis filio, cuius obitum, antequam aliunde cognitus fuisset, Lutgardis sororibus reuelauit.[p]

p *Cap. 23. 13.*

Inclusa quædam ad eadem S. Stephani, in ætate puellari molestissima tentatione vexata, orabat Lutgardem, vt ad Dominum preces pro ipsa funderet, cum autem genus tentationis ex ipsa scire vellet Lutgardis & illa dicere vereretur, dixit ei: quod tu erubescis aperire, Dominus mihi indicauit, exposuitque puellæ rem totam, quam ea ne in confessione quidem Presbyteris explicare voluerat. Deinde adhortans eam ad peccatorum confessionem, & morum correctionem, adeo perfectè sanatam, & multa consolatione affectam à se dimisit, vt postea cum ingenti spiritus alacritate, & gaudio Domino seruierit. Iaem fere contigit Fratri VVerico, conuerso Aquiriæ. Neque id mirum: Habebat illa secum Dominum, cuius oculi lucidiores sunt super Solem, quod res sequens etiam magis testatum efficiet, Admiserat quidam peccatum loco abditissimo, atque id Sacerdoti reuelare verebatur. Non diu post, quidam sub peregrini nomine rogabat illum, vt pro obtinenda venia peccati illius, quod præcipuè illum angeret, sibi caput lauaret. Fecit ille, vt erat rogatus, & ecce in vertice illius oculum cernit lucidissimum exclamatque: O hominem contra naturæ morem in vertice oculatum. Dixit autem peregrinus. Hic oculus te in abscondito peccantem vidit, quē nulla possunt secreta latere. His dictis ab oculis admirantis euanuit.[q]

q *Cap. 15. 14.*

Erat mirum in modum sollicita Lutgardis, vt ipsi notos Sacerdotes admoneret, quod etiam cum multa oris gratia crebro faciebat, vt gregem ipsis creditum sedulo curarent, & animas Christi sanguine redemptas, à Dæmonum seruitute liberarent. Ego autem, licet indignus, cum ad Sacerdotium ætate iuuenis accessissem, & nec dum S. Domini Ordinem complexus essem, in recipiendis confessionibus cogebar indebite, & supra vires, Episcopi vices agere. Cumque non sine magna cordis formidine id facere cœpissem, aures auditione vexabantur, intus vero tentationum stimuli existebant. Immodico igitur timore, & horrore correptus, Lutgardem tanquam matrem vnice charam accessi eique molestiam meam dolore compulsus explicaui. Illa vero mihi condolens, ad orandum Dominum secessit, redienſque cum magna fiducia dixit: Reuertere fili, in locum tuum, & laborem debitum curandis animabus impende. Aderit tibi Christus protector, & Doctor, & in auscultādis confessionibus, à iaculis inimici magna vi te seruabit; & in defectu scientiæ, quem formidas, addet ampliorem gratiam. Etsi autem ego de me ipso hæc non sine rubore refero, tamen rem gestam in Christi, & ancillæ eius laudem commemorabo. Ab eo die, quandiu eo officio functus sum, vsque in præsens, quando iam decimus sextus agitur annus, B. Lutgardis prophetiam in me veracissimam expertus sum. Et licet iis temporibus, quibus non eram occupandus audiendis confessionibus crebro, & quidem intolerabiliter vexatus sim; sub ipsis tamen confessionibus quanto sunt turpiora, quæ audio, tanto minus ea curo, minusque me afficiunt. Hactenus de Lutgardi circa hoc tempus. Nam plura alia inferius dicenda erunt. Non tamen dubito posteriora aliqua esse: nam quæ de conuersione Fratris Apostatæ, post duodennium prædixit, vt demus illum duobus tantum annis egisse in Ordine, nequaquam ante annum M. CC. XXX. locum habent.

1. *Incrementa Cistercij per totam Græciam.* 2. *Nigro-Pontis Episcopi donatio*, 3. *& reuerentia in nostros.* 4. *Honorius ad Tarasiam, & Sanctiam scribit*, 5. *& quid in causa factum?* 6. *Populetanus Abbas in Episcopum Elnensem promotus.* 7. *Monialis quædam, à Beato Iordano conuersa, floret*; 8. *& Rufinus Capellanus, & Vicarius Summi Pontificis.* 9. *Ferdinandi Aragonis mens inquieta*, 10. *& regnandi ambitio.* 11. *Iacobi per speciem obsequij arcta custodia, & Reginæ consilium salutare.* 12. *Demum, quem omnia exitum habuerint?*

CAPVT SEPTIMVM.

1. EVNT & alij euentus huius anni, quos non omittam, si cui arriserint legendi, non sine fructu; sin minus, facile à quocumque prætereundi. In Græcia interim, cum Ecclesia Romana Cistercium creseere, neque solum antiqua Monasteria nostris acquiri, informanda per eos Latinis ritibus, sed acquisita augeri, ditarique nouis, tum Principum, tum Episcoporum, tum cæterorum fidelium, donationibus. Inter alios memorantur specialissimè Venerabilis Ioannes, Nigro-Pontis Antistes, atque Capitulum, & clerus suæ Ecclesiæ, qui cum iam antea Monasterium de Corciaco, cuius supra meminimus, Thessalonicensis Diœcesis, insigni alio Monasterio donassent, Sancti Archangeli, quod tamen sibi habebant decimale, hoc anno longa, & liberali manu de communi consensu decimas omnes illi relaxarunt, donatione firmata per instrumentum, quod hodieque in Regestis Vaticanis Gregorij Papæ noni insertum priuilegio eiusdem Pontificis conseruatur, & legitur in hunc tenorem. [a]

a ex Regestis Gregorij.

2. *Venerabilibus in Christo Fratribus, Abbati, & Conuentui de Corciaco, Cistercienſis Ordinis, Thessalonicensis Diœcesis, Ioannes, permissione Diuina Nigro-Pontis Episcopus, in salutis auctore salutem.*

Cum pium sit benefacere piis locis, & personas; & Monasterium vestrum amplexemur in visceribus charitatis, donationem, quam vobis, & per vos Monasterio vestro, de capituli nostri consensu, olim de Monasterio S. Archangeli, cum omnibus pertinentiis suis nostræ Diœcesis duximus faciendam, ampliare volentes, omnes decimationes eorum, quæ ipsum Monasterium possidet in præsenti, tam ad nos, quam ad dictum Capitulum, seu Loretensem Ecclesiam pertinentes, vobis, & per vos Monasterio vestro pro animæ nostræ remedio, de voluntate, & assensu prænominati Capituli, nec non clericorum Loretensium, in perpetuum concedimus, & donamus. Partem vero, quæ præfatum super his contingit Capitulum, seu clericos Loretenses, alibi plenariè eisdem recompensare promittimus. Ita tamen quod singulis annis Episcopo Nigripontis annum censum duodecim libras ceræ, recognitionis nomine, in Assumptione Beatæ Mariæ Virginis persoluatis. In huius autem donationis, & concessionis testimonium præsentes litteras fieri fecimus, & sigillo nostro, atque Capituli roborari. Datis quarto Kalendas Aprilis, anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XXIV. Hactenus litteræ Ioannis, Nigro-Pontensis.

3. In quibus tamen, vt id obiter notem, non solum largitas, beneficiaque Pontificis tam pij, quam liberalis, atque amor in nostros, quem satis exprimunt verba illa in principio: *Personas, & Monasterium vestrum amplexamur in visceribus charitatis.* Sed reuerentiam licet admirari, qua Episcopus Ecclesiæ satis celebris, neque ex Græciæ minoribus, neque à nostris accipiens, sed nostris donans; cum in omnibus longe adeo superior inueniretur, proprio nomini Monasterij nomen antefert: neque ait: Ioannes, Dei gratia Episcopus Nigri-Pontis, dilectis in Christo Fratribus, &c. Sed è conuerso. *Dilectis in Christo Fratribus, Abbati, & Conuentui de Corciaco, Cistercienſis Ordinis, Thessalonicensis Diœcesis, Ioannes permissione Diuina, &c.* Cum tamen nihil adeo vsu receptum illis temporibus, quam quod litteris semper dignioris nomen, siue ipse aliis, siue alij ipsi scriberent, nomini minus digni præponeretur, quod & in omnibus palam videre est, & supra etiam in litteris Friderici Imperatoris ad Romanum Pontificem notauimus. Hæc in Græcia nostrorum incrementa; hæc veneratio. Quæ tamen omnia, quam breui pertransierint, sicut Imperium ipsum Latinorum, atque Ecclesiæ Romanæ ritus, moresque, suo tempore nos etiam expediemus.

4. Hoc ipso anno, vt ait Abraham Bzouius, Honorius Summus Pontifex, ad Sanctiam, & Tarasiam Lusitanas, alteram iam Monialium Cistercienſem, alteram tunc degentem inter Moniales, nec multo post eisdem adscribendam, litteras dedit, cum ad earum Castrum Alenquerium, nefarij homines, qui nepotem, & Præfectũ aulæ Episcopi Vlysiponensis, proditorie, & sacrilege occidissent, quasi ad azylum confugisse publicarentur. *Hortabatur: ait idem Bzouius,* [b] *Honorius Papa Tarasiam, & Sanctiam Reginas, ne scelestos reciperent, neve eorum patrocinio sese contaminari sinerent.* Cæterum perpetratum scelus fauore Regis, argumento est, quod idemmet Honorius per idem tempus ad Ferdinandum, Regem Legionenſem, scribit, quod multam operam posuisset in prædicto Episcopo, cum Sanctio Lusitano pro Ecclesiastica libertate certante, defendendo ab ipso; gratias agens, simulque hortans, vt eum Lusitaniæ & Prælatos reliquos defendere non intermitteret, neque causas clericorum alibi, quàm coram Ecclesiasticis Prælatis agitari, aut cognosci toleraret. Ergo hæc causa Regis cum Episcopo dissensionis, & odij: odium mox Regium, cæterorum malorum, vt solet, occasio fuit.

b *Ad hunc ann. n. 4.*

5. Quid de sacrilegis actum? prorsus latet, neque apud scriptores Lusitanos aliquid de hoc facto lego memoriæ proditum. Nec mihi dubium, expulsos ab Alenquerio, tum quod Reginæ obsequentes Honorio fuerint, tum quod Rege Legionenſi Ferdinando fauente, Episcopo, numquam Tarasia, nec soror eius Sanctia, fouendos

suscepisset

suscepisset ipsius æmulos, maximè tam atrocis criminis reos. Illud compertum, teste Brandaonio, compositione circa id tempus facta inter Regem Sanctium, & Bracharensem Archiepiscopum conuenisse inter alia [c] *Quod Rex non curet de causis clericorum, Religiosorumve, neque de eorum pœnis per Episcopos inflictis, aut infligendis, quicquam inquirat, excepto si res ipsæ tales fuerint, quæ in foro sæculi deberent pertractari. Crediderim interuentu sororum effectum esse, vt Sanctius Rex, saniori vsus consilio, & Ecclesiæ pareret, & cum Episcopis cleroque componeret; neque vltra se misceret eorum causis, quod summè Honorius Papa desideraret.* Hæc in Lusitania.

c *lib.14.c.2.*

6. In Catalonia hoc anno promotum lego Raymundum, duodecimum Abbatem Populetanum, in Elnensem Episcopum, Raymundo alio succedente in Abbatia, vt constat ex Catalogo. Cæterum cum eundem Raymundum, obiisse tradant memoriæ antiquæ domus vndecima Octobris præsentis anni; fit, vt, aut electus ante consecrationem decessisse credendus sit: aut saltem mox ab ipsa consecratione. Reliqua vitæ eius ignota nobis, neque constat de loco mortis, aut sepulturæ. Hoc item anno (nam minuta ista coniungam) apud Miræum lego [d]. *Obiisse Beatricem Comitissam Gisnensem, eandemque Brugburgensem Præfectam, constituto apud Boham Cisterciensium Vestalium cœnobio.* Quod tamen, quale sit, adhuc me later.

d *In ann. Flandr.*

7. Per idem tempus in Cistercio floruisse creditur insigni Sanctitate fœmina illa, quam à desperationis, atque Orci exemptam faucibus, Beatus Iordanus, secundus Generalis Prædicatorum, ad Cistercium transmisit, in eo, vt creditur, Sancte consummandam. De ea Leander Albertus Bononiensis in vita Beati Iordani hæc habet verba [e]. *Nobilis quædam elegantis formæ puella, à patre sub patrui custodia relicta, dum ab eo tutelam speraret, in corruptelam incidit. Porrò vir improbus, bis ipsam grauidam fecit, & eo suadente, missella abortum procurauit. Et tertio dum non audet patruo resistere, prægnans facta est. Igitur misella, & in se reuersa, opus nefandum detestans, cum nulli facinus manifestare auderet, se ferro occidere innixa est. Porrò gladium defixit in ventrem tam validè, vt ipsum proscinderet: non tamen mox vita, vt volebat, excessit. Diro igitur vulnere sauciata, à Dei misericordia visitatur. Cœpit crimen tam enorme miro cordis dolore detestari; & ad pietatis matrem conuersa, lachrymis, supplicique voce orabat, vt solita benignitate sibi occurreret, ne saltem anima cum corpore periret. Mox benignissima misericordiæ parens, ei adstans, & corporis conferens sanitatem, iussit, vt se totam Iordanis consiliis, qui paulo post venturus erat, subiiceret. Id, quod ipsa deuotissime expleuit: quippe Sancto Viro suadente, Ordinem Cisterciensem ingressa est, atque vsque in finem in Sancto proposito perseuerauit.*

e *Apud Sur. tom.7.c.20.*

8. Nec multum ab eodem tempore distat Rufinus Monachus, natione Placentinus, officio Capellanus, Pœnitentiarius, & Vicarius Apostolicus Ordinis Cistercensis, de quo in Annalibus minorum dicitur [f], quod benedixit, & posuit primum lapidem, in Ecclesia Minorum Panormi, cum Conuentus à primo ad alium locum translatus esset. Non dubium Virum Annalibus his dignum, atque aliqua gessisse, quæ merito deberent à nobis commemorari. Sed multo minus dubitari potest, omnino obliterandum illius nomen, si hunc lapidem non benedixisset, vt inde facilè licet coniectari, quot omnino perierint, non solum acta virorum, sed etiam Viri.

f *num.43. ad hunc ann.*

Demum, ne omnino Iacobi Aragonensis, & Ferdinandi patrui eius, obliuiscamur; alterius, qui à Cistercio iam desciuerat, Abbas montis Aragonis; alterius, qui Cistercio tandem destinabatur: hoc anno inquieta Ferdinandi mens (nam fuit reuera talis) & Regnandi libido, nullis Regis honoribus satiata, turbare Regnum, & Regi, quamuis excellenti, atque magnanimo, puero tamen, vincula tentauit; honorifica primum, & per speciem obsequij, sed si succederent, forsan vsque ad hostilia transitura. De his Bernardinus Gomesius ita scribit [g]. *Ferdinandus, qui spe regnandi, à religione, qua fuerat initiatus, alienato semper animo fuit: neque profana miscere sacris, graue vnquam duxit; iuncto Ahonesio magno, vt dictum est, Regis consiliario, nihil non denno sibi commoliendum putauit, vt Regnum tantopere à se affectatum, quod occupare non poterat, occupato Rege, subigeret. Quare consilio inter ipsos habito, atque mutuo data fide, Regis custodiam pessimè machinati sunt, quo liberius, ac pro libidine cuncta gererent, quam in hunc modum aggressi fuere. Præmissis duorum equitum, peditumque coloribus Cæsar-Augustam, atque per Vrbem distribui iussit; Ferdinandus multis Comitatus Proceribus Thaustio exiens, vnum ex ipsis Alauonem ad Regem mittit, cui renunciet se cum vniuersis Regni Proceribus venire, vt Regiam eius Maiestatem, & Reginam clarissimam, Cæsar-Augustam deducant. At Rex, tametsi ficto officio, ac simulata sedulitate id fieri cognosceret; tamen libenter se illum excepturum dixit: atque interim Nuñio, & Azagræ, Aulæ Præfectis, præcepit, ne quenquam cum Ferdinando oppidum intrare permitterent, præter quatuor, aut quinque ad summum Proceres, reliquis per suburbia distributis: ipse vero ad excipiendum illum oppido est egressus. Sed deinde siue incuria, siue consulto Præfecti fecerint, equites ducenti, inscio Rege, cum eo ingredi oppidum permissi sunt.*

g

Sequenti vero die Ferdinandus, eadem caterua Procerum comitatus, in Aulam venit, atque omnibus præsentibus sermonem breuem, sed assentatoriis omnino confictum verbis, cum Rege habuit. Inquiens, neque vtriusque Regni Proceribus, qui aderant, tam quicquam esse cordi, quam Regiam eius Maiestatem, cuius nutu tam fœliciter cuncta gerebantur, colere, venerarique; ac se, suaque omnia pro eo liberalissime impendere; ideoque, vt parta iam bello pace frueretur, Cæsar-Augustam, tot affectantibus Proceribus, cum reliquiis exercitus ouans, & quasi triumphans intraret, vt publicam, & communem rem, ibi melius, commodiusque administrare posset. Quæ Rex audiens, ac interim circumspectans, proculque inter confertos Proceres dignoscens Guillelmum Moncadam, se inscio, & inconsulto, coram venisse: ac insuper, neque Nuñium, neque Ahonesium, neque alium quemuis ex intimis ad aurem accessisse, qui summatim, quæ respondenda essent, vti solebant, suggererent: iam quod paulo ante suspicione odorabatur, pro certo habuit, se à suis omnino Consiliariis proditum esse. Ac quoniam vniuersi commurmurantes, responsum à Rege, quasi reposcere videbantur, placido, ac sereno vultu, se libenter, quo ipsi vellent abiturum respondit: existimans, quocumque in statu res

10.

essent, quove denique propenderent, satius esse intra vrbem, quam extra consistere, atque fidissimos Cæsar-Augustanos ciues sibi non defuturos sperare.

11. *Igitur vrbem, nulla admissa pompa, Rex, & Regina ingressi, ad Sudam, veterem Regum aulam, portam Toletam dictam, venere. Verum Ferdinandus, qui tunc, consentiente, ac simul conspirante Sanctio, omnem gerendarum rerum curam susceperat, vocatis Ducibus Regiæ cohortis, Guillelmo Bayno, & Petro Sanctio Marcello, arcanum quid confingens, quod ita patrari, tum Regno commodum, tum Regi honorificum, ac prosperum futurum esset; alterum personæ Regiæ, à qua nusquam oculos deiiceret, custodem præfuit; alteri totius Aulæ, atque ianuarum asseruandarum curam dedit. Ac protinus eadem nocte, semotis omnibus Regis, & Reginæ, seruitiis, ac binis vnicuique tantum cubicularijs relictis, cunctas Aulæ ianuas, & fenestras, præterquam lumini recipiendo necessarias, clauibus, vestibusque obserarunt: sic vt neque videri Rex, neque videre quemquam, neque alloqui, ad aliquemve scribere posset, nisi sciente Ferdinando, ac permittente.* Hæc illata violentia Iacobo Regi per Proceres, per patruum; adeo vix vnus, aut alius inuenitur, qui vtili honestum anteponat. Et eò angustiæ Regis peruenerunt, vt per fenestram descensum cogitauerit.

12. *Verum Regina* (pergit idem auctor [h]) *vt erat prudens, & magnanima, meliorem rerum exitum speraus, ac non tam demittendi periculum, quam Regis ex fuga ignominiam perhorrescens, consilium minimè probauit: sed piè potius, viriliterque Regem admonuit, vt almæ Dei genitrici Mariæ, cui se ipse à puero deuouerat, nunc totum commendaret, fore namque, vt eadem ipsius ope Virginis, qua fuit Monfortio, & Arce Montionis liberatus, à præsenti quoque custodia honorificè eriperetur. In cuius dictis Rex acquiescens, prudentissimæ Reginæ consilio periculum simul, & ignominiam vitauit.* Hæc ille, longè, latéque describens, qualiter annuente Rege petitionibus patrui, quæ detentioni palliandæ prætexebantur; laxata custodia Montionem adierit, vbi, dum sibi redditus, & suis, de administratione Regni coram tractans, vt fontes non punierit, cauit tamen, ne quid simile exinde posset accidere. Nec multo post, Ahonesio extincto, vt idem auctor habet [i], *triplex illa coniuratorum in Regem machina, tum Sanctij inuidia fabricata; tum Ferdinandi ardore promota, tum denique Ahonesij sagacitate absoluta, funditus euersa fuit, atque vnicuique ipsorum sua quoque pœna, & ignominia inflicta. Nam & Sanctius vehementer Ahonesij exemplo commotus, perpetuo sese à præsentia, & conspectu Regis abduxit, & Ferdinandus illius etiam gratia priuatus, populorum simul, & amicorum fide destitui se vidit, & nisi Regij demum sanguinis intercessisset cognatio, haud dubium, quin acerbiores, quàm Ahonesius pœnas ipse pertulisset.* Ita Gomesius. Atque hæc nunc satis de Iacobo, & Ferdinando.

h *vbi supra.*

i *ibidem.*

---

1. *Acta Capituli*, 2. *Chronologia Ecclesiarum*, *& dictum de Lauache*, *Hispana domo*, 3. *& de cingulo Virginis*, *quod habet*, 4. *& Cratibus Protomartyris Laurentij.* 5. *De Albo tractu aliqua.* 6. *Gunterina Vallis*, *Abbatia nobilium Virginum*, 7. *& prima Abbatissa.* 8. *Vallis Virginum per Bartholomæum Lanionem*, *& in ea Beatrix nondum Nouitia.* 9. *Ac demum supputata ratio temporis.*

CAPVT OCTAVVM.

1. PARVA legum hoc anno materia subest, quod mihi probat, aut nulla fuisse vitia, quæ egerent proscribi, aut rectores prudentes, cautosque, qui nollent eadem per leges propagare. Sæpè peccati notitia per legem data; plures post illud trahit, quàm metus pœnæ valeat coërcere. Animaduersum tamen pro conuersis, qui iam fortasse inutiles, & aut se desides labori subtrahebant, aut minus apti sine fructu laborabant. Animaduersum, inquam, sancitúmque *vt tales in conuersos recipiantur, qui in labore taliter occupentur, quod euidens sit, & certum, ipsos in officio sibi commisso laborem vnius mercenarij compensasse.* Quæ ad nostra vsque tempora transierit, hæc sola huius anni præceptio fuit.

2. In Chronologia tres Ecclesiæ memorantur infra eundem adauctæ, sequenti ordine.

Anno M. CC. XXIV. secundo Kalendas Maij, fundata est Abbatia de Lauachem.

Eodem anno, octauo Kalendas Martij, Abbatia de Albo tractu.

Eodem anno, octauo Kalendas Octobris, Abbatia de Seracasano, siue Crascasano. Lauacenses Ecclesias duas inuenio, vnam hoc anno, post sexennium alteram; nec mihi constat, vtra earum sit, quam de *Lauache* vulgo Hispani dicimus in Regno Cataloniæ ad Pyrinei radices, qua parte proximiores habet Aragonenses. Ioannes Aluarus [a] initia eiusdem domus, in hunc annum refert; fundationem, in Comites Herilios, illustrem in eadem Prouincia gentem; & primos Monachos, in Ecclesiam Bonifontis, vnde asciti, & cuius filia Lauache esse probatur. Fundationis occasio fuisse creditur, incendium antiquioris Monasterij, incertum cuius Ordinis? quod Castro proximum, ab Herilibus incensо, flagrauit simul, ab incensoribus Cistercio reficiendum. Hæc summa fundationis illius domus, exiguæ hodie in Diœcesi Ilerdensi, vt habent tabulæ Ecclesiarum Morimundensium.

a *In fundationibus Monast. Arago.*

3. Illustrant tenue, vt dixi aliàs cœnobium, duæ sacræ exuuiæ, cunctis terræ Thesauris pretiosiores: cingulum Beatæ Virginis, quod Christum in ipsius latentem vtero, aut saltem vterum, in quo Christus latuit, circumdedit; & crates ferreæ; quibus inclytus Martyr Aragonensis Laurentius impositus, ardore amoris superauit ardorem ignis. Et quidem cingulum miracula illustrant, quæ Deus multa per eum operatur, maximè in parturientibus, quibus si admoueatur, quantumuis grauiter, & sine spe remedij periclitentur, confestim prolem edere, atque indemnes periculum euadere, longa experientia teste, comperiuntur. Est tamen adhuc miraculum patentius, cuius vestigia in ipso hodiéque extant, quod aliquoties profusione Monachorum (nam

vix

vix in his admittam largitatem) tentatum diuidi, vt fragmina per diuersas Prouincias distraherentur, numquam tamen se scindi passum est, quamuis admotis gladiis, atque forcipibus, ac variis instrumentis, conatuque, quibus vel ferreæ catenæ disrumpi possent. Visuntur hodie intentatæ scisionis signa: non quasi pelle, vel leuiter cedente violentiæ ferri; sed ferro è contra vestigia relinquente conatus admouentium; vt facilius diuisum comprobetur, dum partem sui in cingulo reliquit, quàm diuisurum.

4. Non sic, vt ferunt, crates S. Laurentij, quæ se diuidi passæ, vt pars earum Philippo secundo, Regi Catholico, insigni dono data, ad Regium Monasterium S. Laurentij, vulgo *del Escurial*, quæ hodieque ibidem veneratur, cum litteris testimonialibus, vt tantam rem decebat, perferri posset. Ita supra citatus Ioannes Aluarus, quamuis Frater Iosephus Seguntinus, insignis alias scriptor, tum totius Hieronymianæ familiæ, tum maximè illius cœnobij Regij, de quo integrum tomum euulgauit, nullam huius portionis mentionem faciat, quod ego viderim. Certè inter sacras exuuias non commemorat, cum recenseat plures; neque omittenda cratium illa pars, vt Laurentium concernens, cui domus sacra; si eo tempore ex Lauache adducta fuisset. Potuit fortasse post vulgatam ab eo historiam illuc adduci, nam Philippus secundus, quandiu vixit, nunquam cessasse legitur ab his thesauris ibidem congregandis.

5. Sequitur Albus tractus, Hyberniæ domus, quam Tracton alij dicunt, in Diœcesi Corcagiensi, & libris Cameræ ad sexaginta florenorum taxam pertingens. De qua hæc habet Iacobus Wæus. [b] *Tracton in Comitatu Corcagiensi (perperam in iam dicto Richemondiæ Registro* Cracotem) *alias de Albo tractu, Cistercienſibus ponitur anno M. CC. XXIV. Possessiones confirmauit Eduardus tertius Rex Angliæ.* Hæc tantum ille. In Genesi Ecclesiarum Claræ-Vallensium, ad quam præcipuè pertinere noscuntur Hiberniæ domus, Albus tractus, siue de Albo tractu, non inuenitur; sed Tractem, vel Stractem; eaque Ecclesia inter filias Blanchæ Landæ commemoratur. Tertia domus ignota nobis prorsus, nec quid de ea habemus, quod proferamus.

b *in cœnobiis Hiberniæ.*

6. Præcedentibus virorum Monasteriis, præter Vallem Rosarum, & Argensolum, siue Argenteam Cellam, de quibus supra; duo alia fœminarum adiicienda, Gunterinam Vallem, aliis Gunterstalam, in Alemania, Diœcesis Constantiensis, & Vallem Virginum in Belgio, Thenensi agro; quorum primum dotatores, siue benefactores multos, & nobiles; fundatorem, quod sciam, non agnoscit: forte ab initio nobilium fœminarum, ipsæ sibi cœnobium construxere. Secundum, venerabili, & verè B. Viro, Bartholomæo Lanione, auctore gaudet; & vniuersa Sancta eius familia, primis habitatoribus, qui ex Valle Florida illuc transmigrarunt. De primo hæc lego apud Martinum Cruſſium in Annalibus Sueciæ ad hunc annum [c] *Erat iam hoc tempore cœnobium nobilium fœminarum Cisterciense, Gunterina Vallis, amœnissima in Valle situm prope Friburgum Brisgoiæ, sub visitatione Tennebachensi, in Episcopatu Constantiensi. Cuius altare maius ad honorem gloriæ Virginis Mariæ, atriumque Cœmeterij, Constantiensis Episcopus, Conradus, consecrauit, cum locum à iurisdictione Matricis Ecclesiæ, (Henrico plebano Mershusensis Ecclesiæ ad quem locus attinebat, præsente, & consentiente) penitus eximendo hoc. M. CC. XXIV. anno. Benefactores huius, Parthenonis fuere Comites illustres de Friburg, & nobiles Viri à Keppenbach, itemque nobiles de Blumenck, & Klingenberg, aliique, quorum ibi plurima, & plura, & præclara sunt Mausoleа.*

c *lib. 1. p. 3.*

Prima Abbatissa loci, Adeleydis dicta, cum laude dicitur præfuisse Monasterio vltra annos quinque, & quinquaginta, obiisseque anno M. CC. LXXXI. cum vno ante, præsenio resignasset; quod si ita est, hoc, aut sequenti anno electam sequitur: & tamen docet idem, qui supra Cruſſius, ante eius electionem triennio stetisse domum; at non sub alia, sed quasi in embrione, informis adhuc, donec in Abbatiam formari posset. Subdit Abbatissarum Monasterij breuem catalogum, quem se ex Schedis M.S. Bruschij excerpsisse tradit. 7.

Sequitur Monasterium vallis Virginum in Agro Thennensi, quod Venerabilis Bartholomæus Lanio, cum sex annis habitasset in Valle Florida, quam etiam domum ipse antea construxerat, ædificasse dicitur, atque illuc se cum filiis transtulisse. Quippe prima illa prole iam adulta, neque ipsius industria vltra indigente, suspirauit ad aliam, in qua Cistercium, quod semel assumpsisset, & per Cistercium, Dei cultus propagaretur De his in vita Beatæ Beatricis ab Henriquez vulgata ita habetur *In quo, id est Monasterio Vallis Floridæ fortis Athleta (Bartholomæus Lanio) contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, annis sex Omnipotenti Domino strenue militauit. Deinde in mentem Beati Viri, reuelante Domino, subiit, vt cultus ampliandi gratia, Monasterium aliud de nouo construeret, & in eo creatori suo, die, noctuque seruientium, eiusdem Ordinis examen Sanctimonialium aggregaret; quod & factum est. In dicti quidem Thennensis oppidi territorio, Monasterium nostri Ordinis Vir strenuus, auxiliante Dei gratia, fundauit, & Vallis Virginum ei nomen imposuit. In quo post modum omni cum Sobole sua, priori Monasterio deputata, se transtulit, & annis quatuordecim inibi per Ordinis obseruantiam, creatoris sui se beneplacito conformauit.* Hactenus ibi. Itaque, Venerabili Beatrice agente annum quartum decimum ætatis, antequam quintum decimum expleſſet, adeoque, antequam ad probationem admitteretur, Abbatia Vallis Virginum fundata est, atque ipsa cum suis illuc translata ibidem probationem ingressura. Sic factum est, vt tria, quæ fundauit pater, cœnobia, in triplici ipsa statu consecraret. Vallem Floridam, addicta iam Cistercio atque habitum indutas, sed non solenniter, cum præ ætate ad probationem admitti nondum liceret: Vallem Virginum, Nouitia, professaque, per quatuordecim annos: & tandem Nazaretum Præfecta reliquis; quod suis temporibus, locisque dicemus. 8.

Meminit Abbatiæ Vallis Virginum Ioannes Grammaius in sua antiqua Brabantia, in Tractu Tennensi; vbi & ad portam Lintrensem stram docet; in reliquis nihil addens, & solum institutum prodens, & fundatorem; quem tamen solum Tennensem ciuem appellat. Meminit & Aubertus Myræus in Chronico Cistercienſi, sed fundationem anteponens ad quadriennium, & referens ad annum M. CC. XX. quod tamen penitus cum his, quæ paulo antea, & quidem vere scripserat, stare non potest: nimirum Vallem Floridam anno M. CC. XVIII. nostris addictam: 9.

quippe

quippe ab eius cœnobij instauratione, & susceptione habitus Bartholomæi fundatoris, siue instauratoris cum omni sua familia, ad fundationem cœnobij Vallis Virginum in agro Thennensi, intercessit sexennium, vt ex vita Beatæ Beatricis, quam ipse Myræus, liquido constat. Sed de his satis: & de Beatrice multa infra dicemus.

ANNVS CHRISTI M. CC. XXV. ANNVS CISTERCII C. XXVIII.

1. Conradus in Germaniam Legatus mittitur, 2. Prouinciam peragrat, 3. & multos cruce signat. 4. Concilium Episcoporum Moguntiæ congregat, in quo de incontinentia clericorum, 5. deque aliis deprauatis Germaniæ moribus. 6. Allatum illuc Engelberti Martyris corpus. 7. Parricidij occasio satis indigna. 8. Sequuta coniuratio; 9. ac præcedentes cœlestes reuelationes. 10. Patrato scelere, 11. inuentum, & seruatum corpus per nostros: 12. atque ad cœnobium Cistercienſe primum, 13. mox Coloniam deductum, 14. vbi exequiæ, & visiones de eius gloria.

CAPVT PRIMVM.

1. ANNO post hæc ab orbe reparato millesimo ducentesimo, vigesimo quinto, qui fuit Cistercij vigesimus octauus, supra centesimum, Honorius III. pro Christo strenue zelans, dum Orientem ab hostibus, Occidentem à falsis Ecclesiæ Fratribus liberare contendit, subrogato in Conradi locum Romano in partibus Albigensium: qui hæreticorum reliquias expurgaret; Conradum ipsum, Cardinalem Episcopum Portuensem, in Germaniam misit, vbi & mores Ecclesiasticorum, dudum degeneres, accurate corrigeret, & sæculares, præcipuè Imperij Principes, cruce signandos, in Orientem commoueret; vrbem Sanctam, & salutis nostræ loca, quæ perfidi pagani profanabant, & Christianos ibidem oppressos, in Dei virtute, si daretur, liberaturos. Laurentius Surius in notis ad Concilium (quod idemmet Conradus cogi iussit, & tempore statuto celebrauit, cuius nos acta statim referemus) præcedenti anno missum arbitratur. Verum Concilio vsque ad finem huius dilato, verisimilius est, quod alij tradunt; initio eiusdem Gallias deseruisse. Quocumque fuerit, ex his duabus causis creatum de latere Legatum, transmissumque, cum omnimoda, & plena potestate, idem, qui supra, Surius his tradit verbis. [a] *Anno nati Seruatoris. M. CC. XXIV. Honorius, eius nominis tertius, Pontifex Maximus, in Germaniam Legatum misit à latere Conradum Eginonis, quondam Monachum, & Abbatem instituti Cistercienſis, tum vero Episcopum Cardinalem Portuensem, & S. Rufinæ, virum doctrina, & religione celebrem, & cuiusdam Dynastæ filium. Erant enim id temporis in Occidente quædam morum corruptelæ, quas Pontifex amoliri volebat. Porro Orientem vexabant Sarraceni. Postquam igitur memoratus Cardinalis in Germaniam peruenit, Synodum hanc coëgit anno M. C C. XXV. quæ cum pleraque habeat lectu digna, in gratiam Lectoris huc eam adscribere voluimus.* Hæc Surius; quæ eadem Seuerinus Vinius ex ipso tradit.

[a] *apud Seuerinum Vinium & alibi.*

2. *Ergo Conradus, cum primum Germaniam attigit, per Prouincias discurrere, vitia terræ, clericorum præcipuè quærere, Principum animos discutere, tentare Episcoporum mores, ingenia noscere; nequicquam omittebat, quo vtrumque vtilius negotium promoueretur. Neque enim ignorabat sine vtrisque, Episcopis, Principibusque, neutrum ex toto posse prouenire, quippe nec clerici, nisi per Episcopos, poterant reformari, nec debellari Pagani sine Principibus. Et incœpisset fortassis ab his vltimis, si affuisset Fridericus: quò expediti à bellicis tumultibus, Ecclesiastici Viri tranquillius, & quietius, adeoque, & maturius moribus componendis vacare possent. Verum absente tunc Imperatore suspensa omnia, neque eius potentiam exigebant, sine eius assistentia deliberata, in irritum venirent, si ipsius postea consilio, (quod poterat timeri) reprobarentur. Missi tamen, (quod Bzouius adnotauit [b]) à Friderico ad Conradum nuncij cum litteris, in quibus præmittebat, se ex Apulia in Germaniam aduenturum, & pro recuperatione Ciuitatis Hierosolymorum, & totius Terræ Sanctæ Concilium habiturum.* Itaque expectatus Fridericus, vt postulabat, penes quem summa rerum, & qui in negotio præcipuus sperabatur.

[b] *Ad hunc annum.*

Interim tamen prædicata crux per vniuersam 3.
terram, atque animis bellicosæ gentis ad vindictam commotis, in hostes fidei signati multi per ipsum Cardinalem, aliosque, præcipuè Cistercienses, quibus id munus ipse subdelegabat. De his Stero in Chronico ita habet. [c] *Anno M. CC. XXV. Conradus, Cardinalis Portuensis Episcopus, Romanæ Sedis Legatus, per se, & per plures cooperatores, Verbum Crucis per totam Alemaniam prædicauit, & quam-plures cruce-signati sunt.* Hæc ille. Germaniæ Chronicon conuocasse ad Coloniam Principes, ait, vt illis prædicaret. *Eodem tempore, ait,* [d] *misit etiam Honorius. Pontifex Cardinalem Legatum in Germaniam, qui adhortaretur Germanos ad prompto animo suscipiendam expeditionem illam in Terram Sanctam. Hic Cardinalis, vbi venit Germaniam, Coloniam conuocauit Principes Germaniæ, illicque eos cohortatus est ad honestissimam, vtilissimam, & necessariam expeditionem suscipiendam.* Hæc per seipsum, alia per substitutos, inter quos magnum, vt vocant, Chronicon Belgicum, alium Conradum nominat Besbenhusen-

[c] *Ad hunc annum.*

[d] *Germania Chron. l. 20.*

sem Abbatem, de quo tamen (neque enim id tacebo) Siniſtram famam per Germaniam ſparſam memoriæ prodit. *Cardinalis*, ait, [c] *Dominus Conradus, & ſubdelegatus eius, ab eo inſtitutus, Dominus Conradus, Abbas de Beſbenhuſen, multa millia hominum nobilium; & ignobilium pro via Hieroſolymitana cruce ſignauerunt. Iſte Abbas Conradus multa tunc turpia fecit in Alemania.* Quæ fuerint hæc turpia, non inſinuat. Crediderim, quod in his frequentius eſt, ab hominum malitia quæſtuariam feciſſe prædicationem. Adeo non datur congregatio hominum in qua non aliqui diſcoli inueniantur. Ita præuentus aduentus Friderici. Non tamen ideo Concilium Epiſcoporum omiſſum eſt, ſed indictum ſolenniter Moguntiæ celebrandum ſub finem anni. Id, ne Lectorem nimium diſtrahamus, & quæ in ipſo euenerunt, inuerſo licet ordine, ſubiiciam.

c *in Leodiēſibus.*

4. Patebant Legatiæ Conradi termini, qua patebat Imperium, & per omnes eius Prouincias extendebatur. In actis Sancti Archiepiſcopi Engelberti (qui hoc anno pro Eccleſiæ defenſione Martyr occubuit, vt in ſequentibus latius oſtendemus, occaſione anathematis lati, & publicari iuſſi contra ſactilegos) quinque Metropoles video deſignatas, & inter eas, tres Electorales, quæ ipſius poteſtati ſubiiciebantur. *Præcepit, inquiunt,* [f] *per omnes Prouincias Legationis ſuæ, id eſt, Moguntinenſem, Colonienſem, Treuirenſem, Bremenſem & Magdeburgēſem, &c.* His quadraginta ferme Epiſcopatus ſubeſſe noſcuntur adeo ampli, & extenſi, vt comparati ad alios Europæ, etiam extenſiores, quilibet plures capere potuiſſent. Horum Pontifices ad Concilium Conradus vocat, & intra eorum Diœceſes contentos, inferiores Prælatos, cum quibus omnia, & ſingula, quæ facerent ad reformationem, conferre poſſet. Congregatos Moguntiæ, non Coloniæ, ex inferius dicendis palam fiet (quamuis Bzouius [g] reclamet, ſed ſine fundamento, vt bene notat Seuerinus Vinius ad hoc Concilium.) Relatum ibi de incontinentia clericorum, quorum nonnulli, vt vxores proprias poſſent, concubinas haberent; alij in obuia ſcorta, ſine delectu, ſine alicuius familiaritatis, aut præuiæ dilectionis excuſatione, per concubitos vagos macularentur. Id malum ab initio Eccleſiæ frequens, tunc frequentiſſimum, curatione indigere, quæ non niſi per acerba iuris remedia, & mordicantes medicinas, præſtari poſſet. Vtroſque Præbendarum fructus ſuarum, qui alendis pauperibus deſeruire deberent, meretricibus dare: priores etiam, ad ſuſceptos ex eis filios profeſſionem extendere, & patrimonium Chriſti, quod nefas dicere, in Scortorum delicias, & ſacrilegam ſcortationum hæreditatem peruerſum iri: ex hac radice oriri & alia mala, quæ non facile veniant coercenda. Nam fructibus exhauſtis per profuſiones, atque ſumptos illicitos, per illicitos quæſtus occurrebatur. Hinc Simoniæ, & venalia omnia in Eccleſia, à quo peccato, per clericos commiſſo, quando, aut per quem ſæculares coërcerentur? An quod ipſi vendebant gratis acciperent? Aut ſæcularibus maior reuerentia ſacrarum rerum, quàm habeant Eccleſiaſtici, aliquatenus valeat perſuaderi?

f *apud Surium ſenſe.*

g *Ad hunc ann. n. 4.*

5. Relatum etiam de Cenſuris Eccleſiaſticis, quæ in contemptum veniſſent, ob nimiam earundem ferendarum facilitatem. Quis credat hominem relegandum ab Eccleſia pro crimine tantillo, pro quo ne ab vno quidem vico relegaretur? Tum, ſi ad hoc probationes, & exemptiones, atque alia iuris adminicula non pauca deberent præcedere; Cur non ad illud? An leuius eſt à fructu Paſſionis Chriſti excludere Chriſtianum, quam hominem à fructu hæreditatis, ſiue alterius terrenæ poſſeſſionis? Vt pœnæ grauitas grauitatem criminis arguit, ſic culpæ leuitas ſupplicij leuitatem: neque eſt, qui credat, pœnam adeo rigidam, quæ facile, & frequenter ob leues cauſas, & ſine præuio examine infligatur. Hinc cenſurarum contemptus, imo, & clauium; neque ſolum qui tam facile feriuntur, ſed percuſſores ipſi, non reputant vitandos, quos condemnarent. Addita his paſtorum negligentia, non toleranda, qui gregem Chriſti per ſeipſos paſcerent vix paucos reperiri: reliquos mercenarios conduxiſſe, qui viſo lupo fugiant; ad quos nihil de ouibus pertineat, adeoque neque ſe pro illis exponent; eſſe, quæ ſatis per alios præſtari poſſint: eſſe, quæ propriam operam requirant. Aliorum filiis data plauſtra, & boues; filiis Caath. [h] non data, & additam in textu ipſo rationem, *quia in Sanctuario ſeruiunt, & onera propriis humeris portant.* Nullum aliud Sanctuarij maius obſequium, quam animarum paſtum, qui adeo non per alios, ſed per Paſtores veniat exequendus. Demùm relatum de Sanctimonialibus, quorum cuſtodia laxa, & cum paterent petulantium hominum laruis, vix poſſent fidem ſponſo conſeruare. Eſſe natura ſexum fragiliorem, nec parum facere, ſi cadentibus viris, ipſæ perſiſtant; ſi à mulieribus ſollicitaretur quotus quiſque eſſet homo, qui diſſentiret? Nunc ipſas imperitas donariis, precibus, amore ficto, longaque aſſuetudine; vt à ſenſualitate non vincantur, ſub ſpecie gratitudinis caſuras. Puniendas ſane in exemplum, ſi quæ conſenſerint: verum in viros ſæuerius vindicandum, qui ſexui fragili eas inſidias parent, quibus fortis ſuccumberet: nec ſponſum Chriſtum in ipſis reuererentur.

h *num. 7.*

6. Hæc in Concilio conferebant Patres, præſidente Conrado, cum ecce triſte, & funeſtum expectaculum, B. Archiepiſcopi Engerberti corpus recens, ab impiis hominibus mactatum, & per duos Abbates Ciſtercienſes illuc deductum, cunctorum oculos lachrymis perfudit, turbauit animos, accendit ad vindictam Martyris Chriſti, pro qua de terra ad Deum ſanguis effuſus, de feretro ad ipſos, recentia vulnera, & cruentatæ, diplois, & pileus, multis clamabant vocibus; atque ipſa memoria tanti viri, quē ſuſpicerent omnes, quem ipſi etiam, qui occiderunt, venerabantur. Referam occaſionem Martyrij primùm; mox cædem ipſam, ſacrilege patratam; deinde qualiter Pontificis cadauer ad Concilium adductum, & tandem, quid conſilium ſuper his omnibus decernendum cenſuerit; quippe hæc omnia concernunt noſtros Annales: non ſolū ob Conradum, Concilij Præſidē, verùm ob Engelbertum, noſtris adeo addictū, vt fere, velut vnus eorum, cenſeri poſſit; ob cor eius ſepultum in Ciſtercio; ob corpus primò à Ciſtercienſi Monacho inuentum, deinde per Abbates Ciſtercienſes ad Concilium delatum, reductumque ad Coloniam, atque ſepultum; ob reuelatam noſtris ipſius cædem, atque eiſdem commiſſam ſcribendam; ob miracula ab eodem

Sancto

Sancto patrata in multis Cistercienſibus, ob vlteriorem eiuſdem parricidij diſquiſitionem, ab eodem Conrado in Synodo Leodienſi factam ſequenti anno: demum, quia poſt patratum ſacrilegium, nihil ferè in cauſa factum ſine Cistercio. Ergo hæc omnia, quæ hiſtoriam hanc concernunt, quia propria Cistercij, hoc, & ſequenti anno, in quibus euenisſe noſcuntur, dicenda erunt.

7. Parricidij occaſionem, quæ totum genus Sancti (nam à ſuis conſanguineis necatus eſt) imo, & totam Germaniam, obiter dum illuſtrat, commaculauit, ipſius acta recenſent in hunc modum

i apud Sur. lib. 2. cap. 1. tom. 6. [i] *Fridericus, Comes de Iſſemburg (is erat conſanguineus Engelberti) Aduocatus fuit Eccleſiæ Eſſedienſis. Eſt enim Abbati Regalis, & ab Imperatore tenetur. Iſte Fridericus, Fratre ſeniore, in fata cedente ſine filio, vt Fratris eſſet hæres, recedens à clericatu, factus eſt miles, & tanto fortaſſis ad malignandum promptior, quanto ad gratiam remotior.* Et paulò inferius. *Fuerat enim Fridericus Maioris Eccleſiæ Colonienſis Canonicus. In Comitem ex clerico mutatus, ſit Eccleſiæ Eſſedienſis Aduocatus nomine, reipſa inimicus. Non enim defendere, ſed magis deprædari didicit. Cum pater eius Arnoldus, Comes de Altena, Vir admodum prudens, & modeſtus, ſatis in genere ſuo, ratione Aduocationis ſatis indebite iam dictam vexaſſet Eccleſiam, iſte nouiuiſſimus Fridericus exoſſauit eam. Aduocatos, ſiue ſcultetos Eccleſiæ, contra voluntatem Abbatiſſæ, & ſororum, amouit: pro libito nouos inſtituit: homines, ad Monaſterium quocumque iure attinentes, tantis vexationibus angarians, tantiſque exactionibus excorians, vt nobilis illa Eccleſia ſubſiſtere, vel diutius eiuſdem incubatoris inſolentias ſuſtinere non poſſet.* Et infra. *Abbatiſſa cum Sororibus Coloniam veniens, cum coram primoribus ſuas miſerias, & Friderici violentias, prius Domino Theodorico, ac deinde eius ſucceſſori Engelberto Archiepiſcopo exponerent, modicum profecerunt, quod amore cognationis multa circa illum diſſimularent. Poſt annos aliquot, ſororum querimoniis Dominus Papa Honorius, nec non Imperator Fridericus, defatigati, compatientes ſæpe dictæ Eccleſiæ, vrgentes litteras Epiſcopo direxerunt. Qui Eccleſiæ Imperialis iniurias diutius diſſimulare non auderet, nec vellet, Comitem ſerio monuit, ſed nihil profecit. In tantum autem ei pepercit, vt de propriis redditibus annis ſingulis, certam penſionem ei offerret, modo aduocatione legitime vti vellet. Sed ille minimè acceptauit, quoniam in maleuolam animam non intrabit ſapientia.* Hactenus occaſio Archiepiſcopo glorioſa, pudenda rebellibus.

8. Sequuta ſtatim imprudens coniuratio, quam

k apud Sur. vbi ſuprà. eadem Sancti acta ita deſcribunt. [k] *Intelligens autem idem ipſe Fridericus Præſulis voluntatem, quod eum exhæredare vellet, cognatis conqueritur, & amicis. Et ecce ſtante Behemoth, cuius halitus prunas ardere facit, ſic ſuccenſus eſt ad Epiſcopum interficiendum, vt verbis fumantibus carbones, id eſt, ſatellites ſuos in malitia exercitatos, & ad omne facinus pronos, ad parricidium inflammaret.* Et paulo inferius, ſub finem eiuſdem capitis. *Feruntur hinc conſpirationi conſenſiſſe nonnulli potentes, quos fama quidem non tacet, ſed propter tempus nominare non licet: ſed veniet narrandi opportunitas: dicente Saluatore:* [l] *Nihil eſt opertum, quod non reueletur, & occultum, quod non ſciatur.* Hactenus conſpiratio in Sanctum Præſulem, cui etiam conſenſiſſe duos Epiſcopos Friderici Fratres, Monaſterienſem, & Oſnaburgenſem, infra à nobis dicenda patefacient. Adeo auaritia, & ambitio excæcant homines, vt nulli prorſus flagitio parcere ſuadeant; & quod mireris, non eos tantum moueant, quibus acquirunt: ſed Fratres, ſed propinquos, ſed vniuerſam familiam poſt ſe trahant. Quot miſeri patiuntur in inferno, qui non ſibi, ſed ſuis ſpoliarunt Eccleſias, pro alienis commodis, hiſque temporalibus, detrimentum æternum perpeſſuri. Sequitur in actis. [m] *Poſt Feſtum omnium Sanctorum, Deo dilectus Pontifex, propter bonum pacis, Suſatum venit: venit & Fridericus cum Fratribus ſuis Epiſcopis, aliiſque cognatis ſuis, atque conſiliariis. Vbi cum triduo pro compoſitione pacis laboratum eſſet, nulla via, quæ Friderico placeret, inueniri potuit. Induraverat enim Diabolus cor eius, quaſi lapidem, & ſtrinxerat id, quaſi malleatoris incudem.* Hæc vltima obſtinatarum mentium perditio fuit.

l Matth. 10

m lib. 2. c. 2.

9. Perpetrationem facinoris concepti præceſſere viſiones, duplici titulo nobis recenſendæ; & quia de nece ipſa, quam ſcribimus, & quia factæ noſtris, id eſt, duobus Heiſterbacenſibus Monachis, de quibus eadem acta, à Cæſario Heiſterbacenſi deſcripta, hæc habent verba. [n] *Placuit circa idem tempus ſpiritui Sancto, Martyris ſui finem quibuſdam Viris religioſis, idque diuerſis in locis, reuelare. Monachus quidam congregationis noſtræ, iuuenis probatæ vitæ, Abbati noſtro ſecretius dicebat: Domine, ſi quæ habes tractanda cum Archiepiſcopo, ne differas, quia breui morietur. Poſt dies paucos infirmarius noſter, VVinandus nomine, pro negotio quodam, ad illum Suſatum directus eſt. Qui cum in veteri monte, domo Ordinis noſtri pernoctaret, & mane vellet recedere, ſupprior ſubſequutus, ait ad eum: Eſt apud nos Conuerſus quidam ſpiritum habens propheticum, ſicuti ſæpe experti ſumus. Is tribulationem ingentem breui Domino noſtro Archiepiſcopo euenturam prophetat. Quapropter rogo vos, vt moneatis eum, vt cautus ſit, ſeque cuſtodiat. Cui ille reſpondit: ſatius eſt, me id tacere; nam pro friuolo habiturus eſt. Veniens inde ad Epiſcopum, benigne ſuſceptus eſt, & expeditus, nequicquam tamen illi hac de re indicare auſus fuit.* Sequuntur litteræ ad Pontificem tranſmiſſæ, quæ ipſum admonuerunt; atque ipſius perplexitas, vt neque dubitaret cauendum ſibi, ſi euadere vellet inſtans periculum: neque auderet cauere ſaltem palam, ne tantum crimen cognatis ſuis impingeret, quos multis beneficiis ſibi deuinctos, leuis etiam ſuſpicio commacularet. Nam vt obiter non prætereamus, quæ eadem acta memorant, ex Friderici Fratribus, *Theodoricum electus in Archiepiſcopum, ſtatim promouit in Summi Templi Præpoſitum, ac deinde in Monaſterienſem Epiſcopum: Engelbertum vero in Præpoſitum Sancti Gregorij, & poſtea in Epiſcopum Oſnaburgenſem: & Philippum Fratrem illorum, in Summa Colonienſi Eccleſia Canonicum, & Theſaurarium fecit. Atque eo tempore, quo occaſus eſt, operam dabat,*

n lib. 2. c. 3.

vt Bruno Frater eorum Præpositus fieret summæ ædis Traiectensis. Hæc ibi. Ergo ne tot, ac talia beneficia, tanti obiectione flagitij perdere videretur, dum sibi cauet, id vnum placuit, vt mortem non caueret, ne cognatis imponeret: & nihilominus se ad mortem præpararet, ac si iam gladium imminentem collo haberet; quod & feciſſe legitur, confeſſione cum lachrymis peracta, ab ineunte ætate, adeo, vt non ſolas genas humectarent, ſed etiam veſtes.

10. Sexta Feria poſt Feſtum omnium Sanctorum, cum Archiepiſcopus diſcederet Suſato, pergeretque ad dedicandam Eccleſiam in Svvelme; diſſimulante, vt potuit, Friderico, atque obſeruante tempus locumque; paratæ inſidiæ: & ſub Solis occaſum eiuſdem Veſperæ, adorſi ſatellites, cum Engelberti familia pars præceſſiſſet, pars metu in fugam acta dilaberetur. Sed quis hæc memorans temperet à lachrymis? inuadunt Pontificem, atque multis vulneribus confoſſum, veſtibus ſpoliant; tum ſemi nudum, & in proprio ſanguine volutatum, in media via relinquunt eſcam volucribus, ſi non à canibus, ſiue à beſtiis agri præuenirentur: neque in his diutius libet immorari. Reliqua, quia, vt triſtia, non flagitioſa, ſed magis pia, atque omnia per noſtros geſta ſunt, ipſis actorum verbis proſequamur [o]. *Patrato tanto parricidio, homines malo Dæmone pleni, cum ſuo Comite, imo totius malitiæ fomite, recedentes, Domini Sacerdotem, ac ſi vnctus non eſſet oleo, reliquerunt in ſterquilinio. Miles autem quidam, Leonies nomine, qui illi adhæſerat, cum primum detentus, & vulneratus fuit, Henricum cellarium de Hemmenrode, qui paulum præceſſerat, ſubſequutus, ait ad eum: Heu, Domine Cellarie, quid faciemus? Dominus noſter Archiepiſcopus grauiter vulneratus eſt, & à Comite Friderico captiuus abductus eſt. Cui ille, ſupra quam credi poteſt, turbatus, reſpondit: Pium eſt, vt reuertamur, & videamus, quid circa illum agatur, vel quorſum abducatur. Cumque ſimul reuerſi eſſent ad locum cædis, audiunt clamores Carnificum illorum, in nemore errantium. Erat enim nox, & cum vndique circumſpicerent, offenderunt corpus Martyris extinctum, confoſſum, ipſoque aſpectu nimis horrendum. Valde igitur conſternati, ſuadente Cellarie, ne à feris corpus exanime, ſi illic nocte remaneret, indignè attrectaretur, abeunt ad proximas ædes; atque inde bigam ſtercorariam, qua illa die fimus euectus fuerat, adducunt: & ecce corpus Clariſſimi Principis, quod ex parte veſtitum reliquerant, penè totum reperiunt nudum. Nam præter fœmoralia, & ſubuculam, quæ collo eius adhærebat, nihil ei reliquerant: diploidem vero, & pileum eius iuxta corpus inuenerunt. Quæ omnia ita erant ſanguine infecta, & dilacerata, vt tanquam nulli vſui accommoda, ſpoliatores illi neglexerint*; *per quæ tamen hodie multi ſanitatis beneficia conſequuntur. Cellarius vero, & miles, atque Eleemoſynarius, corpus tollentes, & linteamini inuoluentes, vehiculo impoſuerunt.*

o *lib. 2. c. 7.*

11. *Cumque Svvelme illud perduxiſſent, & in Eccleſia ponere decreuiſſent, non permiſit Sacerdos, contaminationem Baſilicæ prætexens, cum potius ſanguine Martyris dedicaretur. Sed propter hoc, & alia quadam, quibus Martyris gratia ſe indignum reddidit, vſque hodie ſatis grauiter in ſuo corpore Diuinitus flagellatur. Attamen poſitus eſt in eadem domo, in qua pernoctare, & comedere propoſuerat Sacerdos Dei viuus, duæque candelæ dedicationi præparatæ, illic collocatæ ſunt, vna ad caput, altera ad pedes. Cum autem inter ſe vigilias noctis partiti eſſent, & Cellarius vſque ad mediam noctem corpori aſſideret, preceſque horarias Beatæ Dei genitricis, & Virginis Mariæ, lectitaret, ſicut hodieque teſtis eſt, nunquam aliquid horroris ex contactu illius, vt de cadaueribus occiſorum fieri aſſolet, paſſus eſt. Haud dubium, quin ex præſentia Sanctorum Angelorum gratia hæc extiterit, qui apud corpus Martyris cœleſtes excubias celebrabant. Fuerat autem is Henricus Cellarius ante conuerſionem miles, & tanto fortaſsè ad huiuſmodi opus expeditior, & audacior, quanto aſſuetior.* Hæc prima, velut ſtatio corporis Sancti. Nunc eam, quam in Monaſterio veteris Montis, Ordinis Ciſtercienſis, ſolemniorem habuit, vbi & euiſceratum corpus ſacrum, cor cum viſceribus in extremum diem depoſuit, quamque decenter inde ad ſuam Eccleſiam, ſed ex ea ad Concilium deductum ſit per Abbates Ciſtercij, ex eiſdem actis proferamus [p]. p *cap. 8. 12.*

Manè Martyris corpus currui impoſitum eſt: cumque illud deducerent plures ex familia Epiſcopi, qui timore mortis diſperſi fuerant, deducentibus adiuncti ſunt. Venientibus autem ad Nouum Caſtrum, quod Beatus Epiſcopus ſuis expenſis ædificauerat, cum intrare vellent, vt illic corpus lauarent, & componerent, negatus eſt introitus timore, vt æſtimo, Henrici, nunc Comitis de Monte; ſed Randulfus, Prior Montenſis cœnobij, ante Caſtrum illis occurrit, eoque duce ad Monaſterium feſtinatum eſt. Cumque appropinquarent Monaſterio, Fratres cum cruce, & thuris ſuffitu eis obuiam proceſſerunt. Corpore ſacro in feretrum de curru depoſito, quidam è ſenioribus, Henricus nomine, nunc eiuſdem Monaſterij Prior, linteamen de capite Martyris remouit, vultum eius cruentum, & confractum Fratribus oſtendens. Quo viſo lachrymati ſunt valde, tam dilecti patris morte, & tali morte plurimum conſternati. Specialiter enim ille dilexerat Montenſe cœnobium, vtpote ab eius proauis fundatum. Henricus vero, cum ob cruris infirmitatem, vno pede nutaret, cogitans Beatum Virum à nocentibus innocenter occiſum, brachium eius nudum, nuda manu tegit, & plena fide eandem benedictionem ad crus nudum tranſmittens, gradum pedis vacillantis roborauit. Nam ſicut ab eius ore nuper audiui, ipſa hora cœpit lenius habere, & gradatim proficere. Deinde cum vocibus lachrymoſis corpus in oratorium illatum eſt, & eadem nocte quibuſdam Fratribus mirificæ viſiones de gloria Martyris in ſomnis oblatæ ſunt. Poſtea magno ſtudio corpus eius in cœnobio lotum, & euiſceratum eſt, myrrhaque, & ſale conditum, & veſtibus Sacerdotalibus decenter indutum. Numerata tum ſunt in Martyris corpore quadraginta ſeptem vulnera, exceptis paruis punctionibus. Et paucis interpoſitis [q]. q *cap. 9. 13.*

Feria ſecunda Pontificis corpus Coloniam perducitur, & ad gradus Eccleſiæ Sanctæ Dei genitricis,

genitricis, cum mœrore totius ciuitatis excipitur. Quantus tunc illic fuerit gemitus, dolor, planctus Clericorum, clamor, & vlulatus eorum, qui erant in ministeriis plebis diuersi sexus, & ætatis, quanta vociferatio pastoris sui mortem deplorantium probitatis eius insignia commemorantium, & Friderico mille mortes imprecantium, nullius vox dicere, nullius stylus conscribere sufficit. Præferebatur feretro interula Martyris, sanguine purpurata, quæ ad commiserationem mouit vniuersos. Nec mirum, si Colonia, tanto pastore viduata, planxit. Erat enim ille maxima columna templi, honor Cleri inter Proceres Regni famosissimus, patriæ pater: & vt breuiter dicam, speciale decus sui temporis. Tam autem fidelis fuerat Ecclesiæ sibi commissæ, vt quodam tempore vni è ministris suis dixerit. Non tu tam sollicitus es, vt liberis tuis, quos vnice diligis, amplam relinquas hæreditatem, quam ego sollicitus sum, vt Beatum Petrum, & Ecclesiam eius hæreditate ditem. Reipublicæ quoque tam fuit vtilis, vt neque corpori, neque expensis parceret modo prodesset multis. Deportatur inde corpus Martyris per curiam Episcopalem cum lachrymis multis, cum crucibus, & thuribulis, in domum Beati Petri, ibique deponitur, multaque ei beneficia per multos dies, tam in Missis, quam in Psalmis more Christiano impenduntur. Diu enim in Ecclesia mansit corpus inhumatum, quod per futurum Antistitem, primores, & qui ministeriis fungebantur, illud Conuentui Principum præsentare, & de percussoribus eius conqueri statuissent, sicut & factum est. Ea enim causa sacrum corpus coquentes, carnes ab ossibus separauerunt. Sicut autem testantur, qui aderant, ita Martyris Caluaria gladiis cædentium confracta, & comminuta fuerat, vt de caldario corpore extracto, particulatim vix posset coniungi. Hactenus ibi.

Permansit corpus in Ecclesia diebus aliquot, in quibus, & pro se sacrificanti Viro religioso, Engelbertus apparuit. Et *Frater,* ait [r], *non est necesse, vt inter mortuos me nominer; sum enim cum Deo, & in choro Martyrum gaudio fruor ineffabili; & adiecit. Noueris pro certo, quod omnes illi, qui me occiderunt, vel quorum consilio occisus sum, peribunt male, idque citius, quam credi possit. His dictis disparuit.* Hæc, & alia in actis, in quibus nobis non vacat immorari. Cæterum, qualiter electo successore, & acta Martyris stylo prosequenda Cæsario Heisterbacensi commissa sint & tentata vindicta de eius cæde; demum quæ alia hæc ipsa sequuta sint, concernentia hunc annum, sequenti capite commodius expediemus. 14.

[r] 1 cap. 10.

---

1. *Henricus in Archiepiscopum Colonienſem electus,* 2. *acta, & Martyrium ſui anteceſſoris ſcribenda committit Cæſario Monacho.* 3. *Mox corpus per Abbates Ciſtercienſes Francofurtum ad curiam,* 4. *dein Moguntiam ad Concilium Patrum deducit. Quid cum eo Conradus?* 5. *Quid cum Epiſcopis Fratribus parricidæ?* 6. *Acta Concilij, capitibus diſtincta.* 7. *Et quædam alia in eo, notatu digna.*

CAPVT SECVNDVM.

1. OFFICIO funeris ſolemniter peracto, ſed inhumato corpore, quoad vſque in Patrum Concilio præſentaretur, placuit de ſucceſſore tractare; tum vt Eccleſia haberet defenſorem, qui ſe populo, & Principibus opponeret in ipſam debachantibus, tum vt ſanguini effuſo Martyris Sancti procuratorem darent, nec tantum ſcelus in publicam perniciem, in infamiam perpetuam Chriſtiani nominis impunitum euaderet, atque ab hominibus inultum relinqueretur. Decimo ſeptimo Kalendas Decembris, qui fuit nonus à morte Sancti Pontificis. *Mediante, & cooperante Domino, Theodorico Treuirenſi Archiepiſcopo,* (inquiunt acta [a]) *Henricus, Bonenſis Præpoſitus, in paſtorem, & Archiepiſcopum vnanimi conſenſu electus eſt. Quo iuxta morem in Epiſcopi ſede reſidente, clamores miniſtrorum, id eſt, eorum, qui miniſteriis fungebantur, de nece Domini ſui conquerentium, renouati ſunt, & ab eis interula Martyris in ſinum eius depoſita eſt. Ille vero, vt aiunt, mox iurauit, ſe ſanguinem eius, quoad viueret, vindicaturum. Quàm ſtudioſus autem, & feruens hactenus, & fuerit, & ſit in ea vindicta perſequenda, ita vt neque corpori, neque pecuniis parcat, ſequentia declarabunt.* Hæc ibi de electione ſucceſſoris, & acclamata vindicta Martyris Sancti.

[a] *Apud Sur. tom. 6. lib. 2. cap. 11.*

2. Cæterum, quid pro illius gloria dilatanda per orbem ante alia ab Henrico prouiſum ſit, & qualiter vocato ad ſe Cæſario Monacho Heiſterbacenſi, qui cunctis aderat, & tunc ſuis ſcriptis Germaniam illuſtrabat, vitam, & acta, ac necem Beati Viri, in ſcriptum redigendi, munus iniunxerit, & reluctantem præ humilitate adhibito Prioris ſui præcepto, Imperio ſe coëgerit, idem Cæſarius ſcribit verbis ſequentibus [b]. *Eo quidem die, quo Sacerdotio initiatus eſt, ad gloriam Martyris dilatandam, coram altari Beati Petri exiguitati meæ humiliter ſatis iniungere dignatus eſt, vt quæ ab eo inſigniter geſta ſunt, & miracula, quæ per eum Dominus operatur, ad poſterorum notitiam ſcripto tranſmitterem. Cumque me excuſarem, & dicerem, mihi id non licere, Priori meo, qui præſens erat, præcepit, vt me cogeret obedire, quod & fecit; itaque cum multos in ſua Diœceſi habeat viros ſapientes, & eloquentes, vtpote Theologos, Rethores, & Philoſophos, qui Beati anteceſſoris eius vitam, Martyrium, & miracula eleganti ſtylo ſcribere, & floribus Rethoricis ornare poſſent. Si materia, laude digna, ſermone inculto à me tractata fuerit, & explicata, non mihi, quem cogit obedientia, ſed illi potius, qui iniunxit, imputandum eſt.* Hæc prima actio Henrici pro Engelberto.

[b] *Apud Stor. vbi ſuprà.*

Secunda ſequitur non minus ſpirituoſa, prouidaque, vt Principes Imperij, etiam ſanguine iunctos, à quibus ſolis timendum videbatur, 3.

ipso spectaculo incitaret contra sacrilegos. Educabatur Francofurti Henricus puer, Imperatoris Friderici filius, & erat apud eum Conuentus Principum, siue aulam frequentantium, siue ad negotia Regni pertractanda, ac mandata Friderici exequenda, conuocatorum. Ergo *Henricus ascendens de Colonia* (pergunt acta [c]) *ad colloquium Regis, scilicet Henrici, corpus Martyris, duobus Abbatibus Ordinis Cistercienſis deferendum commisit, puta Godefrido, Abbati Montenſi, & Henrico Abbati Vallis Sancti Petri. Cumque præsentatum esset corpus Henrico Regi, atque Principibus, & cum eo mortis eius insignia, interula, diplois, & pilens: iis, qui corpus præcedebant, districtis gladiis, vt habent legum iura, contra Fridericum, latronem vociferantibus, turbatus est Rex, & omnes, qui cum illo erant, maximè autem Rex puer, qui perinde, vt lugere solet filius patrem, & puer tutorem suum extinctum, planxit Episcopum. Præscriptionem vero Friderici, in celebri Conuentu Nouembergenſi factam, renouauit, omnibus ei abiudicatis, tam allodiis, quàm feudis. Feuda libera adiudicata sunt dominis suis, allodia proximis, ministeriales, siue ministri, & homines à iuramento, ei præstito, absoluti. Vxor eius vidua, liberi eius orphani sunt iudicati. Electi quoque Archiepiscopi nomine illic denunciatum est, quicunque Fridericum captiuum exhiberet ei, illum mille marcas Colonienſes ab eo recepturam.* Hæc Francofurti.

c cap. 13.

4. Sequitur tertia eiusdem Henrici actio, & corpus Martyris ad Concilium Patrum perductum, quo vtrumque gladium armaret contra sacrilegos. Atque hæc est, quæ nostram narrationem, vnde digressi sumus, eò reducet, obiterque indicabit, quid à Conrado in tanta causa factum? quid prouisum? vt ex ea demum, ad alias non leuiores, quamuis minus atroces, pro quibus diximus congregatum esse Concilium transeamus. Pergunt igitur acta verbis sequentibus [d]. *Infeudatus inde à Rege electus Archiepiscopus, cum corpore Martyris Moguntiam descendit, vbi Dominus Conradus, Portuenſis Episcopus, & legatus, in Aduentu Domini Concilium celebrauit. Ibi enim eius præcepto congregati erant diuersarum Vrbium Episcopi, & Abbates multi. Is ob necem Præsulis multum consternatus, in sermone suo multis eum in eodem Concilio præconiis extulit, Martyrem prædicans; & cæteris Episcopis, qui bonis Ecclesiarum suarum cognatos, & nepotulos suos infeudant, vel dum ea eis diripiunt, dissimulant, exemplum eum statuens; in eodem Concilio, ab illo totius Germaniæ legato, Conrado, Fridericus Comes etiam spirituali gladio punitus est. Cum enim eum excommunicaret cum vniuersis Ecclesiarum Prælatis, illic congregatis, præcepit per omnes Prouincias legationis suæ, id est, Moguntinenſem, Colonienſem, Treuirenſem, Bremenſem, & Magdeburgenſem, in omnibus Ecclesiis per omnes Dominicas cum extinctione candelarum eum excommunicari: nec eum solum, sed etiam omnes eius adiutores, à quibus, vel quorum consilio occisus est Præsul: itemque omnes, qui reos necis eius fouerent, vel eis communicarent.* Hactenus ibi.

d vbi supra.

5. Inter hæc Friderici Fratres Episcopi, Theodericus nimirum, & Engelbertus, Monasterienſis ille consecratus, hic Osnaburgenſis electus, remordente conscientia, comparuere per litteras, ne vel alieni ab aliorum Patrum colloquio haberentur suspecti, vel coram, quod flagitium admisissent, proderent vultu, & quouis modo seipsos condemnarent. Theodoricus, cui, quo maior potentia, maior infamia, & beneficium acceptum, velut onus quouis modo excutiendum proponebatur, ad purgationem se admitti postulabat. At Engelbertus, quia nondum consecratus, minus suspectus, vtpote qui adhuc dependens haberi posset, consecrari solum petebat, nec quicquam aliud: ne excusatio importuna, neque petita, manifestaret reum; de quo aliàs posset nihil tale suspicari. Verum eorum vtramque petitionem, & Conradi responsum, ex eodem Cæsario accipiat Lector [e]. *Exhibitæ quoque in eodem Concilio sunt Conrado legato litteræ Theodorici Monasterienſis Episcopi, & Engelberti electi Osnaburgenſis, Germanorum Fratrum Friderici; quorum prior de sacrilegio se excusauit, paratum se dicens, Canonicè se purgare; alter Episcopum ordinari se petiit. Respondit legatus, se proniorem ad parcendum, quam ad parcendum, modo se excusare possint: diemque eis præfixit, quo se purgarent in Concilio Leodienſi.* Hactenus quæ in hoc negotio gesta sunt, in Moguntina Synodo: nam quæ in Leodienſi post sequuta, anno, quo euenere, sequenti dicenda erunt. Nunc iam decreta, & Canones Concilij, quæ eas causas concernunt, pro quibus congregatum fuit, & super quibus à patribus collatum, prout in tomis Conciliorum, tam à Laurentio Surio, quàm à Seuerino Vinio circumferuntur, proferamus.

e vbi supra.

SEQVITVR SYNODVS.

Conradus miseratione Diuina Portuenſis, & Sanctæ Rufinæ Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus vniuersis Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum peruenerit, salutem in Christo Iesu.

De continentia Clericorum.

LIcet multa super continentia Clericorum Sanctorum Patrum hactenus emanauerint instituta, quia tamen adhuc nonnulli Clerici lumbos suos cingulo continentiæ, vt accipimus, non præcingunt, in animæ suæ periculum, & scandalum plurimorum, non attendentes, quoniam scriptum est: [f] *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum Deus vester: nos qui nunc demum circa horam vndecimam missi sumus, vt nocua de vinea Domini Sabaoth, ex officio nobis iniuncto, quantum ipse dederit, extirpemus; quia zelus nos comedit domus eius, huius sacri approbatione Concilij duximus statuendum. Præcipimus igitur, vt Clerici continenter, & castè viuere studeant vniuersi, & maximè in Ordinibus sacris constituti, quatenus in conspectu Dei omnipotentis, puro corde, & mundo corpore valeant ministrare.*

f Leuit. 11.

De pœnis concubinariorum Clericorum.

SI quis autem Clericorum, deinceps fuerit deprehensus incontinentiæ vitio laborare, detinendo

do publicè concubinam, nisi post admonitionem Canonicam, illam à se prorsus expulerit, ex tunc tam beneficio, quam & officio spolietur. Si vero nec sic fœtorem suæ libidinis curauerit euitare, quia crescente contumacia crescere debet & pœna, anathematis sententia feriatur. Qui vero obscœnis voluptatibus inhiantes, concubinas vsque ad hæc tempora publicè tenuerunt, ne delictum præteritum transeat impunitum, eos sub pœnitentia duximus redigendos: vt si Canonici fuerint, quadraginta diebus in Claustris suis in Quadragesimali cibo ieiunent. Si autem hæc agere contempserint, Præpositis, & Decanis, & Capitulis Ecclesiarum sub anathemate prohibemus; ne præbendarum fructus eis ministrent, nec ad chorum, vel ad consortium Capituli eos admittant, nisi incœpta dicta pœnitentia, & peracta, & præstito iuramento, quod eas vlterius non resumant. Qui vero remotas resumere præsumpserint, decreuimus eos beneficiis esse priuatos; vt illi, ad quorum collationem eorum beneficia pertinent, ea idoneis personis assignent intra tempus, in Generali Concilio comprehensum; alioquin proximus superior ex tunc ea studeat assignare. Si vero Decani, vel aliy eorum confratres, excessum eorum scientes, dissimulare præsumpserint, eos denunciamus excommunicationis vinculo subiacere.

De scortatoribus Clericis ruralibus, per Archidiaconos corrigendis.

DE Clericis ruralibus concubinariis expressus rigor superius obseruetur, quorum Archidiaconi, si eos in iniquitatibus voluerint confouere, vel eorum dissimulare excessus, sciant ab officio se suspensos: & si in suspensione permanserint, eos præcipimus per Episcopos suos à dignitatibus remoueri, quæ dignitates per eosdem Episcopos, vel alios, ad quos eorum spectat collatio, personis idoneis assignentur.

Quam pœnam Iudex Ecclesiasticus, quem præproperè excommunicans, incurrat.

QVantæ temeritatis, & præsumptionis existat, quod qui seruare debent Canonicas Sanctiones, in quibus apertè continetur, quod nullus aliquem sine rationabili causa excommunicare præsumat, eas frangere non formidant; plures non amore iustitiæ, sed liuore odij, vel fauore aduersariorum, excommunicationis vinculo innodatos, nullus prorsus ignorat. Quare firmiter prohibemus, ne in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & præsentibus personis idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari admonitio, promulgare præsumat; etsi Prælatus contra hoc fecerit, & admonitus errorem suum non reuocauerit, per mensem ab ingressu Ecclesiæ sit exclusus.

Clericos fructus Præbendarum suarum concubinis, & spuriis relinquere non posse.

AD abolendam de domo Domini consuetudinem, vel potius corruptelam, seu temeritatem, qua Clerici, (qui signum prudentiæ debent ostendere laicis, quibus positi sunt in exemplum) in argumentum finalis suæ impœnitentiæ fructus Præbendarum suarum concubinis, vel spuriis suis legant in vltima voluntate; contra eos rigor Ecclesiasticus exerceri debet. Quare sub anathemate prohibemus, ne de cætero Clerici gratia testandi abutentes (cum de rebus Ecclesiæ nullum possint condere testamentum) fructus beneficiorum Ecclesiasticorum spuriis suis, vel concubinis suis dimittant. Qui vero contra hanc inhibitionem venire præsumpserint, in signum suæ perditionis, Ecclesiastica careant sepultura, & quibus taliter fructus legantur, eis careant ipso iure. Qui autem testamentum tale manutenere voluerint, & per quorum manus personis illis fructus Præbendæ fuerint ministrati, ipso facto sciant, se excommunicationis vinculo innodatos; & quandiu fructus huiusmodi contra hanc institutionem ministrati fuerint, Ecclesia ipsa sit sub interdicto posita.

De Clericis excommunicatis, vel suspensis, Diuina celebrantibus.

CVm scriptum sit in lege veteri, quod quicumque non obtemperasset Sacerdotibus, aut extrapositus lapidaretur à populo, aut gladio ceruice supposita, expiaret cruore contemptum; & in primitiua Ecclesia inobedientes cuncti, de Ecclesia rabido ore Dæmonum traherentur, multi nomine Sacerdotes, censuram Ecclesiasticam contemnentes, excommunicati, vel suspensi à Prælatis ipsorum, exigentibus culpis suis; & immemores, quæ Episcopis, & Prælatis clauium Regni cœlestis collata sit potestas, attrectare sibi interdicta mysteria non verentur contra quos rigorem Ecclesiasticum volumus exerceri. Statuimus igitur, vt tales sine spe restitutionis, ab officiis, & beneficiis deponantur, & infames, & intestabiles sint: & de cætero ad beneficia Ecclesiastica nullatenus admittantur, nisi per pœnitentiam approbatam, & conuersionem laudabilem, Sedis Apostolicæ gratiam meruerint.

De Clericis coram excommunicatis celebrantibus.

PRæterea sunt nonnulli, qui crassam prætendentes ignorantiam (quæ cum non excusset à culpa, nec eos à pœna poterit excusare) coram his Diuina celebrare præsumant, qui excommunicationis vinculo sunt innodati, dicentes, quod eis excommunicatio nec per litteras, nec per nuncios fuerit nunciata, cum ipsi excommunicati impediant sæpè, ne possit ad eos denunciatio, vel citatio peruenire, vel malitiosè se occultant: & non talis sit merito contumax censendus, statuimus, vt postquam tales excommunicati fuerint, & in vicinis locis publicè denunciati, Sacerdos qui coram eis celebrauerit, simili pœnâ puniatur.

De publicandis excommunicatis per Episcopos.

SI Episcopus aliquem excommunicauerit certa de causa, denunciet vicinis Episcopis per suas patentes litteras, vt excommunicatum denunciari faciant, & euitari; & tunc sine difficultate aliqua vicini Episcopi excommunicatum faciant publicè denunciari, & in Diœcesibus suis arctius euitari. Si vero Episcopi fuerint negligentes, &

excommunicatis scienter communicauerint, tandiu Cathedralium Ecclesiarum Canonici eis non communicent, quandiu huic salubri Sanctioni contempserint obedire.

De Patronis Laicis, Clericos ad Ecclesiam Simoniacè præsentantibus.

QVoniam in quibusdam locis Alemaniæ fundatores Ecclesiarum, vel hæredes ipsorum, potestate (in qua eos Ecclesia hucvsque sustinuit) abutuntur, partem decimarum, vel aliarum obuentionum Ecclesiasticarum, in quibus ius obtinent patronatus, sibi retinentes ex pacto, repræsentant Clericos ad easdem: huic vulneri Crancoso, & Simoniaco censuræ ferrum apponimus, decernentes, vt ex quo constiterit patronum huiusmodi flagitium perpetrasse, anathemate feriatur, & eius terra supponatur Ecclesiastico interdicto, donec Ecclesiam liberam cum suo iure dimittat, saluo iure patronatus, quod eis de misericordia reseruamus, qui possunt per iuris excusari ignorantiam.

De Clericis Simoniacè repræsentatis.

QVi vero cœca cupiditate ducti, taliter à Patronis præsentationem receperint, officio, beneficioque priuentur, nec ad beneficium, vel actus Ecclesiasticos admittantur, nisi cum eis per Sedem Apostolicam fuerit dispensatum.

De Episcopis, & Archidiaconis, Clericos Simoniacè præsentatos instituentibus.

EPiscopi vero, & Archidiaconi, qui talibus scienter curam animarum commiserint, ab institutione, & collatione, perpetuo sint suspensi. Statuimus etiam, quod nullus Clericus ad curam animarum ab Episcopo, vel Archidiacono admittatur, nisi prius iurauerit, quod nullam in adoptione beneficij, ad cuius curam præsentatur, commiserit Simoniam.

De Ecclesiis non per Mercenarios, sed per Pastores, seu saltem Vicarios perpetuos, regendis.

QVia enormis quædam consuetudo in quibusdam Alemaniæ partibus contra Canonicas Sanctiones inualuit, vt ponantur in Ecclesiis conductitij Sacerdotes, Vicarij temporales; ne id fiat de cætero, auctoritate legationis, qua fungimur, omnibus modis inhibemus. Sed cum Vicarius poni debet, & potest, perpetuo instituatur, idque assensu, & auctoritate Diœcesani, & Archidiaconi loci illius: nec Episcopus, vel Archidiaconus, talem instituat, nisi ei de bonis Ecclesiæ coram eo tantum fuerit assignatum, vnde iura Episcopi, & Archidiaconi, possit persoluere; & congruam, & sufficientem sustentationem habere.

De committentibus incestum cum Sanctimonialibus & Canonicis; & de eiusmodi sacris Virginibus pollutis.

LIcet contra nefandos insidiatores sacrarum Virginum pudicitiæ, pœnæ grauissimæ sint institutæ, tam Canonicæ, quam legales: quidam tamen relaxatis voluptatum habenis, in lacum miseriæ, & in lutum facis se immergunt, vt salutis æternæ coronam, honestatis normam, earumque pudicitiam interpellare præsumant: contra quos nernum rigoris apponimus, statuentes, vt quicumque pudicitiam Sanctimonialium cuiuscumque habitus, ausu sacrilego sollicitare præsumpserit, ab officio, si Clericus fuerit, si Laicus à perceptione corporis Domini, nouerit se suspensum. Qui vero sacrilegium, vel temerarium carnis commercium cum talibus habuerit, ipso facto excommunicationis sententia se nouerit innodatum. Sanctimonialis vero, seu Canonica, quæ huiusmodi crimen flagitiosum perpetrauerit, vlterius ad officium aliquod in Monasterio nullatenus admittatur; sed in signum iniquitatis suæ vltima tam in claustro maneat, quam in choro.

De his constitutionibus Consiliaribus publicandis

QVoniam memoria hominum dilabitur cum tempore dilabente, ne quis ex nostrarum constitutionum ignorantia, velamen in posterum excusationis assumat, in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis districtè præcipimus, vt Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi, & Decani, in suo singuli Concilio, annis singulis celebrando, eas publicari faciant, & seruari, pœnam transgressoribus infligendo. Quas etiam Abbates, & alij Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælati conscribi faciant, & in suis Capitulis frequentius publicari; vt tam ab ipsis, quàm à suis subditis inuiolabiliter obseruentur. Acta sunt hæc anno Domini M.CC.XXV. quarto Idus Decembris. Hic explicit Concilium Prouinciale, quod Conradus Moguntiæ celebrauit.

Porrò ex ipso, vt hoc obiter notem, nonnulla video vsurpata à Summis Pontificibus Gregorio nono, & Innocentio quarto, Honorij successoribus, quæ mox corpori iuris inserta sunt, vt ad marginem eiusdem Concilij in Seuerino Vinio videre licet. Non satis constat, an actum à Conrado de petitione Honorij, quam in aliis Conciliis Prouincialibus, hoc & sequenti anno discussam constat? *Vt in singulis Cathedralibus Ecclesiis dua Præbendæ, Romanæ curiæ addictæ, in vsus ministrorum ipsius cederent.* Relatum id in Concilio Gallicano, sub Romano, Cardinali Legato, qui Conrado successit, & in Anglicano apud VVest Monasterium sub Stephano Languetonio, Romanæ item Ecclesiæ Cardinali, Legatoque: sed in neutro concessum. Et crediderim, Conradum Portuensem auertisse materiam in Moguntino, cum rem videret nimis onerosam, nec nisi ægrè, & violenter consequendam. Videri possunt de his Surius, & Vinius in tomis Conciliorum, in vltimis Conciliis sub Honorio. 7.

1. *Abbates*

1. *Abbates à Concilio ad Coloniam corpus reducunt. Miracula, 2. & perpensa Martyrij grauitas. 3. Deprehensus VVionij error insignis, 4. & distincti Conradi, Sancti, & Clari. 5. Ducum Bauariæ filij rudimenta, Monachatusque. 6. Peregrinatio, Eremus, & Sancta mors. 7. Arnaldi Narbonensis acta, & transitus. 8. Notata quædam: 9. & in morte ratio temporis. 10. Sepultura in Cistercio satis illustris. 11. Demum de VValdemari morte, & sepultura.*

CAPVT TERTIVM.

1. SOLVTO Concilio, corpus Beati Martyris per eosdem Abbates Cistercienses ad Coloniam relatum, in ipso itinere coruscauit multis miraculis, ex quibus tamen vnum, aliudve (neque enim omnia vacat) verbis ipsius Cæsarij referemus [a]. *Corpus Martyris*, ait, *à duobus supra dictis Abbatibus per Rheni aluum Coloniam reducitur. Cumque venissent contra VVesseling pagum, duobus milliaribus à Colonia distantem, miles quidam, Arnoldus nomine, è littore prospiciens, vbi didicit Pontificis Engelberti ossa reuehi, in contumeliam Martyris erupit, ita dicens: Multi aiunt, Dominum hunc, qui complures læsit, damnis affecit, & exhæredauit, Sanctum esse, & miracula facere. Hoc si verum est, quod tamen ego non credo, hæc mihi Deus faciat, & addat, vt antequam moriar, insanus efficiar. Mulctauerat eum Beatus Episcopus quadraginta marcis, ob culpam filij eius, qui fœminam vi oppresserat. Qua tamen in re multum ei pepercerat, vt facinus morte plectendum, tam modica pecuniæ damno mulctaret. Vt vero ostenderet Deus, quam periculosum sit homini ponere in cœlum os suum, eodem die maledico vertiginem capitis immisit, & cum paulo post aliena loqueretur, vxorem cum cæteris cadere cœpit, itemque Sacerdotem, qui ad confessionem eius audiendam vocatus erat. Quid plura? Tenetur, vincitur, custoditur tanquam furiosus, & sequenti die post multa blasphemiæ verba, sine viatico, & confessione, animam insanus expirat. Induerat enim maledictionem sicut vestimentum, & intrauit, sicut aqua, in interiora eius.*

[a] lib.2.c.26.

2. Pergit Cæsarius ad alia non iniucunda, & ad responsa Dæmonum, in quibus nobis non vacat immorari. Illud tamen silentio non prætereram, quod acutè ab eodem perpensum video [b]: reliquos Martyres, ab inimicis passos, quorum iniurias facilius quisque tolerat. *At Engelbertum (quod maiorem afferre solet dolorem, & augere inuidiam) à cognatis, & amicis, à quibus nihil metuebat, quosque ipse sublimarat. Philosophi sententia cuiusdam est, duplicare dolorem, cum ab eo, à quo bonum merueris, venit: itemque tanto iniuriam magis affligere, quanto propinquior est, qui fecit. Inde etiam est, quod Dauid Propheta dicit in Psalmo [c]: Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, & cætera, quæ sequuntur.* ita Cæsarius. Certè, quem grauius, & seuerius punire voluit, quod grauius peccauisset, Regem Sennacherib [d]: cum ab hostibus ipso in prælio, vt cecidere alij, reliquit Deus à filiis occidendum. Non tam seruatum (ait Abulensis [e]) quam reseruatum supplicio seueriori, vt eorum gladiis, ictibusque caderet, à quibus vitam debuisset sperare. Corpus Pontificis perductum ad Coloniam (incertum quam ob causam) insepultum permansit diebus multis, nempe vsque ad Festum Sancti Matthiæ sequentis anni. Qualiter autem tunc sepultum sit; & quo in Ecclesiæ loco, Conrado Cardinali non assistente tantum, verum & peragente officia funeris; demum qualis, ac quanta vindicta tandem sacrilegos, & parricidas sequuta sit, ipso quo euenit tempore dicemus; sed nunc ad alia.

[b] lib.2.c.26.

[c] Psalm.54.

[d] 4 Reg.19. Tob.1.

[e] Super eumdem locum.

3. Et primo nobis detegendus venit insignis VVionij Arnoldi error [f], qui Conradum Episcopum Portuensem obiisse hoc anno, atque Barri sepultum memoriæ prodit: cum tamen vltra exequias Engelberti, anno sequenti Coloniæ celebratas, superuixisse diu, & multa, & clara patrasse, compertum sit, quin, & Pontificatum recusasse, vltro sibi oblatum post biennium, cum mortuo Honorio de electione successoris tractaretur. Errandi occasio Conradus alter fuit, hoc anno, vt ferunt, mortuus, claritudine generis, & nominis, atque professionis identitate, Cardinali persimilis: cætera adeo diuersus, vt nihil aliud habeant, in quo conueniant. Quippe alter Seinensis Comitis filius; alter Bauariæ Ducis; alter Cistercium professus in Villario; alter in Clara-Valle; alter ex Monacho Eremita factus, neque ad aliam dignitatem vnquam promotus; alter Abbas Villarij, Claræ-Vallis, Cisterciique, mox Cardinalis etiam, & Episcopus, quippe ne ad tyaram promoueretur, per ipsum stetit, non per electores, vt infra dicam: demum alter hoc anno, aut fortè antea, ad superos translatus; alter super victurus adhuc biennio. Porrò, dum neutrum ab altero distinguit, vtrique neque leuem iniuriam irrogat; quippe alterum omittit, alterum ante tempus de medio tollit. Nos de Conrado Portuensi hactenus, in sequentibus plura adhuc dicemus; verum de Monacho, Eremitaque, quem hucvsque omisimus, & quem hoc anno obiisse verè putamus, quæ ex Guelforum historia perantiqua, à Monacho Altorfensi, siue VVeingartensi scripta, & ab Henrico Canisio vulgata [g], pauca habemus, in præsenti cum fide memorabimus.

[f] lib.1.c.44.

[g] Tomo 2. antiquit. lect. 4.

Guelfo quartus, qui primus Dux Bauariæ fuisse dicitur, duos filios habuisse memoratur, Guelfonem, qui Mactildam, nobilissimam Bonifacij Marchionis Monferratensis filiam duxit; & Henricum, qui VVlfildem, natam Diuis Saxoniæ: sed primo, sine liberis defuncto, secundus successit: cui præter alios, quos ante vsum rationis decedentes per Baptismum ad cœlos destinauit, tres filij, & quatuor filiæ contigere. Conradus, Henricus, atque Guelfo, Iudita, Sophia, Mactyldis, atque VVlfilda. *Iudita*, ait [h], *prædictæ historiæ auctor, nupsit Friderico, Suenorum Duci, quæ Fridericum Imperatorem nostrum, & vxorem Matthæi, Ducis Lotharingiæ, progennit.*

[h] cap.10.

genuit. Sophiam Bertholdus, Dux de Haringen; & eo mortuo Leopaldus Marchio de Stira in vxorem accepit, ex qua Ottocarum, primum Marchionem genuit: Maclyldis primo Theapoldo, filio Theapoldi Marchionis Cambiensis de Bohcburck, postea eo mortuo, Gebehardo de Sultzbach copulata est. VVlfildem Rodulfus, Bregantinus Comes, duxit. Hæc de filiabus, sororibus Conradi, quem Monachum Clara-Vallis præstolabatur.

5. Cæterum de Conrado ipso primogenito, cum successionem in paterna ditione reliquisset Henrico, audi, quod sequitur [i]. *Conradus in Clericum ordinatus, cum sub puerilibus annis, domi litterarum studiis informaretur, tempore maturo, Colonienſi Archiepiscopo altiori studio, & disciplina in Clauſtrum educandus committitur. Ibi in vtroque tantum profecit, sed & aliis virtutibus, vitia declinans, tantum se exornauit, vt ab omni Clero, & populo amaretur, & ab omnibus summo honore dignus iudicaretur. Ipse vero honores, diuitias, laudem humanam fugiens, quibusdam se Monachis sociauit, cum quibus, omnibus suis ignorantibus, Clara-Vallense Monasterium adiit, ibique Monachum se fecit.* Hæc magni Principis initia in religione, quæ ob ignorantiam anni in hunc locum tradenda reseruauimus. In eadem creuisse, compertum est, aliter nunquam sibi dimittendus; nec permittendus abire Hierosolymam, loca Sancta cum aliis visitaturus. Multo autem minus vitæ solitariæ, Eremiticæque, quam tamen in oriente, cum Sanctissimo alio Eremita, aliquandiu fecisse, etiam scribitur [k]. *Procedente tempore, Hierosolymam petiit: vbi cuidam seruo Dei, in Eremo manenti, adhæsit. Tandem sentiens, se quadam infirmitate tactum, de reuersione cogitauit; & ingressus nauem, Bairam, ciuitatem Sancti Nicolai, peruenit; ibi Beato fine diem vltimum clausit; & honorificè sepultus ibidem requieſcit.* Hactenus ibi.

i *vbi supra.*

k *ibidem.*

6. Crediderim Eremitam, cum quo habitabat, Cistercienſem non minus, quod prius illis temporibus receptum, post longam probationem iuxta præscriptum Regulæ, variis superius exemplis comprobauimus. Neque enim extero se facilè associaret, aut id per superiores permitteretur. Cæterum quod ad oppidum Bairæ, seu Bari, attinet, vbi sepultus dicitur, idem est, in quod Beati Nicolai corpus translatum est circa annum Christi M. LXXXVII. vt habet Sigebertus in suo Chronico; vnde & Sancti Nicolai oppidum dicitur. Conradum ipsum Cistercij Beatis annumerat Chrysostomus Henriquez ad decimam septimam diem mensis Martij; & sanè memorari dignus est, inter Viros illustres; claritudine sanguinis, & contemptu mundanæ gloriæ, nulli Principi omnino postponendus. Facit ad ipsius maiorem gloriam, quod proprio exemplo patrem, & matrem mouerit, vt vitam consummarent in religione, quippe de his non minus scriptum lego [l]. *Circa idem tempus* (scilicet mortis Venerabilis Conradi) *pater quoque eius, & mater; pater Monachum professus in extremis suis in Castro Rauenſpurg; mater in Altorf XVI. die post mortem mariti, obierunt, & in Monasterio Sancti Martini sepulti sunt.* Hactenus sumptum ex historia illa Guelforum, quæ si, vel à Monacho illo Altorfensi, siue VVeingartensi, scripta non esset, aut vulgata à Canisio, tanti Principis forsan nulla notitia, ad nostrum sæculum vsque peruenisset, vt non venere alia eius gesta, quæ hos haud dubiè illustrare possent Annales. Crediderim tamen inueniri eius memoriam apud alios auctores rerum Bauariæ, ex quibus annum morbis desumpsit VVionius, qui aliàs in historia Guelforum non notatur.

l *vbi supra.*

Hoc ipso, cum Conradus obiit, anno, ad superos non minus migrasse dicitur Magnum illud Cistercij, Ecclesiæque lumen, & columen, fidei columna, hæreticorum malleus, glorioſos semper de eis triumphos reportans, Arnoldus, Archiepiscopus Narbonæ, quem toties hi Annales commemorarunt; cum vltra duas priuatas Abbatias, quas in Hispania, & Gallia administrauerat, præfuisset Cistercio decem annis, Narbonæ tredecim, atque vtrobique grauissima negotia totius Christianæ Ecclesiæ pertractasset. Cistercij Abbas tanti ab Innocentio Papa habitus fuit, vt ei suos sermones dedicaret, præfixa epistola, quæ hodieque ante ipsos circumfertur. Statuta Ordinis ad ordinem redegit, & promulgauit: Carracetum, insigne Monasterium, cum omni sua, neque exigua generatione, ad obedientiam suscepit: & Scarpem, atque aliàs Ecclesias, de nouo condidit: Venerabilem, & verè Beatum Virum, Didacum de Azebes, Oxonienſem Episcopum, ad habitum admisit: ab Alfonso octauo, Castellæ Rege, multis indultis vltro donatus fuit. Atque hæc, & alia eximia pro Cistercio: sed pro Ecclesia quanto excellentiora? Primus ipse Inquisitor contra hæreticos, vna cum Beato Petro de Castro nouo: cuius auctoritate Sanctus Dominicus id munus primo exercuit, sed nec de alia constat, vt supra vidimus: & designatis duodecim Abbatibus, qui fidem prædicarent, eidem Sancto Viro, suæ instituendæ familiæ exemplar fuit, septem Concilia nationalia congregauit, quibus, & præfuit: ad Reges Galliæ, & alios quinquies missus, in exercitu cruce signatorum Dux creatus, Carcassonam, Biterras, & alias vrbes adeo potenter, & facilè expugnans, vt Dæmones ab hostibus, non homines pro militibus habere diceretur: sex Cathedrales Ecclesias visitauit: Alfonso Regi, pugnaturo cum Sarracenis ad Nauas Tolosæ, cum manu valida in auxilium venit: eidem ex Vltramontanis solus adfuit, vsque ad partam victoriam, & charos sibi filios, Calatrauenses, restitutos in Arce, quam amisissent: Honorio, atque Innocentio, æquè charus, æquè in honore habitus, Regibus reuerendus, atque Principibus. In Concilio Generali Lateranensi, quantumuis absens (neque enim terram relinquere hæreticis à suo metu liberam, expediuit, aut voluit) tantæ nihilominus auctoritatis fuit, vt omnia ab ipso facta, in Prouincialibus, rata, & firma haberentur; nec de primatu Hispaniæ, etiam instante Roderico Toletano proferretur sententia, nequicquam, quod ad ipsum pertineret (nam & Narbona ad Primatum aspirabat) à patribus sine ipso decerneretur. Hic ergo Pontifex iam senio, & moribus fractus, sed integer virtute, zeloque, & qua pollebat agendarum rerum peritia, plenus virtutum, ad Dominum migrauit, non sine ingenti totius Ecclesiæ luctu, cui quandiu vixit semper pro muro fuit.

7.

8. Cæterum, quod ad illius mortem attinet, incidisse in hunc annum, Robertus mihi Claudius auctor est in sua Gallia Christiana, vbi agens de Narbonensibus Præsulibus, hæc habet de Arnaldo, digna transcribi [m]: *Arnoldus ex Abbate Ci-*

m *Fol. mihi 92.*

stercienſi

ſtercienſi 16. primus Inquiſitor fidei in Gallia, & Legatus Pontificius contra Albigenſes, qua de re Petrus de Vallibus, capite 5.7.21.95. & 104. Cæſarius lib. 5. capite 21. & lib. 7. capite 52. Cuius nomen reſtituendum puto in inſcriptione capite 30. de electione, & cap. 18. de accuſationibus; quemque memorari credo ab Onuphrio, de ſeptem Eccſiis Romæ, pagina 86. Anno Chriſti M. CC. XII. eidemque reſcribit Innocentius. Præterea de Arnoldo, electo anno M. CC. XII. plura Guillelmus Catel, pagina 28. hiſtor. Comitum Toloſæ, vbi cognominatur Almaricus, Vir magnæ religionis, & prudentiæ, mortuus M. CC. XV. Hactenus ille. In cuius verbis obiter notabo, ſi Arnoldi nomen reſtituendum eſt in capite. *In cauſis* 30. de electione; cum illud datum ſit ab Innocentio ad Abbates Grandis Syluæ, & Bellæ Perticæ, Ciſtercienſis Ordinis, neceſſario conuincere, Arnoldum legatione functum pro Innocentio in Toloſana Eccleſia, antequam ad Ciſtercium promoueretur. De capite, *cum dilecti* 18. de electione, quod ſpectat ad Eccleſiæ Albigenſis viſitationem, dubium non eſt, de eodem Arnoldo loqui, iam Ciſtercienſi Abbate, & de Petro Radulfoque collegis, quos nos etiam ad id munus deſtinatos in ſuperioribus, ſuo loco memorauimus. Potuiſſet addere caput, *Poſt miſerabilem* 12. de vſuris, quod, cum ex litteris Innocentij III. ad Archiepiſcopum Narbonenſem extractum ſit, vt conſtat ex epigraphe, ad eum potius, quàm ad anteceſſorem eius ſcripta, multæ, nec leues oſtendunt coniecturæ. Sed de his ſatis.

9. Hunc fuiſſe annum tranſitus Arnaldi efficacius confirmat teſtimonium Concilij Gallicani, celebrati in ipſo ſub Romano, Conradi ſucceſſore, ad quod, cum omnes Galliarum Metropolitæ conuocati fuiſſent, duo tamen abfuiſſe perhibentur, Burdegalenſis nimirum, & Narbonenſis; alter, quod eſſet Romæ; alter quod ſedes vacua tunc exiſteret. Verba in Concilio notata talia ſunt [n]. *Hoc eodem tempore, ſcilicet anno M. CC. XXV. venit Magiſter Romanus ad partes Gallicanas, à Domino Papa miſſus, vbi legationis officio fungeretur. Quò cum peruenisſet, fecit inuocari Regem Francorum, cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Clero Gallicano, ad Concilium, cum Comite Toloſano, pro quo ſpecialiter ad partes illas miſſus fuerat: conuenerunt ita ad Bituricam ciuitatem ad Concilium, Lugdunenſis, Rhemenſis, Rothomagenſis, Turonenſis, Bituricenſis, Auxitanus, Archiepiſcopi. Burdegalenſis vero Romæ fuit: Narbonenſis Eccleſia vacabat.* Ergo, qui anno M. CC. XXIV. ſuperſtes erat, atque Narbonæ Concilium congregauerat, de mandato Honorij, hoc iam defunctus Narbonenſem Eccleſiam viduam reliquerat, quouſque alius pro ipſo ſubrogaretur. In tabulis Eccleſiæ Narbonenſis, quas Ioannes Chenu dedit, ſubrogatus dicitur Guillelmus de Broa: verum cum is aſſumptus perhibeatur anno M. CC. XLIX. argumento eſt, alium prætermiſſum, qui inter Arnoldum, Guillelmumque, mediauerit. Atque hoc venit in illis corrigendum. Hæc de anno mortis.

[n] *Apud Seuer. Vinium.*

Non adeo certus locus ſepulturæ; niſi quod tamen, in quibuſdam aduerſariis, ex Ciſtercio tranſmiſſis, quieſcere ibidem lego ante aram maximam, ad latus Euangelij, ſub arcu lapideo ipſo in muro excauato, iuxta Guidonis, Archiepiſcopi Rhemenſis, ipſius anteceſſoris, ſepulturam. In eo viſitur effigies quædam ſculpta, Pontificalibus veſtibus ornata, duobus aſſiſtentibus Epiſcopis, & duobus Diaconibus, quorum illi ad caput, ipſi ad pedes, Sanctum Præſulem medium complectuntur. Sub ſculptura, depicta alia imago in Monachali veſte, baculoque; hæc, vt Abbatem extitiſſe denotet, qui ibidem quieſcit; illa, vt Archiepiſcopum. Epitaphium, in tabella appenſum olim, diſciſſum ab hæreticis: vnde quod ibi quieſcat Arnoldi corpus, ſola traditione, à patribus accepta, memoratur; ſuffragantibus tamen adminiculis, ex duplici figura in duplici habitu, ex loco ſepulturæ, viciniſque; ex aliorum ſepulchrorum notitia, & Præſulum, in Ciſtercio quieſcentium nunc, ratione: demum ex aliis quibuſdam circunſtantiis, quæ vix alteri valeant adaptari. Memoratur inter vigintiquinque Abbates Ciſtercij Sanctos, & ab Henriquez in ſuo Menologio, ad trigeſimam diem menſis Iulij. 10.

Hoc item vel (vt alij malunt) ſequenti anno, cum iam in ordine quartum peregiſſet VValdemarus Princeps, Canuti Regis Daniæ filius, &, ſi licuiſſet, hæres ex Slauincenſium Pontifice depoſito, Bremenſium intruſo, in ſolo Monachatu permanſurus; quo dudum incaluerat, ardore tandem depoſito, & quò elatior olim, tunc humilior; quo contumacior, obedientior factus, & verè pœnitens; præſentem vitam cum morte commutauit; quod in terra non potuit, vt pie credimus, in cœlo coronandus; de cuius obitu, & loco ſepulturæ, quamuis incerto, hæc ab Iſaacio Pontano ſcripta inuenio [o]. *Porrò VValdemarus Epiſcopus, de cuius aduerſis, proſperiſque tam multa ſupra diximus, anno M.CC.XXV. habitu, ac profeſſione Monachus, Fratrumque minimus, Leodij, vt quidam volunt, apud Belgas, aut, quod verius puto, in cœnobio, quod erat Diœceſis Bremenſis, Lukij nomine, diem ſupremum clauſit. Epicedium ei eiuſmodi poſitum reperio:*

Præſulis officio VValdemarus, patre necato,
Regnum proponens, triſtia fata tulit.
Dein exul patria Bremam reuocatur, vt Aris
Præſit: at infœlix inſula talis erat.

Erici Regis Chronicon obitum eius refert in annum M. CC. XXVI. Hæc Iſaacius: neque ego quid certius de cœnobio: quippe, qui Lukium nullatenus agnoſco: ſiue autem Lukam, ſeu Lucellam putem, neutra Bremenſis Diœceſis, ſed hæc Baſilienſis, Mindenſis illa, quantum licet ex Crantzio [p] coniectari. 11.

[o] *lib. 6. Rerum Danicar. ad hunc ann.*

[p] *lib. 6. Metropo. c. 42.*

1. Caduca

1. *Caducanus relicto Episcopatu Monachum induit,* 2. *& in Monasterio Dorensi Sancte obdormit.* 3. *Ioannis, Elyensis Episcopi, acta,* 4. *& Sancta mors.* 5. *Armezanæ, Abbatissæ Canensis, obitus, Sanctitas.* 6. *Admiranda visio,* 7. *atque eius ex Cæsario interpretatio.* 8. *Guillelmus Comes in Monasterio de Re hospitio habitus.* 9. *Caput Sancti Vincentij, à Conrado transmissum ad Claram-Vallem,* 10. *& à Laurentio Abbate pulchrè ornatum.* 11. *Rotensis in Hispania Ecclesiæ initia,* 12. *& quædam alia in his historia digna.*

CAPVT QVARTVM.

1. FVNERIBVS cumulanda veniunt proxima funera, & Sanctis, atque Deo dignis obitibus, nisi obitus aliorum superaddendi. Obiere in Anglia duo Episcopi, vterque Sanctus, vterque doctus, quorum alterum Cistercienſis familia suscepit, alterum dedit. Caducanus, Bangorensis olim Episcopus (Episcopatu is in Anglia est, Cantuerienſi subiectus, qui Carnauonenſem, & Merionethenſem Prouincias, & Monam insulam, atque partem Dembigenſis terræ complectitur) cum in Sanctæ contemplationis ardore, atque Mariæ studiis, à sollicita vocatione Marthæ distraheretur, relicto Episcopatu, Dorenſe Monasterium ingressus, & in eo Cistercium professus fuerat: incertum, quo anno? vnde nec proprio à nobis est notatum. Constat aliquot vixisse in Monachatu, in quo, & quieti vacans, nonnulla scripsit in communem aliorum vtilitatem; vt quod subditis olim defraudauerat, dum se subtrahit regimini, publico bono abundantius compensaret. Verum quæ illa fuerint, quis ipse, qualisque, & quantus doctrina, & pietate; demum qualiter hoc anno consummatus, vitam cum morte, seu verius mortem cum æterna vita fœliciter mutauerit? Ioannis Pitsæi verbis prosequi libet [a].

a *De Scriptoribus Anglia.*

2. *Caducanus, veteri Britanorum sanguine in Insula Britania natus: vir propter singularem pietatem, & omnium scientiarum, maximè Theologicarum, peritiam valdè celebris. Quibus nominibus ad Banchorenſem Episcopatum euectus est: sed eum ita occupauit contemplationis cœlestis desiderium, vt eius causa se abdicauerit Episcopatu, & in Dorenſi Monasterio, se Ordini Cistercienſium aggregauerit, vbi reliquum vitæ, in Sanctis meditationibus, diurnis, & nocturnis psalmodiis consumpsit, quæ erat hominis pietas. Nec inter hæc elanguerunt studia, vt ex Lelando colligo. Vnde etiam hos ingenij pij fœtus post se reliquit.*

Speculum Christianorum, Librum vnum. Dominus in Euangelio.

Homiliarum, Librum vnum. Et alia quædam. *Tandem in suo Dorenſi cœnobio diem obiit extremum, & ibidem accepit sepulturam, anno post Christum natum M. CC. XXV. regnante in Anglia Henrico tertio. Vide quem fecimus de Bangorensibus Episcopis Catalogum.* Hactenus Pitsæus in libro de scriptoribus, nam quem de Episcopis non potui inuenire. Nomina Episcopatus, & Monasterij parumper inuertit; alij sicut nos scribunt [b]; nec satis constat, quibus sit fidendum. Seguinus ex damnato licet auctore [c]. Sed in his eo magis credi digno, quippe Sueto Catholicis detrahere, nec quemquam laudaturo, nisi coacto; Seguinus, inquam non propere, aut leuiter Episcopatum abdicasse tradit Virum Sanctissimum; sed post plures annos, ac multos, indefessosque labores, quos in prædicando, & in boni pastoris munere obeundo, exantlauisset. Henriquez eum Menologio suo inserit, ad decimam octauam diem mensis Iunij.

b *Catalog. Eccles. Angl.*

c *Ioannes Balæus.*

Eodem anno obiisse lego Ioannem, Elienſem Episcopum, & Abbatem Fontium, promotum ante quinquennium. Hic vna cum Episcopo Sarisberienſi ab Honorio tertio Iudex datus, qui de Richardo, Dunelmenſi Episcopo, Regij sanguinis Viro; atque in ipsum inquireret, cum de multis, atque atrocibus delictis accusaretur, & ni iudicium morte præueniisset, grauem subiturus sententiam sperabatur. Rem à Nicolao Arsfeldio, paucis perstrictam, accipiat Lector [d]. *Philippo defecto (qui notatur, quasi praua, & deprauata consilia Ioanni suggesserit) Richardus suffectus est, ex familia Henrici Regis, illique acceptissimus. Grauissimè inter eum, & Monachos eiusdem Ecclesiæ, quorum ille prærogatiuas veteres, & priuilegia imminuere, & labefactare conabatur, dimicationes exarserunt; reque Romam relata, & atrocibus criminibus Richardo intentatis, immodicis vterque sumptibus, in lite prosequenda alterum exhausit. Cognitio tandem causæ per Summum Pontificem ad Elienſem, & Sarisberienſem Episcopos reiecta. Sed mors Richardi repentina, causæ exitum, atque decisionem anteuertit, dum Londinum eam ob causam properat. Reliquit Ecclesiam suam quadraginta ferè librarum millibus obæratam.* Ita Arsfeldius.

3.

d *Sæculo 13*

Extant, legunturque apud Matthæum Paris [e] litteræ Pontificiæ ad vtrumque Episcopum sub hoc initio.

4.

e *Ad hunc annum.*

Honorius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis Fratribus Sarisberienſi, & Elienſi Episcopis, salutem, & c.

Ita nobis in odore bonæ opinionis Fratrum, & cooperatorum nostrorum conuenit delectari, vt in pestilentibus vitia non palpemus; cum non deceat pro reuerentia Ordinis, sustinere peccantes, quorum culpa tot eos dignos mortibus facit, quot ad subiectos perditionis exempla transmittunt; qui, sola quæ prauitatis exempla conspiciunt, imitantur. Hinc est, quod, cum de Venerabili Fratre nostro, Dunelmenſi Episcopo, sæpius nobis insinuata fuissent, quæ ab Episcopali dignitate nimium dissonabant, tandem inculcatis clamoribus excitati, vt pateremur, cum perditione multorum quiescere amplius, in suis enormitatibus Episcopum memoratum, de quo insinuatio clamosa processit; quod postquam fuit ad officium Pontificale promotus, reus sanguinis, Simoniæ, adulterij, sacrilegij, rapinæ, periurij, ac dilapidationis multiplicis est effectus: non formidans Clericos orphanos, ac Viros religiosos opprimere, testamenta decedentium

cedentium impedire, &c. Haud ergo exiguæ apud Honorium Papam æstimationis fuit, cui tot, ac talia flagitia corrigenda in Pontifice Regio committebantur. De eo agunt auctores omnes Anglici, & ex his Henriquez in Menologio.

5. Anglis Episcopis adiungo Hispanam fœminam, Beatam Armezanam, Monasterij Cañensis Abbatissam, in veteri Castella, Riuogiaque; quæ suo obitu hunc annum consecrauit; succedente Vrraca, filia fundatorum, claro sanguine orta, sed clariori ex virtute. Armezanæ acta, & miracula periere, quamuis miraculis, & dono Prophetiæ illustrata credatur. Sepulta in ingressu ipso Capituli, ad dexteram ingredientium; sed sine lapide, aut aliqua inscriptione, quod magis mirum; & nihilominus traditioni acceptum sepulchrum Virginis Moniales frequentant, & venerantur. Tum quoties aliqua febribus corripitur, ad illud visitandum socias mittit, & septem Psalmis ibidem recitatis, experientia compertum, multas saluti statim restitutas, benefactrici suæ gratias egisse, & Deum in ipsa admirandum prædicasse. Quantæ opinionis, dum vixit, in Regno fuerit, argumento est authenticum instrumentum eiusdem temporis, quod Sandoualius adducit in fauorem insignis Monasterij, Sanctæ Mariæ de Anagaro, expeditum, pro dotatione vnius perpetuæ lampadis per illustres, & claros Cantabriæ Dominos, in quo inter Regni primores, qui subscribunt, post Vrracam, Reginam Legionensem, Aroneziana Abbatissa de Cañas, & post hanc omnes alij nominentur; vt credi possit, Sanctitati ipsius deferri; vt inter tot, ac tantos Principes Viros, fœmina ipsa (neque constat cuius generis) ipsis volentibus, cunctis præferretur. Cæterum, quod ad Vrracam attinet, filiam fundatorum, Armezanæ suffectam, quantaque opinione Sanctitatis, & ipsa floruerit; anno millesimo ducentesimo sexagesimosecundo, quo constat decessisse, dicendum erit.

6. Hoc ipso anno (ne cuncta funus occupet) sermones in aduentu Saluatoris scribente Cæsario, antequam acta, & Martyrium Engelberti scribenda susciperet, sex scholares cum vno Sacerdote, visio miranda in Cistercio conuerti fecit; quam non aliis verbis melius, fideliusve, quàm ipsius Cæsarij describemus. *Anno*, ait [f], *præsenti, qui est millesimo ducentesimo vigesimoquinto ab Incarnatione Domini, in Sueuio, in ciuitate, quæ dicitur Gdumunda, nocte quadam sex scholares cum vno Sacerdote, ad quoddam funus psalterium lectitantes, post eius completionem egressi foras, simul viderunt in cœlo Lunam corniculatam, & inter eadem cornua in corpore Lunæ obscurato cruces septem: ex quibus media maior erat: & ecce ingens Draco apparuit iuxta illam; ita vt ore aperto videretur illam velle deuorare cum crucibus. Ad cuius hiatum Luna quasi territa eis intuentibus, saltum dedit, adeo, vt cruces aliquantulum tremefactæ ad inuicem disiungerentur. Cumque scholares starent attoniti, duæ candelæ ardentes de cœlo sunt lapsæ, & in Ecclesia Sancti Ioannis Baptistæ, quæ in eadem ciuitate est posita, receptæ. Post modicum in aliam Ecclesiam extra muros eiusdem oppidi, translatæ sunt. Sacerdos vero cum scholaribus de tam horrifica visione territi, & quia in ianuis esset diem iudicij formidantes, omnes in Ordine nostro facti sunt Nouitij.* Ita Cæsarius, qui statim pergit interpretari visionem, & per Lunam Ecclesiam, per cruces, cruce signatorum multitudinem, Dæmonem per Draconem, atque eius ministros, tum Paganos, tum etiam hæreticos designari contendit, sed ipsum magis loquentem audiamus [g].

f Dom. 2. Aduentus.

g *vbi suprà.*

7. *Videtur mihi*, ait, *Luna hæc modica signare Sanctam Ecclesiam, hodie, heu! tum sæuitia Sarracenorum, tum perfidia hæreticorum, nimis demembratam, eclypsatam, atque minoratam: septem vero cruces, eo quod septenarius vniuersitatis numerus sit, multitudinem signatorum; Draco Diabolum. Quantum hodie propter cruce signatos Draco ille terrimus sæuiat, quam ardenter eosdem cum matre Ecclesia in ventrem suæ malitiæ traiicere satagat, nullus dubitare debet. Sed licet trepidet Ecclesia, sicut factum est in perditione Damiatæ; Christi tamen virtute fauces eius euadet.* Hæc ille, satis aptè pro modo, temporis. Sanè Conrado per se, & subdelegatos, crucem per totam Germaniam prædicante, ac tantam, tum nobilium, tum ignobilium signante multitudinem, vt capite huius anni primo vidimus, nemini omnino mirum esse debet, si desæuiret Draco, foreretque, contra quem tantus apparatus belli commouebatur. Cæterum, quid candelæ de cœlo lapsæ, & nunc in æde Beati Ioannis Baptistæ, nunc in alia extra muros receptæ sunt, designare voluerint, nec Cæsarius pandit, nec mei instituti est inuestigare.

8. Concernit etiam hunc eundem annum per humanum hospitium, quod Abbas, ne Conuentus, de Re insula Guillelmo Sabariensi Comiti, de transmarinis partibus venienti, sed naufraganti, feciſſe perhibentur; de quo Matthæus Paris ita scribit [h]. *Willelmus, Comes Sauarienſi, qui cum Comite Richardo militauerat in partibus transmarinis, ad Angliam transiturus, naues intrauit, sed ventis compellentibus, proiectus est cum sociis suis, ad quandam maris insulam, quæ* Re *dicebatur, tribus à Rupella distans milliaribus, vbi breuibus ingressi cymbis ad insulam nauigabant. Est autem in insula illa Abbatia quædam Ordinis Cistercienſis sita, ad quam Comes nuncios dirigens, postulauit, vt tutus posset ibidem latere ab hostibus, donec aura sibi fœlicior arrideret. Quod Abbas loci sibi gratanter annuens, cum honore ipsum, & eius consortes suscepit.*

h *Ad hunc annum.*

9. Rursus hunc annum concernere videtur, dum à Gallia discederet, Conradi Portuensis in Claram-Vallem charitas, & Laurentij Abbatis pro vtroque pia, atque religiosa sollicitudo; illius, dum à partibus Albigensium, in quibus legatione functus fuerat, caput Sancti Vincentij, illustris Martyris, ad Claram-Vallem misit; huius, dum tali, tantoque thesauro condignè recondendo, argenteum vas eximiæ quantitatis, sed

sumptuosioris operis auro, & gemmis distinctum, præparauit, quod hodieque seruatur in Clara-Valle. Non potuit vas relinquere perfectum Laurentius Abbas, sed successori Radulfo consummadum: quippe hoc anno aut ad summum sequenti, morte præuentus, quod nos etiam in ipso memorabimus. Extat horum omnium memoria authentica, & solemnis in inuentario Reliquiarum Claræ-Vallis, vbi de sacris capitibus, his verbis [1].

1 Ex Clara-Valle transmiss.

Vas, in quo continetur caput Sancti Vincentij Martyris: quod caput attulit de partibus Albigensibus Dominus Conradus, Portuensis Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus; & ipsum contulit domui Claræ-Vallis. Factum est istud vas tempore Venerabilium Patrum Domini Laurentij, & Domini Radulfi, Abbatum Claræ-Vallis. Quod continet reliquias viginti quatuor Sanctorum, factum est idem vas ex quadraginta tribus marchis argenti, & vna marcha, & dimidia auri. Continet autem lapides pretiosos, duodecim Balagia, duodecim Saphiros, & tredecim prasinos magnos. In anteriori parte continet lapidem pretiosum, qui vocatur Granate, sumptum ex annulo Domini Garneri, Episcopi Lingonensis, cum quo celebrabat Diuina, quem & contulit eidem operi. Hactenus inuentarium reliquiarum, & largientium, colentiumque antiquæ memoriæ, quas non licuit silentio præterire. Qualiter autem, vt ex Albigesio caput Sancti Vincentij; sic ex Ecclesia Portuensi, tria Sanctorum corpora idem Conradus ad Claram-Vallem miserit, charitatem in omnibus eructans, ipso, quo euenit, tempore dicemus.

10.

11. Demum prædictis addenda esse videntur (vt hæc velut dispersa, solutaque coniungamus in vnum) Rotensis in Hispania Monasterij, atque illius Ecclesiæ prima fundamenta, quæ in eodem cœnobia conseruata in Missali antiquo, nec vulgarem continentia antiquitatem, atque rerum notitiam, ad litteram hic censui transcribenda. *Hic ostenditur sub quanta difficultate fuerit constructa Ecclesia Rotæ, cum iam ibi plusquam viginti annos Conuentus peregisset: anno M. CC. XXV. apertum est fundamentum Ecclesiæ domus Rotæ, VIII. Kalendas Aprilis, Feria quinta post Ramos Palmarum, Luna 12. concurrente II. indictione XIII. præsidente Domino Martino Abbate, qui ab exordio conuersionis suæ plusquam sexaginta annos in Ordine peregerat, tam in Gemundo, quàm in Iuncaria, quam in Rota. Incœpit autem mirabiliter opus Ecclesiæ Venerabilis Ægidius de Rubidij, eius Ecclesiæ Monachus, in cuius manu opus Sanctæ Engratiæ Dominus optimè direxerat, apud Sanctas massas. Mirabiliter, inquam, incœpit, quia senioribus Domus sibi pro viribus resistentibus, eo quod victualia non haberent; nec sumptus; & Domus fuisset quingentis aureis obligata. Ille tamen, de misericordia Christi confessus, more Esdræ; qui vna manu contra resistentes arma tenebat, altera ædificabat. Sic cœpit ædificare, quod Christus debeat sibi consummare. Erant tunc in domo XXXII. Monachi professi, & tres Nouitij. Domino supplicauit, vt merito, & numero, populus sibi seruiens augeretur.*

Mense vero Maij sequenti, Vigilia Pentecostes, duo Monachi venerunt de Gemundo, 12. *qui auctoritate Reuerendissimi, præfatum Dominum Martinum, Gemundi curam suscipere compulerunt. Successit eidem in hoc loco Frater Fortunius, tunc Prior, & die Sanctæ Trinitatis, VIII. Kalendas Iulij, ambo ipsa eadem die, præsente primo Abbate de Scarpi, nomine Dominico, in nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, curam sui gremij pariter susceperunt, ille Gemundi, & iste Rotæ. Sequenti anno, Feria tertia, sexto scilicet Kalendas Iunij, coram altari Beatæ Mariæ Virginis,* Salue Regina, *decantauerunt. Post autem Añam, Dominus Martinus iam dictus, Abbas Gemundi, qui locum construxerat à principio, scilicet, antequam Conuentus exiret de Iuncaria, indutus manipulo, & stola, & Virga Pastorali, præcedente cruce, Conuentu sequente, processit ad locum, vbi construenda erat Ecclesia:* Saluator mundi *cantando; & primum lapidem supposuit pro fundamento; secundum, Fortunius, Abbas loci prædicti; tertium Venerabilis Ægidius, in cuius manu opus Domini dirigebatur.* Hactenus perantiqua memoria, multa complectens, quæ vel pro aliis possunt deseruire. Qualiter autem sumptuosa fabrica, quæ hodieque excellit, intra tredecim annos consummata, & dedicata sit, anno M. CC. XXXIII. quo dedicatio contigit, dicemus.

---

1. *Beatrix Virgo pueritiam prætergressa*, 2. *ad probationem suspirat*, 3. *& admittitur.* 4. *Mox per vota solemnia Deo sacrata.* 5. *Rameyam mittitur.* 6. *Eius cum Beata Ida familiaritas:* 7. *Sancta colloquia*, 8. *petitio, & promißiones.* 9. *Raptus mirabilis*, 10. *& post ipsum profundæ lachrymæ:* 11. *deinde gaudium ingens.* 12. *Et in aduentu Idæ patens miraculum.*

CAPVT QVINTVM.

1. SEQVITVR desideratum diu tempus Virgini Beatrici, quo expletis tandem ætatis quindecim annis, quo ad probationem primum, mox ad vota (nam vtrumque coniugam) miro feruore cœpit anhelare; de quibus tamen, non aliis verbis loqui, quàm eisdem, quæ in vita eius habentur, consultius duco [a]. *Vt autem*, ait, *pueritiæ tempore iam decurso, succedentis adolescentiæ terminos incœpit attingere, miro quodam, & insatiabili desiderio*

a cap. 9.

ſiderio cœpit ad Nouitiatus ſtatum, & habitum aſpirare: tanto ſe fore præſumens Diuinæ Clementiæ gratiorem, quanto per arctiorem Ordinis obſeruantiam eius amplexibus inhærere ſe firmius, ſuique iam ex parte deguſtata dulcedine, ſe fruituram expeditius æſtimabat. Ceperat autem hoc ſalubre deſiderium ab olim, id eſt, in primo conuerſionis ſuæ tempore, cum iugi feruoris augmento in corde ſuo miro modo ſuccreſcere; ſed poſteaquam ætatis ſuæ annum quintum decimum attigit, ita iam dilatatis affectibus, & viribus ampliatis, hoc ipſum intra ſeſe conſurgere ſentiebat; & adeo tam fortiter inualeſcere; quo nullo rationis fræno præualuit illius impetuoſum exceſſum abſque cordis ſui læſione grauiſſima, de cætero cohibere. Hucuſque tamen, etſi cum graui moleſtia renitentem illius impetum, intra ſemetipſum abſconderat, eo quod à Magiſtro, ſibi Præpoſito, tum propter ætatis ſuæ defectum, tum propter virium corporalium imbecille ſubſidium, ſi ad id, quod deſiderauerat, expetendum, ſemetipſam oblatis precibus ingeſſiſſet; repulſam, & corruptionem ſibi deferendam incurrere formidabat. Diutius tamen deſiderium ſuum celare non præualens, ad vniuerſalem matrem miſericordiæ ſe contulit, & crebris cordis ſui gemitibus, fletis multiplicatis, & precibus ipſius patrocinium implorauit.

2. *Prius tamen, quam deſiderium ſuum auderet manifeſtare, ad pleniorem ſui cogitationem, cœpit oculos cordis attollere, moreſque ſuos inueſtigando perquirere; ne fortè quippiam incultum, ſeu inordinatum lateret intrinſecus, quod poſtquam ſuſceptum profeſſionis habitum, ipſam poſſet à perfecta conuerſationis, ad quam aſpirabat, propoſito reuocare. Proinde, tam actibus exterioris hominis, quam interioris, moribus exquiſitis, plurimiſque correctione dignis, intra ſeſe repertis, vt aduertit non modici temporis, & laboris eſſe, tot defectus impugnando reprimere mox primum, & præcipuum illorum, totis conſtantiæ viribus cœpit expugnare, non prius intentionem reuocans ab hoc fructuoſo certamine, quàm per Dei gratiam, indultam ſibi, meruiſſet victoriam obtinere. Hoc igitur à corde ſuo protinus effugato, confeſtim ad alios, prout eos, aut moleſtiores, aut ſuo propoſito contrario res eſſe cognouit, non quidem vno ſimul impetu, ſed ordinatim ad ſingulos dimicatura, ſe contulit.*

3. *Poſtea vero firmam ſpem, & fiduciam habens in Domino, Venerabilem eiuſdem loci Abbatiſſam, totumque Sanctimonialium Conuentum adiit; qua, vt inter Nouitias recipi mereatur, humiliter deprecatur. Habita tamen deliberatione pro tempore, confeſtim ætatis infirmitas, impotentia virium, & nondum præparata neceſſariorum impenſa, ſibi ſimul à cunctis obiicitur; & à propoſito, quod ex iuuenilis animi leuitate potius, quàm ex deliberato conſilio, procedere videbatur, vt maturius reſilire non differat, ab omnibus exhortatur. Sed deuotiſſima Chriſti Virgo, non ſolum his omnibus à firmato iam dudum in mente propoſito reuocari non potuit; quin etiam, accepta reſponſione, voluntati ſuæ contraria, nulla deinceps à ſuo propoſito retardari poſſe moleſtia, vel edita, vel illata, palam coram omnibus affirmauit. Vicit Beatricis conſtantia: nec petitionis effectu diu differri potuit, cuius deſiderium in corde dilectæ ſuæ Diuina Clementia cœlitus inſpirauit. Annuit igitur Abbatiſſa petitioni deuotæ iuuenculæ, cunctiſque ſimul aſſentientibus, induitur veſte candida, veſte lætitiæ, Nouitiarum videlicet habitu, quo cæteris conformata, de cætero iugum Domini ſuaue, quod eatenus apud ſe tulerat in occulto, liberiori iam ſtudio, ſimul & animo, non vetaretur, etiam in publico, baiulare.*

Hactenus de ingreſſu ad probationem, in qua tamen, qualem, & quantam tenera adhuc Virgo ſe exhibuerit? ex ipſis, quæ præceſſerant actionibus, diſputationibúſque, non difficile erit coniectari. Cæterum qualiter poſt expletum annum approbata, & profeſſa, ſe ſupra ſe leuauerit? idem auctor ſcribit totidem verbis [b]. *Expleto itaque probationis anno, ad profeſſionis votum Chriſti Virgo ſuſcipitur: & omnino de iam corpore, ſimul & animo ſponſarum Chriſti Collegio ſociatur: tum vero primum videns expletum illud feruentiſſimum deſiderium cordis ſui, quod nequando perficeretur, ipſa manente in corpore, præ nimio iam dudum conſueuerat deſiderio formidare. Vt vero profeſſionis tempus appropinquare iam cœpit, & in proximo ſociandam ancillarum Chriſti collegio ſe præuidit, quoties id ad memoriam reuocauit, tam ingens lachrymarum affluentia præ maxima gratitudine ſolebat ex eius oculis erumpere, quod nulla potuiſſet eas inſtantia cohibere. Sed & ipſo profeſſionis die, quaſi fluentes ex fonte riuulos, ita reſolutis capitis cataractis, ex oculis lachrymas effundebat. Sic denique deuota Chriſti famula, deuotio incorporata Conuentui, qualem conuerſationem inter cæteras eo tempore ducere cœperit, quam integrè totam Ordinis obſeruantiam exercuerit, quam feruenter aliarum onus in ſuis humeris ipſa portauerit; & præcipuè, qualem ſe ſponſæ ſuo Chriſto Domino præſentauerit? ex ſequentibus manifeſtè patebit.* Hactenus ibi. Cæterum qualiter poſt modicum, ab omiſſa profeſſione, tempus elapſum, ad Monaſterium Rameyæ miſſa, vbi Beatam Idam Niuellenſem, & Magiſtram inuenit, & tanquam matrem venerata eſt; qualeſque, ac quantas, ipſa mediante, & meritorum glorias, & cœleſtium conſolationum primitias experta ſit? pergit auctor ſcribere in hunc modum [c].

4.

b cap. 10.

c cap. 11. 5.

Poſt modicum vero temporis interuallum, conſilio Venerabilis Abbatiſſæ, ad Monaſterium Rameya mittitur, vt ſcribendi facultatem diſceret, vt poſtea libros Eccleſiæ ſuæ neceſſarios ſcribere poſſet. Ibi autem Beatam Idam Niuellenſem magni meriti Virginem inuenit. Cui Beatrix quodam nexu charitatis inſeparabiliter ſemetipſam adiunxit. Verbum ædificationis ex ore ſuo quotidie diligenter expetiit, exceptum in terra cordis ſui fructifera ſeminauit; ſicque factum eſt, vt ex multæ familiaritatis frequentia contraherentur extunc ſpirituales quædam inter vtraſque dilectionis fœdera, quæ ſemper indiſſoluta manſerunt, ipſis perſiſtentibus in hac vita. Beata enim Ida, reuelante Sancto Spiritu, Beatricem noſtram, in ſpecialem ſponſam à Domino fore proculdubio didicit aſſumendam, eiuſque plenitudinem gratiæ ſuperabundanter in anima ſua perfundendam; & præterea ſeſe to-

tam illius obsequiis diligenter exposuit, eam sibi notam applicuit, & salutaribus monitis omni, qua potuit, sollicitudine informauit. Nec tantis ingrata beneficiis Virgo deuotissima, quomodocunque potuit, reddidit in obsequio, vt matrem, ipsam diligens, vt ductricem sequens, vt nutricem amplectens, quippe cuius dulci quotidie mulcebatur alloquio, cuius instituebatur assiduè verbo, pariter, & exemplo.

6. Mirabatur autem humilis Christi iuuencula super Beatæ fœminæ, quam erga se considerabat, obsequiosa quotidie diligentia, prorsus indignam se reputans, ad tantum familiaritatis arcanum peruenire, præsertim illius, quam immensi meriti apud Deum, & apud homines, existere minimè dubitabat; cum ex aduerso, nec alicuius momenti se reputaret, aut meriti; nec aliquatenus dignè se posse tam sublimi familiaritatis obsequio declinari. Proinde Venerabilem Idam vna dierum aggreditur, & quid sibi velit hæc tanta familiaritatis obligatio, sedulitas in obsequio, gratiositas in colloquio, præsertim apud se tam humilem, & paruam, tam ab ipsa meritorum, & vitæ dissimilitudine differentem, humiliter simul, & familiariter scisciatur. Ad hæc Venerabilis Ida: Et non tantum, inquit, pro meritis, & virtutibus, quibus in præsenti te decorare conspicio, tam indissolubili charitatis affectu te diligo, quantum pro his, quibus te certissimè scio futuris temporibus à Domino sublimandam. Etenim pius misericordiarum Dominus super te suæ miserationis oculos icdubitanter aperiet, teque in sponsam sibi fidelissimam eliget, suæque plenitudine gratiæ ditabit. Tu vero tantis eius beneficiis omnino satage, te non ingratam in oculis suæ Maiestatis ostendere, è vasculo cordis tui, si quid in eo superfluum delitescit, curato diligenter effundere, & quantum in te est, locum acceptabilem in corde tuo Diuinæ gratiæ præparare. Non enim qui cœpit in te iam aliqua suæ liberalitatis indicia demonstrare, manum solitæ pietatis à te reuocabit vllo modo, cuius gratiæ dona melliflua, siquidem bene dispensare curaueris in hoc sæculo, multiplicabit, & gloriam in futuro. Qua responsione Beatrix accepta, mirabiliter exultauit in Domino, firmam spem habens, & fiduciam de promisso.

7. Cœpit tamen desiderio non modico intra se æstuare, quatenus hæc ipsa, quæ tantæ perfectionis futuræ testimonium acceperat, spirituales apud altissimum orationum hostias pro se dignaretur offerre, eamque deuotis precibus Omnipotentis Dei Clementiæ commendare; circa quod Beatæ Idæ iterum loquitur, & vt desiderium suum adimpleat, deprecatur humiliter, & exhortatur. Cui rursus Ida Beatissima respondit dicens: quid à Domino filia consequi, vel per me tibi impetrari desideras in instanti? Scito me paratam ad parendum in omnibus tuo beneplacito, nec mihi cunctaris desiderium tui cordis dicere, quod sibi superna gratia dignabitur inspirare. Ad hæc iterum humilis Christi famula: Rogo Domina, inquit, vt apud misericordem Dominum tuis mihi precibus obtinere studeas, vt illius gratiæ singularis gustu me recreet, & participio confortet; cuius dulcedinem, solis dat electis, & specialibus suis, in hoc sæculo sibi famulantibus, experiri. Tunc Ida: Esto, inquit, parata in diem Sanctæ Natiuitatis Domini, quo desiderium cordis tui gratiam infundendo, quam postulas, pius dignabitur Dominus adimplere. Quod audiens læta supra modum efficitur, & in diem sibi præfixum gratiam visitationis Dominicæ cum præparata sollicitudine præstolatur.

Quid plura? Adest dies Sanctæ Natiuitatis Dominicæ, Beatrice optante per horas singulas infusionem gratiæ; sed eo die, quod acceperat in promisso, Diuina Clementia, rem, & rei processum aliter ordinante, provt iam dudum optauerat, non contigit euenire. Nullum enim vel gustum, vel experimentum gratiæ, quam sperauerat, illa die accipere potuit. Quapropter, licet admodum mœrore confecta fuerit, patienter tamen, & humiliter, huius grauaminis apud se molestiam toleranit; nimirum peccatis suis exigentibus reputans accidisse, quod cœlestis gratiæ fruitionem in illo Sanctissimo die non meruerit impetrare. Circa quod Venerabilem Idam rursus aggreditur, & quid causæ fuerit, cur sibi hoc acciderit? humiliter percontatur. Cui denuo Beata fœmina sic respondit: Non peccatis tuis exigentibus, vt suspicaris, id accidit, sed scito certissime, quod infra diem octauum ab illo primo die Natiuitatis Dominicæ computandum, hoc, quod speras, eueniet. Nec me perperam tibi respondisse, putare te conuenit, quia Sanctum circumcisionis diem, cum octauis interiacentibus, quisquis operationis Diuinæ mysterium his diebus expletum efficaciter honorare voluerit, sub vnius Dominicæ Natiuitatis die rationis iudicio compilabit. Quod iterum consolationis à Beata fœmina responsum accipiens, in spem mirabiliter erecta refloruit; & demum promissam gratiam tam diebus, quam noctibus, & precibus instanter expetiit, & magnis desiderij affectibus, tempus suæ visitationis humiliter expectauit [d]. 8.

d cap. 9.

Præfatis ergo diebus, id est octauis Natiuitatis, cum pio misericordiarum Domino suæ pietatis opus in Beatrice deuota sua famula perficere complaceret, accidit vna dierum, vt secundum exigentiam temporis, Completorio, quod aduesperascente iam die psallebatur in choro, cum cæteris Monialibus interesset, cumque residens inter psallendum ab omni forensi strepitu modicè quieuisset, magnoque conatu cor suum ad Dominum eleuasset; venit in mentem eius Antiphona illa, quæ his diebus in choro cantabatur, videlicet: Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, filium suum misit in similitudinem carnis peccati, vt omnes saluaret: Cuius Antiphonæ verba diligenter examinans, magnamque in his laudis Diuinæ materiam inuestigans, ipsum filium hac verborum recordatione concepta, deuoto meditationis incessu sursum, vsque dum ad patris præsentiam meditando conscenderet, cum laudibus, & gratiarum actionibus humiliter est sequuta: quo cum meditando peruenisset, & vlterius ascendere non valeret, iterum venit in mentem eius, illud quod diebus Paschalibus in Responsorio psallitur: Et Dauid cum cantoribus Cytharam percutiebat in domo Domini: Quibus verbis, cum meditando rursus intenderet, & ea sedulo ruminaret, in excessu mentis suæ continuo rapta est. Viditque non corporalibus, sed intellectualibus, non carnis, sed mentis oculis, sublimem, 9.

blimem, & Deificam Trinitatem mirabiliter, & claritatis suæ decore, sempiternæque virtutis suæ omnipotentia relucentem: & Dauid cum cantoribus illius supernæ Hierusalem, in psalterio simul, & cythara maiestatem Diuinæ potentiæ mirificè collaudantem: Sanctorum spirituum agminа, cœlestiumque virtutum ordinata collegia, summæ Deitatis præsentiam incessabiliter intuentes, intuendo feruenter amantes, amando laudum iubilos in tranquillo pacis silentio summæ Trinitatis Essentiæ mirificè decantantes. Cum quibus ipsa quoque, cui hæc videre concessa sunt, cum ad magnificandam creatoris sui præsentiam, affectum sedulo conaretur erigere: contigit, vt finito Completorio, Conuentus Sanctimonialium, requiescendi gratia dormitorium ascendens, ad strata sua recederet, ipsa nihil horum, quæ gerebantur, extra se aduertente, sed adhuc immobiliter in contemplationis suæ dulcedine permanente, quasi dormiens inclinata deorsum, in subsidio resideret. Quædam autem Monialis illam somnio depressam existimans, propiusque accedens, oram vestimenti eius attraxit modicè, sic credens à somno excitare dormitantem sociam. Sed illa nec sic, quid extra se fieret aduertente, præstitit altera vestimentum, vt à somno dormitantem excitaret, instantius attrahendo, donec eius importunitate, resumptis sensibus exterioris hominis, in se reuerteretur.

10. Ad se ergo reuersa, cum à cœlestibus diuitiis, ad humanæ conditionis miseriam reuocatam se conspiceret, & se in terris positam, quæ paulo ante cœlestium spirituum gaudiis interfuerat, inueniret, cœpit vehementer suspirando lachrymas effundere, faciemque tam continuis fletibus irrigare, quid illam excitatricem suam conturbatam ex eo reddiderit; quæ residens iuxta flentem, & mœrentem, caput eiulantis in sinu suo reclinauit, & quantum sub silentio licuit, lachrymas tegendo, flentemque fouendo, mœrenti, compassiuo deuotionis affectu, ministrauit. Post paulum igitur ad stratum reducta, cum apud se, quid paulo ante contigerit sibi meditando reuolueret, & vbi fuerit, & quid viderit, ad memoriam reuocaret, tam insolita mentis iucunditate cœpit interius affici, quod illius immensa prodigalitas, nullo sensu ante experiente intelligi potuisset, nullove ab experto valeret verborum ordine demonstrari. Accidit autem eadem in hora, quoddam mirabile, Beatam videlicet Beatricem, ex multa lachrymarum abundantia, tam perfectam corporis Sanctitatem consequi, quod eodem in tempore nullo se sensit infirmitatis pondere molestari, quamuis omni illo die tam grauem obsessionem in membris suis experta fuit, vt se putauerit febri, vt aliqua alia infirmitate fatigari. Quod quidem præternaturalem rerum ordinem accidisse, non dubito, cum ex nimia lachrymarum effusione magis debilitaret, quam à debilitatis molestia releuare deberet.

Cum autem in hac iucunditate, & lætitia 11.
pauco tempore permansisset, Venerabilis Ida cum aliis quibusdam Monialibus gratia visitationis aduenit. Illis ergo accedentibus, videns Beatrix Beatam Virginem Idam, præ maxima cordis lætitia cœpit in risum erumpere, nec poterat illarum præsentia, cordis tolerantiam sustinere; siquidem videbatur ei, quod in partes cor suum nimia iucunditate scinderetur, si Venerabilem Idam ad se propius aliquatenus accedere contigisset. Et ideo cœpit intra se Deum exorare, vt lucerna, quæ totum illud dormitorium illustrabat, extingueretur, vt risus ipsius aliis non pateret. Quod ita factum est: Nam continuo lucerna deorsum extincta, cecidit, & sic tenebrosum totum illud dormitorium reddidit: & Dominus parens imperio Beatricis, Dei famulæ desiderio satisfecit. Tunc vero rursus, etsi non videretur, audiri tamen se timens ab aliis, iterum ad Dominum effusis precibus se conuertit, ei supplicans, vt venientes Moniales à se recedere faceret, & ab earum præsentia, quam tunc sustinere non poterat, ipsam liberaret. Sed & hoc ita factum est; nam illæ, priusquam ad illam propius accessissent, Diuinitus admonitæ, recessere continuo, & Dei electam soli Deo vacare volentem, abeuntes sine molestia reliquere.

Ab his ergo Christi sponsa Diuinitus ex- 12.
pedita, tanto syncerius acceptæ gratiæ, nouis fruitionibus incumbebat, quanto sub nocturnis tenebris, & silentio, dormientibus aliis, aut quid sibi tunc accidit, ignorantibus, liberius id licebat. Siquidem delectabiliter in nouæ gratiæ dulcedine se exercens, tam immoderatis (vellet, nollet) risibus insistebat, vt ne ridentis sonus ab aliis deprehenderetur, eadem nocte frequentissime Domino supplicaret. Infusa etiam nouæ gratiæ dulcedo sic eatenus huiusmodi iucunditatis expertam effecerat, vt crebro sub eadem nocte in aëre volitare sibi videretur: nec enim tantæ Beatitudinis copia repente disparuit, sed per mensem integrum, & eo amplius, in eius spiritu dulcedo gratiæ cœlestis perdurauit. Hactenus acta Venerabilis Virgunculæ, in quibus haud difficile cognoscetur, quod de Beato Benedicto parente dicitur, à quanta gratia Beatrix Virgo incœperit, quæ adhuc in ætate tam puellari, & cœlesti illa mirifica visione, & patenti miraculo, à Domino meruit præueniri. Sed de Beatrice rursus nobis sermo, cum ex Rameya reducem ad proprium Monasterium comitemur.

1. *Sanctus Edmundus, reuelatione prævia, discipulos ante se ad Cistercium mittit.* 2. *Coniectatum de illis,* 3. *& Monasterio Sanctæ Catherinæ, Cistercienſium Virginum domus, & vnde primum nota.* 4. *Sanctæ Elizabethæ Vngaricæ parentes, pueritiaque.* 5. *Coniugium;* 6. *& annuente marito, de obediendo confeſſori, conceptum votum.* 7. *Nulla acta Capituli.* 8. *In Chronologia duplex Monaſterium Robilianum,* 9. *& Grangia Carraceti: Pena maior.* 10. *Dictum de aliis duabus Abbatiis; ſed quæ venient ſeorſim pertractandæ.*

CAPVT SEXTVM.

1. HOc ferè tempore Pariſiis Sanctus Edmundus, natione Anglus, patria Abingdonienſis (quem Archiepiſcopum Cantuarienſis Eccleſia primum, deinde Monachum Pontigniacenſis præſtolabantur) cum publicè Theologiam profiteretur, ſeptem diſcipulos ante ſe præmiſit, non modicè Ciſtercium illuſtraturos: idque inſigni viſione præcedenti, quæ eorum, tum conuerſionem, tum Sanctitatem, & merita, ac doctrinam ſignificaret. Deſcriptam eam ab auctoribus vitæ eius, quia tam feruorem Sancti, quam Ciſtercij opinionem per ea tempora eximiè commendat, ad litteram tranſcribam pro meo more

a *Apud Sur. tom. 6.*

[a]. *Erat Edmundus concionator egregius, diſputator acutus, pius Theologiæ profeſſor: atque in his omnibus illis infundebat, quod ipſe hauſerat de fontibus Saluatoris.* Et poſt pauca. *Ignis in cordis eius altari ingiter ardens, aliis oſtendebat lucis iter. Quadam nocte in ſomniis vidit ignem copioſum exiſtere in ſchola ſua, atque inde ſeptem faculas extrahi. Altera luce in ſcholis eo prælegente, Abbas quidam Ciſtercienſis Ordinis eo aduenit; & lectione abſoluta, ſeptem ex eius diſcipulis ſecum adduxit, qui omnes facti ſunt in eius Monaſterio Monachi.* Ita vterque Robertus, Richius nimirum eiuſdem Edmundi Frater, atque eius diſcipulus Bachonius, vt coniectatur Surius, ex quo decerpſimus: vt palam fieret Edmundo prælegenti, & qui in Abbate ardebat, copioſus ignis, atque flammantes radij diſcipulorum, qui poſtea eſſent per orbem dilatandi.

2. Non ſatis conſtat, quæ fuerit Eccleſia, quæ hos Edmundi diſcipulos ſuſcepit. Vnum ex eis Stephanum fuiſſe, natione item Anglum, qui ex Abbate Monaſterij Sabigniacenſis, in Clara-Valle electus, Pariſienſe Collegium primus ſtruxit. Dein vitam priuatam ibidem agens, nec ſolum Abbatia, verum etiam contempto Epiſcopatu, quo à Summo Pontifice donabatur, tandem plenus dierum Sancte obdormiuit. Vrſi campi ſepultus, vt habet ſeries Abbatum Claræ-Vallenſium, idem, qui ſupra, auctores teſtificantur. Porrò hinc ſumi poteſt coniectura, alteram ex his tribus Eccleſiis eſſe, quæ ſeptemplici illa face ditata fuit: quippe omnes in eadem conuerſos auctores produnt: nec credendum Stephanum aliunde prodiiſſe, quam ex aliqua ex illis, in quibus, aut honorem accepit, aut ſepulturam. Quæcumque fuerit opportuna affuit, maturam ſegetem in horrea aſportatura. Nec parum facit ad Ciſtercij laudem, quod Edmundo cœleſtia referante, cum iam tot aliæ familiæ per Eccleſiam incœpiſſent florere, & primitiuum feruorem præ ſe ferrent, ſolum Ciſtercium ab omnibus electum; ſiue ab ipſo prælatio ortum habuerit, ſiue ſola perfectiori vita propoſita, occurrerit Ciſtercium his, qui forent eandem amplexuri. Hæc ad hunc annum, quantum ex actis Edmundi, necnon & Stephani, licet coniectari.

Hoc item anno, cum nouo Monaſterio hactenus ignorato, aut æmulata noſtros, aut ſe in ipſorum ara mactandam offerens, hos Annales illuſtrat Beata Eliſabeth, Andreæ, & Gertrudis, Vngariæ Regum, filia, Ludouici Lantgrauij Turingiæ vxor, in Monaſterio Sanctæ Catherinæ Virginum Ciſtercienſium, in Turingia iuxta Caſtrum VVarberch obedientiam promittens, viuente adhuc marito, volenteque; quem poſt illius mortem, vt videbimus, nouis vinculis additis, atque habitus griſei ſuſceptione, vt verbis vtar Vincentij Bellicacenſis, ſolemnizauit. Scimus hanc gloriam vendicari, vt propriam, à Franciſcanis Patribus; neque hi ſumus, qui alienis delectemur: ſed neque deſunt, qui noſtris eam attribuant: neque res magnas ſilentio præterire conceſſum nobis, maximè, ſi quæ tales reperiuntur, quæ vel in dubio illuſtrant. Et concernere noſtros Eliſabetham, ſaltem ex loco voti, fortè, & habitu, nequaquam poteſt in dubium reuocari. Illud compertum, Sanctiſſimam matronam, quidquid perfectum erat æmulantem, adeo vtrique familiæ fuiſſe addictam, vt merito vtramque amplexata videri poſſet; & ſolum profeſſioni vtrique deeſſe, vt alteram aſſumeret; & dum neutram ab alia diuiſam ſequitur, quaſi coniunctim vtramque copularet. 3.

Nata illa anno M. CC. VII. & lactens adhuc (qui Principum mos eſt) Ludouico, hæredi Turingiæ, ſponſa, cum quatuor annos vix dum expleuiſſet, ad Socerum deducta, mox orba matre, nec multo poſt, quem iam pro patre habebat, Socero ipſo, ſub Sophiæ viduæ, Ludouici matris, cura, relicta eſt, maturam matrimonio ætatem præſtolatura. Annos nata quatuordecim, hoc eſt M. CC. XXI. copulata marito, ſolidas præ ſe tulit virtutes tenero in corpore. His Ludouicus adeo captus eſt, vt quamuis aulicis coniugium diſſuadentibus, (quando aulicis placeret fœmina Sancta?) & prætendentibus, defraudatam dotem à morte matris, conſtanter reſponderit; dotes Eliſabethæ virtutes eſſe, quas ſibi præferendas montibus aureis, etiamſi dari poſſent, decretum eſſe; neque hoc propoſito vnquam reuocandum. Fuere reuera dotales virtutes fœminæ, quippe, quæ ſtatim ad virum tranſiere, & quod timebant, aulicis euenit; nullum malis actibus locum ſub Sanctis Regibus. Vnicum filium marem, & duas filias Eliſabetha genuit in tam tenera ætate, properante natura, vel potius Deo, vt breui conſummanda (quippe vix impletura annos XXIV.) nulla non tempora expleſſe cenſeri poſſet. Quatuordecim annos Virgo, ſex nupta, quatuor vidua: & in his tribus 4.

ſtatibus,

ſtatibus, nullum non minus implens, ſiue ad Deum, ſiue ad maritum, ſiue ad homines. Quarto à contracto matrimonio anno, ætatis XVIII. qui fuit Chriſti M.CC.XXV. quem nos tranſcurrimus, à Ludouico obtinuit, vt præter obedientiam coniugalem, quam eidem debebat iure thalami, religioſam vouere ſibi permitteret, per quam ſalua priori, in omnibus, quæ ad Deum eſſent, dirigeretur. Priorem obedientiam quaſi directè terminari ad corpus: ſe velle etiam ſpiritu obedire, & primam ex amore carnali nimium ſuauem, ſecunda temperandam; quæ nullis illecebris valeat euacuari, nullis blanditiis.

5. *Per idem tempus (Iacobi Montani* [b] *Spirenſis verba ſumo, in ea, quam ſcripſit, vita Matronæ Sanctæ) Sacerdos Chriſti Conradus Maſpurgenſis, vita, & eruditione præclarus fuit. Is facta ſibi à Pontifice Maximo poteſtate Verbum Dei per Alemaniam prædicandi, adeo dexteritate pariter, & auctoritate concionandi valuit, vt non minus ſeueritate rebelles compeſceret, quam bonos alliceret, animaretque comitate. Verbis vita ad amuſſim reſpondebat. Erat enim diuitiarum, & ambitionis contemptor, religionis Chriſtianæ ardens zelator, hæreticorum hoſtis, ac impugnator acerrimus. Eccleſiaſtica bona, neque per ſe ambire, non habita; neque ſuſcipere oblata, vnquam eſt adnotatus. Veſtis illi vulgarem non excedens, menſa frugalis, domeſticæ diſciplinæ fama incolumis. Huic Ludouicus, Clariſſimus Princeps, omnes templorum præfecturas, ac Sacerdotia, quæ ipſe conferre habebat, conferendi, in quo vellet, poteſtatem dedit; vtque ab Eliſabeth obedientia matrimonio congruens præſtaretur, aſſenſus eſt: quam illa & deuotiſſime præſtitit, & ſtudioſiſſime ſeruauit, non ſolum toto biennio, quo Princeps poſtea ſuperuixit, verum etiam poſteaquam è vita migrauit; & quidem multo promptiorem, abſolutioremque.* Hactenus ille.

[b] *Tomo 6. apud Sur. cap. 6.*

6. Ex quibus conſtat tempus obedientiæ promiſſæ, nempe biennio ante Ludouici mortem, quem anno M. CC. XXVII. defunctum, & palam eſt, & nos etiam ibidem oſtendemus. Porrò de loco conſonant Theodoricus Turingus Dominicanus apud Henricum Caniſium [c] Anonimus Franciſcanus, aliique, ex quibus Annales Minorum ſequenti anno [d] *Anno proximè elapſo, ſcilicet M. CC. XXV. huic pio Viro (Conrado ſcilicet Maſpurgio) obedientiam promiſiſſe (Sanctam Elizabetham) in cœnobio Sanctæ Catherinæ, Sanctimonialium Ordinis Ciſtercienſis, Ciuitatis Yſenacenſis, vult cum Anonymo noſtro Theodoricus, &c.* Vt nullus dubitandi locus ſit, vbi partes conueniunt: quamuis hoc ipſum aliorum etiam teſtimonio, & grauium ſcriptorum, probari poſſet. De Conrado ipſo maior difficultas, an ſæcularis Clericus, an Regularis alicuius inſtituti normam ſectatus fuerit? Nanc Trithemius [e] in Chronico Horſangienſi Dominicanum putat, & cum Conrado Theutonico confundit. Verum longè diuerſos exactè probat Lucas VVadingus, Egregius Annaliſta [f]: & ſanè cum, cui obedientiam promiſit Eliſabetha, non Regularem fuiſſe, ſed ſæcularem, ex notis Iacobi Montani, & litteris Gregorij Papæ noni, inferius adducendis, licet colligere. Clariſſime autem ex Theodorico Turingo, qui eum ſimplici, modeſto, & Clericali habitu vſum, expreſsè tradit. Hæc, marito viuente, Eliſabetha; quod nullo modo ad aliquod inſtitutum aſſumptum referri valeat, ſed ad promiſſam confeſſori ſuo obedientiam, quod ſæcularibus æquè, ac religioſis commune eſt; vel ſi cui proprius, certè ſæcularibus. Qualiter autem poſt mariti mortem, eadem iterata promiſſione, habitum religionis, aut religioni ſimilem, aſſumpſerit? & quiſnam ille, aut qualis cenſenda ſit? Deo dante poſt triennium dicturi ſumus.

[c] *lib. 3. c. 12.*
[d] *Num. 49.*
[e] *Ad annum 1224. & 1228.*
[f] *Anno ſequenti n. 48.*

Nullas hoc anno leges latas inuenio, quod ô 7.
vtinam tranſiret in exemplum noſtris temporibus! Mirum eſt, cum viſitationes frequenter fiant, frequenter capitula, nullam viſitationem ſine mandatis, nullum Capitulum ſine legibus nouis dari poſſe; quaſi fateamur, humanam prouidentiam à vitiis noſtris vinci: neque vllam adeo exactam dari poſſe, quæ non multa omittat: ſiue quod melius fortè, & proprius dixerim, peccata hominum tot, ac talia eſſe, tam varíaque, vt nullis legibus non ſolum coërceri valeant, ſed nec perſtringi. Debemus aliquando non prohibere; ne ſemper prohibenda à nobis facta, & nonnunquam cum ſcandalo, fateamur.

In Chronologia Abbatiæ dum accreſcunt, de 8.
Rufiniana, Rubilianum alij vocant, alij Roſinianum (credo in Calabria:) & in Hiſpania Monaſterium Pœnæ Maioris. Prior domus in linea Claræ-Vallis incerta matre; neque quid aliud de ea tradere poſſumus: Niſi quod tamen, in litteris Gregorij Papæ noni, congregationis Florenſis domus dicitur, in Diœceſi Stabienſi (Eccleſiam olim ſub Surrentino Metropolita, ſed quæ Stabiis euerſis, tranſiit in Caſtellanam) & cum Ferraria, Abbatia Ciſtercij, litigans ſuper quodam Prioratu, in Diœceſi Amalfitana ſito, commemoratur. Litteras, litemque, quia nonnihil conducunt ad hiſtoriam, in tempore dabimus. Nunc pro aliquali notitia Monaſterij, ſi tamen fortè idem, hæc tetigiſſe ſatis iudicamus.

Sequitur Abbatia Pœnæ Maioris, Carraceti 9.
olim Grangia, ſed mox filia, atque eo magis filia, quo ſine patre. Quippe cum fundatores ſæculares, qui locum donabant, dotabantque, communiter pro patribus; Monaſteria, quæ Monachos mittebant, pro matribus haberi conſueuiſſent. Carracetum in hac generatione vtrumque munus geſſit, quæ & locum ipſum dedit, dotauitque, & Monachos tranſmiſit, ex propria domo. Cauſa, vt creditur, quod ipſa Pœna Maior redditus ſufficientes haberet ad Abbatiam; & aliàs Carracetum abundaret temporalibus bonis, neque indigeret aportandis ex illo loco, qui ad duodecim Leucas diſtans eſſet. Carraceti Abbas, qui filiam ex membro fecit, exemplo non vulgari, ſi tempora attendas, Nicolaus, huius nominis primus, qui ab anno M. CC. XXIII. vſque ad M.CC.XXIV. præfuiſſe dicitur Eſt Pœna Maior in Diœceſi Lucenſi, ad quinque Leucas ab Vrbe Cathedrali: Abbatia ex hoc anno vſque ad M.D.V. quo, erecta in Regnis Caſtellæ, & Legionis congregatione, & pro ea Collegio Salmanticenſi, ſub aduocatione S. Saluatoris, illi vnitur ab Alexandro ſexto, cum aliis duobus Monaſteriis, vt ſuo tempore latius dicendum erit.

10. Duabus Abbatiis recēſitis in Chronologia, duas alias addēdas eſſe video: alterā fœminarū, virorum alterā, vtranque in Belgio: Bodeliū, ſeu de Bodeloo, filiā Camberonæ, quā venerabilis, & vere B. Pater, Balduinus de Bocla Benedictinus, Benedictinis Nigri Ordinis Monachis ante aliquot annos ædificauerat: & Reclinatoriū B. Virginis, quā Ioanna Comitiſſa Flandriæ, Virginibus Ciſtercij, pro libertate mariti, vt credere par eſt, ædificauit; in alio primum loco; ſed inde, ob varias incommoditates, & populi frequentiam, moleſtam ſacris Virginibus, ad oppidum Marquetam transferendam; vnde & nomen aſſumpſit, quo hoc tempore frequentius nuncupatur. Porro hanc Abbatiam, Aquiriæ filiam inde coniector, quod prima eius Abbatiſſa Beata, fœmina Sancta, Monialis antea in Aquiria, commemoratur. In aliquibus exemplaribus Chronologiæ Eccleſiarum Ciſtercienſium Bodelium ante decennium ſuſcepiſſe. Ciſtercium deſignatur; nempe anno Domini M. CC. XXV. Sed credo ante latione illi conceſſa propter antiquitatem Monaſterij, grauitatemque, quod cum aliis, nec paucis, factum ſuperius vidimus. Robertus Claudius hunc annum, vt proprium notat; & dum non adeſt alius, quem ſequamur, placuit ab eius veſtigiis non diſcedere. Cum maximè ex his, quæ dicam de Biloka ſequenti anno, non poſſe vltra differri compertum habeam. Verum vtraque domus tanta eſt, vt ſeorſim indigeat memorari.

---

1. *Bodeloenſis Abbatiæ initia, ſub nigro habitu.* 2. *Balduini de Bocla pueritia, & Monachatus.* 3. *Prælata Eremus,* 4. *& miranda vita inſtituta,* 5. *glorioſa miraculis,* 6. *atque continuis de cœlo conſolationibus.* 7. *Maria Virgo Monaſterium ab eo conſtrui iubet,* 8. *quod vſque tertio repetit.* 9. *Obedientia, & impleta promiſſio Virginis.* 10. *Dotatio domus,* 11. *& recuſatum augmentum pinguioris dotis.* 12. *Ciſtercij admiſſio,* 13. *& dictum de duobus aliis Monachis Sanctis.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. BODELOENSEM Abbatiam Ordinis Nigri, Vulgo de Bodeloo, in Tornacenſi Diœceſi ante non multos annos ædificauerat, ſimulque primus Abbas illi præfuerat venerabilis, & vere S. Pater, Balduinus de Bocla, Monachus Blandinienſis, neque tā proprio impulſu deuotionis, quā Virginis mādato, quæ tertio illi intimauit id ſibi opus gratiſſimū futurū. Vnde facile mihi perſuadeo in votis illi fuiſſe, quam domum conficiebat, Ciſtercio tradere, (quamuis id facere conſtituto pretio expreſſe recuſauit) vt infra dicam, Ordini quippe Matri Dei addicto, præ cunctis aliis; & cuius ipſa, quod multis iam patebat experimentis, gereret ſpecialem ſollicitudinem. Verum morte præuentus, quod conceperat, nec potuiſſet afficere, reliquiſſe in mandatis quantocyus perficiendum à ſuis filiis. Monaſterium incœpiſſe dicitur, anno M. C. XCVII. vel, vt aliis placet; XC. LX Balduinus defunctus triennio poſt, ſiue ſequenti anno, cum nondum perfectionem accepiſſet incœptum opus: nec multum fuit, ſi à Sancta ipſius morte, mutationi faciendæ, & confirmandis Monachorum voluntatibus (quæ vt Balduino nullatenus reſiſterent, ſic ipſo mortuo, facile in diuerſas ſententias diuidebantur) quinque & viginti anni pertranſierint, ſiue, vt vult Chronologia, quindecim tantum, quos vel leuiora requirunt, ſi ſemel fallant. Igitur Balduinum, non vt exterum, ſed vt proprium loquemur, quem ideo tantum Ciſtercium non habuit, vt meliorem haberet: neque ipſe tam non tradidit, quod fecit, quam maius quid, & auguſtius tradere voluit. Vitam ipſius ſcripſit auctor anonymus, forte ex eius diſcipulis, quippe qui cuncta, quæ ſcribit, vidiſſe ait; ex qua ab Antonio Sandero vulgata in Agiologio Flandriæ, quæcumque dixerimus, excipiemus.

2. Patria illi Gandauum, parentes nobiles, geniū auerſum ab hominum tumultu, atque Eremum ſuſpirans à primis annis. Cum ad vndecimum, vel circa peruenisſet, in Monaſterio S. Petri Gandaui Monachum induit, quo ab initio rationis, & arbitrij; moribus æque, ac viribus, & gratia, pariter ac natura, & ætate promoueretur. Ex tunc patere cœpit inſidiis Dæmonum, ſed quas, Deo auctore, ſemper euaſit. Prouectior iam, & Sacerdos ordinatus, ad Angliam miſſus, in Grangia domus Eremum ſibi aptauit, in qua & Deo vacaret, quandiu poſſet, & Patres illos antiquos imitaretur. *Reuerſus (ait auctor* [a] *vitæ eius) cum quodam tempore Eremum inter VVaſiam, & Hactuelde iacentem, per deuia ſyluestria, & nemoroſa, quorum copia tunc temporis ibidem habebatur, maxima perluſtraſſet: ad locum, in quo nunc Monaſterium de Bodeloo ſitum eſt, peruenit, Angelico ductus comitatu, & Diuino iudicio ſibi ſine dubio demonſtratum; quia in eodem loco ſe audiuiſſe, teſtatus eſt, Angelicum melos dulciſonum. Loco ergo notato reuerſus, ab Abbate, vt in Eremo vitam ducere poſſet grauiorem, licentiam ſibi fieri poſtulauit: Abbas vero ipſum videns Diuinitus inflammatum, & ſacræ voluntati contraire non audens, licentiam conceſſit eidem, licet inuitus.*

[a] *in Hagiol. Flandria.*

3. *Ad prædictum vero locum confeſtim properans ſecum ſex panes ordaceos & paruulos detulit; omnem ſollicitudinem ſuam in illum proiiciens, qui quærentibus primùm Regnum cœlorum, & iuſtitiam eius, omnia neceſſaria promittit adiicienda. Et his panibus per quadraginta dies, in eadem Eremo eſt ſuſtentatus, prout dudum Helias per vnum confortatus prandium, ieiunium adimpleuit quadragenarium.* Hactenus ibi. Ergo ſeipſo factus iam robuſtior, in ipſo quaſi egreſſus ſui limine, quo Monaſterium ab ipſo fabricandum, euaderet auguſtius Angelorum, & audire voces meruerit, & ductum ſequi, qui vitam Monachorum, quaſi locus deſtinatus erat, repræſentarent; ſed & ipſe Angelorum ipſorum æmulus, non comedens nec bibens, Diuinis magis laudibus, & myſteriorum cœleſtium contemplatione ſuſtentabatur. Ab hoc quadrageſimali ieiunio Eremiticam vitam auſpicatus, ad maiora, & altiora diſponebatur.

4. Pergunt acta [b] *Inuenitur tandem à paſtoribus, &*

[b] *vbi ſuprà*

& omni vicinia palam faciunt, se in nemore secretiori Monachum nigri habitus inuenisse. Ad quem multi confluunt, sacris eius orationibus suffragari cupientes, & ipsi victualium necessaria administrant. Constituunt etiam ipsi ibidem quoddam recluſorium, tanquam casam paruulam. Erat in eisdem partibus vir, nomine Theodoricus, habens filium Guillelmum nominatum, qui & postea Priorulus cognominabatur: Et ad seruiendum Viro Dei obtulit, & concessit. Qui ministerium sibi creditum semper, vt fidelis minister, studuit adimplere. Sic Vir Prophetarum suscepit iuuenem, per quem sibi terrena prouenirent, parce, & tenuiter, & qui per eum large, & abundanter in Ordine ad cœlestia promouereretur. Verum quàm vtraque magis per Balduinum, quippe terrenis ad cœlestia consequutis iuxta promissum Christi, quod ipse voluit miraculo illustri confirmare, sequentia declarabunt, quæ ita habent. [c]

c vbi suprà 5.

Quadam die, cum esset (Balduinus) in exercitio noualium laborans, prout multum sueuerat, in securi, & ligone, quidam senex, canus capillis, vultu procerus, sub pauperis habitu, ministrum adiit domi residentem, & ad extinguendum esuriem suam aliquod ab eo sibi petiit beneficium; quippe affirmat, se per triduum panem nec vidisse, nec gustasse. Cum nihil autem haberet ad vescendum, nisi paruulam partem ordeacei panis subcinericij, minister egressus Domino omnia intimauit. Ad quem Dominus suus: Confer egeno de pane partem ad me spectantem. Ad quem minister: Dies penitus inclinata est ad Vesperam, & Villæ remotæ sunt, licet in instanti abiero, & iter fecero prosperum, vix ante mediam noctem perficiam reditum: & adhuc ieiunamus; & panem egeno conferam? Ad quod Dominus respondit: Confer egeno panem, & ne timeas; Dominus nobis prouidebit, quoniam nunquam derelinquit sperantes in se. Reuersus vero minister contulit seni panem, & senex, accepto pane, ait: Nunquid & pulmentarium hic est, vt quid accipiam? Siue de caseo, siue de butyro? Ad quem minister: hic nihil aliud est nisi sal benedictum, quod si volueris, est tibi paratum. & senex subridens, & egressus, tacita voce ait: Domina charitas vobis prouidebit. Post hæc Vir Dei adueniens, cellulam intrauit, vt laudes Deo exolueret vespertinas; quibus cantatis Vir Dei ad pristinum laborem est egressus; sed prædictus senex reuersus, mappam albam protulit, in vno fine plenam albis panibus, in alio vero auenacea farina, vt dicitur grumella, vnde pultes fiunt; & mensæ supponens ait: Hæc vobis Domina charitas transmittit; & egressus est statim mappa relicta, minister vero foras currens, vt post eum respiceret, neminem vidit.

6. d ibidem.

Tantum miraculum aliud non inferius sequutum est, quod seruos Dei egregie confirmauit. [d] *Cum ad tantum peruenisset augmentum, quod tres habuerint capras, pascuis eas emittens, Dominicæ curæ, & custodiæ commendabant, præ timore luporum, quorum magna multitudo tunc temporis ibidem habebatur. Quadam die cum dictæ capræ diutius morarentur, minister pro iis sollicitus, & foras egressus, si eas vsquam conspicere posset, conspexit quasi sex capras venientes: & mox ad Dominum suum currens, ait: Domino, non habemus nisi tres capras, & ecce sex simul adueniunt. Quas cum ambo diligentius intuerentur, cognouerunt, tres ex illis lupos esse; & quasi hædi cum eis ludentes, & persilientes, ac circunsilientes, eas vsque ad stabulum sine omni læsione perduxerunt; quibus stabulatis cum omni mansuetudine reuersi sunt.* Hæc, & similia recenset idem auctor Viro Dei contigisse, gloriosa satis, inter quæ etiam Dæmonum insidiæ, infestationesque, quas sigillatim non vacatt ecensere.

Vitam absteram, facilius sunt, qui laudent, quàm qui imitentur: crescebat fama Sanctitatis Balduini, crescebant laudes; verum præter Guillelmum eius ministrum, non erat, qui virtutes æmularetur. Et nisi Virgo promotura opus, cui ipsum destinauerat, cuiusdam Arnulfi mentem tetigisset, mansisset forsan Balduini virtus sterilis neque habuisset hæredes, per quos ad alios; & alios pertransiret. Arnulfo adiuncto collegium esse cœpit, nam saluatur in tribus, quod breui erat in Ecclesiam transiturum. Sed qualiter B. Virgo semel, & iterum, ac tandem tertio apparens Balduino, Monasterium ibidem constrtui iusserit, in quo ei ipse, & eius successores, vsque in sæculi finem famularentur; iisdem actorum verbis placet describere. [e] *Quadam nocte, cum Vir Dei labore fatigatus, & oratione, in stratu suo obdormiens repausaret, visum est ei, quod illa Beatissima, & Misericordissima Mater nostri Iesu Christi, Virgo Maria, ad ipsum accederet: & exhortans præciperet ei, vt Monasterium iam ædificare inciperet; spondens, se coadiutricem, & cooperatricem in omnibus ei assistere; ex quo dictum opus inchoaret. Mane vero facto, cum Vir Dei, Fratribus, quod viderat, narraret: Frater Arnulfus ad ipsum aiebat: Nos paruum quid vix habere possumus ad edendum, & tu Monasterium ædificare proponis? Sic Vir Dei à proposito destitit.* e ibidem. 7.

In sequenti vero nocte Beatissima Virgo, Mater Dei, iterata in visione apparuit ei dicens: Frater mi, quare opus, quod exhortata sum, vt ædificares, adhuc non inchoasti? Aggredere igitur opus prædictum; & scias, me hunc locum elegisse, & sedem esse seruientium mihi in sæculum sæculi. At Vir Dei, mane facto, Fratribus, quæ viderat, iterata exposuit; sed Frater Arnulfus, quasi in nullis confidens, nisi in his, quæ in præsentia essent, irascens ait: quantas hic sustinuimus paupertates, & tribulationes, & rebus temporalibus penitus nullis ditati; & claustrum ædificare æstimas? Mox patet, te esse infatuatum; & scias, me reuersurum, vnde veni, Cui ille: Charissime, ne pigeat te paupertatis, & laboris, quia pro his consequeris tibi coronam valentiorem omni regno, quæ inchoanti promittitur, perseueranti datur. At ille minus intelligens, illi respondit: Tu loqueris mihi de corona, & vix habeo sertum stramineum. Sic Vir Dei à proposito destitit, orans, vt si hæc visio à Deo sit, & non illusio Diabolica, iam ei tertio reueletur. Cum igitur proxima nocte sopori deditus esset, visum est ei Sanctam Dei genitricem astare, quæ quasi irascens, ad eum dixit: adhuc opus, quod exhortabar, non es aggressus? Nonne confidentia nostri tibi deest? Aggredere igitur Frater opus iussum, & sicut pollicita sum, faciam. Hactenus triplicata apparitio, & triplicata iussio Mariæ Virginis. 8.

Sequuta statim obedientia Balduini, & adimpletio Virgineæ promissionis. Nam *Mane facto, ait,* [f] *succingens se, & securim apprehendens, operarios conuocat, arbores celsas, & magnas fecit incidi. O Dei, & genitricis eius misericordia, & pietas! quotquot habuit operarios, quantascumque tam in victualibus, quàm in pretiis exponeret expensas: semper ante diei occasum persolutæ fuerunt. Sic construit Ecclesiam, & domum satis magnam,* f ibidem. 9.

&

& in consummatione dicti operis omnia persoluta fuerunt. Cum tamen in inchoatione eiusmodi nihil paratum haberet. Hæc fundatio Monasterij Bodeloensis, vndequaque glorioſa; ex auctore, & ministro; ex mysterioſa, & miranda exequutione. Nominis ratio posterior esse videtur, nam sumpta à fundatore, ait Sanderus, *Nam apud illos idem est Bodeloo, quod Balduini lucus.* Sic ille in opere de rebus Gandauensibus.

10. Dotatio deerat, sed & hæc sequuta est, vt non miraculoſa singularis, & qua non singularis, satis
g *ibidem.* illustris g *Erat in Gandauo Vir, prosapia ingenuus, corpore iuuenis, specie decorus, rebus sæcularibus deditus, carnis tamen contagionis immunis, quippe cunctas matronas, sine puellas, eius connubio, vel commixtione indignas arbitrans, Eustachius Mate nominatus. Hic, cum quadam die ad Virum Dei accederet, audita eius exhortatione, & admonitione, spiritu Diuino inflammatus, se cum Viro Dei Fratrem fecit familiarem: ditans dictum Monasterium bis octingentis libris. Nobilissimus vero Comes Balduinus, qui postea apicem Constantinopolitani Imperij, Diuino fauore est adeptus; audita Viri Dei religione, contulit ipsi de moro, & gastina circumiacentibus, quantumcumque vellet: & priuilegiis illud affirmat, in quorum possessione dictum Monasterium conseruatur vsque in hodiernam diem.* Hactenus ille.

11. Crescente fabrica, & consignata dote, soli deesse videbantur habitatores: & iamque vocandis Cistercienſibus, in quorum iura transirent, qui præparabant; præparatio Philippi Namurcensis, Balduini Imperatoris Fratris, de quo superius, dum pretium (non contemnendum augmentum dotis) liberalis promittit, vacationem ad tempus retardauit; quin etiam Balduinum nobis ademit, dum cunctatur, subtractum, antequam, quod ardebat, videre posset. Nam audi quod sequitur. *Balduinus Comes, ad transmarinas partes proficiscens, Philippum Fratrem suum, Neomaniæ Comitem (corrige Namurci) nomine tutelæ, totius Flandriæ constituit procuratorem. Dictus Philippus Comes, audita Viri Dei religione, & habita cum ipso colloquutione, exhortabatur eum, vt habitum suum in Cistercienſem Ordinem mutaret, offerens ei centum libras annuatim monetæ publicæ, & centum eius structuræ, dummodo id facere vellet. Ad quem Vir Dei ait: & si non mutauero, es mihi aliquid daturus? Qui respondit: Non. At ille inquit: numquam mercedis gratia credo, vel quæro habitum meum mutare?* Non, inquam, vnquam mercedis gratia faciam, quod charitate in Virginem, & desiderio maioris perfectionis facere volo. Et perfeciſſet haud dubie, si vixiſſet. Sed vix dum sibi adiunctis duobus aliis, certe non multo pluribus, nondum habebat, quod dare destinauerat. Deceſſit Sanctus Sacramentis cunctis munitus, inter filiorum manus, obtestans eos, vt in Sancta manerent conuerſione, & Regulæ obſeruantia, æmulantes chariſmata meliora. Deceſſit autem, vt acta eius testantur, & supra diximus, anno milleſimo, ducenteſimo, triennio post sui Monasterij inchoationem, vt vult Sanderus; vno anno tantum, si credimus Henriquez in Menologio. Mihi in ipso anno mortis dubium ingerit, quod eo, quo dicitur, nondum Balduinus profectus in Syriam; necdum Philippus Procurationi Flandriæ destinabatur. Præter Sanderum & Chryſoſtomum Henriquez i memorant Balduinum Hugo Menardus, k Aubertus Miræus, l & alij auctores Flandri. Reliquit Balduinus, cum deceſſit, septem, aut octo ſocios, filioſque, quos idem Antonius Sanderus alibi memorat. m *Guilelmum, dictum Priorulum, Impinum primum Abbatem, Hugonem magnum Monachum, Arnulfum de Elmara, Dominum Amelium extraneum Abbatem, Dominum Rerardum extraneum Abbatem, Euſtachium Male, Lorinum de Lochere, & Fulconem.*

h *de Rebus Gandauenſ.*
i *in Menolog.*
k *in Martyrol. Monaſt.*
l *in Natalit. SS. Belg.*
m *vbi ſuprà.*

Defuncto in prima infantia nouæ domus Balduino parente, retardati illius progreſſus sunt, neque adeo breui adoleuit, vt sperabat. Vix tamen adoleſcere incœpit, cum ecce Virgo, quæ patrem ad fundandum, filios ad ſuſcipiendum Ciſterciũ mouit, accitis Monachis ex Monasterio Camberonæ per quos Ordinis mores, ac reformati instituti normam edocerentur. *Magiſter Balduinus de inſulis, ait Sanderus,* n *primus ab hac mutatione veſtis Benedictinæ in Ciſtercienſem fuit Nouitius.* Manſit cœnobium in eodem loco, vſque ad hæc noſtra tempora, in quibus *Sub Iacobo del Rio, vigeſimo ſeptimo, vt puto, eius Abbate penitus ab hæreticis (Chryſoſtomi Henriquez, qui idem cœnobium illuſtrauit, verba ſumo o) euerſum periit, qui poſt quadriennij exilium, Coloniæ Agrippinæ per actum, Gandauum reuerſus, intra vrbis muros, clauſtrum à fundamentis conſtruxit, eiuſque ſucceſſor Guillelmus de Caſtillo, qui nunc laudabiliter præeſt, nouum templum erexit ſuper cuius oſtium hi verſi leguntur:*

12.

n *vbi ſuprà.*

o *Septēb. 19.*

Rudera, nunc Bodelona tenent loca, flebile viſu:
Aſt gaude, en ſurgent hic noua templa Deo. p

13. Floruiſſe dicuntur in hoc eodem cœnobio ſub Ciſtercio duo alij Viri Euſtachius, & Ægidius, vterque Sanctus: alter ſub ipſo Balduino de Bocla, alter cui nullum tempus deſignatur ab ſcriptoribus. Vtrumque Hagiologio ſuo inſeruit Antonius Sanderus, cuius verba, quandiu nulla notitia maior (nam Henriquez ex ipſo mutatus eſt) non pigebit ad litteram tranſcribere. *Ægidius amicus, ait, Monachus fuit Bodelonenſis; Ordinis Ciſtercienſis: ab Harduino Sanctitatis nomine commendatur in M. S. diuorum Flandriæ indiculo.* Et de Euſtachio *Euſtachius, ait, Bendeloanus, inter primos ſocios Balduini de Boola fuit, qui cœnobij Codelonenſis extitit fundator circa annum Domini, M. CC. XCVII. Vir fuit Euſtachius eximiæ religionis, quod manuſcripta eiuſdem Monaſterij monumenta teſtantur.* Hæc ille. Nec nos plura Henriquez vtrumque in Menologio memorat, Ægidium ad Ianuarij diem trigeſimam, Euſtachium ad vigeſimam primam menſis Iunij. Memoratur Bodelium, ſeu Bodeloum, in litteris Gregorij Papæ noni, ad Abbatem, & Monachos eiuſdem domus in quibus decimas, ab Epiſcopo Tornacenſi illis conceſſas, auctoritate Apoſtolica confirmat, & ſtatuit ab eis perpetuo, & irreuocabiliter poſſideri. Datum Peruſij decimo Kalendas Martij, Pontificatus ipſius anno octauo qui incidit in M. CC. XXXV. id eſt decennio, ex quo ad Ciſtercium tranſiit; & tunc, ait Pontifex, nouiter conſtructum. Vt vel ex his probari non minus poſſit; ſtatim atque conſummatum fuit, nullo interuallo ad Ciſtercium tranſiſſe.

p *Reclina*

1. Reclinatorium Beatæ Mariæ Virginis, 2. Monialibus ex Aquiria adductis, surgit in Gallo Flandria 3. sub Abbatissa Bertha, illustri fœmina. 4. Ferdinandi libertatem à Deo impetrat. 5. Gratus ipse de translatione cœnobij agit. 6. Situs loci, 7. & instrumentum amplæ dotationis. 8. Exemptio, 9. & noua dos illi adaucta. 10. Xenodochium, & aula illi vicina. 11. Demum de Sanctitate Sanctimonialium.

CAPVT OCTAVVM.

1. RECLINATORIVM Beatæ Mariæ Virginis, illustre Monasterium in Gallo-Flandria Virginum Cistercienſium, Ioanna, Flandriæ, & Annoniæ Comitissa, Balduini Imperatoris Constantinopolitani filia, Ferdinandi Lusitani coniux fundauit, cum adhuc Vir in carcere detentus Philippi Regis vitam sustineret; nec mutatione rerum, ac Ludouici filij successione, quod antea credidisset, è custodia educendus sperabatur. Ergo pia coniux, vt piam Virginem sibi conciliaret, & recipiendi mariti detenti dudum mediatricem ad Regem Regum haberet: hoc illi obsequium, & Sanctas Virgines ibidem congregandas, ad Mariam promerendam interuentrices statuit adhibere. Id circo nomen voto accommodauit, & Reclinatorium Mariæ vocari voluit. Quasi Maria inter Virginum choros spatiata, & veluti cum ipsis requiescens, nihil eis videretur denegatura. Abbatiæ situs in Marquetensi pago ad viam Cortracensem, eo in loco, quem tunc veterem curiam nuncupabant. De tempore non constat inter auctores. Ioannes Miræus [a] ad annum M. C C. XXX. refert initia domus, ductus fortassis instrumento quodam dotis, quod mox subiungam Laudensium Monachorum, & Marquetensium Virginum traditio, ad annum M. C C. XXVI. Chronicon Claromariscense, ad M. C C. XXV. atque hoc placet Ioanni Buzelino Cameracensi, [b] &, vt opinor, non leui coniectura: nempe quod anno M. C C. XXVI. Moniales incommoditatem loci expertæ, quod illic minor quies ob frequentes tumultus prætereuntium concederetur, iam de mutatione sedium deliberabant. Neque solum ipsæ sed earum fundatores, empto loco à Laudensibus in quem sese transferrent, ædificia dicuntur inchoasse. Vix autem minus tempus biennio sufficit ad eam mutationem, mature saltem, & corde deliberandum.

[a] *lib. 8. ad ann. 1230.*

[b] *ib. c. 30.*

2. Moniales ex celebri Aquitiæ Monasterio, & Sanctæ Lutgardis sociabus accitæ sunt, quæ eius tum doctrinam, tum exemplum alte ebibissent. Sed inter alias Bertha de Marbais insignis pietate fœmina ex vidua Reguli Maulembasij, Sanctimonialis clara sanguine (ex eiusdem Ioannæ progenie) sed longe clarior prudentia, & Sanctitate. De ea Buzelinus hæc in Annalibus. *Fuit*, ait, [c] *Bertha de Marbais, tam genere, quam virtute nobilis. Ioannam Flandriæ Principem, eiusque cœnobij auctorem, magna necessitate sanguinis tangebat. Priusquam Religiosum arriperet institutum, annis erat grandior, & coniugij vinculum subiuerat, accepto in Maritum Maulembasij toparcha. Vbi se sensit, eo fatis functo, nuptiarum molestia, & onere liberatam, ideoque suæ sponti redditam, ad Monasticæ vitæ dulcedinem animum vertit. Igitur spretis mundi delitiis, totque fortunis, quibus amplissimis pollebat, in quoddam se Brauantiæ Monasterium abdidit, vbi Cistercienſis Ordinis hauiret auide disciplinam. Ibi socias instituti adeo celeriter bonis artibus, & factis æquauit, vt magnæ omnibus esset voluptati. Iamque primum post Antistitam gradum obtinebat, regendis aliarum mentibus idonea, cum Marquetense Phrontisterium Ioanna moliretur. Ergo surgentibus ædificiis, & multo iam domicilio habitationi opportuno, cum quæreretur aliqua prouectæ virtutis, & ætatis fœmina, quæ cœtus coalescentis regimen capesseret, in eam cum primis oculos Ioanna coniecit, non tam natura necessitudine, quam virtutum excellentia stimulante.* Hæc Buzelinus de Bertha Sanctimoniali, priusquam in noui cœnobij Abbatissam promoueretur: quæ eadem inculcat in Gallo Flandriæ, & ex ipso transcribit Arnaldus de Rayse in suis ad Ioannem Molanum additionibus. [d]

[c] *lib. 6. ad ann. 1247.*

Meminit & eiusdem Berthæ cum laude, & tyrocinia Monachatus eius recensет Thomas Cantipratanus, coæuus auctor, atque quid ei in Aquiria euenerit, ipseque ex eius ore mox audierit, ad posteros transmittit totidem verbis. [e] *Audiui super hoc quiddam, relatione dignissimum, ab ore Beatæ memoriæ Berthæ, nobilissimæ mulieris, Abbatissæ Monasterij Ordinis Cistercienſis, quod iuxta insulam in Flandria, Reclinatorium nuncupatur. Hæc cum adhuc esset in Aquiria Monialis, contigit, vt Sanctissimam quandam ex sociabus pro negotio quæreret, & contemplatione Diuini vultus raptam, in angulo Ecclesiæ solitariam inueniret. Quæ vbi à facie illius velum incircunspecte dimouit, vultus eius omni flamma radiatius coruscauit: cuius fulgore subito constuentis temeritas repercussa, fere exanimis cecidit resupina.* Ita Cantipratanus, qui non exprimit, quænam Monialis illa, cuius vultum radiantem Bertha vidit. Et potuisse Lutgardim, compertum est, cui sæpe talia de cœlo contingebant. Sed neque Bertha in illam adeo præceps, neque Thomas, qui Lutgardis vitam scripsit, eius nomen tacuisset, si ipsa esset. Crediderim diuersam à Lutgardi, atque ab Elizabetha, Sybillaque, quæ Thomæ familiares. Adeo frequentes in Aquiria illis temporibus, Virgines Deo dicatæ, quæ cœlestibus visitari mererentur consolationibus, Sed redeo ad cœnobium.

[d] *Iulij 18.*

[e] *lib. 2. de apib. c. 51.*

4. Quàm fuerit acceptum Beatæ Virgini Comitissæ obsequium, quam efficaces preces Sanctarum Virginum pro libertate Ferdinandi Comitis, monstrauit euentus, cum in maiori illius desperatione, nempe iurante Rege Ludouico, qui Philippo successerat, numquam, se viuo, à custodia liberandum: repente morte illius mutata omnia; & succedente Sancto Ludouico, Reginæ Blanchæ filio sequenti anno, tam matris precibus, quam propria pietate laxata vincula, & Ferdinandus restitutus Ioannæ, & suis, non sine totius Europæ admiratione. Tunc vero Princeps, beneficio gratus, quod se per orationes Sanctarum Virginum, & Reginæ cœlestis intercessionem, accepisse à Deo non dubitabat; neque ignarum,

Abbatiæ

Abbatiæ locum incommodum, & à quo vellent Moniales transmigrare; statim cum dilecta sibi coniuge, de translatione tractare sedulus cœpit: & quæsito opportuno, inuentoque in pago Marquetensi iuxta insulam, qui Laudensium Monachorum dominio subeiat, pingues pro eo redditus Concambiãs ex proprio patrimonio, eundem translationi designauit, illustraturus statim ædificiis, atque dote aucturus, tam larga manu, vt magnum illud Alfonsi octaui opus ad Burgos in Castella æmulari videri facile posset. Sed de his statim. Emptionis loci, siue permutationis, extat, & legitur adhuc instrumentum, quod ibidem Buzelinus vulgauit in Gallo Flandria, cuius hæc verba. [f]

f *lib.2 c.30 §.*

Ferdinandus, Dei gratia Flandriæ, & Hannoniæ Comes, & Ioanna Comitissa vxor eius omnibus præsentem paginam inspecturis in Domino salutem.

Vestræ notum facimus vniuersitati, nos pari voto ob animarum nostrarum conquirendam salutem, excambiasse Abbati, & Conuentui Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Laude partem redditus, quem habemus infra Hayam, quæ vocatur ab antiquo Haya Comitis, pro curte, quam habebant apud Marquete, sita, iuxta Insulam, continente quadraginta bonaria, septem quarterones minus, in terra arabili, pratis, & situ loci eiusdem, molendino Venti, & ædificiis curtis eiusdem, &c. Hactenus instrumentum permutationis, Loco mox ædificia constitui cœpta, & Monasterium surgere, nullum sumptuosius in illis oris. Itaque anno M. CC. XXV. constructum est, vt Ioanna Virginem pro liberando marito promereretur. Anno M. CC. XXVI. Ferdinandus, à vinculis ereptus, præter omnem spem; vt magis reluceret misericordia, atque Ioanna voti simul, & mariti compos euasit. Anno M. CC. XXVII. vterque coniux, vt sese gratos Virgini exhiberent, translationem cœnobij, atque eius ædificia, dotemque, larga manu, & nullis sumptibus parcentes, inchoarunt. Cæterum, nos translationis locum primùm, atque ædificia ex Ioanne Buzelino; mox dotem amplam, Xenodochium domui adhærens, tum aulam Comitum, atque alia (charitatis, munificentiæque eorum indicia) nec non, quam diximus in Alfonsum octauum æmulationis, instrumentis productis ostendamus. Ergo de loco Ioannes Buzelinus, dum oppidum Marquetam, cui adhæret cœnobium, describit, hæc habet verba. [g]

g *lib.1. c.13. 6.*

Quæ Deulla fluminis ab insula sinuosis flexibus Lisam petentis marginibus incumbunt, ea nunc à nobis lustranda sunt. Ex his insulam propius aspicit Marquetta, vix inde passus mille abiuncta. Non multum hic, pagus agi complectitur, paucasque numerat ædes. Aquarum ei copiam, insignem res euehendive opportunitatem, pascuorum virorem, & voluptatem Deullæ amnis, & in eum influens Marqua, procurant. Quod præcipuam ipsi famam ciet, præclarum, ac vetustum est Reclinatorij Beatæ Virginis Monasterium, à Virginibus Diui Bernardi, se disciplina percolentibus, insessum, eque Marquensi Parochias, ipsis ferme fundationis initiis, vt antea significauimus, translatum. Ad extimos huius pagi limites id assurgit, magnis, & raris ædificiis, multumque soli partem aquis Duellæ, partem murorum ambitu claudit. Multam ei commoditatem amnis vicinia, deductaque ex eo incilia, pratorum herbæ, Alneta, & saliceta, agri, sationibus idonei, circumquaque afferunt. Ita de loco, & summatim, de ædificiis, quæ pene ad litteram transcribit etiam Henriquez [h] in suis liliis. Verum de pingui cœnobij dotatione extat diploma eiusdem Comitissæ, datum anno M. CC. XXX. post obitum Ferdinandi mariti, quod ab eisdem auctoribus vulgatum, nos carptim tantum, nam integrum non vacat (& est longissimum) quantum historia poscit decerpemus.

h *lib.2. distinct. 3.*

Vniuersis præsentem paginam inspecturis, Ioanna, Flandriæ, & Hannoniæ Comitissa, salutem in Domino. 7.

Ne processu temporis rei gestæ veritas occultetur, expedit gestorum Seriem scripturæ committere, quæ posteris ipsorum notitiam repræsentet. Nouerint ergo vniuersi, quod bonæ memoriæ F. quondam Dominus, & maritus noster, Flandriæ, & Hannoniæ Comes, & nos, pro nostrarum, & antecessorum, & successorum nostrorum salute, quoddam iuxta insulam Monasterium inchoauimus, quod Reclinatorium Beatæ Virginis appellatur; & ad prouisionem Religiosarum mulierum, ibidem sub habitu Regulari Cistercienſis Ordinis suo seruientium creatori, possessiones, & terras, & redditus, & alia in Eleemosynam dictus Dominus Comes, & nos dedimus, & assignamus ipsi Monasterio, quæ pariter præsenti pagina conscribi fecimus; licet alibi diuersis chartis, & litteris sint contenta: quædam alia per donationem factam ab aliis, & per emptionem, seu alio modo, iam dicto Monasterio acquisita, præsentibus inseri facientes. Sciant ergo tam posteri, quam moderni, quod prædictus Dominus Comes, & nos, locum, vbi sita est vetus curtis, quæ loca cum suis curtibus, iustitia sæculari penitus eximentes, plenæ dedimus libertati.

Pergit deinde recensere possessionem, redditus annuos, bonaria terræ, atque alia Monasterio donata, tam ab ipsis Comitibus, atque à Sorore Ioannæ, Margarita, quæ postea illi successit, & Guillelmo Dampetra, viro ipsius, quàm ab aliis nobilibus; nec vendita pauciora; quæ ingentem haud dubie dotem conficiunt. Et statim pro exceptione domus subiungit. *Ad hæc, cum post decessum piæ memoriæ prædicti Domini, & mariti nostri, essemus in pleno, & libero dominio terræ nostræ, volentes in posterum, Abbatissam, & Moniales Ecclesiæ supradictæ maiori pace, & libertate gaudere, eis in perpetuam Eleemosynam liberaliter concessimus, vt per totam terram potestatis nostræ, eant, & redeant, ducant, & reducant res suas, emant, & vendant ad vsus suos proprios, per se, & familias suas, tam in nundinis: quàm extra, absque omni exactione Vinagij, passagij, restagij, Thelonei, ponderationis, & huiusmodi consuetudinum; nec pro his abeis, vel nunciis earum, aliquid exigatur. Et insuper molendina, quæ habent, vel habebunt in terra, vel dominio nostro, libera sint similiter ab omnibus consuetudinibus, tam de ferris molendinorum accipiendis, quàm de aliis quibuscumque angariis, quantum pertinet ad ius nostrum, vel dominium, quæ in talibus consueuimus facere, vel habere. Volumus insuper, & per testimonium huius chartæ concedimus, vt prædicta Ecclesia in omnibus parcius communibus, & vsuagiis, siue aisanciis terræ nostræ, vbi ipsa Ecclesia curtes habuerit, vel nutrimenta habeat, vsuagia, & aisancias suas, sicut aliæ communitates locorum ipsorum; nec possint in his ab aliquibus impediri: hoc saluo, quod si nos, vel aliquis hæredum nostrorum, vellemus aliquid de pasturis communibus, vel nemoribus ad vsum nostrum proprium* 8.

conuertere, vel alio modo noſtram facere voluntatem; non poſſimus occaſione conceſſionis iſtius ab ipſa Eccleſia impediri, quin noſtram poſſimus de talibus, ſicut prius, facere voluntatem. Et ad hæc omnia firmiter obſeruanda, noſtri erunt hæredes adſtricti. Hæc pro exemptione.

9. Subdit poſt hæc nouam aliam dotationem, vix priori minorem, & quæ ſufficeret vel ſi ſola deſignaretur. Cæterum, vt Huelguenſe Monaſterium exactius adhuc in ſuo illo exprimeret; vltra hæc omnia illuſtri Xenodochio donatū voluit, quod infra ſepta, & ambitum eiuſdem, pauperes alens, Abbatiſſæ Monialibuſque ſubiiceretur: addita clauſula in eodem inſtrumento, quæ ita habet.[i] *Ad opus quoque vnius hoſpitalis, quod infra ambitum eiuſdem Monaſterij inchoauimus, ducentarum librarum redditus in Eleemoſynam contulimus Monaſterio ſæpe dicto, in vſus pauperum infirmorum, in eodem hoſpitali decumbentium, ſumendos annuatim de paratioribus prouentibus, ad Breuia noſtra inſulenſia pertinentibus; ad opus etiam duorum Capellanorum, in hoſpitali perpetuo ſeruientium, quadraginta librarum redditus aſſignauimus, annuatim ſoluendos ad noſtra Breuia de Gandauo. Nos tamen, & ſucceſſores noſtri, prædictos ducentarum librarum redditus, quos dedimus hoſpitali, ſi voluerimus rehabere, poterimus pro excambio competenti faciendo, ſecundum æſtimationem Reuerendi Patris noſtri Tornacenſis Epiſcopi, & Viri religioſi, Abbatis de Laude. Ipſum vero hoſpitale, cum omnibus ad ipſum pertinentibus, ſumpſerit membrum de corpore præfati Monaſterij, & in omnibus, tam temporalibus, quàm ſpiritualibus, ipſius Monaſterij prouiſione regetur: poſſeſſiones tamen, vel bona, quæ à nobis vel ab alio ipſi collata ſunt, vel fuerint hoſpitali, non poterit ipſum Monaſterium ſuis vſibus applicare; quod faceret, nec deſiſteret ad ſubmonitionem Domini Tornacenſis, nos, & ſucceſſores noſtri, ad omnia, quæ eidem contulimus, manum licite mittere poterimus, vt ſit ad vſus pauperum infirmorum illibata perpetuo conſeruentur. Conceſſimus præterea ad opus hoſpitalis eiuſdem, manſum noſtrum, iuxta Monaſterium memoratum ſitum, cum foſſatis, & omnibus ædificiis lapideis, vel ligneis factis, vel faciendis à nobis, & cum terra extra foſſata, quæ videbitur neceſſaria ad vſus hoſpitalis eiuſdem, prout expreſſius ordinabimus, Domino concedente. Manſum autem præſcriptum, cum omnibus eius appendiciis, ab omni eximimus iuſtitia ſæculari, à præfato Monaſterio, nomine hoſpitalis iam dicti, cum libertate qualibet perpetuo poſſidendum.* Ita de Xenodochio, pene deſumptis clauſulis ex litteris Alfonſi in illius fundatione, quod Huelguenſi cœnobio ſubeſſe voluit.

[i] *apud Bulinum vbi ſupra.*

10. Additum Markenſi eximium aliud charitatis indicium, à quo neque Huelguenſe immune fuit. Aula nimirum contigua Monaſterio, ad quam ſe Ioanna reciperet frequenter, cum animum contemplatione cœleſtium paſcere vellet. Quam ob cauſam Xenodochium inde auulſum? in dubio eſt; ſed auulſum conſtat, atque aulā donatam Monaſterio, incorporandam eidem, cum primum Ioanna ex hac vita migraret. Extat & huius vtriuſque conuentionis inſtrumentum, vulgatum à Buzelino, quod breuius præcedenti, prædictis omnibus maiorem lucem dabit.[k]

[k] *vbi ſupra*

Nouerint vniuerſi, quod cum de communi aſſenſu chariſſimarum in Chriſto Religioſarum mulierum, Abbatiſſæ, & Conuentus Monaſterij de Marketa, Ciſtercienſis Ordinis, quod Reclinatorium B. Virginis appellatur, domum hoſpitalis pauperum infirmorum de ſæculo, quam decreueram infra ambitum ipſius Monaſterij conſtruendam, de prudentum virorum conſilio fecerim extra locum eiuſdem; Abbatiſſam, & Conuentum ipſius Monaſterij, ab omni cura, & regimine hoſpitalis, quod in eo facere propoſueram, voto eſſe penitus abſolutas, & ab omnibus aliis ad idem pertinentibus hoſpitale; cum renunciauerint redditibus, & aliis, quæ ſibi, occaſione ipſius hoſpitalis, aſſignata fuerunt, & conceſſa. Sciendum autem, quod domum meam, cum foſſatis eius, & omnibus appendiciis, quam fieri feci iuxta Monaſterium ante dictum, conceſſi, & dedi eidem Monaſterio abſolute, & libere; ita, quod poſtquam deceſſerim, eam cum omnibus ſuis pertinentiis habeat, & poſſideat perpetuo pacifice, & quiete, ab omni exemptam dominio temporali. In cuius teſtimonium, & munimen præſentes litteras fieri fecimus, & ſigilli noſtri appenſione muniri. Actum anno Domini M. CC. XXXVI. menſe Februario.

Hæc pro nunc ſatis ad notitiam huius cœnobij, de quo plura, qui volet, prædictos auctores adire facile poteſt. Quin & nos de Abbatiſſa Bertha rurſus, cum Ioannam fundatricem in Monialem (nam & hæc illi gloria) læta ſuſceperit: & iterum, cum ex hac vita migrabit. Interim, qua floruerit Sanctitate ſub his initiis, ex ipſius Ioannæ verbis in inſtrumento ſupra memorato, promere libet. Sunt autem talia, cum ſecundæ dotationis, ſupra aſſignatæ, factæ ab vtroque coniuge, nomine teſtamenti, rationem reddat: *Præterea nos videntes, quod ſeruitium Dei per eius gratias in dicto recipiebat Monaſterio Laudabile incrementum, cum ibi multa religioſæ, & nobiles, abiectis honoribus mundalibus, & diuitiis, ſe iugo deuote ſubiicerent Regulari, Regi Regum iugiter ſeruituræ: pro noſtra, ac fœlicis memoriæ prædicti Domini, mariti noſtri, & anteceſſorum, ac ſucceſſorum noſtrorum animarum ſalute, ab ipſo Domino Comite, & à nobis, hoc eodem dudum diſpoſito, nomine teſtamenti, dedimus, & aſſignauimus in Eleemoſynam Eccleſiæ ſæpe fatæ redditus, qui inferius exprimuntur.* Hactenus ibi. Neque nos nunc vlterius ad hunc annum.

ANNVS CHRISTI M. CC. XXVI. ANNVS CISTERCII C. XXIX.

1. Beati Engelberti corpus per Conradum mandatur sepulturæ, 2. Crescentibus interim miraculis, 3 maximè in Cistercienses, 4. qui eius opem fidentius inuocabant. 5. Alia in exteros, 6. non sine Cisterciensium interuentione. 7. Viscera Martyris incorrupta inuenta post plures dies. 8. Quid de eo Dæmoniacus per Cistercienscm Abbatissam interrogatus. 9. Demum iudicium de tali testimonio, plane indifferens. 10. Conradus aliud Coloniæ Concilium celebrat, 11. vbi multa in fauorem Fratrum Prædicatorum, quæ facit per Germaniam diuulgari. 12. Demum pro construendo Monasterio à Fratre suo Rodulfo fundum accipit.

CAPVT PRIMVM.

1. MILLESIMVM, ducentesimum, vigesimum sextum reparatæ per Christum salutis annum, qui fuit Cistercio nonus, & vigesimus supra centesimum, auspicatur Engelberti Martyris corpus, in eo tandem sepulturæ traditum, sexto Kalendas Martij, id est, in solennitate S. Mathiæ, Conrado Cardinali Portuensi celebrante officium, qui soluto Concilio apud Moguntiam, & prædicta per Germaniam cruce (quæ duo præcipua negotia illum adduxerant) priusquam Leodium proficisceretur, ad funus Martyris ocyus properauerat. Et fortassis dilata sepultura, dum aduentus Legati, qui corpus speliret, præstolabatur. Porro tempus, ac locum, nec non ministrum repositi Thesauri, qui vitam S. Pontificis scripsit Cæsarius Heisterbacensis totidem verbis memoriæ commendauit. [a] *Reportatum denique corpus sacrum glorioſi Martyris Engelberti, Angelica libertate donati Coloniæ in Ecclesia B. Petri in sepulchro, decentissime præparato, iuxta mausoleum nobilissimi Præsulis, & Archiducis Philippi, quod est in dextera Ecclesiæ parte contra portam Australem, sexto Kalendas Martij Dominus Conradus, Portuensis Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus, coram innumerabili multitudine diuersæ dignitatis Ordinis, sexus, & ætatis, sepeliuit.* Hactenus sepultura corporis Sancti, delati per Abbates Cistercienses, & præstita per Cistercienscm Cardinalem.

a *lib. 1. c. 16.*

2. Interim miracula frequentia illustrabant Martyrem, quæ plurima ad sepulchrum, multa etiam in partibus remotis ad eius inuocationem, siue in gloriæ ostensionem, perpetrabantur. Integrum libram de his texuit Cæsarius: nos pauca ex eis, Cistercium concernentia, quia in Cistercij, siue locis facta, siue personis, ex ipsius Sancti historia memorabimus. Et fuit Sanctus, vt in mundo procliuis ad Cistercienses, sic in cœlo beneficus præ aliis, siue plus illos diligens, siue, quia plus ab illis diligeretur [b] *Abbas Burnembacensis (forte Brumbacensis) vnum ex Iunioribus Monachis suis misit ad Monasterium veteris montis. Is, cum venam incidi sibi curasset, putaretque non satis detractum sanguinis, atque ea causa etiam alterius brachij venam aperuisset, cum sanguine lumen amisit. Id vbi cognouit Abbas Bernembucensis, ne esset illi cœnobio oneri, redire eum iussit ad se. In illo itinere Coloniam veniens, orauit ad Engelberti Martyris tumulum, duasque cereos oculos obtulit, votumque fecit, si visus ei rediret, patrem ipsius duos argenteos oculos in eius honorem missurum. Abiit cœcus à sepulchro, venit ad locum quendam, qui erat Monasterij veteris montis, accipitur illic humaniter, & cum causam cœcitatis suæ indicasset, conuersus quidam hortatur eum, vt S. Engelbertum Episcopum inuocet. Respondet ille, se id feciſſe: addit conuersus, vt bene confidat, Martyrem sibi non defuturum; moxque inde recedit conuersus; & post horam eo reuertitur. Eum vero Monachus iam videns, salutat. Et conuersus ad eum; vnde scis, inquit, me hic esse, cum nihil videas? Ille respondet: Gratias Deo, & B. Engelberto; perspicue enim intueor, & te, & quidquid est in his ædibus.*

b *lib. 3. post initium.*

3. *Eodem tempore Monachus quidã Eberbacensis ad partes inferiores missus, in itinere, antequã veniſſet Coloniã, membris omnibus adeo paralysi cœpit vexari, vt difficulter ad veteris montis Monasterium posset perduci. Ibi inualetudinario manenti occurrerẽt miracula noui Martyris Engelberti. Vouet igitur, se, si morbus abscedat, Missam defunctorũ dicturũ. Mox sentit remissius, & totus reualescit. Monachus iuuenis, dũ vena illi inciditur, ita in brachio intumuit, vt morbus fistulæ timeretur. Dolore vrgente promittit, se B. Engelberto Psalterium lecturum. Illico sentit se habere melius; dicitque cunctis, à S. Engelberto se curatum. Alius iuuenis Monachus, tribus mensibus paralysi in brachiis dire vexatus, vbi ex alio iuuene iam dicto percepit, quam facile curatus esset à nostri temporis Martyre, vouit, se illi quotidianas oblaturum preces; moxque sanatus est. Sed deinde preces illas negligens, pristino dolore cruciatur. Resipiscit vero, omissa repetit, & redit incolumitas.* Sequuntur alia quædam facta in exteris, nam in omnes beneficus; & iterũ ad nostros hæc, quæ sequuntur.

c *ibidem ad med.*

4. *Conuersus quidam Campensis Monasterij, olim nobilis fuerat, & vitæ sic satis honestæ. Huic oranti adeo importune se ingerebãt cogitationes diuitiarũ, & honorum mundi huius, vt instar muscarum morientium, suauitatem vnguenti, id est orationis, deuotionem perderent. Crebro ille corpus suum cædebat virgis, & multorũ Sanctorum suffragia implorabat, vt liberaretur: sed nõ impetrauit. Tandẽ memor Archiepiscopi Engelberti, pro iustitia cæsi, flexis genibus illum inuocauit; & eadem hora adeo liberatus est, vt deinceps nihil eiusmodi sentiret.* Et paulò inferiùs *In Saxonia Monasterium est Ordinis Cistercienſis, quod Cellam vocant. Eius quidam Frater adeo doluit dentes, vt somnum capere non posset. Nocte quadam supra vires cruciari se sentiens, has preces fudit: Domine Episcope Engelberte, si verũ est, animam tuam degere apud Dominum, adiuua me. Dixit sic, & dormiuit. Postea emigilans,*

doloris

doloris omnis expers deinceps fuit. In VVasphaliæ pago Hagensi, puella quadam pedibus ingredi non potuit præ paralysi. Diu sic vexata, tandem perduci se fecit ad locum, vbi Beatus Martyr occisus erat. Vidit id vir quidam, & salutem eius desperans, ait: si hæc curata fuerit eo loco, quo proficiscitur, ego hoc saxum (digito illud demonstrans) eo deportabo. Venit puella ad locum optatum. & sanata est. Vbi id comperit Vir ille, nocte tulit saxum, ne ab aliis irrideretur, & ad locum deportauit, qui inde sesqui milliari aberat. Alia puella alterius loci annos aliquot vtroque oculo orbata fuit. Audiuit in somnis, si lapidem quendam suis humeris ferret ad locum passionis Beati Martyris, qui cederet in structuram Ecclesiæ, ibi tunc inchoatæ, confestim illi lumen restitutum iri. Indicat hoc parentibus: illi; & sumptu, & laboris itinere, tum quoque visionis incertitudine, absterriti, eam non audiunt. Tandem ad locum deducta, cum lapidem ibi deposuisset, mox ab eius oculis albugo prodiit. Inde domum sana reuertens, parentibus lætitiam, vicinis admirationem affert. Monachus quidam, grauiter laborans, Beatum Episcopum sic appellauit: Memineris, Domine, me, ab illo tempore, quo casus es, semper in canone Missæ tuum nomen expressisse. Itaque, pro salute corporis mei te orare, æquum est. Eadem nocte illi dormienti apparuit, iussitque sanum, & incolumen esse. Expergefactus illico è lecto sanus exit.

5. His miraculis miracula alia addam, facta in exteris, sed non sine nostrorum interuentione. *Geldriæ Comitissa tanta pariendi difficultate quandoque laborauit, vt vita eius propemodum desperaretur. Accitus confessarius eius; Abbas Campensis; à Duce Brabantiæ, Henrico, qui erat Comitissæ pater, atque a marito eius, Gerardo Comite, introductus est ad eam præ doloris acerbitate misere eiulantem. Illa, viso Abbate, perinde ac si moritura sit, commendat se eius precibus, orans, vt Fratres omnes iubeat pro se orare. Lachrymantur omnes qui aderant: Interim Comes sic ait ad eam. Nosti charissima quantum nos amarit cognatus, & Dominus meus, Episcopus Engelbertus. Inuoca ergo illum in hac summa calamitate: spero, non minus illum tibi, quam cæteris, subuenturum. Deinde Abbas cum Duce, & Comite egreditur: porro Comitissa orat Martyrem, vt sibi opituletur. Orat Christum, vt propter sanguinem, quem pro iustitia fudit Engelbertus, à tantis doloribus se liberet. Vix in Castrum illi redierant, cum ecce puella cursitat post eos, latissimumque nuncium Comiti afferens: Domine, inquit, Domina mea peperit tibi elegantissimum filium. Tum vero omnes laudant, & prædicant Deum in Martyre suo Engelberto. At Comitissa, non immemor beneficij, mox vt reualuit, Coloniam venit, sepulchrum Martyris visitauit, argenteamque imaginem ad illud obtulit.* Hæc de nobili Geldriæ Comitissa: sed paucis interiectis, audi de alio.

6. *Nobilis quidam valde laborabat è pede. Monitus ab Abbate nostro, vt S. Engelberto cereum pedem voueret, fecit sic, & curatus est: sed tumor, & dolor omnis ab illo pede migrauit ad alterum. Dicente autem Abbate, S. Episcopum duos velle cereos habere pedes, ille alterum quoque pedem vouit, & repente dolor omnis euanuit.* Et infrà: *Abbate Eberbacensi nuper ad Martyris sepulchrum orante, quidam cuius ait ad eum: Merito ad monumentum Martyris nostri oras, Domine Abbas: Reuera enim in magno illo apud Dominum pretio est, cuius ego in me virtutem mirabiliter sum expertus. Adeo enim hydropisi intumueram, vt medici spem omnem vitæ meæ abiicerent. Ego igitur multum eiulans quadam nocte, cum diu stetissem ante lectum meum, toto pectore Martyrem hunc inuocare cœpi. Deinde fessus in lecto, paulisper obdormiui. Post expergefactus, dolorem, & tumorem omnem sentio euanuisse. Obstupesco tam inexpectato miraculo: exploro num humor noxius, dirupta pelle, in lectum dimanarit. Sed nec humorem vllum in lecto, nec in corpore rupturam reperio. Itaque gratias ago Deo, qui tam præclare ornat, & illustrat electos suos.*

His demum alia quædam addere libet, quæ in duobus cœnobiis Cistercienſibus, audita, & visa sunt. Alterum in ipsius Sancti Visceribus, incorruptis inuentis; alterum testimonium Dæmoniaci, quod protulit de ipso, cum adiuratus, contra proprium morem dicere veritatem compelleretur. Obiterque cœnobium Sanctimonialium ad S. Thomã, in Treuirensi Diœcesi, hactenus ignoratum, quamuis nulla alia luce, propalabimus. Et quidem de visceribus hoc anno, sub ipsius initium hæc scripta lego. [d] *Referam nunc quoddam non exiguum Sanctitatis eius documentum. Godefridus, Comes de Arsberg, venit quandoque ad Monasterium Montense, & cum mentio incideret, quemadmodum illic tractum esset corpus Beati Martyris Engelberti, sciscitabatur ille, vbi viscera eius humata essent. Dicentibus Monachis in cœmeterij fossa quadam vulgari condita esse: Non decet, inquit, tanti Principis, imò & Martyris, miraculis coruscantis, viscera tam negligenter haberi. Obtemperant vero illi Fratres, amouentque à sepulcho humum: & ecce viscera Martyris adeo cernunt recentia, ac si illa hora è corpore extracta essent, Nihil in eis corruptionis, nihil fœtoris sentiri potuit; cum tamen iam quatuordecim hebdomadas tumulata fuissent. Admirantur Fratres haud vulgariter, agnoscunt Dei virtutem, & Martyris merita: collecta viscera in scrinio reponunt, & ante altare honorifice condunt.* Hæc de viscera-ribus. 7. d *vbi suprà*

Verum quid Dæmon adiuratus de eo dixerit in domo Sancti Thomæ Treuirensi, idem auctor scribit in hunc modum. [e] *In Diœcesi Treuirensi est cœnobium Sanctimonialium Ordinis Cistercienſis, quod ad Sanctum Thomam vocatur. Illic ante hos duos menses energumenus quidã in oratorio eiusdem Martyris, de statu quarumdam animarum, sæcularium tam quam Religiosorum interrogatus, tam rationabiliter de omnibus respondit, vt qui illic aderant, vera eum dicere non ambigerent. Cumque Domina Elizabeth, eiusdem domus Abbatissa, eum interrogaret; num interfuisset cædi Episcopi Engelberti? & ille respondere nollet; adiuratus validissimis exorcismis, vt diceret veritatem, sic ait: Quæris, an fuerim in morte eius? vtique fui, imò meo consilio interfectus est. Ego Fridericum, & Satellites eius incitaui, ego ad facinus illos animaui, ego, vt reipsa malitiam conceptam implerent, effeci. Dicente Abbatissa; vbi est anima eius? Respondit: heu! subtracta est mihi, & sociis meis, qui illic conueneramus. Ita se ante mortem præparauerat, ita se lauerat (contritionem, & confessionem significans) vt nostri iuris nihil esset in illo. Et adiecit: Nostis, cur tot ille miracula faciat? Respondentibus illis: Nos id ignoramus; sed volumus, imo præcipimus tibi in nomine Christi, vt nobis id indices? Inquit: Quando voluptabatur in suo sanguine & iam moriturus,* 8. e *lib. 2. c. 16.*

percussoribus suis medullitus ignouit, ita dicens: Pater, ignosce illis: Propter hunc Sermonem tam potens effectus est apud Altissimum, vt non negetur ei, quicquid ab illo petierit. Idque pro comperto habeatis, numquam vllum Coloniæ sedisse Episcopum in Pontificis Cathedra, qui tantum possit apud Deum, tantique apud illum meriti sit, vt Engelbertus. Hactenus ibi.

9. Ego non dubito, Dæmonem mendacem, neque eius testimonio credendum esse, etiam in his, quæ vidit; nedum in his, quæ assequi non potuit: quis enim illi gloriam, Beatosque, & eorum ostendit gradus, siue mansiones? Adde, in præsenti rem testificaram plane difficilem, cum citra dubium, in Ecclesia Colonienſi Pastores præcesserint cum ea opinione, imo & post semel adscriptos Sanctorum Canoni cum ea certitudine eximiæ Sanctitatis, vt non videantur Engelberto postponendi; quod de S. Materno, aliisque, ipse etiam Cæsarius adnotauit. Sed nec me latet, eosdem etiam Dæmones nonnunquam vera pronunciasse, licet coactos; quod vel in ipsa Euangelica historia satis ostenditur: & potuit dicere, etiam si nesciret, id quod dicere à Deo compellebatur, vt Sanctum suum manifestaret orbi; dum non solum cœlestium terrestriumque, sed infernorum linguæ cõfitentur, quoniam Engelbertus, Archiepiscopus Colonienſis, propter passionem mortis, gloria, & honore in cœlis coronabatur. Adde (quod idem etiam Cæsarius notat) prærogatiuam Martyrij, ex qua præ aliis etiam Sanctioribus, à Deo exaudiri potuit; & forte meruit. Sed de his satis in hoc capite. Nam de vindicta sequuta in homicidas plura inferius. Redeo ad Conradum.

10. Thomas Cantipratanus auctor est Conradum vltra Concilium Moguntinum aliud hoc anno Coloniæ celebrasse. In eo porro, cum quærentibus plebanis de Fratribus Prædicatoribus, recens illuc appulsis, relatum esset, quasi in messem alienam falcem mitterent, atque Pastorum munera vsurparent; celebre illud responsum reddidisse, quo delatorem carpens, confundensque, & sæuere castigans; institutum eximie commendauit, atque ab omni calumnia prorsus asseruit. En eius verba. [f] *Proinde dictus Cardinalis postea Verbum memorabile respondisse fertur cuidam in Colonia Sacerdoti. Illo enim in Synodo Præsidenti, quidam Sacerdos Parochialis conquestus est dicens: Ecce Fratres Ordinis Prædicatorum, qui in damnum nostrum Coloniam intrauerunt, falcem mittunt in messem alienam, subditorum nostrorum Confessiones audiunt, & per hoc in fauorem homines sibi attrahunt. Cui mox Conradus Legatus respondit. Quis est numerus hominum in Parochia tibi subditorum? Et ille; nouem millia, inquit; tunc consignans se cruce Legatus, dixit: Quis es tu, miserrime, qui tot millibus solus sufficis debitam gubernationis curam impendere? Nescis hominum perditissime, quia in illo debes tremendo iudicio ante Tribunal Christi de his omnibus respondere. Et tu, si tales habes Vicarios, querularis, qui onus tuum gratis releuent, cuius sub pondere nescius conquassaris? Quia igitur ex hac querela indignum te cura omnimode iudicasti, ideo priuo te omni beneficio Pastorali.* Hæc in Concilio Conradus, haud dubie memor cœlestis responsi, quod ante biennium Parisiis accepisset.

f *lib. 1. de Apib. c. 9.*

Cæterum, vt quod in conclaui Concilij coram Patribus egerat, per vniuersam Germaniã diuulgaretur, pergit idem, qui supra, Cantipratanus. 11.

g *vbi supra.*

[g] *Hoc facto, publicauit auctoritatem, qua à Sede Apostolica Fratribus Ordinis Prædicatorum, specialibus priuilegiis, prædicare populis, & Confessiones audire, per Sanctissimos Patres, Dominum Innocentium tertium, Dominum Gregorium nonum, commissum sit, & iniunctum. Sane tamen in hac auctoritate collata subaudiendum est; quod, quia Pastores debent vultum sui pecoris agnoscere, nullus ad confessionem talem recipiat, qui se subtrahere nititur, ne suus eum Pastor agnoscat.* Ita Cantipratanus: quamuis in eo quod Gregorium nonum addit, si ad mandatum Conradi referatur, plane decipitur. Quippe Conradus electioni Gregorij vix sex integros menses superuixit, sed neque hos in Germania, sed in Italia, vbi eidem interfuit, vt suo loco plenius ostendemus.

Priusquam Conradus à Germania exiisset, quo erat flagrans in suam familiam zelo, à Fratre suo Rodulfo, Comite de Vra (qui non multo post gloriam mundi spernens; atque imitatus Fratrem, Comitatu relicto in Besbenhusen, cœnobio Cistercienſi, Monachum induit) pingue fundum accepit in loco, qui ad lapidem dicebatur, construẽdo de nouo Monasterio eiusdem instituti, dubium sub cuius Ecclesiæ filiatione. Constat, cum prima surgentis ædificij fundamentum, ab opere cessasse; quod tamen postea Rodulfus, iam tunc Monachus, consummandum curauit, litteris ab Innocentio quarto obtentis, quæ hæc eadem nobis testificantur. Sic autem habent. 12.

Rodulfo, Monacho Monasterij de Besbenhusen, Cistercienſis Ordinis, Constantienſis Diœcesis.

Vt bonæ memoriæ Conradi, Episcopi Portuenſis Fratris tui, vestigia laudabiliter imiteris, pium opus, quod ipse super construendo Monasterio Cistercienſis Ordinis, in loco, qui ad lapidem dicitur (ad id ei, tunc in partibus illis Apostolica Sedis Legato, à te, tunc Comite de Vra, concesso) imperfectum præuentus morte reliquerat; proponis, si de permissione nostra fuerit, perducere ad effectum. Quare nobis humiliter supplicasti, vt tibi, manendi in eodem loco cum duobus Monachis tui Ordinis, sub Abbatis sui obedientia, vt sic opus prædictum, Domino auxiliante, implere valeas licentiam largiremur, &c. Ergo Conradus in Germania Legatum agens, dum communia alia curat, Cistercij memor, & locum acquisiuit, & opus cœpit, & Fratrem suum Rodulfum fœcundauit per exempla, per verba, vt mundo, valediceret, atque se Deo in Cistercio consecraret. Sed iam eundem Legatum, à Germania ad Concilium, quod Leodij instabat celebrandum, & cui Episcopus Friderici Fratres remiserat, maturius properantem, prosequamur.

1. *Conradus aliud Concilium Leodij celebrat:* 2. *in quo cum Friderici Fratres Episcopi non se exacte purgarent,* 3. *ad Honorium suspensi remittuntur.* 4. *Friderici Satellitum supplicia:* 5. *Tum vxoris, & totius eius familiæ.* 6. *Ipse captus, & venditus, ac crudelissime tandem in rotam actus.* 7. *Quid de hac morte in magno Chronico Belgio?* 8. *Quid in Sponheimensi?* 9. *Engelbertum post mortem Friderici continuasse miracula.* 10. *Probatum ex Cæsario.* 11. *Quid de* Te Deum laudamus *decantato in Ecclesia Colonienſi?* 12. *Et dedicata per Conradum Legatum quædam Ecclesia.*

CAPVT SECVNDVM.

1. INDIXERAT Conradus Concilium aliud Leodij, in die Pentecostes celebrandum, ad quod sacrilegos Friderici Fratres remiserat. Ergo cum iusta Engelberto peregisset, nec quicquam iam in Germania reliquum esset, Leodium venit, & Patribus Prouinciæ congregatis, multa sanciuit, quæ ad Ecclesiarum decus, quæ ad morum pertinebant reformationem. Magnum Chronicon Belgium, collectum ex Bibliotheca Ioannis Pistorij, & Francofurti vulgatum, cum aliis Germanicarum rerum scriptoribus, in vigilia Purificationis coactum tradit: verum nondum humato Engelberti corpore, nequaquam credã à Germania discessisse. Vero similius, quod Cæsarius ait, & ipse fide dignior, vt qui tunc scribebat, & de hoc specialius pertractabat. Comparuisse in Concilio vtrumque Fratrem, Monasteriensẽ Episcopum, nimirum Theodoricum, & Engelbertũ, electum Osnaburgensem, compertum est; præstitum eis conductũ à nobilibus de mandato Conradi, vt causa eorum coram ipsis decideretur. Affuisse & contra eos accusatores pro Archiepiscopo, & Ecclesia Colonienſi. Porro auditis vtrinq; allegationibus, probationibusque; nec potuisse cõuinci parricidij, nec se rite purgare. Quare Cõradus, ne vel reos absolueret, vel forsan innocentes condẽnaret, amandatis ad curiã vtrisque partibus, rem ad Honorium censuit referendã. Narrat Cęsarius [a] paucis in hunc modũ. *Diem eis præfixit, quo se purgarent in Concilio Leodienſi. Quo cum venisset, nobilibus conductum eis, ex mandato Cardinalis Legati, præstantibus, nec se Canonice cum septem Episcopis purgare possent; primoribus Colonienſibus, multisque aliis eos accusantibus, Legatus ex consensu Episcoporum plurimorum, qui præsentes erant, ad Dominum Papam illos transmisit, cui etiam inter cætera hæc scripsit: Examini vestro dirigimus hos duos Episcopos, grauiter de Domini Engelberti nece infamatos.* Ita Cæsarius.

a *lib.2.c.13.*

2. Auctor Chronici magni vlterius addit, quid contra vtrũque probatum præter infamiam. *Legatus, ait, apud Leodiũ habuit Concilium, quo Monasterienſem Episcopum, & Osnaburgenſem electũ (qui Fratres Friderici interfectoris Archiepiscopi) vocauit; vbi probatũ est contra eos, quod Fratrẽ iam vbique excõmunicatum de substantia sua, & de militibus iuuissent contra Ecclesiã, & contra Imperiũ; & quod alter eorum Fratri Friderico verbũ dixerit, vnde magis eũ in necem Archiepiscopi animauerit.* Hæc probata per testes contra Episcopos; & coniuncta infamiæ satisfuerunt, vt interim suspensi Romã ire, iudicandi ab Honorio, compellerẽtur; & creuit forte in curia numerus testiũ, & probata iudicia, nam statim sequitur. *Quid multa? suspensi sunt ab officiis, Episcopus etiam à beneficiis, & Romam ire compulsi, depositi sunt, & alij in locum eorum instituti.* Ita in Chronico.

Verum hæc dilucidius adhuc, distinctiusque Cæsarius in vita S. Engelberti [b] *Theodoricus vero Episcopus Monasterienſis cum Fratre Engelberto, in Osnaburgenſem Episcopum electo, in Concilio Leodienſi suspensi, Romam profecti sunt. Profectus est etiam cum eis Fridericus eadem spe, qua & illi. Cumque aliquandiu in curia mansissent Episcopi, nec proficerent, eo quod se sufficienter purgare non possent, procuratoribus Ecclesiæ Colonienſis reclamantibus, & litteris Principum eos accusantibus, ambo depositi sunt, & non multo post, tum ex dolore, tum (quod credibilius est) ex Diuina vltione, mortuus est Theodoricus, & in solo peregrino sepultus.* Hic mansit exitus Friderici vtrumque Fratrem, quem Conradus, neque reum potuit absoluere, neque condemnare voluit; cum posset remittere, ab Honorio absoluendum, aut condemnandum. Reliqua Leodienſis Concilij acta periere, aut saltem nos latent. Cœterum, quæ vindicta tandem sequuta sit Martyris cædem, quam sæuera, & grauis, zelante Deo pro sanguine innocuo, atque in eundem zelum commouente mortalium corda; ne mutilam historiam relinquamus, tum, quia eadem, qua Martyrium ipsum, ratione, hos Annales concernit, priusquam ad alia gradum faciamus, verbis eiusdem Cæsarij libet prosequi. [c]

3. b *lib.2.c.17.*

c *vbi suprà.*

Quarto enim die vnus satellitum funestorum, ab Honorio Comite Tuitij captus in insula Rheni, ante ciuitatis mœnia, rotæ supplicio affectus sine vlla misericordia. Non multo post, alius quidam capitur, & vinctus Coloniam mittitur: vbi pedibus ad equos ligatus, cum per plateas ciuitatis horrendum in modum tractus esset, membris omnibus securi confractis, in rota extra muros positus est. Aiunt duos alios alibi consimiles dedisse pœnas. Cæteri vero tam nobiles, quàm serui eorum, timore mortis natale solum cum possessionibus suis relinquentes, cum Duce suo Satana vsque hodie circumeunt terram, & perambulant eam. Hæc de ministris execrandi parricidij. At de auctore illius Friderico, & de tota eius familia (nam ad vxorem, & liberos pertransiit graue supplicium) audi quod sequitur. [d]

4.

d *ibidem.*

Ipse autem totius mali caput, Fridericus, cum duobus Fratribus suis VVillelmo, & Godefrido, vt supra dictum est, excommunicatus, ac deinde proscriptus, proiectus à facie Domini, sicut Cain, qui Fratrem suum occiderat, vagus, & profugus factus est super terram; nusquam acceptus, nusquam tutus, ita vt dicere posset cum Cain: [e] Omnis, qui inuenerit me, occidet me. *Interim Castrum eius Isemburg, quod inexpugnabile videbatur, in vltionem Pontificis obsidetur, deditur, & solo tenus destruitur. Cumque obsessi multi essent, vitæ necessariis abundarent, tantus eos timor inuasit, vt Castrum diu tenere non auderent. Inde autem*

5.

e *Gen. 6.*

autem vxor Friderici, cum liberis educta est, vt ei merito congrueret, quod de Iuda traditore scriptum
f *Psalm.* 108. *est.* [f] Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. Nutantes transferantur filij eius, & mendicent, & eiiciantur de habitationibus suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius, & diripiant alieni labores eius. Non sit illi adiutor, nec sit, qui misereatur pupillis eius. *Ex omnibus enim bonis suis Fridericus cum vxore, liberis, & Fratribus eliminatus est.* Et paulò inferiùs. *Mortui sunt ibidem alij ex parricidis tres. Mortua est etiam vxor Friderici morte subitanea. Cumque viscera eius ejecta essent, adeo cor eius ex dolore, vt aiunt, emarcuerat, vt vix fabæ quantitatem excederet. Mortuus fuit ante eam pater eius, Dux, VValramus, cum Fratre Perardo, viri potentes.* Hæc de familia.

6. Restabat adhuc personale supplicium sumendum de Friderico, quod neque Deus omisit, nec
g *vbi suprà* tacuit Cæsarius. [g] Nec nobis licet silentio præterire. Pergit ergo *Ita miser Fridericus spe vbique destitutus, cum Romæ non impetraret misericordiam, quæ illi placeret, vel indignus misericordia, vel quod probabilius est, ad maiorem, indigniorem que pœnam Diuinitus reseruatus, digressus ab vrbe dissimulata persona, quantum quidem potuit, cum duobus Leodium venit, vbi à quodam, qui eum Romæ viderat, cognitus, & quod ipse Comes Fridericus esset, proditus, à Balduino milite Leodiensi fraudulenter satis captus est; & Domino Henrico, Colonienſi Archiepiscopo, plusquam duobus millibus marcarum venditus; id Deo dispensante, eodem die, anno euoluto, quo Beatus Martyr Engelbertus, multorum mœrore, ciuitati est mortuus illatus, multorum desiderio per portam oppositam, captiuus est introductus, atque inde quarto die, quo fuerat superiori anno primum Episcopi Septenarium celebratum, turpissime in rotam cum tormentis impositus est. Videtur ei congruere, quod à Domino per*
h *cap.* 32. *Ezechielem ad Regem Ægypti dictum est:* [h] Expandam super te rete meum, & extraham te in sagena mea, & proiiciam te in terram. Super faciem agri abiiciam te & habitare super te faciam omnia volatilia agri, & implebo colles sanie tua, & irrigabo terram fœtore sanguinis tui: *Vniuersa hæc impleta sunt, & complentur in Friderico: captus est, venditus, extractus, & vinctus, in terram proiectus, & securi confractus; sicque super rotam positus, esca factus est volatilibus agri, colles quibus impositus est, implens Sanie sua, & terram subtus irrigans fœtore sanguinis sui. Per triduum illud, quo vinctus tenebatur in palatio, extra muros ciuitatis in monticulo, qui est iuxta portã Sancti Seuerini, columna ex lapidibus, alta satis, erecta est, & in illam rota plaustri, plumbo vestita, vt durare posset, translata: atque in eam rotam funibus pertractus est, prius tamen in terra brachiis; & cruribus eius securi confractis. Erat tum anniuersarius dies, quo Martyr Sacerdoti Rhodensi prædixerat, omnes percussores suos mala morte morituros.* Hactenus de sæuera vindicta necis sacrilegæ.

7. Obiisse cum signis contritionis, hisque non paucis, tam Cæsarius, quam Belgij Chronicon produnt: hoc tamen vltimum duo quædam addit, quæ, mihi dubia. Alterum, Friderico in rotam acto, vbi iam spirasset, cantatum in Ecclesia Colonienſi pro gratiarum actione. *Te Deum laudamus:* Alterum corpus Sancti ex illa hora cessasse à miraculis, quæ tamen antea frequentia perpetrauisset. Referam ipsius Chronici verba etiam quæ continent Friderici fugam, captionemque, quia quædam in eo distinctius notata video. [i] *Fridericus igitur fugiens, excommunicabatur vbique, auctoritate Cardinalis Domini Conradi. Quærebatur etiam auctoritate Regis; & propositum est magnum præmium ei, qui sciret, & indicaret, quomodo capi posset. Itaque circa annum fere completum reuersus Roma sub habitu mercatoris, & quibusdam Leodij cognitus, & quia Hoyum tenderet, illico demandatum est Balduino militi de Genesia, qui sine mora veniens, eum in Valle Ammanienſi cepit, & Colonienſibus pro magno pretio apud Vsiacum tradidit: vnde Coloniam ductus, & per vicos, & plateas, vt canis vilissimè tractus, tandem in rota eminentissima rotatus est, supplicium suum recipiens cum omni contritione, & deuotione: & cum expirasset, & Domini Colonienses alta voce:* Te Deum laudamus: *decantassent, eo quod vindicta de nece Archiepiscopi esset consummata: ex tunc ab hinc Archiepiscopus, qui hucusque miracula faciebat, ea facere omisit.* Hæc illud Chronicon.

i *in Coloniensibus.*

Consonat in Sponheimensi Ioannes Tritemius, quod attinet ad cessationem miraculorum, quæ Engelbertus patrabat, & addit rem omnino memoria dignam. *Comes Fridericus, ait,* [k] *impius parricida, cum sicariis suis numero XXV. mox se ad Castrum Eisemberg recepit, sed munitioni non confidens, inde fugit, totoque animo, profugus, latitans, & excommunicatus à Conrado, Portuensi Episcopo, & Legato Sedis Apostolicæ; tandem reuoluto anno à quodam milite inuentus, & captus, pro centum, & duobus millibus marcis Henrico Archiepiscopo, qui Engelberto successerat, venditur; & vinctus XVIII. Kalendas Decembris, extra muros Colonienses eductus rotatur, matre eius sub rota assistente, & clamante: Heu mihi! hæc sunt viscera mea deuoranda à coruis, sicut per somnium vidi, cum te fili adhuc portarem in vtero. Friderico autem sic rotato, mox signa fieri ad tumbam Engelberti cessauerunt.* Ita Tritemius. Quæ eadem ex ipso Bzouius anno præterito. [l]

8.

k *ad ann.* 1225.

l *num.* 6.

9. Mihi, quod ad miracula attinet, quæ cessasse dicuntur à morte Friderici, valida duo argumenta dubium ingerunt, vtrumque ex Cæsario. alterum ab auctoritate negatiua, à positiua alterum; quod vtrumque proponam meo Lectori. Et quidem argumentum ab auctoritate negatiua, alioqui infirmum, vbi contigit esse de re graui, ab auctore coæuo prætermissa, & qui ex professo materiam illam tractans, vel leuiora obseruauit, scripsitque; inter viros prudentes, & cordatos non leue sane pondus habere solet. Quis enim credat Cęsarium, qui tunc aderat, & vitam actaque S. Engelberti, successoris rogatu concinnabat, minutissima quæque alte obseruans, imo qui librum vnum de miraculis Sancti seorsim scripsit; hunc eorundem patrandorum finem, singularem haud dubie, & mysteriosum, si vere cessauissent, non propalasse? Cum maximè hunc ipsum tertium librum, longe post mortem Friderici scripserit, quam in secundo libro propalauerat. An non inter miracula, mirandum, quod vindictam petierint, qua consequuta, clamare etiam cessauerint? An non hoc dignius memoriæ commendari, quia singularius, quàm cætera, quæ narrantur in eo libro. Aut credendum, vulgaria recensentem, & frequentia miracula, hoc præteriisse, quod pene sine exemplo narrare poterat?

Verum

10. Verum huic argumento negatiuo positiuum, addamus, & constet de miraculo post mortem Friderici patrato per Engelbertum. Sanè Fridericus intra annum à patrato parricidio, pœnas luit, vt omnes conueniunt; adeoque intra hunc ipsum M. CC. XXVI. quo tertium librum Cæsarius scribebat, miraculum patratum à Sancto Martyre, ipso, quo occubuit, loco, in Capella iam tunc eidem sacrata, sub finem huius libri ipse testatur. Sic enim ait [m]. *Hoc anno, qui est à Christo nato millesimus, ducentesimus, vigesimus septimus, puer quidam, anno plus minus sexdecim natus, sed mente captus, à matre ductus est in Beati Engelberti Ecclesiam, quæ est in Giuelberg. Stanti autem illi in eo templo, quidam sic ait: Abi ad altare, & sublatis manibus ora Beatum Pontificem, qui illic sanguinem suum fudit, vt te sanet. Fecit ille, vt iussus erat, & curatus est.* Ita Cæsarius. Non ergo credo cessasse Sancti miracula post Friderici mortem, quamuis fortasse non adeo crebra fuerint; siue quia minor necessitas illorum, siue minor deuotio, atque tepidior efflagitantium opem Martyris Sancti.

m *lib. 3. ad finem.*

11. Ex priori argumento etiam suspectum habeo, quod de: *Te Deum laudamus:* decantato in Ecclesia Colonienſi, per Friderici mortem perhibetur. Non quod ignorem grates solui posse de Diuinæ iustitiæ ostensione, tum de humana rectè administrata, & bono publico inde subsequendo. Sed quod existimem, si publicè actæ fuissent, à Cæsario nequaquam omittendas. Quando enim eas taceret, qui nihil tacuit? Quod maximè ad Engelberti historiam, quam scribendam suscepit, facere posset. Sed addo, etiam Ecclesiam Colonienſem, communem matrem, compatiendam miseriæ damnati Principis, quantumuis insolentis, & sacrilegi, magis quàm eius supplicio, præcipuè tam atroci, insultaturam. Quod si fortè reuera cantauit laudes, non tam de nece Viri cantatas credam, quam de eius pœnitentia, lachrymisque, & pie credita venia consequuta. Quasi inuenta occasione nouæ lætitiæ, & nouo quodam genere passionis, quæ ita Martyrem in cœlis coronauerit, vt tyrannum inferno non permiserit: ea haud dubiè victoria glorioſiori, quo sine sanguine, etiam inimico, & taliter victorem Deo lucratur, vt victum non perdat. Certè de signis veræ pœnitentiæ, à Friderico exhibitis, ipse etiam Cæsarius ita scribit [n]. *Etsi autem mala, & turpi, atque ignominioſa morte in corpore Fridericus periit, speramus tamen eam pœnam, animæ eius fuisse medicinam, quandoquidem bene contritus, & diligenter, atque frequenter, tam priuatim, quàm publicè confessus, se reum clamauit, & pœnas illatas patienter tulit, membra singula carnifici confringenda vltro offerens; & cum in dorso eius fabricaret carnifex ille immisericors, & sexdecim ictus cum securi ei inferret, nullam edidit vocem, ita vt omnes mirarentur. Inde vsque ad matutinas preces in corpore durans, fertur tantum orasse, & circunstantes, vt pro ipso orarent, deprecatus esse. Fortassis ex merito Martyris Engelberti, qui moriens orauit pro inimicis, gratia hæc illi præstita est.* Ita Cæsarius. Verum nos de his satis pro instituto.

n *lib. 2. c. 17.*

12. Hoc ipso tempore, dum versaretur in partibus Leodij Cardinalis Conradus, Vallem benedictam, Cistercienſe cœnobium, dedicauit; de qua dedicatione hæc in Chronico Belgico [o]. *Item Dominus Cardinalis Conradus, Roma regressus, & per Imperium Alemaniæ constitutus Legatus, Leodium venit, ibique Vallem Benedictam, Ordinis Cistercienſis, de nouo fundatam, circa Pentecostem consecrauit, prius ab Ottone, Decano Sancti Pauli Leodienſi, fundatam, in qua erant Canonici Regulares, cuius Prior primus, fuit Balinus de nouo hospitali, &c.* De Valle-Benedicta superius dictum. De Conrado, repetiisse hoc anno Romam probabilius existimo: vbi, electioni Gregorij Papæ noni, post obitum Honorij, interfuisse, cum aliis, quæ ibidem gessit, historia dignis, anno sequenti à nobis dicendum erit.

o *In Leodiensibus.*

---

1. *Res Albigenſium iterum turbatæ Ludouicum accersunt:* 2. *Qui expugnata Auignione, dum reuertitur,* 3. *in itinere obiit.* 4. *Guillelmi, Archiepiscopi Rhemenſis, mors, & sepulchrum in Clara-Valle.* 5. *Sancti Ludouici successio, & coronatio.* 6. *Laurentius, Claræ-Vallis Abbas, decedit, & succedit Rodulfus.* 7. *Chari, Achadenſis Episcopi, mors, & electio Siboti.* 8. *Eleuata ossa Dauidis Hemmenrodenſis.* 9. *Iacobi Aragonenſis contempta ætas; & à morte Alphonsij rebelles Proceres,* 10. *& vrbes aliquæ per speciem libertatis.* 11. *Demum consilio, & prudentia firmatum Regnum.*

CAPVT TERTIVM.

1. RES Albigenſium turbatæ hoc anno iterum Ludouico Francorum Regi mortem, sat immaturam, & filio eius Sancto Ludouico (cui tandem debellatio rebellium, & extirpatio errorum, altè radicatorum, reseruabatur) successionem, & Regnum acceleratunt. Raymundo Dolosano, atque complicibus, resilientibus à promissis pro suo more. *Circa Purificationem Beatæ Mariæ (ita in additis ad gesta Philippi Regis, quæ triennale filij eius Regnum describunt* [a] *) Rex Ludouicus, & Magnates Regni Franciæ plurimi, & Archiepiscopi, & Episcopi, & Barones Parisiis adunati contra Albigenſes hæreticos, crucis signum per manum Romani Cardinalis assumpserunt.* Cæterum quid per eos factum sit, ad exactiorem notitiam dicendorum, & successionis Sancti Ludouici ex eisdem additis breuiter describo [b].

a Fol. mihi 400.

b *vbi supra.*

2. *Anno Domini M. CC. XXVI. Ludouicus, Rex Franciæ, & omnes cruce signati, Bituris conueniunt; & inde procedentes per Niuernam, & Lugdunum ciuitates, apud Auignionem, Vrbem fortissimam, & quasi inexpugnabilem, ab Ecclesia Romana per septem annos excommunicationi subiectam propter hæreticam prauitatem, peruenerunt. Cum igitur Rex crederet, pacificum per Auignionem transitum habiturum, quasi quasdam prauias pactiones, quas cum illis de ciuitate habuerat; illi portas suas clauserunt, & Regem cum suis exercitus excluserunt. Rex miratur, & spiritu virtutis assumpto,*

sumpto, Villam obsidet, obside tripartito : in Vigilia Sancti Barnabæ Apostoli, quæ fuit quarta Feria Pentecostes, machinæ eriguntur, trabucheta, petrariæ, mangonelli : parum proficiunt, quia hi, qui intus erant, viriliter se defendunt. Durat obsidio vsque ad Festum Assumptionis Beatæ Mariæ : ibidem tamen mortalitate maxima pullulante, de nostris circa duo millia, telorum imbribus, & lapidum volatu, & infirmitate propriam oriuntur. Moritur ibidem Guido, Comes S. Pauli, percussus lapide petrario; Vir armis strennus, Catholicus, & honestus. Moritur etiam ibi Episcopus Lemouicensis; & Comes Campaniæ redit ad propria sine Regis licentia, vel Legati.

3. *Tunc Auignienses Regis magnanimi constantiam attendentes, quod cum suis Proceribus iuramento affirmauerat, se non recessurum donec Villa caperetur, vel redderetur; ducentis datis obsidibus de melioribus suæ ciuitatis, iurant, stare se Ecclesiæ mandato. Ad mandatum igitur Legati, & Rege imperante, fossata implentur, trecentæ domus rurales, quæ in Villa erant, & omnes muri circumquaque solo diruti coæquantur, Villa absoluitur, & Legatus inducit in ea multas bonas, & laudabiles constitutiones. Magister vero Nicolaus de Corbeia, Monachus Cluniacensis, in ipsius loci Episcopum consecratur. Rex inde, amoto exercitu, progreditur per Prouinciam, & redduntur ei pacifice ciuitates, fortericiæ, & castra omnia, vsque ad Leucas quatuor à Tolosa. Rex vero loco sui, Himberto de Belloioco, toto illi præficiens Regioni, redire in Franciam properauit. Die autem Iouis ante Festum omnium Sanctorum, Regem ad propria redeuntem infirmitas mortalis inuasit, & die Dominica subsequenti, scilicet in octauis omnium Sanctorum, dum esset apud Montpancier in Auernia, anno Domini M.CC.XXV. migrauit ad Christum. Vir vtique Catholicus, & miræ Sanctitatis: omnibus diebus vitæ se non maculauit, præterquam cum vnica vxore sua, sibi legitimo matrimonio copulata.* Hactenus ibi de gestis contra Albigenses, & morte Ludouici.

4. Manserit cum Himberto apud Tolosam, an cum Ludouico ad propria remeauerit Venerabilis Archiepiscopus Rhemensis, Guillelmus de Ianvilla? in dubio est. Constat in reditu vitam consummasse, & Claram-Vallem illustrasse simul, ac mœstam reddidisse, illato in eam funere, quò antea iusserat cadauer asportari. Hic, Episcopus antea Lingonensis, Claram Vallem imbiberat, adeo tenero affectu, & reuerenti, vt separatur per promotionem loco, illam adhuc sitiret, & vel mortuus ad eam reduci, atque ibidem præstolari resurrectionem non dubitauerit. De eo in tabulis Rhemensium Archipontificum [c] *Guillelmus de Ianvilla, Episcopus antea Lingonensis, hic anno M. CC. XXIII. VIII. Idus Augusti Rhemis sacrauit Ludouicum, patrem Sancti Ludouici, cum vxore sua Blancha : ad hunc etiam scribit Honorius III. Papa extra de filiis Presbyterorum capite 17. Sedit annos VIII. obiit die VI. Nouembris, M. CC. XXVI. sepultus in Monasterio Clara-Vallensi.* Hæc in tabulis Ecclesiæ Lugdunensis : in libro vero sepulchrorum Claræ-Vallis sepulturæ etiam locus designatur, & circunstantia temporis : nimirum cum rediret ex Albigesio. *In ædificio* (inquit) *cooperto de plumbo in medio cœmeterij, iacet Dominus Guillelmus Ianvilla, Episcopus Lingonensis, postea Archiepiscopus Rhemensis, qui obiit anno M. CC. XXVI. in reditu patriæ Albigensis.* Hæc de Guillelmi sepultura in Clara-Valle. Sed redeo ad Ludouici successionem.

c *Apud Ioãnem Chenu Regina mihi 172.*

Nobilissimo itaque (ait Guillelmus de Nangis in eius vita [d]) *atque strenuissimo Rege Franciæ, Ludouico, filio Illustrissimi Philippi Augusti, Regis Francorum, qui Normaniam subiugauit apud Montpacier in Auernia, in reditu de terra Albigensium defuncto, Ludouicus eius filius, qui nondum ætatis suæ annum duodecimum attigerat, Regni Francorum fastigium est adeptus, & infra mensem post patris obitum Rhemis prima Dominica Aduentus, per manum Venerabilis Patris Domini Iacobi, Suessionensis Episcopi, vacante Sede Rhemensi, coronatus, & inunctus fuit. Anno videlicet ab Incarnatione Domini Millesimo, ducentesimo, vigesimo sexto. Qui summæ ingenuitatis puer, velut Surculus ex dulciflua abscisus arbore, in primæuo flore radicem figens, cœpit odoriferos gratissimæ pueritiæ flores emittere, & sub disciplina, egregiæ, & Venerabilis matris suæ, Blanchæ, quæ eum sub protectione curatoria prudenter, & diligenter educabat, liberalem animum ad sapientiam informare.* Hæc nobis satis ad præsentem annum : nam cætera Ludouici gesta, quæ hos Annales concernunt, tum Albigensium reconciliationem, abiuratis erroribus, atque satisfactionem, tum Ecclesiæ, tum Cistercio exhibitam, cum aliis huc facientibus suis & locis, & temporibus, reddemus. 5. d *vbi supra fol. 401.*

In Clara-Valle Guillelmi Ianvillensis externum funus, domesticum, & proprium, nouo, & maiori luctu cumulauit. Obiit Laurentius, Abbas quartus decimus, meritis æquè plenus, diebusque, cum nondum annos tres integros præfuisset. Hic natione Hispanus, & primum Magicis artibus imbutus, queis Toleti cum aliis operam dabat; deinde per miraculum conuersus, atque in Vrsaria, Galleciæ Monasterio, Monachus factus, tempore succedente, quartus Abbas, atque Innocentij tertij Legatus, ad Regem Lusitaniæ, semel, & iterum; tandem ad Claram-Vallem, & Bernardi parentis successionem, vocatus fuerat, ingenti omnium electorum acclamatione. Dies obitus eius ignoratur, neque enim in Martyrologio notatus est; incertum quam ob causam, cum tamen alij aliorum designentur. Sed nec sepulchrum illius notatum video; vt inde coniector, fieri potuisse, vt extra Claram-Vallem vita excesserit; nam neque successoris eius dies notatur, quem etiam extra Claram-Vallem obiisse constat. Extat memoria Laurentij in Clara-Valle in inuentario sacrarum Reliquiarum, vbi de capite Sancti Vincentij Martyris, quod nos præcedenti anno memorauimus. Extat & in Catalogo Abbatum, vbi hæc pauca, quæ etiam supra tetigimus. *Laurentius, genere Hispanus, qui per miraculum intrauit Ordinem nostrum, postea Abbas Vrsariæ in Gallecia. Abbaptizauit hic annis duobus cum dimidio. Videatur Cæsarius libro primo Dialogorum capite XXXIII.* Laurentio successisse Rodulfus dicitur, ex Abbate Signiaci, quem tamen Aginensis Ecclesia primum, deinde Lugdunensis, illustrem Virum genere, neque minus doctrina, & pietate, sed breuissimi temporis Pontificem, eoque chariorem, præstolabantur. Sed hæc, & alia, si quæ nobis occurrent, suis temporibus singula reddemus. 6.

Hoc ipso anno illustrium duorum Præsulum memoria 7.

memoria incidit in Germania, & Hybernia, Sibotonis nimirum, Charique, huius, qui ex quinto Abbate cœnobij Mellifontis, ad Achadensem Ecclesiam promotus fuerat: de quo tamen (quæ incuria nostrorum fuit) præter dignitates, & annum mortis, notata ab VVaræo [e], nihil inuenio: adeo plura ignoramus, quàm scribimus: Illius, magis haud dubiè etiam in sæculo, Baronis à Gundensilgen, qui hoc anno in Augustanam sedem euectus, quam annis quinque, & viginti. *Summa cum laude* (ait Gaspar Bruschius [f]) *atque vtilissime, eximia virtute, & vitæ integritate.* Administrauit; tandem Cistercio adhæsurus seruabatur, post decennium exactum in Monachatu, & Monasterio Cisterciensi, tandem in eo gloriosè consummandus, vna cum Fratre carnali eius Henrico qui ibidem etiam Cistercium illustrabat. De eo præter Bruschium Martinus Crusius [g], aliique, quos nos in tempore latè proferemus. Hic ille magnus, & illustris Præsul est, qui anno M. CC. XLI. *Monialium Cistercienſis instituti Collegium* (ait Bruschius) *ex oppido Bockeim, in amœnissimum locum, in quo Lycus influit, in Danubium, transtulit, appellans nouum illud Monasterium Sconenpheldium.* Sed de his suo loco.

e *In Catalogo Abbatum Mellifontis.*

f *In Epitome.*

g *In Annal. Sueuicis.*

8. Fuit etiam celebris nostris, præsens annus eleuatione corporis Beati Dauid, Hemmentodensis Monachi, cuius vitam, & acta supra descripsimus [h], exigentibus cultum crebris miraculis, quæ ad sepulchrum illius Deus patrabat, cum ante septem, & quadraginta annos fœliciter in Domino obdormisset. Atque huius eleuationis meminere Aubertus Miræus in Chronico Cistercienſi [i], & Hugo Menardus in Martyrologio Monastico [k], neuter tamen præfixa certa die, neque addita eleuationis solennitate. Demum hoc anno in Ægidio Romano Dunensi lego, obiisse Ægidium Abbatem eiusdem domus, qui quinquennio præfuisset, Salomone de Gandauo, totidem aliis egregiè præfecturo. In Catalogo Abbatum Dunensium apud Henriquez, non obiisse [l], sed cessisse dicitur; nec, cui magis fidendum, dicere audeam.

h *Ad annum 1179.*

i *Ad annum 1179.*

k *lib. 1. obſeru. ad diem 15. Decemb.*

l *lib. 1. Faſc. diſt. 6.*

9. Hic idem annus Iacobo Aragonensi fatalis fuit, in quo Regnum, & Proceres firmauit, cum tamen paulò priùs ab his desertus, facilè illud amittere potuisset. Vt populus sine Rege manere potest, non Rex sine populo; ita Regulis opus, sine quibus coronam conseruare, arduum; contra, si coeant, prorsus impossibile, experientia magistra demonstrauit. Et rebellante in Iacobum, vtroque patruo (adeo Sanctio, adeo etiam Ferdinando quantumuis Monacho, dominandi libido dominabatur) crescebat periculum, dum Regij sanguinis salua maiestate, quæ in vtroque nitebat, boni publici species, & plausibile semper, semper amabile maioris libertatis nomen, obtendebatur. Zurita Proceres ad arbitrium, libidinemque suam, Regis ætatem eludere, spernere; Regem ab ipsis, quasi elapsum fuga, substitisse ad Hortam, memoriæ prodit [m]; inde veluti sui iuris affectum, tum conciliandis sibi suorum animis, ad bellum sacrum, Turolium euocasse. Sed cum Peninsulam (Græcis Cherronesum) obsidere tentaret, desertum à Proceribus, pepigisse inducias cum Valentino, cum quo nonposset bellum continuare. *Bello sacro intermisso* (pergunt indices [n]) *quod Rex Procerum consiliis traheretur, & Petrus Ahonesius ambitione præceps, cum super fortunam animum gereret, in hostium fines imnasurus, quæ cum hoste depacta fuerant, iura seruanda præ se ferret; neque Regiis precibus bello abstinere in animum induceret; & Burbagenæ, à Rege attineri iusso, manus iniicerentur, dum minax, atque insolens repugnaret, & valentem, atque repugnantem Rex demoraretur, seque eriperet, & facto à Regiis impetu in fugam se coniecisset, vt Cutandæ, Castellum ditionis, Cæsar-Augustani Episcopi Fratris, concito cursu contenderet, à Sanctio Martino Luna, qui fugientem persequebatur, hasta transfixus interimitur. Ahonesius summæ vir audaciæ, magis præpotens, quàm origine splendidus erat: & ob eius necem in magna turba, & confusione rerum, ciuitates, & Proceres Regni versantur.*

m *Ad annum 1215.*

n *Ad eundem ann.*

Initium hoc defectionis, ac belli futurum Rex arbitratus, in Suprarbium, & Ribacuriam, militares copias traduxit, quod in eis ditionibus Ahonesij opes, & splendida clientela latè paterent. Arces, Castellaque, præsidijs Ahonesibus firmata oppugnat. Bolea, in Oscensi tractu arcium præcipua, à Ferdinando, Regis patruo, & Petro Cornelio qui Ahonesijs se adiunxerant, propugnatur. Cum acciri copias Rex iussisset, & signa in oppidum inferri, oppugnare adorto, rebellandi causam inde alij obtendunt Proceres. Hæc ad annum M. CC. XXV. infausta, & tristia, sub initium sequentis, id est huius, longè deteriora. Nam *Bellum*, ait [o], *à Rege haud quaquam memorabile aduersus contumaces gestum est: eoque Suprarbiensi bello implicito, concitata omni iuuentute, & ad defectionem compulsa, ciuitates omnes Aragoniæ (Calataiubiana excepta) arma Ferdinandi, & Petri Cornelij ductu, tanquam pro communi libertate, capiunt. Cum magnum exercitum confecissent, Guillelmum quoque Monchadam Beneharnensem arcessunt.* Et infrà: *Etsi crimen defectionis publica fraude, in paucos auctores versum esset, tamen Summa via à Rege aduersus Ferdinandum Patruum, & ciuitates, quæ se illi addixerant, bellum geritur. Cum Oscenses bellum acciuissent, pollicentes, se eius Imperio obtemperaturos, ac nullis adiunctis militaribus copijs, eorum se fidei tradidisset, atque in vrbem recepissent, populari commotione, & seditione tumultuantes, arma capiunt: Vrbis Vicos obstruunt, atque omnes aditus obsepiunt. Rex inuitis ciuibus vrbe excedit: & Perusa subsistit.* 10.

o *vbi suprà ab anno 1216.*

Hæc species rerum erat in Aragonia, cum Rex Iacobus supra ætatem pendens, cum Regem se sine Regno esse non posse non dubitaret, quos armis debellare minus poterat, consilio, & cunctatione sollicitauit, beneficiis deuinxit, imò perdomuit. Nam audi quod sequitur [p]. *Cum per aliquot dies, incerti Proceres rerum omnium, suspensique, de statu reipublicæ agerent, & rem dies complures Rex tenuisset, & si cunctaretur, se omnia assequuturum videret, & dessidentes in suam sententiam perducturum, dum se conari simulat; Raymundum Folchium, Vicecomitem Cardonensem, atque eius factionem, Guillelmo Beneharnensi, acerrimo Cardonensis factionis aduersario, adiungit. Dissidia Ferdinandi patrui, & Nuñij Sancij, sua opera sedantur. Optimates demum omnes ad se deducit, qui ad decimum Kalendas Iunij communem causam, ac propria iura, in Regia fide, ac religione deponunt. Fidei illius, imperioque deuinciunt: atque obnoxios statuunt.* Hactenus ibi. Itaque vnde corona fluctuabat, inde firmata est, & intestinis tumultibus sedatis, cum 11.

p *vbi suprà.*

prudentia,

prudentia, quàm armis in suos magis egisset, arma integra in hostes conseruauit, tot victorias de eis consequutura. Sed de his satis. Nunc Beatam Idam, Diuinæ gratiæ ostentum, post multa tum miracula, tum dona, illustrantem Cistercium, proferamus.

---

1. *Auctores vitæ, & tempus Beatæ Idæ.* 2. *Patria Louanium, & pater negotiator, illi infensus.* 3. *Vindicata Diuinitus iniuria Sanctæ irrogata,* 4. *& Sanctitas haud obscurè ostensa patri,* 5. *& sorori eiusdem, semel,* 6. *& iterum:* 7. *necnon quibusdam exteris,* 8. *Qualis Ida in externis exercitiis?* 9. *Quid adhuc puella in Eucharistia viderit.* 10. *Et qui inde in ea miraculosi affectus sequuti fuerint?*

CAPVT QVARTVM.

1. QVAM diximus illustrasse Vallem Rosarum, recens mundo exortam, & ex ea totum Belgium, Cisterciumque, Beata Ida Louaniensis, hoc nobis anno venit referenda. Quippe nec præcessisse nimium potuit, quæ Monasterium solum inchoatum, sed opinione Sanctitatis florens inuenit; nec ab auctoribus præcedenti sæculo adscriptam, liberum nobis in hoc vltra differre. Et erit hæc narratio paulò diffusior, quod venerit adulta, & Sanctam fœminam acceperit Cistercium, magis, quam dederit. Vitam eius in secundo volumine Agiologij Sanctorum Brabantiæ, ab anonymo auctore olim conscriptam, hoc nostro sæculo Ioannes de Assignies primùm Gallicè reddidit; mox, sed aliquantulum mutato stylo, sicut in aliis, Chrysostomus Henriquez euulgauit, libello edito, de quinque Cistercien sibus Virginibus, quem Antuerpiæ apud Ioannem Cnobaert, anno M. DC. XXX. typis dedit. Nos qui Agiologij copiam non habuimus, quæ dixerimus, ex ipso decerpemus.

2. Ergo Idam, dictam à patria Louanien sem, quia Louanij nata, compertum est: parentibus nec claris, nec obscuris secundum sæculum; haud pauperibus tamen, & pater negotiationi nimium deditus, in auaritiam sæpè, nonnunquam etiam in fraudes, non sine aliorum damno, declinabat. Hinc Idæ, ab ineunte ætate pauperi spiritu, continua crux, dum patrem his se pollui altè dolebat, neque minus ab ipso, velut sibi, & studiis suis contraria, grauiter, & seuerè castigaretur [a]. *Pater siquidem Virginis Venerandæ, vir scilicet mundanæ sollicitudini deditus, & sæcularium negotiorum arrhis non mediocriter occupatus, cum deuotam filiam suam ab his, quæ sæcularium negotiationum exercitio in diebus suis auaro corde congesserat, & incessabili studio, quotidie congerebat; tanquam à rebus sordidis, & auaritiæ cœno multipliciter inquinatis, quantum valuit abstinere conspiceret; à paterna pietate delirans, & rectam intentionem filiæ rectis non oculis considerans, omnem fellis suæ commotionem, in insontem mox cœpit euomere; turbatoque rationis intuitu, quam preconio commendationis potius exaltare debuerat, asperrimis maledictionis ictibus non cessauit diebus singulis, innocentem, & totius recalcitrationis nesciam impugnare.*

a cap. 2. vitæ eius.

3. Exemplum patris imitabantur sorores, & sæcularibus intenta lucris vniuersa familia, Idam, quod solis spiritualibus anhelaret frequenter, aut carpebat, aut subsanabat. Non tulit Deus sponsæ suæ iniurias, quin illam optimam elegisse patrem miraculis perspicuis manifestaret. Vini occasione, quod venale pater habebat, exorta dissensio, atpera ab eo in filiam verba elicuit, impostricem vocauit, atque hypocritam; & si quæ alia indignatio, seu furor subministrabat. Sed pius Dominus ancillæ suæ condolens, cuius teneram pater verecundiam exagitabat materiam scandali in supplicium peccantis primum, mox conuertit in gloriam innocentis. In media hyeme feruere vinum cœpit in ipsis vasis, ac posset in autumno; atque ita repentè corruptum est, vt multis licet remediis applicatis, nullo vnquam valuerit reuocari. Nonnulla alia auaro mercatori seuerior pœna; sed neque aliud glorioſius Idæ miraculum, saltem in patris oculis, quam quod hac illi via Deus parauit. *Cum hæc ad Venerabilis Idæ* (inquiunt Virginis acta [b]) *notitiam peruenisset, paternarum iniuriarum prorsus immemor, illius dolori cœpit affectuosissimè compati; & vt patri in se commissa remitteretur iniuria, vinique sui pro cuius amissione tam anxiè turbabatur, mortifera sanaretur pestilentia, Diuinam est aggressa Clementiam instantissime deprecari. Quam pius Dominus protinus exaudiuit, & omnia patris sui vina, morbosa corruptione confestim ex promptuariis effugata, die crastino restituto sibi tenore pristino, reformauit.* Hæc coram patre. At quid coram sorore?

b cap. 3.

Soror ipsius [c], *instigante Dæmone, durissima verborum asperitate cœpit Beatissimam Virginem arguere, deuotæ famulæ Dei animum, in quantum valuit, ad impatientiam, & iracundiam prouocans. Sed qui nunquam à iustitiæ tramite deuiat in iudiciis, qui vindictam, & retributionem sibi vendicat, quique dilectissimæ sponsæ suæ animum, nunquam in suis tribulationibus deseruit; huius quoque pertinaciam digna satis animaduersione corripuit. Sequentis enim superuenientibus noctis tenebris, cum soror eius, de qua loquimur, ad soporandum in lectulo artus sui corporis intulisset, & sopitis curarum tumultibus, somnum oculis, & dormitationem palpebris indulsisset, ecce paruulus quidam inæstimabilis, vt postea retulit, elegantiæ, talari pariter, & inconsutili tunica redimitus, ei per visum apparuit. Qui in lectum ascendens, & sese proiiciens super illam, pugnorum ictibus, & pedum concussionibus, ipsam cœpit vehementer opprimere, durisque verborum insultibus eius arguendo stultitiam, & commissam in sororem exprobrando nequitiam, hoc modo cœpit illam increpare. Cur sororem tuam hesterna die, sine causa rationabili, tam contumelioſi iniuriarum ictibus impetere præsumpsisti? Cur Venerabilem sponsam meam; quæ me tam liberaliter quotidie in membris meis cibat, potat, obsequitur, & ministrat, inconsultè, & indignè, tam graniter offendisti? An ignoras mihimet illatam contumeliam, quam dilectæ meæ, tam proteruè, tanque*

4. c cap. 15.

tamque pertinaciter, intulisti? Cui cum illa tremens, & pauida, nunquam tale quid se facturam de cætero responderet; insuper & sororem suam, omni deinceps à se prosequendam honoris obsequio, dum tamen hæc sibi remitteretur offensa, firma stipulatione promitteret: Noli, inquit, noli talia dicere, friuolamque de re, quam asseris, noli promissionem facere; scio enim, & certus sum, quod ad tuam nunc euasionem, ista mendaciter asseris; & sicut hactenus, ita futuris temporibus, huius immemor sponsionis, quàm plurimas ei verborum iniurias, & quàm multas offensionum, non impunè tamen, illi molestias irrogabis. Hæc dicens ab oculis intuentis disparuit, & veritatem verborum ipsius euentus rei postea declarauit. Nam & sequenti quoque tempore, talia sæpius iterando repetiit, & nunc exprobratoriis, nunc subsanatoriis, interdum etiam cachinosis sermonibus, innocentem Sanctæ Virginis animum impugnauit. Ex quibus vnum adhuc proferemus in medium, quod Sanctorum Dei persequutoribus, vt à sua pertinacia resipiscant, & illorum cultoribus, vt amplius in sua virtute proficiant, non incongruè dabitur in exemplum.

5. *Quodam ergo tempore stans hæc Sanctæ Virginis soror, iuxta vas vini, quod apud patrem illarum venale tunc temporis habebatur: Venerabilem Idam in suo tunc oratorio, Sanctis meditationibus, & orationibus occupatam, clamosis vocibus & cachinantis indicia proferentibus, ad se taliter accersiuit. Veni, inquit, soror, accurre, propera, nareſque tuas ad huius doly spiraculum applica: & quæ semper flere desideras, abundantes lachrymas effundere poteris huius vini odore nectareo prouocata. Quod audiens illa; vinum, inquit, suamet crebro suauitate compunxit, & ad fletum, fusionemque lachrymarum, odoris sui dulcedine sæpissimè prouocauit. Dixit autem non de vino materiali, quod potatum in ventrem vadit, & in secessum emittitur; sed de vino spirituali lætificante cor hominis, quod à solis mundis cordibus, in cœlestis gratiæ promptuario degustatur. Et hæc dicens flere cœpit vberrime, nimirum eodem in tempore, cœlestis vini saporem, & odorem, in illatæ sibi iniuriæ recompensationem, superna sibi gratia propinante. Vix autem Dei Virgo verba finierat, & ecce globus quidam luminosus, & igneus, ipsi, qui in superioribus elucere aspicitur, Soli, tam qualitate, quam etiam claritate, simillimus desuper emissus, super Christi famulam emicans apparebat; qui totum illustrans corpus virginale illius, etiam & sororis æmulæ videndum se conspectibus obtulit. Quem illa videns vehementer obstupuit, & per tam miraculosam huius demonstrationem luminis, à suis excessibus aliquantulum emendata, quid viderit, & qualiter id acciderit, veridica relatione, multis post hæc admirantibus, & propensam Dei Virginis Sanctitatem approbantibus, indicauit.*

6. Parum fuit semel demonstrasse sorori Virginis Idæ gloriam, si non & iterum manifestaretur [d]. *Quodam nocturno tempore, Festo videlicet, Beati, & glorioſi confessoris Domini Nicolai, Venerabilis Ida simul cum sorore sua, de qua superius diximus, ad Ecclesiam venerat orationis causa, vbique iuxta morem ad vacandum Dei laudibus, in secreto quodam Ecclesiæ loco se conferens, ante gloriosæ Dei genitricis Iconem, ibidem in cuiusdam altaris crepidine collocatam, orationis suæ nimis deuote, & intente cum gemitibus, & suspiriis munera adimplere cœpit. Vbi cum per aliquantulum noctis illius spatium, terram genibus, & cœlum tundens fletibus, ante præfatam imaginem astitisset, & gratum Omnipotenti Domino laudis, & gratiarum actionis incensum in ara cordis sui in odorem suauissimum obtulisset: ecce soror illius vidit eam ex omni parte tam clara perfusam luce splendescere, totumque corpus eius, ac si non terrena substantia, sed visio quædam appareret Angelica, tanto luminis iubare radicare; quod reuerberatis oculis in illam, non solum aspicere non valeret, verum etiam in facie corruens super terram, & sese deplorans penitus excæcatam, totum illius Ecclesiæ domicilium, immensis clamorum, & magnis eiulatuum, fletuumque stridoribus adimpleret. Tanta quippe vis claritatis illius extiterat, vt ipsamet postea referebat, quod obtenebrata penitus oculorum acie, nec propria manus, nec aliud quid interim valuisset aspiceret; donec post aliquantulum temporis effugato præcedente reuerberationis incommodo, paulatimque redeunte, pupillarum acumine conualesceret; & sic demum, non tam extrinsecus oculorum visum recepit, quàm intrinsecus rationis intuitu reformato per geminatam huius miraculi nouitatem, ab irrogandi Dei famulæ contumeliis, inferendisve molestiis, de cætero discereet abstinere.*

Hæc, & similia in dilecta sibi sponsa Christus domesticis, ne illam molestarent; neque exteris minora demonstrabat; quò altius illius Sanctitatem venerarentur. *Nam* [e], *& alio quodam tempore puella quædam Beghina, sibique per familiaritatis obsequium intimata, consistens in quadam Ecclesia iuxta loculum, quem illa suo more vacans orationibus occupauit; omne corpus illius quasi lucernam intrinsecus illustratam, immenso quodam lumine radiare conspexit; & quod sola promeruit, ad multorum postmodum notitiam delegauit. In quadam nocte Sanctissimæ Natiuitatis Dominicæ, cum scilicet in matutinalibus vigiliis, Sanctissimis Missæ solemniis interesset, Frater quidam Ordinis Prædicatorum, hanc velut inter magna luminaria, velut in candelabris, à dextris, & sinistris illius aptissimè collocata, consistentem aspexit, quorum radiante iubare, per multum illius noctis spatium illustrata, situque pari medio tenus; hanc illis ambientibus, ex vtroque latere constipata, terribilis, vt Castrorum acies ordinata, in oculis intuentis apparuit.* Hæc illo in loco. Sed alibi etiam lego, matronam quadam cum ipsa simul orante. *Respicientes ambæ viderunt cœlum aperiri splendoremque nimium ex eodem adinstar coruscationis elapsum, super Venerabilem Dei famulam abundanter effundi: totamque simul interius, exteriusque, velut à Solis radiis, copiosissimè perlustrari.* 7.

[e] *vbi supra.*

Hactenus qualem Deus sponsam suam aliis ostendere dignatus sit: nunc qualem se ipsa sponso suo exhibuerit, ab ineunte ætate, eorundem actuum verbis persequamur [f]. *De paternis itaque facultatibus nihil, vt prædictum, suis vsibus adaptabat, quin potius nocturno silentio, vitæ necessaria labore satagebat acquirere, quibus, & propriam indigentiam, & pauperum, ad se concurrentium egestatem, pro facultatis suæ modo quotidie releuabat. Carnem etiam asperrimo nimis, & duro contectam cilicio, spiritui seruire cogebat. Stratum autem, in quo solebat vtcumque requiescere, non operimentorum, aut lineaminum exquisita mollitie, sed duris vinearum Sarmentis, & virgulis vndique consternebat. Ad* 8.

[f] *cap. 5.*

[d] *cap. 16.*

hæc

hæc quoque paupertatem, esuriem, sitim, frigus, & talia corporis incommoda, ingi patientia sufferebat, nam panem muscidum, & nimia vetustate corruptum, eo quod aliud non haberet, cum mira iucunditate cordis, & spiritus hilaritate, sæpissimè comedebat. Et infrà: *Singulis diebus undecies centenis genuflexionibus terram tetigit, & toties repetitis orationibus, aut decantatis eodem numero Beatæ Matris, & Virginis Mariæ salutationibus, immenso Spiritus Sancti feruore lassata genua, strenuè supportauit. Tam asperis quoque spinarum virgulis, omne corpusculum vltra naturales vires flagellabat assiduè: vt copiosi cruoris riuuli, de plagarum cadibus effluentes, à supremis corporis partibus, deorsum per talos vsque decurrerent; & sui respersione satis horribili, mirum in modum ipsos pedes, & terram irrigarent. Nec his tamen contenta suppliciis, insuper & singula sui corporis membra, quibus olim deliquisse se meminit, id est faciem, manus, pedes, & similia, singulari castigatione disciplinando, subiicere curabat.* Hactenus exercitum Sanctæ mulieris in homine exteriori. Nam interioris dona, virtutesque, fidem, spem, charitatem, & assiduam mysteriorum cœlestium contemplationem, non vllus calamus valeat referare.

9. Cæterum, quas à Deo consolationes Christi Virgo acceperit, quibus fauoribus ab eo præuenta sit, etiam ab annis teneris; qualiterque eadem ipsas virtutes, per visibilia prodigia illi infuderit; quia multa continet rara, glorioſaque, nequaquam licet silentio præterire. Paruula adhuc, cum sacris mysteriis interesset. *Vidit* g, *quasi stellam igneam immodico splendore simul, & rubore perfusam, super altare desuper descendentem, & velut ardentem faculam, ipsum, cui allapsa fuerat, altaris locum, claritatis suæ radiis illustrantem, & sic demum adinstar fulgoris, velut in ictu oculi citissimè disparentem.* Hæc prima exterior illustratio mentis in Virgine adhuc tenera, admirandos ipsius in Eucharistiam excitauit affectus, à qua, vi charitatis preualente, nullis obstaculis posset retardari. Ferunt, cum ei Eucharistia denegaretur, quam instanter ardebat, adeo, vt ex summo illius desiderio, erumpente igne amoris, ex ore, & naribus sanguinem effuderit, qui per pectus ad terram vsque defluens, in exiguos riuos dilataretur; Diuina pietate prouisum esse, *Vt Sacerdos quidam* h, *ei familiaris, & infirmus, misso nuncio, Venerabilem Idam protinus ad se accersiret; in cuius præsentia ad altare Missam celebraturus accessit, & sacrosanctam ei Dominici corporis communionem tradidit. Quod autem non casu, sed Diuino nutu hoc ipsum gestum sit, ex hoc manifestè probatum innotuit, quod idem Sacerdos, grauissimæ tentationis exasperatus incommodo, Diuina mysteria rarissimè eo tempore celebrabat. Nam, & præcedenti die à Dei Virgine supplicitèr exoratus; nequaquam in crastino celebraturum esse responderat. At vero sequenti nocte, pro liberatione sua, cum multa lachrymarum, & orationum instantia, Christi famula laborante; Sacerdos a sua tentatione mirabiliter liberatus, gaudens, & Deo gratias agens, sequenti die petitionem Sanctæ mulieris explere voluit.* Atque hoc quidem satis admirandum. Verum quod sequitur adhuc mirabilius i.

i cap. 8, 10.

Per idem quoque tempus, quò, despectis mundi vanitatibus, ad perfectioris vitæ fastigia cœperat aspirare, validissimum in corde suo fertur concepisse desiderium, percipiendi crebro viuificum Dominici corporis Sacramentum. Sed cum huius desiderij sui feruorem, aliquanto tempore cum ingenti tædio, & cordis angustia toleraret; & tamen concepti feruoris æstum confessario suo patefacere non præsumeret, ac sine eius consilio, & assensu, desiderio suo satisfacere non auderet; affuit electæ suæ pro se taliter æstuanti Diuinæ pietatis miseratio. Nam quod impediente verecundia expetere non audebat in publico, compassiuo miserationis suæ remedio, tam illius affectui consulens, quam rubori, præter omnem humanæ virtutis industriam, hoc ipsum electam suam consequi mirabiliter annuit in secreto. Siquidem eodem tempore frequenter accidit, vt cum Sacerdos in altari communionem sacram acciperet, hæc in immensum dilatato desiderio cordis sui, sacratissimum pignus hostiæ salutaris, Angelico prolatum ministerio, sub eodem tempore, & ore susciperet, & sapore discerneret, & dentibus etiam masticaret. Ex qua perceptione, tanta nimirum iucunditatis, & spiritualium deliciarum dulcedine replebatur, in corpore pariter & in mente: quod non verteretur in dubium, ipsum suauitatis auctorem eo tempore cum gratiarum suarum Chrismatibus affuisse. Hactenus ibi. Vera ne hæc perceptio corporis Christi, diffinire quis audeat? Certè ex affectibus vera probabatur, & semel consecrata materia per Sacerdotem, per Angelos ad Virginem deferri facilè fuit.

g cap. 9.

h cap. 9.

---

1. *Meditanti mysterium Incarnationis, caro Christi Diuinitus ostensa:* 2. *& recolenti eiusdem passionem, impressa vulnera,* 3. *non ad speciem solum, sed ad dolorem,* 4. *quem ingentem sustinuit,* 5. *etiam post vulnera ipsa permansurum.* 6. *Paupertas illi visibiliter infusa, nouo miraculo,* 7. *Infusionis effectus,* 8. *affectusque,* 9. *vsque ad insaniam præsumptam in sacra Virgine.* 10. *Dæmonum variæ, & sensibiles exterius infestationes.*

CAPVT QVINTVM.

1. VT reuerentiam, charitatemque in Sacrosanctum mysterium Eucharistiæ, priori illo miraculo excitauit in Ida cœlestis sponsus; sic ad Incarnationis, Passionisque meditationem, ingem, & feruentem amorem, per alia duo illustriora præparauit: nec exterius affulgens, vt in illo; sed interius assistens, & sibi ipsi componens Virginem Sanctam. De Incarnatione mirabile est illud, quod in eisdem actis ipsius legitur a. *Sub eodem tempore hoc suæ deuotionis obsequij addidit Christi Venerabilis Virgo, vt speciales quasdam horas, affectione præcipua quotidie decantaret in honorem Sanctæ individuæ Trinitatis. Quadam ergo die, cum ad id diligendo pertingeret;*

a cap. 10.

Et

Et Verbum caro factum est ; & habitauit in nobis : *ecce Verbum id, quod lingua formauit, & ore protulit in carnis substantiam transformatum, eodem temporis momento. Diuinæ virtutis operatio commutauit. Ipsam denique carnis substantiam, & ore sentiens, & sapore discutiens, masticare cœpit; & factam in ore suo sicut mel dulcedinem, vt alium cuiuslibet generis cibum, non fantasticè, sed veraciter deglutiuit.* Ita in actis.

2. Cæterum pro mysteriis Passionis incorporandis, si ita fari licet, Beatæ Virgini, audi, quod sequitur, nulli ante ipsam factum, præter Franciscum, qui tunc adhuc viuebat, non multo ante illustratus fauore tanto [b]. *Et quoniam totam in memoriam Dominicæ Passionis, summam intentionis, & considerationis suæ locauerat, ad quam, tanquam ad præcipuum, & singulare præsidium, in omni necessitatis articulo, meditationis, & affectionis aciem dirigebat; volens pius misericordiarum Dominus electæ suæ, vicissitudine gratissimæ retributionis occurrere, suæque mysteria Passionis ad sibi compatiendum, nouo quodam, & satis inusitato rerum ordine vicinius commendare, Sanctorum vulnerum suorum stigmata manibus, pedibus, nec non & latere Sanctæ Virginis his diebus impressit, & quæ dudum in cruce pro totius mundi redemptione Saluator noster Iesus Christus & clauorum confixione sustinuit; horum Venerabili sponsæ suæ gratissima monumenta, non tam in memoria retinenda, quàm in suo corpore perferenda, iucundo satis, & insigni miraculo commendauit. Siquidem in locis manuum, ac pedum, illis scilicet, vbi manus, pedesve Dominici arcebantur, quasi circuli quidam diuersi coloris, repræsentationes quædam stigmatum intrinsecus simul, & extrinsecus excreuerunt, quæ, paruorum instar vulnerum, illarum partium totam superficiem occupantes, miraculosum valdè de se cunctis, ad quorum peruenerunt notitiam, & aspectum, eo tempore spectaculum præbuerunt.*

[b] cap. 6.

3. *Quid enim miraculosius, aut quid iucundius excogitari, vel humanus valet aspectibus præsentari, quam hoc? lateris etiam aperturam, tam hiantem, & patulum aliquo tempore, loco, quo Christi latus transfossum extiterat, hæc Christi Passionis æmulatrix, & socia, persensisse dicitur, quod in eodem, adinstar oblongi vulneris itinere patefacto, ad hepar vsque progrediens, hiatus per ipsa corporis intestina laberetur.* Hactenus vulnera Dominicæ Passionis miraculosè impressa Virgini Sanctæ. Neque tantum ad gloriam, sed ad meritum : quippe non exteriorem speciem solam, sed dolorem ingentem ; neque in his solis, quæ Christus sentire potuit, sed in eo, quod non potuit, præ se ferebant, adeo, vt dicere posset cum Apostolo, idque omnino verè [c]. Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi in corpore meo. Certè qui dolor in Christo defuit vulneri lateris, in Ida fuit grauissimus: sic enim pergunt acta vitæ ipsius. *Quo nimirum in loco tam anxiam, & acerbam doloris, & Passionis sustinuit punctionem : vt ex propinquis quidam, eius dolori compatientis, indumenta, quibus operiebatur, ad nudam vsque carnem extraherent, & ad eiusdem leuigationem doloris, ab omni vestimentorum obstaculo, non sine pœnali tamen molestia, totam lateris superficiem expedirent. Nullius enim rei materialis attactum in eo loco sine graui læsione sustinuit. Quapropter, & nendi, quo vitæ sibi necessaria quærere consueuit,*

[c] Coloss. 1.

officium præ nimio lateris dolore, eodem tempore, sæpius intermiserit.

Hunc dolorem, quem Christus, vt iam mortuus, sentire non potuit, ob quod & lanceam diram ab Ecclesia vocati multi putant [d] : Mucrone diræ lanceæ : cum tamen crux, & claui dulces dicantur : *Dulce lignum, dulces clauos, &c.* nempe quia Christo tormenta sitienti pro salute humana id solum dirum, & immite visum, quod non torquebat : hunc, inquam, quem non sensit dolorem Christus, sentiendum Idæ dedit; sic quæ illi defuerunt, adimpleturæ. At non expertia doloris vulnera alia, sic enim sequitur. *Manus etiam, & pedes in locis prædictis tam vehementis læsionis angustia præmebantur, vt vel leuiter his locis, aut digitum supponere, vel rem aliquam corporalem absque dolore grauissimo non valuisset aliquo modo contrectare. Capitis quoque circumferentiam ex omni parte tam vehemens læsio comprimebat, vt nihil minus, quam spineam coronam portare videretur. Quæ Sanctissimæ Passionis tempore pungendo simul, & cruentando, caput Dominicum ambiebat. Quoties autem, vel à parte, vel à proximis, aliquam contumelioſæ persequutionis iniuriam innocua Christi tyro sustinebat, toties in præfatis locis vires suas, ipsa doloris angustia renouabat. Ob hoc scilicet vt exteriori molestia, quam lingua malignantium intulit, ipsi suo capiti Christo Iesu, quoniam non dissimilia patienti, dignæ compassionis vicem ipsa rependere, disceret. Qualis autem, ac quantus is dolor extiterit, & læsionis acerbitas, quam in locis eisdem Dei Virgo suæ persecutionis tempore toleraut; sicut solo nutu Diuinæ voluntatis, & nullo rerum materialium instrumento illatum excepit, ita nullo verborum ordine declarare potuit.*

4. [d] In Hymnis pro Passione Domini, & Festis sanctæ Crucis.

Hactenus conferenda Francisco Virgo Beata: Verum est, in quo etiam præferri possit, quod eadem vulnera auferri sibi exterius non petierit tantum, sed impetrauerit ; neque ex illis, supra id quod esset, veneraretur. Neque puto Franciscum impetrasse, quia minus acceptus. Verum cito ex hac vita discessuro, minus periculum : & viri constantia restituro, maiora poterant credi etiam certamina. Certè Ida, videns, præfata stigmata locis supradictis tam firmiter impressa consistere, quod nullo valuisset ea medicationis artificio remouere, primo quidem ea, multa diligentia, multaque sollicitudine, præsertim ea, quæ perferebat in manibus, occultare studuit. Sed cum incassum in hac absconsionis diligentia sese laborasse conspiceret, ipsa quippe miraculi nouitas à proximorum notitia Diuinitus arceri non poterat, eo quod doloris angustia, quam sustinebat, sua se proditione deregeret, & manualis opera, qua vitæ suæ necessaria quotidie quæritabat, stigmata manuum abscondi à proximorum conspectibus prohiberet ; timens, vt post accidit, ne fortassis huius miraculi nouitas, ob sui raritatem in populo vulgaretur, & proinde tanquam Sancta Deoque delecta coleretur futuris temporibus, Omnipotentis Dei Clementiam, effusis precibus, exorare cœpit obnixius, vt præfati timoris occasionem à corde suo repelleret, & stigmata Passionis remoueret à corpore suo. Qui clementer eam exaudiens, ipsas quidem cicatrices à locis, quibus olim impressæ fuerant, penitus dimouit, sed doloris pristini læsionem ab eisdem locis ex toto non abstulit. Nam omni vitæ suæ tempore, quoties extrinsecus aliqua

5.

iniuria grauabatur, toties in præfatis locis ipsa doloris acerbitas continuo renouabatur. Sic acta Virginis, admiranda planè; & quibus similia non facile inueniantur.

6. Vt deuotionem, charitatémque in ipsa nostræ deuotionis arcana, hæc miracula sponsæ suæ Christus infudit, sic & virtutes. Vt nihil penitus ad perfectionem faceret, quod non in ea plantaret miraculosè. Certè quod attinet ad virtutem paupertatis, hactenus inauditum, quod ego sciam, siue quia Deo gloriosum, siue quia Virgini, operæ pretium faciam, si hic transcribam [e]. *Quodam etiam tempore, pauper quidam obiectissimæ formæ, vili satis adopertus schemate, quasi petiturus hospitium, ante fores cellulæ, Deo dilectæ Virginis, astitit; ac intromitti se, quiescendi simul, & hospitandi gratia, humiliter exorauit. Quem cum Dei famula, miro compassionis affectu, velut egenum aliquem in cellæ suæ receptaculo suscepisset, eiusque mendicitati, propensa deuotione, compatiens, ad præparanda sibi vitæ necessaria, suæ deuotionis obsequium applicare cœpisset, alteram in hoc facto se Martham exhibens; & quod olim illa Christo capiti, hoc eius membris, hac ob amorem Christi, deuotione, qua valuit, impendere cupiens, ac circa frequens ministerium diligenter inuigilans, & intendens; ecce pauper ille, de quo sermo noster exorsus est, ad hospitam suam reuerenter accedens, in faciem illius astitit, eius propriis manibus, vt sibi visum est, pectus aperuit, & per ipsius pectoris aperturam introiens, & intra ipsam totum se recipiens, ac foris disparens, penitus introiuit.*

7. *Mira res, & à longè retro actis temporibus admodum inaudita. Ne tamen ex nouitate rei, legentis animus diutius maneat in suspenso, si quis huius facti mysterium apertius indagare voluerit, quis iste pauper extiterit? & cuius rei gratia petiturus hospitium ad Dei Virginem declinauerit, euidenti demonstratione coniicere poterit ex mirabili effectu. Nam subito mens Venerabilis Idæ tanto paupertatis, abiectionisque desiderio cœpit intrinsecus inflammari, vt omni, qua se pristinis diebus adstrinxerat abiectionis, & vilitatis incuria, non contenta; mirabili satis exemplo conceptum desiderium cordis sui continuo patefaceret, & quasi virtus Diuina per infusionem gratiæ, quam acceperat, operaretur intrinsecus, inusitato rerum quodam ordine, foris hæc illico demonstraret. Mox siquidem propriis exuta vestibus, ad recluſorium quoddam, habitationi suæ vicinum, confugit, ibique vili quodam panniculo se inuoluens, & martam, vice chlamydis, desuper circumponens, alioque vili satis operimento, faciem suam inuoluendo, submittens, per vicos, & plateas, magna hominum constipata frequentia, cœpit ambulando circuire; sed & vbicumque cultis vestibus olim incedere consueuerat, & populares aspectus per habitus ostensionem in se dudum superbia reflexerat, illic nunc velut amens, & fatua monstruosum quoddam hominibus præbens, de semetipsa spectaculum, incedebat.*

8. *Quodam etiam tempore, cum in Ecclesia Sacrosanctis Missarum solemniis, his suis adoperta schematibus, interesset, à nemine cognita, cor suum in orationibus, & gratiarum actionibus, in præsentia salutaris hostiæ dilataret, ex nimia deuotione, & dulcedine, quam in anima sentiebat; ex ore, & naribus, tanta sanguinis abundantia confestim erumpendo cœpit effluere, quod ipsum quoque pauimentum Ecclesiæ visum sit in multa copia, circa locum, quem ipsa Dei famula iacens occupauerat, irrigasse. Quod aliis quoque temporibus eidem frequentius accidisse dignoscitur. cum scilicet ex amore Dei concepta, supra capacitatem humanarum virium, internæ suauitatis abundanti dulcedine flueretur.*

9. *Cum itaque Venerabilis Christi paupercula per dies aliquot in eo habitu vilis, & abiecta perseueraſſet, tandem à propinquis cognita, & ab his insana pariter, & frenetica reputata, de cunctorum assensu ter vno die ligata, ter ab his loris fortibus, & vinculis est astricta. Sed interim Dei Virgo, cuius mentem in arduo patientiæ culmine feruor ipse paupertatis, & desiderium abiectionis erexerat, omnem, quam ab eis, excesserat iniuriam, parui pendens; foris quidem vinculis compedita, sed interiori cordis inuincibili charitate libertate munita, pro susceptis contumeliis in Dei laudibus exultabat. Cum vero processu temporis, nullum in ea vesaniæ, vel amentiæ signum inuenissent, ac proinde solutis eam vinculis pristinæ libertati reddidissent; ipsa quidem tanto gaudentius ibat a conspectu Concilij, quanto dignior habita fuerat pro nomine Iesu contumelijs attrectari.*

10. Videbat, & inuidebat communis hostis, & quæ per homines non potuit impedire, turbare saltem per seipsum sollicitabat; & quia per internas suggestiones, aut non permittebatur, aut non præualebat; ad externas confugit infestationes, & figuras, pauendas etiam Viris, ne dum teneræ Virgini, quæ vel tuta timeret, & formidaret. Multa ergo tentata conatu irrito, ex quibus aliqua hic censui memoranda. *Formas quasdam visibiles, & horrore nimio circumfusas, interdum nocturnis horis orantis, ac psallentis conspectibus ante posuit; interdum etiam odorem quendam delectabilem, atque suauem, & post paululum in putidum, fœtidissimumque, commutatum, illius auribus importauit. Aliquoties vero conclauem, in quo morabatur, ictu valido tam grauiter impetiuit, vt totam ædificij structuram impetuoso satis horrore concuteret, & ad longè distantium aures, ipse quoque concussionis crepitus euolaret. Quodam etiam nocturno tempore, quasi feretrum quoddam ante se positum, non sine stupore pariter, & admiratione, conspexit, in quo Dæmonis astucia collocatum, tanquam defuncti alicuius, corpus apparuit, in quod etiam omnis adinuentor malitiæ verspellis insiliens corpus supra, supra pedes statuit, & sic similiter in ipso, & cum ipso progrediens ad Dei famulam, cum ea luctaturus accessit; arreptamque per brachia, diutius quidem violenter extorsit: sed Dei Virgine supernum auxilium implorante, victus, & confusus euanuit; & quanquam immodico pauore cor Sanctæ mulieris hac phantastica visione turbauit, ipsa tamen victoriæ palmam obtinens, & inimici rugientis sæuitiam ad nihilum redigens, triumphum è prælio reportauit.* Ita in actis de donis Diuinæ gratiæ, ac fauoribus factis Virgini sacræ: sed iam ad quædam ex multis, quæ per ipsam Deus patrauit, illustriora miracula, seorsim recensenda transeamus.

1. *Idæ miracula multa, neque vulgaria:* 2. *tenuem ceruisiam in vinum conuertit.* 3. *Cum piscibus ludit,* 4. *& cœli auibus imperat.* 5. *Sororem mortuam,* 6. *vel mortuæ valdè similem,* 7. *facta oratione restituit sanitati,* 8. *& desperatum infirmum sola præsentia.* 9. *Vnde illi opinio maior accreuit.* 10. *Prædicatorij sodalitij fratri cœlestis gratiæ affluentiam precibus impetrat.*

CAPVT SEXTVM.

1. SATIS superque miraculosa fuere, quæ hactenus narrata, sed in Ida plerumque, non per Idam. Ergo quæ plurima per eam Christus patrare dignatus est, neque omnia (nam longum esset prosequi) Sed selectiora quædam, siue quia iucundiora, seu quia maiora, veluti in exemplum proferamus[a]. *Iuuencula quædam, quæ abiectis sæculi vanitatibus, ad Collegium Beghinarum, vitæ simul, & veste mutatæ, se contulerat, & aliquantum temporis in progressu Sanctæ Religionis Omnipotenti Domino strenuè militauerat, instigante bonorum omnium inimico, paulatim cœperat a Sancto proposito tepescendo deficere: quam etiam à recto tramite versipellis adeo fraudulenter abduxerat, vt quasi canis ad vomitum reditura, iam iam habitum assumptæ Religionis abiicere, & mundanis, quas renunciauerat, vanitatibus, se denuo proponeret immiscere: quod cum ad Beatæ Idæ notitiam peruenisset & qualiter, ac quibus occasionibus, antiquis humani generis aduersarius suis eam nexibus irretire iam cœperat, aduertisset; non tam illius indignata nequitiæ, quàm huius compassa miseriæ imminenti periculo se constanter opposuit: & euocatam ad se iuuenculam fluctuantem, ac in suum eam triclinium introductam, nunc blandis admonitionibus, nunc diris increpationibus, suffragiis etiam orationum adhibitis, ad propositum suum reducere laborauit.*

a cap. 12.

2. *Hanc ergo cum vna dierum Virgo Christi secum prandere faceret, & vinum, quod apponeretur mensæ discumbentium, non haberet, infusam crateri ceruisiam epulanti puellæ apposuit, & sic exhilarato vultu, simul & iucundis vocibus exclamando; dignum, inquit, & rationi satis consonum nunc esset, vt cœlestis sponsus, has suas sponsas, hic in suo nomine congregatas, in his suis nuptiis, misso vini poculo recrearet. Mirares. Et non immerito, vt arbitror, antiquo Christi miraculo conferenda. Puella namque confestim ceruisiam ori applicuit, sed qui olim in Cana, in nuptiarum conuiuio residens, aquam in vinum cœlesti virtute conuerterat, in hoc quoque nuptiali conuiuio, dilectæ sponsæ suæ satisfaciens desiderio ceruisiam in vinum optimum commutauit. Bibens ergo puella, vinique saporem & ore suscipiens, & palato discutiens, in stuporem versa, magna cœpit vociferatione clamare, patratique miraculi nouitate intus attonita, superna pietatis eminentiam, altisonis non cessauit laudibus, ac præconiorum immensis vocibus exaltare. Extunc ergo per huius miraculi nouitatem in Sancto proposito confirmata, per virtutis, & pœnitentiæ semitam, hanc Dei famulam eo deinceps imitari studuit, eius prout potuit inhærendo vestigiis, donec, opitulante gratia Diuina, ad magna perfectioris vitæ pertingeret incrementa.* Hæc de ceruisia ad Idæ non mandatum, sed desiderium, miraculosè in vinum commutata.

Nunc animalia bruta illi obsequentia, ex eisdem actis in medium proferamus[b]. *Accidit etiam his temporibus, vt ad lauandum quoddam lineum vestimentum, ad stagnum, habitationi suæ contiguum, Virgo Deo deuota, quadam die accederet, & ad reformandum in eo candoris pristini nouitatem, ipsum perfundendo simul, & abluendo liquoribus, sæpè repetitis vicibus humectaret. Quod, cum diligenter stans in ripa stagni actitando perficeret, ecce multitudo piscium diuersi generis aggregata, tanquam ad desideratum cibum ex imi laci gurgitibus ad manus Virginis adnatauit; ac in eius aspectu, tanquam ex eius præsentia iucundata, exultando, tripudiando, & quibus valuit, salutationum obsequiis, ipsam Virginem Christi honorauit. Confluebant enim ex omni parte certatim, aliisque recedentibus, vicissim aliis succedebant, & quoties in aqua manus summitteret, eius apprehensis digitis adhærebant. Illa vero nunc hos, nunc illos apprehendens, in pontem supra quem stabat, ante se ponebat; & cum alios pro suo libito dimitteret, aliosque reponeret, nullum tamen eorum à se contrectando fugauit; sed velut matrem propriam indesinenter, eius lambendo, vel sugendo digitos, eam certatim omnis illa multitudo circumdedit, donec ad illius nutum indulta sibi licentia renatauit.*

3. b cap. 13.

4. *Aliud etiam, isti non dissimile, accidit ferè eodem tempore: quadam enim die, dum ad Ecclesiam, vbi summum sacrum celebratur, veniret, in exteriori atrio manere decreuit, vt eo deuotius, quo à populari sequestrata tumultu, Diuinum mysterium posset mentis intentione considerare. Vnde cum sola; cæteris in Ecclesiæ gremio congregatis, sederet, & solitudinis tædio molestata, quo potiretur, aliqualis creaturæ solatium affectaret; quasdam vtriusque sexus auiculas, gallos videlicet, & gallinas, in victus sui quærendi partibus occupatas, intuens, ad illas se conuertit, & dixit: Omnes vos gallinacei generis aues, in contiguis huius atrij terminis habitantes, per Diuinæ potentiæ bonitatem adiuro, quatenus omissis interim postibus, ad Ecclesiam conuoletis, & sacris Missarum solemniis ad honorem nostri Redemptoris, mecum nunc pariter intersitis. Res mira, nostrisque temporibus, quanto magis inusitata, tanto dignius, inter antiqua Sanctorum miracula recitanda. Vix enim Sancta Dei famula Verbum ore protulerat, cum ecce præfati generis aues, ex diuersis locis vndique concurrentes, ad illam conuolare cœperunt, eamque tanquam matrem propriam circundantes, & quasi quibusdam exterioribus signis separatas, ad eius obsequium acclamantes, erectis sursum cristatis capitibus, ad eam indesinenter oculorum suorum aciem direxerunt. Stabant igitur omnes iuxta eam veluti immobiles, in illam iugiter intuentes, ac eius animum non mediocriter hoc suo spectaculo*

delectantes, donec Euangelica lectione iam in Ecclesia recitata, licentiam ab ea reciperent, & sic, inclinatis capitibus, quasi vale dicentes ei, rursum vnde conuenerant, ad loca sua reuolarent.

5. Transeo iam ad donum sanitatis, quod pluris æstimari, non quia maius, sed quia vtilius hominibus, consueuit. An fuerit defunctæ suscitatio, an subita curatio, ægrotantis ad mortem sororis suæ, difficile cognoscas; vel si interfis. Acta resurrectionem fuisse malunt: mihi sat erit, eorumdem verba transcribere

c cap.17. [c]. *Contigit etiam his temporibus, electam Domini, corporalium virium obsequio destitutam, paulatim in languorem incidere, laxatoque complexionis suæ naturali robore, per dies aliquot aliquantulum ægrotare. Quadam ergo die, dum languens in stratu suo decumberet, & morem gerens infirmitati, tam à curis animi, quam à laboribus in pressuris extenuata, corporis sui membra necessario subduxisset: ecce soror eius iunior, & natu inferior, quæ per aliquantulum etiam temporis admodum grauiter ægrotauerat: at verò conualescentiæ denuo quidem beneficio restituta, sed nec dum à pristinæ debilitatis incommodo totaliter expedita; de loco consurgens, ad hanc, velut ad ægritudinis suæ participem, & consortem, gratia visitationis aduenies, infirmantem sororem, quali potuit exhortationis, alloquiisque solatio, recreauit. Vbi cum iuxta languentem, & ipsa languens constitisset, & infirmanti, prout sua requirere videbatur infirmitas, obsequium impendisset; ecce paulatim ipsius oculi repentina quadam obtenebratione caligare cœperunt, & post modicum ab omni visus officio destituti, prædictam puellam obcæcatam penitus, & omni priuatam lumine reddiderunt.*

6. *Quod illa considerans: Eia, inquit, soror, iam incipiunt oculi mei tetra quadam caligine deprimi. Ac post paululum nunc, inquit, excæcati sunt penitus, omnique speculationis officio destituti. Quo dicto protinus ante lectum Dei famulæ resupina corruit, & iusto quidem, sed occulto Dei iudicio repentinæ mortis interitu cadens in faciem expirauit. Quod Venerabilis eius soror aspiciens, & super tam improuiso morientis obitu nimium expauescens, cœpit miserabiliter clamare, & à lectulo suo, cui iam diu languens incubuerat, in terram sese corruendo proiecit, ac super defunctæ corpusculum se expandens, miserandum illius interitum, compassiuo miserationis affectu, sororis mortem frequenter ingemiscens, instantissimè deplorauit. Ad cuius voces omnes domesticæ familiæ perturbata multitudo conuenit, & illam quidem examinatam, hanc vero super corpus examine prostratam inueniens; vltra quam dici possit, attonita, inchoatum à Dei Virgine strepitum, non tam clamoribus indulgendo, quàm fletibus, augmentauit. Perpendens tamen Venerabilis Ida non fletibus in huius exequutione negotij opus esse, sed precibus; ab eiulatibus quidem interim abstinuit, & ad orationum suffragia continuo se conuertit, Omnipotentis Dei Clementiam instantissimis interpellans precibus; vt & defunctæ sorori vitam redderet, & semetipsam à mortifero, quo tam anxiè turbatur, mœroris, doloriſque dispendio, consueta pietatis suæ Clementia suscitaret.*

7. *Sed quid plura? nec dum à terra genua, nec dum ab amplexo cadauere, brachia subducendo, eleuauerat; & ecce qui per Sanctos Prophetas suos, Helisæum, videlicet, & Heliam, per alterum quidem Sunamitidis, per alterum vero Sareptæ filium, à mortis nexibus expeditos, vitæ huius claritati restituit; quique per semetipsum tres mortuos, dum pro nobis inter homines ambularet, suscitauit: huius quoque famulæ suæ precibus inclinatus, exanimato corpusculo vitalem spiritum reddidit. At huius facti mirabili nouitate, tam illius, quàm omnium hæc intuentium animos, effugata prioris tristitiæ nebula, miræ iucunditatis lumine serenauit. Confestim siquidem in palam, omnibus, qui aduenerant, intuentibus, ad Sancti Sanctæ Virginis attactum oris, puella septies oscitauit, oculos aperuit, ac demum sospitati pristinæ perfectissimæ restituta, surgens à terra, Deoque gratias agens, in ipsa sanitatis integritate, & vigore, multis annis, superna fauente Clementia, superuixit.* Hactenus ibi.

Mira hæc proculdubio, sed domestica, adeoque exteris forsan minus nota. Notiora alia, celebrioraque, quia magis in publico, & quæ adeo Cistercio Idam donarunt [d]. *Cum quodam* d cap.11. *tempore Sanctis occupata meditationibus, non tam sola, quam solitaria resideret, repente spiritus quidam fortitudinis in eam insiliens, ipsamque supra pedes suos statuens, ad egrediendum foras eam cœpit vehementer impellere. Quem sequens Virgo Venerabilis, eique se in omnibus committens, per vicos, & plateas, prorsus tandem ignorando quo pergeret, ac si quo, cuiusnam expeditione negotij perfectionis iter arripere necessario cogeretur; expeditis cœpit mox gressibus ambulare. Pergens igitur, non quo vellet ipsa, sed quò Spiritu Sancti duceretur instantia, tandem ad domum cuiusdam languidi, iuxta patris sui domicilium ægrotantis peruenit, hominemque semimortuum in lectulo decubantem inueniens (erat enim Extremæ iam Vnctionis oleo delinitus) qualiter se haberet? compassiuo miserationis affectu inquisiuit. Cui cum ægrotus ille, virtute, qua valuit, infirmitatis suæ locum, simul & statum indicasset (erat quippe pestiferæ turgiditatis illius, scilicet, quam antracem nominant, non tam mirabili, quam miserabili nimis inflatione peruasus) ad primum Beatæ Virginis aspectum, in cunctorum, qui tunc affuere præsentia, tumor ille crepans per medium introrsus, absconsæ pesti mortiferæ, mx egre diendi viam præbuit: qua paulatim ex interioribus effluentæ, confestim tumoris etiam inflatura, resedit, priscique doloris acerbitate continuo mitigata, sub eodem momento temporis homo conualuit, ac pro accepto beneficio Omnipotentis Dei Clementiam, vnà cum congregata populi multitudine, benedixit.*

8.

Extunc igitur, & deinceps in magna veneratione 9. *Dei Virgo, prætextu suæ Sanctitatis apud omnes, ad quorum hæc peruenere notitiam, his diebus est habita, cumque supradictum miraculum ex frequenti relatione multorum, longè, latéque notitiæ patuisset, ac Virginalis Sanctimoniæ titulum his diebus per totam ciuitatem extulisset: videns Dei famula per hoc sibi, quod iam diu verebatur accidere, & vanæ gloriæ, quo eatenus euitare studuerat omnimodis, animæ suæ lethale periculum imminere, delatos ad se rumores huiuscemodi, grauissimè ferendo vehementer exhorruit; quodque non suis meritis, sed Diuinis fuerat adscribendum beneficiis, hoc sibi per vulgarem famam attribui, non sine multa cordis impatientia tolerauit. Hæc illi prima mutandi statum, sæculumque relinquendi fuit occasio, solius quippe Dei notitiam, operum suorum conscia, &*

& testem habere desiderans, ad Monasteriales latebras se transferre proposuit. Hæc in exemplum de dono sanitatis, quo in corpore viguit: nam in animo etiam illud habuisse, quæ supra diximus de tentato Sacerdote, satis, superque, vt opinor, manifestarunt. At non solum fugasse morbos animi, sed incrementa gratiæ promouisse, sequentia item ostendunt, quæ ita habent [c].

c cap. 28. 10. *Alius quoque Frater eiusdem Ordinis (scilicet Dominicani) ipsi Dei famulæ intimus familiaris, ad altare quadam die Missam celebraturus accedens, & beneplacitum Omnipotenti Domino seruitium deuotionis impendere cupiens, exacta precum instantia, B. Virginem Idam accedens, humiliter deprecari cœpit, quatenus in ipso sacræ Missæ spatio, quam celebrare volebat, pro se rogare dignaretur vniuersorum Creatorem; quod ipsa facere more solito non distulit, & quod humiliter petiit, efficaciter impetrauit. Venerabilis namque fœmina totum sui cordis affectum erigere cœpit ad Dominum, & vt gratum, & acceptabile sibi faceret illius, pro quo laborabat, obsequium, suaque iudicaret gratia non indignum, in auribus Domini Sabaoth instantissimum obtulit interuentum. Sed qualiter à dilectæ suæ precibus auditum auerteret, & quod efficacissima precabatur instantia, suæ charissimæ denegaret? In ipsius enim hora sacrificy pius Dominus in corde dilectricis suæ talem vocem interiorem intulit dicens: Ecce, charissima, iam sum positus ante ipsum, si me viderit, & inspexerit, inspectum, & visum agnoscere poterit, & si quidem agnouerit, agnitum, & amantem proculdubio redamabit. Pro te tamen illi benefaciam, & ob instantiam precum tuarum ad maiorem adscribetur gratiam, pro tuo sibi merito conferendam. Quæ promissio mox effectu subsequente conualuit, & priusquam compleretur officium, idem Frater inconsuetæ deuotionis dulcedinem degustare promeruit. Vnde & deprecatrici suæ magnas post hæc reddidit gratiarum actiones.* Innumera sunt alia, quæ prætermittimus, ne onerare, quam instruere lectorem, prolixitate, & multitudine, videamur.

---

1. *Crescente fama Sanctitatis Idæ, 2. sæculum fugere, & ad Cistercium transire deliberat. 3. Vallem Rosarum adit, 4. habitum induit. 5. A Christo confortatur in nouo statu. 6. Lætitia eius, 7. & vnicæ molestiæ, remedium miraculosum. 8. Deliciæ, quibus fruebatur, spirituales; 9. & effectus mirabiles. 10. Qualiter demum à Beata Virgine, & Ioanne Euangelista, ad Eucharistiæ mensam sit deducta.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. CRESCEBAT fama Idæ per totum Belgium, crescentibus miraculis: & Diuini fauores hactenus interni, exterius erumpentes, cunctorum ei conciliabant venerationem. Ferunt [a], cum per Ecclesiam pertransiret, & corpus Christi in altari custoditum salutasset deuote, resalutatam ab ipso sensibiliter, valido motu à pixide sonante, qui circunstantium aures penetrauerit, mentes stupefecerit, animos recreauerit. Addunt [b] eiusdē corporis præsentiam notam sibi Diuinitus, miros in ipsa affectus concitasse, miros effectus. Adeo, vt ad Summi Pontificis Honorij [c] notitiam peruenientes, extorserint ab ipso priuilegium, vt singulis diebus, aut saltem, quibus vellet, communicare liberè, & licitè, Ida permitteretur: atque hoc etiam, tanquam nimis rarum, aut omnino inusitatum, illis temporibus, quasi Apostolica fulcitam auctoritate, opinionem Sanctitatis eius adauxit. Mitto alias frequentes visiones, reuelationesque, ex quibus adeo exterius afficiebatur, vt sicut in illius actis legitur [d]. *Vna ex venis eius cum corpore præ nimio deuotionis ardore dirupta concrepuit, ac per os, & nares illius, tam copiosi cruoris riuos euomit, quod extunc illam raucitatem ex arteriarum læsione sustinuit, & dulcisonæ vocis suæ modulamine penitus offuscato, sua gratiosa suauitas, eius raucitatis oppressione continuo de cætero conquieuit.* Hæc, & similia exterius erumpentia, non sinebant latere Virginem Sanctam.

a cap. 23. b cap. 24. c cap. 37. d cap. 27.

2. Ergo cum se venerationi populi (qua nihil, aut molestius sustinebat, aut periculosius existimabat) videret expositam; & aliàs ante oculos habens defectus minimos, quos ex humana admissos fragilitate, pro grauissimis culpis reputaret, suam indignitatem, vt sibi videbatur, contemplaretur; ne inter humanarum laudum procellas, atque vndas honorum, fluctuaret eius humilitas, sæculum, velut mare turgens, deserere, atque ad abditum religionis portum confugere, inspirata Diuinitus, communicato cum amicis consilio deliberauit. Nam cur clamores populi extollentis, fortè, vt præcipitaret, non timeret? Cur tot acclamationum validos ventos, teneram eius mentem oppugnantes, non formidaret? vulgasse se non semel sua peccata, quo honorem arceret, neque exauditam esse; & non audere aliena sibi imponere; ne plus noceat exemplo; & dum cæteris cauet à deceptione, manifestius accipiat, & mentiatur. Facilè reperiri, qui sint humiles in abiectione status: humilitatem in alto conseruare, paucis concessum: nec tutum esse, si de se præsumat, quod magnis etiam viris deesse solet. Carnis illecebras sola fuga vinci, neque esse imbecilliorem hostem superbiam, præcipuè in fœminis, quæ tunc solum resistunt, cum non impugnantur; & quò peccatum in seipso occultius est, eò in superbiam facilius prolabuntur. Nihil iam de se in sæculo aduituram, nisi encomia, & laudes; quantò securius in Religione viuat, in qua nihil è contra nisi defectus? Horum notitiam sibi necessariam, vt doleat, & emendet. Virtutes nunquam indemniores conseruet, quàm cum ignoret. Hæc & similia tum cum amicis, & Viris religiosis Virgini conferenti, Cistercium placuit, in quo tanto liberius, securiusque, quanto secretius, atque segregatius, Omnipotenti Deo, quod reliquum erat vitæ, famularetur.

3. Erat tunc recens ortum. *Monasterium Ordinis Cisterciensis* (inquiunt acta [e]) *cui Vallis Rosarum est nomen, in Brabantiæ partibus, ab illustri quodam Viro, de nobili prosapia Mechliniensium Dominorum, Ægidio nuncupato, Beatæ Mariæ*

e cap. 42.

Mariæ Virginis in honore fundatum, & iuxta vicum, Vallem appellatum, ab indigenis in ripa Netæ fluminis apriſſimè conſtructum. In hoc igitur Monaſterio Chriſti ſponſa in Monialem admitti petiit, & obtinuit; in quo multis poſtea temporibus Omnipotenti Domino ſtrenuiſſime militauit, & curſum vitæ præſentis, vt patebit fœliciſſimè conſummauit. Qualiter autem in benedictionum ſuarum dulcedine præuenta ſit à Domino, cum necdum Religionis habitum ſumpſerit in hoc loco; priuſquam ad alia me diuertam, quæ per ipſam poſtea geſta ſunt in eodem Monaſterio, qua potero breuitate narrabo.

4. *Cum ergo terram, cognationem, & domum patris ſui penitus deſerendo, cum Abraham Patriarcha, mandato Domini Dei ſui paruiſſet, & mente ſimul, & corpore ſemetipſam ad dicti Monaſterij limina contuliſſet, in eodem, quo venerat habitu, recepta fuit in hoſpitio, donec adueniente, quæ tunc aberrat, eiuſdem loci Venerabili Abbatiſſa, per eam aſſumeret Religionis habitum, quo tempore, quadam Feria ſexta, ſedens in hoſpitio, præſtolabatur Campanæ ſonitum, mox pulſandæ, quatenus per eum certius euocata, Diuinis poſſet officiis, & Miſſarum ſolemniis intereſſe: vbi cum Virgo Domini corde deucto, ſpirituque ad cœleſtia ſubleuato, ſibi ſoli vacans, & Domino, reſideret, in exceſſum mentis eleuata, contemplationis intuitu, cœleſtium myſteriorum abſcondita penetrauit.*

5. *Apparens autem Dominus Ieſus Chriſtus, coronam auream in manu ſua detulit, intextam ex auro, lapidiſque pretioſis, inter quos etiam præminebant ex eodem auro diuerſarum ſpecierum flores intermixti, cum crucibus, cuius pretium, pulchritudiniſque elegantiam, nullus humano ſenſu perciperet intellectus. Accedens ergo propius ad dilectam ſuam, ipſe miſericordiarum Dominus, hanc in eius capite decentiſſimè poſuit; & taliter eam alloquens, ad conſequendum, quod conceperat mente, propoſitum animauit. Conſtans, inquit, eſto chariſſima, ne te terreat Ordinis Ciſtercienſis rudis auſteritas, aut loci penuria: tecum ero ſemper ad quacumque te verteris, & ad ſublimia ſpiritualis vitæ, me duce, peruenies incrementa. Et hoc tibi ſignum, iam pulſabitur in Eccleſia tintinnabulum, iam celebrandæ Miſſæ indicium; parata eſto, vt intres in ipſum, quo celebrabitur, oratorium; & ecce deſcendam in altare, cum myſticum in eo celebretur Sacramentum, tunc me deſiderabis, & ego totum me influam in cor tuum: ſed & aliquæ me deſiderabunt ex ipſius Collegij Monialibus, & ego totus ſimiliter earum influam animabus. Cui Venerabilis Virgo, huius ignara myſterij, reſpondit dicens: Tu amantiſſime Domine, ſi totus, vt aſſeris, illarum animabus influxeris; in mea quomodo totus influes, in momento præſertim eiuſdem temporis, cum hoc corporalibus omnino ſit impoſſibile creaturis? Cui Dominus: hanc, inquit, habeo poteſtatem, vt non per partes, ſed totus infundar animabus omnium, me pie deſiderantium; non eſt enim impoſſibile apud Deum omne Verbum. Quibus dictis illa Dominica viſio repentè diſparuit, & ad ſe reuerſa confeſtim Eccleſiam intrauit, ibique ſuo potita deſiderio, prout acceperat in promiſſo, Venerandum Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini, immolante Preſbytero, mox illius anima cœleſti dulcedine perfuſa refloruit. Nec minori, ſed æquali vel maiori, quàm in perceptione eiuſdem Sacramenti, præterito ſimul, & futuro tempore deguſtauit* f.

f cap. 43.

Igitur ad ſua reuerſa, quæ tunc aberat, illius loci Venerabilis Abbatiſſa, Religionis habitus Idæ, Chriſti famulæ, decenter imponitur, & candidis vt indumentis adornata, ſodalium inter agmina collocatur. Fit interim exultatio mirabilis, & gaudium vtrobique: lætantur Moniales in aduentu Beatiſſimæ Dei famulæ, pro maximo reputantes illius ſe dignas fore conſortio, tamque ſalutari informari, & imbui documento. Licet autem omnem Ordinis obſeruantiam, cui ſe deuouerat, affectu complecteretur humillimo, nihil in eo perpendens, quod à ſuo in aliquo diſcordaret propoſito; ſolum tamen hoc agerrimo ferebat animo, quod in anno ſui Nouitiatus, ex Ordinis obſeruata conſuetudine pariter, & ſtatuto, vicibus tantum tribus, & non pluribus, communicare ſibi liceret, illo totius mundi ſalutari remedio. 6.

Cum autem quodam die ad communionem accederet Sanctimonialium Conuentus, vltra modum æſtuabat huius Sanctæ nouitia feruens, & inſatiabilis appetitus, cupiens vna cum aliis aſſequi, quod ſibi denegabant obſeruantiæ Regularis inſtitutiones. Cum autem communicandi tempus adeſſet, & Moniales ad Sacerdotis manum ſuo quælibet Ordine properarent, acceſſit etiam vna cum aliis Ida Chriſti Virgo, ac illis communicantibus, & ipſa particeps eſt effecta ſacratiſſimi Sacramenti, iens, & rediens in Ordine ſuo, nec tamen ineundo, vel redeundo (mirum dictu) alicuius offendens oculos intuentis. Vtrùm autem in ſpiritu ſolum, vel in corpore ſimùl, ſibi, quod narramus, acciderit, ſemper incognitum habuit; hoc tantum ſciens indubitanter, quod verum corpus Domini, & ore percepit, & dentibus maſticauit. Quantum autem illius anima iucundata fuerit, & inebriatus ſpiritus illa die, ſeptemque ſequentibus, nullus capere poteſt animus, nullus ad hoc cognoſcendum conſurget intellectus; ſentiebat enim, vt poſtea retulit, his diebus ante pectus ſuum, ardentem faculam, & lucentem in modo lucernæ, non ſolum intrinſecus animam, ſed & corpus extrinſecus, ineffabili lumine claritatis radioſi ſplendore iubiris illuſtrantem. 7.

In omni vero reſiduo tempore vitæ ſuæ, quoties huius Nouitiatus dies ad memoriam reuocabat, ac proinde ſpiritualium memor deliciarum, quas irrecuperabiliter illo tempore decurrente perdiderat, has toties affectu tenerrimo, cum lachrymis, atque ſuſpiriis, ſingultibus, atque gemitibus, amariſſimè deplorabat. Sed quid mirum? ſentiebat enim interdum ex perceptione Dominici Sacramenti, tanquam dulcedinem ori ſuo cum eo pariter influentem, & non ſolum animam, ſed & corporis quoque organa, naturali guſtui coapta, a, palatum, os, linguam, & labia, tam mira ſuauitatis abundantia perfundentem, vt nihil dulcius æſtimari poſſit hoc edulio g. 8.

g cap. 44.

Aliud quoque mirabile ſatis, eodem ſuæ probationis anno accidit ipſi. Infirmatur eodem tempore Virgo Domini, languenſque decumbebat in infirmitorio, cui ſocia Monialis adiuncta fuit; quæ cum iuxta Beatam Idam, quadam nocte completorium legendo reſideret, & illa deuotionis inſtantia, potius, quàm vocali conſonantia, legenti mutua viciſſitudine reſponderet, odor quidam inæſtimabilis à languente progrediens, ad ſedentis nares aſcendit, & ineffabili ſuauitatis abundantia, tota ſimul illius, & pectoris, & præcordiorum, vt viſcerum, intima penetrauit: in ore vero non minoris excellentiæ ſapor inconſuetus apparuit, qui mellis, 9.

& faui dulcedinem superabat, qui per totum illius noctis, & subsequentis diei spatium, instar faui destillantis, illius in ore continue perdurauit. Quapropter Monialis hæsitans, & tantt dulcoris suauitas inopinata, vnde proueniret, ignorans; in manu sua dextera, modicum quid ex eo recepit, & tenuit, explorando volens aduertere, cuius coloris id esset, quod omnia sui corporis intima tam insueti Saporis influentia dulcorauit: quod lucidum, & clarum inueniens, in terram proiicere noluit, sed ob reuerentiam tanti miraculi protinus illum ore recipiens, vt prius, auidissime deglutiuit. Hæc ex actis ad litteram desumpsi narratione continua, ne historiæ, aliàs currentis, filum scinderem. Pergit auctor ad alia: & tandem subdit [h] glorioſum plene euentum, quo caput hoc, & vitam Beatæ Virginis, ad vsque præsens tempus terminabimus.

h cap. 46.

10. *Quodam die sacram communionis Hostiam accipere mente proposuit, & propositum opere confirmauit. Cum enim expleto venerandæ consecrationis officio, iam tempus adesset communicandi, præcessit venerabilis Ida; in medio tamen itineris subsistens, sponso suo cœpit dulciter conqueri dicens: O Omnipotentissime Dominorum Domine, Creator, & Redemptor omnium, si sponsum aliquem, aut fullonem haberem, aut rusticum, seu cuiuscumque mechanici operis architectum, non sine Comitatu familiariter subsequente, sponsale tenderem ad conuiuium; quanto magis & me, licet indignam ex merito, sponsam tamen, absque venusto Comitatu non decet incedere, cum tuis appropinquo conuiuiis, ad percipiendum, omni dulcedine dulcius, tui corporis Sacramentum? Vlterius itaque non progrediens, hic manebo, nisi sit, qui me ducat ad altare Sanctum. Hæc ergo Dei Virgine cogitante, Sacerdoteque moram illius aduertente, vidit, & ecce Regina Virginum, quæ ad dexteram illius apparuit; ad læuam vero dilectus ille discipulus, cui Christus in cruce matrem Virgini commendauit, adstitit, latus vtrumque Beatæ fœminæ ambientes; arreptam hinc perducunt ad sacrosancta mysteria, præcedente, viamque sternente, qua precedere debebat, Angelo cum incensato thuribulo, pariter, & lucerna. Peracta vero communione, via, qua venerat, reducitur, & in loco sessionis suæ, Sanctis eisdem obsequentibus, installabatur.* Hæc satis nunc de gestis à Sancta Virgine, tum in sæculo, tum in probatione: nam reliqua, quæ post vota solennia gessit, suscepitve à cœlesti suo sponso, quamuis tempus omnino certum non subsit, quo coniectabimur vero similiori, ex eisdem actis fideliter reddemus. Nunc ad Iuetam in Belgio etiam florentem, iam morti proximam, sed mortis suæ præcisam Diuino munere, tanquam de lilio ad rosam (neque enim Virgo, vt Ida) transeamus.

---

1. *Beatæ Ibetæ visiones, qua fide dignæ? 2. Frequentes, & proficuæ sibi, & proximis. 3. A Angelis ad sponsam Christum deducitur. 4. Secreta cordium, & occulta quæque cognoscit. 5. Plebano, sui Vicarij defectus pandit. 6. Canonicum iuuenem per spiritum Prophetiæ, consiliique, reducit. 7. Matronam grauiter peccantem conuertit, & clerico infælicem mortem prædicit. 8. Quid de imminenti scandalo: 9. in quo tamen puellam 10. precibus liberat, 11. vt salua integritate conseruaretur. 12. Mortem suam ante annum per visum noscit; 13. & quanta gratia in ea præuenta fuerit?*

CAPVT OCTAVVM.

1. INTER hæc ergo apud Hoyum Beata Ibeta, cuius supra meminimus, [a] frequentibus visioninus, reuelationibusque in seipsa proficiens, & alios promouens, cœlestis sponsi nuptias, & thalamum exoptatum præstolabatur. Multa, & mira narrantur in eius actis, sed quæ probata fide, & veritate syncera, constet scripta. *Deum enim (ait, qui scripsit coæuus auctor [b]) mihi testem inuoco (licet mira, quæ dico, & minus forte credibilia multis fore, non ambigam, quia animalis homo non percipit ea, quæ dicturus sum) accepisse me ab eo, qui secretorum eius conscius, & confessor in extremis extitit, cuius testimonium pro constanti habeo, quod verum sit.* Et rursus loquens [c] de Abbate Floreffiensi, qui vltimam Sanctæ accepit confessionem. *Verum ipsa (scilicet Iberta) viso eo, gauisa est valde, factaque ei peccatorum suorum confessione, multa, quæ huic libello inserta sunt, licet mallet ea occultari; quam sciri à pluribus, eidem sciscitanti aperuit.* Itaque, de probata veritate historiæ Sanctæ fœminæ, nequaquam licet prudenter dubitare.

a tomo 3. ann. 1196.

b apud Henric. c. 23.

c ibidē c. 55.

2. Cæterum quæ de ipsius visitationibus, reuelationibusque in ea continentur, licet omnia non vacet, aliqua tamen lectori meo proponam, velut ex his ad alia discursuro. *Rapiebatur, ait,* [d] *sed siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit. Constat tamen, quod licet eadem corporis, & membrorum eorumdem videretur existere species, rapto spiritu, nec membra tamen habebant actum, nec in corpore illius erat sensus, aut vox. Nunc Matris, nunc Filij fruebatur præsentia, aspectu, & alloquiis, nunc amplexabatur pedes, nunc osculabatur manus, nunc in pectore recumbebat Iesu, nunc Mariæ iocundabatur amplexibus. Sentiebatque de Domino in bonitate, quàm suauis in se, quàm dulcis in Maria Matre, quàm immensus in Maiestate, quàm humilis in carne, quàm inenarrabilis splendor gloriæ, & inperscrutabilis figura substantiæ Dei, Deus filius Patris, quàm suauis in vtero, dulcis in gremio, suaue iugum in brachiis, onus leue in humero. Matri Filius, Mariæ Christus, quàm gloriosus in dextera Patris, quàm copiosus in Matris gloria, quàm denique bonum, quam suaue, quàm iucundum cum Christo, & Maria esse Matre & Filio.* Hæc generatim de cœlestibus, quibus frequenter potiebatur consolationibus. Ex specialibus, quæ ipsam concernebant, vnam tantum depromam, quia singularem. [e]

d cap. 23.

e cap. 24. 3.

Rapta siquidem se aliquando in spiritu, confessa est nouem Angelis à dextris, & nouem similiter à sinistris circundari, binis, & binis, de singulis Angelorum nouem Ordinibus, eosdemque Angelos vestibus eam auro desuper contextis per totum induisse, pretiosis insuper eam adornasse monilibus, nec non, & lapidibus, seu gemmis, quarum species

varietatem, & nomina, provt in libris Prophetarum expressa sunt, in ipso raptu spiritus intellexit, cognouit, & distinxit; cum tamen, tam lapidum virtutes, ac nomina, quam Angelorum Ordines distinctos, & officia, nesciret tam bene sensibus humanis discernere, sicut singula quæque vidit, didicit, & cognouit rapta in spiritu, tanquam mulier simplex indoctaque, & rerum huiusmodi ignara prorsus. Testataque est, sic se circunamictam veritate, coronatamque gloria, & honore, Angelorum obsequio deductam, & adductam ante thronum Dei, & Agni, offerentibusque eam Domino; quid viderit, vel audierit; cum tamen occulta sapientiæ Dei, eam vidisse, & audisse, non sit dubium, quia confiteri noluit, licet satis admonita, scire nec nos, nec loqui possumus, præsertim, cum non licere credam ea homini scire, vel loqui. Hactenus ibi.

4. Reuelationes ad aliorum vtilitatem, aut frequentiores habuit, aut minus saltem occultas esse voluit; quippe quas illis, ad quorum ordinabantur profectum, manifestabat. Certè quod ad cogitationes cordium attinet, adeo illi præsentes, patentesque; vt vix in familiaribus ipsius aliqua eius notitiam subterfugeret. *In tantum (ait* [f] *ille auctor) vt sociæ eius, quæ cum ea commanebant, nec non & plerique alij, qui adhuc supersunt, veritatis testes, si quid haberent in corde, quod vellent occultari ab ea (quod tamen scire præter Deum arbitrabantur neminem) absque dilatione, cum ad ipsam veniebant, exponeret, tam familiariter, tamque integre singulis edicens singulas, quæ habebant, ac si omnia conscientiæ eorum arcana, nuda, & aperta oculis eius essent. Vnde & frequentes contigisse, dubium non est, quod hi, qui male occultorum suorum conscij erant, omnimodis vitabant eius obtutibus præsentari, timentes ab ea argui super his, de quibus cordium suorum neminem admittere testem volebant præter se.* Hac illam Dominus illustrabat notitia, etiam occultissimarum, & soli sibi semper reseruatarum cogitationum.

f *apud Henr. cap. 29.*

5. Cæterum qualiter illa vti consueuerit, idem qui supra auctor ita scribit. [g] *Quis referre valeat, quot, qualesque, à quot, quibusve malis reuocauit ad bona, vocauit, prouocauit ad optima, misit ad noua diuersorum claustrorum disciplinæ Regularis tyrocinia, remisit ad remissa, vbi secretorum accipiebat cognitionem.* Et paulò inferiùs. *Inde ei reuelante Diuina gratia, adstanti sibi cuidam Ecclesiæ Curato dixit: Tuus in illa tua Villa Vicarius in tui; & ipsius periculum celebrat. Accepto ac si Diuinitus oraculo, licet iuuenis clericus, festinauit tamen probare, quod audierat; & veniens ad Ecclesiam suã, inuenit in altari fragmenta Hostiæ consecratæ, quæ per negligentiam consecrantis à mystica fractione exciderant.* Pergit auctor referre pluta alia, partim ab ea prædicta, vt cauerentur, partim, vt corrigerentur, reuelata, & tandem, vt si cautela vel correctio spernerentur prorsus, manifestum supplicium superueniens, pertinaces puniret, & reliquos arceret à culpa simili. Proferam singulorum, exemplum vnum, aut aliud, quando omnia referre tædiosum foret. [h]

g *cap. 36.*

h *cap. 30.*

6. *Frater quidam Ordinis Præmonstratensis adolescens, qui specialiter Sanctæ huic ab infantia commendatus fuerat in filium spiritualem. Is secus cellam eius transitum habens, siue Abbatis sui egressus licentia, cum turbatam haberet conscientiam, & cor fluctuans in diuersa, nutu Dei correptus, nec ausus præterire; diuertit ad cellam sociæ tantum eius inclusæ, alteri, quasi per compendium loqui volens, & abire. Cumque sedendo ad fenestram domus inferioris, loquerentur mutuo ad inuicem, & Sancta hæc in superiori parte domus, soli intenta Domino orationibus vacaret, repente cognouit per spiritum, & personam, & statum iuuenis, qui inferius loquebatur. Descendens igitur præter solitum, cum non vocaretur à quoquam, venit in spiritu vehementi ad Fratrem; quis esset, & vnde veniret, quid vellet, quo iret? Vtrum ne per Abbatis sui egressus esset licentiam? cuncta per Ordinem requisiuit: vt nesciens, cum sciret tamen omnia. Ille verecundatus, quia in operibus manuum suarum se deprehendi videbat, quid respondere Sanctæ Dei posset, consternatus animo, non inueniebat, cum abscondita cordis sui eam intueri cerneret; sed de missis in terram oculis, rubore pariter, & confusione indutus, stupens, hærensque obmutuit. Mallens (nisi fallor) non se venisse ad præsens, quàm huiusmodi obiectionibus tam manifeste confusum. Quod ipsa intelligens, vt sapientissima mater familias, vino aspersæ correctionis oleum benignæ consolationis admiscuit, dulcibusque sermonum propositionibus, iuuenem ad virtutis amorem, & contemptum vitiorum instruebat, & variis scripturarũ testimoniis, quæ per spiritum sanctum didicerat, contra Diaboli tentationes animabat. Addensque: Et si contingat, ô dilecte fili mi, quod importune nimis contra te tentationum insurgant aculei, & motus, ita quod videatur tibi contra eos te resistere non posse, exurge fili, & ne obdormias in morte, resume constãtiã, induere fortitudine, precipe tentatori Diabolo ex parte Domini, & ancillæ suæ humilis, vt te dimisso in pace, conuertat frameam suam in me. Ego si quidem pugnabo pro te fili mi, & si sors mihi contulerit de inimico triũphum, tua sit virtus, tua merces, præmiũ, & corona: tãtum viriliter age, fili mi, & confortetur cor tuum in Domino. His, & huiusmodi instructum sermonibus iuuenem dimisit à se, orans Dominum ex toto corde, vt fortitudinem ei, perseuerantiamque in bonis præstaret operibus, dirigeretque viam eius in conspectu suo semper.*

7. Hoc ad salutem, & egregiam correctionem illius iuuenis. Cæterum audi aliud in quo correctio quidem vnius fœminæ, sed complicis pauendum supplicium interuenere. [i] *Fuit clericus quidã in Ecclesia B. Mariæ perpetuæ Virginis, quæ est in oppido Hoyensi, sacristæ gerens officium. Hic mulierem quandam in eadem villa, honestæ, vt falso putabatur, conuersationis, adamans; tandem instinctu Diaboli, cum turpidinis operandæ locus non esset sibi, vt videbatur, aptior, secretiorve, quia in Ecclesia dormiebat, in Ecclesia cum eadem de nocte peccauit. Nec diu tamen quod factum fuerat, Venerabilem Ivetam latere potuit: cognouerat enim per spiritum cuncta, quæ acciderant, personas, tempus, locum, & horam. Primo siquidem mulierem, quia aliquantulũ ei exiterat familiaris, accersiri ad se faciens, exposuit ei ea, quæ per spiritum viderat, & super gestis dure eam, provt merebatur, arguit. At illa verecundata nimium, quia deprehensam se in peccato suo videbat, cuncta, quæ acciderant ei, per Ordinem confessa est: & de ipsius voluntate, & consilio satisfacturum se de commissis Domino, & eius Sanctissimæ genitrici, quam se nimis offendisse in eo, quod tantum scelus in loco nominis eius perpetrauerat, metuebat; libenter, ac deuoto spopondit animo, sicque domum rediit, Deo gratias agens, quem curam habere salutis ipsius, sicut per famulam eius intellexerat, manifestissime cognouit. Clericus vero, & vt ipse pœnitentiam ageret de peccato suo, vocatus à famula Dei semel, & iterũ venire contempsit, quia obcæcauerat*

i *cap. 26.*

uerat Diabolus oculos eius, ne eum agnoſceret, per quem, & à quo monebatur ad pœnitentiam, per miniſterium ancillæ ſuæ, cui & reuelata fuerant hæc, vt arbitror, propter ſalutem ipſorum. Tandem admonitus ille per internuncium à Sancta Dei, vt ad ipſam aut veniret, aut ſatisfaceret Domino de commiſſis in inſtanti; alioquin ſcire, ſibi Dei imminere iudicium in breui. Nihilominus neglexit, conſcius ipſe ſibi. Sed poſt modicum temporis ſecundum verbum Beatæ mulieris clericus idem ſubitanea mirabiliter infirmitate interceptus, miſerabiliter interiit abſque Eccleſiaſtica communione, & Sacramento. His multa alia ſimilia referuntur, quæ longum eſſet ad litteram tranſcribere.

8. Cæterum quod omnino ſine exemplo, ſupra miraculum etiam haberi poteſt, quod raptũ Virginis, fraudulenter factum à clerico impudico, ſub prætextu maioris religionis, & ſecurioris vitæ, non ſolum, reuelante Deo, nouerit, verum raptorem deſiderio ſuo fruſtrauerit; & teneram, ac ſimplicem columbam inter vngues accipitris, iuuenculam in cuſtodia Amaſij poſitam, per totam Galliam ab ipſo circumductam, & iam palam ad ſtuprum ſollicitatam, per ſex integros menſes inter viarum, hoſpitiorumque pericula; ac multiplices, frequenteſque occaſiones, nunc in deſertis locis, nunc in conclauibus, inter communẽ menſam, contiguos lectos, & colloquia continua, & familiaria, in ipſa fœminæ ad virum conuerſione, tunc certiori, connaturaliorique, cũ ab ipſo protegitur, nihilominus per continuas ad Deum preces integram conſeruauit, atque impetrauit ſibi reſtitui; non ſolum incorruptam, verum intactam. Id quia cunctis mirandis mirabilius, ex eodem auctore ad litteram cenſui tranſcribendum. Sane Bernardus cohabitare fœminæ ſine contagio carnis, maius quid putat, quàm ſuſcitare mortuum. Quanto excellentius, à viro circunferri, ſollicitari, in eius tum cuſtodia, tum poteſtate, & nihilominus viro non conſentire? Sed iam auctorem loquentem audiamus. [k]

k cap. 25.

9. *Fuit ſane inter alias Virgines, quas ipſa Chriſto reducebat, Virgo quædam iuuencula, quam præ cæteris vnice diligebat, inſtruebat, & exhortabatur, eo quod in ſpecialem filiam ab annis eam infantiæ iam dudum adoptauerat.* Et infrà. *Intellexit fœmina laudabilis, reuelante ſibi ſpiritu, quod in breui ruitura à perfectione eadem, hac eadem foret iuuencula; & propter eam plures ſcandalum paſſuri in proximo, ſed & quibuſdam familiaribus ſuis hoc ipſum indicare curauit. Sæpe tamen clam puellam aduocans admonebat, vt caute, & diligenter ſe obſeruans, omnem ſibi adhiberet ſollicitudinem, in cuſtodiendo ſe contra inimici tentationes, & inſidias, de quibus plurimum timeret, ne ipſi prævalerent.* Hactenus imminentis notitia mali, quod, vt voluerit, non potuit impedire. *Clericus quidam adoleſcens, loco familiaris, & perſonis, ſub ſpecie falſæ Religionis, & habitu, puellæ illi intendere cœpit, frequentiuſque ei colloquens de his, quæ ad animarum ſpectare viderentur ſalutem, cum talis ille haberetur intus à puella, qualem palliabant verba honeſta foris. Hic ſub prætextu ſermonum Dei, quos miſer loquebatur, ignẽ iniqui amoris nutriebat intus, & celabat. Denique cum diutius ſe continere non poſſet, quin venenum effunderet, quod dudum animo geſtauerat, & ſi apertis ei verbis conſcientiæ ſuæ malum aperiret, nihil aduerſus eam ſe poſſe proficere timeret, longe alia eam via aggredi diſpoſuit, vt ſubito ſagittaret in occultis immaculatam ..... Igitur primo quidem proteſtatus, quod ſalutem puellæ diligebat, vt propriam, & poſt huiuſmodi ſermones perſuaſorios, grauia ab imo pectore trahens ſuſpiria, & quaſi reſolutus ad lachrymas, vnum ſe de ipſa ſcire dicebat, vnde in tantum doleret animo, quod non eſſet dolor ſimilis, ſicut dolor eius, vtpote dolor, quem nulla alleuiare conſolatio poſſet. Requirenti puellæ cauſam triſtitiæ, reſpondit ſe eius dolere perditionem, dico non qualemcumque, ſed animæ eius, quam vtique diligebat, vt ſuam. Reuelatum ſibi quippe dicebat in ſpiritu, quod nulla ſpes ſalutis eius eſſe poterat, quandiu eſſet in eo ſtatu, & loco, in quo erat; cauſam allegans eſſe manifeſtam, ſcilicet celebris eam eſſe famæ nimis, nimis ob merita commendari ab aliis, nimis in honore haberi in loco, vnde eleuatum cor, & in vanam elata mens eſſet gloriam, nec ſaluari eam poſſe, donec, relictis omnibus, ſecederet in locum, vbi nemo eam agnoſceret, aut meritum Sanctitatis eius extollere poſſet; qui aut virtutis præco, aut ſalutis prædo exiſteret. Credidit ſtulta ſermonibus peſſimi, quem optimum exiſtimabat fore, & fugienda mala, quæ quaſi iam imminentia fingebat infœlix, ire pollicetur ſi viæ ducem habeat, cui poſſet confidere. Et ego, inquit ille, ne amplius te ſinam periclitari, ſine qua nulla poſſet eſſe ſalus, aut gaudium cordis; ego, inquam, quia nullus tibi melior me, aptiorque ad viã eſſe, poteſt; quidquid mihi contingere debeat poſt hæc, deduci te faciam, vel ipſe deducam ad locum, quem noui optimum tibi, & aptum valde Religioni, ad quem ſi veneris proculdubio ſanari poteris. Tantum viam tuam ne reueles alicui, nec confeſſionem hanc, propoſitumque tam ſalubre, & animæ tuæ tam neceſſarium (ne fruſtra laborauerim pro te) vlli hominum manifeſtes. Aſſenſit illa omnibus, nullique negotium perditionis aperiens, diſpoſitis clam rebus ſuis, prouiſa cautione potuit, ſtatuto die, & hora, Deo ſe committens, fideique hominis maligni, a ſinibus illis egreſſa eſt, & lupum ouis, victima carnificem, extra Prouinciam vſque ſequuta.* Sic, quod Iueta per ſpiritum cognouerat, impedire non potuit.

10. At qualiter, quod maius malum erat, certe in puella eo culpabilius, quò manifeſtius, per lachrymas, per ſuſpiria, impedire potuerit, & quæ non impetrauit id, quod facilius, vt verax probaretur; tamen vt virtus eius eluceſceret, quod difficilius, potenter impetrauerit; pergit auctor deſcribere in hunc modum. [l] *Videns clericus eam ſuæ traditam poteſtati, & facturam cuncta, quæ vellet ſuſpicatus, tandem occulta cordis ſui eidem aperire auſus, vt ſibi aſſentire vellet ſponte, ac die in diem replicabat ſermonem. At illa audiens, quorſum tenderet loquentis ſermo, tandem, licet ſero, ſe deluſam eſſe cognouit, & deceptam à clerico, fleuitque amariſſime. Attamen ſperans in Domini bonitate, cui ſeruiebat in ſpiritu, licet ambularet cum iuuene ſimplicitate cordis ſui, nulla ratione, nullaque vi, aut timore mortis, ſe ei aſſenſuram conſtanter aſſerebat: & ſi temporalem ei corporis vitam auferre, milleque eam mortibus interimere poſſet. Propter hoc tamen non deſiſtebat iuuenis, nocte eam, ac die infeſtans, magiſque in amorem eius ſuccenſus, æſtu libidinis, promiſſis, minis interdum quoque, & vi, Virginem aggrediebatur: ſed nihil proficiebat. Durauit autem pugna hæc, non die vno, aut parum, ſed menſibus pene ſex iugiter, quibus deducebatur agna Chriſti à carnifice de ciuitate in ciuitatem, de loco, ad locum. Incedebant duo ſimul in via, comedebant ſimul, ſimulque quieſcebant, interdum & lectulo vno dormiebant: ſed tantam ancillæ ſuæ contulerat Dominus gratiam, quod numquam ei iuuenis prævalere potuit,*

l vbi ſupra

tuit sed neque carnem suam nudam contingere permissus aliquando est, totius spatio temporis, quo fuerant pariter. Praeualuit siquidem aduersus malitiam totius temporis fides, quam Venerabilis Iueta in Domino habebat pro filia; luctus quoque, dolores, ac suspiria, orationes, & lachrymae, quibus intessanter semetipsam Domino holocaustum offerebat pro filia quam amiserat. Ecce miraculum iuxta Bernardum maius, quàm si multos defunctos suscitasset. Verum qualiter tandem filia matri, puella Iueræ, restituta sit, ex eodem auctore prosequamur.[m]

m *ibidem.*

11. *Reuelauerat Dominus auriculam ancillæ suæ, scilicet Iuetæ, quod redderet ei filiam, quam velut mortuam lugebat, sanam, & incolumen, intactamque omnino à viro, Virginem, vt erat prius. Super hac promissione fidei recepit mulier fidelis consolationem, & lugentibus propter eam amicis, & his, qui eam nouerant, sub iureiurando pollicita est, quod filiam suam receptura in proximo esset, saluo per omnia pudicitiæ titulo, & Virginitatis pudore, cum quo discesserat à loco. Et non cecidit ex omnibus verbis in terrã, quando vniuersa contingerent, quemadmodum ipsa prædixerat. Gyrans siquidem omnia in circuitu clericus idem cum puella, tandem post multos circuitus, errorum forte fortuito Metim ire disposuit; & cum appropinquaret ciuitati, contigit, eos transitum habere iuxta cellulam inclusi cuiusdam viri, vt opinio habebat, Sanctitatis eximiæ; ipsaque, licet inuito iuuene, diuertit ad cellam, tanquam requiescere volens paululum fessa ex itinere. Nactaque opportunitatem loquendi viro, eidem in confessione, seriatim exposuit ei rei gestæ ordinem, nec non & vniuersa, quæ ei acciderant; & vt sui misereretur eripiens eam ab homine in quo, si posset, cum lachrymis humiliter deprecata est. Annuit auditis libentissime Vir Dei, & recludi eam in domo faciens per quosdam familiares suos, qui eo tunc aderant, iuuenem, qui, vt sua ei redderetur vxor, minis instabat, & clamoribus, dure argutum, prout dignus erat, cum dedecore propulit à loco; puellamque per manus fidelium suorum Metim vsque reduci faciens, Inclusæ cuidam commendare fecit custodiendam. Cum puella eadem moram faciens diebus aliquot, inuentis tandem in ciuitate quibuspam mercatoribus de terra, & cognatione sua, consanguineis suis; qui inuenta ea gauisi sunt gaudio magno valde: domum cum honore ab eis reducta est. Suscepit itaque veneranda Mater Iueta filiam, quam amiserat, cum lachrymis, & gaudio cordis. Deo gratias agens, qui desiderium cordis eius ei tribuerat; omnibusque diebus vitæ cum ipsa puella in gratiarum actione permansit, ieiuniis, & orationibus seruientes Domino pariter die, ac nocte. Porrò puella eadem vsque ad obitum Venerabilis Iuetæ permansit cum ipsa, & post eius obitum consecrata Christo, Virgo manet vsque hodie.* Hactenus ibi.

12. His, & similibus Iueta tum fauoribus, tum meritis illustris, æternæ vitæ præmia fortis in fide, sed corpore iam debilis, & senio, atque continua maceratione attrita, præstolabatur. Cum ecce pius Dominus electam suam remunerare disponens. [n] *Et tamquam emeritam iam in sui amoris obsequio, & propter bonum certamen, quod certauerat, cursumque consummatum, fœliciter dare ei coronam iustitiæ, reuelauit ei per spiritum, imminere resolutionis suæ diem, anno ante integro, & paulo amplius. Ipsa vero familiaribus suis quibusdam, personis vtique Religiosis, hoc ipsum indicare secreto curauit, atque, vt instantius pro se Dominum exorarent, affectuosissime deprecari, vt si quidquam in ea esset, quod minus correctum, perfectumque minus foret adhuc, Dominus ei secundum magnam misericordiam suam fidelium suorum precibus, ac meritis indulgeret.* Hactenus ex actis. Porrò hanc reuelationem Sanctæ mulieri hoc anno factam esse inde deducitur, quod constet obiisse anno sequenti, vt ibidem videbimus. Quæ si ante annum facta est, incidisse in præsentem, aut præcedentis finem, non est dubium. Verum qualiter se ad cœlestes nuptias, & ipsa præparauerit, & ornatam monilibus, seu donis cœlestis gratiæ, ab sponso præsenserit; quia in hunc item annum incidisse, palam est, hoc item nobis venit propalandum.

n *cap. 41.*

13. *Appropinquabat (ait auctor vitæ eius* o*) B. Mariæ Magdalenæ festiuitas annua, quam ipsa inter Sanctos alios speciali deuotione venerabatur amoris, laudum, & obsequij: dilexeratque ab ineunte ætate semper. Factum est autem, vt ipsa die festiuitatis memoratæ, dum Missarum solennia in Ecclesia agerentur, ipsa in cellula superiori orans esset sola, & B. Mariam Magdalenam pro peccatis suis anxie interpellans, licet enim delicta iuuentutis suæ, & conuersationis offensas pristinæ, per diuturnæ lamenta pœnitentiæ, remissa sibi dudum fore, ex ipsius ore Domini, vt supra est ostensum, non dissideret, quia tamen scriptum est:* Beatus homo, qui semper est pauidus: [p] *cœpit quendam iterum parturire spiritum timoris, ex venturæ mortis angustia, quam sibi in proximo imminere sciebat, & recordatione districti iudicij Dei, in quo & iustum saluari vix, & potestatibus tremendum Angelicis scriptura commemorat.* Hæc illo capite. Et subdit in sequenti. *Igitur cum orans esset famula Christi, repente per spiritum rapta, vidit, quam interpellabat, B. Mariam Magdalenam prope assistere. Cuius, dum ad pedes procidens, amplecti eos, & deosculari vellet, illa eam per manus eleuans assumpsit, & vt sibi videbatur, tenente illa manum dexteram eius, sic est deducta, donec ad Sanctissimos Domini Iesu pedes vsque peruenerunt simul ambæ; ibique à deducente se dimissa est. vbi, cum indicibili ardore spiritus, & dulcedinis affectu procidens, cum eosdem Domini pedes diu deosculans, fletibus irrigaret vberrimis, nec eorum dulcedine exsatiari posset, dixit ei aureum illud os Domini.* Dimissa sunt tibi peccata tua, quia dilexisti multum. [q] *Ad hanc vocem sibi reddita est, velut auulsus ab vberibus infans, ad vbera redire gestiens, vim quodammodo passa mulier fidelis, auulsam se à pedibus Iesu Christi conquerebatur.* Ita ad hunc annum, in quo & alia præsciuit, & prædixit, quin etiam impetrauit; quæ prætermittimus.

o *vbi supra.*

p *Prou. 28.*

q *Luc. 7.*

1. Acta Capituli, 2. & paucæ, atque obscuræ fundationes. 3. VVormaciense cœnobium Sanctimonialium. 4. Dictum de Biloka, insigni fundatione magni Fulconis: 5. & de ea quædam distincta. 6. Xenodochij initia, translatioque, 7. & Moniales adductæ ex Nouo Boscho. 8. Notata quædam. 9. Egenorum curæ prouisum, 10 & sepulchrum vtriusque fundatoris.

CAPVT NONVM.

1. ACTA huius anni pauca, sed quæ non leuiter videantur indicare Sanctam simplicitatem illius sæculi. Præceptum est, *vt in processionibus, quæ fiunt in Ordine, duo cerei à duobus Monachis, indutis albis candidis, deportentur.* Adeo post centum, & triginta annos, vnico dempto, à prima fundatione, primitiua illa paupertas, & humilitas, etiam in his, quæ ad Deum, conseruabantur. Nec credo, crucem omnino sine luce, sed cum vnica tantum iuxta veteres ritus in processionibus consuetam circunferri. Iuxta veteres, inquam, & primos ritus, in quibus pro Diuinis celebrandis, vnicum candelabrum,[a] idque ex cupro, aut ex ferro, permittebatur. Verum, vt in hac lege palam videas, quos venerari possis, antiquos mores: sic in alia degeneres inuenies (quæ humanarum rerum conditio est) & sacratissimam carnium abstinentiam, non omnino illibatam, & inconcussam, quandiu talis lex eguit promulgari. *Vt in septuagesima carnes non comedantur.* Crediderim indulgentia Abbatum factū, vt ea die debilibus, & senibus ad reficiendas vires, seorsim à Conuentu ministraretur, quod tamen nullo quæsito colore permitti posse, hac lege lata concilium pronūciauit.

a Exord. Cisterc. c. 18.

2. In Chronologia Abbatiæ tres notantur hoc anno natæ. *XII. Kalendas Maij Abbatia de Gratia Dei in Anglia. De Heritone in Polonia, incerta die; neque aliter in Scotia quædā alio sub S. Eduardi aduocatione. Gratiam Dei alia nomine vocari, mihi persuadeo, sub quo à Nicolao Arsfeldio commemoretur. Sub hoc ab Auberto Miræo*[b] *notatam video; sed nulla alia notitia clariori. Et sunt duæ aliæ Abbatiæ eiusdem nominis in Burgundia, & Pictauia, quarum superius fecimus mentionem. De Heritone nihil prorsus, quod dicam habeo, nisi forte Hadington Sanct-Andræana in Scotia; de qua supra loquuti, atque longe antiquiorem non dubitamus. Locus Sancti Eduardi, (nam sic vocatur) inuenitur inter filias Rieuallis in Diœcesi S. Andræana, adaugens lineam Ecclesiæ Claræ-Vallensis. Alij filiam Meilrosæ, & alio nomine Kamormach vocari tradunt.*

b in Chron. Cist.

3. *Notiora duo alia cœnobia Sanctimonialium in vtraque Germania, quorum alterum hoc anno cœpisse legitur, alterum accepisse Xenodochium (nam id exemplum ab Hispania, vt puto, acceptū in Huelguēsi cœnobio, late per alias nationes diffundebatur) cui Monialis præessent, cum primum possent ad locum transituræ. Et primum quidem Henricum auctorem habuit, VVormaciensem Præsulem: secundum, Trunam nobilem mulierem, & Fratrem eius magnum illum virum, Fulconem Gandauensem, cuius supra meminimus, cum de prædicatione Iacobi de Vitriaco aduersus Albigenses scriberemus. De primo in Chroni. Sponheimensi, Ioannes Tritemius.*[c] *His temporibus Henricus, Episcopus VVormaciensis, filius Comitis de Saræponte, fundauit cœnobium Monialium, in Kirschgartem, extra muros ciuitatis VVormaciensis, posuitque inibi Moniales Cisterciensis Ordinis, quæ ipsum locum per annos fere ducentos sub eadem Religione inhabitarunt, vsque ad tēpora Friderici Episcopi, qui anno. M.CCCC.XLIII. Monialibus expulsis, canonicos Regulares de bona obseruantia reformatos introduxit.* Hactenus huius Abbatiæ initia, & finis, quæ non ab alio distinctius tradi inuenio.

c Ad ann. 1216.

4. Bilokani cœnobij, & Xenodochij, Monialibus adscripti, iuxta Gandauum, maior notitia ex Belgicis scriptoribus, quamuis & nonnihil confusionis, si exacte examinentur, parere valeant. Aubertus Miræus fundationē Xenodochij à fundatione cœnobij non distinguens, sed neque à Xenodochij translatione (quæ tamen omnia diuersa esse constabit) vtramque referendam esse putat, ad tēpus recusatæ à Fulcone prædicationis. Sic enim habet.[d] *Bilokanum cœnobiū; & celebre eiusdem nominis adiunctum Nosocomium, seu Hospitale, vt vocant in vrbe Gandensi, suo ære construēdam curauit, vir pietate, & sapientia clarus, Fulco Vtenhouius, patria Gandauensis, & Canonicus Insulensis, qui anno Christi M. CC. X. floruit. Quo tempore, cum expeditio in impiam Albigensium Sectam, Innocentij tertij Pontificis Maximi decreto, & S. Dominici consilio, esset susceptа; Iacobus Vitriacus, (post Asconensis in Syria Episcopus, & S.R.E. Cardinalis) ab eodem Innocentio Legatus in Belgium missus est, qui militiam sacram contra hæreticos Albigenses, Apostolica auctoritate promulgaret, in eamque adscriptos signo crucis signaret. Vrsit itaque Vitriacus Vtenhouium, vt eam expeditionem suis ad populum concionibus commendaret. Quod cum pertinaciter ipse recusaret, atque ad id se idoneum negaret, subito velut irato, ac vindice numine, grauissima correptus hemorrhoide; quam vir patientissimus annos quatuor, & viginti, tam forti, infractoque tulit animo, vt & obitus sui diem præscire, & Christi Saluatoris adspectu ante obitum recreari meruerit.* Ita Miræus. Quibus consonare videtur Iacobus Mercantius[e] in commentariis Flandriæ, & quidā alij.

d *Ad annum* 1220.

e *lib. 1. in Gandauo.*

5. Ego non dubito occasione morbi, qui Fulconē inuasit, Xenodochium ab eo, & à Truna sorore eius (nam ea etiam fundatrix) constructum esse. Verum non statim; sed cum infirmitas dudum processisset, & ex his, quæ in se ipse patiebatur, compati aliis disceret, obiterque sororem etiam doceret. Quod si apud ædes Patrum Prædicatorum, primo constructum est, vt indicat Sanderus iam referendus, longe recentius esse constabit liquido, cum ipsemet Prædicatorum Ordo non incœperit ante annum Christi M.CC.XVI. Sed neque statim Gandauum occupauerit. Melius ergo Sanderus in hac parte, qui primo Xenodochium fundatum tradit intra mœnia Gandaui in ea parte vrbis, quam nunc occupant Patres Prædicatores, nullis Monialibus ibidem constitutis; quibus cura infirmorum committeretur. Mox eo loco relicto Prædicatoribus, translatum extra mœnia, idque ad hunc annum: constructo illic contiguo Monasterio, ad quod inhabitandum Moniales Cistercienses ex Nouo Boscho adductæ, ex commissione Abbatis Claræ Vallis deputarentur: eas demum venisse sequenti anno sub auspiciis Abbatis Bodeloensis, cum per eundem Abbatem Claræ-Vallis, ab ipsa Bodeloensiū reformatione, commissæ

commissæ erant. Verum quo ordine hæc omnia facta sint, & qui interuenerint in vtriusque operis, Xenodochij nimirum, & cœnobij, promouenda structura, & dotatione, eiusdem Sanderi verbis prosequi libet, in quibus, si quid fuerit difficile, notatione subiuncta, etiam dicemus. Igitur in suo opere de rebus Gandauensibus, loquens de Biloka Hospitali, hæc habet verba.[f]

f cap. 10. 6. *Per Trunam Vtenhouiam nobili loco natam, & per Fulconem eius Fratrem, Ecclesiæ Insulensis Canonicum, incorruptæ conuersationis virum, ciues Gadauenses anno M. CC. XX. iuxta Prædicatores, Nosocomium hoc ad pauperum solatia, & ægrorum, præcipuè huius vrbis, receptaculum inchoatum fuit, fundatumque, partim propriis, & partim etiã Hospitalis vetusti bonis, quod in paræcia S. Nicolai situm, vulgo* Vittorx *vocabatur, ac incendio, aliisque casibus collapsum, suis opibus sed restaurare non poterat. Domum itaque ipsa suam, cum his, quæ adhærebant, quam iuxta Diui Michaëlis Ecclesiam possidebat, in pium hunc vsum contulit. Quod Christianæ liberalitatis exemplum complures, collata etiam aliqua suarum facultatum portione, sequerentur, ac illud ab omnibus passim approbari institutum, videret Episcopus Tornacensis, idem Ferdinando, ac Ioannæ, eius coniugi, Flandriæ, Hannoniæque tunc Principibus, commendauit. Qui eiusdem instinctu, videntes locum huic proposito iuxta Diuum Michaëlem minus idoneum, omnem illum tractum extra Cupam, vsque ad Turreportam, quæ vulgo leprosorum vocabatur, vrbi adiacentem, ac Biloka nominatum, Hospitali constituendo donauerunt.*

7. *Sacellum itaque isthic, ac Nosocomium, aliaque multa, quæ hanc rem necessaria videbantur ædificia, fundatorum opibus, curaque, & auspiciis piorum illorum Principum, constructa sunt. Prior vero illa domus, quæ iuxta Diui Michaëlis erat, vsui Fratrum Prædicatorum est applicata, atque anno M. CC. XXVI. facta translatio supellectilis, & ægrorum, à Diui Michaëlis, ad Bilokam, siue portum Mariæ, vbi ab eadem Truna, & Fulcone, eius Fratre, cœnobium Monialium Ordinis Cisterciensis, ante dicto opitulante Episcopo, est ædificatum, non sine multis immunitatibus, ac priuilegiis. Biennio autem antea F. Robertus, Abbas Claræ Vallensis, Abbati de Bodeloo scripserat, vt cum opus esset ex Monasterio Noui Boschi, tot in hoc nostrum Moniales induceret, quot expedire iudicaret; & easdem suo regimini subiiceret. Igitur vigilia Assumptionis B. Mariæ anno insequente, primum isthic celebrari cœpit officiũ, omniaque eiusdem Nosocomij bona, Abbatiæ Monialium, & dispensationi earundem relicta sunt.* Hactenus Xenodochij fundatio, translatioque, & vtraque recentior Cistercienſium Monialium introductio, quæ in annum sequentem dilata dicitur, cum in hoc Xenochium sit translatum.

8. Porro ex his facile licet coniectari, Bodeloensis cœnobij reformationem non potuisse differri post annum M. CC. XXV. alias nunquam Abbate Claræ-Vallis Monialium adductionem commissuro Abbati Bodeloensi, & multo minus ipsi subiecturo Sanctimoniales, quæ in nouo illo cœnobio collocarentur. Verum est tamen, quod dicitur de Roberto Abbate, maiorem aliquam sonare antiquitatem, quippe qui fuerat Laurentij antecessor, vt iam ostendimus obieratque ante annum M. CC. XXV. Sed forte & de Monialium adductione, & de Bodeloensium reformatione sub Roberto tractatum, deliberatumque; & neutrum potuit sub ipso consummari, consummatum tamen sub eius successore Laurentio Hispano. Reformatio, quæ expeditior erat, sub initiis illius Præfecturæ. At Monialium adductio, quæ trãslationem Xenodochij, & cœnobij extructionem præstolabatur, sub eius finem. Sequitur in eodem Sandero de Monialibus, & pauperum administratione, ipsis concredita, & in principio quidem defectuosa, ob defectum redituum, cum plures ex his Moniales alendæ essent. Verum mox imminuto Monialium numero, exacta, & prouida, quam ad hanc vsque diem perseuerare, ab Auberto Miræo notatum video. Ergo Sanderus.[g]

g vbi supra. 9. *Verum, cum paulo post non pauci quererentur, non æquam fieri eorundem bonorum dispensationem, ac plura, quàm par esset, adiungi, impendique Monasterio, subtrahi vero Hospitali; ad instantiam Principis, ac multorum ciuium Gandauensium anno M. CC. XXXVII. facta est per Episcopum Tornacensem, Abbatem Claræ-Vallensem, S. Bauonis, & alios, bonorum diuisio; constitutumque, vt cum tam paucis Monialibus, ac sororibus, quàm decenter fieri posset, secundum Ordinem Cistercienſem, septem horarum canonicarum ibidem officium fieret.* Ita Antonius Sanderus, Quibus Aubertus Miræus vlterius subdit.[h] *Cæterum Bilokanæ Moniales in Nosocomio cœnobij, muris adiuncto, ægros miserosque, summa charitate excipiunt, & assiduam his curandis operam impendunt, pio sane, ac laudabili Christianæ charitatis exemplo.*

h in Chron Cisterc.

Primam Abbatissam notat Sanderus fuisse Elisabetham Vtenhouiam, cognatã fundatricis; at non electam ante annum M. CC. XXX. cui addit alias, quæ facile apud ipsum videri possent. Tertia decima in Ordine Gertrudis, dicta de Portelis, insignis Sanctitatis fœmina, fuit electa anno M. CCCC. cuius vitam, & acta in Menologio Flandriæ relata video, ex quo, & suo tempore decerpet, quicumque hos Annales continuauerit. In hoc cœnobio requiescunt fundatores, insignis ille Fulco, Trunaque in medio, vt ferunt, Templi, in quo hoc quondam Epitaphium habuisse Sanderus memorat.[i] 10.

i vbi supra

IN HOC VICINO SACELLO BEATÆ MARIÆ REQVIESCIT DOMINVS FVLCO VTHENHOVIVS, QVI EX HAC LVCE MIGRAVIT ANNO DOMINI M.CC.XL. TERTIO KALENDAS SEPTEMBRIS. AD EIVS SINISTRAM VERO PAVSAT VENERABILIS DOMICELLA TRVNA VTHENTHOVIA, EIVSDEM FVLCONIS GERMANA, QVÆ OBIIT ANNO DOMINI M. CC. XXXXII. TERTIO KALENDAS APRILIS; QVI FAVORE INCLYTORVM FERDINANDI, ET IOANNÆ, FLANDRIÆ COMITVM, INCHOAVERVNT, ET FVNDAVERVNT HOSPITALE, ET MONASTERIVM, (VNICVM PROFECTO ATQVE SVPREMVM PAVPERVM INFIRMORVM SOLAMEN, ATQVE REFVGIVM.) REQVIESCANT IN PACE. AMEN.

ANNVS CHRISTI M. CC. XXVII.

ANNVS CISTERCII C. XXX.

1. *Conradus ex Germania ad vrbem redux*, 2. *Sanctorum Episcopi*, *Sozimæ*, *atque Bonosæ corpora*, 3. *ad Claram-Vallem mittit.* 4. *Honorij mors*, *& in nostros beneficientia.* 5. *Gregorij successio*, *ex Conradi*, *prius electi*, *recusatione.* 6. *Conradi eiusdem in Ecclesia Claræ-Vallis.* 8. *Epitaphium* 9. *memoria Sanctitatis.*

CAPVT PRIMVM.

1. HVNC nobis annum ab ortu Christi Domini Millesimum, ducentesimum vigesimum septimum, à Cistercio inchoato, centesimum, trigesimumque, auspicatur Conradus ad vrbem redux, cum Gallias, cum Germaniam, cum totum Belgium, quin si Abrahamo Bzouio fides constat, cum Hispaniam etiam, supremæ legationis officio fungens, nec sine ingenti fructu lustrauisset. Certè, si tantum virum Hispaniæ meruit, quamuis ad breue tempus, dignus est, qui ab omnibus Chronologis eius memoraretur. Brabãtiam peragrasse compertum est, & in ea visitasse sepulchrum Beatæ Mariæ Ogniacensis, cuius recens memoria sanctitatis, pia deuotione per illud tempus ab omnibus fidelibus, præcipue religiosis, venerabatur. Nec defraudatus est à desiderio suo vir plane Sanctus; nam. *De ipso etiam, (ait Thomas Cantipratanus coæuus author)* [a] *venerabili Conrado indubitabili fide susceptimus, quia cum existens in partibus Brabantiæ, tumulum Beatæ mulieris Mariæ de Oignies sedulus visitaret, intempestæ noctis silentio, cum oraret, vidit in spiritu, ipsam Dei famulam, flexis genibus prosæ Dominum exorantem; & post orationem, eius labores, & solicitudinem dulciter consolantem.* Hæc ad sepulchrum Mariæ Oigniacensis. Nec dubium quin Lutgardam, quin Iulianam, vtranque Idam, Iuetamque, & alias, quæ per Belgij monasteria Cistercium illustrabant, visitauerit.

[a] lib. 1. ca. 9. num. 8.

2. Reuersus Romam, Portuensem Ecclesiam adiit, titulo Cardinalitiæ dignitatis sibi commissam. Est Portus, vrbs ad Tyberis fluminis ostia, olim munita, & florens, nunc destructa, & quæ tota in ruinas pene abierit. Ad quem etiam statum temporibus Conradi iam deuenerat. In ea ab antiquo illustrium Martyrum corpora, Eutropij, Sozimæ, Bonosæque, quos Sanctos vtique ibidem celebrari commemorat Romanum Martyrologium [b]. Doluit Conradus cultum minus solennem à paucitate populi: & siue Claram-Vallem ardenter amans, seu Sancta pignora decentius venerari alte desiderans; ad vltimum, siue mortem suam præsagiens, & sepulturam, & volens ea munire tantis exuuiis obtenta prius, vt credere par est, ab Honorio licentia, eadem corpora transmittit ad Claram-Vallem, vbi se sepeliri dudum elegerit, & alias decentiori haud dubie culta, & religiosiori reuerentia venerarentur. Tribus Corporibus adiunxit quartum aliud, sed sine certo nomine, nisi quod alicuius Martyris esse, ex loco, ex quo desumpsit, non dubitauit, atque his quatuor æternæ gloriæ sociis voluit Bernardum, voluit Malachiam, voluit, & alios, qui in Clara-Valle pausabant Sanctos, quin etiam eos, qui super adhuc erant, condecorare. Extat in inuentario Reliquiarum Claræ-Vallis, authentica memoria Sanctorum corporum, & in Ecclesia venerandum ipsum sepuchrum, præfixo titulo, quem inde ad nos trasmissum Chrysostomus Henriquez [c] euulgauit. Est autem talis.

[b] Iulij 15.

[c] *In fascic. lib. 2. dict. 41.* 3.

HIC CONTINENTVR CORPORA SANCTISSIMORVM EVTROPII, ZOZIMÆ, ET BONOSÆ, SORORVM, QVÆ TEMPORE FELICIS RECORDATIONIS HONORII PAPÆ TERTII ASSVMPTA FVERVNT PER PIÆ MEMORIÆ VENERABILEM PATREM, ET CARDINALEM, CONRADVM, QVONDAM PORTVENSEM EPISCOPVM, D ALTARI ECCLESIÆ SANCTI LAVRENTII EIVSDEM CIVITATIS, VBI QVONDAM FVERVNT HONORIFICE, ET HONESTE RECONDITA, ANTEQVAM DICTA CIVITAS AD RVINÆ DESOLATIONIS EXTERMINIVM DEDVCERETVR. PROPTER QVOD, BENIGNA DEI PROVIDENTIA, PERDICTVM REVERENDVM CARDINALEM APRÆFATO LOCO TRANSLATA FVERVNT, ET BEATO BERNARDO, ET ECCLESIÆ CLAREVALLIS TRANSMISSA, VT IBIDEM GLORIOSIVS COLLOCARENTVR, ET CVM VENERATIONE DEBITA COLERENTVR; SIC QVÆ TANTÆ PRÆSENTIÆ SACRA CONSIDERATIONE CORDA FIDELIVM AD DEVM DEVOTIVS DILIGENDVM, EIQVE FERVENTIVS FAMVLANDVM EXCITARENTVR, MEDIANTIBVS IPSORVM SANCTORVM PRETIOSIS MERITIS, ET PIA INTERCESSIONE. HIS VERO TRIBVS SANCTIS MARTYRIBVS ADIVNCTVS EST QVARTVS MARTYR, ET COLLOCATVS CVM IPSIS, CVIVS NOMEN ADHVC IGNORAMVS, CVIVS CORPVS SACRVM VNA CVM DICTIS TRIBVS CLARAVA-VALLEM MISIT DICTVS D. CARDINALIS EPISCOPVS PORTVENSIS.

Ita in titulo, quod ad Conradum attinet: nam de aliis corporibus Sanctorum, ibidem requiescentium, alia prosequitur. Extant & in inuentario reliquiarum quædam alia largitatis eius vestigia, & charitatis in Clareuallenses, etiam in auro, & gemmis, ex quibus vasa sacra continentia Reliquias, illustrarentur.

4. Inter hoc desiderium sui cunctis relinquens; verum nostris præ aliis, quos speciali non solum dilectione, fauoreque, sed etiam largitate prosequebatur, vita defungitur Honorius Papa III. cum Ecclesiam egregie administrasset annos decem, menses septem, & paucos dies. Vir plane magnus, & dignus, si quis alius per hæc tempora, qui succederet Petro, & Populo Christiano iura daret. Constructerat Honorius antequam in Pontificem Romanum promoueretur, Ecclesiam Cassæmarij, quam summus Pastor solenniter sacrauit; eidem, Cisterciésique, ac Claræ-Vallensi, nec non aliis ex nostris, multa dedit, quæ semper voluit indemnia permanere. Vndecim Monasteria vtriusque sexus reformari ad Cistercium procurauit, reformatis priuilegia multa indulsit. Cistercienſibus in negotiis arduis vsus plusquam centum, & viginti, ex quibus etiam, ad Principes legatos triginta tres: reformatores, & visitatores Ecclesiarum: non solum Regularium, sed sæcularium, quadraginta direxit. Biduo à sua promotione Cistercio scripsit, quod sæpe repetiuit: neque aliter Cistercienses res curauit etiam domesticas, quàm si illæ solæ sibi commissæ essent: Valliscaulium familiam recens exortam, non nisi ad instar Cistercij sancire voluit. Sanctum Robertum, Cistercij primum Abbatem, Sanctum Guillelmum, Bituricensem Archiepiscopum, atque alios ex Cistercio, sanctis adscripsit; scripta sua Cistercio dedicauit. Demum tot, tantaque dedit in nostros Charitatis indicia, vt non immerito Generalis synodus, quod in morte vnum potuit, libens rependerit, & mortis eius anniuersariam diem per vniuersas Ecclesias Cisterſienses æternum celebrari lege sanciuerit, statuto edicto, quod suo tempore à nobis reddendum erit.

5. Altera die ab eius obitu, succeſſit Gregorius, huius nominis nonus, qui antea Hugolinus, Innocentij nepos, quippe à patruo Cardinalis creatus fuerat. Cæterum modum electionis eius, nondum vulgatum, & quid in ea Conradus noster egerit, qualiterque cum eligi potuisset, imo cum iam, dummodo consentiret, electus esset, ex chronico Villarienſi placet describere. Compromiserunt Cardinales, qui aderant, in tres viros ex ipsis probatissimos, quorum vnus Conradus, quo non præstantior vllus seu doctrina, seu genere, seu moribus in toto collegio reperiebatur: duos alios non video nominari. Vterque illorum Conradū designauerat, vt ad apicem rerum assumeretur, & vnus tantum consensus illius deerat: cum ecce vir vere humilis, vere contemptor bonorum temporalium, ab vtroque collega requisitus; absit, ait, vt ego me ipsum dicar elegisse. Ita in Chronico antiquo Villiarensi ex quo Aubertus Miræus [d], Arnaldus de Rayse [e], Chrysostomus Henriquez [f], aliiq;. Sed Chronici ipsius verba depromo. *Eodem tempore, mortuo Domino Papa (Honorio III.) Cardinales concordare non valentes, in duos Cardinales, & in hunc Reuerendū Patrem compromiserunt. Et ipse electus ab his duobus, absit, inquit, vt dicatur, quod ego me ipsū elegerim in Papam, & sic alius est electus.* Nempe Gregorius nonus in quem, cum nollet Conradus in se ipsum, cæteri propter ipsum consensere. Hæc iam secūda supremæ dignitatis humilis recusatio, per Cardinales Cistercienses facta; nam primā ab Henrico Albanensi supra retulimus, nisi quod huic ab electione dubia, & quamuis probabili, adhuc in pendenti, antequam fieret, resilire facilius fuit: Conradus electionem fa-

d *in Chron. Cist.*
e *Septembris 30.*
f *Tam in fasciculo quam in Menol.*

ctam refugit, aut cui nihil deesset, quod non ipsius suffragio, suppleri posset.

Hęc fere vltima actionum Conradi fuit digna, quę illustrem vitā, glorioſamq; glorioſiori adhuc fine coronaret. Quippe hactenus magnus infra Tiaram, tunc etiam supra, & quā se spernere mundo demōstrauit, inferiorē ostendit, ac supra summum inuenit, quo euolaret. Tum vero, quem iam mundus non capiebat, cœlū suscepit; & quē Gregorius, suffragio eius electus, quem Cardinales, quē Ecclesia tota, velut humano maiorem venerabantur, amisere repente, cum menses sex electioni superuixisset. Obiit in festo Sācti Michaelis, vltima die Septembris, non sine ingenti luctu totius vrbis. Eius in morte cygnea plane vox & digna homine, qui recens summum Pontificatum recusauisset. *Vtinam vsque in hanc horam in Villario sub disciplina vixissem Regulari: & cum culinæ hebdomadarijs semper ibidē scultellas abluissem.* Funus ad Claram-Vallem delatū est, ipso ita præcipiēte, dum adhuc viueret. Ibi sepultus est in præsbyterio, iuxta sepulchrum Sancti Malachiæ, modico interuallo, quod altero Cardinali Iacobo, de quo infra dicemus, reseruabatur. Sepulchro, siue incisa, siue appensa tabella est, quæ vitam eius breuiter describit, & quæ in libro sepulchrorum Claræuallis, tum ex eodem cœnobio ad nos trāsmisso, tum à Chrysostomo Henriquez vulgato, hæc habet verba [g].

6.

g *in fascic.*

7. *In eodem presbyterio, iuxta prædictum Dominum Iacobum Cardinalem, ad sinistram minoris altaris, iacet bonæ memoriæ Dominus Conradus, frater olim Comitis Egini de Friburg, qui primo Villarensis, deinde Claræuallensis, postea Cisterciēsis extitit Abbas; & demum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopus Cardinalis. De ipso legitur illud, memoria dignum, quod digiti sacri, quibus Dominici corporis, & sanguinis hostiam offerre solitus erat, tanta luminis claritate frequenter effulgere visi sunt, vt noctis ei tenebras, tanquam meridiem illustrarent. Plurimis locum Claræuallensem decorauit Reliquiis, inter quas est caput S. Vincentij, & Christi Martyrum Eutropij, Zozimæ, & Bonosæ sororum. Legationis à latere functus est officio multoties, in quo varias hæreticorum perfidias magnifice compescuit, & repressit. Cum denique in transmarinis partibus diem transitus sui de hoc mundo propinquare agnosceret, instantissime præcepit, vt ossa sua deferrentur ibidem; quæ voluntas eius vltima per Claræ-Vallenses fideliter est impleta. Obiit autem anno gratiæ M. CC. XXVII. Pridie Kalendas Octobris.* Hactenus Epitaphium, siue memoria sepulchri Claræuallensium. In qua tamen: in transmarinis partibus obiisse, eodem sensu dicitur, quo vota ad limina Apostolorum, etiam à Gallis facta, vltramarina solent nuncupari.

Hinc corrigendi veniunt Onufrius Panuinus, [h] Arnoldus VVionius [i], historia Rauenæ, aliiq; qui ab anno M. C C. XXV. vsque ad M. CC. XXXIV. præter eū, in quo obiit, nullū fere omittunt, quem non assignent. In Chronico Villariēsi aliud illi Epitaphium scriptum lego carmine hæroico, vt vocant leonino, nec pro ætate omnino cōtemnēdo. In eo quædā de morte quasi in communi, quædā de ipso. Qui Conradū cōcernunt (nā cæteri duriores, & fortasse mēdosi) hi sunt versus,

8.

h *De vitis Pontif. & Card.*
i *In ligna vitæ.*

Conradum tot in alta gradum firmasse recusum
Cerne solo, feriente collo iam pendere fusum.
Iamq; net, neque atrata tenet, cum præmia cernat,
Præcipuus flos, Roma, tuus super æthera vernat.
Planta Ducum, Villare, nucī descendit in hortum:

Dein

Dein habuit, Bernarde, tuum conscendere potum.
Mox matris pater, imo patris pater ordinis esse
Promeruit; demum meruit tibi Papa, coesse,
Papæ conradians; Conradus ei, quasi Soli
Luna rotunda fuit tibi, testis Roma fidelis,
Hispidam cum rasit Conradus corpore barbam,
Ordinis, Imperij, collum, Romæque coronam.
In claustro Daniel, Noë in portu Pontificatus,
Imperioque Ioseph: modo Beniamin in Paradiso.
Anno milleno, ducenteno, trinoueno,
Luce sua cœlis manus intulit hunc Michaëlis.

Memorant cum eximia laude virum omnes scriptores, quotquot res Italas, Germanas, Gallasque, & Belgicas scripserunt. Tum authore familiæ Dominicanæ, quam egregie promouit: vt hoc plane glorioſum institutum, sub Arnoldo Cistercienſis Abbate conceptum, & sub Fulcone, tum Romæ, apud Pontificem, tum Tolosæ exortum; sub Conrado adolescceret; & nunquam non Cistercium obsequioſum (nam beneficium non dicam) experiretur. Inter illustres sanctitate viros ordinis Cistercienſis, non solum à Noſtratibus, Ioanne Abbate Cistercij, cæteriſque, sed ab exteris etiam Auberto Miræo, Hugone Menardo, Arnoldo de Rayse, & aliis connumeratur. Caruisse Eccleſiam eius Portuenſem quatuor integros annos succeſſore, ex Pontificum, Cardinaliumque catalogo apud Ciaconium videtur colligi, quippe primum ab ipso suffectum tradit Romanum, qui in legatia Galliæ illi succeſſerat; ex diacono Cardinali Sancti Angeli creatus Epiſcopus Portuenſis. Crediderim in venerationem Conradi factum, quasi integra, & recenti eius memoria, vix alius vacuam occupare sedem, quam repleuerat ipse, iudicaretur.

---

1. *Ioanna Flandriæ, ex Marketa fundata, fructum reportat,* 2. *Ferdinando marito tandem libero.* 3. *Indicta Hieroſolymitana expeditio,* 4. *& Sancto Edmundo ad Angliam iam reuerſo,* 5. *prædicatio crucis iniuncta;* 6. *quæ acceptata ab ipso,* 7. *ſermonem confirmante multis miraculis:* 8. *quibus ſigna de cœlo etiam adiuncta,* 9. *& multa militum millia cruce ſignata.*

CAPVT SECVNDVM.

1. ILLVSTRAVIT initia præsentis anni libertas Ferdinandi Flandriæ Comitis, quæ ex Ioanna Comitiſſa, Imperatoris Balduini filia, sub finem vitæ Cistercio destinata, tum ex Marketæ illustri Monasterio eo fine fundato, anno præterito, in his Annalibus venit memoranda. Igitur Ferdinandus, qui ante annos duodecim, in prælio apud Bouinas cum Ottone Imperatore victus, atque inter alios à Philippo Rege captus, sub ipso nouem, & Ludouico filio tres annos integros in custodia exegerat; hoc iam tandem sub Sancto Ludouico, interueniente in terris eius matre, Regina Blancha, Ferdinandi matertera; sed multo magis in cœlis matre Christi; à custodia eductus, dilectæ coniugi, & suis redditus est, liber à vinculis, sed non à iuramento; quin pacis conditionibus iuratis, à quibus Flandri omnino resilirent. Quippe Ioannem, viraginem illustrem, qui illam prælegerat per varios semper aduersæ fortunæ casus, Cistercio, & per Cistercium præparabat eximiæ gloriæ. Nondum adulta, destituta patre, & auunculo tradita, ab hoc, Philippo Regi Franciæ primum, vt ferebatur, mox à Philippo, Ferdinando marito vendita, tum ipso adhuc viuente, tandiu vidua; non aliter recipere illum potuit, quàm si suorum à se alienaret animos; nec sic recepto diutius fruitura. Fuere & qui dicerent, Ferdinandum redemptum pretio, quod Ioanna vxor, & Alfonsus frater, qui Lusitaniæ imperabant, persoluissent (adeo nihil turpe Regibus, etiam quod dedeceret abiectos homines) sed de hoc, nec de Sancto Ludouico, nec de matre eius Blancha, credi possit: at Ferdinandus non diu superuixit extinctus anno M. CC. XXXIII. vt ibidem videbimus, neque filium, quem haberet succeſſorem, Ioannæ reliquit. Verum de Ferdinandi libertate, quæ incidit in initium huius anni, accuratiſſimum rerum Flandricarum scriptorem Iacobum Meierum loquentem audiamus [a].

Hic ait, (ideſt Sanctus Ludouicus, Francorum Rex) interuentu præcipue Blanchæ matris, Ferdinandum comitem, ſobrinum, vinculis ſoluit, poſt annos duodecim, ac menſes quinque, quàm fuerat captus. Dimiſſus autem eſt ad Epiphaniam Domini; ideoque qui morem ſeruant Romanum, conferunt eius redemptionem in annum vigeſimum ſeptimum. Sunt qui Alfonſi fratris, qui Regnum ea tempeſtate in Luſitania obtinebat, ſimul Ioannæ Principis auro liberatum, putant, (alij quod propius vero ſit) Blanchæ Reginæ tantummodo precibus, quæ eius erat matertera, Regiſque mater, condonatum memorant, poſtquam ipſe, vxorque in leges pacis, cuius ſupra meminimus, religioſe iuraſſent, quod tamen nobilitas, ciuitateſque Flandriæ, nulla ratione, vt facerent, adduci poterunt. Ita Meierus de libertate Ferdinandi Comitis poſt duodecim annos tandem sequuta, sed immediato à Marketæ fundatione: vt credi possit, ipsius merito datam, pro qua constat susceptam, & impetratam ancillarum Christi precibus (quocunque modo euenerit) quo nullo hactenus potuisset prouenire.

a *in Annal. Fland. lib. 8. 2.*

Hoc ipso anno nouus Eccleſiæ Pastor, Gregorius nonus, & Fredericus, Romanorum Imperator, indictam ab Honorio expeditionem aduersus Sarracenos orientales, dum alter vrget zelo Dei feruens, alter metu, aut cupidine retardat, ingentem attulere cladem Christianis populis; Hæc ex Eliſabetha Ludouici, Lantgrauij Turingiæ, coniuge, hac occasione vidua, tùm ex prædicatione Sancti Edmundi, quem vtrumque Cistercium præstolabatur, hos Annnales concernens, paucis pro more est nobis memoranda. *Anno M. CC. XXVII. (ait Germaniæ chronicon, ab H. Mutio collectum,* [b] *(olim prohibitum, ſed iam permiſſum, quia reuera ad hiſtoriam Germaniæ multũ conducit) cum diutius ceſſaret Imperator, videreturq;* 3.

b *lib. 20.*

de industria cessare, & causas differendi quærere, ne iter maturandum esset Hierosolymam, quod esset tot periculis, & casibus plenum, Pontifex Romanus, Gregorius nonus (nam obierat Honorius Papa) præcepit Friderico Imperatori, vt quemadmodum promiserat Pontifici Honorio, & socero suo, Regi Hierosolymitano, Deoque vouerat, quam primum cum copijs in Asiam proficisceretur; minatusque est illi Pontifex anathematis pœnam, nisi profectionem maturet. Fridericus conscius promissi, voti ve, pollicetur, se libenter, primo quoque tempore iturum; adhortaturque vicissim Pontificem, vt admoneat reliquos, per Christianum orbem passim huic expeditioni destinatos. Id Pontifex prompte facit; vt omnes armati, cruceque signati, ad diem conueniant Brundusij præcipit, missis quoquoversum tabellarijs. Dictus autem dies est primum veris tempus. Hactenus ibi.

4. Erat in Anglia insignis prædicator, sanctus Edmundus: ille nimirum, quem docentem Theologiam apud Parisios, septem ante se faculas ardenter præmisisse ad Cistercium, biennio ante, ni fallor, commemorauimus. Quippe iam tunc relicta Academia, atque, acceptatis in Ecclesia Sarisberiensi Canonicatu, dignitateque, ad Angliam remeauerat. Vbi ab scholasticis feriatus disputationibus seriora tractabat, vel in hoc ptudens, & dignus imitari, quod senex, saltem docere aliquid voluit, quod certum esset; ideſt, quod non in controuersiam reuocaretur. Congruat iuuenibus, neque omnino in congruat viris, cuncta discutere: disputent, & inquirant, quæ sciant senes. Ac totam vitam argumentationibus consumere, vel decrepitos omnia controuertere: vt nihil vnquam certum, nihil in quo intellectus quiescat, habeant; vt non dementiæ, infœlicitatis est, & Sysipheæ miseriæ comparandum. Ille semper relabentem scopulum versat, hi doctrinas: ille quoties ad verticem veniebat, toties relabebatur; hi cum se putant, verum attigisse, à culmine recidunt: nec tantum propriis rationibus proficiunt, quantum aduersariorum reiiciuntur. Turpe est iuuenibus, verum non inquirere: sed hoc peius senibus, omnia dubitare: atque hoc morbo plerumque laboramus, qui scholasticis studiis addicti sumus. Edmundus nullum otium sibi permittens, negotia suis temporibus aptauit; iuuenis didicit, vir veriora inquisiuit, discussit, senexque indubitata maturus docuit. Porro in prædicatione adeo excelluit, vt lingua illius videretur clauis audientium cordium.

5. Peruenit id ad aures Gregorij noni, cum recipiendis locis nostræ salutis religiose intentus, quæreret operarios, per quos Christi fideles aduersus detentores comitarentur. Nec mora: *Sanctitatis eius fama (inquiunt acta Edmundi)* [c] *etiam Alpes transgressa, cum summus Pontifex eum crucis amatorem esse didicisset, crucis prædicationem ei cum insigni priuilegio demandauit: permittens, vt ab Ecclesijs acciperet res necessarias; & eorum metere posset carnalia, quibus spiritualia seminabat.* Hoc illi munus iniunctum à Pontifice, iuxta præceptum Pauli vt quandiu operaretur, quæ necessaria sibi ad victum sumeret: *dignus est enim operarius mercede sua* [d]. Sed in hac parte, si ita fari licet, ecce plus quam Paulus hic. Nam *ea potestate (pergunt eadem acta)* [e] *illi concessa, vbi-nam voluit: sed gratis enunciauit Euangelium, suis stipendijs, more ab illis, qui militant, valde alieno militauit. Quamobrem etiam Deus in illa legationis functione, & itinere, multis eum miraculis cohonestauit.* Ergo Edmundo prædicante crucem aduersus infideles, & nihilominus nihil accipiente ab his, quibus prædicabat addidit voci eius Deus vocem virtutis, ipso cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis: quæ & ipsa referenda nobis actorum verbis [f].

c *Apud Surium cap. 25.*

d *Luc. 10.*

e *vbi supra.*

Cum verbum Crucis in Pago Lemestrensi prædicaret, iuuenis quidam, iuuenilibus irretitus oblectamentis, ab eius manibus crucem accipere cupiens ad eum accessit. Eum vero fœmina quædam à proposito reuocare volens, arrepto pallio retraxit, sed non impune. Mox enim contracta manus docuit eam, non sibi fas esse Christo militaturum à tam pia voluntate reuocare. Illa sentiens Diuinitus se percussam, flens, & eiulans, voces dabat miserabiles. Scisciante viro Sancto, quid id sibi vellet? dictum est, quid accidisset. Tum ille ad mulierem: visne, inquit, de manu mea Christi crucem accipere? Illa confestim sanata est. Qui viri recusarent crucem sumere, prædicante Edmundo, à quo vel fœminas cruce signabantur? aut quis auderet, à cœpto resilire, vbi sic puniebantur, qui retardabant? Rursus in Pago Stradeuicensi, illo crucem prædicante, cum iuuenis quidam crucem vellet accipere, amica eius retinuit eam. Sed eam repente cœlestis vindicta oculorum lumine priuauit: flenti vero, & ploranti vir Beatus pro ea orans lumen restituit. f *vbi supra. 6.*

Verum hæc in hominibus, nunc alia signa, quæ in cœlo etiam faciebat, ventis, & pluuiæ imperans, videamus [g]. *Cum VVigorniæ extra templum concionaretur, horrida nubes se repente diffudit, vehementer auditoribus imbres minitans. Sentiens vir Dei consternatos illos iam fugam meditari, signum crucis contra illas nubes expressit, ita dicens: Præcipio tibi maligne spiritus, vt procul hinc abscedas, nec hunc populum ausus sis impedire. Dixit, & expulsa mox atra caligine, nubes lucida obumbrauit eos, interim in circuitu cum magna tempestate multa pluuia cadente. Sæpe etiam alias diuersis temporibus pluuiam, & tempestatem ab eo loco quo concionabatur, auertit.* Non poterant non obedire homines, cui parebant vel Dæmones; cui elementa, cui aër, nubesque, cui cœlum etiam ipsum obtemperabant, 7. g *vbi supra.*

Sed audi maius aliud, quia diuturnius, & patentius miraculum, quod quia in materia crucis, qua insigniebat, quos milites armabat, patratum est, tum quia in cœnobio Cistercienſium virginum, & Cistercienſibus duabus. altera reuelante, altera vero habente reuelationem, pluribus titulis concernit nostros Annales. *Alio tempore, ait* [h], *concionaturus apud Boclandam, vbi Deo famulabantur Moniales institui Cistercienſis, priusquam eo aduenisset, defuncta Monialis cuidam viuenti Monachæ apparens, Magister Edmundus, inquit, huc venturus est, & ad populum conciones habiturus. Tu ei filum tali loco repositum offeras, vt ex eo crucet efficiat. Fecit illa, vt erat admonita; & cum multa inde confecta essent cruces, permulti signati sunt, nec tamen quicquam fere, de filo decessisse videbatur.* 8. h *ibidem.*

batur. Hactenus ibi. Certè Edmundus Ciſtercio deſtinatus, vt alia ſolus faceret; at quæ in Ciſtercio miracula patrabat, noluit patrare ſine Ciſtercienſibus: vt ex tunc iam conſortium cum Ciſtercio, atque eadem vtrorumque commertia præſignarentur.

His, & ſimilibus miraculis Edmundi, atque
9. aliis aliorum continuis prædicationibus, effectum eſt, vt ex omnibus Prouinciis Occidentalibus, ingens cruce ſignatorum turba confluereret, qualis hactenus nunquam viſa fuiſſet: ſed inter omnes Anglis præeminentibus, à voce tubæ Edmundi congregatis. *Adeo, vt ex ſolo Anglorum Regno, ait Abraham Bzouius* [i]. *ad hunc annum, ſexaginta amplius millia commouerentur.* Porro quò eos, authore Chriſto motos, vt antea per miracula oſtenderat, ſic etiam poſtea euidentius manifeſtaret, pergit idem author *eorum alacritatem, atque animorum ſtudium conſpicatus ex alto Chriſtus ipſe ſe in vigilia Beati Ioannis Baptiſtæ, è cœlo luce clariſſima, clauis, ac lancea perforatum, atque atro cruore perfuſum oſtendit, nihil aliud innuens, quàm ſe promptis eorum ſtudiis affuturum.* Hactenus ille; ſumptum ad verbum ex Carolo Sigonio [k], qui & ipſe ex Mathæo Paris [l] tranſcripſit. Sed nos de Sancto Edmundo, quia ſemel iam, vt de noſtro loqui cœpimus, vſque ad hoc tempus vitam ſeorſim dabimus. Nunc ad Lantgrauium Turingiæ, Ludouicum, & per eum ad illuſtrem illius coniugem, Sanctam Eliſabetham, quæ & ipſa tandem Ciſtercij habitum ſumpſit, ſi qua fides antiquis, obiterque ad totius iſtius expeditionis infœlicem euentum, tranſeamus.

i Num. 2.

k *lib.* 17.
l *Ad hunc annum.*

---

1. *Ludouicus Lantgrauius cruce ſignatus*, 2. *à coniuge auulſus, & ſtatim mortuus*, 3. *nec ſine multa veneni ſuſpicione.* 4 *Infœlix exitus totius expeditionis ante omnem congreſſum* 5. *& Diuinæ prouidentiæ abyſſus alte perpenſa.* 6. *Nunciata Eliſabethæ mariti mors:* 7. *atque ipſa domo pulſa cum ſuis liberis*, 8. *mendicare coacta:* 9. *atque ab alijs contempta, patienter ſuffert.*

CAPVT TERTIVM.

1. SIC VT Edmundus crucis prædicatores; ita inter cruce ſignatos, qui conuenere, Ludouicus Lantgrauius, Eliſabethæ coniux, primus fuit: zelo nimirum flagrans pro Chriſti gloria, nec propriam ſibi domum decere putans, quandiu Chriſti cunabula, & ſepulchrum, veluti alienata, ſub infidelium manu detinebantur. *Decretum (inquit Iacobus Montanus in vita Eliſabethæ)* [a] *prodiit ſummi Pontificis, ex eoque crux prædicari cœpit aduerſus Eccleſiæ hoſtes, qui Hieroſolymæ, & circumiacentium Regionum, ſacra tenebant loca. Quæ fama cum multos Chriſtiani nominis Principes, & Templorum Antiſtites, tum Turingiæ nobiliſſimum Principem, ad tranſmarinam profectionem excitauit. Qui ſuſceptam ab Epiſcopo Hildeſamentium crucem, non ſtatim veſti, vt moris eſt, aſſuit: ſed aliquandiu clam vxore ſeruauit, ne illam, priuſquam iter eſſet aggreſſurus, acerbitate præuij mœroris diuitius afficeret. Nec tamen latere diu potuit crux condita: caſu Eliſabetha, dum pro conſuetudine, marſupium coniugis euoluit, reperta. Quam exinde (quia rem vt erat, animaduerterat) animo conſternatam, pius Princeps, allegata periclitantis Eccleſiæ cauſa, blandiſſime conſolatus eſt.*

a *Apud ſuum cap.* 14.

2. *Iter tandem ingreſſo, Eliſabeth ſociam ſe dies aliquot præbuit: haud dubium quin amore, quo vnicè Principem diligebat incitata. Sed cum ad poſtremum vtrimque diſcedendum eſſet, Diuinæ charitatis inſtinctu, ad id etiam Rodolfo Pincerna, viro ſpectatæ fidei, adhortante, videre licuit, quanto lachrymarum imbre, quam lugubri vultu ſynceritatem mutui amoris vterque coniugum palam oſtenderet. Eliſabeth domum reuerſa, velut altera Iudith, depoſitis gloriæ veſtibus, ac viduitatis amictu aſſumpto, totam ſe Deo commendauit, eiuſque cultui addixit. Princeps vero poſt confectam proſpero ſucceſſu viam, ad Imperatorem Fridericum in Siciliam peruenit. A quo honorifice ſuſceptus, cum aliquot vrbes cum eodem perluſtraſſet, febribus repente laborare cœpit: quibus in dies magis exardeſcentibus, ad extrema vitæ perductus, cum à Patriarcha Hieroſolymitano, Euchariſtiæ, & Vnctionis Sacramenta Chriſtiano more ſuſcepiſſet, ad tertium Idus Septembris deceſſit. Vere pius Princeps, & dignus, qui non peregrè, ſed domi, diem ſupremum obire meruiſſet, niſi parum referret, vbi terrarum mortales naturæ concederent, qui mori ſemel habent.* Hactenus, de Ludouici diſceſſu, & morte, adeò immatura, dolendaque vxori, quæ illum ardentiſſimo charitatis amore proſequebatur.

3. Verum quo magis viduæ dolendum foret, & nulla pene acerbo mariti funeri circũſtãtia mœroris non adeſſet, non defuere, qui dicerẽt, Ludouicum non morte naturali, ſed violenta, Imperatoris Friderici fraude ſublatum eſſe. Ita in compilatione Chronologica: quæ inter ſcriptores Germaniæ ſine nomine authoris circunfertur. *Eodem anno (inquit)* [b] *id eſt, M. CC. XXVII. multa turbâ cruce ſignatorum congregata apud Brunduſium (corrige Brunduſium) qui pariter cum Friderico Imperatore in terrâ Sanctâ ſubſidium tranſfretarent, ſed dolo Friderici Imperatoris interueniente, illud paſſagium impeditum fuit: magnâ militia illâ Chriſtianorum, qui amplius quam ad L. X. millia æſtimabantur deſiderata fuit. Et Lantgrauius Turingiæ, Ludouicus, paratus corde, & corpore, cum omnibus ſuis tranſiit mare in ſubſidium terræ Sanctæ: ibique apud Otrantum, vt ferunt, veneno intoxicatus fœliciter obiit.* Hactenus ibi. Paulus Langius in Chronico Zitizenſi, Imperatorem à morte Ludouici turbatum tradit: ſed ſtatim ſubiungit [c]. *Cuius fraus eo eſt cognita, quod illico, mortuo Lantgrauio, omnem eius ſupellectilem diripuerit.* Certe hac infamia Fridericum reſperſum, Carolus etiam Sigonius [d], aliique, ex quibus Bzouius ſumpſit, teſtificantur. Quo magis ab authore [e], quam ab euentu; & de crimine magis, quàm viduitate, fœminæ verè Sanctæ dolendum foret.

b *An hunc annum.*

c *Hoc anno.*

d *De Rebus Italiæ lib.* 12.
e *Hoc anno num.* 4.

4. Cæterum, quia non ſolum Ludouicum, ſed & tot millia hominum diximus periiſſe in infœlici hac expeditione, quam per prædicationem, per miracula promouiſſet Edmundus, & cuius nos euentum propalaturos promittebamus; antequam hæc nunciemus Eliſabethæ, quid de reliquis factum, & qualiter ante congreſſum omnes ſublati ſunt, aut fœde retroceſſerint, videamus. *Ingentes copiæ (ait Hadrianus Mutius in ſuo chronico)* [f] *ad Brunduſium conuenerunt. Expectatus diu Fridericus Imperator, detinebatur enim morbo graui corporis: multi alias cauſas ſuſpicabantur eſſe: alius aliã fingebat. Dum autem illic moram facerent tantæ copiæ, aëris nouitate tentantur. Fortaſſe corruptus fuit aer ex fœtore qui conſequi ſolet magnos exercitus. Magna igitur multitudo moritur; etiam clariſſimi duces, ex quibus fuit & Turingiæ Lantgrauius. Potiſſimum enim Germani, aſſueti frigidiori cœlo, peribant, calidiorem enim aërem ferre nequibant. Item fontium potu frigidiſſimorum, viniſque abſteris domi vſi, illic nullam ſimilem fontanam aquam, vinoſiſſima, & calidiſſima vina tantum reperiebant.* Atque hæc quidem ante aduentum Imperatoris, acerba, & triſtia: poſt ipſum ignominioſa alia fuere. Nam pergit author. *Tandem magna pars exercitus prope æſtatem abrepta, menſe Auguſti venit Fridericus; nec moratus ob peſtilentem aërem, cum omni claſſe Brunduſio diſcedit, & Aſiam via recepta petit; ſed in medio curſu vertit claſſem & reuertitur non ſine ignominia. Palam enim iam omnes clamabant formidoloſum hominem, mollem, perperum; nunquam enim in animo habuiſſe proficiſci contra hoſtes fidei, imperio dedecus eſſe.* Hactenus ex chronico illo Mutij, quæ ſatis aduentus cognitionem.

[f] *vbi ſupra.*

5. Cæterum mihi conſideranti tot miracula ad commouendum orbem; tot iam commoti; Diuinæ voluntatis, adeo manifeſtas oſtenſiones, approbationeſque; atque omnia componenti cum his euentibus; niſi fides contrarium docuiſſet, exclamare liberet cum poëta [g]:

Ludit in humanis Diuina potentia rebus.

Aut cum Hebræis egreſſis de Ægypto in manu potenti, & brachio excelſo; ſed in deſerto afflictis in fame, in ſiti, in Diuinæ vindictæ cogitationibus [h]: *idcirco adduxit nos de Ægypto, vt occideret in ſolitudine.* Haud aliter Bernardi Parentis tempore, totus orbis commotus, miraculis voluntatem Dei pandentibus: ſed euentu contrarium proclamante; quippe irrito, vt nunc, etiam conatu; nequicquam aliud, quam ſtrages Chriſtianorum, & miſerandas cædes prælaturo. Nec fœlicior, quæ Henrico prædicante expeditio tentata, vt ſupra vidimus. Demum neque eam, quæ ſub ſancto Ludouico, paucos poſt annos cœpta, infra videbimus. Quæ de celebri illa ſub Bernardo multis ſunt reuelata, ibidem diximus: idem de aliis credimus: neque voluiſſe Deum perire corpora, niſi vt ex animis, ea morte defœcatis, vacuæ Angelorum ſedes inſtaurarentur. Illud compertum, ſalutis noſtræ loca ſemper à nobis cum pietate repeti, ſemper à Deo ſine iniuſtitia denegari. Sed de his ſatis. Redeo ad Eliſabetham, quam triſtis nuncius manet de morte viri.

g *Ouid lib. 4. de Pont.*

h *Ex 14. Nu. 21.*

6. *Nunciis, qui iam triſtem perferebant (ait Iacobus Montanus in vita Sanctæ)* [i] *Turingiam ingreſſis, prudenti amicorum conſilio prouiſum eſt, ne ab aliquo mortalium, præterquam à Sophia matre, Eliſabeth viri mortem audiret. Timebatur enim tenerum muliebri, ne forte ad præcipitem cuiuſpiam narrationem, animus eius grauiori vulnere ſauciaretur; vt ſunt omnia ſubita ad repentinam animorum mutationem efficacia. Sophia nihil morata, vbi agentem in arce inuenit Eliſabeth, poſt familiaria ſalutationis verba, ſic eam conuenit. Ne granatum accipias, ô filia, ſi quæ Principi filio meo acciderint, tibi declarauero. Quibus Eliſabeth auditis, captum eſſe ſuſpicata, reſpondit: ſi captus, atque in vincula coniectus eſt frater meus, quam primum per Dei gratiam, & amicorum magnificentiam liberabitur. Tum Sophia; diem, inquit, ſuum obiit. Percuſſa mox graui mœſtitudine ad tam infauſtæ rei nuncium Eliſabeth, conſertis inuicem manibus, amariſſime flere cœpit; dicens: ſi mortem frater meus obiit; & mihi quoque poſthac mundo eiuſque vanitatibus defunctæ, morietur mundus ipſe. Videre tunc erat, vt dolorem de morte Principis conceptum, augeret deſolatio illuſtris viduæ cunctiſque impræſentiarum conſiſtentibus, lachrymas exciret vberrimas.* Hactenus Iacobus Montanus in Sanctæ vita.

i *Apud Surium vbi ſupra.*

7. Agebat Eliſabetha annum vigeſimum, cum chariſſimo ſibi viro orbata, viduitatis ſuæ damna ſentire cœpit: tribus tamen ab eo ſuſceptis liberis, qui patrem referrent, & inter eius memoriam, & deſiderium matris, lachrymas dum cierent, conſolarentur. Sed ô humanarum rerum inconſtantiam, fallaciamque! qui aliis viduis aſylum eſſe ſolent, Eliſabethæ in dolorem conuerſi ſunt; nec minus vulnerarunt teneram mentem relicti filij, quàm ſublatus vir: hic, quod amiſſus inueniri vltra non poſſet; illi, quod orphani pene antequàm nati, exhæredati ſimul, atque hæredes, & mendicare cum matre compulſi ſunt in ſuo ipſorum Dominio; vix inter pauperes alios admittendi. Qui olim Aulici Matrimonium diſſuaſerunt Ludouico Lantgrauio, in ſancta virgine abhorrentes mores, moribus ſuis diſſimiles; eoſdemque in nupta ſexennio paſſi, ſub onere virtutis agonizabant: cum primum excutiendi graue iugum, ſibique intolerandum, aut viam, aut præcipitium inuenere, omni effuſo pudore conati ſunt, vt filiis excluſis, Henricus, Ludouici frater, ipſius Dominio ſubrogaretur. Idque adeo impatienter, vt primo matrem, mox etiam liberos à propria domo expellerent, neque eſſent, qui auderent eos excipere præ timore Aulicorum, qui ſanctam fœminam perſequebantur. Nam audi quod ſequitur [k].

k *cap. 15. 8.*

Paruo poſt tempore Magnates quidam, qui Henrico, defuncti Principis fratri, per ætatem ad regendum Principatum nondum idoneo, authores erant, poſthabito Dei timore, ac publica honeſtate contempta, afflictam Dei famulam grauius afflicturi, fortunis omnibus exutam, ſeu ignobilem aliquam arce coegerunt excedere. Et paulo inferius. *Cum autem propter ſæuitiam illorum, qui arci præſidebant, vix vnus, aut alter reiectam recipere auderet, hoſpicio, fanum ingreſſa deſolata mulier, magnam inibi partem diei conſumpſit. Quo cum & liberi eius nouo inhumanitatis genere ex arce fuiſſent allati, pari cum matre infortunio conſtringendi, credi poteſt, dolori additum eſſe dolorem acceſſione grauiſſima; tum quod hyems erat, tum quod ipſa & domicilij, & rerum omnium inops, ne tantillum quidem habebat, quo ſe, ancillas, liberoſque vel vnum diem ſuſtentaret. Neceſſitate ergo, quæ legem non habet, coacta, Sacerdotis cuiuſdam hoſpitium precario, aut mendicabulo potius conſequitur.*

Vbi

Vbi cum non tantum incommode, sed & misere degeret, in æmuli cuiusdam sui ædes, quæ pro spatio commodiores videbantur, iussa immigrauit. Sed neque ibi agenti potuit vlla vel commoditas, vel quies contingere, quando & hanc domesticorum petulans ad inferendas iniurias libido perturbaret & illa denegatum iussæ mansionis spatium interciperet. Hactenus Montanus. Diuus Bonauentura eò miseriæ peruenisse ait, vt in area porcorum pernoctauerit. [1] *Cum esset filia Regis, expulsa fuit à dotalitio sponsi, post mortem eius compulsa in paupertate manere, & in area porcorum pernoctare.* Ita sanctissimus Doctor Bonauentura.

1 Serm. de eadem S. Elisabetha.

2. Elisabethæ oppressionem, & abiectionem, sub initiis suæ viduitatis, repulsæque, non mediocriter declarat euentus ille, quem Montanus refert, obiter conditionis humanæ mores, ingratitudinem, & nullius æqui, bonive respectum sed solius vtilis, nobis proponens. [m] *Anus quædam erat, cui Elisabeth languore pariter, & inopia pressæ multa pietatis beneficia præstiterat. Forte his duabus, è diuerso obuiam sibi medio itinere factis qua transituris munita erat extantibus via silicibus, ob profundioris cæni volutabrum, anicula cedere, benefactrici suæ dedignata, eam rigido, proteruoque impactam occursu, in cæcum deturbat iacentemque risu, & conuiciis incessens abit. Elisabeth perlitis plurimo luto vestibus, adeo miti animo illatam tulit iniuriam, vt exundante lætioris conscientiæ gaudio, vultum serenitate perfusa, subriserit.* Hæc ad hunc annum turbida, & aduersa. Cætetum qualiter sedata hac tempestate, fœminæ sanctæ tranquillus dies illuxerit, & cum susceptis Ludouici Lantgrauij ossibus, cuncta simul receperit; mox vt receperit, pro Christo dimittenda; anno sequenti, quo eueniisse constat, fideliter ex more reddendum erit. Nunc quæ promisimus Edmundi vitam, & acta vsque ad hoc tempus, quia pluries nobis referendus est, ante assumptum Cistercium proferamus.

m Apud Surium vbi supra.

---

1. *Sancti Edmundi parentes, patria Natiuitas.* 2. *Ratio nominis, & sub matre sancta educatio.* 3. *Quos Oxoniæ à Virgine,* 4. *& à Christo,* 5. *fauores susceperit?* 6. *Et quas item de Cælo castigationes?* 7. *Parisiis pro castitate acriter pugnat,* 8. *& carnem suam debellat* 9. *intus, & extra.*

CAPVT QVARTVM.

1. PATER illi Eduardus, mater Mabilia, bonis siue naturæ, siue fortunæ mediocriter pollentes, virtutibus vltra mediocritatem illustrabantur. Ingrediens mundum, qua erat decorandus, puritatem, & mortificationem præ se tulit, hanc dum per totam diem mansit exanimis, adeo vt sepulturæ eum mandassent, nisi mater obstitisset. *Quod forte, ait, Arspheldius,* [a] *præsagium fuit, quod mundo ab ipsa infantia moreretur:* Illam, dum *præter communem nascentum morem (ait Laurentius Surius)* [b] *ita mundus è maternis visceribus eius singulari beneficio prodiit, vt mundissimus pannus, cui inuolutus fuit, nullam prorsus maculam ab eo contraxisse videretur, ita vt obstetrices rei nouitate perculsæ non immerito, magna admiratione afficerentur.* Hæc in Edmundi natali duo prodigia, iam magnum aliquid, admirandumque præsagiebant de ipso, vt merito, quod de Ioanne Baptista proclamaretur. [c] *Quis putas puer iste erit?* Etenim manum Domini cum illo esse, per ea, quæ in ipso viderant, demonstrabatur.

a Sæculo 13. cap. 7.

b Cap. 1. Nouemb. 16.

c Luca. 1.

2. Baptizatus, Edmundus dictus est; neque in ratione assumpti nominis concordantes Authores inter se video: quos sequitur Arsfeldius, id factum putant *quod in die Edmundo Regi, & Martyri, dicato, in mundum emerserit:* quos verò Surius, [d] duas alias tradunt, alteram à munditia, quam præ se tulit; alteram, quod cum Mabilia mater puerum adhuc in vtero gestaret, ad Beati Edmundi Martyris monumentum orans, illic primum vitalem in eo spiritum deprehendisset. Vcumque fuerit, baptizatus simul cum lacte à parentibus sanctis, pietatem, & ipse à Deo gratiam haurire visus est, supra ætatem adultus honestis moribus. Et quidem parentes ait Arsfeldius. [e] *In ipsa coniugij specie, Monasticam plane, Religiosamque vitam æmulati sunt. Quam & pater assentiente vxore, in Monasterio Euehamensi amplexus postea est. Mater, licet Abingdoniæ resederit domi exactissimam quandam viuendi rationem ingressa est, nocturnasque in Monasterio vigilias sedulo seruauit. Carnemque non solum cilicio, sed lorica ferrea castigauit. Miramque quandam, pene quæ incredibilem viuendi sanctitatem in filium puerulum transfudit. Qui in tantilla ætate teneros artus cilicio pressit, singulasque sextas feras in aqua, & pane transegit, Dominicis, & Festis diebus nihil gustauit, antequam totum Psalterium percurrisset. Adeo ille non prius dicere, quam facere, sed etiam facere, antequam adhuc didicisset, visus est.* Hæc æducatio domestica Edmundi quandiu intra proprios.

Seculo 3. c. 7.

d cap. 1. Nouemb. 26.

e vbi supra.

3. Ast, vbi eos per ætatem egredi licuit [f] *ad scholas deinde, Academiam que Oxonien sem transmissus, cum insigni omnium virtutum profectu, in litteris etiam insigniter supra æquales suos profecit. Celebre illud de eo commemoratur, quod cum adhuc Oxoniæ grãmaticæ operam daret, & in tantilla ætate firmo animi proposito constituisset apud se, pudicitiam suam integram, & illibatam; adhibitum vsque conseruare, se Beatæ Mariæ Virgini solicitis precibus totum commendarit; eamque ad prosperum, & fœlicem sui propositi, totiusque vitæ cursum conficiendum non modo inuocarit, sed nouo stratagemate, eam sibi, immisso in digitum imaginis Virginis annulo, cui inscriptum erat:* Aue Maria; *quasi desponsarit. Exacte certe constat eum castitatem per omnem postea vitam conseruasse; & (quod ipse cum obiret fatebatur) præsentem illam, & admirabilem Virginis opem, in summis rerum suarum difficultatibus, & angustiis, sæpe expertum. Quid? quod in eo annulo, qui vt moris est, cum Pontifice humatus erat, eadem vxor insculpta, omnibus admirantibus, reperta est.* Hoc cum Virgine matre illi commercium, à tenera ætate; à qua vt habent authores, ex quibus Surius, [g] *Quoties ipsius implorauit opem, illa in tentatione exitum, in persequutione solatium, in*

f *Idem Arsfeld vbi sup.*

g vbi supra.

afflictione remedium, in dolore gaudium ei celeriter impetrauit. Neque minor illi cum Christo familiaritas, nam audi quod sequitur.

4. h *cap.* 3. *Eunti aliquando (ait Surius)* [h] *apud Oxoniam per pratum quoddam deambulandi causa sodalibus, vt id faceret, eum inuitantibus, cum se celerius ab illis subduxisset, ne conscientiæ puritatem, vel nugis puerilibus, vel otiosis sermonibus contaminaret: puer Iesus illi apparuit, candidus, & rubicundus, qualem eum Sponsa describit in Canticis; & tanquam à summo Cæli vertice repente in terram delapsus, sic eum prior appellauit: salue dilecte mi: ille id audiens, vocem ignoti pueri admiratus est. Cernens suauissimus puer Iesus pauefactum illum, & hæsitabundum, rursus illum compellat: sciscitatur, num, vel tenuem sui habeat notionem. Respondet ille columbina simplicitate: neque ego vllam habeo tui notitiam, neque me puto tibi esse notum. Tum puer Iesus: Et quinam, inquit, fieri potest, vt tam ego tibi ignotus sim, cum in scholis ad latus tibi assideam, & vbicumque sis comes semper individuus tibi præsto adsim? subiunxitque: Respice in faciem meam, & vide, quid illic scriptum sit. Respexit ille, & vidit cœlestibus exaratum litteris,* Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. *Quod cum puero Iesu indicasset, ille ocyus respondit: Hoc est nomen meum, quod tu debes affigere animo tuo, eiusque ardere desiderio semperque noctibus accurate imprimere fronti tuæ, quod tibi magno præsidio erit aduersus mortem repentinam: sed & aliis quoque, qui illud ita fronti suæ scripserint. His dictis omni melle dulcior puer ille, in quem desiderant Angeli prospicere ab eius oculis disparuit, sed non parum suauitatis in eius pectore reliquit.* Hæc apud Surium. Nec dubium quin egregius adolescens fronti simul, & menti nomen impresserit, quo sciret, se à periculis seruandum.

5. m *Sæculo* 13. *cap.* 7. Verum quam efficax illud expertus fuerit, & quàm arctam Diuinam promissionem conuincit, quod Nicolaus Arsfeldius narrat[m] sub idem tempus illi contigisse. *Cum post sacrificium in scholis cum aliis condiscipulis ad lectionem excipiendam attente auscultaret tantum repente lopy reddendi eum incessit desiderium, vt quantumuis inuitus egredi cogeretur. Quo vix egresso, lapis ex loco superiore cadens, locum, quem reliquerat, occupat, vt omnibus constaret, Diuinitus illum periculo exemptum.* Hæc, & similia egregium adolescentem non solum in virtute confirmabant, quam hausisset ex matre, sed promouebant; adeo, vt eidem matri visus sit, corona ornatus spinea, quæ vehementer accensa, rutilansque flammas, sydera ad vsque volitantes, & Cælos penetrantes, eructaret.

6. n *Arsfeldius vbi supra.* At non Edmundus tantum per fauores, sed etiam per flagella, si quando deuiabat, seu subsidebat in semita perfectionis, dirigebatur. [n] *Circa primum illius in re Grammatica, & Dialectica, tyrocinij tempus accidit, vt cum Sacro sancto sacrificio Oxoniæ interesset, & vt fit in lubrica præsertim illa ætate, magis cantuum dulcedini, quam attentis precibus animum intenderet, & post sacrosanctæ Eucharistiæ de more ostensionem, mox cum quibusdam suis æqualibus egrederetur, alapa, cœlesti quadam manu, grauiter maxillæ illius impacta sit, & vox quædam aures illius circunsonaret, quæ reuerti iuberet, iamque primum sacrosancta Missæ mysteria inchoata diceret.* Sic puerum ingenuum, quem diligebat, corripiebat omnipotens, & quasi pater complacebat sibi in filio, quem frequenter fouebat, sed raro, nonnunquam castigabat.

7. Crescebant cum ætate virtutes viri, crescebat doctrina, in qua, cum alios Oxoniæ breui æquaret, & vinceret; transfretauit Parisios, vbi, vt in celebriori Academia, illustriores Magistri humanas, & Diuinas litteras profitebantur; ibi maiorem pudicitiæ curam frequentiora pericula, & robustior ætas asperiora remedia postularunt. Hospitæ filiam, qui ipsum impudice solicitabat, per flagella compescui; sibit (nam ex se ipso maior metus) duriores adhuc, seuerioresque leges imposuit. [o] *Postquam adolescentiæ annis excessit, adolescente cum ætate corporis robore, creuit etiam inuisibilis militiæ pugna. Quamobrem non contentus ille communibus ciliciis, quibus mater eum à teneris annis vti voluit, nouum cilicij genus effinxit, quo carnem suam, non tam domare, quàm excruciare studuit: quod genus, & priscis incognitum, & recentioribus incompertum puto. Habebat cilicium, non ex tenuibus pilis, vt assolet, sed ex chordulis quibusdam instar retis multa densitate interse consertis, & intricatis confectum, cui multi inerant noduli, humanæ carni prope intolerabiles. Anteriori parte patebat funiculus à capitis vsque ad fimbrias, hinc, inde assutis, cõstrictum: quare fiebat, vt eius noduli corpori arctius apprimerentur, & maiores ei cruciatus afferrent.* o Surius c. 9.

8. *Nec tamen hoc tormenti genere ille contentus, aliud addidit, maiori etiam admiratione dignius. Vt enim ex perpetua cilicij eius compunctione corpus doleret acrius, funem ex equorum pilis triplicato ita illud constrinxit, vt à scapulis, vsque ad renes crebro ambitu funis duceretur, & infima parte tanta vi adstringeretur, vt vix corpus inflectere, aut inflexum erigere posset. Et quia interdiu manus, & collum, ne homines aduerterent, ea ratione affligere non potuit, noctibus cilicio ea affligebat. Addebat vero etiam fœmoralia cilicina, & caligas æque cilicinas, quibus assidue vtebatur, cum Lorica illa, quam mater ei reliquerat, duplicia de manu Domini recepturus pro duplici Martyrio, quo se ipse vltro affecit. Porro in Aduentu, & Quinquagesima, plumbeam quandam vestem induit, & durum corium, atque nodosum, & ad dolores corporis augmentandos, pluribus locis corpus suum funibus constrinxit, ne anima eius peccatorum funibus constringeretur.*

9. *His velut machinis carnem suam debellaturus, adiecit inediam, vt ab extrinseco per macerationem, ab intrinseco per defectum virium extenuaretur.* [p] *Solo pane, & aqua sextis feriis contentus fuit, interdum solum panem edens, nullum omnino potum admisit. Vnde id consequutum est, vt nonnunquam labia eius scissa viderentur, vt solet arida tela humorem sitiens. Defluebant à capite, & barba pili, medicis eius causam dicentibus, quod corpus eius humoribus destitutum esset.* Et infra. *Clarissime bis in die edebat, idque nonnisi honesta ratione persuadente. Denique tantum ille sibi abstinentiæ rigorem indixerat, vt plerique è suis putarent eum, vel mente captum, vel vita priuatum iri.* Hactenus ex Surio. Similia de vigiliis, aliisque, quæ carnem, quantumcunque rebellem, domare possent. Sed iam quæ reliqua gessit vsque ad hunc annum, subleuando fastidio, sequenti capite ex more prosequemur. p Surius cap. 24.

1. *Edmundus liberales artes discit, & docet* 2. *Ad Theologiam à matre monitus transit* 3. *in qua mire illustratus, eximie proficit:* 4. *nec sine miraculis, quæ pietatem altius radicarent.* 5. *Morienti matri assistit;* 6. *Sororum de mandato illius curam suscipit:* 7. *à Symoniæ labe sibi timet:* 8. *& tandem eas in Monasterio locat non sine præcedenti reuelatione.* 9. *Charitas eius illustrata nouis miraculis.*

CAPVT QVINTVM.

1. EDMVNDVM litteris Lutetiæ operam dantem, in Artibus, quas vocant liberales Magisterij primum mox in Theologia Doctoratus apex ornauit. Sex illi professioni annos impendit, huic vitæ reliquos. Sexennio primo [a] *præter aliorum consuetudinem, qui easdem Artes publice legebant, vel profitebantur Missa sacrum audire, & preces canonicas quotidie legere consueuit: qua religiosa consuetudo etiam discipulis ei profuit, quibus persuasit, vt cum ipso Missa sacrificio interessent. Vt vero commodius, & liberius id efficere posset in parœcia, in qua degebat, sacellum construendum curauit in honorem sanctissimæ Virginis Mariæ, quam semper amore singulari coluit, & prosequutus est.* Sic apud Surium: in quo & alia pietatis eius indicia commemorantur, quæ hoc tempus concernunt, nec vacat modo per singula discurrere. Certe de illius in his Artibus progressu hæc idem author.[b] *Acute cognoscendis, & perspiciendis rerum causis, sic animum adhibebat suum, in eoque tam feruens, & assiduus fuit, vt breui admirabiles in doctrina progressiones haberet, & non studiosis modo, sed etiam Magistris, & Præceptoribus miraculi instar esset.* Cæterum qualiter magisterio Artium relicto, ad discendam, docendamque Theologiam pertransierit, & quàm se strenuum in ea professione discentem, & Doctorem, non solum verbo, sed opere exhibuerit, idem, qui supra, author his narrat verbis.[c]

[a] Surius cap. 10.

[b] cap. 11.

[c] cap. 11. ibidem

2. *Iam sex annis liberalium artium professorem egerat haud vulgarem, cumque sociis suis præ legeret Geometriam, mater ei in somnis apparuit; perquisiuit, quid legeret, & quid sibi vellent figuræ, quibus adeo intentus esset. Ille vbi respondit, quod visum fuit, mater apprehensa manu eius, tres in ea circulos pinxit, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ordine eos appellans: addiditque: hisce deinceps figuris, fili mi, intentus esto, omissis istis, quibus te occupas. Tum ille matris vocem intelligens, mox ad Theologiæ studium se transtulit.* Et paulo inferius. *Postquàm autem Theologiæ animum appulit, non sat habuit mane sacrificio interfuisse, sed in augmentum pietatis, & Religionis, in æde Sancti Mederici, nocturnis aderat Vigiliis post matutinas, siue nocturnas preces in oratione cum lachrymis, & gemitibus coram altari sanctæ Mariæ persistebat, ac deinde nulla quiete corpori data, cum aliis ad scholas accedebat. Vespertinis etiam precibus se præsentem exhibebat. In ædibus sacris reuerenter, & pie se gessit, & vel nunquam, vel rarissime illic assidere voluit.* Et tandem in eiusdem capitis fine. *Tanta autem auiditate sacras complectebatur litteras, vt in earum studio, pene insomnes duceret noctes. Studiis intentus coram se habebat imaginem eburneam Beatæ Mariæ, in cuius circuitu depictum erat nostræ Redemptionis mysterium. Itaque in codice feruebat lectio ad imaginem, vel eam potius, quam illa repræsentabat, preces dirigebantur: Vtrinque vero eius animo influebat contemplationis dulcedo, & extasis. Quoties Biblia sacra aperiebat, honoris causa reuerenter ea exosculabatur.* Ita dum didicit, sed pergit idem author.[d]

Breui autem mire in Theologiæ studio profecit, ita vt intra annos paucos, multis magna contentione hortantibus, Doctoris titulo ornatus sit: sed id sane inuitus, quod illo honore se indignum arbitraretur. At vero iam promotus in Doctorem, adeo cunctis prodesse studuit, ac si omnibus iuuandis natus esset. Erat profecto concionator egregius, disputator acutissimus &c. Pergit ad ea, quæ supra nos retulimus, & ad discipulos præmissos ad Cistercium, quos ipse tandem foret sequuturus. Et tandem de Doctrina eius subiungit.[e] *Disputaturus aliquando de sacro sancta Trinitate ascendit in Cathedram. Cumque illic sedens discipulos expectaret, & quid dicturus esset animo pertractaret, somno oppressus vidit columbam superne aduolantem, oreque suo ferentem mirificum Christi Corpus, & ipsius ori inferentem, moxque ad superna reuolantem. Expergefactus, de Beatissima Trinitate tam præclare, sublimiter, & luculenter disseruit, vt humani ingenij modum prope excessisse videretur.* Hactenus ibi; ita quod proprio discursu comparabat, cœlesti illustratione superueniente, in excellentius lumen, superiusque, atque ordinis altioris promouebatur.

[d] cap. 12. 3.

[e] vbi supra

Sicut autem per has illustrationes doctrina viri; ita & virtutes crescebant ex miraculis, atque in eis altius radicabatur. *Accidit, ait idem Author: nocte quadam, vt Biblia lectitanti ad lucernam, somnus vigiliis defatigato obreperet importunus: cui cum resistere non posset, obdormiuit, & interim candela in codicem decidit, diuque illi inhærens ardere non destitit. Euigilans inde vir sanctus, vt vidit periculum obstupuit: existimansque Biblia, sibi charissima, adusta, ingemuit. Sed cum ablata candela fauillam flatu suo abegisset, non sine magna animi exultatione, codicem prorsus illæsum comperit. Alio quoque tempore lucernam lectitanti somnus extorsit, vt ipsi cederet vel inuitus. Tum Veromus ingressus lumen extinxit. Expergefactus postea vir Dei, videt se lumine destitutum: gemebundus appellat nomen dulcissimum sanctissimæ Matris Dei, moxque gratulabundus cernit, sibi lumen cœlitus restitutum.* Ista nunc satis, quæ studia ipsa concernunt, nam alia, aut omittenda præ multitudine, aut suis quæque locis dicenda erunt. 4.

[f] cap. 16.

Inter hæc, & vt constat ex historia, intra primum sexennium, antequam Edmundus Theologiam profiteretur *accidit, ait vnus ex authoribus,* [g] *vt mater eius à corpore migratura, eum* 5.

[g] Surij c. 2.

ad

ad se [acciret. Ad quam ille venit, extremam eius benedictionem percepturus. Qua cum illa eum amantissime impertiisset rogabat Edmundus, vt absentes quoque liberos suos, ea benedictione afficeret: At illa, Noueris, inquit fili mi, omnes fratres tuos in te benedictionem percipere, quippe qui per te tuæ erunt virtutis, & gratiæ participes. Non enim latuit matrem, quis, quantusque futurus esset, cum id indiciis quibusdam, iam ante designatum esset. Viderat enim ipsa nocte quadam in somnis coronam spineam ferentem illum in capite suo, quæ vehementer accensa flammas ad sidera vibrabat.

6. Reliquit Mabilia cum ex hac vita migrauit præter Edmundum, qui natu maior erat, Robertum fratrem, duasque sorores, quarum nomina ad nos non peruenere; sed de Roberto Edmundo minor cura, quia egregiæ iuuenis indolis, inter matris virtutes educatus, minoribus periculis patebat. Sororum eum efficacius solicitabat: non quia minus maternarum virtutum imitatrices, sed quia teneræ ætate, & aspectu decoræ: nec dubitabat formæ vel in viris, nedum in fœminis, nisi in summa custodia ægre cum pudicitia conuenire. Virum, quem nulla fœmina rogauit, Virginem permanere, magnum est (& est robustior ad virtutes animus viris) quanto magis puellas delicatas & fragiles ex sexu, quas repetita obsequia, preces, munera ad audiendum impellunt: & vt semel auditos verbis repellant, quod vel amantes faciunt: at se amari pro beneficio accepto repulisse, pro offensa illata ducunt: quam si amatores sustineant & perseuerent, debitrices se putant; & dum admittere incipiunt, non vt ament, sed vt de ipsa repulsa satisfaciant, nec se viros, aut munera spernere, sed velle castitatem seruare dicant; & viros amant, & castitatem spernunt, & ipsæ ab his alloquiis, velut stipula ab ignis contubernio periclitantur.

Huius periculi conscius vir Beatus, tum à
7. matre admonitus, nihil altius menti suæ infixum habuit, quam Virgines Sorores inter Virgines sanctas, inter quas Deo famularentur, quanto citius posset collocare. Verum quod ab eo actum in hoc negotio, seu magis à Deo, cum ipse propter Deum vix quid auderet, ex ipsis
h Surius c. 7. Actis præstat, vt transcribamus. [h] *Admonuerat eum mater, vt sororum pudicitiæ consuleret: quæ cum essent speciosæ admodum, multis periculis expositæ videbantur: quanquam maternis, & sermonibus, & exemplis confirmatæ, cæteris fortiores erant. De his in quodam Virginum Monasterio collocandis agere volebat Edmundus, cum eius Monasterij sororibus. Sed illæ negabant, nisi certa numerata pecunia, se illas in suum consortium admissuras. Ille veritus hoc ad labem symoniacam pertinere, recessit ab eis: & cum aliud nihil supperetet, ad Deum deprecandum se contulit, sorores hortans, vt idem ipsæ quoque facerent.*

Oratum est igitur, nec despexit altissimus humi-
8. *lium preces. Innotuit enim Edmundo, in quodam pauperi Monasterio fœminarum Monasticam Religionem egregie florere, & arctissime conseruari. Illic ergo Edmundus sorores suas degere peroptans, cum loci Præfecta, siue Priorissa de ea re colloqui voluit. Sed ea licet ei ignotus esset, illius sermonem anteuertit, suoque eum nomine appellans: De sororibus tuis, inquit, Edmunde, non est, quod mihi quicquam indices. Ego enim, Domino reuelante, iam scio quid velis. Si illæ ad nos venerint, repulsam apud nos haud quaquam patientur. His verbis mirifice exhilaratus Edmundus, totum curarum pondus, quod à sororibus ei incubuerat, in Priorissæ manus deposuit, sorores suas illi commendans: atque ita domesticis absolutus curis, Parisios rediit, liberalium disciplinarum cursum confecturus.* Hactenus ibi.

Supersunt adhuc charitatis eius in omnes,
9. sed maxime in discipulos, quos vt filios habebat, fouebatque, argumenta non leuia, quæ per miracula nonnunquam confirmata, debitum sibi locum occupabunt. [i] *Accidit, vt quidam ex auditoribus eius, & morbo, & egestate premeretur, nec*
i Surius cap. 10. *quenquam haberet, qui opem ferret illam. Eum iam lecto decumbentem iussit in Hospitium suum inferri: vbi sane rara quadam humanitate, & beneuolentia quinque hebdomadibus coram illo cubauit, eique in his, quæ eius poscebat necessitas, sedulo ministrauit: interim nihilominus & prælegens, & disputans assiduè. Non vacauit autem magno miraculo; quod cum ex ægroti illius manu, ob imbecillitatem, non raro vrinale excideret, semper munsit integrum, illius haud dubio meritis, qui ei propter Deum humanitatis officia præsentabat. Alius quidam eius Discipulus è brachio diriter laborans ei indicauit, tanquam sancto. At ille ex commiseratione familiariter ait ad eum. Sanet te Christus gratia sua. Postridie redit ille, & se recte valere affirmat. Imuasit autem morbus eius in brachium Edmundi, quem comiter ferens, paulo post etiam ipse curatus est.* Hæc præcipua Edmundi vsque ad hoc tempus, quo septem illos discipulos præmissis adaucturis Cistercium, de quibus supra, per præbendas Ecclesiæ Sarisberiensis, prædicationemque ad Archiepiscopatum Cantuariensem; mox per eundem Cistercio & ipse tandem præparabatur. Reliqua quæ Archiepiscopo euenere, & quæ eius aduentum, nostris fælicem, consummationemque in Pontigniaco, suis temporibus, lociſque reddemus.

---

1. *Beata Ibeta ad mortem tandem ægrotat,* 2. *pro filiabus solicita:* 3. *Florefiensem, & Aureæuallensem Abbates præsentes optat.* 4. *Florefiensi confessionem vltimam facit.* 5. *Diem, & horam suæ mortis prædicit.* 6. *Sacramentis munitur,* 7. *& Reginæ Angelorum animam tradit,* 8. *refusa ex ipsa in corpus illustri gloria.* 9. *Correctus Henriquez de anno, & die mortis.* 10. *Et ætas sanctæ exacte distributa.*

CAPVT SEXTVM.

1. SEquitur Beatæ Ibetæ glorioſa mors iuxta id, quod ante annum cœlitus illustrata, ipsa prædixerat. Sequitur, inquam, vt Edmundo cedat, aliàs tempore prior, quippe quæ incidit ad initium præsentis anni, hoc est tertia decima die mensis Ianuarij, vt ex infrà dicendis palam fiet. Igitur cum ante annum præsciuisset fælicis suæ consummationis tempus, atque id iam instare sub finem præcedentis non dubitaret, *Cœpit anxiari, ait author vitæ ipsius,* [a] *& esse magis solicita*
a cap. 54. *de*

de filiabus suis, quas Christo lucri fecerat quasque in tempus istud in disciplina Domini benignissimè enutrierat: crebrius quoque eas conuocans ad se & semper ad meliora exhortans instruebat. In tantum siquidem tenera in dilectione earum facta est, quia non diu se cum eis præsciebat esse mansuram, quod aliquantulum etiam orationibus, & psalmis parcere dicebatur, vt frequentius eis colloqueretur, & plenius disciplina instrueret Christi. Nunc priuatim, nunc publice, nunc particulariter singulas, nunc simul omnes castigans, admonens, & confortans exhortabatur, vt nihil eis in virtutum consummatione deesset, scirent quomodo post eius transitum conuersari deberent, ac in amore Christi perseuerare iugiter.

Sic se habente cum filiabus matre, magistra cum discipulis, appropinquabat tanto magis, quanto expectata diutius gloriosa Christi Natiuitas, cuius vltimo festiuitatis die, ideſt, die octauarum sanctæ Epiphaniæ Domini ex hac luce migrare debebat. Cumque transissent in orbem dies aliqui festiuitatis eiusdem, ecce media nocte sanctæ apparitionis Domini cum ad confitendum Domino surgere vellet, sicut consueuerat, violenta correpta febri, viribus corporis cœpit omnino destitui. Ad sonitum ergo, & vocem se plangentis exurgens socia ipsius, quæ erat in domo, accurrit, sed nolens sancta anima, ea noctis hora, propter se tumultum excitari aliquem in domo propter quiescentes, ac si modicum pateretur frigus (nam hyems erat) operiri se paululum rogat, denique sociam redire pausatum. Sed molestia febris sumente incrementũ, in dies it rumor per vicinias, adesse resolutionis eius diem: fit planctus, & dolor vniuersis, qui eam nouerant, querebanturque singuli amittere tanquam proprium, quod omnibus damnum extabat commune. Hæc initia morbi; desperatoris ex luetæ prædictione, quàm ex synthomatibus, quamuis, & hæc non leuia, & mortem minitantia imminentem indicarentur.

Quos præ aliis adesse sibi optauit, Florefiensem Abbatem, & Aureæ-vallis, hunc tanquam filium eius secundum carnem, patrem secundum spiritum, quippe ab olim inclusa, viuensque sub obedientia Abbatis Aureæ-vallis illum vt consiliarium sibi filium, & cui non semel, maxime ex quo filius in Abbatem Aureæ-vallis promotus fuit, peccata sua, ex illius licentia confitebatur. Et Florefiensem quidem, vt vltimam confessionem eius exciperet, Aureæ vallensem, vt data, acceptaque benedictione, materna in morte consilia illi suggereret, & inter alia (incertum quam ob causam?) vt præfectura Aureæ-vallis se abdicaret. Siue ea mens sanctissimæ mulieris, vt generaliter ab omnibus sentiret dignitates fugiendas, siue Diuinitus illustrata nouit; id specialiter filio conuenire. Multis aliorum cura in magnam gloriam, multis in damnationem, & præter Deum, qui scrutatur corda, vix est, qui scire valeat, an respuere expediat, an acceptare. Id vnum cunctis compertum esse debet: quod non licet ambire: reliqua dubia, aut ex propria conscientia discernenda, nisi adsit Diuina reuelatio, quæ nescit decipi, decipere non valet: & credendum luetam, non sine illa hanc filio mentem infundere voluisse. Vtcunque fuerit, quàm non fraudata sit à desiderio suo, etiam in quo fraudata (neque enim filium videre in carne potuit) quæ sequuntur, excepta ex eius actis, facile declarabunt. Sic ergo habent.

Interim ea optante plurimum præsentiam Domini Ioannis Florefiensis Ecclesiæ Abbatis, vt loqui ei posset, antequam decederet, nec in tam illo voluit eam Dominus fraudare à desiderio suo. Qui cum eo tempore in multis Ecclesiæ suæ negotiis occupatus, in partibus esset remotis valde, ita vt neque vbi inueniri posset, sciri à quoquam posset, venit tamen opportuno satis tempore ad partes illas forte fortuito tunc iter faciens, & penitus eorum, quæ gerebantur, ignarus. Audiens vero eam infirmari, quæ multum dilexerat illum in vita sua, qui & ipse eam videre desiderabat, accurrit anhelus, & confringi faciens ex parte parietem cellulæ, in qua decumbebat, introiuit; & videns eam iacentem in lectulo, hæsit paululum admirans, quia clarus ei vultus, & facies erat serena, admodum color viuidus, verba iocunda, gestus soliti, ora ridentia, totaque talis, vt nullum in ea signum perpendi de facili posset ægritudinis. Verum ipsa viso eo gauisa est valde, factaque ei peccatorum suorum confessione, multa, quæ huic libello inserta sunt, licet mallet ea occultari, quam sciri à pluribus, eidem scisciranti aperuit; sicque vale dicens ei, quia non visura eum amplius erat, roganique, vt pro se Dominum oraret, in pace eum dimisit, quia in procinctu erat itineris. Hactenus de Abbate Florefiensi, qui licet desperatus, eoque non quæsitus, opportunus aduenit ad votum sanctæ.

Non ita filius, seu forte præsagiret præceptum matris, illudque recusaret, siue vere non potuit, quod magis puto. Certe cum potuit, etsi non ad matrem, at ad sepulchrum matris aduenisse, nec ideo minus mortuæ obtemperasse, dicam inferius. Verum quàm ipsa & vitæ, & mortis compos, sacramentis munita, licet ob filiarum timorem, anticipatis, eadem die, & hora, qua prædixit, tandem decesserit, eadem eius acta pergunt scribere. *Interim aiunt*)[c] *morbo ingraueſcente, timentes, qui circa ipsam erant, ne absque sacri Vnctione olei eam forte migrare contingeret, rogauerunt vnanimiter eam omnes, vt se inungi permittere vellet: Non est, inquit illa, ô filiæ, me necesse adhuc iniungi, sed feria quinta hora nona, vt proposui (qui dies post tres dies erat affuturus) vt arbitror; Nolite, inquit, timere vos aut solicitari de me, quia in veritate dico vobis, non me de hac vita decessuram, donec omnia sacramenta Ecclesiastica fiant. Illis è contra instantibus die altera, vt inungeretur, quia timebant ipsius defectum, eo quod vnde recrearetur, natura non sumeret quidquam. Videbant enim eam clausis oculorum luminibus non moueri, vt pote quæ mentem ad inuisibilia transfuderat totam, & ad inuisibilium amorem totis visceribus inhiabat, ac si nihil commune haberet iam cum mundo.*

Videns pia mulier filias pro se contristari, & mœstas esse propter tarditatem vnctionis: ecce, ait, quia instare vos video, vt fiat, quod vt die fieret altero proposueram, & non sine causa, ne vos contristem amplius, en, ait, voluntas fiat vestra, non mea, facite quod vultis. Sicque inuncta & omnibus communita sacramentis, debito cum honore, ac reuerentia: Ecce, ait, quod petitis, ne turbaretur vltra vester animus. Veruntamen sciatis non transituram me modo, sed die, & hora, quam prædixi. Requisita demum secreto à familiaribus, quare sacramenta hæc vsque ad feriam quintam voluisset differre, respondit; ideo se voluisse hoc, quia sciebat Beatam Dei genitricem, cui pridem fuerat à filio commissa, vnctioni suæ interesse debere die illo, & post completa sacramenta illa, responso ab illa venerabili. Domina Dei genitrice Maria pro se: Amen: deducendam se ab ea fore ad perpetuas Beatorum

spiritum

1. 2. 3. 4. 5. 6.

b cap. 54. c cap. 74.

spirituum mansiones. His auditis, compuncta sunt valde, voluerunt que plurimum vnctionis tam repentinæ, contra tam fœlix propositum ipsius, voluntatemque, se extitisse causam. Hæc in illo capite. Pergunt acta [d] in sequenti de eius obitu.

d *cap.* 48.

7. *Interea expectantibus cunctis diem, & horam, quando Dominus venturus esset anciłam suam inuisere, educereque de tenebris ad lucem, de exilio ad patriam de terris ad Cælos, de regione vmbræ in terram viuentium, repente illuxit dies tertia, scilicet feria quinta octauarum Epiphaniæ Domini, dies, inquam, ei diu desiderata tanquam dies redemptionis nouæ reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Ipsi quidem dies salutis, solemnitatis, & lætitiæ. His autem, qui conuenerant, dies calamitatis & miseriæ, dies doloris, & fletuum; non quod ipsius non congratularentur gloriæ, quam intimè diligebant, sed quod tantæ matris solatio videbant se irrecuperabiliter in posterum debere destitui. At cum à plerisque, qui eius nouerant prodesse multis in carne præsentiam, rogaretur, vt ad multarum emendationem animarum, aliquandiu permanere in corpore vellet adhuc, tanquam certissime scientes eam permanere, si vellet: nihil illa suæ se relinquere voluntati respondit; nec in quanlibet se inclinare partem, in qua voluntas esset Domini. Permanere quidem in carne adhuc paratam esse, si vellet Dominus propter eas. dissolui vero, & esse cum Christo multo sibi fore optatius, veruntamen in omnibus his non sua, sed voluntas fieret Domini.*

8. *Hora itaque diei illius nona, siue paulo amplius, sentiens dilecta Dei animam per Spiritum aduentum adesse sponsi, & sponsæ, ideſt Christi, & Mariæ; dicto illo Psalmi versiculo:* [e] In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis: *Hilari vultu, propensis manibus, oculisque eleuatis in Cælum, quasi venienti applaudens, exire nitebatur obuiam cum lampade virtutum, & bonæ conscientiæ oleo. Cum ecce assumptam de corpore animam, velut alterum Moysen, è fiscella sublatum Scirpea, filia Regis Virgo Maria, Regi filio, velut depositum fidele, repræsentat, sublimandam in filiam Regni, & hæredem. Et qui in domo circa ipsam erant ac si in extasi rapti essent Spirituum, repleti sunt mira quædam, & indicibili gratia mirificæ suauitatis, & eleuationis mentium, adeo vt ipsius Dei, ac Domini nostri Iesu Christi præsentiam, nemo esset qui ambigeret. Siquidem splendida facta est facies eius, egrediente anima vltra æstimationes hominum, & quasi iam circundari eam rosarum floribus cernens, & conuallium liliis, totius partes corporis, atque membrorum obduxerat rubor quidem roseus, albediui parcim decenter admixtus per totum, adeo, vt intuentibus in eam nihil aliud videretur esse, quam Diuinum quiddam, & cœlestis obumbratio quædam gratiæ in corpore mortuo, ac caro faciei splendens, futuræ quasi glorificationis signa præostenderet.* Hactenus ibi.

e *Psl.* 30.

e *cap.* 49.

Annus, & dies mortis apud Henriquez, librariorum incuria subiacent mendis, quippe annus millesimus vigesimus septimus, dies ad Idus Februarij designatur; & tamen constat, decedentem in octauis Epiphaniæ, non Idibus Februarij, sed Ianuarij potuisse decedere: rursus quæ tot ante annos, Abbati Aureæ-vallis iuxta ritus Cistercij vouerat obedientiam, vt filium, Aureæ-vallis Abbatem habuit, atque alium item Monachum trium fontium, Cistercienſem vtrumque, nequaquam eo anno potuisse decedere, quo nondum Aurea-vallis, aut tres fontes, nondum Cistercium cœperat; imo neque Aurea-vallis sub Cistercio post centum annos; vt planum sit errore amanuensium, siue Typographi in numero annorum inter millesimum, & vigesimum septimum, missum ducentesimum: in mensibus pro Ianuario, Februarium positum esse. Atque hunc ipsum annum, diemque designat idem Chrysostomus Henriquez in Menologio, Ioannes Molanus in Natalitiis sanctorum Belgij, Aubertus Miræus in Chronico Cistercienſi, atque in Belgicis, Burgundicisque Fastis. Hugo Menardus, & alij recentiores. In Chronico ordinis Præmonstratensis transitus Sanctæ non nihil anteponitur, sed corrigendus ex his, quæ nos tradidimus. 9.

Septuagesimum ætatis suæ annum attigisse cum obiit, acta tradunt, quos sic enumerant. [f] *Octauo decimo ætatis suæ anno vidua facta est, cum vixisset cum viro suo annis quinque, & quinque post eius decessum mansit vidua inter suos. Seruiuit dehinc leprosis annis decem, vt perfectionem adimpleret Decalogi. Deinde soli vacauit in cella Domino annis circiter triginta sex, qui omnes sexaginta nouem annos efficiunt; sicque anno ætatis suæ septuagesimo, qui est annus relaxandæ captiuitatis veri Iudei de terra Babylonis in Hierusalem, liberata & ipsa est à seruitute corruptionis huius, & translata ad visionem veræ pacis Iesu Christi Domini nostri, qui est pax nostra, pacificans, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, interficiens inimicitias in semetipso super signum crucis. Cui honor, & gloria cum Patre & Spiritu sancto in sæcula. Amen.* Ita in actis. Quod si verum est dicendum erit, recluſam ad annum Christi. M. XC I. plus, minusve, atque adeo eandem recluſionem, & obedientiam, quam nos ad annum M. C. XC. VI. descripsimus, quinquennio anteponendam. Sed redeo iam ad circunstantias glorioſi obitus, atque ad quosdam euentus subsequutos. 10.

f *cap.* 56.

1. *In morte Iuetæ elementa turbata primum*, 2. *mox ipsa, & aues illius gloriæ congaudent.* 3. *Amens fœmina sui compos efficitur.* 4. *Alia cœlesti oraculo illustratur.* 5. *Expectatur Aureæ Vallis Abbas ad sepulturam*, 6. *sed post ipsam aduenientem, nec ideo persuadetur minus à Sancta fœmina.* 7. *Coniectatum de illo.* 8. *Consummata ex Iuetæ reuelatione*, 9. *quæcumque ipsa, dum vixit, inchoauerat.* 10. *Vita eius à Præmonstratensi Hugone scripta, & ab aliis memoria Sanctitatis.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. IVETÆ obitum multa, & miranda signa sequuta sunt in cœlo, & in terra, & quod rarius in mentibus humanis, quo magis decedentis gloria commendaretur. In primis ergo moriente ancilla Christi, sicut in ipsius Christi morte legitur, elementa turbata; & cœlum, velut lachrymas, per pluuiam, per ventos, suspiria, terra vtrisque quassata velut gemitus tristes, & radiis Solis exclusis per densas nubes, noctem obscuram inferiora omnia reddebant. *Aliud quid*, ait [a] *Hugo Floresiensis, dicturus sum, in* a cap. 50. *quo, & si auctoritatem forte miraculi præstare non possum: dulce tamen ad audiendum auribus est, & ad rememorandum. Cum tota die illa, vsque ad horam transitus Sanctæ, talis, ac tanta temporis, & aëris intemperies esset, vt cœlum, & terra, pluuia, & venti, nix, grando, procella, & cuncti spiritus, quasi coniurasse viderentur in diem illum, vt nec ostium domus suæ de facili quisquam auderet egredi, ac si mota se ob mortem ancillæ Domini elementa cuncta faterentur.* Hoc plane mirum, sed forte non miraculum.

2. Cæterum duo alia, quæ sequuntur inter miracula debent numerari; alterum est, quod in media hac confusione, & tempestate aëris, ac terræ, cœlique, atque hominum, & elementorum perturbatione, [b] *Contra fenestram cellulæ, in qua agonizata Christi agonizabat, multitudo insedit innumerabilis auium, volucrumque diuersi generis, & quasi congaudentes decedentis gloriæ, diuersarum vocum, concentuumque modulatione suaui, aures intendentium demulcebat, ac si diebus factum cerneres æstatis; perseuerauitque concentus auium ille, donec campanarum cessasset sonitus, quæ pro eius obitu pulsabantur.* Alterum b vbi supra. vero, quod paulo post subiungitur. [c] *Nec sub silentio prætereundum est, quod vbi memoratus auiũ concentus, vna cum campanarum sonitu audiri desiit, tanta in momento aëris serenitas, quiescentibus procellis, ventis, & pluuia, subsequuta est subito, cœlum arrridere, terra, & aer, Sole sibi reddito, applaudere cœperunt, ac si cuncta in Beatæ mulieris occursum elementa obsequium præstare crederes, exultare, ac lætari, quasi in diebus æstatis.* Ita elementa morienti condolere, congaudere triumphanti visa sunt; dum aues cœli, Angelorum vice fungentes, celebrabant vtrumque, neque solum de triumpho cœlestem gloriam, sed & in morte triumphum prænunciabant. c cap. 52.

3. His miraculis accessere alia miracula, reuelationesque, vt inuicem promota, & promouentia latius per vniuersam Prouinciam dilatarentur. [d] *Eadem hora, qua Iueta decessit, contigit, fœminam quandam Venerabilis vitæ, ac nominis, de ipso Hoyensi (quæ per frequentes vigilias noctium, defectum passa capitis, non bene compos mentis extiterat à multo tempore) audire sonitus campanarum, quæ pro ipsa pulsabantur. Sentiensque per excessum quasi mentis, quod pro transitu matris eadem resonarent signa, cogitansque eam transuehi ad cœlos, cum multa meditatione, ac desiderio spiritus, quasi prosequuta est longius abeuntem; congratulabaturque gloriæ eius, quam valde in vita sua dilexerat semper. At vbi ad se ipsam reuersa est, sanitati pristinæ reuersa est plane, nec dolorem, malumque huiusmodi experta postmodum est ea die, & deinceps.* Hæc de muliere amenti, restituta meritis Sanctæ. d cap. 51.

4. Verum de gloriæ illius reuelatione, & contestata: repentina serenitate cœli, & aëris, quasi triumphanti elementa congauderent, quæ morienti compassa commota fuissent, audi eundem Hugonem sic scribentem. [e] *Altera quoque mulier ex oppido memorato, deuotionis eximiæ vitæque laudabilis, eadem hora orans in domo erat; cum ecce subitam immutationem considerans cœli, & aëris serenitatem tam lucidam, nec sine causa id factum apud se coniiciens, intellexit per reuelationem spiritus, Dominam Iuetam inclusam ex hoc migrasse sæculo, ideoque ob eius reuerentiam congaudere elementa ascendenti, affectu, quo poterant, obsequiumque præstare honoris ei, quam ipsum Creatorem suum honorare videbant suæ præsentia Maiestatis.* Hæc similia subsequuta tantum fœminæ æternã eius gloriã & cumulum gaudiorũ manifestabant. e cap. 53.

5. At mihi cũctis miraculis illustrius miraculum apparet, quo filij voluntatẽ ab abdicanda Præfectura Aureæ Vallis, auersam hactenus, & forsan ideo venire recusantẽ, ne matris reuerentia compelleretur, ex sepulchro mutauit, vt cuius viuam vocẽ formidasset tacentẽ audiret; atque tunc efficacius persuadentẽ, cum nihil posset. Certe quod filius, quasi data opera aduentum suum distulerit, indicare videtur nimia mora, quæ neque ipsa, quã fecit in hac vita fœmina Sancta post susceptam vnctionem, nec triduo alio, quo expectatus fuit, vt mortuam saltem cerneret, & corpus sepulturæ mandaret, potuit compensari. Nam audi, quod sequitur. [f] *Post obitum Venerabilis matris Iuetæ, quia sperabatur filius eius, Abbas Aureæ Vallis venturus, expectatus est de sepeliendo corpore tribus diebus, & vltra, vt idem filius maternis exequiis, interesset, pro quo iam missus fuerat. Qui cum, vt præostensum est, venire non posset, per Dominum Ioannem, Floresiensem Abbatem, qui audita morte eius iam aduenerat, corpus eius in Ecclesia debito cum honore terræ demandatum est, Beata resurrecturũ in gloria, dum mortale hoc induet immortalitatem, & conuersa fuerit iustitia in iudicium, & in victoria absorpta fuerit mors.* Itaque velut filius per naturam, pater per gratiam, & votum obedientiæ, dudum à Sancta emissum, totum in ipsa sibi vendicabat, matris, & filiæ funus prætermisit, cum vix duorum dierum itinere, oppidum Hoyum distet ab Aurea Valle. f cap. 54.

6. Sed voluntati Diuinæ quis reſiſtat? Decretum erat ſemel, vt Præfecturam abdicaret per matrem nec ab hoc potuit ipſa defraudari, quantumuis enim ſerus ad ipſam venerit, opportunus aduenit, & perſuadendus.[g] *Filio quoque eius ſeniori (ait Hugo Floreſienſis) qui erat tunc temporis Abbas Aureæ Vallis, vt prædiximus, mandari per nuntium fecit, vt ad ſe veniret, volens ipſum inducere ad hoc ante obitum ſuum, vt adminiſtrationis ſuæ reſignare officium vellet, eo quod moleſta ei dudum extitiſſet, & grauis admodum ipſius filij prælatio, cum tamen nullius ſciret moleſtiæ cauſam. Qui cum eo tempore venire non poſſet, vt dicitur, venit tamen poſt tranſitũ matris, ſed eam, quam videre venerat, ſepultam reperit. Attamen, vt mortua mundo, meliori ſe vita cũ Chriſto viuere oſtenderet, & mortuam ſe poſſe, quod non poterat viuens, vix eidẽ filio Abbati ſepulchrum inuiſere licuit; cum ecce ſubito reuocans per nuncium à patre Abbate, vltro poſtulauit abſolui, & obtinuit.* Hactenus ille. Ita ergo Diuina prouidentia effectum eſt. Vt ex duobus, quos ancilla Chriſti antequã morereturvidere voluit, cum alter eorum vocari non potuerit, alter vocatus venire adeo diſtulerit; nihilominus neuter ei defuerit. Dum non vocatus, opportunus affuit, & qui vocatus aduentum retardauit, in eo mortuæ obediuit, quod vel audire à viuente recuſauiſſet.

g *cap.* 46.

7. In Catalogo Abbatum Aureæ Vallenſium, quam adducit Henriquez, [h] Henricus de Sathanaco dicitur præfuiſſe ab anno M. CC. XIV. vſque ad M. CC. XVIII. quod ſi verum eſt, liquido conſtabit, hunc fuiſſe filium Iuetæ, de quo loquimuur, qui Petro Leodienſi ſuffectus, Ioannem de Caſtro nouo dicitur habuiſſe ſucceſſorem. Nec diſcordat tempus abdicatæ dignitatis, nempe ad hunc immediato ſequenti anno, niſi quod tamen in eadem Abbatum ſerie Henricus non ceſſiſſe ſed deceſſiſſe commemoratur; quod ſi nulla alia illius memoria ſubeſt, irrepere per errorem facile fuit. Certè vir multis virtutibus ornatus, & qui talentum ſibi creditum, ad Dominum cum lucro reportauit, ibidem perhibetur: vt vere tãta matre dignus filius cenſeri debeat. Sed redeo ad Iuetam, & ad ea, quæ filiabus, hoc ipſo anno paulo poſt eius mortem, contigere, vt palam foret, non matrem amiſiſſe, ſed tranſmiſiſſe ad Deum, apud quem potentiorem in earum auxilium experirentur.

h *lib. Faſcic. diſt.* 40 *c.* 2.

8. *Elapſis diebus non multis, ait auctor,* [i] *vt aliquod mater Sancta relinqueret conſolationis veſtigium his, quæ pro ſuæ amiſſione præſentiæ corporalis conſolari non poterant, ſcirentque ſollicitudinem habere perſonarum, ac loci, multo efficacius iam cum Chriſto viuentem, quàm dum carnis adhuc teneretur ergaſtulo, contigit res huiuſmodi. Siquidem cum, viuente ea, quædam agenda exiſtimarent, maximè de rebus, & cauſis pertinentibus ad conſummationem Eccleſiæ, & operum, quæ facta fuerant in loco, quæ ſine decreto, & confirmatione Leodienſis Epiſcopi perfici omnino non poterant, multotiens quidem laboratum pro eis eſt, ſed non elaboratum. Poſt tranſitum vero eius recens factum apparuit cuidam familiari ſuæ, fœminæ Religioſæ, ac timenti Deum, Margaretæ nomine, quæ in dictæ Eccleſiæ operibus neceſſaria fuiſſe probatur admodum, quæque magis pro continuatione eorum, quæ adhuc reſtabant operum, erat ſollicita, multos pro eiſdem paſſa labores. Hæc, vt ſupra memorani, ab initio Sanctæ Dei aſſociata eſt, & collaborauit ei in cunctis operibus, quæ facta ſunt, bona fide, & labore plurimo, vt impræſentiarum videre eſt. Apparens igitur iſti vna noctium in ſomnis in forma decora valde, & quaſi ei videretur compati de his, quæ reſtabant conſummandis; læta facie & tanquam ad ambulandum ſe parans, & ipſam inuitans, dixit ei: Margareta, ſequere me, quia Leodium vado. Hæc dicens diſparuit viſio.*

i *cap.* 54.

9. *Surgens mulier ſummo mane, ad viam ſe præparat, cum tamen ea nocte ceciderit nix permulta valde; & quanta, vt arbitror, diebus noſtris nunquam cecidiſſe viſa eſt, aut raro. Aſſumpta ergo quadam puella altera ſecum de Hombricurt, quam & ipſam mirabiliter à diebus iuuentutis primæ, Beata mulier Iueta, ab ipſis pene nuptiis, & amore ſæculi abſtraxerat, pergunt ambæ deſiderio vocantis ſe, & perficiendi negotij; & cum maximo tandem labore, & dolore ad Epiſcopum vſque peruenere; cui aperientes cauſam viæ ſuæ, propitium valde, & ad omne beneplacitum, voluntatemque ipſarum vltra omnem æſtimationem hominis fauorabilem inuenerunt; Cum tamen ob infirmitatis cuiuſdam moleſtias, qua Epiſcopus idem decumbebat, eo tempore difficilis ad eum haberetur acceſſus nimium. Et vt perfecerunt omnia ſecundum velle cordis ſui, reuerſæ ſunt cum gaudio ad propria, ita tamen, quod neminem huius beneficij auctorem interpretatæ ſunt, quam Venerabilem Iuetam, quæ præceſſerat, & præparauerat viam earum ante ipſas; & vere, vt arbitror, ſic erat.* Hactenus ibi.

10. Hæc, & ſimilia Iuetæ mortem ſequuta, dum filias promouebant, affectum omnium matri conciliabant. Venerato in ſepulchro Sancto corpore, cuius animam cum Angelis triumphantem cœleſti gloria potiri, & Chriſto conregnare, adeo manifeſtis indiciis experiebantur. Ciſtercienſibus maior cura circa hæc tempora ſcribenda facere, quam facta ſcribere, vnde multa effugere notitiam noſtram, & periiſſent haud dubie acta Iuetæ, virtuteſque ex hominum memoria, ſi non, qui eius confeſſionem excepit vltimam, Venerabilis Abbas Floreſienſis, cuidam Canonico Hugoni, viro pio, & ſufficienter litteris inſtructo, in mandatis dediſſet, vt ea omnia exciperet, atque excepta ſtylo commendaret. Porro id opus, quod M. S. hactenus in aliquibus Belgij Bibliothecis conſeruatur, collatis, vt credendum eſt, exemplaribus, publicauit Chryſoſtomus Henriquez in ſuis liliis, vnde etiam nos hauſimus, quæ diximus, cum plura alia apud ipſum videri poſſint. Iuetam inter Sanctitate illuſtres fœminas in ſuis ſiue Menologiis, ſiue Faſtis memorant omnes illi, quos de die, & anno ſacri ipſius obitus, omnino concordare, capite præcedenti memorauimus.

1. *Brunonis Capellani Sancti Antonÿ peregrinatio.* 2. *Mors & post mortem miracula.* 3. *Iacobi Cistercienſis Abbatis obitus*, 4. *& nonnulla ſub ipſo.* 5. *Guillelmi ſucceſſio, & qualis ſub eo decor Ciſtercÿ fuit.* 6. *Brunvvardus ad ſuperos tranſlatus.* 7. *Chriſtianus cruciferos aduerſus Pruſſios vocat*, 8. *& multa illis largitur*, 9. *nec ſine fructu.* 10. *Olomucenſis, & Friſingenſis Epiſcoporum, atque Ducis Brabantiæ cauſæ noſtris iniunctæ.* 11. *Caſæmarium à ciuibus Soranis multa paſſum:* 12. *ſuper quibus Gregorius Papa ſcribit.* 13. *Geſta, & ſucceſſio Magiſtrorum Alcantarenſium.*

CAPVT OCTAVVM.

1. QVEM ſupra virum Sanctum memorauimus, Brunonem, capellanum in Abbatia S. Antonij Pariſienſis, hoc anno ad ſuperos tranſiiſſe, prodit Thomas de Cantiprato, cum in Græciam traiiceret miſſus à ſuperioribus, haud dubie quin, vt in Virginum cœnobiis, quæ iam per totum imperium diffundebantur, capellanos inſtitueret, & Moniales exemplis promoueret. Eius vitam auſteram, & Sanctam mortem, ac miraculis claram, qui tunc viuebat Thomas ad compendium redegit in ſuis Apibus, atque imitandum cæteris propoſuit verbis ſequentibus. [a] *Vidi capellanum quendam apud Sanctum Antonium in Monaſterio Ordinis Ciſtercienſis Pariſiis, Fratrem Brunonem nomine, Virum Sanctum, & bonum, & mire deditum pietati; vita eius tali Ordine diſpoſita videbatur. Noctes frequenter fere ducebat inſomnes, orationibus, & gemitibus profuſius inhærendo: ſummo autem mane Horas, & Miſſarum ſolennia perſoluebat. Poſtmodum vero vſque ad Nonam, audiendis confeſſionibus clericorum, mira deuotione, ſollicitus intendebat. Ad menſam vero ſobrius veniens, panem, quem comedere debebat, per bucellas inciſum, & intinctum oleribus comedebat. Et inter comedendum pauperibus ſcholaribus quaternos ſcribebat, vt ſcilicet omne temporis ſpatium vtiliter occuparet. Poſt prandium vero vſque ad noctem, diem in ſcribendo totaliter occupabat. Hæc vita eius exterior fuiſſe probatur.* Hæc de his, quæ in viro ad ædificationem dabantur aliis cernere.

a lib. 1. c. 8.

2. Cæterum qualem ſe ad Deum præſtiterit, vt in vita latuerit, cohibente forſan humilitate viri, quibus pollebat, dona; & vim faciente gratiæ, vt ita dicam, ne in miracula erumperet, per quæ ab hominibus vel inuitus veneraretur; at in morte celari nequaquam potuit, ſic diſponente Deo, vt virtutem in viro commendaret, & Sanctum imitandum aliis proponeret, hæc, inquam, omnia paucis, pro ſuo more, idem auctor proſequitur ſic ſcribens. [b] *In itinere miſſus in Græciam anno circiter ab Incarnatione Domini M. CC. XXVII. animam miro feruore ſpiritus exhalauit: & poſt mortem eum Dominus multis miraculis honorauit.* Hæc tantum ille. Nec nobis ſcire datum vbi obierit, aut quo in loco obtinuerit ſepulturam. Certe miraculis multis claruiſſe dicitur poſt mortem, non in vita: vt credi poſſit, quod diutius detenta, eo maiori impetu diffuſa ſacrum eius ſepulchrum illuſtraſſe. Memorant virum Martyrologium Monaſticum, ad diem 17 Maij, vbi & Hugo Menardus, & Lib. II. obſeruationum eadem die: niſi quod Monachum vocat, non capellanum, in quo nonnihil deuiat: ſicut Seguinus, [c] qui non ad Græciam, ſed ad Paleſtinam profectum tradit, loca Sancta ex affectu Religionis viſitaturum. Sed præferendum teſtimonium Cantipratani, quia grauioris auctoris, atque coæui. Brunonem memorat etiam Henriquez [d] in Menologio, Aubertus Miræus, [e] & alij recentiores.

b vbi ſuprà

c Lib. 3. virorũ ill. ſtrium.

d Ianuar. 21.

e Orig. Monaſt. lib. 5. cap. 15.

3. Inter hæc Venerabilis Iacobus, Ciſtercij Abbas, ad patres ſuos appoſitus, traditas ſibi oues reliquit orphanas. Dies obitus eius memoratur XVIII. Aprilis, qua in Martyrologio Ciſtercienſi notatus legitur. De anno non conſtat: niſi quod tamen, qui ei ſucceſſit Guillelmus, in Ordine Abbatum XXI. ſequenti anno iam Abbas inuenitur in titulo Monaſterij de Batans (ait Claudius Robertus [f]) Biſuntinenſis Diœceſis, quod nos etiã ex ipſo tomo primo, in Appendice Ciſtercienſi memorauimus. Iacobum Menologio ſuo inſeruit Chryſoſtomus Henriquez, ipſa, qua obiit die; nec dubium fuiſſe ex viginti quinque primis, qui titulo Sanctorum inſigniuntur. Eius tempore, vt ait VVaræus, [g] *B. Frigidi Montis Abbas, miſſus à Capitulo Generali Ciſtercienſi ad Abbatias Hyberniæ viſitandas, cum plenitudine poteſtatis: & intelligens, quod Abbatia de Valle Dei, filia Geripontis, adeo debitis, & aliis grauaminibus eſſet oppreſſa, vt de cætero per ſe ſubſiſtere non poſſet; cã auctoritate dicti Capituli, proximæ Abbatiæ S. Saluatoris coniunxit, & incorporauit, inſtrumento dato apud Dublin anno M. CC. XXII. in Feſto B. Mariæ Magdalenæ.* Ergo quæ à Synodo anni præcedentis viſitatio manauit, ſub Abbate Iacobo, hoc anno poſt illius mortem, hunc inter alios effectum ſortita eſt; nec conſtat, an vacante adhuc ſede, ſed probabilius multo, ſub ſucceſſore.

f in Cathol. Abbat. Ciſt.

g in Hiſtor. cœnob. Ciſt. Hybern.

4. Eodem etiã Iacobo præſidẽte Ciſtercio, in Heiſterbach, ſeu Valle S. Petri habitũ induit Venerabilis Sibodo, ex plebano in Villeke, Germaniæ oppido, qui antequàm Monaſterium ingrederetur, multis clarebat à Deo reuelationibus. Inter alias illa, quã refert Cæſarius, qui eo tẽpore in eadem domo ſcribebat, quo Sibodo manebat in probatione, primum videtur obtinere locum, ſiue quod ſingularis, ſiue quia ſalubris, atque ouem errantẽ reducens ad viã vitæ. Igitur eam libet hic ſubiungere. [h] *Sibodoni Nouitio noſtro, cum eſſet Paſtor in Villeke, miles quidam ex eius Parochianis, ſingulis annis confeſſionem facere, & pœnitentiam ſuſcipere conſueuerat. Ad quem nocte quadam vox huiuſmodi facta eſt: Sibodo, miles ille (nomine eum deſignans) nunquam fecit confeſſionem ſuam: ad quam vocem Sacerdos euigilans, & quid portenderet, ſatis admirans; militem, mox vt vidit, ad confeſſionem puram hortatus eſt, dicens: timeo, quod non feceritis mihi pure, & plene confeſſionem. Cui, cum ille reſponderet: Quid eſt,*

h Serm. in Dom. 15. poſt Pentecoſt.

quod dicitis Domine? Nonne iam multis annis vobis conſcientiam meam aperui, pœnitentiam ſuſcepi, & adimpleui? Sacerdos ſubiunxit: Hoc Deus nouit, & vos, nam talis vox non ſine cauſa delata eſt ad me, illi quid in ſomnis audierit, manifeſtans. Quo audito miles territus confeſſus eſt peccatum maximum, quod verecundia vetante, multo tempore ſubticuerat. Impregnauerat enim quandam cognatam ſuam, & vt incœſtus lateret, natum infantem communi conſilio necauerant. Hactenus Cæſarius, & nos occaſione Iacobi, quia ſub ipſo.

5. Succeſſorem habuit Venerabilem Guillelmum, Monachum, vt coniector, Claræ-Vallis, quippe, qui cum decennio præſediſſet, plus minuſve, dignitate abdicata, ad Claram-Vallem dicitur rediiſſe, vbi & fœliciter vitam conſummauit. Vnde in Chronico Metrico hi verſus:

Guillelmus ſequitur, ſed Clara Valle potitus
Aſcendens moritur illic, intuſque ſepultus.

Sub huius Guillelmi Præfecturæ initium contigit viſitatio Monialium Ordinis Nigri; quin, & aliorum omnium, per Diœceſes Patauinam, Veronenſem, & Teruiſinam liberius viuentium, quibuſdam Prædicatoribus à Gregorio iniuncta; exceptis tamen expreſſe Ciſtercienſibus, & his, quæ per Ciſtercienſes viſitabantur, nempe Clariſſis, ſiue Beati Damiani, quæ Venerabilem Ambroſium adhuc ſuperſtitem, quandiu vixit, agnouere viſitatorem. Meminit huius tum viſitationis, tum exceptionis Bzouius ad hunc annum.[i] *Cæterum*, ait, *cum Sanctimoniales Diœceſis Patauinæ, Veronenſis, & Teruiſinæ, non vſque quaque ex formula, à Sanctis Patribus præſcripta, viuerent, earum curam ſuſcipiens Gregorius, Fr. Ioachimo, B. Mariæ, & Fr. Iordano, Prioribus, & Fr. Gundulphio Patauino, Ordinis Prædicatorum, commiſit, vt ea trium Epiſcopatuum Monaſteria S. Benedicti Monialium exempta, & Canonicas Regulares cuiuſcumque Ordinis, vel profeſſionis, exceptis Ciſtercienſis, & pauperum Monialium incluſarum; ſingulis annis vſque ad beneplacitum Apoſtolicæ Sedis viſitarent, corrigerent, reformarent. Dedit hac in re litteras II. Nonas Septembris.* Hactenus ille.

i *num.* 10.

6. Hic idem annus, (vt ait Albertus Krantzius[k]) Brunvvardi Mekelemburgenſis, ſiue Magnopolenſis, ſeu Suuerinenſis Epiſcopi morte inſignis fuit: *Vir profecto (vt idem auctor ait) præcipui, & qui Eccleſiam ſuam, & moribus, & rebus plurimum auxit.* Verum de tempore mortis, & Præfecturæ, hæc in eodem loco paulò inferiùs. *Præfuit autem & ipſe, ſcilicet Brunvvardus, Eccleſiæ ſuæ longe poſt hæc tempora per annos quadraginta quatuor; exceſſit enim rebus humanis vigeſimo ſeptimo poſt milleſimum ducenteſimumque, & vidit mirabiles mutationes temporum, &c.* Hæc tantum ille. Ex quo eadem Arnoldus[l] VVionius, & plures alij; verum omnes ex Krantzio, neque apud alium maiorem, aut clariorem viri notitiam video. Adeo nihil de noſtris dictum, vt vbi alieni deſunt, quod proferre poſſimus nihil habeamus. Nec tamen dubium, viro, egregie merito, de Eccleſia, cui præfuit, tam longo tempore, ſcriptores defuiſſe, non ſcribenda.

k *lib.* 7. *Metrop. c.* 20.

l *lib.* 1, *leg.* 6. *cap.* 46.

7. *Per idem tempus* (*ait Martinus Cromerus*,[m] & *refert ad hunc annum*,) *Pruſſis Maſſouiam vehementer vexantibus, & vaſtantibus, inops conſilij Conradus Dux, habito Conuentu ſuorum; tandem, Chriſtiano Epiſcopo ſuggerente, & ſuadente, Fratres, ſiue Sodales Theutonicos, & ipſos piam contra Barbaros militiam ſub titulo S. Mariæ profeſſos (qui paulo ante à Sarracenis è Syria eiecti erant) per eum ipſum Chriſtianum Roma acciuit, Chelmenſemque, ſeu Culmenſem tractum, & quidquid terræ eſt inter Viſtulam, Mocram, atque Peruanciam, flumina, eis tradidit his legibus; vt contra Pruſſos ſedulo, & ſummis viribus bellum gererent. Vbi vero eos domuiſſent, Culmenſem quidem tractum redderent: cætera vero quæcumque de Barbaris cepiſſent, arbitrio bonorum virorum ex æquo ſecum, ſeu cum poſteris ſuis partirentur: Polonis ne quam vim, aut iniuriam facerent, neve hoſtes eorum receptarent, aut vllo fauore proſequerentur: contra Barbaros autem, & à Religione Chriſtiana alienos, vt ipſis cum opus fuerit, præſto eſſent. Si quid horum tranſgrederentur, pœnæ, quæ contra ingratos eſt, ex iure gentium, ſubiacerent: hoc eſt, beneficia accepta amitterent. Hæc ita inter Conradum, & ſupra memoratos Fratres cruciferos, quorum tunc Hermannus de Salza Summus Magiſter erat (ſic Ducem ſuum appellant) conuenere; & à Gregorio IX. Pontifice maximo approbata, & confirmata ſunt, quæ nos è libro vetuſto, Germanica lingua ſcripto, quod in arce Lubauienſi aſſeruatur, viri pietate, iuxta ac doctrina, & integritate ſumma Staniſlai Hoſij, dudum Culmenſis, nunc iam Varmienſis Epiſcopi, beneficio eruta, & ſubminiſtrata, bona fide inſeruimus.* Hactenus ex Cromero; quæ quia Chriſtiani Epiſcopi ex Ciſtercio, tum perſuaſione, tum induſtria geſta ſunt, operæ pretium me feciſſe puto, dum hic tranſcribo.

m *lib* 7. *de Rebus Polon.*

Plura ab his crucigeris donata, memorat idem auctor paulo inferius; ſpecialiter autem à Chriſtiano Epiſcopo Culmenſi, de quo hæc habet.[n] *Chriſtianus vero Epiſcopus omnia, quæ ab eodem Conrado in tractu Culmenſi acceperat, præter ducenta aratra, & quinque prædia, eis conceſſit; modium tritici; & alterum ſiliginis, & ſingulis aratris in omni agro Culmenſi, ſibi, & poſteris ſuis Epiſcopis quotannis dari pactus. Paulo aliter hæc à Dlugoſo memoriæ prodita ſunt; ſed nos vetuſta ſcripta, ac diplomata, quæ poſt Dlugoſum noſtra memoria in Archiuum Regium è Pruſſia relata ſunt, quorumque exempla etiam in Codice vetuſto deſcripta in arce Helyſbergenſi extant, ſequuti ſumus.* Ita Chriſtianus, non conſilio ſolum, induſtriaque, ſed etiam largitate promouebat vexilla Chriſtiani nominis, & progreſſus Eccleſiæ ſollicitabat. At quàm fœliciter hæc omnia illi ſucceſſerint ſaltem ſub his initiis, idem qui ſupra auctor pergit ſcribere.[o]

8.

n *vbi ſupra.*

o *vbi ſupra.*

9. *Ita Crucigeri Theutones, fixis primum Dobrini domicilijs, Conrado, Landiſuergio Duce quem Hermannus de Salza ipſis præfecit, Magiſtrumque appellauit, Moſcouiorum, & Polonorum defendendorum; & Pruſſiæ Barbaris eripiendæ Prouinciam ſuſcepere, & mox primam in terra Culmenſi munitionem in ripa Viſtulæ excitarunt; eamque Fogelſangum, ab auium cantu, Germanica lingua dixere. Inde vero Maſſouiis adiuuantibus, & voluntariis multis, vndique pietatis ergo accurrentibus, Barbarorum excurſiones reprimere, & ipſorum agros, pagoſque viciſſim infeſtare cœperunt. Toruniam deinde, Biſembergam, quæ eadem Prabuta eſt, & alias quaſdam arces, & oppida non ignobilia, paucis annis munierunt. Regouiam vero, quod Rogoznum eſt, & Culmam, & alias quaſdam à Barbaris*

Barbaris munitas, siue interceptas, in potestatem suam redegerunt, & paruo tempore magna in illis ortis incrementa cœperunt. Hactenus ille: Nec nos plura ad hunc annum de hac materia.

10. Hoc eodem anno Olomucensi Episcopo cum Canonicis quibusdam litiganti, quod contra iuramentum ab ipsis præstitum, cum illustri Rege Bohæmiæ in eundem Episcopum, atque Olomucensem Ecclesiam conspirassent: Walsasanus, & Lubecensis Abbates iudices à Gregorio dati sunt de consensu vtriusque partis. p *Quatenus vocati, qui fuerint euocandi, & auditis hinc, inde propositis, quod canonicum esset, & statuerent: & statuta, appellatione postposita, facerent per censuras obseruari. Datum Laterani II. Kalendas Aprilis Pontificatus Gregorij anno primo.* Item Frisingensi Episcopo accusato, quod bona suæ Ecclesiæ dissiparet, & incontinentriæ; atque aliorum criminum nota inustus esset: Alders-Pachensis, & Salemitanus Abbates, vna cum Episcopo Eistetensi, directi sunt. q *Qui ad locum personaliter accedentes, inquirerent sollicite veritatem, & eam fideliter conscribentes, sub suis sigillis inclusam ad Gregorium transmitterent, eidem Episcopo terminum designantes, quo se Apostolico conspectui præsentarent, potestate obligandi, vendendi, infœndandi, seu quomodolibet alienandi, bona ipsius Ecclesiæ, eidem Episcopo penitus interdicta. Datum Laterani V. Kalendas Maij anno primo.* Demum Duce Brabantiæ cruce signato, sed alleganti senium, quominus habilis, non solum ad bellum, verum etiam ad iter subeundum redditus esset: Valsellensis, & Camberonensis Abbates missi sunt. r *Quatenus ad eundem personaliter accedentes, aut per seipsum adimpleret, si posset, votum, aut si non posset, quadraginta idoneos milites, cum sumptibus necessariis in proximo passagio Martij mensis mitteret in subsidium terræ sanctæ, per annum integrum ibidem militaturos. Datum Anagniæ sexto Kalendas Augusti, Pontificatus anno primo.* His plura alia leuiora addita sunt, in quibus non est opus immorari.

p ex Reg. Greg. 9. lib. 1.

q ex eisdem Greg. Reg. vbi supra.

r ibidem.

11. In Italia (incertum, qua occasione?) Sorani ciues in Monasterium Casæmarij, atque eius Fratres, & bona desæuiere. Forsan, viuente Honorio ab eo repressi, qua charitate, Casæmarium prosequebatur, post eius obitum violentius erupere. Constat effusum Conuersorum sanguinem, direpta bona, pecora occisa. Demum tot irrogatas iniurias Monachis, vt eorum tolerantiam superarent. Conquesti sunt apud Gregorium nonum: & se, quos sub Honorio, honore omnes, atque veneratione prosequerentur, non decere sub Gregorio adeo sperni; aut tot, ac tantis iniuriis subiacere. Amiserint fauorem simul cum Patre, at non odium incurrant, quod non meruerunt, nec permittantur populis, nulla sua culpa, in ipsos desæuientibus. Tum vero Summus Romanæ Ecclesiæ Pastor, quamuis in Fridericum ob retardatam in Syriam expeditionem offensus merito, has ad supremum Imperij Iustitiarium litteras dedit.s

s vbi supra n. 12.

Dilecti filij, Prior, & Conuentus Casæmarij, graui nobis conquestione monstrauit, quod S. Apostata, & quidam alij Sorani ciues ad quasdam eorum grangias accedentes, in quosdam ipsorum conuersos, & Fratres, vsque ad effusionem sanguinis manus violentas, ausu sacrilego iniecerunt, & bona ibidem inuenta tandem asportantes, occiderunt animalia, & alia eis damna grauia, & atroces iniurias irrogarunt. Quia vero aliena sunt compescendi virtute, qui sunt suo vitio sacrilegi inquieti, nobilitatem tuam rogamus, & monemus attente, per Apostolicam tibi Sedem mandantes, quatenus malefactores huiusmodi; taliter tibi tradita potestate, castiges, quod correctis facinorosis, pusillanimes consolentur, & nos deuotionem tuam debeamus merito commendare. Datis Laterani, XVI. Kalendas Maij Pontificatus anno primo. Ita Romanus Antistes ad Iustitiarium Imperij, sic enim eum vocat. Sed quæ supplicia sontes sequuta sint, nec constat ex Regesto, neque alibi potui reperire.

12. Quod attinet ad Militias Cistercienses: Sanct-Iulianæa, quæ iam Alcantarensis nominabatur, hoc anno prodiit t cum Rege Legionensi expugnatura Arces, oppidaque, quæ ab infidelibus versus eam partem, quæ hodie *Estremadura* possidebantur. Et expugnata multa, direptaque; & inter ea *Montaguem*, hodie *Montanches*: verum non sine graui damno accepto; quippe amisso Magistro, Didaco Sanctio, qui ab anno M. CC. XIX. sacram militiam egregie administrauerat. De loco sepulturæ eius nihil compertum. De successore statim actum est; dubium vocato Magistro Calatrauæ? neque enim vllam illius mentionem video. Electum constat Ariam Perezium, ex Gallecia oriundum, qui hoc eodem electionis suæ anno, in expugnatione Pacis Augustæ, vulgo de *Badajoz* egregiam operam nauauit Alfonso Regi. Ergo florebat Militia Alcantarensis sub vtroque Magistro, & nunc pridem à Mauris expugnata, sed rursus amissa, nunc noua alia castra, oppidaque, insigni pietate, & virtute sollicitabat, atque in his locis multis possessionibus, ædificiisque, & redditibus annuis dilatabatur.

13.

t Rades c. 5

---

1. *Loci Sanctæ Mariæ translatio celebris*, 2. *grauamina*, & *molestiæ*, 3. *à quibus ad Mariam est appellatum.* 4. *Cœlestis visio* 5. *comprobata ipso euentu*, 6. *& pauenda vindicta* 7. *de cunctis, qui inuadebant cœnobij bona* 8. *Recusata translatio per Theodoricum, Treuirorum Pontificem*, 9. *& tandem indulta.* 10. *Et dictum de Hermanno, & eius obitu.*

CAPVT NONVM.

1. ILLVSTRAVIT hunc annum translatio celebris loci Sanctæ Mariæ ex Treuirensi ad Colonienſem Diœcesim, quod Monasterium fundatum ante duodennium sub Hermanno Abbate, qui olim Heisterbacho, & dein Hemenrode præfuisset hoc ipso Tomo supra memorauimus.

mus. Hæc à Monachis diu sollicitata, quin prædicta à Virgine, atque cœlesti signo præostensa. Demum illustrata insigni illa, pauendaque vindicta, quam de inuasoribus bonorum Abbatiæ, sumptam per eandem Virginem, dignam (& meritò) Ecclesiasticis Annalibus censuit Abraham Bzouius, hoc nobis capite venit recensenda. Porrò eam partim ex Cæsario Heisterbacensi, qui tunc viuebat, partim ex antiqua Tabella M. S. quam in eodem cœnobio conseruari Longelinus affirmat, transcribitque, more solito fideliter reddemus.

2. Permansetat ad annos quinque plus minusve cœnobium in loco suæ primæ fundationis: & in re tenui, qualia rerum initia plerumque sunt, quietem tamen & pacem, quandiu vixit Aleydis, quæ fundauisset, pro immensis diuitiis computabat. Ab eius morte turbata vtraque fuit: quippe hæredes, quidquid Deo datum erat, ereptum sibi, & suis arbitrabantur; & dum se defraudatos altè dolebant, Monachos defraudabant ausu sacrilego. Quippe non solæ possessiones patebant eorum prædæ, sed possessionum fructus: abigebantur oues, bouesque; nec sibi Monachi seminabant, aut metebant, sed inuasoribus. *Viri quidam nobiles ex eius, id est Aleydis, cognatis* (ait Cæsarius [a]) *contra iusiurandum venientes, eandem nouellam plantationem querimoniis, minis, rapinis, multisque aliis incommodis molestabantur.*

a *lib. 7. Dialogor. c. 7.*

3. Igitur prægrauati tot insultibus, quibus resistere, aut imbelles non possent, aut humiles, & patientes nollent: quod vnum superesse videbatur, excusso pedum puluere, locum relinquere, atque ad matrem Heisterbachum redire deliberabant. Sed ô misericordia matris Domini! ô Dei beneficia singularia! *Abbati suo* (scilicet Hermanno) *tunc grauiter infirmanti* (ait Tabella antiqua) *propositum huiusmodi reuelarunt. Qui tanquam pius pater, filiis turbatis compatiens, remedium eis conseruationis adhibere curauit: mandans, ac monens, vt omnes orationi triduanæ insisterent, auxiliumque, & consolationem Diuinæ miserationis, cum fiducia humiliter expectarent.* Ita Hermannus, quo imbecillior corpore, spiritu robustior, vegetiorque, atque fortis in fide Diuinam Dei manum, auxiliumque sine vlla hæsitatione præstolabatur. Cæterùm quam non fundatus sit à desiderio suo vir verè Sanctus, eademmet Tabella pergit scribere.

4. *Tertia nocte cum à Fratribus in Oratorio Matutini psallerentur, Abbati in lecto decumbenti in visione somniali puella pulcherrima, alba veste thalari induta, ramum virentem cum floribus albæ spinæ (quæ Theutonicè* Hagdorn *dicitur) manu gestans apparuit. Quam cum Abbas stupefactus, quænam esset? inquireret, illa respondit: Ego sum illa fundatrix Ordinis vestri, ad cuius seruitium, & honorem, à meo vocati filio huc venistis. Consolare, & confortа Fratres, non enim derelinquam vos, sed inuamen opportunum faciam vobis. Deinde subiunxit: Coruscante die fac te duci vltra montem ad aliam ripam, quæ Maior Nistria dicitur, & vbi videris ramum isti ramo, quem teneo, similem, ibi mansionem facietis, egoque vobiscum ibidem vobis cooperans permanebo, mihique deuotè seruientibus propitia semper ero. His dictis, illa disparuit. Nec dubium quin illa consolatrix miserorum Regina cœlestis Virgo Maria fuerit, vt ex prædictis suis verbis satis apparet, & ex albæ vestis habitu, Virginitatis eius munditiam figurante.* Hactenus visio, & oraculum cœleste. At, quæ exinde in illius comprobationem sequuta sint, qualiterque responderit euentus, atque miraculo visionem comprobauerit, eademmet Tabella pergit scribere.

5. *Mane facto Abbas hac visione consolatus, Monachos conuocauit, & visionem suam eis aperiens, pro gratiarum actione reddenda Deo, Matrique misericordiæ, attentè eos monebat. Statimque præparata sibi vectura in locum, qui nunc vocatur* Meinbrechsauiue *deduci se fecit, vbi pro ramo sibi ostenso, circumspiciens, & non videns, processit vlterius in pratum propè Aueldos, putans ibi locum esse, nec tamen ramum inuenit. De hinc ad locum & situm præsentis Monasterij, vbi tunc pratum, & locus desertus fuerat, veniens in mense Februarij, quando hyems asperior inhorruerat, ramum lætabundus inuenit, ibique Deum glorificans lætus ait: Ecce hic est locus, quem Mater gratiæ nobis ad manendum præuidit; & ad eius honorem hic erit requies, & habitatio nostra. Dein facto isto diuulgato Domina Guda, antiqua aduocata, soror Domini Rodolphi de Grifenstein fecit construi Capellam, & altare edificari in ea, in loco, vbi visus fuerat ramus. Et hæc est Capella, quæ nunc contigua est Infirmariæ.* Hactenus ex Tabella illa desumptum, iocundum, & mirabile.

6. Sed audi mirabilius adhuc, etsi seuerius; nempe supplicium per eandem Virginem sumptum de iis, qui molestabant ipsius famulos. *Sancta Dei genitrix,* (ait Cæsarius [b]) *eiusdem cœnobij, id est loci Sanctæ Mariæ Domina, & aduocata, sicut à multis dicebatur, hoc apud filium egit, vt Henricus de Molsberg, qui præcipuus videbatur, obsideretur, & supra vires damnificatus, de proprio Castro eliminaretur. De Zegembergh Vir nobilis, à quo multum domus prædicta vexabatur, à seruo suo satis mirabiliter occisus est: alius quidam, ad eius depræ-dationem præparans, in via crepuit medius. Quam vindictam, cum audiuisset alius quidam nobilis, vnus de cohæredibus, venit ad locum timore correptus, dicens. Domina mea Sancta Maria sint tua tibi, ego parti meæ renuncio. VVilhelmus miles de Helpenstein, ab vxore instigatus, quæ se hæredem possessionum collatarum dicebat, cortem meliorem inuadens, Fratres multis expensis grauabat. Interim Sacerdos quidam Religiosus, confessor eius, nocte quadam in loco Sanctæ Mariæ per se visum transpositum vidit; & cum quidam ex Sacerdotibus celebraturus esset Missam, & à supra dicto VVilhelmo impediretur, Vir quidam nigerrimus fuste illum perussit, & occidit. Quem visum, cum ei recitasset, asserens eum in breui moriturum, nisi à vexatione Monachorum cessaret, ille stimulis quotidianis vxoris suæ se vrgeri conquerens, non acquieuit consulenti. Citatus litteris Papalibus, cum esset in violenta possessione, & iudices cum aduocatis iam negotium diutius pertractassent; tandem partibus duos dies præfixerunt, vnum amicabilem ad componendum, alterum ad litigandum. Qui eum componere non possent, diesque tres adhuc supererent ad litigandum, Ioannes de Horechim in Veteri-Monte conuersus, proxima nocte vidit se in somnis esse in loco Sanctæ Mariæ, audiens Virginem gloriosam clara voce, dicentem: Oportet me recedere à loco isto:*

b *vbi supra.*

Dicente

Dicente conuerso. Quo ibis, ô Domina? Respondit: ad filium meum, conqueri de VVilhelmo de Helpenstein, qui me non sinit quiescere in loco isto. Mane vero visionem referens Cellerario iam memorati VVilhelmi, subiunxit: Sciatis pro certo, quod Dominus vester cito morietur propter Conuentum loci Sanctæ Mariæ. Cui ille subridendo respondit. Non curetis, tamen vellemus esse absoluti ab eo. Qui post dies paucos pede truncatus pœnam soluit irrisionis.

7. *Eadem vero die cum VVilhelmus supra nemus spaciaretur, nisum portans super pugnum, à duobus Seruis Cornitis Seynensis, qui hominem sui iuris captiuum ducebant, quem ipse excutere nisus est, lancea transfossus, animam protinus exhalauit. Eadem hora, obsessa quadam in Villa, quæ* Trys *dicitur à Castro Helpo stein satis remota, ita cœpit saltare, manusque cum cachino complodere, vt vix à duodecim hominibus posset teneri. Interrogata, quid haberet? Respondit: Modo in hac hora Magister meus acquisiuit tres animas: nouerit is VVilhelmum de Helpenstein iam occisum. APOLONIVS: Quæ fuerunt illæ tres animæ? CÆSAR. Occisi, & occidentium, sicut coniicio, eo quod animam mortui habuerit in re, alias duas spe. Non multo post interrogatus Diabolus in Briseke de anima eiusdem VVilhelmi, per os alterius fœminæ respondit: Magister meus habet eam, & propter Monachos, quos spoliauerat, pice, & sulphure, illam infudit, vsque ad summum replens. Vxor verò, quæ ad malum tantum instigauerat eum, post breue tempus à priuigno de Castro cum liberis ejecta est: nam cum sit inexpugnabile, cum scalis nocte intrans, illam turpiter ejecit, iniuriam Beatæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ vindicans. Ab illo tempore vsque hodie Monasterium Cortem eandem quiete possidet, mentis gloriosæ Virginis Mariæ auditum.* Hæc habenda vindicta, de sacrilegis sumpta tam visibiliter, omnes haud dubiè Ecclesiasticorum bonorum inuasores, vt à cœptis desistant, terrere potest.

8. Hæc ante annum M. CC. XXII. quo scribebat Cæsarius. A quo tempore, & ante laborabatur, vt fieret translatio, & Monasterium in loco præsignato, atque à Virgine electo collocaretur. Obstabat tamen Treuirorum Archiepiscopus Theodoricus, vir pius; qui suam Diœcesim defraudari tanto collegio, vt consentiret, nulla prorsus ratione suaderi poterat. Quippe locus per ramum præsignatus in Coloniensi Diœcesi; & sibi ea seminaria quærenda per totum orbem, atque ad suæ Diœcesis fines adducenda; non ab eis ableganda, disputabat. Et perstitit quinquennio in hoc proposito, vt verè Hermannus, sicut alter Moyses, terram promissionis potuerit videre, sed non intrare. Defunctus quippe intra hoc quinquennium est, quin & eius successor dictus Vlricus: quoad vsque tandem Conradus illi suffectus, pia sollicitudine, & instantia, Principum precibus, sed multo magis Diuina inspiratione, vt consentiret translationi domus, hoc tandem anno potuit impetrare. Ita Tabella antiqua eiusdem domus, quæ in hæc verba translationem pergit scribere.

Quod (id est oraculum Marianum, atque oraculo miraculum conueniens inuenti rami) Dominus terræ Henricus Comes Seynensis percipiens, cum aliis pluribus nobilibus & potentibus, spiritu Dei inflatus, per quinquennium, & amplius laborauit apud Dominum Theodoricum, tunc Treuerorum Archiepiscopum, pro consensu transplantationis, eò quòd locus primæ fundationis, in eius Diœcesi esset situatus. Interim Dominus Hermannus Abbas moritur, cui succedit Dominus Vlricus, viuens in regimine vix vno anno. Quo defuncto, succedit ei Dominus Conradus, sub quo, consensu prædicto impetrato, Dominus Henricus Comes prædictus, sub Domino Engelberto Archiepiscopo Colonienſi, fecit ibi poni fundamentum ad construendum Monasterium, ad quod Conuentus sub Abbate Conrado prædicto descendit anno Domini M. CC. XXVII. Pergit deinde de progressu domus structura Ecclesiæ, dedicationeque, quam tandem incidisse, ait, in annum Domini M. CC. XXIV. cum aliis, quæ apud Longelinum videri possunt. 9.

Hactenus occasione translationis loci Sanctæ Mariæ, læta simul, & tristia, miranda vtraque, atque vtraque gloriosa nostris, illis temporibus, quibus etiam Abbatis Hermanni obitus, Viri haud dubiè Sancti, est subiungendus. Non quod hoc anno ad superos transierit, quem constat translationi ipsi præreptum esse; sed quod à M. CC. XXII. quo adhuc superesse Cæsarius tradit, ad hunc vsque decesserit, imò vsque ad M. CC. XXV. vt præfectura Vlrici, quantumuis breui, & Conradi electioni tempus remaneat. Quocumque obierit, ingentis apud Deum meriti creditur; quippe quem nunquam cœlestes visiones, reuelationesque deseruerunt, dum viueret. Vt non omnino certi indices hi excellentis Diuinæ gratiæ. Sed nec cui adeo in vita propitia fuit totius iustitiæ mater, defuisse in morte potuit; certè non voluit Sanctorum maximè stipata filiorum agmine, quos vbique genuisset, nec solum præcedebat, sed sequebatur. Matri suæ Hemmenrode Sancte profuit: & nihilominus duas alias Ecclesias, nequaquam inferiores plantauit, transtulit; vtramque iam ruinam minitantem, admonitus de cœlo stabiliuit, Monachos confirmauit, compescuit æmulos; vix verè magnus, & ad ardua quæque natus, neque vllis vnquam laboribus cessurus, nullis periculis. In Menologio memoria eius recolitur inter illustriores, ad vigesimam primam diem mensis Maij. 10.

1. *In Capitulo paucæ, aut nullæ leges.* 2. *Regalis Mons, Sancti Ludouici opus insigne;* 3. *Notata quædam de eadem fundatione.* 4. *Ignotæ aliæ, sed notior Maris stella.* 5. *Viridarium Monasterium Sanctimonialium.* 6. *Pounduni initia,* 7. *progressus,* 8. *translationes,* 9. *atque aliæ notitiæ.* 10. *Demum de Abbatia Viuariensi.*

CAPVT DECIMVM.

1. OBSERVARE ab antiquis præscriptas leges, quàm nouas alias condere, magis in mente Guillelmi Abbatis fuit; maximè vbi recens tunc electus, morbos fortasse; si qui irrepebant, nouerat; verum nondum remedia, quæ sola experientia magistra cognosci possunt. Pauca quædam ad cultum spectantia, nimirum Sanctæ Barbaræ, atque Anniuersariæ vniuscuiusque Ecclesiæ dedicationis. Item de Honorio tertio Summo Pontifice, vero Cistercij patre, precibus commendando per totum orbem, atque in singulos annos recolendo, religiosus, & pius æquè statuit: reliqua prætermissa. Nisi quod tamen, pro custodia Sanctimonialium, atque maiori earum, & ipsas adeuntium circumspectione, statutum voluit: *Vt nullus, præter visitatores, clausira Monialium ingrediatur; nec detur ei licentia loquendi cuiquam, nisi per feneſtram, ad hoc honestius præparatam, & per eandem feneſtram loquatur etiam de confessione.* Huic aliam addidit, per quam declarauit, easdem Moniales, si fortè excommunicationem incurrerent. *A nullo alio, quàm à proprio Abbate, & eius commissario posse absolui.* Hæc in Capitulo.

2. In Chronologia quatuor Abbatiæ, hunc annum concernentes, memorantur sequenti ordine.

Anno M. CC. XXVII. sexto Kalendas Martij fundata est Abbatia Regalis Montis.

Eodem anno Idus Maij Abbatia de Cœna.

Eodem anno quinto Kalendas Iunij Abbatia de Lubens.

Eodem anno Abbatia de Maris stella. Hæc Chronologia.

Regalem Montem, recens Regno potiti Ludouici insigne opus, & primum pietatis illius publicum specimen, non incœpisse ante annum M. CC. XXX. Guillelmus de Nangia, qui eiusdem Sancti Ludouici vitam scripsit, atque alij auctores, testificantur. Fortè ædificia hoc anno construi cœpta, per triennium adulta, & si nondum omnino consummata, tunc primum Monachos accipere potuerunt. Quocumque fuerit Cistercio in gloriam cedit, tanti approbatio Principis; & quod primitias Sanctissimæ suæ vitæ, simul, & Regni (nam duodennis erat) Cistercienſi Ecclesia consecrauit. Ergo de huius cœnobij fundatione, Magnificentia, situ cæteriſque, in vita Sancti Ludouici ista traduntur [a]. *Anno Domini M. CC. XXX. Regni sui quarto, Ludouicus, Rex Franciæ, iuuenili ardens casto amore, vtpote cuius anima, sicut cerous ad fontes aquarum desiderabat ad Dominum, construxit sumptuosam, & admirandi operis Abbatiam, in Episcopatu Belluacensi prope Bellimontem, in loco, qui* Cuimont *dicebatur: quæ modo à Regis nomine nominatur Mons Regalis, in qua ab initio nouitatis suæ Abbatem cum XX. Monachis de Ordine Cisterciensi, ad seruiendum Domino ibidem instituit, & Ecclesiam intrinsecus constructam, ornamentis Ecclesiasticis mirificè decorauit. Et vt Diuinis laudibus Monachi Dei cultores, in eadem assiduè commorantes, per inconuulsa tempora, liberius, deuotiusque vacarent, eidem loco plurima, & ingentia prædia, vnde possent sustentari, misericorditer erogauit.* Hactenus Nangius.

a *Histor. Franc.*

Notat Robertus Gaguinus [b], qui fundationem ad annum anteponit. *Dum circa huius cœnobij institutionem, Rex animum intendit, seditio inter ciues, & Parisienses scholasticos insurgit, ita, vt nonnullis vtrinque occisis, cum sibi de iniuriis acceptis satis non esse factum, scholastici quærunt, eo indignatio processit, vt de transferendo studio, hoc est (vt vulgo loquuntur) vniuersitate, consultarent: quos etiam Rex Anglus, Francorum perpetuus, & implacabilis hostis, clandestinis nunciis, vt id facerent, sollicitabat: Daturum se illis dicens, (si Oxoniam transirent) domos ad diuersandum, libertatemque, atque priuilegia concessurum. Sed Ludouico cura fuit scholasticos continere, ne nobile Regnum litterario splendore priuaretur, quem Diuus Carolus Magnus, auctore Alchuino, Parisiis locauerat.* Hæc ab eo notata, quamuis aliena, coincidentia cœnobij constructioni nequaquam mihi omittenda esse putaui, Academiam præcipuè inhabitanti, in qua sæpè à ciuibus scholastici & multa pati solent. Monachos ex Cistercio acciuit Rex, qui à se constructam domum inhabitarent: neque dubium Venerabilem Guillelmum tales elegisse, qui Regiæ pietati probari possent. In Veteri Breuiario Parisiensi, in Festo Sancti Ludouici (Roberto Claudio attestante [c]) memoriæ proditur. *In eodem cœnobio Sanctum Regem genibus flexis, cibum, & potum ministrasse leproso Monacho, præsente Abbate, atque in lachrymas erumpente.* Ea Ludouici Regis Sanctitas erat, ea erga Regalis Montis Monachos, non beneuolentia solum, sed quæ in Regibus rarior familiaritas. In hoc eodem cœnobio sepultus iacet Ludouicus iuuenis, eiusdem Sancti Ludouici primogenitus. Cæterum quanta cum Maiestate, ab ipsa, in qua decessit, curia, illuc deductum, cum aliis, quæ concernunt Regalem montem, atque edita intra breue tempus prole, Regali Valle, suis singula locis dicenda erunt.

3. b *lib. 7. in S. Ludou.*

c *In Catal. Eccles. Cist.*

Ignotiora duo alia Monasteria de Cœna, & de Lubens, quippe æquiuoca cum aliis anterioribus; nec discernenda ex signis, aut quæ alibi extra Chronologiam inueniantur. Certè Cœnam Mariæ superius diximus; & Lubens in Polonia, filia Portæ, antiquior est, vt ex filiabus, quas genuit comprobatur. Maris stellam Abbatiam in Allemania intra propriam Constantiensem Prouinciam, Salem peperit, sub Abbate Euerhardo, & Belthingen alio nomine vocauit. Quippe in libris Camaræ ita scribitur. *Maris stella, aliàs Belthingen, Ordinis Cistercienſis. Florenos CC. L.* In Regestis Innocentij Papæ quarti promiscuè vtroque nomine appellatur. *Abbati, & Conuentui Monasterij Maris stellæ, Cistercienſis*

4.

cienſis Ordinis, Conſtantienſis Diœceſis. Et iterum. *VVernero conuerſo Monaſterij de Belthingen, Ciſtercienſis Ordinis Conſtantienſis Diœceſis.* Porrò in horum primo priuilegio, illi conceditur, *vt ad prouiſionem, vel receptionem alicuius in penſionibus, vel Eccleſiaſticis beneficiis, per litteras Apoſtolicas Abbas, & Monachi cogi vltra non poſſint, niſi plenam de tali indulgentia fecerint mentionem. Datum Lugduni Idibus Octobris, Pontificatus anno quinto.* In alio vero, tam perſona dicti conuerſi, quam Monaſterium de Belthingen, *in quo Diuino mancipatus erat obſequio, cum omnibus bonis; &c. Sub Beati Petri, & Innocentij Papæ protectione ſuſcipiuntur, &c. Datum Lugduni ſecundo Idus Februarij anni ſequentis.* Fundatores habuit Henricum Comitem de Rappeſvvil, & vxorem Annam Comitiſſam ab Hamberg: dotatorem vero Rodulphum Halſatiæ Langrauium, qui poſtea ad Romanum Imperium eſt euectus. Hæc pro nunc ſatis. Nam cætera, quæ ad hoc cœnobium pertinent, & quæ ſub eodem Pontifice Innocentio paſſum ſit, occaſione procurationum, qualiterque ab ipſo defenſum fuerit, ſuis, & tempore, & loco erit dicendum.

5. Sequuntur Monaſteria Sanctimonialium; Viridarium, Poundunum, & Viuarienſe, quæ ad hunc annum non minus referuntur: de quibus ſingulis breuiter dicendum: de Viridario Miræus [d] hæc in Chronico. *Viridarium Beatæ Mariæ (vulgo* Vergier*) celebre eſt Monialium cœnobium, inter Duacum, & Cameracum. Huius exordia Toparchæ Oiſiacenſi circa annum Chriſti M. CC. XXVII. attribuunt.* Meminit eius etiam Robertus Claudius in Gallia Chriſtiana; ſed ex quo nulla maior notitia deſumi poſſit.

d *Ad hunc annum.*

6. Idem Aubertus Miræus, ex Bruſchio de Pounduno [e]. *Poundenſe Monaſterium ſitum eſt apud Rauenſburgum, vulgo* Poundum *nuncupatum: de quo ſic Bruſchius. Huius exordia debentur aliquot piis Virginibus quæ anno M. CC. XXVII. conuenientes, ſtructoque oratorio, apud Seefeldum, Vicum Acconiani lacus, ſub cura Abbatis Salemitani primum habitarunt. Inde poſt annos ſex migrantes, apud Puſſium montem, haud longè à Sulgouio, Dapiferorum VValburgenſium oppido, annis etiam aliquot ſubſtiterunt, iam numero auctiores. Demum fautorem nactæ Conradum Pincernam à VVinterſtetem, & Dominum Nyſen anno M. CC. XLI. in Pounduno Vico ſtabilem ſedem fixerunt: eſtque Monaſterium ab Henrico Thanenſi, Epiſcopo Conſtantienſi, conſecratum. Sepulti ſunt in eo Couradus fundator, cum vxore ſua, Guta, & filia Irmengarde, quæ poſt obitum mariti ſui Conradi Pincernæ, Smalnecani, hic facta eſt Monialis, & poſt Abbatiſſa. Ita Bruſchius in Chronologia Germaniæ.* Ita Miræus in Chronico Ciſtercienſi, ſed latius Henriquez [f], & diſtinctius in ſuis liliis. *Poundani Monialium Ciſtercienſis inſtituti cœnobium, infra Rauenſpurgum, Ciuitatem Imperialem, & vineas Sueuicas, ad initium ſyluæ, per quam itur ad oppidum VValdſoch, amœniſſimo, & fertiliſſimo loco ſitum, ſic cœpit, vt ex vetuſtis libellis colligitur.*

e *Ad hunc annum.*

f *lib. 2 diſtinct. 15.*

7. *Anno Domini M. CC. XXVII. conuenerant piæ quædam ſorores ſub Euerhardo Abbate Salemitano apud Seefeldum, pagum Acroniani lacus. Hæ ſibi domunculam, ſeu oratorium ſtruentes, ſex ibi annis, & totidem menſibus vixerunt, in pia admodum, & innocenti conuerſatione. Poſtea cum aliis quibuſdam ſororibus coniunctæ apud Buſſium montem, antiquitus Sueuum montem dictum, habitarunt propè Sulgouium, oppidum hodie Dapiferorum à VValburg, vbi quinque aliis annis iterum cum ſumma difficultate permanſerunt. Erat autem ea tempeſtate Monachus quidam Salemitanus Burchardus à Veckenſtein: is Sulgoui apud Dominum Conradum, Pincernam de VVinterſtettem, ac Dominum in Nyſem, Friderici Imperatoris nomine gubernatorem Sueuiæ, & Burgundiæ, interceſſit pro dictis ſororibus id ignorantibus, vt is propter Chriſtum iſtis Virginibus conſuleret, & auxilio præſidioque adeſſet. Conradus autem ad Regem Conradum, Haganoam accitus, nihil certi Monacho petenti reſpondere potuit. Ex Hagano vero reuerſus, reuocauit ad ſe Burchardum, Fratrem Salemitanum, qui tunc cum Friderico Monacho, & artium Magiſtro doctiſſimo inuentus eſt apud Comitem de Heiffenſtein iacentem in extremis apud Sigmaringum. Is Bruchardus, cum veniſſet, ingreſſi ſunt Conradus Pincerna, & Conradus à VVynada cum Fratre Burchardo, Monaſteriolum, vt videret ſtatutum, & vitam eius loci Monialium. Cumque eas fundatorem nullum habere intellexiſſet, Conradus Pincerna pollicitus eſt, ſe fore fundatorem, & conſtantiſſimum Monaſticæ huius Religionis tutorem, ac defenſorem. Mox itaque ex arce ſua frumenta, & vina mittens, ad ſufficientem Monialium ſuſtentationem, ſtatim etiam de commodiori loco conſtruendi cœnobium cogitauit.*

Elegerat autem ad hoc ipſum primò pagum Geiloffenſem, ſed aduerſabantur Monachi Augiæ minoris: elegerat & alia loca; ſed tamen Poundunus pagus viſus eſt, ad extruendum locum ſacrum, omnium commodiſſimus. Anno itaque, M. CC. XXXVII. dedit præfectis ſuis centum octuaginta libras obulorum, quibus lignea ad ædificandum idonea adornari facerent, Monaſteriumque extrui curarent. Cumque id iam accedentibus aliunde etiam quotidianis ſubſidiis, exædificatum eſſet, tranſlatæ ſunt Moniales, ex Buſſenſis montis vicino oratorio, Poundum, anno Domini M. CC. XLI. in die Innocentum. Harum Gubernatrici, & Abbatiſſæ, Dominæ Annæ à Franchenkoſen, Religioſiſſimæ fœminæ, quæ diu præfuerat piis iis ſororibus, antea quoque cœnobium commendauit, & habitandum dedit Conradus Pincerna, vna cum omnibus ad id pertinentibus, bonis, pagis, agris, vineis, ac redditibus, quibus vti, ac frui liberè, & licitè deberent ſub obſeruantia Religionis, & in diligenti exercitio piorum cultuum. 8.

Mox vero à patruo ſuo Epiſcopo Conſtantienſi, Henrico à Thann, Domino in VValburg, hoc etiam impetrauit, ac precibus facilè obtinuit, vt recens conditum Monaſterium dignè ab eo conſecraretur, quod factum eſt in octaua Sancti Ioannis Apoſtoli. Quicumque autem iſti conſecrationi interfuerunt, hi in Altorſenſi vicino pago liberaliſſimè, & lautiſſimè excepti, ac tractati ſunt. Et elapſo biennio in Vigilia Sancti Matthiæ Apoſtoli obiit fundator Conradus Pincerna à VVinſterteltem, & Dominus in Nyſſen, qui cum coniuge ſua Domina Gutta quieſcit in domo Capitulari huius ſui Monaſterij Poundenſis, in ſplendido, ac de terra eleuato tumulo. Sequenti anno, videlicet M. CC. XLIV. dotauit idem Monaſterium liberaliſſimè Conradus à Samalneck, Fundatoris Conradi gener, qui Imperatoris Friderici ſecundi 9.

castra sequutus obiit postea in Apulia, & ibi sepelitur apud Barulium, seu Brulionum. Eius coniux Domina Irmengardis, Fundatoris filia, post defunctum, & in acie casum charissimum maritum, tanto mœrore perculsa est, vt vitam suam honestissima conuersatione sub obedientia Regulari deinceps transegerit, & in Christo finierit inter Sanctas preces, ac pia ieiunia, in hoc ipso Monasterio, à parentibus suis laudabiliter fundato, & dotato. Hæc maxima etiam huius Monasterij fuit benefactrix, & ampliatrix studiosissima, eodem loco cum parentibus sepulta. Hactenus Henriquez, qui subiungit Abbatissarum seriem, quam Lector apud ipsum videre potest. Porrò hanc Hermergandam, tertiam loci Abbatissam, Menologio adscribit idem auctor, ad diem tertiam mensis Octobris.

10. Vltimum sequitur Monasterium Viuarienſe, non longè ab Atrebato: de quo hæc in Ferreolo Locrio notata lego: *Anno M. CC. XXVII. Asceterium Viuariense, sesquimilliari abs Atrebato remotum, per nobilem Virum Eustachium, Nouæ Villæ Dominum, Eustachij ex Adela filium, ad Beatæ Virginis Mariæ honorem constituitur, ac Virginibus, Cistercienſem Regulam professis incolendum traditur. Frater Henricus Talemponensis, Ordinis Prædicatorum Religiosus, Eustachij rogatu, operibus instituit, atque sacrarum Virginum societati idoneum perfecit ædificium. Prima Antistitarum Bertha vocabatur. Hodie R. D. Maria Rocurtia, eaque vigesima quinta præest, Variorum, quæ, seu lapsu temporum, seu iniuria bellorum corruerant, ædificiorum reparatrix. Gregorius IX. Alexander IV. Innocentius IV. aliique Pontifices Maximi istis ædibus diplomata dedere, quibus priuilegia alia conceduntur, alia confirmantur. Ex Monum. M. SS. eius loci.* Hactenus ille: nec nos plura ad hunc annum. g *In Chron. Belg. ad hunc ann.*

ANNVS CHRISTI M. CC. XXVIII. ANNVS CISTERCII C. XXXI.

1. *Murmur in nostros, molestiæque ab Episcopis*, 2. *& Guillelmi pro eis sollicitudo.* 3. *Priuilegia impetrata*, 4. *quantum ad diætas*, 5. *quantum ad exemptionem à generalibus*, 6. *pro Eleemosynis*, 7. *pro sepulturis.* 8. *Coniectata Romam Cardinalis intercessio ad hæc omnia.* 9. *Et declaratum quod ex eis illustrius, antiquiusque, & quatenus à Gregorio relatum in corpus iuris.*

CAPVT PRIMVM.

1. ASCENTEM annum Christi Seruatoris, M. CC. XXVIII. Cistercij trigesimum primum, supra centesimum, Gregorius nonus, & Guillelmus tertius, ille totius Ecclesiæ, hic Cistercienſis, summus vterque, proportione seruata, Præsul; ille indulgens, hic petens, consecrarunt. Quippe Guillelmus de grege suo sollicitus, nihil omittebat, quod eius quietem, & pacem promoueret, Gregorius in eodem grege sibi complacens, nihil, quod peteretur, denegabat. Concitabat inuidiam reliquorum potentia Cistercienſium; & diuitiæ accrescentes quocumque titulo, multorum auaritiam, fortè, & aliorum zelum, stimulabant. Nam cur qui ad paupertatem nati essent, atque eo titulo ab aliis secessissent; nunc præ his etiam, à quibus se segregarunt, locupletentur? Vix esse Principem, vix diuitem, qui non Cistercium eligat, cui donet, & per quod sibi fauorem Dei conciliet? Quid si & hominum? Non alios acceptiores esse Regibus, non in eorum aulis frequentiores per speciem fugientium; à quibus sæpè soleant reuocari, nunquam tamen, vt absint, sed vt rogentur. In pretio esse eos, quos ipsi laudant, quos vituperant, despectui omnes habere. Haud aliam viam ad ambitum patere, apud probos præcipuè, nisi per ipsos, sed ea semel inuenta, nullum esse, qui non se probum, aut simulet, aut faciat; vt non virtutibus, saltem largitionibus. Diuisam olim fidelium largitatem inter Ecclesias, ita cunctis sufficere, vt nulla redundaret: nunc omnibus in Cistercium solum collatis, depauperari reliquas; in Cistercienſibus omnia superfluere. Hactenus abstinuisse à sepulturis, idque ex præscripto suarum constitutionum, vt sibi temperarent, & hanc habendi occasionem aliis relinquerent. Nunc iam patere claustra cadaueribus, patere Ecclesias, neque aliam vim habere prohibitionem, quam, vt crescente ab ipsa desiderio, carius vendere possent, quod aliàs nullus forsan apperiuisset. Iam quæ legata à defunctis non extorquent? Quæ non donaria à viuis? quasi tradito semel proprio corpore, tradendove, omnia cum ipso videantur fore tradenda. Hinc multæ lites motæ super his omnibus, à Clericis præcipuè: & vi molestiis saltem nostros opprimerent, & grauarent expensis, qui longiori interuallo diuisi erant, iudices per surreptionem impetrabantur.

2. Hæc, & alia Guillelmus animaduertens, atque altè dolens Cistercij immunitatem per Sanctos suos, & glorioſos prædecessores non solum acquisitam, & conseruatam, sed in maius extensam, sub ipso infringi: per se, an per suos? Gregorium Papam adiit, & frustra sibi diuitias inuideri, quæ pauperibus cedant, ex quibus præter onus dispensandi nihil suscipiant. Sufficere Cistercio, quæ possidebat; nec quid aliud appetere, aut si sibi donetur, admissurum. At si fideles pauperibus donare, quæ habent, velint; atque ipsis iniungant, vt distribuant, quo possint, titulo honesto detrectare? An laici erunt deuotionis suæ fructu fraudandi, quia Clerici inuideant? aut prohibere ministri Christi possunt, quod Christus ipse consulit? Nam quid quæso damnatur in his legatis? an Eleemosyna? Sed illa est opus non solum Deo gratum, sed Reipublicæ vtile: & quod vel inter infideles commendetur. An ministri, per quos facienda venit? indigno se non negant, qui eligantur: sed an vbi vel seruus eligi

eligi potuit, ipsi soli arceantur, ne designentur? Arceantur sanè, si abutuntur ministerio: sed si quia fideles inueniuntur, eliguntur ab omnibus; non se frustrari fructu, si impediantur, quibus sola obedientia sit in merito. Frustrari tamen ipsos largitores, & eorum voluntatem: quid si pauperes etiam frustrandi veniant? Arcuisse se ab Ecclesiis suis cadauera, qua sola eis licuit prohibitione. Non captare morientes, non aliquem inuitare ad sepulturam, quamuis in eo nullum fortè peccatum esset. Sed si à Principibus, à quibus tot recipiunt beneficia, ad id sollicitentur, quo iusto titulo se valeant denegare? An fundatores expellant à propriis domibus? an terram in Ecclesia sua negabunt, his etiam ipsis, à quibus accepere? Iam si super his forent conueniendi, cur tam longè trahantur? Cur grauentur tam immodicis expensis, vt vilius constet causa cecidisse, quàm litigare? Demam ab eiusdem Gregorij antecessoribus dudum sibi concessum, ne in litteris alioqui generalibus contenti intelligantur, nisi de ipsis fecerint mentionem: ob quod demeritum reuocatum hoc priuilegium? Aut quæ ipsorum culpa, ob quam meruerint ipso defraudari?

3. Hæc, & similia ad Gregorium Papam delata sub huius anni initium, quatuor ab eo extorserunt priuilegia intra triduum indulta, in quibus sigillatim, nec sine laude, singula, quæ Guillelmus petebat, concedebantur. Et primo quidem, quod molestius reputabat, quia contra Deum, quia contra Monachatum, quia contra pauperes; nempe quod Monachi extra claustra diuagari in locis remotioribus, dum lites prosequuntur, compellerentur: qua occasione Deus debito cultu, Monachi sua quiete, & pauperes bonis, quæ itinera, & lites insumebant, defraudabantur, hoc, inquam, quod molestius reputabat, ante alia impediri, & supplex petiit, & gaudens obtinuit: impetrato, Ianuarij die decima, Apostolico indulto, prohibente, ne Cistercienses vltra duas diætas, occasione quarumuis litterarum, siue trahi ad iudicium, siue respondere in ipso compelli possent. Id priuilegium, non commodum tantum, sed honorificum, quia cum magna Cistercij laude præmissa, ex Regestis Gregorij noni transcriptum, hæc habet verba [a].

a Epistolarum Gregorij lib. 1. 4.

Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis Abbati Cistercienſi, & vniuersis Coabbatibus eius, & Fratribus sub eodem Ordine Deo seruientibus: salutem, & Apostolicam benedictionem.

Si adhuc Amalech persequitur Israëlem, dum cupidi, & auari homines, Viros Religiosos, Dominum videre per contemplationis otium cupientes, non solum aperta sæuitia, verum etiam subdola caliditate multipliciter inquietant; nos qui veri Moysis vices, licet immeriti, gerimus, debemus illorum, & refragari conatibus, & versutiis obuiare; ne Virgam peccatorum super sortem iustorum relinquere videamur. Ex parte siquidem vestra fuit expositum coram nobis, quod nonnulli Clerici, & Laici non tam iustitiam suam prosequi, quàm vos persequi damnabiliter intendentes, vos vltra duas, plureſve diætas à Monasteriis per litteras Apostolicas faciunt malitiosè citari, vt fatigati laboribus, & expensis, vel cedere litibus, vel damnosas subire compellamini pactiones. Vt igitur sapientia vincat sua suauitate malitiam, cum experimento sciamus, quàm sit amarum Sanctæ contemplationi vacantibus, distrahi litibus odiosis, volentes quantum cum Deo possumus vestræ quieti consulere; ne de cætero vltra duas diatas à Monasteriis propriis per litteras Apostolicas trahi positis in causam, auctoritate vobis præsentium indulgemus: nisi litteras de hac indulgentia fecerint mentionem. Nulli ergo, &c. Datis Laterani quarto Idus Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo. Hactenus priuilegium, cui Guillelmus institisse præ aliis censeri debet; quippe quod ante alia omnia impetrauit; & quidem merito, ne longius diuagari Monachi cogerentur contra institutum.

Cæterum ne vel propè egredi claustra, ad propria defendenda iura, opus haberent; saltem ne facili, nullave occasione, traherentur ad vrbes etiam proximas; sequenti die antiquum priuilegium innouari impetrauit, quo nullis litteris comprehendi nostros, nisi in ipsis expressos, declararetur. Porrò eius priuilegij tenor est talis [b]. 5.

b *Ex eisdem Regest. vbi suprà.*

Abbati Cistercienſi, & vniuersis Abbatibus, & Monachis Cistercienſis Ordinis.

Cum Cistercienſis Ordinis titulus per Dei gratiam, adeo sit insignis, quod vix credatur ab iis, qui contra vos litteras impetrant, sine malitia procedere valuisse: nos & illorum fraudibus obuiare, ac innocentiam vestram volentes fauorabiliter confouere, auctoritate vobis præsentium indulgemus, vt nequeatis per litteras Apostolicas conueniri, quæ de Cistercienſi Ordine non fecerint mentionem. Nulli ergo, &c. Datis Laterani VIII. Idus Ianuarij, anno primo. Ita Gregorius nonus Ecclesiæ pastor.

His, quæ ad clausuram, & quietem Monachorum facere videbantur, stabilitis per Guillelmum parentem, tum demum censuit ad alia transeundum. Eademque die, vndecima Ianuarij, duo alia impetrauit priuilegia, alterum pro viuentium donationibus, alterum pro defunctis sepeliendis, quorum hic tenor [c]. 6.

c *vnde suprà.*

Cistercienſi Abbati, & cæteris Abbatibus, & Monachis Cistercienſis Ordinis.

Cum ea, quæ vobis pietatis intuitu offeruntur, quasi totaliter pauperibus Christi cedant, ita, quod potius exinde vobis dispensationis onus incumbat, quàm commoditatis vsus accrescat: reputatum est non solum impium, sed etiam abusiuum, aliquid de datis vobis Eleemosynis, aliorum auaritia, vel inuidia defalcari: ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod si quando fideles Christi, aliqua de bonis suis mobilia, vel immobilia, deuotionis obtentu, in vita sua Monasteriis vestris donant, Ecclesiarum Prælati, in quorum Parochia donatores existunt, super his temere se opponunt, exigendo exinde certam aliquam portionem. Volentes, igitur super hoc quieti vestræ congruo remedio prouidere, auctoritate vobis præsentium indulgemus, vt de his, quæ Monasteriis vestris taliter offeruntur, nullam cogamini cuiquam soluere portionem. Nulli ergo, &c. Datis Laterani III. Idus Ianuarij, anno primo. Ita Gregorius pro viuorum oblationibus. Cæterum de defunctis sepeliendis hoc aliud expediit diploma eadem die [d]. d *ibidem.* 7.

Abbati Cistercienſi, & cæteris Abbatibus, & Monachis Cistercienſis Ordinis.

Cum ante facies vestras cum Sanctis animalibus gradientes, obliti, quæ retro sunt, in ea, quæ ante sunt vos laudabiliter extendatis, proficiendo vobis per vitæ meritum, & aliis per exemplum; libenter

libenter impertimur vobis gratiam, & fauorem, scientes nos exinde illi placere, qui vestrum acceptat placitum famulatum. Hinc est, quod deuotionis vestræ precibus annuentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, vt si fundatores Monasteriorum vestrorum, vel alij fideles apud Monasteria vestra elegerint sepulturam, dummodo non sint excommunicati, vel interdicti, aut etiam publicè vsurarij, eorum deuotioni, vel eorum voluntati nullus obsistat; sed liceat vobis corpora ipsorum, non obstante alicuius contradictione temeraria Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Nulli ergo, &c. Datis Laterani III. Idus Ianuarij, anno primo. Ita Guillelmus, sua sollicitudine, Gregorius Pontifex sua in nostros beneuolentia, largitateque, initia consecrarunt intrantis anni.

8. Crediderim impetrandis his priuilegiis, tum facilius, tum breuius interuenisse Romanum Cardinalem, Diaconum Sancti Angeli, illum nimirum, quem in Legatia Galliæ, sub Honorio, successisse Conrado superius diximus: quippe occasione Albigensium hæreticorum Cistercienſibus vsus, eorum tum doctrinam, tum pietatem, atque contemptum rerum humanarum expertus, eximio amore, & honore prosequebatur. Constat tunc recens ex Anglia reuertentem, vbi Legatum egerat, cum denuo ad Galliam redire compelleretur ad petitionem Ludouici Regis, vt errore iam iamque senescentes, verum à morte Ludouici Patris, atque ipsius absentia velut repullulantes, radicitus, si posset, extirparet; congregari Capitulum fecisse, ante tempus consuetum præscriptumque, atque obtinuisse à Gregorio Papa litteras, queis se, & negotium Cistercio commendaret. Quare aut diffideret, sine eorum experientia, notitiaque, qui rem à tanto tempore tractauerant, peragi in ea fœliciter quid posse, aut saltem nullis magis vti vellet, quàm his, quibus ante vsus fideles, & industrios inter homines, atque à Deo exaudiendos non dubitabat. Nec multum erit, si pro eis intercesserit coram Pontifice, quos sibi optabat ad Deum intercessores. Sed de his latius capite sequenti.

Interim adnoto, ex quatuor priuilegiis, quæ 9.
intra triduum Guillelmus impetrauit, id, quod reuera maius, illustriusque, quodque adeo à Venerabili Abbate Ioanne præ cæteris vulgatum in eius collectione circumfertur, nempe ne Cistercienses in vllis litteris comprehendi censeantur, quæ expressam de eis non fecerint mentionem; iam olim ante annos sexaginta plus minusve, eisdem indultum ab Alexandro III. occasione decimarum, quæ ab eis fraudulenter, tacito, quod Cistercienses essent, exigebantur; quod latius, tomo secundo demonstrauimus. Verum, cum illud siue per non vsum, siue per obliuionem exoleuisset, aut ab aliquibus in dubium reuocaretur; Gregorius Pontifex duplici remedio huic malo sibi obuiandum fore putauit; primo, dum innouauit idem indultum honorificè satis; eam causam assignans, quod nullus, qui in Cistercium litigaret, expers omnino malitiæ præsumeretur: Secundo, dum innouatum suo diplomate in corpus iuris redigi curauit, inter alias epistolas, quas à Beato Raymundo Barchinonensi, suo iussu collectas, & digestas per titulos, voluit pro iure in Ecclesia conseruari. Et fortè ideo Alexandri Decretalem, non suam posuit in capite: *Cum Ordinem* de rescriptis; vt eo maior concessioni, siue declarationi esset auctoritas, quo longæuior antiquitas; & se in ea non tam nouum ius edere, quàm innouare antiquum manifestaret. Sed de his satis. Nunc ad Edmundum ad patriam redeuntem, atque ibidem strenuè prædicantem de Pontificis iussu, reuertamur.

---

1. *Rex Ludouicus Romanum Cardinalem aduersus Albigenses Legatum petit.* 2. *Responsum eius, & iustæ petitiones.* 3. *Gregorius ad Capitulum Generale Cistercij scribit;* 4. *atque item ad Regem gratulans puero,* 5. *& nihil illi denegans.* 6. *Legatus Grandis Syluæ Abbatem sibi associat,* 7. *per quem Tolosam missum, cunctos reducit.* 8. *Sera, sed seria obedientia Raymundi,* 9. *per priores Ludouici litteras patens,* 10. *eiusque humilitas, ac prudentia singularis.*

CAPVT SECVNDVM.

1. RESERVAVERAT Diuina prouidentia à sæculis æternis hæreticorum Albigensium extirpationem puero Ludouico, Francorum Regi: quos ante centum annos plus, minusve, in terra illa exortos, nunc Verbo Dei, & miraculis admonitos, nunc clauibus coërcitos, nunc materialibus armis impugnatos, nulla vis hactenus, nullusve conatus, nulla media, aut remedia extirpassent. Igitur, vt Rex Sanctus, adhuc impubes, ab hoc tanto, tam egregioque facinore, sui Regni primordia auspicaretur; eam illi mentem, per consilia matris infudit, vt intermissum bellum à morte patris, acrius ipse resumeret, & petito à Pontifice Gregorio, Romano Cardinali, qui vltimus Legationi illi præfuisset, & cæteris rem totam melius nosset; ad id simul incumberent, vt pestem illam grassantem à tanto tempore, radicitus in Gallia resecarent. Hæc Ludouici Regis petitio fuit, cum nondum annum expleuisset ætatis decimum quartum. Sentit Gregorius præsentem Diuinam manum, in qua sunt corda Regum, sensit virtutem, cui nec valeret, nec vellet contraire: & quamuis Romæ sibi perneceſſarium Cardinalem Romanum, qui tunc recens ex Anglia reuersus fuerat, omnimodis cognosceret, censuit tamen ad Galliam remittendum. Quatenus Ludouico Regi assistens, vtroque vterque gladio, atque alter consilio, alter potentia, crucis hostes per crucem debellarent.

Vocatus Cardinalis Romanus ab ipso est, & 2.
Legatia proposita, ad quam solus à Rege expeteretur, & cui aptior præ aliis ob hanc, & alias causas reputabatur. Ille, vt erat in zelo fidei feruidus,

feruidus, & promptus ad obsequium Summi Pontificis, non se laborem, aut onus recusarurum, promisit lubens; sed esse aliqua omnino necessaria, sine quibus negotium peragi nequeat, sed neque valeat prudenter inchoari. Primò, plenariam sibi potestatem debere concedi, ne dum consultat, occasiones elapsæ fugiant, nulla mox arte, aut potentia reuocandæ: tales esse eligendos ad hæc negotia, queis credi possit merito: sed credendum electis, & permittendum aliquid iudicio res propius inspicientium, qui ex tempore successus captare possunt. Secundò, vt indulgentiæ cruce signandis per omnia innouarentur: vt vtraque maiestas mutuo connexa milites inuitaret, dum non minus se à Deo, quàm à Rege mercedem accepturos, per temporalia, per æterna bona præstolarentur. Et tertio tandem, Cistercienses, in hoc negotio per tot annos expertos, abundare personis, quibus præ aliis vti necesse habeat; abundare & Viris contemplatiuis, qui suis claudere cœlum orationibus, suis meritis valeant aperire: multum valere orationem iusti assiduam: quanto magis tot hominum Sanctorum: nec nisi Moyse leuante manus suas, Israëlitis victoriam contigisse. Congregent Synodum, quæ ipsis familiaris, & litteris à Gregorio Papa datis, quas ipse ferat, iubeantur intercedere. Inde se assumpturum in partem muneris, quos tantæ causæ inuenerit aptiores. Nihil potuit, aut voluit denegare Cardinali Gregorius, de cuius tum zelo, tum prudentia, & peritia agendorum non dubitabat. Ergo habito tractatu cum Guillelmo, vt Synodus hoc anno anticipato, sub Aprilis initium celebraretur, has ad eundem Guillelmum, & Coabbates, cum eo congregandos, litteras dedit [a].

a lib.1. epistola 49.

Abbati, & Capitulo Generali Cistercienſi.

Et si armis materialibus expediat pacis, & fidei negotium adinuari, plus tamen est armis spiritualibus, videlicet orationum suffragiis insistendum, nam orante Moyse, Iosuë pugnans Amalecitas in ore gladij superauit [b], *& Beatus Petrus missus in carcere* [c] *illæsus euasit, cum ad Dominum oratio sine intermissione fieret ab Ecclesia pro eodem; & iuxta Iacobum Apostolum* [d] *deprecatio iusti assidua multum valet, cum per orationem Heliæ cœlum multo tempore clausum fuerit* [e], *& eodem orante, Dominus pluuiam dederit, & terra protulerit fructum suum. Cum igitur dilectus filius noster Rom. S. Angeli Diaconum Cardinalem denuo mittamus pro eodem negotio, de latere nostro Legatum, qui de orationibus vestris valdè confidit, pro eo, quod alis Sanctæ contemplationis assumptis, vt Dominum in Sion videre possitis, in Religionis sollicitudinem auolatis; charitatem vestram monemus, per Apostolicam vobis sedem mandantes, quatenus supplices orationes fieri faciatis, vt ipse pius, & misericors per gratiam suam in manu Legati prædicti salubriter dirigat negotium memoratum; ita quod optatum, & laudabilem finem ad honorem Dei, & Ecclesiæ sortiatur. Datis Laterani XII. Kalendas Aprilis, anno primo.* Hæc ad Concilium Cistercij Generale Gregorius nonus, in quibus tertium: in quibus duo priora continentur, quæ petebat Romanus, has ad Ludouicum Regem, easque eadem die litteras dedit [f].

b Exod. 17.
c Act. 12.
d tom. 5.
e 3. Reg. 17.
f lib. eodem epist. 15.

Illustri Regi Franciæ.

Negotium, quod agitur aduersus Albigenses Hæreticos, negotium est pacis, & fidei orthodoxæ, pro qua semper stetit Regnum Francorum, tanquam ex ipsius sollicitudine fundatum: & progenitores tui personas exposuerunt, & bona; ita quod eorum deuotio in vniuerso mundo specialis existere nunciatur. Huiusmodi autem deuotionis feruore succensus recordationis inclytæ pater tuus, tanquam verus Israëlita, prosequutus est negotium memoratum, & illud fideliter prosequendo, de terrenis ad superna migrauit. Tu quoque imitator deuotionis eiusdem, primitias tuas eidem negotio dicare cœpisti, charitatis zelo submittens viriliter humeros, vt posses perficere, quod à patre tuo laudabiliter extitit inchoatum. Super quo Omnipotentem Dominum collaudamus, qui tibi tam pium inspirauit affectum, & suppliciter deprecamur, vt fœlicem exitum, per suam misericordiam largiatur. Et quidem cum Principes terrarum purgare debeant malis hominibus terras suas, magnificentiam tuam decuit, vt cor, & manum apponeres, ad profligandam de partibus Albigensium hæreticam prauitatem, quæ, cum sit intra terminos Regni tui; famæ tuæ, ac honori expedit, vt tam potenter, quàm celeriter pestem extirpes eandem, ne, si diutius differas, fides ibi omninò depereat: & quam terram tenent Catholici, amittatur; ac pestis huiusmodi ad loca magis proxima se transfundat. Denique Nabuchodonosor Rex legitur [g] *decreuisse, vt periret, quicumque blasphemaret Dominum Sidrach, Misach, & Abdenago; & domus eius etiam interiret. Si ergo Rex alienigena, ne Deus Israël blasphemaretur disseruit, tu Princeps Christiane, Christianissimorum progenitorum successor, & hæres, cui fortè Dominus alto, & secreto suo iudicio consummationem negotij reseruauit, contra blasphemos ipsius, deuoti Principis officium non implebis, nisi eos pro viribus satagas expugnare.*

g Dan. 3.

Licet autem dilectus filius noster Rom. S. Angeli Diaconus Cardinalis, vtpote consilio, ac discretione conspicuus, in negotio ipso feruens, nobis esset apud Sedem Apostolicam perneces-sarius, & eius præsentia plurimum opportuna: quia tamen cura instantia postulasti, eum ad hoc mitti denuo de latere nostro Legatum, & in hac parte, quantumcumque in eius absentia nobis depereat, curabimus exaudire, ne fortè te opinari contigeret, quod non esset cordi nostro iam dictum negotium, si non mitteremus Cardinalem eundem; de quo certum est, quod te ac domum tuam, ac totum Regnum Francorum spirituali affectu diligit, & honoris, ac exaltationis suæ desiderat incrementum, ac eiusdem negotij naturam, & circunstantias plenè nouit; propter quæ, & alia multa, in quibus ipsum possimus merito commendare, res ipsa propter sui arduitatem Cardinalis præsentiam exigebat. Ecce igitur Cardinalem eundem iterum exponentem se labori huiusmodi, pro eo, quod ardens est in dicto negotio; nec non & pro spirituali dilectione, quam ad te, & Regnum tuum habere dignoscitur, illuc prouidimus destinandum; vt præeunte Diuinæ pietatis auxilio, errata corrigat, & deformata reformet, noxia euellat, plantetque salubria, ipsam terram diu obsessam, sentibus vitiorum, & fructus iniquitatis, ac amaritudinis

ritudinis proferentem ; fructus pietatis , & dilectionis , auctore Domino , faciat germinare. Cui etiam tam in Regno Francorum , quàm in Prouincia , nec non in Lugdunenſi , Tarantaſienſi, Ebreduenſi, Vienenſi, Biſuntinenſi, Aquenſi , & Arelatenſi Prouinciis , plenè legationis officium duximus committendum : data ſibi libera poteſtate deſtruendi , & euellendi , diſſipandi , diſperdendi , ædificandi , atque plantandi , diſponendi , ordinandi , ſtatuendi , diffiniendi , & faciendi quæcumque ſecundum datam ſibi à Domino prudentiam , viderit facienda. Ideoque ſerenitatem Regiam rogamus , & hortamur attentè , in remiſſione tibi peccaminum iniungentes , quatenus ipſum , ſicut Apoſtolicæ Sedis Legatum , imo verius nos in ipſo deuotè recipiens , & honeſtè pertractans , ad proſequutionem , & conſummationem prædicti negotij iuxta diſcretionem , & arbitrium dicti Legati , ſollicitè , ac diligenter intendas ; hilaritate cordis , & animi ſic acturus , quod laude digna ſit tua deuotionis ſyncerità , & progenitorum tuorum memoria immemorabilibus, operibus tuis viuat. Nos enim ad præſens iuxta conſilium Cardinalis eiuſdem innouamus indulgentias Laicis , & Clericis , illuc proficientibus , ab Apoſtolica Sede conceſſas ; ac nos in aliis etiam acquieuimus Cardinali prædicto , prout negotio credidit expedire. Datum Laterani XII. Kalendas Aprilis. Hactenus Gregorius , qui in eandem formam ſcripſit Reginæ Blanchæ : nec non & cunctis per Galliam Archiepiſcopis , & eorum ſuffraganeis, in quorum litteris tenor indulgentiarum continebatur.

6. His litteris ſuſceptis , Cardinalis ad Capitulum prius (niſi me fallit non leuis coniectura) inde ad Regem Pariſios aduenit : ſeu fortè ibidem celebrata Synodus eſt , quæ hac ſola occaſione celebrabatur. Conſtat , ex ea præter alios quoſdam , aſſumpſiſſe Heliam , Grandis ſyluæ Abbatem , per quem omnia tractaret ; atque ardua quæque , & grauiora peragerentur. Tunc publicata per totam Galliam cruce, atque indulgentiarum innouatione, amore Chriſti , & exemplo Regis pueri , tot crucibus ad bellum ſignati ſunt , vt quos hactenus arma non potuiſſent , tunc ſolus terror vinceret : & nullo penitus euaginato gladio (nedum ſanguine fuſo) negotium fidei, & pacis perficeretur : idque per dictum Abbatem Grandis-ſyluæ à Legato directum , quaſi bellum , aut veniam ex parte Eccleſiæ , & Chriſti prædicaturum. Hinc eſt , quod ſcriptores Ludouici de hac re pauca ſcribunt: quaſi minus ei fuerit glorioſa , quia ſine bello. Papyrius Maſonius [h] hæc tantum , cum plus cæteris. *Teneram eius (Ludouici) ætatem dilexiſſe ſuperi videntur , poſtquam anno Regni ſecundo , ſecta Albigenſium momento concidit , quæ nullis armis extingui potuerat.* Sed qua ratione tandem extincta ſit , & quid in ea extinguenda Abbas Helias ; ex Guillelmo de Podio coæuo teſte , qui rem cæteris aliis melius narrat , atque ipſis eius verbis proferamus [i].

h *lib. 3. ann.*

i *cap. 39.*

7. *Interea* (ait) *Venerabilis Abbas Grandis-ſyluæ , Dominus Helias Garini , venit de Francia auctoritate Legati , pacem offerens Toloſanis , qui quaſſati multis vexationibus prælibatis , paci conſentiunt faciendæ , & ſumptis tre-guis , miſcentur colloquia circa Vaſegiam ; & quod ſit in Franciam ordinatur eundum. Et locus ad conueniendum primo fuit Meldis in Bria, ciuitate Comitis Campaniæ, aſſignatus ; affuerunt-que tam iuſſi , quàm ſpontanei , Archiepiſcopus, eiuſque ſuffraganei Prouinciæ Narbonenſis. Veneruntque illuc Comes Toloſanus , & alij Viri, & ciues Toloſæ , qui in forma pacis , ſeu aliis inſtrumentis inde formatis nominantur. Eratque ibi Legatus , pluresque alij Prælati , qui fuerant euocati : vbi tractando pacis modum , diebus pluribus eſt immoratum. Deinde profecti ſunt Pariſios , vt in præſentia Regis deberent omnia conſummari omnibuſque ad calcem dictis , & ſigillatis , reconciliatus fuit Comes in die Paraſceue : & qui cum eo erant excommunicationis ſententia innodati. Eratque pietas Virum tantum videre , qui tanto tempore , tot , & tantis nationibus poterat reſtitiſſe, duci nudum in camiſia , & bracis , & nudis pedibus ad altare. Erant præſentes ad hæc duo Romanæ Eccleſiæ Cardinales, vnus, Legatus noſter in Regno Franciæ , & alter in Regno Angliæ Epiſcopus Portuenſis. De forma vero pacis non mea intereſt ſcribere , cum vulgata , & ſcripta à pluribus habeatur.* Hactenus Guillelmus. Qui etiam addit , Raymundum Comitem , propria voluntate Pariſiis in cuſtodia Regis manſiſſe , quoadvſque omnia , quæ pacta inter vtrumque , & cum Legato Sedis Apoſtolicæ , eiuſque commiſſario exequerentur.

8. Serus aduenit Raymundus ad Eccleſiam , ſed ſerio tamen , & verè reſipiſcens , nec poſt admiſſum pœnitentis habitum , quid indecorum ſibi reputauit, quod faceret ad criminis admiſſi ſatisfactionem. Multa ab illo exacta per Legatum, multa per Regem , pro Eccleſia , pro fide , pro bono publico , pro quibus hactenus pugnauiſſent cruce ſignati , neque pauca in fauorem Ciſtercienſium , quia eos præ aliis hæretici infeſtaſſent , quos ab initio vindices , quos ſuæ perfidiæ habuiſſent impugnatores : nonnulla etiam intuitu Fulconis, Toloſani Epiſcopi ; cuius zelo, effectum fuerat , & conſtantia , vt ſub Principe hæretico , Catholica permanſiſſet Toloſa magna ex parte. Demum ad horum omnium ſecuritatem maiora petita , difficilioraque ; quæ tamen Comes Raymundus humilis acceptauit, & Religioſus impleuit , nec ſine fructu. Reliquas conditiones inferius proſequar ex litteris Ludouici Regis excerptas. Nunc duas tantum pro quibus in cuſtodia remanſit Comes , cum multis ex nobilibus Toloſæ , ex aliis litteris eiuſdem Ludouici pandere libet. Alteram, vt filiam ſuam Raymundus , velut obſidem, traderet ſub honeſtiori titulo coniugi , cum altero ex duobus Fratribus Regis , ſed tradendam ſtatim cum decem Caſtris , & nuptias in ipſius cuſtodia præſtolaturam. Alteram , vt Toloſæ muros dirueret , & impleret foſſata ; ne vel in Regem rebellare poſſet , vel in aditum ad Arcem Narbonenſem , quam habiturus erat, impedire. Litteras Ludouici ſuper vtroque , quia hactenus , quod ſciam , non ſunt vulgatæ , ex Vaticano fideliter tranſcriptas hic libet promere [k].

k *Ex Regeſt. Gregorij IX. lib. 2.*

Ludouicus Dei gratia Francorum Rex, vniuerſis, ad quos præſentes litteræ peruenerint , ſalutem.

Nouerit vniuerſitas veſtra , quod Raymundus , filius Raymundi , quondam Comitis Toloſani , remanſit in Priſione noſtra Pariſiis apud Luperam,

Luperam, ad petitionem ſuam, & de propria ipſius voluntate, pro pleniori Eccleſiæ ſecuritate, & noſtra; donec idem Raymundus filiam ſuam in poteſtate noſtra apud Carcaſſonam nunciis noſtris tradiderit, & decem Caſtra; videlicet Caſtrum Narbonenſe, Pennam in Agen Rupem, &c. noſtris ſimiliter nunciis aſſignauerit. Ita quod cum filiam ſuam & dicta Caſtra, ſicut promiſſum eſt, tradiderit, & de hoc nobis, & chariſſimo noſtro S. Angeli Diacono Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, conſtiterit; idem Raymundus liberè reuertetur: eo autem reuertente, Guido de Cauellione, Raymundus de Caſtro nouo, Bertrandus de Montibus, Hugo de Rois, Hugolinus de Ponte, Ernaldus de Calquino, Pontius Ortolanus, Ernandus Burranus, Raymundus Iſanus, Bernardus de Miromonte, Raymundus de Ponte, Hiſpanus Garini, Bertrandus de Ganingues, Petrus de Cociano, Petrus de Montibus, Bernardus de Villanoua, Petrus de Toloſa Moranenſi, Raymundus, filius Seneſcalli Hugonis de Alfairo, & filius Hugonis Ioannis, qui ad maiorem ſecuritatem Eccleſiæ, & noſtram remanſerunt obſides cum eodem, penes nos in Hoſtagio remanebunt. Donec nobis, & eidem Legato conſtet, quod de muris Toloſanis dirutum ſit vſque ad quingentas Taiſias ..... in parte illa videlicet, quæ circuit Caſtrum Narbonenſe; ita quod ad ipſum Caſtrum, liberè pateat acceſſus, & repleta ſint ibidem ad plenum foſſata. Quod cum factum fuerit, & de hoc nobis, & dicto Legato conſtiterit, iidem obſides liberè reuertentur. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum, præſentibus litteris duximus apponendum. Actum Pariſiis anno Domini milleſimo, ducenteſimo, vigeſimo octauo, menſe Aprilis. Hactenus litteræ Ludouici Regis.

In quibus tamen, vt obiter id notem, duo perpendo. Alterum eſt, quàm Reges, qui ſibi noti, parum fidere valeant, non de aliis tantum, ſed de ſe ipſis; in priuata fortuna parua vtilitas, quam facilè contemnas; quæuis infamia magna, quam reformides; cum maximè nihil prorſus, quo tegas, habeas. Principum commoda plerumque ſuperiora, minora dedecora; & quæ vel ad eos accedere vereantur, vel radiis Maieſtatis obnubilentur. Honeſtam habet cauſam, non qui meruit, ſed quicumque præualuit: nec dehoneſtat iniuſtos, aut periuros; ſed victos eſſe. Senſit Raymundus trahendum ſe ab vtili, quoties honeſtum ei liberum foret. Voluit ergo in cuſtodia remanere, non vt Legatum & Regem ſecuros faceret, ſed vt ipſe de ſe eſſet ſecurus. Alterum eſt, quam nihil prorſus arduum, vbi Deus aſpirat. Vix intra ſexquimenſem peracta ſunt (ni fortè fallunt litterarum datæ) idque ſine vllo motu, quæ tot annorum ſpatia, tot exercitus, tot Martyrum coronas, tot miracula, vt non fruſtraſſent, ſaltem effugiſſent. Sed iam ad alia pacta, conuentaque cum Comite Raymundo tranſeamus. 10.

---

1. *Capitula per Legatum iniuncta Raymundo Comiti*, 2. *pro Eccleſia, pro fide*, 3. *pro bono publico.* 4. *ſatisfactiones aliis exhibendæ;* 5. *ſed præ aliis Ciſtercio.* 6. *Erecta Academia Toloſana ad inſtantiam Fulconis*, 7. *& confirmatæ donationes eidem factæ.* 8. *Quædam alia mandata contra hæreticos.* 9. *Raymundi obedientia: & Ciſtercium præ aliis commendatum in eius litteris.*

CAPVT TERTIVM.

1. QVAMVIS conditiones pacis (nam ſic eas auctores ferè appellant) initæ cum Raymundo, Toloſæ Comite, tam per puerum Regem, quàm per Legatum, vulgatæ ab aliis iam dudum circumferantur, vt notauit Guillelmus Podienſis, & eas nouiſſimè Eccleſiaſticis Annalibus inſeruerit Bzouius ad hunc annum: quia tamen magna ex parte noſtros concernunt, nempe ex damnorum, eiſdem illatorum, expreſsè in eis pacta compenſatione, qualem non video aliis, ſpecialiter ſaltem exhiberi: quod hæretici haud dubiè nullis aliis infeſtiores, quàm noſtris extitiſſent: tum ex inſigni paleſtra litteraria dotata Toloſæ, & bonis confirmatis Epiſcopatui ad inſtantiam Fulconis, quæ ad illius hiſtoriam æquè conducunt. Demum, quia in vulgatis mutata quædam, alia minus authentica inueniuntur: placuit eaſdem, & ſi non continuas, ne ſua prolixitate tædium pariant, ex parte repetere; provt in litteris Ludouici Regis contentæ, datis ad vniuerſos Chriſti fideles, ex Bibliotheca Vaticana, & Regeſtis Gregorij, ad me tranſmiſſæ, inter alias habentur, quæ ita habent [a].

Ludouicus Dei gratia Francorum Rex.

Nouerint vniuerſi, præſentes pariter, & futuri, quod cum nobilis Vir Raymundus, Comes Toloſanus, diu in excommunicatione perſiſtens, Eccleſiæ Dei, & nobis eſſet longo tempore contumax, & rebellis; ad cor tamen rediens, Domino faciente, ad mandatum Eccleſiæ, & chariſſimi amici noſtri Romani, Sancti Angeli Diaconi Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legati, & noſtrum, venit humiliter, & deuotè, abſolutionem ſuam petens, gratiam, & miſericordiam Eccleſiæ, & noſtram, & non iudicium poſtulando. Promiſit autem dicto Legato, nomine Eccleſiæ Romanæ, & nobis, quod Eccleſiæ, & nobis, & hæredibus noſtris, de cætero deuotus erit, & vſque ad mortem fideliter adhærebit. Et quod hæreticos, & eorum credentes, fautores, & receptatores, in terra, quam ipſe, & ſui tenent, & tenebunt, ſemper pro totis viribus expugnauit, non parcens in hoc proximis, Vaſallis, conſanguineis, nec amicis, & terram eandem purgabit ab hæreticis, & hæretica fœditate; & iuuabit in purgare terram, quam tenebimus nos. Et promiſit, quod iuſtitiam debitam ſine mora faciet, de hæreticis manifeſtis, & fieri faciet de inueniendis hæreticis credentibus, fautoribus, & receptatoribus eorum-

[a] Priuileg. & Epiſt. Greg. IX. tom. 6. 2.

dem, secundum ordinationem, quam super hoc faciet dictus Legatus. Et vt facilius, & melius hæretici valeant inueniri, promisit, quod soluet vsque ad biennium duas marchas argenti, & exinde in perpetuum vnam, ei, qui hæreticum ceperit; & per Episcopum loci, aut alium, qui potestatem habeat, ille qui captus erit, fuerit de hæresi condemnatus; ita quod si plures ceperint, pro singulis dabit, vel dari faciet tantidem. De aliis non manifestis, & credentibus receptatoribus, & fautoribus hæreticorum seruabit, & seruari faciet, secundum quod dictus Legatus, vel Romana Ecclesia ordinabunt.

3. *Item seruabit, & seruari faciet pacem in terra, quam ipse, & sui tenebunt, & inuabit seruari in terra, quam nos in manu nostra tenebimus, & & ruptuarios expellet, & puniet animaduersione debita receptatores eorum. Ecclesias, & Viros Ecclesiasticos defendet, & defendi faciet à suis. Iura, & libertates, & immunitates, quas habent, conseruabit eisdem, & faciet firmiter conseruari. Et ne de cætero intra illum claues Ecclesiæ contemnantur, sententias excommunicationis seruabit, & seruari faciet à suis, & per suos: excommunicatos vitabit, & vitari faciet, sicut in sacris constitutionibus continetur; & si aliqui per annum in excommunicatione contumaciter permanserint, extunc idem Comes ad mandatum Ecclesiæ, ipsos ad sinum matris Ecclesiæ redire compellet, occupandi omnia bona sua, mobilia, & immobilia, & tenebit ea, donec ad plenum satisfaciant de causa, pro qua fuerint excommunicationis vinculo innodati; & de damnis datis occasione excommunicationis prædictæ, & faciet omnes Baliuos suos institutos, & instituendos, in ipsa institutione iurare, quod omnia prædicta fideliter obseruabunt; ita quod si negligentes in iis reperti fuerint, pro modo delicti puniantur; & si culpabiles omnium puniantur amissione bonorum. Instituet etiam Baliuos non Iudæos, sed Catholicos in terra, & nullius hæresis suspicione notatos; & tales prohibiti, non possint admitti ad emendum redditus ciuitatum, Villarum, vel Castrorum, vel pedagiorum: & si fortè aliquis talis ignoranter institutus fuerit, expellet eum, & puniet, cum super hoc fuerit certificatus.* Hactenus quæ pro fide, pro Ecclesia, pro pace publica, quibus tamen inferius addita alia, quæ à nobis etiam venient memoranda.

4. Sequitur de damnorum [b], nostris præcipuè illatorum, compensatione.

b *vbi suprà.*

Item promisit idem Comes, quod omnia bona immobilia, & iura Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum Virorum ad præsens restituet, & restitui faciet ad plenum à suis in tota terra, quam ipse, & sui tenebunt; illa videlicet, quæ Ecclesiæ, vel personæ Ecclesiasticæ tenebant ante primum aduentum Cruce signatorum, vel de quibus constabit eas esse spoliatas. De aliis stabit iuri coram ordinariis, vel coram dicto legato, vel à Sede Apostolica delegatis. Promisit etiam, quod ipse soluet in posterum integrè decimas, & solui faciet integrè à suis bona fide; & quod milites, & alij laici non habeant decimas in terra, quam ipse, & sui tenent, & tenebunt; nec permittet eos habere: sed ad Ecclesias iuxta dispositionem ipsius Legati, vel Ecclesiæ Romanæ integrè reuertentur. Pro damnis vero illatis à se, vel à suis Ecclesiis, & Viris Ecclesiasticis super rebus mobilibus, vel destructione domorum, vel Villarum, vel aliarum rerum, exceptis immobilibus, de quibus debet fieri restitutio, sicut superius dictum est, soluet decem millia marcharum argenti, assignanda à bonis Viris, personis idoneis, & fidelibus, quas ipse Legatus eliget, & Ecclesia Romana; quæ quantitatem prædictam de bonorum Virorum consilio proportionabiliter, & fideliter diuident, iuxta quantitatem damnorum: nec poterunt ipse, vel sui pro damnis mobilium, vel destructione bonorum, vel Villarum, sicut expressum est superius, vltra summam illam amplius conueniri.

Item soluet Abbati Cistercienſi duo millia marcharum argenti, vt emantur inde redditus pro refectione Abbatum, & Fratrum in Capitulo Generali: Abbatiæ Claræ-Vallis, quingentas marchas ad emendos redditus pro refectione Abbatum, & Fratrum, quando conueniunt in Festo Natiuitatis Beatæ Mariæ: Abbatiæ Grandis-Syluæ, mille marchas: Abbatiæ Bellæperticæ, trecentas marchas: Abbatiæ Candely, ducentas marchas, ad dicta Monasteria construenda; tum pro damnis eisdem illatis in rebus mobilibus, tum pro salute animæ suæ. Idem sex millia marcharum soluet, quæ retinebuntur ad muniendum, infortiandum, & custodiendum Castrum Narbonense, & alia Castra, quæ nos pro Ecclesiæ, & nostra securitate tenebimus vsque ad decennium, provt inferius continetur, & sicut visum fuerit expedire. Supradicta vero XX. millia marcharum soluet vsque ad quatuor annos, ita quod quolibet anno soluantur quinque millia marcharum. Hæc de iniustè ablatis restituendis, & resarciendis damnis; in quibus illud perpendendum est, quod cunctis aliis tantum generaliter, vt generalia passis, nostris, quia specialiora passi sunt, specialis compensatio designatur: neque solum illius Prouinciæ Ecclesiis, in quas sæuitum; verum Claræ-Vallensi, & Cistercienſi, in quas nunquam potuissent debachari. Siue vt odium in familiam totam conceptum, in obsequium totius familiæ cederet, eoque in subsidium illarum expensarum, quibus vniuersa familia procurabatur; siue vt illatæ Monachis iniuriæ, qui illuc confluebant ex toto orbe, cum non possent in singulis cœnobiis, in illis saltem duobus compensarentur; idque non alio tempore, quam eo, quo ex cunctis ad ipsa confluebatur. Nam & Abbates de linea Claræ-Vallis ibidem conuenire solitos esse, cum irent ad Capitulum, & vidimus superius, & ex hac ipsa annualium reddituum colligi potest assignatione. 5.

6. Pergunt litteræ ad duas alias conditiones, illustres satis, ad instantiam Fulconis, de Academia fundanda apud Tolosam, quæ hodie perseuerat, & confirmanda Sedi Tolosanæ donatione Simonis, dum Raymundo parente spoliato, potiretur Tolosa, atque eius circum circa ditioni dominaretur. *Item quatuor millia marcharum deputabuntur ab ipso Comite quatuor Magistris Theologiæ, duobus decretistis, & sex Magistris artium liberalium, & duobus Grammaticis regentibus Tolosæ, quæ diuidentur hoc modo. Singuli Magistrorum Theologiæ habebunt singulis annis quinquaginta marchas vsque ad decennium; vterque Magistrorum decretorum habebunt triginta marchas vsque ad decennium singulis annis; singuli Magistri artium habebunt viginti*

viginti marchas vsque ad decennium similiter annuatim ; vterque Magistrorum artis Grammaticæ habebit similiter annuatim decem marchas vsque ad decennium. Hoc initium Academiæ Tolosanæ, quæ hodie perseuerat, floretque, quam Deus ab æterno destinatam, incomparabili thesauro possidendo corporis Sancti Thomæ, Doctoris Angelici, per hæc media; aut initia præparabat. Haud aliter deserturo Sancto Cistercij domum, nimirum Fossam nouam, in qua decessit, quàm si inde ad aliam non minus Cistercien sem, quamuis suæ familiæ peculiarem, eueheretur : quin imo Cistercien sem duplici titulo, ex donatore, & dotatore domus, quod supra vidimus, & quod modo narramus, ex totius Academiæ promotore. Sed de his suo loco. Academiam ibidem ordinare consilium fuit, pro Theologis præcipuè, vt ex continuo eorumdem magisterio, antydotum contra hæreses, & contra errorum tenebras veræ sapientiæ lumen, quantum in ipsis esset, præpararetur.

7. Iniunctum etiam Comiti Raymundo. *Vt post absolutionem assumat pro pœnitentia sua crucem de manu dicti Legati contra Sarracenos, & ibit vltra mare ab instanti passagio mensis Augusti, vsque ad aliud passagium eiusdem mensis proximè futurum, ibidem ad quinquennium integrè continuum moraturus.* Sequitur obligatio de non grauandis his, quæ Ecclesiæ adhæsissent, & contra ipsum, aut parentem eius, sumpsissent crucem, tum de tradenda filia Ludouico, vni ex Fratribus eius, cum per ætatem liceret nuptura. Inde diuisio iurium, terrarumque, quæ facilè apud Bzouium videri potest. Et rursus redit Fulco Tolosanus, atque ad eius instantiam confirmatio donationis à Monfortio Comite factæ. *Viride folium cum pertinentiis suis dimittat idem Comes* (Raymundus) *secundum donum bonæ memoriæ patris nostri, Regis Ludouici, & Comitis Montisfortis, Episcopo Tolosano. Ita tamen, quod Episcopus Tolosanus pro viridi folio faciat eidem Comiti, quod debebat facere Comiti Montisfortis, &c.* Pergunt litteræ in iurium partitione, & tandem ad Ecclesiæ causam iterum redeunt.

8. *Si vero aliqui hominum, qui remanebunt in terra, quæ dimittitur Comiti, noluerint redire ad mandatum Ecclesiæ, & nostrum, & specialiter Comes Fuxensis, & alij, idem Comes faciet eis viuam guerram, nec pacem cum ipsis faciet, vel treugas sine assensu Ecclesiæ, & nostro : & si terræ ipsorum occupabuntur, remanebunt eidem Comiti, destructis tamen prius omnibus munitionibus, & fortalitiis muris, & fossatis ; nisi nos pro securitate Ecclesiæ, & nostra, vellemus ea retinere, vsque ad decennium post acquisitionem, & tunc cum reditibus, & prouentibus ipsum Castrum retinebimus. Item idem Comes faciet dirui muros ciuitatis Tolosanæ omnino & fossata repleri, iuxta mandatum, voluntatem, & ordinationem legati. Item diruentur muri funditus, & replebuntur fossata triginta Villarum, & Castrorum per ipsum Comitem, videlicet de Fano Ionis, de Castro nouo, de Villis aliis, ad voluntatem dicti legati, nec poterunt reædificari sine voluntate nostra, nec alibi fient nouæ forteritiæ. Villas tamen non infortiatas bene poterit facere idem Comes, si voluerit in terra, quæ dimittitur ei. Si vero aliqua Villarum, vel Castrorum, quæ debent dirui, vt dictum est, essent hominum suorum, & nollent quod diuuerentur, idem Comes faciet eis viuam guerram, nec pacem, nec treugas sine assensu Ecclesiæ, & nostro eis faciet, donec impleantur fossata, & muri diruantur. Omnia supradicta promisit, & iurauit nobis, & dicto Legato præfatus Comes ; se firmiter, & perpetuo seruaturum bona fide ab hominibus, & Vasallis, & fidelibus suis firmiter obseruari.*

Hactenus quæ præcipuè ex conditionibus, quibus non solum Raymundus Comes subscripsit, nouo instrumento desuper confecto, sed nobiles Tolosæ, Prouinciæque, adeo, vt si qui extra obedientiam Ecclesiæ remanserunt, destituti ab aliis, vel inuiti venire coacti sunt; & Raymundi vestigia consectari. Porrò ipse Raymundus, Deo propitio, dum sibi ipsi diffidit, cuncta peregit, nihil prorsus omittens ex his, quæ pepigit, & quæ à Legato, & Rege iussus fuisset. Extant, legunturque ab ipso editæ post quinquennium elapsum Sanctiones, Catholico, & pio Principe dignæ, quas Bzouius adducit, viginti, & vno capitibus comprehensæ, dignæ, quæ supradictis subiicerentur, nisi satis ab aliis vulgatæ forent. Vna ex illis ordine XVII. *Item statuimus, vt nullus sit tantæ temeritatis, quod domos religiosas, & præcipuè Cistercien sis Ordinis offendat in aliquo, in rebus, vel personis, palam, vel occultè. Et si quis contra hæc fecerit, bona ipsius occupentur, de quibus, passis damna plenariè satisfiet, & persona ipsius animaduersione debita puniatur ; volentes, & mandantes contra huiusmodi maleficos diligentem, ac peruigilem, celeremque inquisitionem fieri, non obseruata nimia iuris subtilitate ; & reperti, seu conuicti in huiusmodi maleficiis, prout culpæ enormitas exegerit, puniantur, vt alij exemplo perterriti, contra domos religiosas delicta similia committere perhorrescant.* Hunc habuit finem Albigensium hæresis, molesta Ecclesiæ satis, prolixaque, sed ex parte vtilis, quod illius occasione Sanctæ inquisitionis tribunal mundo exortum, quod non ipsam tantummodo, sed alias & emergentes cohibet, & ne de nouo emergant, prouidè cauet. Sed de his satis : nunc ad alia huius anni transeamus. 9.

1. *Elisabetha à quibusdam consanguineis* 2. *honorificè satis*, 3. *mox interuentu Procerum Siciliæ*, 4. *ab affinibus etiam honoratur.* 5. *Gregorij Papæ litteræ ad ipsam*, 6. *& eiusdem profectus ab ipsis litteris.* 7. *Innouata obedientia, & assumptus habitus griseus.* 8. *Quæ Franciscanam probent?* 9. *Quæ Cistercien sem?* 10. *Responsum ad priora*, 11. *& obiter in eis conuicta aliqua.* 12. *Demum iudicium de vtraque sententia latum.*

CAPVT QVARTVM.

1. INTER hæc cum probata longo tempore Elisabetha Vngaria in camino miseriæ, & paupertatis, fidelis semper à Deo esset inuenta, post tempestatem serenitas illuxit, à qua plus sibi timendum fore putauit. Per quandam Abbatissam Benedictinam, materteram illius, excepta primum, mox per auunculum illius Rabenburgensem, & iam supra quam vellet, procurata, & honorificè habita. Demum Ludouici Lantgrauij, dilecti coniugis, ossibus ad se adductis, recepit omnia, non secus ac si ipse reuixisset: quippe, quem viuens vnicè dilexerat, tunc vel defuncto concessum promoueri. Sed qualiter hæc omnia gesta sint, verbis Iacobi Montani describamus. *Erat*, ait [a], *Sanctæ mulieri matertera, Sanctimonialium præfecta cœnobio; quæ audita neptis suæ calamitate, miseram ad se quamprimum acciri, aduectique; adductam ad Rabenbergensis Ecclesiæ Episcopum, auunculum ipsius, transmitti honorificè procurauit. A quo humanissimè susceptæ, cum aliquandiu ibidem egisset, cœpit Vir prudens, iuxta consilium Apostoli, adolescentiorem adhuc viduam, matrimonio velle deuincere, sollicitoque animo expendere, cuinam potissimum ex Principibus eam desponderet: ob idque ipsam vna cum pedisequis tantisper ad aliam transmisit arcem, dum maturius, qui rem melius conficeret, ex sententia deliberaret.* Et post timores non solum Heroinæ, sed ancillarum, ne à Sanctæ castitatis voto, dissuaderentur. *Sed Episcopus*, ait, *Diuino tactus instinctu est, persuasus, vt proposito supersederet, missis actutum nunciis, qui alio concedere iussas reducerent.*

a *Apud Surium c. 27.*

2. *Interea temporis, defuncti Principis leuatur è sepulchro cadauer, nudataque elixantium studio, putrescentibus ossa carnibus, ac scriniolo clausa in Thuringiam aduehuntur, amicis, ac familiaribus adeo reuerenter insequutis, vt vbicumque nox illos inter viam subsistere coëgisset, ossibus in templo collocatis, & vigilias agi, & Diuinas laudes celebrari procurauerint; singulisque fanis principalibus, pretiosum peristroma pro defuncti requie donauerint. Illatis tandem ossibus Franconiæ, ac Babenbergo appropinquantibus, Episcopus, adiuncto sibi Clero, obuiam solemni pompa prodiens, nobilibus aliquot ad se reuocatis, iubet Dei famulam, pariter occurrentem, vtrimque stipent; ac ne animis deficiat consolentur. Iamque sub oculis collocato, patefactoque scriniolo, Elisabeth, conspectis mariti reliquiis, licet pro affectu, dolori concedens, lachrymas tenere minimè potuerit; immortales tamen Deo gratias egit, quod quem superstitem pro voto diutius habere nequiuerit, saltem peregrè, & in Dei opere, defuncti valeat ossa contueri, tangere, atque complecti. Mox deinde captato secretiori colloquio, nobilibus Viris, qui à Sicilia, vna cum ossibus aduenerant, miserandam suæ calamitatis tragœdiam exposuit, animosque eorum pro indignitate tam insignis iniuriæ ita incendit, vt post acceptam publica fide iniunctionem Antistitis, de recuperanda dote; post humata Christiano ritu Principis ossa, & exequias funebri pompa celebratas, non distulerint commendatam fidei suæ illustrem viduam ab acceptis iniuriis in pristinam dignitatem asserturi, Henricum adolescentiorem Principem, qui tunc rerum potiebatur, conuenire.*

3. Pergit deinde orationem Procerum, qui Lantgrauij ossa adduxerant, & quam experimento ipso compererint, non voluntate Henrici, sed aulicorum peruersis inuasionibus exturbatam Lantgrauiam à domo propria. Sic enim sequitur [b]. *Fuere autem ex his Viri præstantiores, Rodolphus, Ludolphus, Hartungus, & Gualterus. Quorum Rodolphus Vir multa fide, & constantia præditus, ita exorsus est dicere: Quænam est fama de te Princeps inclyte tam sinistra, quæ tristi nuncio aures nostras impleuit? Te ne hanc Fratri gratiam retulisse, vt defuncti, & vxorem, & liberos, fortunis omnibus exui, ædibus propriis exigi, mendicitati denique publicæ exponi vel iusseris, vel permiseris? O te miserum, ac totius generis tui lachrymis deplorandum! qui vel furore proprio, vel instinctu alieno, tantum admiseris facinus, quod tibi, quoad viues, scrupulo sit futurum. Ita ne iam honoris, famæ, pietatis, rationem adolescens habere incipis, vt senio tuo timendum magis, quàm confidendum esse videatur? Quid enim per immortalem Deum peccare in te potuit mulier pacis, ac pietatis plena, cuius preces tibi multo, quàm Cræsi opes, plus sunt collaturæ salutis; vt contra omnem æquitatem, contraque totius iura naturæ, immeritam domo pelleres, fortunisque priuares? neque his contentus, etiam liberos eius, pari miseriæ exponeres: quorum etsi minus sanguinem, quo te attingunt, miserebaris, vel ætatem teneram, ac imparem ferendis iniuriis, debuisti? Verum scio ego, tantum scelus, non tam tibi, cuius clementiæ exploratam habeo indolem, quàm, qui te circumstant, consiliariis tuis, adscribi debere: qui vt te adigerent à sanguine tuo degenerare, ipsi humanitatem nostram prius exuerunt. Dabis veniam mihi, Princeps maximè, si vehementior iusto sum in orando, qui vt Principibus assentari nescio, ita eorum vitia pro tempore coarguere non reformido. Impositum est tibi venenatis maleuolorum persuasionibus: vtere nunc consilio Rodolphi tui: Elisabeth de integro dignitati suæ restituta, me auctore, tibi reconciliabitur; faceret inuidia, in obliuionem ibunt offensæ: denique facta pace, ea ferientur amicitia fœdera, quæ tam tibi, quàm tuis hominibus sint & honori futura, & commodo. His à Rodolpho peroratis, ingens omnium, qui aderant admiratio propter eximiam orandi libertatem est consequuta, & Princeps ipse totus in*

b *cap. 18.*

lachrymas

lachrymas resolutus, nihil minus velle, tum verbis, tum est adnotatus vultu, quàm tanto viro morem non gerere; asserens, se tam perperam gesta rei vehementer pœnitere, facturumque omnia, quæ ipse facienda suaderet. Hactenus restitutio Elisabethæ. Nunc voluntaria cunctorum renunciatio, velut quæ sibi inuisa propter Christum, & minus apta ad ipsius imitationem, his verbis sequitur,

4. *Quibus Elisabeth acceptis, respondit nolle se arcas, & oppida possidere, curisque terreni regiminis denuo im ergi: petere ea sibi non grauate concedi, quæ ad se dotis iure pertinebant; ius se libere vsuram esse, & ad suam, & ad Principis defuncti salutem. Quæ res cum per Rodolphum, & cæteros amicos fuisset, vt effectui mancipanda, bona fide susceptа, manſit Dei famula aliquantulum temporis in arce, humanitatem plurimam reconciliati Principis experta, qui eam & pro dignitate honorifice tractari, & pro commoditate splendide ali, vestirique procurauit. At illa verita, ne ad votum, fluentibus vitæ necessariis, (quæ nonnunquam vel de rapina viantium, vel de oppressione pauperum animaduertebat prouenire) & conscientiæ suæ mordacem inquietudinem conscisceret, & Diuina se gratia indignam redderet; ex dote, quam recuperare habebat, securius victitatura, iterum populari se vitæ, ac pristinæ paupertati sua sponte addicit. Quod vbi magnates illi viderunt, quos antea Rodolphus inuectione meritâ notauerat, tanta sunt excandescentia permoti, vt ne videre quidem aquis illam animis deinceps possent, insanam, fatuam, ac superstitiosam clamitantes, quod post defunctum Principem, alteras detrectando nuptias gauderet, quod diuitias, honores, voluptates reiiceret, quod religionem, cæteris nobilibus inæqualem, perferret. At vero Christi ancilla, testimonio bonæ conscientiæ prædita, contumelias, conuitia subsannationes, scommata, & cætera id genus alia, adeo constanter, humiliterque perpetiebatur, vt etiam gauderet, dignam se esse, talia pro Deo, & amore continentiæ, fragilitatisque sustinere.*

5. Diuulgabatur per Prouincias Christiani orbis Elisabethæ fama: & vt furerent illi, quibus erat ardor mortis in morrem, cæteri omnes in puella delicata, Regiaque, constantiam animi, asperitatem vitæ, humilitatis, reliquarumque virtutum sublimitatem, altius, atque maturius venerabantur. Quin summus Pontifex, qui illam confirmaret, & promoueret; *audita, ait Iacobus,* [d] *fama virtutum eius, tanquam filiam sub Apostolicæ Sedis protectionem assumpserit, assumptam, Christi Sacerdoti, Conrado Marpurgensi, commendauerit; commendatæ, solatium pariter, & adhortationem adhibuerit, docueritque eam, propositis Sanctorum exemplis, patientiam, castitatem, perseuerantiam seruare, ac animo sæpius agitare, non esse aliud ad beatitudinem consequendam iter, quàm quod Christus, Sanctique omnes, indefesso labore, vigilantique studio, peragrauerunt: se non deserturum eam, quoad viueret, sed vt filiam cum omnibus, quæ possideret, suæ defensioni vendicatam habiturum: tantummodo pergeret ire, quo cœpisset.* Obtinuit Pontifex, & vltro ante currentem, his quasi aculeis impulit, vt ad volandum, si posset, conatum daret. Nam audi, quod sequitur.[e]

d vbi suprà.

cap. 20. 6.

His Elisabeth scriptis mirum in modum confirmata, atque ad vberiorem virtutum frugem incensa, magistrum adit, petitque legitimam sacri profectus viam edoceri. Ille nihil moratus, contemptum ei sæculi, castigationem carnis, & parsimoniam rerum caducarum, ratione, scripturis, & gestis Sanctorum rebus, ita persuasit, vt confestim ad Diuinum illa subsidium recurrens, quod nonnullam in se difficultatem obeundæ eiusce perfectionis experiretur, supplici precatu impetrauerit, vt quidquid mundus amat, amplectitur, magni pendit; ea deinceps omnia, quasi stercora execraretur, reiiceret; ac omnino nihil putaret: voce etiam apud ancillas testata, numquam sibi antehac tantum cordi fuisse diuitias possidere, quantum modo liberet easdem omni cœno viliores indicare: liberosque suos iam pari se cum cæteris mortalibus affectione diligere, vt quos Deo plane commisisset. Obtrectationes denique maleuolorum, & superborum conuitia, subsannationes, despectum, ita pro Deo libenter amplecti, vt his etiam oblectari, gloriarique, & velit, & sciat. Totis igitur animis ad profectum animata virtutum, postea quam varia bene viuendi instituta, postrema, vt vere perfectionis auida, cunctis perferre decreuit paupertatem, cui appendix publica mendicitatis cohæreret.

7. *Quam persuasionem cum Magistro, impetrandi consensus gratia, proposuisset, renuit ille, vt vir prudens, deuotioni, præ nobilem, ac teneram mulierem minus decoret, assentiri. Perseuerantem deinde in proposito, precibusque lachrymas iungentem, indignabunda saueritate compescuit. At illa videns rem destinatam, qua voluit via, minime succedisse, aliam est non minus difficilem aggressa. Aduenerat dies sacratissimæ Paraſceues, cum pro Christiano ritu, sacris nuda tegminibus visuntur aræ. Elisabeth sumpta occasione, & temporis, & loci, (erat enim in cœnobio Fratrum Minorum) sacellum quoddam vna cum Magistro, ac nonnullis ex Fratribus ingressa, positis super altare manibus, solenni, ac magnanima professione renunciat parentibus, liberis, consanguineis, pompis, ac vanitatibus mundi, denique voluntati propriæ; adnexura etiam euestigio cessionem terrenæ possessionis, nisi magister, sagacis vir ingenij, interfatus profitentis verba, ne vlterius iretur, effecisset.* Hæc iterata promissio Elisabethæ, quam susceptione Religiosi habitus suo modo solennizasse, Vincentius Belluacensis, eius temporis scriptor, [f] & Antoninus, [g] eisdem prorsus verbis memoriæ produnt. *Griseum (inquit vterque) habitum induit; & habitus susceptionem voti emissione solennizauit.* Hinc sumpta occasio auctoribus scribendi, Elisabetham æmulatam Franciſci Regulam: Quippe indutam in eius Monasterio, ipsius Ordinis habitu, quem semper gestauerit, & cum quo etiam voto se adstrinxerit.

f *lib. 30. cap. 136.*

g *3. part. tit. 19. c. 11.*

8. Accedit auctoritas Seraphici Doctoris Bonauenturæ, in speciali, quem de ea facit, sermone, vbi inter alia hæc habet, quæ aliquibus videntur expressa, verba. [h] *Fuit etiam signum perfectæ humilitatis, corda, & habitus Minorum, quem vt potuit, assumpsit, vt ego ipse audiui ab eius confessore, & ab eius ancilla, quæ fuerat secum nutrita à iuuentute.* Consonat Bulla canonizationis, verbis adeo similibus, vt non sit opus eadem refricare. Additur & Franciscanus

h *tom. 3.*

Anonymus, ipsius Sanctæ coæuus, relatus in Annalibus Minorum, cuius hæc verba. [i] *Ipsa Beata post mortem viri sui, mundo penitus abrenuncians, in domo Fratrum Minorum humiliter se tonderi fecit, nudatis pedibus, pro cingulo, cordula se præcinxit. Mox etiam habitaculum, iuxta Fratrum Ecclesiam fieri postulauit, in quo Fratrum Minorum, salubri consilio regebatur, quorum disciplinæ, & doctrinæ penitus subiacebat, cum quibus vsque in finem in domo Dei ambulauit cum consensu.* Et paulò inferiùs. *Quod ipsa tam profundæ humilitatis extitit, quod mox post mortem viri, in vili tunica, & repetiata, maximè in manicis, succincta cordula satis rudi, mantello multipliciter repetiato, & panno alterius coloris prolongato cooperta, velut altera sororum reclusarum Abbatissæ Claræ communiter incedebat.* Consonat demum, quod de Rege Vngariæ Stephano, idem auctor testatur, qui, *cum in quodam Conuentu Religioso, aliquantulum resedisset, vidisset que in eodem loco, cum diuersis imaginibus Sanctorum B. Elisabeth imaginem depictam, cum calceamentis sine corda, præcepit loci Prælato, vt ipsam Imaginem B. Elizabeth, sic calceatam, & sine corda depictam, sine mora deleri faceret, & eam depingi cum corda, & habitu Fratrum Minorum: quam cordam, inquit, portauit, dum viueret, in quo habitu Sanctitatis meruit adipisci titulum.* Hæc sunt grauia, & antiqua testimonia, quæ pro hac parte faciunt; nam Bonfinij, non solum quia recentis, sed quia ex antiquis conuicti, ipsi etiam reiiciunt, qui rem defendunt. [k]

i *Ann. seq.*

k *Ann. Min. anno sequenti n. 9.*

9. Quæ Elisabetham addictiorem Cistercio fuisse, nec Clarissarum, siue ad earum instar, sed Cistercienſium induisse habitum, probant hæc è conuerso. Quod obedientiam semel, iterumque, in Cistercienſi Ecclesia deuota vouerit; quod in eadem Religionis habitum induit; quod habitum non alium, quam Cistercienſem, id est, quàm griseum, Cistercienſibus proprium, & à quo grisei in Germania nominabantur, his eisdem diebus indutà legitur. Demum quod litteræ canonizationis eius, ad nostros datæ id neque obscure innuant. Sed iam ostendam. Et quidem primum votum emisisse in Ecclesia Sanctæ Catherinæ Sanctimonialium, instituti Cistercienſis, non est, qui ambigat: de secundo vero, idem creditum esse, ipse etiam Franciscanus Anonymus, qui contrarium scribit, non inficiatur; vix enim dixit, in domo Minorum tonsam fœminam Sanctam, cum immediate subdit. [l] *Dicebatur tunc, quod hæc facta essent iuxta quoddam castrum, quod VVarberch dicitur in cœnobio Sanctæ Catherinæ Ordinis Cistercienſis Dominarum. Testabantur etiam tunc quidam, quod Fr. Bourchardus, Ordinis Fratrum Minorum, custos Hassiæ, præsente Fratre Henrico, dicto Placido, eiusdem Ordinis, ipsam B. Elisabeth, tanquam filiam suam charissimam, & amicam spiritualem, fœliciter totondit, & eam induit post obitum viri sui, Magistro Conrado Missam celebrante, eadem hora.* Sic auctor ille ad vltimum reseruans, quod verius putat. Atque ex hoc primo, sequitur secundum, in eadem Ecclesia habitu indutæ, & si ita loquendum nobis est, etiam tonsuratam: neque enim hæc diuersis loco, aut tempore.

l *apud Lucam VVading. vbi suprà.*

10. Iam de habitu griseo certum est, nonnunquam Franciscanum denotasse; sed Cistercienſem: cui adeo is color (quicumque ille ait) proprius censebatur, vt Monachi ex ipso; nec Cistercienses, sed grisei vulgo, & apud cordatos nominarentur. Memini, me hoc ipsum probasse alibi: & nunc breuiter censeo recolendum. Albertus Krantzius de Sancto Bertholdo loquens, & cuius professionis fuerit quærens. *Hic, ait,* [m] *Cistercienſis fuit. nam Annales præseferunt, Abbatem fuisse griseorum, quod genus vestium gessere Monachi Cistercienses.* Idem de Ottone Archiepiscopo Bremenſi. [n] *Inter præclara autem huius Pontificis opera numeratur, quod Bertholdum [quendam Ordinis grisei, hoc est Cistercienſium (sic enim initio dicebatur ab habitu, quem præfert) consecrauit Episcopum Liuonienſem.* Albertus Scafna Burgenſis, [o] siue eius additionator. *Ipso anno grisei Monachi in suo Generali Concilio, vel Capitulo Cistercienſi prohibuerunt, &c.* Paulus Langius in Chronico Ziticenſi, [p] *Anno Domini M. CC. LXXV. Grisei Monachi, Cistercienses videlicet, &c.* Vltimum addo Cæsarium Heisterbacenſem, testem domesticum, & scriptorem eiusdem temporis, qui de suis Cistercienſibus loquens, hæc habet verba. [q] *Interrogatus de griseis Monachis, id est de Cistercienſibus, respondit, &c.* mille alia id genus adduci possent. Sed ista sufficiant, præcipuè perpendenti, hæc omnia testimonia, ad hæc eadem tempora referri, atque ad hanc mundi plagam, de qua nunc loquimur. Vt nemini prudenter credi possit, vbi, & quando Cistercienſes Monachi, Monachi grisei vulgo dicebantur; nomine grisei habitus, assumpti à B. Elisabetha, alium intelligi posse, quàm Cistercienſem; quin neque his verbis denotatum colorem, sed disciplinam. Accedunt, & quod caput omnium est, litteræ canonizationis Beatæ fœminæ, expeditæ à Gregorio post quadriennium; quæ cum ad proprios plerumque solent scribi, nequaquam ad Reuerendos Patres Franciscanos dicatæ sunt, neque aliquam de eis faciunt mentionem: sed ad Archiepiscopum Moguntinum, ad Abbatem Eberbaci, Cistercienſis Ordinis, & ad Magistrum Conradum de Marpurg, vt anno M. CC. XXXI. [r] quo Sancta ad cœlos migrauit, commemorabimus. Haud dubie quin, vt ad loci Diœcesanum, ad Patrem, & visitatorem Conuentus, in quo professa; & ad Magistrum illius spiritualem, cui specialius regenda, licet ad ritus, & normam Cistercij, commissa fuit. Aliàs, quid illic Abbas Eberbacenſis Diœcesanum, & confessarium inter facere posset? Vt credam facile, ab eodem Abbate, primùm Conrado commissam, velut habitaturam longe à nostratibus. Nam quod tales vel exteris committere probatæ Religionis, nostris in vsu, (non æmulante charitate Sanctorum hominum, nec sua vnquam, sed quæ Christi essent, quærente) Iuetæ exemplum probat, quæ Abbatem Florefienſem, Præmonstratenſis Ordinis, quia loco viciniorem, & alias Religiosum, & Sanctum Virum, Magistrum habuit.

m *lib. 7. Saxon. c. 13.*

n *lib. 7. Metrop. c. 14.*

o *Ad annum 1275.*

p *Ad eund. annum.*

q *lib. 12. Dialog. c. 53.*

r *cap. 3. n. 9.*

11. Iam quæ alia obiiciuntur à Franciscanis, qui nostris eam adscribunt, dissoluunt facile. Nam testimonia Seraphici Doctoris, & Gregorij noni, cum non affirment, Sanctissimam matronam habitum Clarissarum induisse absolute, siue habitum Minorum; sed qua potuit; potius faciunt pro nobis, quàm contra nos. Cum enim liberum

illi

illi omnino fuerit, quem voluisset assumere, neque ad quemcumque vellet induendum, nisi ex alio præassumpto, impediretur: eo ipso, quod impedita supponitur ad habitum Minorum; præinduisse alium declaratur; Griseum scilicet, id est, Cistercienſem; cui Franciscanum nequaquam compatiebatur. Assumpsit tamen qua potuit & Franciscanum, id est, in his, quæ Griseus non excludit. Vt cordam rudem, & mantellum repetiatum. Atque hoc est, in quo Anonymus scribit, velut alteram sororum Abbatissæ Claræ communiter incessisse. Neque aliud voluit Vngarorum Rex dum cordam affirmauit portasse, quandiu vixit. Illud demum omnino certum est; quod ab eodem Anonymo refertur, Matronam Sanctam *habitaculum sibi iuxta Ecclesiam Fratrum fieri postulasse, in quo eorundem salubri consilio regeretur, & quorum disciplinæ penitus subiaceret*: A veritate alienum, quod salua pace dixerim; tum, quia recens Conrado commendata à Gregorio Pontifice, nequaquam licuisset illi aliis subesse; tum, quia ex ipsis eiusdem Sanctæ actis, contrarium constat; post renouatum obedientiæ, atque
sup. 20. habitum susceptum, ita habentibus. [f] *Sequuta est paulo post Magistrum, scilicet, Conradum, ad Hasiæ insigne oppidum, quod Marpurgum vocant proficiscentem. Vbi cum æmulorum quorundam adhuc recens vigeret inuidia, & domicilium illi nouum ædificandum esset; rus paulisper secessit; atrium quoddam collapsi præ vetustate ædificij, ne cuiquam rusticorum oneri esset, ingressa, ibidem aliquot dies exegit, coacta ad restantis infumubuli parietes, frondibus in vmbraculi speciem subiectis, dispositisque, veluti quoddam tugurium parare. Vbi manenti, fumus, æstus, venti, & imbres, non mediocrem molestiam afferebant: quam illa placide sustinens, Deo*
sup. 21. *nihilo segnius gratias agebat.* Et capite sequenti: [g]

Ex ædificato inter ea temporis intra vrbem, expedito magis, quàm sumptuoso domicilio, reuersa, ibidem famulari Deo in omni Sanctitate cœpit; constructumque à se quoddam Xenodochium crebro inuisere, ac Christi membra, quibus poterat, fouere solatiis. In hac domo vsque ad mortem permansisse sub Conrado Magistro, compertum est. Verum quam Sanctè, quàm gloriosè ibidem intra triennium fuerit consummata, ipso anno, quo euenit, dicemus.

Interim, vt quæstionem prædictam dirimam, 13.
mihi dubium non est, Elisabetham, si proprie, & in toto rigore loquendum sit, neutrius Ordinis fuisse Sanctimonialem; quod de Clarissis omnino certius est, eo ipso, quod clausuram, ex Regulæ præscripto profitebantur. Facilius Cistercienſibus conuersis adscribi posset; quorum nonnullas extra claustra degentes vidimus; si Cistercienſibus obedientiam promisisset, quam promisit Conrado; & eorum Magisterio regenda esset. At sæculari clerico subiecta, ne ad tertium quidem Ordinem Francisci potuit, saltem ex voto hoc pertinere; cumque non aliud ab ea emissum constet, nisi renunciationis pompæ sæcularis, parentum, filiorumque; quod ad Regulam tertiam non spectat, fit, vt ad neutros proprie pertinuerit: vtrosque tamen coluerit affectu, atque æmulata fuerit, alteros per actiuæ vitæ exercitia, quibus ad proximos eximie exercebatur, alteros per quietem contemplatiuæ, in qua eximie præcelluit: vtrosque etiam exterius præsetulerit. Sed Cistercienſes quasi principalius, quorum habitu voluit insigniri, quod antiquiores; & quorum ipsa consortio, velut egeret, (quod sine præiudicio aliorum dixerim) Minores, vt recenter mundo exortos, & qui ab ea egerent patrocinari.

---

1. *Arnulphus imminentia Ecclesiæ mala prædicit.* 2. *Ante mortem, exquisito cilicio, corpus macerat.* 3. *In febrim incidit.* 4. *Dissolui, & esse cum Christo ardenter optat.* 5. *Sanctè obdormit.* 6. *Sancti Viri funus, & sepultura.* 7. *Apparitio post mortem;* 8. *eaque duplex.* 9. *Miraculum per cilicium eius patratum.* 10. *Qui auctores illius vitam scripserunt?* 11. *Et qualiter impedita sit eius canonizatio.*

CAPVT QVINTVM.

1. HOc item anno, Iunij die trigesima, quæ est penultima infra octauas Ioannis Baptistæ, clarus miraculis, prophetiæ dono illustris; sed meritis longe clarior, illustriorque; sub Abbate Guillelmo ad superos migrauit Beatus Arnulphus, conuersus Villarienſis, quem toties hi Annales commemorarunt. Multa narrantur de vtroque dono; sed quæ dictis similia, nec vacat in præsenti recensere. Illud tamen silentio non præteream, quia singulare; atque ad communem totius Ecclesiæ statum spectans, in re grauissima priscorum Patrum visiones æmulatur. *Anno Domini M. C C. V I. (ait Gosuinus Bosutus in eius vita* [a] *) cum adhuc nulla mentio fieret de*
a lib. 2. c. 22. *horrendo illo schismate, quod ortum est in Ecclesia, imo contra Ecclesiam, sub Imperatore Friderico; cœpit prædictus vir absque hæsitatione, quibusdam palam annunciare, quod infra decennium futurum, plurima bella, & multæ tribulationes in Ecclesia suscitarentur. Altero autem anno, qui fuit penultimus ante obitum eius, cœperunt siniſtri rumores de partibus transmarinis audiri: quod scilicet Fridericus contra Dominum Papam, & Ecclesiam Domini insurgere conaretur. Quid hoc malo crudelius? & quis referre, aut scribere sine cordis dolore valeat, quantorum causa malorum: hoc detestabile schisma fuerit?* Hactenus ille. De schismate Friderici contra Gregorium, & contra Ecclesiam Dei, quod ipsum tandem Gregorium, & Ecclesiam acephalam habuit per longum tempus; quia multa in eo Cistercienſes passi sunt, non pauca à nobis infra dicenda erunt.

Indixerat sibi Arnulphus crudele bellum ab ipso initio suæ conuersionis; eo quò magis domaret carnem suam, nulli industriæ parcebat, nullis doloribus: hinc cilicia, catenæ, pelleſque, & alia, quæ retulimus, vix vlli alteri mortalium toleranda. Verum cum iam iam morti proximus esset, quo breuius tempus sibi, eo grauiora sollicitans tormenta, acuebat ingenium, & breuitatem acerbitate compensabat. Ergo ab anno ante Sanctam eius mortem, vrebatur 2.

Martyrio

Martyrio (nam cilicium non dicam) quod solus ipse potuisset excogitare. *Anno (ait Gosuinus*[b]*) præcedente fœlicem eius obitum, cum iam diuturnis attritus esset cruciatibus, nec adhuc sibi parcere proponeret, quin ad extremum, aliquod pœnale instrumentum carni suæ adhiberet; cogitauit quid nouum, vnde plurimum fatigaretur. Sumpsit namque sibi loricam ferream, densis concatenatam squammis, quem à quodam amico mutuauerat, eamque ad carnem induit, vt cum ex humore carnis rubiginem contraberet, pungitiua magis, asperiorque sentiretur. Deinde accipiens pelles eritiorum loricæ supposuit, ita quod aculei earum per foramina squammarum ad carnem transirent, & eam vehementer pungerent. Si forte autem in latus dextrum, siue sinistrum, quemquam illum gyrare contigisset, tunc supradicti aculei, intra squammas obliquati, & arctius in carne sauientes, pœnalius solito tormentum illi pariebant. Tandem superductum pellibus cilicium, corpori suo nexu cinguli illud adstringebat.* Hactenus ille. Hic status erat in vtroque homine Beati Viri Arnulphi, cum Dominum reuertentem à nuptiis præstolaretur. Sed iam fœlicem, & gloriosum illius transitum, qui in hunc annum incidit, vt dixi, verbis eiusdem auctoris, [c] queis tamen propria intermisceam, referamus.

b *lib.1.c.12.*

c *lib.2.c.23.*

3. *Cum appropinquaret tempus præciosæ dormitionis eius in Christo, decidit in agritudinem. Tum vero statim reiecit à se instrumenta Martyrij sui, quia stimulus infirmitatis, quæ eum vehementer angebat, alia corpori suo adhiberi tormenta non patiebatur.* Hoc primum signum instantis sibi mortis, quod carni suæ parceret, quam vsque ad vltimum adeo macerasset. Constitit tamen per reuelationem. Nam *Licet ipse in omni vita sua, etiam in diebus infirmitatis huius, Deum suum interpellare noluit, quatenus sibi vel diem, vel tempus transitus sui reuelare dignaretur. Reuelatum est de re huiuscemodi, cuidam magni nominis recluse, quæ circa festiuitatem Beati Baptistæ Ioannis, cum ex hoc mundo migraturum prædixit, antequam idem præmissa infirmitate corriperetur.* Hæc duo indicia mortis Beati Viri, Villarienses non parum contristarunt; solus Arnulphus erat, qui sese iam dissolui, & morti appropinquare gratularetur. *Quadam die, cum vnus Monachorum introiret ad visitandum eum, dixit ei, quia recluse vna ex familiaribus eius, quam ipse designauit ei ex nomine, doleret, & anxiaretur, pro eo, quod timebat, ne ipsum ex ea infirmitate viam vniuersæ Carnis ingredi contingeret; ille vero, qui si indignans: absit, inquit, absit hoc: hic enim amplius morari nolo, sed ad Deum meum ire desidero.* Et paulò inferiùs. *Cum iterum quidam alter Monachus, medicinalis peritia artis instructus, assideret ei, & ad inuicem ratiocinarentur: Vir Domini, sicut moris est infirmis, sciscitari cœpit ab eo, vtrum de infirmitate, qua tenebatur, conualescere posset, an non? Monachus autem, ne veritatem reticuisse postmodum conuinceretur, si qualitatem infirmitatis eius, secundum petitionem suam, ei non intimaret: secundum ex venarum pulsu, & morbi qualitate prænoscere potuit, eum non euasurum, sed migraturum prædixit. Ad quod responsum, statim Vir Beatus præ gaudio cordis, iniectis collo eius brachiis, amplexatus est eum; ita vt idem Monachus, coram circunsedentibus infirmis verecundia prosunderetur. Et subridens Vir Dei, dixit ei: Amen dico vobis, dilecte mi, quod numquam in omni vita mea tanta dilectione cor meum dilatatum est ad vos, quemadmodum hodie; pro eo, quod huiusmodi verbo, inquam, non desolatorio, sed plurimum consolatorio, lætificastis animam meam.*

Crescebat interim corporis infirmitas, crescebant interiores consolationes,[d] *In hac quippe infirmitate tam copiosa gratiæ stillicidia cœlitus defluerunt in cor eius, & iam vehementer anima eius Diuini amoris vino inebriata est, vt exterius infirmitatis suæ penitus obliuisceretur, toto mentis anhelans desiderio ad eum, quem ardenter in vita sua dilexerat. Sed quamuis per feruorem Diuini amoris, nullum cordis, aut capitis, seu membrorum dolorem se sentire protestaretur, crescente tamen valetudine, & de die in diem ipsum validius solito perurgente; cœpit paulatim vigor corporis eius lentescere. Cumque ex diuturnitate ieiunij, & infirmitatis pondere plurimum debilitaretur; tamen ac si validior esset corpore, Fratribus sibi ad solatium deputatis, & Monachis familiaribus suis, aliquando ad se venientibus, alacriter etiam vsque ad diem obitus sui loquebatur.* Hactenus, quæ de vltima Arnulphi valetudine Gosuinus scribit, in qua salutaribus Ecclesiæ Sacramentis plurimum confortatus, mortem cum omni cordis deuotione, non resignatus tantum, verum & appetens, vt victurus per ipsam præstolabatur. At de ipsa morte, quod sequitur, audiamus.[e]

4. d *vbi supra.*

c *vbi supra.* 5.

Cum de die in diem transitus eius proximaret, die quadam cum surrexisset de lecto, & staret super pedes suos: stante secus eum quodam Fratre, Rodulpho nomine, & brachiis suis eum sustentante, viribus corporis cœpit repente destitui. Et ecce vir magnificus, eadem hora inter manus prædicti Fratris, flexis ad terram genibus, & inclinato capite, trino, tribus morarum interuallis, leniter emisso spiraculo, fœliciter migrauit à corpore. Hæc Gosuinus de morte Beati Viri: porro de anno, die, & hora mortis paulo inferius. *Anno igitur incarnati Verbi M. CC. XXVIII. Vir Domini Arnulphus, ob inusitatum pœnitentiæ suæ Martyrium, quod corpori suo multipliciter inflixit, merito nouus Martyr appellandus, multis nihilominus virtutum, & meritorum titulis adornatus, pridie Kalendas Iulij, in die videlicet commemorationis Beati Apostoli Pauli, Feria sexta circa horam sextam, qua Dominus Maiestatis in cruce pependit, expletis in Ordine Cistercienſi viginti sex annis, & quasi sex mensibus, migrauit de hac vita, imo de hac morte ad vitam, de exilio ad patriam, vbi pax vera est, quæ exuperat omnem sensum, pax super pacem, indeficiens exultatio.* Hæc Gosuinus. Obiit autem ætatis suæ quadragesimo octauo, cum antequam Cistercium ingrederetur, duos, & viginti primos in laxiori vita, vltimos duos per pœnitentiam transegisset.

Pergit auctor de commendatione animæ, & corpore, mandato sepulturæ. [f] *Strato in terram cilicio, venerabile corpus eius desuper positum est. Et pulsata confestim tabula defunctoria pro eo; accurrit Conuentus Monachorum: qui solenni apud Deum, & Sanctos eius sic abeuntem prosequuti sunt suffragio. Cumque corpus eius lotum, & collocatum in feretro in Ecclesiam fuisset delatum: Monachis circa corpus eius*

6. f *lib.2.c.23.*

psalmos

psalmos decantantibus nox superuenit. Et cum nocte illa secundum consuetudinem, vigiliæ à Fratribus circa defunctum agerentur: quidam boni fures partem capillorum capitis eius, & septem nihilominus dentes ab ore eius rapientes, sibi quasi ad indicium Sanctitatis eius reseruauerunt. Non solum Sancti capillos, denteſque, ſed veſtimenta, cilicia, pelleſque, atque id genus alia, ſeruata pro reliquiis, per quæ Deus miracula patrauit, ad maiorem Sanctitatis Arnulphi commendationem. Sed de his ſtatim. Pergit idem qui ſupra Goſuinus ad ſepulturam. *Cum illuxisset dies altera, quæ erat octaua Sancti Ioannis Baptistæ, Missa ex more celebrata pro eo, Sanctum corpus eius venerabiliter sepulturæ traditum est: Monachis cantantibus altisonis vocibus Antiphonam*, Clementiſſime Domine: *ita vt plerique astantium vsque ad lachrymas compungerentur.* Video Epitaphium eius, vulgatum à Chryſoſtomo Henriquez in Menologio, g verſibus leonis ex priſco more: g Iulij 30.

Pausat in hac tumba vir, simplicitate columba.
Qui leo virtute, nobilis simulatur alaudæ;
Qui turtur gemitu; visu simul, atque volatu,
Par Aquilæ; Salamandra, noto, quia vixit in igne.
Nunc canit inde, la, sol, quondam qui fleuit in vt, re.

Priores pro ætate non illepidi. Vltimus verſus, aut inſulſus, aut corruptus, aut qui, nimium canendi peritos, lectores quærat.

7. Arnulphus tranſitum variæ apparitiones, & miracula diuerſa ſequuta ſunt, quæ non licet omnino præterire: nam pergit auctor. h *Post gloriosum obitum eius, idem Vir Beatus cuidam ancillæ Christi in forma puerili, & vestimento partim niueo partim purpureo amictus apparuit. Quem cum illa interrogaret, quis esset? Ille respondit. Ego sum Frater Arnulphus, seruus Christi. Tum illa: Quare, inquit, in forma pueri, & vestimento bicoloreo appares mihi? Qui ait: Per hoc, quod puerilem prætendo faciem, intelligere te volo, me inter homines conuersantem, tamquam puerum fuisse humilem. Per niueum autem vestimenti mei colorem, me mundam vitam duxisse, & munditiam dilexisse; Per purpureum vero, diuturnum cum sanguinis effusione corporis mei afflictionem agnosce. His dictis, à facie ancillæ Christi Vir Beatus disparuit: illa autem visionem, quam viderat, cuidam Monacho Villarienſi manifestauit.* Hanc Arnulphi myſterioſam apparitionem, alia non minus glorioſa ſequuta eſt, quam idem auctor pergit ita ſcribere. i h cap. 23.

i vbi ſupra n. 8.

Rursus apparuit memoratus Vir Domini cuidam viro illiterato, sed interius à Magisterio Paraclyti spiritus instructo, cui nomen Ioannes; viro, inquam, mire speculatiuo, cui vsque hodie multæ fiunt reuelationes à Domino; eique copiosam, & mirabilem animæ suæ glorificationem, quam à Domino in premium acceperat, intimauit. Et adiiciens: vade, inquit, ad Iacobum Sacerdotem dilectum, & familiarem mihi in Christo, & annuncia ei ex me, quia secundum quod ei quondam promiseram, quotidie pro salute eius ad Dominum Maiestatis exorare non desinam, vt ab eodem misericordiam salutarem consequatur. Venit itaque ad prædictum Sacerdotem annuncians ei magnam, & mirabilem Beati Viri glorificationem, & cætera, quæ ab eodem Beato Viro cognouerat per reuelationem. His, & aliis ſimilibus apparitionibus, reuelationibuſque, ſerui ſui gloriam Deus manifeſtabat.

Facta præterea ad ſepulchrum eius miracula per eius veſtes, &, quod mireris, licet non ex fide, ſed ex curioſitate prætenderentur. k *Quadam die cum Venerabilis Prioriſſa de Spineti loco, Lucia nomine, duæque Moniales cum ea, ad portam Monasterij Villarienſis deueniſſent; expleto negotio, pro quo illuc aduenerant, ad proximam Monasterio Villam, qua Villare dicitur, pergentes, in domo quadam cum duabus ibidem Religioſis mulieribus pernoctauerunt. Et factum est, cum essent ibi; accedit, puellam quandam, nomine Mariam, domus eiusdem ministram grauissima iliacæ passionis acerbitate torqueri, ita vt more parturientis, vociferare cogeretur. Quod videntes prædictæ Moniales compassæ sunt illi, & dixerunt ad inuicem: Ecce habemus hic nobiscum particulam spinosæ pellis erity, quam Vir Domini Arnulphus tulit: applicemus eam loco doloris, & tentemus, vtrum sæuire cesset, an non? Quod cum fecissent: ecce subito, & inopinate, mirantibus eis, dolor omnis, quo puella cruciabatur, euanuit, & per Domini gratiam cœpit annihilari.* Plura alia miracula narrantur, quæ longum eſſet proſequi, & credendum eſt, plurima increbuiſſe, quando Gregorius, non ſolum non petente, ſed renuente Ciſtercio, voluit Sanctis adſcribere; & niſi idem Ciſtercium impediiſſet, quod forſan ſine exemplo, canonizaſſet. Sed de hoc ſtatim. 9. k ibidem.

Arnulphi vitam, non longe ab eius morte 10.
ſcripſiſſe Goſuinum, Cantorem Villarienſem, argumento eſt, quod cum ſcribit illius prophetiam, & Friderici in Eccleſiam perſequutione, in ſuſpenſo loquatur, & quaſi maiora adhuc timeret, intra decennium à Sancto præſtitum. Sic enim ait l *Attendat igitur, cogitet, & recogitet prouidus coniectator, quot, & quanta hactenus acciderunt: quot, & quanta fortassis postmodum infra prædictum decennium mala contingent.* Coniector ergo, Goſuinum Boſutum ſcripſiſſe Arnulphi vitam, tribus, vt multum, aut quatuor annis poſt eius obitum: nam duobus aliis elapſis à prophetia; reliqui vſque ad decennium requiruntur, his malis, quæ ſupererant, & quæ Lectorem coniectari pauidum iubet. Eiuſdem Sancti vitam, hoc noſtro ſæculo, cum aliis dicitur publicaſſe Franciſcus Moſchus Attrebati, anno M. DC. ſed qui ex variis ſchedis ipſam collegerit, nec Goſuinum viderit. Vnde longe diuerſam notat Aubertus Miræus in Chronico Ciſtercienſi, vbi de Sanctis Monaſterij Villarienſis. Eandem vitam redactam ad compendium, Ioannes de Aſſignies Gallice, Chryſoſtomus Henriquez Latinè dedit. Virum ipſum Ioannes Molanus, Aubertus Miræus, Hugo Menardus, Arnoldus Wionius, & Rayſanus, aliique ſuis ſinguli inſeruere Martyrologiis. l lib. 2. c. 22.

Mirabile illud, & forte ſine exemplo, quod 11.
de ipſo narratur, ſeu verius de Ciſtercio, cum ipſo factum: cum creſcente, & diffuſa per totum Belgium, imo Germaniam, Galliam, Italiamque peruagante Sanctitatis illius fama, atque miraculorum, quæ Deus ad illius ſepulchrum, & per ſacras eius reliquias operabatur, Gregorius nonus Virum Sanctis adſcribere, atque

que Ecclesiæ proponere statuisset, impediuisse Generalem Synodum Cistercij congregatam (incertum quo anno) ea præcipuè causa, ne frequens nimium Sanctorum canonizatio, eius auctoritatem imminueret; æstimationemve, apud vulgum præcipuè; sed pretium sibi conciliaret ex raritate. Ita Ioannes Molanus [m], proximo sæculo, plurimum à Baronio commendatus, & quidem merito, in suis Sanctorum Belgij Natalibus, quos erudite, & docte concinnauit [n]. *Hunc tradunt*, ait, *scilicet Arnulphum Corribontium, oblatum fuisse canonizandum Summo Pontifici ob insignem opinionem Sanctitatis, & ingentia miracula expetitum, & iam concedendum; sed Capitulum Cistercij Generale impedire curauit, ne multitudine Sancti vilescerent.* Hactenus Molanus. Adeo communia priuatis præferebat Cistercium illis temporibus: adeoque qui adscribi mererentur Sanctorum Canoni, frequentes germinabat, vt nisi aliquos supprimi curaret, quantumuis meritos, iustè ab aliorum contemptu, ex ipsa multitudine orto, timere posset.

m *Iunij* 30.

n *vbi de B. Arpuilpho.*

---

1. *In Villario cum aliis Abundus floret. 2. De Villariensibus gloriosam visionem videt. 3. De consanguineo extremè laborante admonetur à Virgine, 4. & ei mentem, & pœnitentiam veram impetrat; 5. atque cuidam Nouitio perseuerantiam. 6. Quas orationes à Virgine didicerit? 7. neque simplices tantum, 8. sed multiplices. 9. Demum quali fauore, quantoque per hoc tempus à Deo donatus sit?*

CAPVT SEXTVM.

1. IEMPERARVNT Arnulphi desiderium in Villariensibus, plurimi Viri Sancti, qui in eodem cœnobio sub Abbatis Guillelmi disciplina militabant strenuè, & viuentes in terra mortali corpore, mente, & spiritu nihilominus in cœlis conuersabantur. Ex his Bernardus vnus, & Ioannes duo, cognomento alter Miles, alter Præcursor; atque alij non pauci, de quibus suis locis dicendum erit: sed inter alios, & præ cunctis Beatus Abundus, quem ex Leodio à Conrado illuc transmissum, à Carolo susceptum, clarum virtutibus, & cœlestibus illustrem visitationibus, hoc ipso tomo superius memorauimus. Hic continuis fauoribus Mariæ, continuis Christi Domini, atque cæteris Sanctorum Angelorum consolationibus, adeo breui præfuerat, vt æmulari Arnulphum, & si cuncta ad amussim perpenderentur, fortè & supergredi, multis videri posset. Nam Virginem familiarem sibi magis; neque ipse solus, sed cuncti propter ipsum, quos Villarium habebat, experti sunt: quod duplicata visione supra vidimus; & medio tempore aliæ demonstrarunt. Referam vnam, aut aliam ex actis eius, quæ vulgauit Assignies ex auctore coæuo, vt ipse ait, & qui nihil scripsit, nisi quod, aut ipso Abundo reuelante, perspectum habuit. *Vipote* (ait [a]) *à Viro Sancto reuelata scriptori, & à tali Viro, qui nec fallere vellet, neque à Virgine, quam ex facie nouisset, nam frequenter videbat, falli posset.* Ergo ex his, quæ concernat vniuersos, quamuis à solo Arnulpho visa sit, hanc præ aliis visionem promere libet [b].

a *lib. 1. c. 26.*

b *ibidem.*

2. *Quadam die Vir Dei, ardore nimio solis, & labore fatigatus, iussus à Priore, vt paululum feriaretur, stabat non procul à reliquis laborantibus. Et ecce subito veniebant de via procul duæ formosissimæ puellæ, quæ Fratrum labori compatientes, linteis laborantium sudorem excipiebant, refocillabantque. Tum vero ille omnino stupefactus, sed à Viro quodam ignoto admonitus didicit, eas esse Beatam Virginem Mariam, & alteram Mariam Magdalenam; quæ eleuatis manibus eis benedicentes, per eandem viam reuersæ sunt in regionem suam.* Hactenus in Actis. Similis visio olim Reynaldo facta est in domo Claræ-Vallis, quam nos etiam in tempore reddidimus. Verum Villarij non exigua laus, si Claram-Vallem fauoribus adæquet, maior, si eisdem fruatur, post annos centum, quibus illa in initio sui feruoris. Verum maxima Abundi, qui prisca sæcula ad suam ætatem traxit, promerentibus cunctis Mariam Virginem; haud dubiè quin ad ipsius imitationem; atque ipsis tum visionibus, tum meritis, & quà in hac vita licuit, etiam præmiis, primitiuum Cistercium innouauit.

Huic alias similes Mariæ consolationes susci- 3.
piebat Abundus, sibi in maiorem spiritus feruorem, Cistercio in gloriam. Cæterum ad salutem proximorum intentior adhuc, reuelante Maria, adiuuantéque, non solum status, & necessitates singulorum noscebat; sed auxilia impetrabat; nec præsentibus tantum beneficia, sed futuris, seu posteris, & quæ ad nos vsque pertransire possent, consequebatur. *Factumque est*, (ait liber vitæ eius [c]) *vt multorum defunctorum animæ, à Purgatoriis ignibus, interuentu Mariæ, per eius (Abundi) orationes liberarentur: multi peccatores, ipso per eandem Virginem edocto, de eorum conscientiis, illasque reuelante, à viis suis prauis conuerterentur: multi denique pericula alia euaserunt, Maria Abundum (si ita fari licet) sollicitante; Abundo Deum..... Ægrotabat Huyensis quidam ciues, Abundi consanguineus, qui in statu matrimonij licentiosius viuens, grauiter Deum in se iratum habebat; deliberata desperatione, an freneti correptus, traditum se Dæmonibus, æternum cruciandum, ingemiscebat. Aderat Festum Assumptionis Mariæ Virginis; cum Deipara, quæ in suis solemnitatibus, frequenter visitare, atque in benedictionibus dulcedinis seruum suum præuenire solita erat, vigilanti apparuit, & blandè alloquens instanter Virum monuit, vt pro charissimo sibi quodam infirmo, grauiter periclitante, Deum oraret. Orans itaque Vir Dei tota illa nocte, qua miser ille torquebatur; manefacto, pro illo communicauit. Et ecce (mirum dictu) in ipsa hora, in qua Sacrosancta altaris mysteria pro illo obtulit apud Villarium, idem infirmus repentè liberatus apud Huyum exclamauit, & dixit ad circunstantes: signate vos, signate vos. Nonne tota ista nocte Dæmones vidistis, qui me in baratrum*

c *vbi supra*

baratrum detrudere volebant, aternis in eo supplicijs cruciandum? Sed iam gratias Deo, minas euasi sacrilegorum: ex quo vir Sanctus segregatus à peccatoribus, orauit pro me; & sic euasi manus eorum, & facta cum magno dolore confessione, non multo post in pace magna migrauit. Hactenus ibi. Pergunt acta, de sequuta comprobatione eiusdem prorsus horæ, in qua infirmus adse, & ad Deum rediit, & inqua pro eo Abundus communicauit.

4. Non satis huic Abundo sanam mentem, & tempus pœnitentiæ impetrauisse viro, quem diligebat, nisi de fructu eiusdem pœnitentiæ certus existeret; neque id per alium, quam per matrem Dei, cuius & eum interuentu à freneſi illo funesto liberauisset. Igitur ait, idem, qui supra, author.[d] *De eius obitu post modum admonitus, voluit scire de statu charissimi sui: & Beata Virgo nolens eum confundere ab expectatione sua, cum paululum obdormisset, visionem quandam ei ostendit. Et ecce fluuius magnus veniebat ab oriente, qui desuper pons augustus eminebat; & vidit virum transeuntem: & cum venisset ad medium, inter angustias deprehensus corruit, & summersus interiit. At vir Dei altius ingemiscens, orauit ad matrem misericordiæ; & illa subito extractum vitæ restituit; dixitque illi. Vir iste, qui mortuus erat, & reuixit, consanguineus tuus est. Quod summersus interiit, significat eum, qui dum adhuc esset viuens in corpore, in anima mortuus erat; quod vero reuixit, indicat, quod quia peccata sua confessus est; suscitauit eum filius meus de mortuis vt vitam habeat, & vitam sempiternam.* Ita in actis.

d *Illidem.*

5. Referam tamen adhuc ex eisdem, quod viro Dei cum Nouitio quodam contigit, cum desperate, & ordinem deserere, & ad sæculum redire deliberasset.[e] *Nouitius quidam in Villario longi laboris, vigiliarumque pertæsus, atque se his sufficere desperans, ad sæculum redire deliberauit. Sed cum Abundum speciali reuerentia nec minori charitate prosequeretur; reuelauit consilium viro Dei, antequam illud opere exequeretur. Porro Abbundus firmatum suis consiliis, orationibus iuuit, & à proposito illo reuocauit, saltem ad tempus. Sed ecce Diabolo superseminante Zizania, iniecit in cor eius, vt die altera reiecto Monachatu, habitum simul, locumque desereret, & ad vomitum carnis, iam pene desperatus reuerteretur. Non latuit hæc voluntas virum Dei, Virgine reuelante, quæ multa illi, vt amico communicabat: at ille statim, solita corripiens orationis arma, Dominam, & amicam (sic liceat fari) opportunus precator aggressus est; atque tandiu institit, quoadusque Virgo exorata illi respondit. Dic Nouitio illi, vt petat sibi signum à Domino Deo suo, siue in cœlum sursum, siue in terra deorsum; credatque, se, filio meo adiuuante, perstiturum: & adiecit: sed signum aliud non dabitur ei, nisi signum victoriæ, quam tali die in sæculo obtinuit, cum grauiter tentatus, propter me peccare non voluit. An minus mihi in domo mea deferat, quam in sæculo detulit? Dixit: & statim vir Dei ad Nouitium: Hæc, & hæc mandat tibi Domina mea, mater misericordiæ. Tu vide, an illius verba sint, vel non? Et an signum securum facere possit? Cumque videret Nouitium stupentem, adiecit: Confortare, & esto robustus, tu enim præualebis contra hostes suos. In illa hora Nouitius, nihil cunctatus, amare cœpit ordinem, & in eodem amore & obseruantia, vsque ad vltimum vitæ perseuerauit.* Hactenus ibi. Plura alia subiiciuntur, sed similia tamen, quæ non est adeò opus multiplicare. Hæc ad amicos, & contemporaneos.

e *Illidem.*

Nunc qui ad nos vsque peruenerint fauores, exhibiti eidem Sancto, quæ pignora amicitiæ, queis vti liceat, ad eandem Virginem nobis conciliandam, ex M.S. antiquo Camberonensi, quod idem Ioannes de Assignies vulgauit,[d] proferre libet. *Abundus (ait) in obsequio Virginis sedulus, cum eius sæpius colloquio fueretur, quadam die requisiuit ab ea, quænam orationes in conspectu eius essent magis acceptæ: & illa respondisset, eas præ aliis, quæ matris dignitatem in ipsa laudant; quippe, quæ cuncta ferret accepta filio: subintulit Abundus fidenti animo: Et quibus verbis hanc ipsam dignitatem congruentius commendabo? Tum Virgo Sancta voluntatem amantis se faciens, & deprecationem eius exaudiens, ita respondit. Repete sæpius canticum,* Magnificat: *& in fine cuiusque Versus adiunge:* 6.

d *In eodem cap. 26.*

AVE MARIA, GRATIA PLENA, DOMINVS TECVM: BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS, ET BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI, IESVS CHRISTVS: ET OMNIA MEMBRA TVA BENEDICTA: O PVLCHRA INTER MVLIERES, SPIRITVS SANCTVS SVPERVENIET IN TE, ET VIRTVS ALTISSIMI OBVMBRAVIT TIBI, IDEOQVE ET QVOD NATVM EST EX TE, SANCTVM VOCATVM EST, FILIVS DEI. BEATVS VENTER, QVI PORTAVIT IESVM, ET BEATA VBERA, QVÆ LACTAVERVNT DOMINVM, ET SALVATOREM MVNDI. Hæc ex libro antiquo Camberonensi.

Verum, qui Virginem crebro salutare, nec quicquam sine ipsius consilio facere (adeo illi familiaris) solitus erat, non vna tantum contentus salutatione, quantumuis excellenti, alias, & alias, quas posset alternare, à volente extorsit, & eas nobis reliquit repetendas. *Iterum (pergit idem M.S. ex Camberona) eadem Virgo docuit seruum suum, vt finito officio per horas singulas, hanc illi Antiphonam, & preces recitaret.* 7.

Vers. Aue Maria gratia plena. *Resp.* Dominus tecum. *Collecta. Gratiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, vt qui, Angelo nunciante, Christi filij tui Incarnationem cognouimus, per passionem eius, ac crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante mirabiliter præparasti da, vt cuius commemoratione lætamur eius pia intercessione ab instantibus malis, & à morte subitanea, atque perpetua liberemur, & ad vitam æternam prouenire valeamus, Per eundem Christum Dominum nostrum, &c.* Singulas horas terminare nostris in vsu cum Beatæ Virginis commemoratione, aut eadem, aut simili, nec dissimili versu, collectaque, qui tamen mos, an inde dimanauerit? aliorum linquo iudicio discernendum. Pergit adhuc, M.S. Camberonense.

8. *Vlterius alias quinque salutationes eundem seruum suum Virgo edocuit, quibus ipsa frequenter solebat vti, scilicet:*

O Dulcissima mater misericordiæ, & Virgo pulcherrima, offero tibi has quinque salutationes ad laudem,

dem, & honorem omnium membrorum tuorum.

Salue Virgo Sanctissima, quam Sancta Anna nouem mensibus in ventre portauit. Aue Maria gratia plena, &c vt supra.

Salue Virgo castissima, quæ nouem mensibus Regem gloriæ portasti in vtero. Aue Maria, &c.

Salue Virgo prudentissima, quæ post Christi Natiuitatem languisti præ timore cum Herodes quæreret puerum ad perdendum eum. Aue Maria, &c.

Salue Mater Christi piissima, quæ post resurrectionem, & assensionem eius ad cœlos, languisti præ amore. Aue Maria, &c. Mater Dei Sanctissima, atque perpetua, nos offer filio tuo in cœlesti palatio. Amen. Hæc, & similia à Virgine accipiebat seruus eius Abundus, quæ illi redderet; atque ipso fideli vsu acceptorum, quæ accipienda petebat, aut sperabat, emercabatur. Non alium virum tulit sæculum illud familiariorem Virgini, aut, qui plus illi deberet in his colloquiis, plus ex eisdem redderet, dum beneficia obsequiis, fauores meritis, dignitatem humilitate, largitatem amore compensabat.

At, quàm non minus filium propitium habuit, atque materni obsequij, etiam vltra consuetum,
9. retributorem, alia multo nobilior visio declarat, quam etsi claram, & intuitiuam Dei, vt vocant, dicere non præsumam; at pro humano captu, singularem, &, vt proprie dicam, cæteris, quæ habentur in via, minus obscuram, ipsius Dei verba manifestarunt, quibus nequaquam licet refragari. Igitur ea, ab eodem illo authore, qui nihil se, nisi ex ore Sancti acceptum, scripsisse testatur, ad litteram desumpta, hæc habet verba: [c] *Eius (ideſt Abundi) puritati communis hostis inuidens, corpus, & animum, variis imaginibus, phantasmatibusque, maculare nitebatur. Sed ille Virginitatis amator, meditationibus Sanctis inimicum eludebat; sciens in maleuolam animam non introire sapientiam, nec habitare in corpore subdito peccatis; & quia in omnibus his mens eius fuit insons, placuit ei, qui dixit:* f Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: *ostendere Abundo faciem suam, cuius illi ante desiderium inspirauerat. Itaque decimo quarto die à petitione sua exauditus, & ipse pro reuerentia sua, hora tertia raptus est in Paradysum, viditque Iesum stantem ad dexteram Patris, & audiuit verba, quæ vix licet homini loqui: Audiuit, inquam, Iesum dicentem sibi. Accede fili, & vide, quæ oculi non viderunt, nec aures audierunt, nec in cor hominis ascenderunt: scilicet mysterium Sanctissimæ Trinitatis: & vidit, & gauisus est, & vidit, & potatus est, & ita inebriatus à vino, quod germinare facit Virgines; vt ad se reuersus vbertim fleret, & cibum corporis sui fastidiret, quasi sibi inimicum, per quem detentus in hac mortali vita, à cœlesti illo edulio retardaretur.* Hæc plane Abundi aut fœlicitas, aut laus; ad quam pauci in hac vita; quod Deum aut videre mortalis meruit, aut aliquid videre, in quo ipsum vidisse diceretur: idque ab eo, qui nec fallere nouit, nec potest falli. Sed de Abundo plura adhuc inferius, cum Gobertum, Asperi montis Dominum, Villario confirmauerit, virum bonis fortunæ, naturæque illustrem inter paucos, sed gratiæ charismatibus clariorem. Item cum Sanctam animam reddiderit, æterna gloria in cœlis coronandam.

[c] *Apud eumdem.*

---

1. *Eligendo Archiepiscopo Bisuntino, Guido Morimundensis designatus,* 2. *& se eligi impedit,* 3. *& electionem, de collega factam, declarat irritam.* 4. *Tum litiganti electo Archiepiscopus Viennensis, & Abbas Firmitatis,* 5. *Iudices dantur* .6. *Rodulphi, Coggeshalensis Abbatis, mors;* 7. *itemque Stephani, Cantuariensis Archiepiscopi,* 8 *& reprobato Gualtero, Richardus suffectus.* 9. *Dedicatio Ecclesiæ Besbenhucensis,* 10. *atque dotis augmentum;* 11. *& prima Abbatissa electa in Nouo Vosco.*

CAPVT SEPTIMVM.

PEr idem tempus insigni viro, Ioanne de Abbatis Villa Benedictino, ex Monacho, &
1. Abbate Sancti Petri in Archiepiscopum Bisuntinensem dudum; tum vero recens in Cardinalem Episcopum Sabinien sem à Gregorio promoto; cum Bisuntini de eligendo successore tractarent, Guido Morimundensis, cum duobus collegis destinatus; qui electioni præesset, & cuius omnia consilio prouenirent; dum se eligi prohibet, & electionem de collega factam irritat, illustre suæ constantiæ præbuit specimen, quod ô vtinam! semper imitentur, quicunque præsunt. Totius facti historiam, non iniucundam, ex M.S. antiquo Bisuntino, sed præcipue ex Regestis Vaticani, in hoc capite censui referendam. Is olim mos seruatus in electionibus, vt per suffragia publica, collatis inuicem eligendorum meritis, sed per compromissarios, in paruo numero, & tempore taxato, celebrarentur. Prouisum primum aduersus ignorantiam, audaciamque, electoribus non solum dirigendis, sed coërcendis: ne vel cæci errarent, quia non viderunt; vel occulti, dum neminem verentur, ruerent in deterius etiam videntes. Cautum secundùm aduersus confusionem, si omnes conuenirent; & ne demerita, si quæ essent, detegenda pro maiori notitia eligendorum; cum eorundem infamia, forte & ipsius electi publicarentur. Quis enim erit, qui omni labe careat? Neque quærendi, qui nullas admisere, sed qui minores, atque has etiam à filiis occultandas. Demum tempus, taxatum aduersus ambitum, nedum negotiationi ianua patet, fucata vitia pro meritis irreperent, & virtutes pro vitiis obtruderentur. Igitur iuxta hunc antiquum morem pro eligendo Archiepiscopo, sex ex omnibus designati sunt, in quos cæteri alij compromisere: & designatis eligendi terminus breuis ex more; quoadusque cereus à compromissoribus accedendus, consumeretur.

Accenso cereo conuenere in locum sex electores: sed animis discordes, dum suum vnusquisque suffragium promouet per aliorum dedecora; nec dignitatem eius, quem proposuit, aliunde probat, quam ex eorum, quos cæteri proponunt, indignitate: consumpta cerei per altercationes maiori parte; ne reliqua sine fructu consumeretur, quod vnum eis restare videbatur, in consultores oculos coniiciunt, & eos sibi cunctis præferendos, quia à Pontifice datos; nec

2.

electionem

electionem à quoquam reprobandam, quam summus Ecclesiæ Pastor approbauisset, in hoc vno conformes, declamabant. Guidonem, virum acceptione omni maiorem, si velit acceptare, communi acclamatione recipiendum: quod si non essent digni tanto pastore, quod plures verebantur, relinqui Abbatem Sancti Benigni Diuionensis (erat is ex Guidonis collegis primus) de cuius nequeant consensu dubitare. Talia dum memorant, & consultores tentant magis, quàm consulunt, de Guidonis assensu desperantes; ne cereo absumpto, qui iam lues vltimas minori videbatur, potestas eligendi elaberetur; Sancti Benigni Diuionensis Abbatem eligũt, à quo saltem putabant non dissensurum. Ergo ad tres consultores egrediuntur; & se vnum ex ipsis elegisse, in quem omnes conueniant, testificantur. Solam ipsorum deesse approbationem, vt electio procederet, & sibi de idoneo Pastore congratulantur. Sensere omnes in Guidonis aspectu zelum: neque se ideo missos, vt eligantur, sed vt eligi idoneum procurarent, oculis nutibus, voce proclamabat. Ita dum sibi timuit ab electione. Verum audito nomine collegæ, aliquanto pacatior, sed nihilominus inconueniens reputans, si consiliarij, pro electione dati, pro se consulerent; idque si ab aliis traheretur in exemplum, multorum in Ecclesia malorum causam fore; ne vel proteruus collegæ cõtradicere, vel facilis consentire videretur, tempus deliberandi postulauit, æquum id, & rationi consentaneum, in re grauissima: sed cereo iam ad vltimum perducto, & fere intercadentes vomente flãmas, nullum omnino tempus electoribus, in suo statim officio fungerentur, relinquebatur. Publicata pro Abbate Diuionensi electio est, & illius consensus obtentus facile, cum nondum Guido responsum reddidisset.

3. Tum vero ipse, seu iustitiæ zelo, atque obedientiæ sedis Apostolicæ, quæ non modicum læsæ videbantur, celebrata electione sine consilio; seu scandali vitandi desiderio; & ne priuatæ consiliantium vtilitates semel admissæ, electiones deinceps perturbarent: ad vltimum, siue humanum aliquid passus, nec se contemni patiens ab electoribus, electionem cassauit; veluti quæ sine ipsius, & collegæ consilio; contra formam Apostolici mandati facta fuisset. Nam quale, aut quod consilium præ se ferrent? ante, an post electionem sedante non petitum, post, non datum. An idem est tentare voluntatem, quod sententiam inquirere, vt cum consensu, consilium confundi valeat. Promisisse fortasse suum consensum Diuionensem Abbatem, si ab eis eligeretur; atque vt eligerent, numquam consulturum. Sed nec si solus ipse consuluisset, satisfactum mandato, quandiu duo alij consultores omissi essent. His, & similibus Guido disputabat, assentiente collega, irritam electionem, siue saltem per ipsos irritandam. Tum electores, si ea cassanda veniat, amisisse ius omne, quod semel iam ad ipsos deuolutum, neque vellent, neque debeant præterire. Irrita Diuinionensis Abbatis electio est: & designatus Cabilonensis Episcopus, qui ad sedem Bisuntinam promoueretur. Hinc ad Gregorium nonum lis delata, & patribus auditis, iudices dati, qui inter vtramque electionem pronunciarent. Id tamen vnum cauere visus est summus Ecclesiæ Pastor, ne facta per Guidonem iustitiæ zelo, si forte non subsisterent per alium, quàm per eius Coabbatem, eumque ex quatuor primis, rescinderentur. Extant, leguntque eiusdem litteræ ad Archiepiscopum Viennensem, & Abbatem de Firmitate, quæ totam pro maiori parte historiam continent, nec grauabor ad litterã transcribere.[a]

[a] *lib. 2. Epistolarum Gregorij in Regest.* 4.

Archiepiscopo Viennensi, & Abbati de Firmitate, Cisterciensis Ordinu, Cabilonensis Diœcesis.

Venerabili Fratre nostro Ioanne Sabinienſi Episcopo, de Bisuntinensi Ecclesia, in consortium Fratrum nostrorum assumpto, nos cupientes, vt sibi succederet in eadem Ecclesia, qui eius congrueret oneri, & honori, Sancti Ioannis, & Sancti Stephani, Capitulo Bisuntini mandauimus, vt cum consilio Morimundensis, & Sancti Benigni Diuionensis, Abbatum; atque Fratres G. Prioris de Ordine Prædicatorum Bisuntinensi, infra quadraginta dies, post susceptionem litterarum nostrarum, sibi eligerent personam idoneam canonicè, ac concorditer in pastorem: alioquin iidem Abbates, & Prior eis de Archiepiscopo prouiderent. Quare dicta Capitula, die ad eligendum præfixa de prædictorum consilio, sicut procurator eiusdem Abbatis S. Benigni dicebat, sex ex ipsis potestatem eligendi dederunt, vsque ad consumptionem cuiusdam cerei, qui ad hoc accensus extitit, duraturam. Cum igitur electores ipsi concorditer conuenissent in prædictum Abbatem Sancti Benigni, & sociorum eius super hoc consilium requisissent, qui iidem se velle deliberare dixerunt; dicti electores, cum Cereus ipse deficeret, & propterea tempus ad deliberandum non esset; non expectato illorum responso, præfatum Abbatem S. Benigni, in Bisuntinensem Archiepiscopum elegerunt. Præfati vero Morimundensis Abbas, & Prior, proponentes, electionem huiusmodi, contra formam mandati nostri præsumptam, cassauerunt eandem: & venerabilem Fratrem nostrum Cabilonensem Episcopum, in Bisuntinensem Archiepiscopum assignarunt.

Proponebatur ergo contra electionem eandem, 5. *quod, cum responsum prædictorum expectatum non fuerit in electione, ipsa forma mandati nostri non extitit obseruata; & idcirco censenda erat irrita, vel etiam irritanda. Sed ad hoc respondebatur è contra, quod electores ipsius cum eisdem Abbatibus, & Priore, de electione tractauerant, & consilium requisierant eorundem. Propter quod, si responso ipsorum (quorum postmodum, cum conuenissent, in Abbatem S. Benigni requisierunt consilium) non expectato ex causa prædicta, ad electionem huiusmodi processerunt, non erat calumniæ subiiciendum, quod fecerant; sed eorum debebat electio confirmari. Nos vero auditis, & intellectis, quæ fuerunt hinc, inde, proposita; deliberato Fratrum nostrorum consilio; discretioni vestræ præsentium authoritate mandamus, quatenus si vobis constiterit, ab eisdem electoribus tractatum de electione habitum & requisitum consilium prædictorum; ita, quod in tractatu electionis, illorum fuerit consilium requisitum; & persona ipsius Abbatis Sancti Benigni, litteratura, vita, & aliis, quæ in Archiepiscopo requiruntur, eidem Ecclesiæ congruere dignoscatur; & aliquid Canonicum non obsistat; vos electionem confirmetis eandem, & sibi faciatis debitam obedientiam, & reuerentiam exhiberi. Quod si non in tractatu electionis extitit requisitum prædictorum consilium, licet postea requisitum fuerit non competenti tempore, nec etiam expectatum responsum ipsorum; cum hoc eis debeat qui sibi tempus acceperant imputari; aut si non sit idoneus idem Abbas; quod de ipso factum est, inualidum decernatis. Nos enim prædictorum duorum processum in irritum reuocamus. Datis Laterani XII. Kal. Aprilis Pontificatus nostri anno secundo.*

Hactenus litteræ Gregorij Papæ noni, quæ totum fere Guidonis factum continent. Nisi quod tamen præintenta eius electio magis in M. S. declaratur. Sic enim ait. *Elegerunt Abbatem Sancti Benigni, quem consensurum nouerant: cum prius tentatum Guidonem Morimundensem, penitus resilientem inuenissent.* Reliqua, quæ in hac causa contigere, nobis ignota, nec M. S. vltra aliquid habet.

6. Hoc anno in Anglia senio, & morbis fractus Coggeshalensi Præfectura se abdicauit Radulphus, insignis vir doctrina, & pietate, cuius superius fecimus mentionem. Dum munere Abbatis fungeretur, nihil ideo minus litteris vacans. *Ad Chronicon Radulphi nigri (ait Ioannes Pitseus) accuratas scripsit additiones, egitque de Imperatoribus de Regibus, tum Angliæ, tum Franciæ; incipiensque ab anno Domini M. C. XIII. Historiam vsque ad suum tempus deduxit, & ad annum M. CC. XXVIII. forsan vna cum vita terminauit. Nam circa idem tempus, cum iam annis duodecim Monasterio præfuisset, omnibus functionibus publicis se abdicauit, & cum variis morbis conflictans, vitam priuatam, donec præualente vi ægritudinis vita priuaretur, egit. Scripsit Additiones ad Rodulphum Nigrum, Librum Vnum,* Anno gratiæ. M. C. XIV. Rex Henricus.

b *De Scriptoribus. Anglia.*

Chronicon terræ Sanctæ, Librum vnum. Quamuis pressuris, & calamitatibus.

Super quibusdam visionibus, — Librum vnum.

Sermonum, ——— Librum vnum, & alia quædam.

Vixit quidem, sed ægre, quia valde æger, anno salutis M. CC. VIII. cum summa rerum in Anglia penes Henricum Tertium resideret. Idem, Seguinus, & pene eisdem verbis, quippe vterque ex eodem transcripsere. c

c *Ioann. Bælus cent. 3. cap. 38.*

7. Cæterum, quia Angliam semel adiecimus, haud abs re erit, si Stephani Languetonij, Præsulis Cantuariensis, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, obitum qui hunc annum concernit, referamus; non quasi Cisterciensis professione, neque enim huic (quicquid Seguinus, & alij d in hoc consprirent) sed quia affectu, & quia in Monasterio Pontigniacensi, velut vnus ex Monachis conuersatus est, quandiu exilium in illo tolerauit. *Cantuariæ tandem mortuus, ait Pitheus,* e *neque est, qui refragetur; & ibidem in Ecclesia maiori sepultus est. Anno gratiæ. M. CC. XXVIII.* Plura de illo, & operibus eius nos superius. Sed de successore pauca dicam, vt per eum ad Edmundum, magnum illud Cantuariæ, Cistercijque, & lumen, & columen, non interrupta serie gradum faciam. Ergo post Stephanum electus VValterus, vnus ex Monachis Ecclesiæ Cantuariensis, exiguæ litteraturæ homo, & qui vel Rege, & Episcopis Angliæ non reclamantibus, iure optimo potuisset reprobari: Sed reprobatus facilius multo est ad instantiam Regis; quem, duos Episcopos misisse contra electionem ad Gregorium Pontificem, Matheus Paris, & alij testificantur. *Porro eius loco (ait Nicolaus Arsfeldius)* f *Gregorius Richardum, Lincolnensis Ecclesiæ Cancellarum, quem multi Cardinales in transmarinis scholis versatum, recte norant; quemque legati Regis ob singularem doctrinã, & pietatẽ magnis laudibus extulere; Cantuariensi Ecclesiæ ex suæ dignitatis magnitudine præfecit.* Ergo Richardus Languetonij Thomæ successor, antecessor Edmũdi, de quo & superius aliqua, & multo plura in sequentibus dicemus.

d *Apud Henriquez in Menol. Februar. 28.*

e *Vbi supra.*

f *Sæculo 13. cap. 6.*

Extant de hac Richardi electione, VValtero reiecto, Gregorij Papæ litteræ ad Priorem, & Monachos Ecclesiæ Cantuariensis, in quibus hæc inter alia. g *Sane memorata Ecclesia (nimirum Cantuariensis) nuper inclyto destitutæ pastore (Stephano Languetonio) præsentatam nobis electionem de Gualtero, Monacho eiusdem Ecclesiæ, celebratam, examinantes, sicut congruit, diligenter, eam de persona minus sufficienti præsumptam, cassauimus iustitia exigente. electoribus eligendi hac vice iure priuatis, & Ecclesiæ ordinatione nostra prudentia reseruata. Vnde, quia præcipue interest Ecclesiæ, tam nobili, tam sublimi, præficere virum egregium, & insignem, qui qualibus succedat attendens, eos satagat imitari; vt recta regens, & dirigens indirecta, sibi per vita meritum, & aliis proficiat per exemplum: dilectum filium magistrum R. Cancellarium Lincolnienſem, virum vtique (sicut ex testimoniis multorum fide dignis, quæ quidem credibilia facta sunt nimis) secundum cor nostrum, morum honestate conspicuum, eminenti litterarum scientia præditum, & temporalium prouidentia circumspectum; Cantuariensi Ecclesia prouidimus proponendum: vt operetur, & custodiat illam, sicut sibi Dominus ministrauit, plena sibi, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus administratione commissa, &c. Dat Perusij XIV. Kalendas Februarij. Pontificatus nostri anno secundo.* Hæc de Richardo, qui solus inter Stephanum, & Edmundum medius fuit.

g Ex Regist. Greg. in Vaticano.

8.

9. Eodem anno expeditum est diploma ab eodem Pontifice pro dedicatione Ecclesiæ Besbenhusensis, ad petitionem Abbatis, Conuentusque indulgentias concedens cunctis fidelibus, in anniuersaria illius solemnitate, totidem verbis h *Cum igitur dilecti filij Abbas, & conuentus de Besbenhusen, Cistercienſis Ordinis, Monasterium ipsum ad honorem Dei, & Beatæ Virginis Mariæ, genitricis suæ atque aliorum Sanctorum, cupiant consecrari; vniuersitatem vestram rogamus, monemus attentius, & hortamur, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ad huiusmodi solemnitatem accedatis humiliter, vt adiuti sanctorum patrociniis, possitis ab æterna fœlicitatis gaudia peruenire. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum eius, ac ea, quam nobis concessit authoritate confici, omnibus in die consecrationis eiusdem, & octo sequentibus, necnon & anniuersario solemnitatis præfatæ, ad Monasterium accedentibus, annis singulis, memoratum, quadraginta dies, de iniuncta sibi pœnitentia relaxamus. Datum Perusij Kalendis Martij, Pontificatus nostri anno secundo.*

h Ex eisdem Regestis.

10. Cæterum, quo anno in Regestis Gregorij dicatam lego Ecclesiam Besbenhusen, eodem in Martino Crussio inuenio possessionibus auctam, Conradi Abbatis, qui præerat, industria, & Eginonis, Vracensis Comitis, largitate, productis ab eodem Crussio litteris, quas nos etiam ex more transcribemus. i

i *In Annalib. Suevicis.*

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Egino, Dei gratia Comes ab Vrach.

Nouerit vniuersitas fidelium, tàm præsentium, quàm futurorum, quod Conradus, venerabilis Abbas de Besbenhusen, & Fratres sui, prædium, quod dicitur Cimberebuch, cum suis attinentiis, agris, pratis, & syluis, terris cultis, & incultis à nostris ministerialibus, qui eodem prædio fuerant à nobis inbeneficiati, octoginta librarum pretio

Hallensis

Hallensis monetæ comparârint. Quorum memoria sunt Rodulphus, & Burchardus, Fratres, Heerbertus iunior, & VValterus, cognomento Mulin. Verum, quod ad nos spectabat, huiusmodi donatio ratione proprietatis, idem prædium, sine nostro consensu, cœnobio præfato conferri non poterat. Nos igitur inspiratione Diuina commoti, & Abbatis, & Fratrum suorum nihilominus pia petitione prouocati, prædium iam dictum, cum omni libertate Monasterio Besbenhusensi, solenni donatione, cum nostrorum liberorum consentia, voluntateque, videlicet Eginonis iunioris de Fribureto, Rudolphi, & Bertholdi Comitum de Vrach, in honorem sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, omniumque Sanctorum pro nostra, parentumque nostrorum perpetua salute, contradimus; sperantes ex hac donatione, habituros Diuinæ recompensationis stabilem, semperque desiderabilem portionem. Vt igitur hoc factum, quod fecimus, authoritate tam manifesta, posset esse ratum Monasterio sæpe dicto, firmissimumque, & incunctanter inconuulsum, & inuiolabile; schedulam hanc conscribi, nostroque sigillo, liberorumque nostrorum fecimus communiri. Acta sunt hæc ab Incarnatione Domini M. CC. XXVIII. Indictione prima. Datum in Vrach. V. Kalendas Decembris. Hactenus ex Crusio.

Hoc item anno Monasterium Noui Vosci Sanctimonialium, quod hactenus, per Priorissas administratum fuerat, Abbatissas suscepit; quam dignitatem prima adepta est Sanctimonialis Oda, quæ tres ante annos, in Priorissam electa fuerat, viuente adhuc Margarita fundatrice. Ita Antonius Sanderus in hæc verba. *Anno M. CC. XXVIII. Oda electa est prima Abbatissa eodem loco in Vigilia Beatæ Mariæ Magdalenæ: quæ rexit dictum Monasterium: obiitque piæ memoriæ Margareta prima Priorissa ibidem fundatrix eiusdem loci, quæ rexit Monasterium annis decem.* Ergo anno Domini M. CC. XV. quo Monasterium cœpit, Margareta fundatrix gubernauit. Illa cedente, electa Oda fuit, anno M. CC. XXV. vtraque Priorissa vsque ad hunc annum. 11.

---

1. *Ferdinandus coniurantes in Regem eidem reconciliat.* 2. *Quæ coniuratio, & qualis?* 3. *Ferdinandi consilium, Regi propositum, à cunctis acclamatum.* 4. *Vtriusque colloquium:* 5. *& cum Guillelmo Moncada, cæterisque.* 6. *Regis clementia in omnes.* 7. *Quæ vtrinque proposita?* 8. *Quæ pacta?* 9. *Relaxati ab vtrisque, qui bello capti; atque aliæ querelæ.* 10. *Quid cum vrbibus pactum,* 11. *& qualiter vbique firmata pax.*

CAPVT OCTAVVM.

1. IACOBO in Hispania, Aragonensium Regi, fœlix omnino hic annus, & faustus fuit, coniuratis in obsequium eius adactis, Ferdinandi interuentu, qui hactenus peccata in Regem abluit vtili opera, & quæ nepoti à domesticis bellis expedito, ad illustres victorias comparandas de inimicis fidei viam strauit. Paucis hæc Mariana,[a] sed Regi magis, quàm Ferdinando patruo cuncta attribuens, quamuis non negat vtrunque interuenisse. *In Aragonia, ait, Proceres coniurati Regis industria ad officium reuocabantur. Ferdinandus patruus eorum quæ commiserat, venia impetrata, Regi, ea lege, conciliatus, vt coniurati iusiurandi inter se gratiam facerent: quo se mutuo deuinxerant.* Hactenus ille. At quantum ex Regiis cum Ferdinando, & cæteris Proceribus per ipsum, reconciliatione vtilitatis, tum Regi, & Regno, tum vniuersæ Reipublicæ sequutum sit, prosequitur Zorita totidem verbis.[b] *Inde ab seditione, & bello sedatis rebus, inclinauit pars maior curarum in expeditionem Balearicam: vt maiori iam hinc bella, & longinquitate Regionum, vel temporum spatio, quibus bellatum est, suscipi cœperint. Ipsi Cataloniæ Proceres Regem hortantur, vt bellum aduersus Baleares insulas paret: quarum prædones aliquot mercatorum naues euerterant: atque diripuerant. Abohibes, Balearam Rex, cum pro suis opibus, & facultatibus superbiorem se, multa aduersus nostros hostiliter molitus, in ea fortuna præbuisset, & legatum, qui res petitum transmissus fuerat, per iocum irrideret; & vix se continuisset, quin eum pulsari, contra ius gentium iuberet; mense Decembri, Barchinone à Rege conuentus agitur, & de bello Balearicis inferendo refert.* Hoc Beleatici belli initium fuit, ex quo Iacobus, cognomento Conquisitor, suas de Sarracenis victorias, & illustres, & plures est auspicatus.

a lib. 12. cap. 13.

b In Indicib. Aragon. Ad hunc ann.

Cæterum quoniam hæc patrui, & nepotis reconciliatio, ex vtroque hos Annales æquè concernit; non absre erit, si ipsius circunstantias, modumque ex Bernardino Miedes, altius repetito principio, referamus. *Ferdinandus ait*[c] *non minus tolerantia Regis, quàm sua ipsius conscientia conuictus, professus est, se Regi publicè fidem dare velle, atque commissorum omnium veniam petere. Tametsi hoc ipso tempore Cæsaraugustani, atque Oscenses, & Iaccenses, qui Ferdinandi partes sequebantur, solenni interse, inito fœdere, conuenere Iaccæ, quæ vrbs est vlterior, & Aquitaniæ proxima, in mediis Pyræneis montibus, tamen in planitie sita; vbi, multo data fide publica, inter alia promiserunt, se sibi nunquam defuturos; sed pro communi, peculiarique vniuscuiusque ipsorum bono, omnes simul propugnaturos contra quoscumque, cuiusuis Ordinis, aut conditionis existerent, qui eorundem Rempublicam quoquo modo perturbare tentarent. Cuius conspirationis caput, Cæsaraugusta fuit: causæ vero feruntur in primis tam diuturna Regnorum in partes diuisio; tamque insolens subinde, & acerba nimis cuiusque partis in contrariam irruptio, ab omnique non modo iure, & iustitia, sed honestate, & Religione discessio. At vero Rex, qui tunc agebat Pertusæ, audiens eiusmodi Conuentus, se non consulto agi, suspectos habuit, quod intellexit, illos, non tam sua sponte, & bono publico ciuitatum, quàm occulta Ferdinandi, & suorum machinatione, ac neque vt sese defenderent ab excursionibus; sed vt paratiores inde, atque expeditiores ad effendendum essent, initos fuisse.* 2.

c *lib. 4 post medium.*

Verum Ferdinandus iam ætate grauis, adeoque labore, & itinere ambitionis defessus, multa secum animo versans, ac videns, se, cum superior factus esset ordine, tamen fortuna semper esse inferiorem, 3.

feriorem;ac rursum Regis res, non fortuna, sed cum summa animi virtute, Diuinitate quadam regi; ac defendi mentem, suarumque rerum quasi proram, alio dirigendam putauit: neque deinde tam quiquam cordi habere cæpit, quàm omni regnandi spe abiecta, se se Regi subdere ac reconciliare. Quæ plane omnia cum Guillelmo Moncada, & Petro Cornelio, qui eius partes sequuti, à Rege etiam alienato erant animo, communicauit, facileque ipsis, qui similibus etiam laboribus fracti erant, persuasit; vt de reconciliatione cum Rege agerent: ad idque tractandum Oscam simul petiere: indeque legatos Pertusam ad Regem misere, qui renunciarent, se Oscam venisse, esseque concordes, & paratissimos; vt vere, & ex animo, eius Regiæ voluntati, & arbitrio sese omnino submitterent; atque commissorum, quorum vehementer eos pœnituerat, veniam ab eo deprecarentur: modo extra Pertusam, quam sibi habebant suspectam, liceret ipsum adire, paucis comitantibus equitibus, dum non pluribus quoque ipse eo perueniret. Proinde data facultate, se illico ad eum concessuros. Qua legatione publice renunciata, ab vniuersis Proceribus, faustè, fœliciterque acclamatum est, propterea, quod ex huiusmodi reconciliatione Ferdinandi, summa totius Regni pax, atque tranquillitas consequeretur.

4. Ac protinus, de consilio Procerum, permisit Rex Ferdinando, cum sociis venire ad se in proximum, atque eminentem Pertusæ, montem Alcalatensem, septem duntaxat comitato equitibus, Rege cum totidem illo ascensuro. Itaque cum Rege venere Folchius, & eius frater Guillelmus Athofocius, Rodericus Liciana, Ladronius, quem Rex in historia, nobilissima stirpe ortum affirmat: tum & Assalidius, Gudalius & Peregrinus Bolasius, cum alio, cuius nomen non extat: Ferdinandum vero cum Benearnensi, & Petro Cornelio sequuti sunt Ferdinandus Perezius Pina, aliique ad eundem numerum. Igitur accedens Ferdinandus supplex, ac demisso vultu, cum sociis, à Rege exceptus est humanissime; ac quo magis Rex eos familiariter ad colloquendum prouocaret, festiuos sermones interposuit, similibusque, ab eisdem responsum est. Tametsi vniuersa demum consuetudo à Ferdinando eò deuoluta fuit, vt supplex à Rege peteret, dari sibi veniam, ac commissa à se, suisque, obliuioni mandari, atque in pristinam ipsius gratiam restitui omnino. Deberi hoc sibi, vt patruo, vt alumno, vt supplici, Regiæque eius Maiestati vehementer, atque ex animo addicto. Id ipsum deprecatus est pro Guillelmo Moncada supplice, ac eandem simul veniam poscenti, cuius subditi, alioquin omnium Hispaniæ Procerum potentissimi, fideli opera perpetuo vteretur.

5. Quibus idem Guillelmus, simili quoque vsus animi dimissione, subiecit, notum esse Regi, quanta, quamque coniuncta, generis cognatione, eius maiores attingerent Comites Barcinonenses, Regis quoque maiores, illiusque Principatus conditores, deberique sibi ex eo maiorem gratiam, ac vel propterea maxime restituendam, quod accessione potentatus Benearnensis, totius VVasconiæ primatus, maiori potentia, & facultate rerum inseruire Regi possit. Se enim hactenus, quacunque fecerit, non ladendi, sed sese potius ab eius ira defendendi causa fecisse. Quod si aliorsum accepta illa fuerint, ac visio data sibi, veniam tamen ab eo pro se suisque deprecari, promittereque, se nullo vnquam tempore, quantumuis prouocatum, contra eundem moturum, talemque operam in seruiendo illi perpetuo nauaturum, vt singularem sibi ab eo gratiam, & commendationem promereretur. Hæc cùm pluribus verbis ingemiscentes à Rege peterent, sese cum sociis Regiis pedibus prouoluere nitebantur. Sed Rex, his sublatis, consilio habito, responsurum se dixit.

Itaque concordi omnium sententia, hæc à consilio deliberata sunt. Primum, vt Ferdinandus, & Benearnensis cum reliquis, in gratiam Regis restituerentur; deinde, vt de controuersis, negotium alioqui grauissimum, iudicibus committeretur, postremo de nouis ciuitatum molitionibus, id Regis arbitrio declarandum reseruaretur. Iis deliberatis, atque Ferdinando expositis, Rex magna cum alacritate Ferdinandum, Guillelmum, & Ximenium, aliosque Proceres, cum Regiam ipsi manum prius fuissent reuerẽter osculati, omnes amplexatus est: ac protinus vniuersas totius Regni partes, læta concordiæ fama peruagata, supplicationes decretæ, gratulationesque ad omnia Dei templa habitæ fuerunt, miraque populi exultare lætitia cœperunt. Nam etsi controuersiæ populares erant & si damna permulta, & compensationes difficillimæ, pacis tamen studium, & cupiditas tanta erat, vt facilia factu fuerint, quæ olim intolerabilia, & quàm difficillima videbantur. Quamobrem Tarraconensi, & Ilerdensi Antistitibus, ac Mompensatio, magno templi Magistro, omnes controuersias dirimendas remiserunt, eorumque sententiæ, publica, atque communi fide præstita stare promiserunt. 6.

Earum potissima, omniumque difficillima fuit compensatio damnorum, quæ Rex passus est ob coniurationem Ferdinandi, ac etiam Sanctii Ahonesij, Antistitis Cæsaraugustani, suo, atque Sanctiæ Pereiræ, relictæ Petri Ahonesy, nec non & Petri Cornelij, Petri Iordani, & G. Atorellæ nomine. Quæ damna, vrgente fisco, reficienda erant; quin & mutuò eorundem inter se data fides, promissiones, & iureiurando confirmata pacta ad coniurationem, ante omnia rescindenda pœnitus, & abolenda, iis obiiciebat Sanctius, oportere quoque restitui Ahonesianis oppida, & Castella, quæ Rex, mortuo Ahonesio, quàm primùm vi ceperat; ac etiam pecuniæ vim magnam, quam ab eo mutuo acceperat, proque ea, oppida, & castella quædam oppignorata illi fuerant. 7.

Quibus auditis idem ipsi iudices maturè deliberarunt: scilicet, vt in primis traderentur Regi à Ferdinando, & aliis omnia coniurationis instrumenta, tam à Proceribus, quam à ciuitatibus, quàm à priuatis ciuibus, vbivis stipulata: ac etiam Ferdinandus, & alij, publicam fidem, vna cum obedientia, denuo Regi præstarent: Rexque rursum Ferdinando, quo nullus illi erat cognatione propior, honoris gratia, triginta equestria Regni stipendia, ad annum dono daret: ab omnique ipsum læsæ Maiestatis crimine, aliaque ob coniurationem culpa libenter, atque ex animo, absolueret; ac daret fidem, posse in posterum Ferdinandum sese illius Imperio commendare. Simili etiam pacto sancitum est, Sanctium Antistitem esse in Regiam quoque gratiam recipiendum: ac propterea, quod iusto fraterna mortis dolore pressus fecerit, quod fecit, extra omnem culpam ponendum, seque vnà, & Sacro-sanctam Cæsaraugustanam Ecclesiam, suo sub præsidio, & tutela Rex tenendam, & defendendam, promitteret. Quin etiam vt castella, quæ Ahonesius olim ex Regio munere viuens obtinebat, Regiæ ditioni restituerentur. Quæ vero hæreditario iure Ahonesij erant, ea Sanctio fratri remanerent: cui & erogaretur quæcunque pecuniarum summa, olim Ahonesio à Rege debita. 8.

Eandem

9. *Eandem Regis Clementiam experti fuerunt ante dicti Cornelius Atorella, & Iordanus, cæterique alij, qui Ferdinandi partes sequuti, contra Regem coniurarent. Ad hæc vniuersi vtrinque in custodiam & vincula coniecti homines, libarati, atque castella etiam, & oppida occupata, suis quoque Dominis restituta: excepta Cellarum, quæ à Rege vi, & armis capta, Regiæ ditioni perpetuo addicta fuerunt. Demum declararunt, non esse negandas inducias iis, qui coniurasse dicarentur, intra decem, supra annum, dies, vt eo tempore de abolendo crimine negotiarentur. Neque interim obliuioni à Rege dati, qui difficillimo, periculosissimoque eius vitæ tempore, ipsum fidelissime sequuti sunt: quos singulos, suis quoque muneribus, atque honorariis insigniuit. Nam ex his Artalum Lunam, qui præfectus erat Borgiæ, Tirasonæ finitimæ; & Garcesium Aquilarium, summum Calatrauensis Ordinis Præfectum in Aragonia, cui inclytum Alcanizense oppidum obtigerat: nec non Perezium, Dominum Rodæ oppidi, ad rigas Saloniy fluminis situm, eorum ditiones, & Præfecturas, cum aliis quoque equestribus stipendiis, quæ obtinebant, confirmauit.*

10. *Quod ad ciuitates pertineret, Cæsaraugustanam, Oscensem, & Iaccensem, quæ nuper, vt diximus, falso defensionis nomine obiecto, sese de potestate Regia subtraxerant, Rex id seorsum sibi diiudicandum reseruauit. Sentientes ciuitates, restituto in Regis gratiam Ferdinando, & aliis ipsius factionis, solis ipsis veniam à Rege denegari; protinus, ne cunctatione maiorem Regis indignationem subirent, legationem vltro mittere (quod timoris signum est) decreuerunt. Vnde Cæsaraugustana quinque viros suos, Oscam, & Iaccam, suosque Primates, legatos ad Regem miserunt, cum amplissimis mandatis ad pacem, & veniam deprecandas. Qui Pertusam, intrantes, cum primum intellexere Regis animum male esse erga eos affectum, neque benevole ipsos auditurum; ad Antistites iudices venerunt, eisque mandata ostenderunt, nihil præter quam pacis, atque veniæ deprecationem continentia; ac modo in Regis gratiam reciperentur; se, quæcunque periudices pronunciarentur decreta, tam proprio, quam ciuitatum nomine, ad vnguem approbaturos.*

Qua petitione pacatus Rex, pronunciari fecit per 11. *iudices; vt quam primum abolerentur per ciuitates, earum pacta omnia, mutuæque promissiones, iusiuranda ad conspirandum, vsque in eum diem transacta. Deinde vt fides publica, & obedientia, ab vnaquaque illarum denuò Regi præstaretur. Præterea, vt iniuriæ, & damna, à Regio exercitu illata, & quæ iure belli fiunt, remitterentur; nec non eos, qui ex Regiis capti, & in custodia traditi fuerunt, eorumque bona, ab ipsis compilata, educerentur de custodia; eisque de publico bona restituerentur. Quæ omnia legatis habentibus rata, Rex quoque eos, qui de ciuitatibus capti, vinculis tenebantur, erigi iussit; ac Legatis restitui. Demum Rex approbatis, atque denuo confirmatis plebiscitis, iuribus, ab priuilegiis ciuitatum, à maioribus suis ipsis concessis, pacatis omnibus Ilerdam abiit.* Hactenus ex Bernardino Gomesio sumpta, quæ quia inter acta tum Regis, tum Ferdinandi (Cistercienſis vtriusque) præcipuum locum tenent, præterire non licuit, neque exactæ ab authore narrata, aliqua ex parte libuit immutare. Ab hac reconciliatione cum Rege, Ferdinandus in eius semper, & gratia, & fide mansit, vsque ad mortem à neutra diuellendus.

---

1. *Prouisa quæda concernentia Diuinum cultum*, 2. *& Abbatiæ tenues supprimi iussæ.* 3. *Quid de Monialibus, vt leges pro eis latæ.* 4. *Chronologia:* 5. *& dictum de Bello Prato iuxta Gerardi mortem.* 6. *Fundatio domus* 7. *amplaque dotatio*, 8 *& dotis incrementa* 9. *Alcidis fundatricis, atque ipsius Monasteriy notitia breuis.* 10. *Rostenium ad Alostum, & Nazareth in agro Placentino.*

CAPVT NONVM.

1. OCCVPABVNT ex more vltimum locum Acta Capituli, & cœnobiorum fundationes, quæ ipsa breuiter veniunt recensenda. In Capitulo, vltra ea, quæ supra diximus, ex litteris Gregorij, & Romani Cardinalis propositione, prouisa quædam, quæ Guillelmi parentis commendant, pro commisso sibi grege, sollicitudinem. Statutum in primis pro cultu virginis, *vt per octauas Assumptionis eius, præfatio diceretur de ipso festo.* Inde pro celebrandis Anniuersariis Honorij Papæ, & Regum Franciæ, & Angliæ, *vt Anniuersaria Domini Honorij Papæ, & Regum Franciæ, & Angliæ sedendo fiant; eisi secunda feria venerit, vesperæ die Dominico dicantur: & fiat Missa cum duobus ministris. Et de Anniuersario Domini Honorij Papæ, quod in Quadragesima accidit, prima Missa erit de ieiunio, secunda de Anniuersario, & si præsens defunctus fuerit, vsque in diem, qua fieri possit, differatur. In dictis Anniuersariis prima collecta: Præsta Domine quæsumus: secunda, Fidelium:* Demum vt *Anniuersarium Ludouici, Francorum Regis, VII. Idus Nouembris celebrandum sit: eodem, & per totum ordinem in Kalendariis adnotaretur.* His se se legibus gratos ostendebant, & diuis, & hominibus, dum his suffragia Mariæ Virgini cultum, non solum exhibebant, sed perennabant.

Relatum deinde de pauperibus cœnobiis, & 2. quæ neque ex defectu reddituum Monachos; nec sine Monachis conuentus grauitatem, aut Cisterciy rigorem tenere poterant: & iudicata non solum inutilia, verum nociua: quippe quæ nec domesticos promoueant; nec exteros ædificent: & dum progrediuntur, retrocedant. Sequitur paucitatem Monachorum obseruantiæ defectus; hunc otiositas; otiositatem vitia; & vix hoc genus vitæ admittit tepidos; quotquot non sunt perfecti, mali euadunt. Quid quod consueti laxiori disciplinæ, strictam abhorrent? Et suo exemplo in tædium alios inducunt. Quæ cum scandalo aliquando facta sunt, in exemplum trahuntur; permissa pro virtutibus habentur. Facilis transitus cuiusque consuetudinis, ex vna domo ad aliam: neque est, qui sibi prohibitum persuadeat, quod aliis licet. Nihil antiquius Cisterciо; nihil sacratius, quàm vnos, &

eosdem omnium mores, nihil commendatius, in charta charitatis. Aut tollenda de medio illa cœnobia, quæ sese conformare Cistercio nequeunt, cætera per ipsa deformanda. Maius periculum imminere cunctis, si inter se discordent, quàm si vniformiter temperare relaxarentur: prouisum sub Arnoldo Abbate serpenti malo; sed irrito conatu, qui nunc vtiliter veniat reficiendus. Ergo supprimi omnia Guillelmus iubet, & redigi in grangias, addita lege, quæ ô vtinam hodie obseruaretur! statutum est, vt *Abbatiæ, quæ duodecim Monachos cum tercio decimo Abbate sustinere non possent, redigerentur in grangias.* Ita præceptum; haud dubie animo prompto exequi, quod iubebat; sed illa mala, quæ suos fautores habent, facilius prohiberi, quam euitari, ipsa experientia docuit; nulla Abbatia suppressa, quod sciamus, ne amouerent Abbates; aut si decederent, vt alios subrogarent. Constat post annos septem, & quadraginta, eidem omnimo malo, simili, sed temperatiori lege, quamuis nec tunc vtilius, cautum fore. Demum nos ipsi, nouissimis temporibus, dum almæ nostræ Hispaniarum obseruantiæ præsideremus, eidem morbo ferrum applicare conati sumus; obtentis ad maiorem firmitudinem litteris Apostolicis: sed quibus etiam per supplicationes interpositas vtcumque elusis, (liceat vera fari) dum prævalet ambitio, integrum malum, desperando remedio, perseuerat.

3. Idem video euenisse de Monialibus, quas semel iam prohibitas admitti, sed nihilominus eodem modo admissas, Guillelmo, & Patribus facessisse negotium lego: siue quod sexus natura sua lubricus; & quo fragilior audacior, & inquietior, difficilius regatur; siue quod Abbatissæ, matrum titulo, aliquam sibi vsurpantes iurisdictionem, tot lites excitabant, vt vix illis Capitulum sufficeret, & totum triduum (nam triduo perdurabat) in earum causis decidendis insumeretur. His malis obuiandis prouisa duo; alterum, vt *Abbatissæ Monialium, quæ filias habent; visitationibus, quæ fiunt ab Abbatibus, non interfint; sed ipsi Abbates, quibus commissum est, per se visitent, & corrigant. Et si Abba issæ postea visitauerint, nihil immutent de his, quæ statuerit visitator; nec ea, quæ iusserint, in scripturam redigant.* Alterum, vt *Nulla Monialium Monasteria deinceps construantur, vel ordini socientur; & ad leuandum tadium, & grauamen earum, quæ ordini sunt sociatæ, Diffinitores in posterum, omni anno de ipsis Diffinitoribus, ad decidendum causas earum, tres auditores constituant.* Hactenus leges latæ pro Monialibus; de quibus tamen sicut & de Abbatiis virorum, adeo tenuibus, vt numerum præscriptum alere nequeant, & tunc, & semper nobis euenire dolendum est, id, quod de Mathematicis ait Tacitus contigisse Romanis: *semper vetantur, & semper retinentur:* quorum primo iudicio facile tribuas, secundum, nisi ex morbo, non excuses.

4. In Chronologia Cœnobium vnicum lego illudque in Tuscia, diœcesis Clusinensis, sub Sancti Saluatoris aduocatione, de Monte Amiato; quo titulo plerunque notari solet. Coloniam ex Cistercio illuc transmisit Guillelmus parens, vnde & inter filias Cistercij memoratur; inter Regalem Montem, de quo supra, & Pietatem Dei, de qua anno sequenti dicendum erit. Antiqua domus, & quæ à temporibus Zachariæ summi Pontificis, per Rachis, Longobardorum Regem piissimum, sub nigro habitu legitur fundata: sub quo & permansit ad hunc vsque annum, quod Raynerius, eiusdem loci Abbas, cum decennio plus minusve, illi præfuisset, laxamenta fastidiens, seu erubescens, atque vitæ arctioris amore flagrans, interuentu Gregorij summi Pontificis, se, & suum Monasterium Cistercio subdidit, sub immediata Cistercij filiatione. Extant diplomata duo de hac reformatione [a]; alterum eiusdem Gregorij IX. datum Romæ, apud Sanctum Petrum quinto Kalendas Maij, anni sequentis, quo *vt Monasterium Sancti Saluatoris de Monte Amiato, tanquam hortus deliciarum Domini reuiresceret, sibi, Ecclesiis, castris, hominibus, possessionibus, libertatibus, iuribus, & aliis bonis suis, tam spiritualibus, quam temporalibus integrè reseruatis, prouidisse se, ait, in eo Cisterciensem Ordinem propagandum: atque id iubet inconcussum permanere.* Alterum Friderici Imperatoris, eiusdem fere temporis, quo *Ad instantiam Gregorij summi Pontificis, & Raynerij Abbatis supplicationem, Monasterium Sancti Saluatoris de Amiato, quod olim fuerat Monachorum nigrorum, cum omnibus, bonis & iuribus suis, ad Cistercium transire sponte consentit, Abbatem ipsum, Monasteriumque sub Imperij protectione suscipit, confirmat priuilegia Imperatorum, Monasterio indulta, atque exemptiones, Cisterciensibus concessas; salua tamen fidelitate Imperij, quam facere tencantur, sicut prædecessores Abbates facere soliti erant.* Hæc de vnica domo præsentis anni, quod ad Monachos attinet. Non adeo sterilis Monialium seges fuit, forsam crescentium ab ipsa prohibitione, nisi quod tamen Abbatiæ illarum aliquæ, quamuis hoc anno erectæ, fortasse non admissæ ad obedientiam, sub ordinariorum correctione relinquebantur. Quod vt de multis asserere non ausim, ita neque de omnibus negare. Quæ hoc anno fundatæ memorantur, tres inuenio: Bellum Pratum in Belgio, Rosteniumque: & in Italia Nazarethum, de quibus singulis breuiter dicendum.

[a] In Tabulari eiusdem Monasterij.

5. *Bello Pratense Monasterium* (ait Aubertus Miræus) [b] *ad Teneram, haud longe à Gerardi Monte oppido Matrona diues, ac nobilis Aleidis Boulariensis, anno M.CC.XXVIII. fundauit, dotauitque. Est autem Boularia, arx memorato oppido vicina, Baronatus, vt loquuntur, hodie titulo insignis.* Cæterum instrumentum fundationis, & dotationis eiusdem Abbatiæ, idem Aubertus Miræus etiam vulgauit in suis donationibus Belgicis, quod est tale. [c] *Ego Aleidis, Domina de Boular, notum facio per hanc chartam præsentibus, & futuris, quod fœlici commercio commutare affectans cœlestia pro terrenis, pia deliberatione prouidi in iusta possessione mea locum quendam, iuxta Grimeghem, ad Religiosum cœnobium instaurandum, in quo Sanctæ mulieres sub regimine Abbatissæ, secundum Cistercienses Ordinis obseruantiam Domino famulentur; & tam pro me, quàm pro meis hæredibus, assiduas Domino preces fundant. In perpetuam itaque Eleemosynam ad hoc dedi omnium liberorum, quinque bonaria in prato, & nemore in loco prædicto, ad ipsum Monasterium construendum. Item & bonaria nemoris ibi prope ad aisencias eiusdem Religiosi collegij, prout sibi viderit expedire in omnibus faciendas. Addidi quoque ad Eleemosynam ante dictam, totum ius patronatus Ecclesiæ de Grimeghem, quod ad me hæreditarie pertinebat; & omnes prouentus, ad*

[b] Ad hunc ann.

[c] cap. 3.

perſonatum, & presbyteratum eiuſdem Eccleſiæ pertinentes; ita quod Abbatiſſa, & collegium dicti loci, qui dicitur Bellum Pratum, prouideant, & præſentent presbyterum, inſtituendum ibidem, ſicut ego, & anteceſſores mei facere ſolebamus. Superaddidi etiam redditum ſex modiorum duribladi, & decem modiorum auenæ, ad menſuram de Gerardi Monte, quem habebam in villa prædicta.

6. *Locum autem prædictum, & omnes Eleemoſynas, prout dictum eſt, eiſdem collatas, ab omni exactione, ſeu vitio, & iuſtitia ſæculari volui, & firmaui, liberas eſſe in perpetuum, & exemptas. Nec mihi vel ſucceſſoribus meis, aliquod in iis dominium, vel daugerium dereliqui; ſed omnia ipſis libera, & quieta omnibus decreui temporibus permanere. Conceſſi ſimiliter, vt aiſencias communes, & paſcuas libere habeant animalia dictæ domus, ſicut habent cæteri homines terræ meæ; ſpecialiter tamen eis concedens, vt ſi forſitan bannum fiat de animalibus, quæ fuerint ad damnum inuenta in ſyluis, aut pratis; ipſæ pro ſuis animalibus damnum tantummodo reſtituant, & ad nullum alium fore factum, vel bannum propter hoc teneantur. Deſiderans inſuper vt omnimoda, quantum adme pertinet, gaudeat libertate, liberaliter, & benigne conceſſi, vt per totam terram meam, & filiorum meorum propriæ vecturæ, ſiue quælibet res eorum, ab omni pedagio, telonio, ſiue aliis quibuſcunque angariis, aut conſuetudinibus ſint exemptæ, vt tanto deuotius pro me & liberis Dominum deprecentur, quanto ſibi vberius ſenſerint, me, & ipſos fuiſſe in pluribus beneficiis liberales.*

7. *Vt autem affectus propoſiti tam ſalubris, nulla poſſit malignitate diſſolui; ſed ad meam, & hæredum meorum ſalutem permaneat in futurum; chartam iſtam proprio ſigillo. Ego vero Michaël Conſtabularius, & Ego Philippus de Boular, & ego Oſto de Traſenis, & ego Ægidius niger, hæredes præfatæ Aleidis, charisſimæ matris noſtræ, omnia prænotata fauorabiliter approbantes, ea noſtro conſenſu firmauimus, noſtrorum teſtimonio ſigillorum, vt fructum ſalutis; & Eleemoſynæ conſequamur cum eadem charisſima matre noſtra. Et quia ego Raſo proprium ſigillum non habeo, vſus ſum ſigillo Abbatis Gerardi montis, prædicta omnia fideliter approbans, & conteſtans. Ego quoque Goſuinus de Scendelbeka, meritus filius prædictæ Dominæ, meum opposui ſigillum, pleno fauore omnia prænotata confirmans. Actum M. CC. XXVIII.* Hactenus inſtrumentum dotis, & fundationis, quod Margarita Conſtantinopolitana, Flandriæ, & Hannoniæ Comitiſſa, anno M. CC. LXX. & filius eius Guido, anno M. CC. LXXI. confirmauerunt.

8. Cæterum huic eidem inſtrumento in notitiis Eccleſiarum Belgij idem Aubertus Miræus aliud ſubiungit pro augmento dotis eiuſdem Abbatiæ, quod ita habet [d].

Ego Aleidis, Domina de Boular, notum facio, quod Ægidius Le-Brun filius meus, reſignauit in manus meas redditus duodecim modiorum auenæ, & XLVI. Caponum, quos de me tenebat in feudum de redditibus pratorum, iacentium in parochia de Grimengehem, recipiendos ad opus ſanctimonialium de Bello Prato. Ego vero præfatos redditus, ad petitionem prædicti Ægidij, de conſenſu etiam omnium filiorum meorum, Goſuini, Domini de Scandelbeka, & vxoris eius Adæ, filiæ meæ, contuli præfatis dominabus in perpetuum poſſidendos. Vt autem donatio prænotata, perpetua gaudeat libertate, præſenti pagina ſigilli mei appenſione munita, & præterea ſigillis filiorum meorum, Philippi ſcilicet Conſtabularij, Oſtanis de Fracegnies, Ægidij Le-Brun, Goſuini de Scendelbeka, & Abbatiæ de Gerardi monte, pro Raſone filio meo (quia proprium ſigillum non habet) corroboratam contuli iam dictis Dominabus in munimen. Actum anno M. CC. XXX. menſe Iulio.

d cap. 20.

Sequitur alia donatio eiuſdem Ægidij, filij fundationis, poſtquam etiam & aliæ; & tandem notatio ab eodem Miræo addita, quam quia ad notitiam conducit fundatricis, hic etiam cenſui ad verbum transferendam [e].

e *vbi ſupra.*

9. *Aleidis (alias Alidis) & Ada, Boulariæ Domina, ex ſuo capite nupſit primum Michaëli, Domino de Harnes, prope Duacum, Conſtabulario Flandriæ: poſt Ægidio, Domino de Traſignies; & tertium circa annum M.CC.XII. Raſoni de Gauere filio Raſonis Domini de Gauere, & Claricia, in fundo primi ſui mariti, cum eſſet vidua, Monaſterium Braellenſe anno M.C.X.C.VI. condidit, vt ſupra pagina* 478. *docui, tabulis in medium productis, in quibus, Ada & Harnes, Conſtabularia Flandrenſis, nuncupatur. Ex Michaële nati ſunt, Michael, Flandriæ Conſtabularius, qui anno M. CC. XXIX. aut M. CC. XXX. ſine prole obiit: Philippus, Baulariæ Dominus, & Ada, Goſuini Scendebekæ Domini, coniux. Ægidius, Dominus de Traſignies, cruce ſignatus in Oriente militauit, vt ſupra pagina* 490. *ex Villarduino docui. Ex Ægidio nati ſunt, Oſto, Dominus de Traſignies, Ægidius niger, Gallice, Le-Brun, Regni Franciæ Conneſtabilis, & Raſo, Monachus Gerardimontenſis. Ægidius Niger genuit Oſtonem Nigrum, alias Le-Brun, infra annum M. CC. LVI. memorandum, & Mariam, vxorem Thomæ de Mortaigne, ſupra pagina* 543. *laudatam.* Hæc ad maiorem notitiam fundatricis cœnobij Belli Prati, quod à Bello Prato ad Duacum, diuerſum eſſe, imo & ab alio Bello Prato ad Liſam, inter Aëriam, & Armentariam, oppida, idem Miræus aduertit in ſuo Chronico. Belli Prati iuxta Gerardi Montem Marchantius meminit in commentariis Flandriæ, vbi loquens de Gerardi monte ſic ait: *Neque caret fontibus ſalientibus, neque vicinia cœnobij Cartuſienſis, Abbatiæque Bernardinæ fœminei ſexus, Belli Prati, fluuio Dendræ, qui hoc oppidum præterlabitur, aſſidentis.* Celebris hodieque habetur in hoc cœnobio Agnetis, & Mariæ de Xatillon, atque Flameng, memoria Sanctitatis, quas Arnoldus de Rayſe in ſuo ad Molanum Actuario, [f] atque ex ipſo Henriquez in Menologio, [h] cum laude recenſent. Vtrum autem ad idem Bellum Pratum Clara Abbatiſſa ſpectet, atque Ioanna Conuerſa, de quibus vterque; de altera Octobris die XIV. de altera, die quarta menſis Decembris; an ad aliud ex tribus, quæ Belgium habet; quia ipſi minus exprimunt, aliorum linquo iudicio diſcernendum. Certe Henriquez in Indice Topographico, ad idem Bellum Pratum prope Gerardi Montem has omnes refert.

f *Martij 28. Aprilis. 5.*
g *Iulij 31.*

10. Roſtenium ſequitur ([i] Roſtam alij vocant) de quo Miræus ex Marchantio hæc habet verba. *Roſtam, ſiue Roſtenium, vulgo Roſten, Aloſtani agri cœnobium, Iacobus Marchantius in ſuis Flandriæ commentariis tradit, anno M. CC. XXVIII. fundatum.* Neque plura ipſe Marchantius, aut alius Flandriæ ſcriptor, quem ego viderim. Nazareth iuxta vrbem Placentinam, nobiles quidam fundarunt, & dotarunt, eiuſdem vrbis, indulgente Abbatiſſa Carentia Sanctimoniales, per quas habitaretur; & ſemen Franchæ, vt in

h *In chron. Ciſterc. ad hunc ann.*

in extremis finibus Italiæ non multo post, si tunc prope seipsam, propagante, quo melius prouidere posset nascenti proli. Ita Petrus Maria Campi, in vita Sanctæ Franchæ, cui hanc, & alias fundationes acceptas refero.

ANNVS CHRISTI M. CC. XXIX. — ANNVS CISTERCII C. XXXII.

1. *Gobertus, Asperi montis Comes, cruce signatur.* 2. *Gregorius Fridericus pro se primum respondit, deinde traiicit,* 4. *nec quicquam prohibente summo Pontifice.* 5. *Gobertum Comitem, socium viæ captat,* 6. *contra Ecclesiæ fideles debachatur.* 7. *In Templarios, & Hospitalarios sæuit.* 8. *Qui Gobertum implorant,* 9. *& tandem ab eodem defenduntur.* 10. *Imperatoris pacta cum Sultano,* 11. *de quibus varia iudicia.* 12. *Goberti pietas, & morbus in Sacrorum locorum visitatione.*

CAPVT PRIMVM.

1. HOc primum anno fuit salutis nostræ millesimus, ducentesimus, vigesimus nonus, Cistercij vero trigesimus secundus, supra centesimum, memoria nobis Beati Goberti incidit, quem claro sanguine ortum, vel inter paucos robore corporis, mentis perspicacia, & comitate morum, opibus, clientelisque, potentem, Asperi montis aut Dominum, aut Comitem, in medio fœlicitatis manebat Cistercium, & Villarium tanto viro illustrando præstolabatur. Nec quia hoc anno Monasticem assumpserit: sed quia profectus in Syriam cum Friderico, eam sui zeli speciem præ se tulit, quam non liceat silentio præterire. Verum quia aliqua de hac expeditione partim ignominiosa, quod nunc videbimus, daturi in lucem sumus, rem totam breuiter, ab anno superiori repetito principio, ex fide dignis scriptis propalabimus.

2. *Romanus Pontifex (inquit Germaniæ Chronicon)* [a] *vbi certior factus est, Fridericum copias ex medio cursu reduxisse, statim conuocato Patrum concilio, communi, concordique omnium sententia, iudicat eum excommunicatum authoritate latæ sententiæ excommunicationis prædecessoris sui Honorij: nam illi promiserat se profecturum Hierosolymam cum exercitu. Quò autem omnibus certum esset, eum excommunicatum, denuo ei anathema denunciat, quandiu non expediat expeditionem Hierosolymitanam. Et hanc sententiam in eum per legatos promulgat in Germania, Gallia, & Italia.* Hactenus H. Mutius in suo Chronico. Quid porro Pontifex ad Principes scripserit, Carolus Sigonius adducit totidem verbis [b]. *Imperatorem Fridericum, qui nec transfretauit in termino constituto, nec illuc in taxatis passagiis præscriptam pecuniam destinauit, nec mille duxit milites, per biennium tenendos ad suum stipendium pro subsidio Terræ Sanctæ ibidem; sed in tribus articulis manifeste deficiens, dscriptæ excommunicationis laqueum vltroneus se ingessit; excommunicatum, quanquam inuiti, publice nunciamus; & mandamus ab omnibus arctius euitari, contra ipsum, si contumacia eius exegerit, grauius processuri. Confidimus tamen adhuc fore, vt recurrat ad matrem Ecclesiam per humilitatem debitam, & satisfactionem congruam, salutis remedia recepturus.* Ita Gregorius ad Principes Christianos.

a *lib.* 20.

b *De Regno Ital. lib.* 17.

3. Pergit deinde de Friderico: vbi intellexit illam Romani Pontificis sententiam, vbiq; locum habituram; seque ob alias causas multis odiosum, propter hanc etiam despectui habendum fore; futurumque, vt ex eo contemptu periculum incurreret, & tandem ab Imperio deturbaretur: primum quidem, ait Carolus Sigonius [c], *literas ad eosdem Principes dedit, se purgans, & causam omissi officij in aduersam valetudinem, referens; Gregorium vero acriter increpans, & de omnibus Pontificibus Romanis, grauissime, atque atrocissime scribens.* Deinde, vt infamiam eam factis purgaret, *anno primo post*, ait *H. Mutius* [d], *nempe anno M. CC. XXVIII. qui hunc præcessit, verno tempore, nauigans cum Germanorum, & Italorum multis legionibus, in Syriam Acon peruenit.* Hæc vterque author, quibus Abraham Bzouius succenturiatur.

c *vbi supra*

d *vbi supra.*

4. Verum nonnulla ab illis prætermissa, tam in ipsa profectione, quàm post in Syria; ab aliis propalata prodere libet; alterum, prohibitam illi à Gregorio nauigationem, donec absolueretur, & tunc demum promissis satisfaciens ita traiiceret; vt aliquis de illius transitu fructus speraretur. Narrat Marinussanutus Torsellanus, in eo quod scripsit, opere, de secretis fidelium super recuperatione Terræ Sanctæ totidem verbis [e]. *Sequenti ætate Imperator XX. Paratasque ad transfretandum; in sua comitiua habens milites non plures centum. Papa vero Gregorius hæc audiens, per solennes nuntios illi mandat, vt mare non transeat tanquam cruce signatus, donec à sententia esset, quam inciderat, absolutus; esset que per eum de periurio, quod incurrerat integre satisfactum, quia tempus transierat transfretandi. Transibat præterea pauperrime, & non velut Imperator, & non sicut promiserat, & firmauerat iuramento. Imperator vero denunciata parum attendens iter assumpsit.* Hæc ante profectionem Friderici, infra à nobis dicendis lucem dabunt. Creditus Fridericus est, tam paucos secum milites duxisse, non solum, vt sumptibus parceret, sed, vt eos, quos habebat fidentiores in Italia relinqueret, bellum Ecclesiæ, & Pontifici illaturos.

e *lib.* 3. *cap.* 10. *partis.* 11.

5. Inter alios, qui cum Friderico traiecerunt, Gobertus fuit, Asperimontis Dominus, quem socium viæ ardenter desideranit: siue quod ille vir aliàs prædiues, & multos alios ducens suis expensis, nulli oneri esset; siue quod si in Italia remansisset, adhæsurum Pontifici, & suis restiturum non dubitaret. Ergo cum eum videret signatum cruce *nunc verbis fallacibus*, (*ait author*

vita

f lib. 1 cap. 6. *vitæ Goberti :*)[f] *nunc promissis, nunc præcibus, nunc muneribus subtiliter sibi confœderauit, ac suum commilitem in dicta peregrinatione acquisiuit. Et quia miles fidelis dictum Imperatorem credebat fida peregrinatione terram Sanctam visitaturum, in dicta peregrinatione suo subditus est Imperio.* Et paulo inferius. *Igitur Friderico memorato, & pio Goberto, per maris deuia, nocte dieque nauigantibus, nautis per astrorum notitiam ad portam vsque optatum adnitentibus, tandem ad terram Sanctam peruenerunt, &c.* Latebant Gobertum Pontificiæ execrationes, latebat & proteruia Imperatoris, atque animus obstinatus contra Ecclesiam. Quin eum videret mare traiicientem, absolutum putabat, &, quamuis sero, obsequentem mandatis summi Pontificis. Verum postquam ad Syriam appulerunt, vtrumque innotuit; alterum ex eiusdem Gregorij nunciis, & litteris; alterum ex ipsius Friderici factis atrocibus; qui tandem, verecundia velut effusa, palam contra Ecclesiam, atque omnes eius filios debachatur. De primo Marinus Sanutus, qui intra hanc ipsam centuriam annorum scripsit, hæc habet verba [g]. *Interim duo fratres Minores Patriarchæ Hierosolymitano litteras præsentant ex parte summi Pontificis, vt Imperatorem excommunicatum, & periurum denunciet: prohibentur quoque Hospitalarij, Templarij, & Alamani illi attendere, vel in aliquo obedire.* Hactenus de primo.

g vbi supra cap. 12.

6. Hinc ad secundum facilior aditus fuit. Nam fideles Ecclesiæ, dum obsequuntur Pontificis mandatis, Fridericum deuitant. Ipse autem, dum se contemni videt, & pudorem, si quem hactenus habuisset, impudenter effundit, & iam non clam, sed publice Ecclesiam, & Ecclesiæ fideles per se, per suos, per ipsos Sarracenos, queis ad hoc vtebatur, sacrilege inuadebat; & nulli prorsus parcebat hostilitati. Audi Sigonium de his ita scribentem. [h] *Ex altera vero parte ipse Fridericus Ecclesiam, atque homines, Ecclesiæ deditos, varie diuexare. Patrimonia Apostolicæ sedis per Sarracenos inuadere, Hospitalis, & Templi mansiones, per Thomam Comitem, Acerranum, expilare, ac priuilegiis Pontificiis spoliare; demum bellum in Etruria Ducatu Spoletano, & Beneuentano, & Anconitana Marchia concitare; atque earum regionum oppida variis oppressionibus oppugnare; prout ipse Gregorius, in Epistola ad legatum suum missa, conquestus est.* Ita Carolus Sigonius. Nisi quod tamen aduersus Templarios, Hospitalariosque, siue quod essent cæteris ditiores, siue quod magis Pontificiis mandatis obsequerentur, idemmet Fridericus atrocior fuit.

h vbi supra.

i lib. 1 cap. 8. *Vulgatum est, ait author vitæ Beati Goberti,* [i] *quod Fridericus præparabat Templarios debellari..... & sane multas habens carinas, armis, & militibus munitas in maris littore; adeo illos vrgebat ex illa parte, vt nouitum sibi ab eo timendum foret.*

7. Tum vero Gobertus, cum iam nec de anathemate, nec de proteruia posset dubitare; segregari ab homine, vtrumque potetat consortium eius fugere; atque hac ipsa qualicunque separatione, aperuit ianuam, vt à Templariis contra ipsum implorataretur. Ita qui illi, & viriliter, & potenter confunderet, vnus Gobertus fuit, [k] quem Fridericus tandiu captauisset. Adeo hominum consilia fallacia sunt, & quæ non semel destruant, quod intendunt. *Nunciatum est (pergunt Acta Goberti) summo Magistro Hospitalis Hierusalem, & Templicolarum summo præceptori quod illic ex transmarinis partibus venerat miles quidam illustrissimus, qui miles, quod probissimus esset, & potens (Asperi montis Comes, Gobertus nomine, cuius fama in finibus Francorum perfulgebat, eiusque nomen tremendum esset in vniuersis eisdem regionibus) quod nunquam ad arma sibi reperit parem in omnibus partibus transmarinis; ex cuius etiam auditorio, eorum penuria, Deo propitio, posset releuari. Quo audito cœperunt gaudere, & dicere: Benedictus Dominus, qui habitat in Sion, qui misertus est nobis. Vere misertus Deus, quia respexit plebem suam, non derelinquens sperantes in se. Quis enim speranit in eo, & derelictus est ab eo Hunc Magister Hospitalis Hierusalem, & præceptor Templicolarum, atque Templarij, militem Christi Gobertum cum lachrymis cœperunt rogare, ac multis precibus exortari, vt eis contra hostes Ecclesiæ subuenire, ac eos contra prophanum Imperatorem dignaretur defendere. Eius etiam fraudem viro Dei detexerunt. Hoc audiens inclytus miles Christi, admirans cœpit inquirere; si hoc ita posset euenisse. At verò multis testibus idoneis, Templarij pio Goberto ea esse comprobarunt*

Vir vero Dei, mundi sperneus inanem gloriam, 8.
& omnis iactantiæ fauorabilem gratiam, non se verbis attollens, dicit se pauca posse, imo nihil posse sine Deo. Tamen prout bonum sibi dederit euentum, inimicos Terræ Sanctæ desiderat calcare, & fidem tueri Catholicam; quia paratus est propter Deum in laborem, & in mortem ore: vt autem vir Dei plenus gratiæ, & Timoris, vidit Fridericum contra Templarios se præparare, vt vidit in eius mente, verbo & opere talia signa apparere, quæ testimonium perhibent de eius infidelitate, quia non est tutum viros Catholicos cum infidelibus habitare, ne tangens picem, coinquinetur ab ea: zelo Dei perfusus cum suis militibus, & quibuscumque potuit sibi confœderare; ab exercitu Friderici segregatur, & in adiutorium Templicolarum properauit. Et paulo inferius. *Magister Hospitalis, & Templicolarum summus Præceptor, atque cæteri Christiani, virum Dei pium Gobertum in suum adiutorium suscipientes, gauisi sunt gaudio magno nimis. Similiter & illi, qui metu mortis, primo fuerant quasi imbecilles; arma magnanimo corde arripuere. Fit tumultus magnus per totam Christianorum Prouinciam; cum armis, animo feruenti curritur ad naues. Sed Gobertus cum suis commilitibus, & populo sibi adhærenti in auxilium Hospitalariorum, & Templicolarum cucurrit. Reliqui vero Christiani sua castra custodiebant, vt firma fide Ecclesiæ, & Christiana religione serui Dei, licet pauci, Fridericum perfidum, & Apostatam Imperatorem possint debellare; scientes; quod in paucis, vel in multis non pendeat victoria, sed sicut fuerit voluntas in cœlo, recolentes illud propheticum Psalmistæ dicentis.* [l] Non 1 *Ps.* 149.
in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. *Et alibi:* [m] Hi m *Ps.* 19.
in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.

Igitur vir Dei pius Gobertus in nomine Sanctæ 9.
Trinitatis cum suis militibus, & clientibus armatis in adiutorium, vt superius dictum, Hospitalariorum, & Templicolarum accensus, vexilla, & signa sua in altum super cancellos leuari, atque figi præcepit; vt visa vel sic Fridericus, & inimici Christianorum confunderentur; atque in fugam verterentur. Fridericus vero nauigans in profundo maris,

ris, videns vexilla, & signa tremenda super altitudinem muri erecta, quid hoc esset? admirans inquisiuit. Cui quidam respondens ait. Domine mi; hæc sunt vexilla, & signa, illius probissimi, & potentissimi militis, Goberti Asperi montis. Hoc audito Fridericus cœpit valde contristari; quod sic eum dereliquisset. Et mente confusus, gemens cœpit dicere. Vertamus ergo vela obliquo quàm citius latere, vt tramite transuerso, possimus fugam capere. Sic suos seruos misericos Deus per manus sui militis liberauit. Hæc, & alia multa opera exercuit Deus per manum serui sui Goberti; cuius vitam, si velimus in omnibus perscrutari, ante scribenti calamus deficiet, quam materia. Hoc ingens facinus Comitis Goberti, quia singulare, quia à nullo hactenus editum, quia Ecclesiasticos Annales, atque huius temporis historiam illustraturum; nec præterire licuit, neque differri. Reliqua eius ab hoc anno, & deinceps, vt occurrerint; quæ antecesserunt, cum induerit Cistercium, dicenda erunt.

10. Quod ad Imperatorem attinet, cum, quæ animo conceperat aduersus Templarios, Hospitalariosque perficere, aut non posset, aut non auderet; quo nullis non aduersus Dei Ecclesiam, & Pontificem vteretur, nuntium, & litteras ad Soldamum misit, *qui magna portantes munera* (*ait Marinus Sanutus*) [n] *dicerent salutatione præmissa: quia eum vult pro fratre habere, ac familiari amico, ni pro eo remaneat: sciat, se nequaquam transfretasse, acquirendæ terræ cupiditate allectus, cuius districtus posset quantibet concupiscientiam satiare: sed sanctorum locorum gratia, & Regni Hierusalem, quod olim possederant Christiani, quodque suo filio iure hæreditario debebatur: & si hæc pacificè reddat, & pacificus erit successus: parcendum subiungens effusioni sanguinis multæ gentis.* Hæc publica mandata: secreta, vt creditum est, permittat, se coronari Hierosolymis, vt aliquid fecisse', videri possit, & qualescunque inducias paciscatur; & reliqua ita disponat, vt post eius discessum, quem se maturaturum promittebat, omnia ad ipsum, vt antea, redire possent. Nolle se pro Christianis laborare; qui sibi rebelles; sed tantummodo famæ suæ consulere, ne nihil suo aduentu fecisse, aut palam eos impugnare notari posset. Multa vltro, citroque missa mandata, multa vtrimque munera: & tandem concluſum: *Vt tregua ad statum pristinum reducerentur, superadditis Christianis Hierusalem, Bethlehem, Nazareth, & Casalibus, quæ sunt in via, siue recto itinere vsque Hierusalem, & terram Toroni, & ad Sydonem pertinentia, quæ Sarraceni tenebant: retinuit tamen Soldamus in Hierusalem Templum Domini, & id, quod in circuitu comprehendit. Ascenditque Imperator Hierosolymam, & positam coronam super maius altare Ecclesiæ sepulchri, accipiens, capiti suo imposuit, nullius Prælati, aut clericalis dignitatis benedictione accepta, nec solemnitate Diuini officij celebrata, deinde Ptolomaidam rediit, & disposita ciuitate, clam recedens, per Cyprum Brundusium properauit. M. CC. XXIX.* Hæc fere summa totius expeditionis.

11. Tum vero Fridericus, cui nihil aliud promptius, quàm simulare. *Mittit* (*H. Mutius ait* [o]) *in Europam legatos, qui significarent Pontifici, & Principibus, quomodo coëgerit Sultanum ad reddendam Hierosolymam; Pontifici vero pax illa cum Sultano non placuit: nec quicquam in ea stabile esse posse, præuidit. Robora enim Regni retinebant hostes, vt cum primum dilapsus esset exercitus, facilia omnia essent receptu. Nec erat tam rerum imperitus Fridericus, vt hoc non videret; sed animus erat in Germania, & Italia, saiisque illi erat votis satisfacere. Sic fit cum venatur aliquis inuitis canibus.* Non negauerim esse, qui affirment, Fridericum non vltro ita feciſſe; sed veluti coactum, irritatum, neque solum censuris Apostolicis, sed damnis temporalibus, quæ imminere à Gregorio sibi didicit, si diutius apud Syriam detineretur. Nam audi quod Marinus Sanutus [p] scribit. *Dum hæc peraguntur in corde hyemis, apto nauigio secretus nuncius ad Imperatorem accedit, nuncians, quod summus Pontifex magnum parauerat exercitum; iamque Sanctum Germanum ceperat, & versus Capuam veniebat: & quod ciuitates, & castra multa illi se dabant; & quod Ioannes, Rex quondam Hierusalem, & Thomas, Comes de Calam, & capitanei erant exercitus.* Ita Torsellus in suo illo secretorum libro scribit.

12. Vtcunque fuerit (nam nobis tetigisse satis pro instituto,) quod ad Gobertum attinet, cum primum se, & Christianos orientales, à Friderico liberos, & cum Soldano inducias habere vidit, sepulchrum Domini, & Sanctam ciuitatem, quod vnum supererat visitare, & loca Sancta inuisere, feruens in fide, & charitate flagrans, deliberauit: siue id votum antea concepisset, quàm ex Italia solueret, siue tunc, cum aduersus Fridericum leuauit signum, à quo sibi timendum, velut à potentiori, non dubitabat. *Fugato ergo Friderico,* (*ait author vitæ eius*) [q] *vir Dei pius Gobertus pro soluendo voto ascendit in Hierusalem, (quia melius est non vouere, quàm post votum illud non soluere) recolens hoc quod scriptura ait:* [r] *vouete, & reddite Domino Deo vestro. Ascendit venerabilis, & fidelis seruus Dei, sicut vouerat, in Hierusalem, non in lineis, sed in laneis vestibus, nudis pedibus; non equès, sed pedes, vt mereretur Domino peregrinari. Ille enim ascendit in Sanctam Hierusalem sedens super pullum asinæ; iste propriis pedibus carnis suæ. Ille domandi carnem exemplum dedit in enigmate; iste Dei exemplo propriam carnem Dei calcauit virtute. Cum ergo vir Deo plenus in Sanctam ciuitatem ascendisset, cœpit Deo gratias agere, & dicere. Gratias ago tibi Domine Deus, Rex Cœli, & Terræ, qui non pepercisti filio tuo vnigenito Domino nostro Iesu Christo propterme, sed misisti hanc in terram hunc redimere me, & me peregrinantem in hunc Sanctam terram perducere dignatus es.* Hæc verbo tenus. Nam reliqua, quæ corde; quæ vox, quis calamus valeat aperire? Illud tamen silentio non præteream quod non sine mysterio, atque alta prouidentia factum credam. *In hac eadem eius ascensione ad vrbem Hierosolymam, & impletione voti correptus morbo ad crura (nec constat quali) quo vsque ad vltimum vitæ laborauit.* Siue ergo compati exterius etiam meruit patienti Christo, cum loca visitans nostræ redemptionis, eiusque Passioni interius compatiebatur; siue per illum morbum,

n *lib. 3. par. 11. cap. 12.*

o *lib. 20.*

p *lib. 3. par. 11. cap. 12.*

q *lib. 1. cap. 11.*

r *Ps. 75.*

bum, tanquam per compedes, retinere eum voluit, qui ab æterno sibi destinauerat; seu tandem temporali militiæ minus aptum (quamuis nec sic ineptus) ad spiritualem potenter reuocauit: in ipso suæ religionis fauore vulnus accepit, à quo non potuit, dum vixit liberari. Voti sui compos, *eoque cum maxima deuotione peracto (pergunt Acta [t]) per maris semitas, & terræ deuia tandem sanus, & incolumis, exceptæ crurium infirmitate, vt dictum est, cum magna prosperitate reuersus est ad propria.*

[t] *vbi supra.*

---

1. *Guillelmus Parens ad Reges Galliæ, & Angliæ,* 2. *inter se dissidentes,* 3. *atque bello certantes legatus mittitur;* 4. *& vt pacem reformet inter eosdem,* 5. *Summi Pontificis Gregorij litteras accipit.* 6. *Ludouicum conuenit, & facilem inuenit,* 7. *Henricum, & si difficilius, etiam persuadet;* 8. *à quo tandem deserti rebelles Galliæ,* 9. *Ludouico subduntur, & pax firmatur.*

CAPVT SECVNDVM.

1. INTER hæc venerabilis Guillelmus, Cistercij Abbas, ad Ludouicum, & Henricum, Reges, illum Galliæ, hunc Angliæ, vtrumque iuuenem, vtrumque dissidentem; pro reformanda inter vtrumque pace, à Gregorio nono legatus mittitur; vt vtrumque compesceret, qui velut pater ab vtroque venerabatur. Suberant Ludouico iustæ querelæ aduersus Regem Angliæ, qui rebellibus suis opens forens, sed inter alios Petro, Britaniæ Comiti, pacem Galliæ præcedenti anno turbauerat. Suberat & Henrico, licet non iusta; at plerunque efficacior belli causa; nimirum, quod tunc victus, fugatusque, experiri meliora, atque amissa instaurare meditabatur: & timebatur sub initium intrantis veris, vtriusque Regis motus, seu verius, ab vtroque præparabantur, pugnante altero, vt victoriam continuaret. Quæ contigerant anno præcedenti ex Guillelmo de Nangis, authore vitæ Sancti Ludouici, promere libet [a].

[a] *cap. 4.*

2. *Euoluto deinde, non longo dierum eiusdem anni (scilicet M. CC. XXVIII.) circulo, Petrus, Comes Britaniæ, fretus auxilio Baronum Franciæ, ad tantam deuenit superbiam, quod contra Dominum suum Regem Angliæ in auxilium suum cum maxima multitudine Anglicorum aduersus Regem Franciæ pugnaturus, mare fecit transmeare. Et tunc iuxta vires suas exercitum colligentes, terram Christianissimi Regis Francorum Ludouici hostiliter intrauerunt: sed ad tantæ præsumptionis execrandæ vindictam, Rex æstuans zelo, & iustitiæ feruore animatus, primo Comitem Britaniæ, qui illius militiæ caput esse videbatur, disponens debellare, bellicosorum militum Franciæ phalanges robustissimas ad se Regali edicto ocyus conuocauit. Quibus circumseptus, & vallatus; aduersus prædictum Comitem, vt eius repelleret tyrannidem, vsque ad castrum, quod Belesinum dicitur properauit. Illud autem castrum à Rege defuncto, vt dictum est, idem Comes acceperat in custodia; sed reddere non volebat, affirmans illud ad suam iurisdictionem pertinere.*

3. *Rex illico castrum celebri obsidione cingens, erectis petrariis, grossos lapides iacientibus, ipsum cœpit fortiter expugnare. Vnde, paucis diebus reuolutis, factum est, vt ij, qui intus ad defendendum castrum prius erant promptissimi, Regis exercitus fortitudinem admirantes, videntesque, quod diu eius non possent resistere potestati, & quod nulla euadendi facultas, eis ex aliqua parte poterat subuenire, rogantes ea, quæ pacis sunt, prædictum castrum in breui tempore, necessitate coacti, Regis Excellentiæ reddiderunt: iam enim castrum ictibus tormentorum concussum in aliqua sui parte ruinam imminentem minabatur; & ideo obsessi pauitantes, & formidolosi reddebantur. Et tunc Rex Angliæ cum pudore, & ignominia versus Angliam cum suis Anglicis, Regem Franciæ pertimescens, velociter transfretauit.* Hæc media hyeme, nam subdit idem author. *Hoc totum factum fuit tempore hyemali, quo adeo vehemens algor frigoris increuerat; quod ex præcepto Reginæ Blanchæ, matris Domini Regis (mulieris admodum callidæ, & ingenij perspicacis, quæ ibi erat) ignis in circuitu equorum fuit accensus non modicus; ne præ magnitudine frigoris interirent. Hæc enim fuit omnium mulierum sui temporis prudentissima; veneruntque omnia bona Regno Franciæ pariter cum illa.*

Ergo cum, Gallis recente victoria trucibus, Anglis recenti fuga exulceratis, & vicem quouis modo reddituris, ingens vtrinque apparatus belli procederet; & repugnantibus duobus inclytis Regibus, multa mala immínerent Christiano orbi, Gregorius Pontifex, communis vtriusque partis munera implens; quod, ô vtinam Petri successores numquam omitterent! Vtrumque sibi conueniendum esse putauit; & siue iustam causam tuerentur, non comparandam effusione Christiani sanguinis; siue iniustam, vltro deponendam; per litteras, per legatos, quandiu per se non posset, persuadendum. Esto aliquis illorum; esto vterque iniuste alterum læserit: quid peccauere subditi, qui soli veniunt per bella castigandi? an à vassallis exigendum est quidquid Reges delinquunt: & aliis indemnè errare liceat, aliis, vel innocentibus, puniendis? Reges, vel victos, seruat ipsa Maiestas: populi, vel cum vnicunt, dilacerantur. Cum per tributa exhausti, & exactiones exercitus parauerint; vix atrociora ab hostibus patiuntur, quàm à suis. Iam quæ vnquam victoria sine sanguine? & quicunque fundatur, Christianus est. Poterit alter Regum victor esse: Ecclesia non enadere victa nunquam poterit, quæ, quocunque cadente, cum ipso cadit; neque vni filio

4.

gratulari poteſt, quin alium lugeat. Hæc, & ſimilia, qui Regibus proponerent, dum quærit Gregorius, Guillelmus, Ciſtercij Abbas, occurrit, qui vtrique venerandus, vtrunque etiam in officio contenturus ſperaretur. Ergo ad vtrunque Regem litteras primum; mos ad Guillelmum, vt ſe Angelum pacis exhiberet inter vtrumque, has, zelo plenas, dedit, quæ ita habent [b].

b *lib. 2. Epiſt. Greg. Epiſt. 8.*

Chariſſimo in Chriſto filio, Abbati Ciſtercienſi.

Illius Regis, licet immeriti, vicarij conſtituti, qui, vt reconciliaret ſeruum Domino dignatus eſt fieri homo, cum eſſet Deus, libenter ijs, qui prope, ac his qui longe ſunt, pacis conſilia cogitamus; ſcientes, euangelica virtute docente, Beatos eſſe pacificos, qui Domini filij vocabuntur; vt ex præmij quantitate, meriti qualitas deſignetur; cum inter alias beatitudines, nulla potior habeatur, quam hominem Dei filium nuncupari. Sed præter hoc ſpiritualis dilectionis affectus, quo chariſſimos in Chriſto filios noſtros, Franciæ, ac Angliæ Reges illuſtres, & eorum Regna in Chriſti viſceribus amplexamur; efficaciter nos inducit, vt inter eos ſatagamus pacis fœdera reformare; videntes, & dolentes, quod ex diſſenſione guerrarum, (præter id, quod ſine pace temporali, pax ſpiritualis vix habetur) innumera eorum diſpendia, irreparabilia pericula corporum, & irremediabilia detrimenta, ineuitabiliter imminent animarum; vt iacturas taceamus, quarum expers eſſe non poteſt Eccleſia Generalis, quam inimici pacis, & fidei tunc ſecurius impetunt, cum eius vident filios ad inuicem diſſidentes. Cum igitur reformandæ inter tantos Principes pacis mediator idoneus habearis, per Apoſtolicam tibi ſedem mandamus, quatenus ad ſummouendas diſcordiam, & concordiam reformandam, vel ſaltem treguas firmandas, partes tuas effectuoſe, ac efficaciter interponas apud vtrunque; ita quod exinde laudes apud Deum, & homines mereri, & nos diligentiam tuam digne commendare poſſimus. Datis Peruſij XVI. Kalendas Maij, Pontificatus noſtri anno tertio. Hactenus litteræ Gregorij Papæ noni ex Regeſtis extractæ, queis malis cenſuit inſtantibus obuiandum.

6. Eas ergo vt ſuſcepit Guillelmus parens, ad Ludouicum primo, Blanchamque, quos moribus ad pacem magis compoſitos, atque ex victoria faciliores fore non dubitabat, iter direxit; neque confuſus ab expectatione ſua eſt, quem vterque diligerent, cui crederent, & quem tum pietate tum ætate, tum experientia rerum, prudentiaque inter paucos Gallorum reuererentur. Et erat illis cum ipſo familiaritas, ex inſigni Eccleſia Regalis mortis, ab vtriſque ſurgente, Rege, & Regina, dum ſumptus prouidebant, & temporalia omnia: Guillelmo, dum Monachos, dum ordinem, dum modum, & omnia ſpiritualia miniſtrabat. Non ſatis notus, qui ex ſolis negotiis notus: otio, quò minus artis, plus naturæ; in quo facilius & mores deteguntur, & animi, ſi coeant, conciliantur. Frequentabant vtrique Regalem montem Reges, vt Regi Regum obſequerentur, cui conſtruebant domum; Guillelmus, vt Regibus. Et eſt fatalis morbus ædificantium ab opere non diuidi, ſiue oculis incrementa eius promoueant, ſeu ſingulis fruantur, etiam minutis. Hinc multa Regibus cum Guillelmo neceſſitudo, frequentia colloquia; & quo notior vtriuſque, eo dilectior; vtriuſque ſibi non ſolum affectus, verum etiam iudicia vindicabat. Nihil non creditum illius prudentia eſt, nihil non diſpoſitioni eius permiſſum. Videat, diſcernat, quod expediat: ſe nihil, quod ipſe ex vſu fore ſentiat, nec Regno Franciæ indecorum, recuſaturos.

Haud ita facilem inuenit Richardum Regem, cui præterita clades in dedecore, expoſcere vindictam videbatur: & erat illi ex bello ingens vtilitas, expilatis prouinciis ea occaſione, vt multo plura in dies, maioraque quàm abſumeret bellum, contribuerent. Vt ædificia, & lites procuratoribus in quæſtu eſſe conſueſcunt, dum plus argenti accipiunt, quàm inſumunt. Sic bella Regibus: Et Henricus, Patris ſui verus ſucceſſor, oportune, importune corradendis pecuniis inhiabat. Accedebat Ciſtercium illi ſuſpectum ex hac ipſa occaſione; quippe à quo multa extorſerat, & conſcientia iniuriarum inſtigante, quos timebat, odiiſſe; compellebatur. *Adeo vero fuit in conflanda pecunia, ait Nicolaus Arſfeldius* [c], *durus, & improbus exactor, vt Ciſtercienſes ad eam conficiendam, cum præter expectationem, & contra immunitates, eis indultas, exigeretur, cucullas, & tunicas, vendere cogerentur. Atque hæc quidem ille prauo magis quorundam conſilio, quàm ſuaptè natura, & propenſione, patraſſe traditur.* Hæc, & alia difficilem reddebant illius animum; & quo minus potentiæ, virumque, in parte ſemel victa; eò magis vindictam proclamabant. Sed vicit omnia authoritas Guillelmi, vicit prudentia: & nunc communem Eccleſiæ vtilitatem, nunc ipſius Regis propriam, & hanc magis inſinuans, quàm proponens; eò tandem adegit, vt perſuaderet, non ſolum vtile, ſed honeſtum ſibi fore, conſentire Pontifici, nec cum rebellibus Ludouici arma ſociare, quæ tam male ceſſiſſent: quin & acceptam præcedenti anno cladem, velut à ſe quæſitam, diſſimulare.

c Sæculo 13. cap. 3.

7.

Igitur interuentu Guillelmi, conſiliiſque, Henricus ad cor rediens, & iam gaudens rogari, id quod ſibi expedire non dubitabat; dum laudem ab obſequio ſummi Pontificis; vtilitatem ab ipſa pace quærit; Petrum Britanum in ipſo conflictu deſerit, & denuo hoc anno rebellantem in Ludouicum, quaſi, qui Anglorum auxilia, & animos, ad vindictam pronos præſtolaretur; non copiis vllis iuuit, non commeatibus, non denique pecuniis (quos vel amicos contra, licet occulte; donare ſolent Reges, vt ſibi, & ſuis, per aliorum pericula pariant ſecuritatem) ſed deſertum Ludouico Regi expoſuit, ſine vllo diſpendio ſubiugandum. Ita, firmata pace per breue bellum vtrumque Regnum floruit. Et neque Gallia rebelles vltro tulit, neque Anglia clades. Itaque hoc *anno M. CC. XXIX.* (*ait Guillelmus de Nangis* [d]) *Regni Ludouici tertio, Petrus,*

8.

d *lib. 5. vitæ S. Ludou.*

Petrus, Comes Britaniæ, vt præsumptuosus, & superbus, adiecit iterum, non tamen impune, terram Serenissimi Regis Francorum Ludouici Domini sui infestare. Quod Rex non valens pacifice sustinere, magno exercitu congregato aduersus eum, vsque ad castrum, cui Adon vocabulum est, ire citius cum aparatu Regio festinauit. Quod obsidens circumquaque in breui tempore per fortitudinem suam expugnauit.

9. *Quo capto, ad aliud, quod Castiancianus dicitur, duxit exercitum. Sed qui illud paulo ante defendere conabantur, videntes Regis Franciæ exercitum fortem, nimis timuerunt; vnde Claues castri afferentes, se ipsos cum castro Regis beneuolentiæ tradiderunt. Quos statim recipiens, quicquid in se deliquerant, eisdem, vt pius, & misericors, condonauit: sed castrum muniens sua gente, longo postea tempore custodiuit. Sic igitur Petro, Comite Britaniæ, necnon cæteris Franciæ Baronibus perdomitis, Ludouicus, Rex Francorum magnanimus, Regnum suum, auxiliante Domino, qui in terra pacem donat hominibus bonæ voluntatis, tranquilla pace per annos quatuor, & eo amplius gubernauit.* Hactenus ibi. Ita authoritate, & industria Guillelmi effectum est, vt pax vtrique Regno, Sed Ludouico Regi, quamuis puero, vera à suis obedientia proueniret.

---

1. *Gesta hoc anno in Hispania per Cistercienses* 2. *Virtutes Sanctiæ, & laudes,* 3. *atque miracula.* 4. *Tum Sancta mors,* 5. *atque funus delatum vsque Lourbanum.* 6. *Solennes exequiæ, & Tarasiæ in Castellenses munificentia;* 7. *& de Sanctia diuersæ visiones, glorioſæ omnes.* 8. *Retardatus Tarasiæ Monachatus:* 9. *sed maturatus à sororis morte, atque illius consiliis acceleratus.* 10. *Eiusdem largitas in Calatranenses.* 11. *Gregorij litteræ,* 12. *& quædam obseruata, notatu digna.*

CAPVT TERTIVM.

1. MVLTA in Hispania illustrarunt præsentem annum, concernentia Cistercium, quæ in sequentibus veniunt memoranda. Reginæ duæ, Sanctia, Tarasiaque, de quibus multa supra; altera, cum Cistercium induisset ante annos octo, euolauit ad cœlos, clara miraculis, & multis illustrata reuelationibus; altera tandem post longam dilationem, Cistercium induit, vsque ad mortem in ipso permansura. Iacobus Rex ab Eleonora coniuge, soluto matrimonio, diuisus est, Alfonso filio declarato pro hærede legitimo, atque Eleonora sententiæ, nec consentiente, nec reclamante, quod æquè matrimonium solui, quod ingratum habuisset, desideraret. Atque hæc pleraque interuentu Cardinalis, Ioannis de Abbatis villa, quem à Gregorio in Episcopum Hostiensem promotum supra; hoc anno, siue ad cognoscendum de matrimonio, siue ob alias causas, ad Hispaniam à latere legauit. Persequar singula, ordine quo gesta: & quia obitus Sanctiæ primus fuit, auspicabor ab ipso, relicta expugnatione Balearium in finem anni, in quo obtentæ à Iacobo, Sarracenis expulsis, à fidelibus vsque hodie possidendæ.

2. Sanctiam Reginam degentem apud Cellas, quod sibi Monasterium ipsa construxerat, insignes virtutes, Monasticæ disciplinæ continuus rigor, atque aliæ virtutes superadditæ, Deo, & hominibus eximia commendabant. Cilicio ad carnem vsa (ait Bernardus Brito Lusitanus [a]) funes etiam consueuit superaddere; adeo stringentes corpus eius tenerum, vt vix vsum membrorum sibi relinqueret; nec sine graui dolore, vllum, vel minimum vnquam habere posset. Lectus, si quando vigilias intermitteret, ex vili sago, paleis subtus stratis; cibus in tantum tenuis, paruusque, vt calor naturalis debilitatus, ex defectu materiæ, adsuetudine in naturam transeunte, vix quicquam retinere, aut coquere posset. Addebat & insignem humilitatem, impensius commendandam in Regia virgine; orationes continuas, feruidasque; charitatem ardentem; & reliqua, aut similia, aut superiora. Demum, ni corpus detegeret mortalem, quæ illam propius nouerant, spiritum cœlestem arbitrarentur. Langueritne sponsi desiderio, quem toto corde ardebat, an valetudine, ex tenore vitæ contracta? in dubio est. Constat correptam sub huius anni initium maligna febri, quæ & mortalem admonuit, & vires aliàs tenues breui exhausit. Multa pro ea Monialibus solicitudo; multa illi pro Monialibus: his dum matrem, dum Dominam, dum sociam amittere formidant: illi dum quas in Christo diligebat, ab ipsius morte orfanas, neque adhuc firmis radicibus emissis, variis expositas casibus deserere, pro humana prouidentia trepidabat. Iussit tamen vocari ad se Tarasiam, cui plurimum fidebat, & qua superstite, nihil defuturum, ac si viueret ipsa, non dubitabat.

[a] lib. 6. cap. 33.

3. Interim ingraueſcente valetudine, vt inter lachrymas Moniales consolaretur, qui Sanctiam auferebat, per miracula voluit illustrare. Erat in Monasterio soror quædam, quæ cancerata altera ex mamillis, in dolore continue, fœtoreque, imminentem iam mortem præstolabatur. Hæc sui mali oblita, miserta Sanctiæ, præcœteris lugebat: & ô si mihi pro te pati liceret, mater chariſſima! ô si mortem subire concederetur; eiulatu continuo proclamabat: se inutilem perituram sine dispendio; Sanctiam, si viueret, cunctis profuturam. Ad Hæc Regina grato vultu, & hilari. Quid te inutilem voces, soror: ait: spero, breui te à morbo hoc, quem, pateris, curandam. Illa è contra: Non vltra mihi salutis corporalis, aut spes, aut cura, desperatioti in dies valetudine. Animam solam vellem saluam facere. Ad hæc Regina; nulla (confiteor) medicina humana subest; sed

Diuina non deerit; confide. Tum iussit, illam aperire vulnus: & propria manu tactum signauit cruce. Res mira!

3. Ab illa hora melius habuit, atque adeo melius, vt multo citius à morbo conualesceret, quàm paulo ante censeretur interitura. Angebat aliam sororem eiusdem domus dolor aurium vehemens, & sensu audiendi penitus amisso, per claustra Monasterij ad instar insanientis diuagabatur. Sensit Sancta pressuram dilectæ filiæ, quam in sæculo ancillam in Religione sociam, & semper obsequentem sibi habuisset; atque accersiri iussam, amplexata, & faciem suam patientis faciei iungens; & fugauit dolorem, & auditum restituit in momento incredibili ipsius, atque omnium circunstantium admiratione. Ferunt & aliam, ignorante Sanctia, cum sanguinem minuisset, & punctura, ad arteriam penetrante, intumescentis brachij, & iam iamque ad putredinem conuersi, timeret iacturam; velo subtracto de capite Reginæ, circunligasse vulnus, tumoremque, quæ statim obsequuta, fugatáque, infirmæ sanitatem, Deo gloriam, illustre testimonium sanctitatis Virgini Sanctiæ, reliquis ingens gaudium, attulerunt.

4. Hæc, & similia operabatur Christus, dum sponsam suam ad cœlestem ducendam thalamum, his pignoribus gloriæ subarrabat: cum ecce simul morbus, Tarasiaque, ille furens, hæc veniens; hæc à ianuis Orci retrahebat, ille ad profundum mortis præcipitabat. Nec dubium, quin dilectæ Sanctiæ sororis amplexus vltimi, iocundaque colloquia, animam egredientem, dum ad vtrunque attendit, retardarunt. Multus vtrique de cœlesti patria sermo; multus & de Cellensi Monasterio, commendante illud Sanctia, & Tarasia acceptante, & promittente; nihil se omissuram, quo promouere, quo firmare posset sororis opus. Tum vero vtraque ad laudes Dei conuersa, atque altera suffragia, altera apud Deum intercessionem inuicem postulantibus, inuicem offerentibus, circunstante corona sanctimonialium, septem Pœnitentiales Psalmos prius ipsa Sanctia adiuuante; mox sine ipsa, quod morte instante vox hæreret faucibus, Litanias decantant; & cum venirent ad illum earum versum, qui omnes simul Sanctos, & Sanctas inuocat. *Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, intercedite pro ea.* Tot suffragiis munita, talibusque, impollutum Spiritum emisit, ab Angelis ad Cœlum deducendam. Obiit Sanctia die Martij tertia decima, hora nona, antequam tertia in conuentu decantaretur. Dies, & annus notati inueniuntur in libro obituum Sanctæ crucis Conimbricensis, ex quo adducit Brandaonius [b] totidem verbis. *Tertio Idus Martij obiit Regina Domina Sanctia, filia Regis Domini Sancty, & Reginæ Domine Dulciæ. Æra M. CC. LXVII.* Verum de hora, & deductione funeris ad Lourbanensem domum, in qua vsque hodie manet Virgo Sanctissima, Bernardum Britum [c] iterum audiamus.

b *lib. 14. c. 9.*

c *lib. 6. Historiæ Cist.*

5. Erat, cum Sanctia ad cœlos euolauit, hora diei tertia, iuxta antiquos; & poterat sepulturæ mandari solemni sacrificio, quod Moniales efficere tentarunt. Verum Tarasia, cui longe alia mens erat, abire iubet, & officium Diuinum ex more canere; ipsa interim aptatura corpus, composituraque, vt post cantatam tertiam, statim sepulturæ mandari posset. Fecere simplices incautæque moniales, vt iubebantur; sed ipsa interim corpus, vtcunque acceptum, & lecticæ impositum ad Lourbanum deducit, in eo, quod sibi præparauerat, sepulchro sepeliendum. Funestus dies Cellensibus Virginibus; atque ideo funestior, quod amisse Reginæ, matris, sororis, tristem iacturam non potuerunt vel funere solari. Decessit Sanctia, quam vnice amabant, in qua omnia habebant; & neque corpus inanime reliquit, ad cuius tumbam flerent, quod tractarent, & in quo ipsam quodammodo præsentem, & super se vigilantem intuerentur. Inesse animis propensionem ad propria corpora, quoadusque reasumant. Inesse & Sanctiæ ad Cellense Monasterium, vt Matri, vt filiæ, vt sorori, vt fundatrici. Cur non inueniat simul, quæ simul habuit? Cur distrahatur ab obiectis sui affectus. Iam si extra propriam domum obiisset, quocunque titulo mansuram vbi obiit; si apud se, sed alterius domus sanctimonialis, repetendam à suis, & vbi præualuisset, reportandam. Si alibi sepulchrum haberet proprium, cedendum fortasse; quamuis nihil proprium Moniales habere valeant. Ast Virginem Cellensem, Cellis defunctam, sepulchro à se constructo defraudari, vt occupet alienum; quo titulo, quo iure sufferri possit? Scilicet Lourbanenses fruituras præsentia sacri corporis, fruituras miraculis, in quibus nihil habent: ipsas, quæ omnia habent, si ius seruetur, vtroque bono æternum carituras?

6. Hæc, & similia Cellenses querebantur, frustratæ tanto pignore; sed præualuit potentia rationi; & quæ nondum firmatæ possessionibus, decoratæ ædificiis; decorari indigebant, formarique; à qua vtrunque sperabant; non ausæ sunt Tarasiam prouocare. Et auxit illa cœnobium multis prouentibus, ornauit ædificiis, donariisque; neque prius Monialem Lourbani induit, quàm omnia illa, quæ soror apud Cellas perfeciſſe optaret, abundanter, & largè prouidisset. Interim tamen asportato corpore, Lourbanum peruenit; vbi peractis funeris officiis, ac veneratis, priusquàm conderentur, sacris exuuiis; quarum se ex tunc præsentia muniendos gratulabantur populi, qui ex tota vicinia illuc conuenerant; sed supra omnes Moniales Lourbanenses; atque ipsa Tarasia, quæ dudum Sanctitatem fœminæ nouerant: his, inquam, omnibus, & si quæ alia ingruerunt, rite peractis tandem corpus sepulturæ mandatum est, in eo ipso sepulchro, quod Tarasia sibi construxisset: siue cederet hospiti, seu, quæ se peccatricem reputabat, sororem sanctam, quæ se matrem sciebat, Virginem interruptam, dum in loco præcipuo collocabat, veneraretur. Pompa mediocris, neque humilis nimium, neque superba, sed quæ ad modestiam Religiosam, quam ad Regium fastum magis accederet; & properata nonnihil sepultura, ne Cellenses clamarent, aut reclamarent; neque Rex Sanctius, neque Regni Proceres, Episcopive,

pive, Regio funeri affuisse commemorantur.

Miracula deinde, visionesq; sequuta ad sacrum tumulum, Loubarnenses Moniales, atque ipsam Tarasiam lætificarunt. Multis lux fulgida sepulchro circumfusa; multis ipsa Regina visa est, in magna gloria apparens, atque orantibus annuens, & se promittens pro eis interceſſuram. Odæ, Abbatissæ loci, de qua superius, hoc ipso, vt credo, anno, dum parentis Bernardi officia in eius sacro die peragerentur, Tarasiam iuxta sedens, sese ostendit, habitu religioso, iucunda facie, nec dissimilis sibi cum adhuc apud Cellas conuersaretur. Illa præ gaudio currebat ad Tarasiam, rogatura, an videret? vel si videret, vtraque alloquutura. Verum Tarasia aduentum manu prohibens, ac sibi cum sorore negocium innuens, stare iussit; versaque ad sororem, multa cum illa conferre videbatur, quædam interrogare, plura audire. Laudibus matutinis decantatis, dum confabularentur, egressam vtranque eadem Oda Abbatissa sequuta est: sed disparente Sanctia, solam Tarasiam potuit conuenire. Hæc multa sibi de sororis gloria, multa de aliis cœlestis patriæ secretis, reuelata ab ipsa confessa est, quamuis perpauca voluerit aperire. Quod si tunc etiam reuelatum eidem fuit propriæ mortis tempus, vt tradit Brito, cum hæc ad annum M. CC. L. dilata sit; fiet, vt vnum, & viginti annos anteiuerit transitum reuelatio; quod paucis concessum, inter rarissima venit commemorandum.

8. Conceperat Tarasia à multis annis sub Cistercienſi instituto militare, quod etiam tunc, cum non profitebatur, obseruauisset. Sed præpedita curis, negotiisque, non tam suis, quàm suorum, propositum differebat, magis, quam recusabat. Lourbanense cœnobium, Cellenseque, alterum eius opus, alterum eius fideicommissum esse, & neutrum sine ipsa consummandum. Neque enim Sanctia pauperiem professa esset ante perfectas Cellas, dotatasque, nisi ipsi fidisset; nec sibi pro Lourbano perficiendo, in promptu satis esse, cui posset fidere. Hoc morte Martyrum præstare, iuxta Ecclesiam, quod Martyres efficit. Quidni, & præstaret Religiosa vita; quæ multas faceret Religiose viuere posse? Charitatem inter omnes virtute longe excellere, quam ad Deum omnes æquè; ad proximum, qui dominium rerum habent, conuenientius exerceant; ad proximum, certe vtilius. Multis ab ipsa remedium prouenire, quod aliàs non haberent, & neque illos fraudandos illo auxilio; neque se merito. Cæteros homines, aut sibi, aut paucis natos; sed Reges omnibus; Reginam se, atque Regia dote auctam, quandiu eam retinet, multis profuturam; neque omittendum paupertatis meritum, cui iam se destinasset; sed ex meliori fine differendum.

9. His, & similibus distulerat Tarasia conceptum propositum; atque ex negotiis, diuersa negotia trahens; quod plerumque contingit, vlterius etiam forsan distulisset, si non sororis præmatura mors, forte & inter colloquendum admonitiones, impulissent cunctantem, atque inter moras tempus elabi posse, fraterno experimento commonuissent. Nam quanto iunior Sanctia? quanto integrior? & nihil ominus si plusculum expectasset, suo omnino desiderio frustrata esset? Seniori sibi, & partubus exhaustæ, breuiorem vitam contingere debuisse. Prorogatam fortassis, vt respiscat, & tandem, quod proposuit, exequatur; nisi statim præueniat, præuenienda: Christum nunquam bonorum retentionem, vt quod demus, habeamus, consuluisse: sed simultaneam cunctorum abnegationem, quæ si fiat in vita, meritum habet; si in morte quid prosit? Quippe in qua deserendi, non deserturi, respicimus mortalia; & certius conditione naturæ, quàm dono gratiæ. Facienda illa, quæ cæteros concernunt; sed hoc non omittendum, quod sibi possit. Et ne in secundo deficere contingat, properandum in primo; neque id, quod est consultius, procrastinandum. Ergo nihil cunctata, disponit omnia, multa cœnobio vtrique, multa famulis, multa in opera pia annua distribuens: tum ad Alfonsum Legionensem primo, dilectum sibi quondam, dum licuit, coniugem, & quod dolebat etiam, dum non licuit, & à quo adeò ipsa dilecta fuit; mox ad Sanctium Lusitanum litteras dat; quibus sese tandem Deo consecrandam hoc ipso anno deuota pandit, atque vtriusque consensum supplex exposcit. Cæterum, quid vterque illi rependerit, & qualiter sanctimonialem induta sit? quia coram Ioanne, Cardinali Sabinienſi, per Hispaniam legato, qui prius Turiasone concilium celebrauit, hos Annales concernens; gestum fuit; post ipsum etiam concilium, atque acta Iacobi, cuius causa coactum, referemus.

10. Interim adnoto inter alia Tarasiæ acta, illustre per hoc tempus, atque in Cistercium honorificum, quod sacram Calatrauæ militiam, hactenus in Hispania concluſam, quod sciamus. (Neque enim in Orientem traiecit, etiam cum potuit, ideſt cum litteras ad Patriarcham Antiochenum, vt illius opportunum locum daret supra à nobis relatas impetrauerat.) Quod, inquam, intra fines Hispaniæ concluſam hactenus, per Italiam extendere, & illucusque propagines emitteret, procurauit impense: Obtento illi in Neapolitano Regno cœnobio, in quo figeret sedem: atque oblata pecunia, bonisque, de quibus necessaria, tum ad transmigrationem, tum ad cœnobium, in Arcem adoptandum; demum ad plantationem Sacræ militiæ, atque eius in loco conseruationem, large, & pro dignitate prouiderentur. Cuius rei extat adhuc instrumentum Gregorij, Papæ noni, ad Magistrum, & fratres Calatrauæ, ad instantiam Tarasiæ Legionensis, & duarum filiarum eius hoc anno datum, quod in Archiuis Sacri conuentus conseruatum, atque ex Vaticano cum aliis ad me transmissum, in gratiam mei lectoris, hic subiungam [c].

c Ex Reg. Greg. 9. 11.

Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis, Magistro, & Fratribus Calatrauæ, Cistercienſis Ordinis.

Cum vestræ Religionis honestas, flores, & fructus suauitatis producere dignoscatur, nos in ea, tanquam in odore agri pleni, cui benedixit Dominus, merito delectari ad delectationem ipsius libenter intendimus cum effectu. Vnde, cum charissimæ in Christo filiæ, Tarasia, Regina

illustris Legionensis; & Sanctia, & Dulcia, natæ ipsius; nobis fecissent per venerabilem Fratrem nostrum, Episcopum Albanensem, & dilectum filium, Sanctorum Cosmæ, & Damiani Diaconum Cardinalem, humiliter supplicari, vt Monasterium Sancti Angeli de Vrsaria, Troianensis diœcesis, quod ad sedem Apostolicam nullo medio pertinens, de Hispanis fuit hactennis ordinatum, eis ordinandum de fratribus vestris concedere dignaremus, cupientibus illis de bonis, sibi à Deo collatis, congruis beneficiis ampliare. Nos sperantes, vt Diuinitus inspiratæ, propositum meliorandi prædictum Monasterium, velint efficaciter adimplere; ipsarum supplicationibus duximus fauorabiliter annuendum: prædictum Monasterium Ordini vestro, de Fratrum nostrorum consilio, conferentes, prout in litteris nostris, super hoc confectis, plenius continetur. gratiam, in hoc vobis exhibitam, recognoscere probemini, sicut decet, vniuersitatem vestram monemus, & hortamur attentè, per Apostolica scripta mandantes, quatenus ad relenationem prædicti Monasterij efficaciter intendentes, tales illuc studeatis destinare personas, tam Clericos, quàm laicos, quæ religionem vestram in partibus reddant merito venerandam. Et nos eis digne impertiri possimus gratiam, & fauorem. Datis Perusij V. Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno tertio. Hactenus litteræ.

Permansit cœnobium Calatrauensibus vs- 12.
que ad annum M. CCCC. L. XXXIV. plus, minusve, quo alienatum est, facta cum Ferdinando Rege Catholico, pro aliis haud exiguis bonis, intra Hispaniam concessis, commutatione. Vnde Tarasiæ gestis id addendum, quod neque Brito, nec Brandaonius adnotarunt; nec quicquam alius author, quem ego viderim: traduxisse in Italiam Calatrauam, atque eam ibi firmasse per tot annos, imo per tria sæcula: quod in fœmina ingentem, tum potentiam, tum animum ostendit supra fœmineum: quippe nec concepisset sine secundo, adeò graue negotium, arduumque: nec sine primo exequi potuisset. Crediderim charitatem filiarum interuenisse, quibus, cum Ferdinando certaturis de Regno Legionensi, vt infra dicam, voluit Calatrauenses conciliare, ingens rebus momentum, in quemcunque inclinarent, nec leuiter, nec parum promoturos.

---

1. *Iacobus Eleonoram fastidiens, & fastiditus,* 2. *in Concilio coram Cardinali legato diuortium petit.* 3. *Eiusdem pro Alfonso filio solicitudo.* 4. *Declaratio Concilij, Regis per omnia votis se conformans.* 5. *Et maturata Balearia expeditio.* 6. *Alfonsi Legionensis in coniugem priorem minus affectus.* 7. *Tarasiæ Monachatus in litteris Gregorij Papæ expressus.* 8. *Ratio temporis,* 9. *& notata alia quædam, licet in dubio.*

CAPVT QVARTVM.

1. IOANNES de Abbatis Villa, Cardinalis Episcopus Sabinienſis à Gregorio creatus, atque in Hispaniam ab eodem hoc anno missus, quæ concernat Cistercium, multam nobis materiam submministrat. Erat Iacobo Aragonensium Regi, ex Eleonora filius, Alfonsus nomine, quem diligebat tenere; etiam si matrem eius exosam habens, & ipsi ille vicissim exosus esset. Inuisi tori nulla causa suberat, nondum effuso in illicitos amores Iacobo Rege, (quicquid Antonius Beuterus [a] contrarium adstruat, sed nullo penitus ei ad stipulante) & Eleonora, Regia alioqui fœmina, pulchra, fœcunda, casta, prudentissima & amatura virum videbatur, tot præcipue, tùm corporis, tum animi dotibus insignitum, atque ab ipso è conuerso redamanda: sed nihil, voluntate humana liberius, & nihilominus sæpe nihil seruilius. Non aliunde amamus, nisi quia volumus: & quæ vellemus plerunque non amamus, nisi quia volumus, non odimus nunquam. Argute Martialis [b], sicut in aliis.

[a] *In Chronica Gener. Hisp.*

[b] *lib. 1. Epigrammate mihi 33.*

Non amo te Sabidi, nec possum dicere, quare?
Hoc tantum possum dicere: non amo te.

Inuisos inuicem Iacobum, & Eleonoram, nimirum, præcoci vtriusque matrimonio sunt, qui attribuant: quippe contracto à Iacobo vix duodeni, & corpore ad coniugij opus inhabili. Quare dum neque amorem conciliare, nec concipere poterat, in vtroque fastidium generabat. Vtcunque fuerit, semel conceptum odium, etiam, suscepta prole, integrum mansit: & quæsitus diuortio color est, adnitente Iacobo, quia viro; Eleonora, quod fœminæ licebat, non repugnante: maxime declarando hærede filio, quem bona fide susceptum ab vtroque clamabat Iacobus, nec poterat in dubium reuocari.

Siue ergo causa ad Pontificem peruenerit, 2.
cui velut adeo arduæ, grauique, censuerit Cardinalem delegandum; siuè aliàs ad Hispanias visitandas, & earum Ecclesias inuisendas delegaretur; supradictus Episcopus Sabinienſis missus est, qui Aragoniam primum, mox Castellam vtranque, Legionemque, ac demum Lusitaniam circuiret. Ille ante omnia declarando matrimonio, seu valido, seu nullo, prout ex allegatis, probatisque constare sibi posset, Concilium congregat: ad quod non solos Aragoniæ Præsules, sed Castellæ vocandos existimauit; vt si Regis obsequium primos traheret, posteriores, 3.
Reginam Castellæ, Regum filiam, Berengariæ sororem, & Ferdinandi amitam, reuererentur. Ergo ex Castella Rodericus Toletanus, cui omnia credebantur, Archiepiscopus, Episcopi Burgensis, Calagurritanus, & Oxonienſis, qui Regno proximiores: ex Aragonia, Cataloniaque, cum Archiepiscopo Tarraconensi, Episcopi Illerdensis, Oscensis, Tirasonensis, & Baionensis vocati sunt, quorum res tanta consilio decideretur.

Vocati

Vocati forsan alij quotquot erant, sed Turiasone, ad quem locum vocabantur, in vigesimam nonam diem mensis Aprilis, hi soli conuenerunt, vt ex scripto Iacobi infra reddendo, ab omnibus signato, facile constat. Ibi tractatum de valore matrimonij, quod Reges contraxissent, sine dispensatione, cum intra quartum consanguinitatis gradum coniuncti essent. Nec de consanguinitate dubitabatur; sed an ex illa declarandum nullum esset: maxime cum dispensatio summi Pontificis, cui semel iunctos esse, pro legitima causa reputabatur, in tam remoto gradu, retro trahi ad consensus facile posset.

3. Angebat Iacobum successio Alfonsi filij, siue eum diligebat, quod plures tradunt; siue putabat, declarato ipso vero hærede, Eleonoram diuortio consensuram. Itaque re vtrinque ventilata *antequam legatus sententiam ferret (ait Zorita c) Rex conceptis verbis, ita in medio concilio præfatus est,*

c In Indicib. Aragon. hoc anno.

Vobis, Domine legate, & omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis Ecclesiasticis personis, qui hic assistunt; nec non, & nobilibus, & popularibus innotescat; quod nos, charissimæ vxori nostræ Aleonori per Ecclesiam coniuncti sumus: & credidimus nos eidem legitime fuisse coniunctos: & ex ea suscepimus charissimum filium nostrum, Dominum Alfonsum, quem nos arbitrantes legitimum, hæredem, & successorem Regni nostri iam pridem constituimus: & à Vassallis, & nobilibus Regni nostri eidem fecimus iurari, & assecurari Regnum nostrum. Nunc autem coram vobis constituti, & nescientes, quid super nostra coniunctione decernere proponatis? in præsentia vestra, & omnium assistentium, quod de supradicto filio nostro, sicut prædictum est, fecimus, confirmamus: & si legitimatione aliquatenus indigere videatur, nos authoritate, & potestate Regia legitimamus ad omnia, ad quæ legitimari potest authoritate Regia, & hæredem, & successorem Regni nostri constituimus: & declaramus: præcipimus, quo sicut ei iuratum est Regnum, tanquam verus hæres, post nos ab omnibus Vassallis nostris, & à toto Regno, in Dominum recipiatur, & Regem. Petimus quoque à vobis, & supplicamus, Domine legate, & ab omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, qui hic præsentes sunt, vt hoc factum nostrum, litterarum vestrarum testimonio roboretis. Hactenus Iacobi Regis propositio in Ecclesiam submissa, in matrimonium neutra, pro filio acris; vt qui ea omnia, ad diuortium conducentia, ne Regina Eleonora, quasi repulsa, aut quouis aliomodo dehonestata contradiceret, causæ reputabat.

4. Propositionem Regis omnium patrum subscriptiones sequutæ sunt, vt ipse postulasset. Vnde & sequitur. *Nos igitur Legatus ad instantiam prædicti Regis, præsentibus annotari fecimus in testimonium veritatis. Hæc autem acta sunt, præsentibus Domino R. Toletano Archiepiscopo, Domino S. Archiepiscopo Tarraconensi, & venerabilibus patribus, Burgen. Calagurritanen. Segouien. Seguntinen. Oxonienſi, Ilerdenſi, Oscenſi, Tirasonen. & Baionen. Episcopis, apud Tirasonam tertio Kalendas Maij, anno Domini M. CC. XXIX.* Ita ad instantiam Regis prædicti Patres. Tum Iacobus egressus à Concilio, quo liberior facultas cunctis esset, promouendi proprios sensus, diuertit alio. Sed vbi partes inter se conueniunt; vix est, qui alteram velit condemnare, nedum vtranque simul: & in hoc casu vtroque auersante alium, si matrimonium staret, vterque grauiter sine dubio condemnaretur. Neque inquirebant, an validari posset, nullum aliàs coniugium: sed an nullo existente, vt vere fuit, & vterque cupiebat, filius legitimus posset declarari; facili controuersia, vel contra Regem, pro Regibus omnino indubitanda. Sancitum est, matrimonium, quia nullum, dirimendum (sic res poscebat, vt non solum Iacobus sub finem vitæ; sed prior ipso Eleonora illustrasset Cistercium) filium, quod bona fides susceptus sit, ex legitimo toro declarandum. Ita vterque, solutis, quibus in speciem tenebantur, coniugij vinculis illa in Castellam honorificentissime dimissa, cumulata muneribus, & conseruatis dotalitiis oppidis, ac, quod mireris, cum Alfonso filio rediit (adeò dulcis Iacobo libertas fuit) tum in Huelguensi illustri Monasterio, quod sibi præelegisset, quod reliquum, religiosam vitam peregit, primùm in sæculari honesto habitu; mox in sanctimonialem, etiamsi non professa, neque ibidem quietura, cooptanda. Ita Hieronimus Blanca in commentariis, quamuis minus distincte totidem verbis. *Eleonora Regina, Eximia Sanctitatis fœmina, ad celebre se contulit Burgense Monasterium,* de las Huelgas *vocatum, quod ipsa (corrige pater eius) construxerat, vbi abdita piam, ac Religiosam superstitem vitam duxit.* Hæc nunc de Eleonora: plura inferius, vbi tamen non Huelgis, vt Blancha tradit, sed apud Almazanum, in Monasterio familiæ Præmonstratensis, quod ipsa fabricauit consummatam, Deo dante in tempore dicemus.

Iacobus inde ad Balearicam expeditionem accingitur, cui se iam dudum, nec non & sui omnes destinauissent. Pergit Zurita. d *Rex Turiasone, concitato dispositorum equorum cursu, Tarraconen contendit: atque Kalendas Maij se sistit, vt Balearicam expeditionem maturet. Ilerdæ à sedis Apostolicæ legato, in frequentissimo conuentu Rex, Procereſque cruce insigniti, sacræ militiæ auctoramento deuinciuntur.* Hæc ille paucis, pro more, & instituto. Bernardinus de Miedes auctor est, congregatos ad hanc expeditionem, nec satis constat, an cruce signati omnes. e *Peditum ad quindecim millia, equitum ad mille quingentos; exceptis auxiliariis, qui Genua, èque Massilia, & vniuersa Prouincia, cum naui maxima, atque munitissima Narbonensi, aliisque circum maritimis gentibus, sese exercitui adiunxerant.* Porro nauium, ad traiiciendum præparatarum, ad centum quinquaginta quinque diuersi generis. *Naues magnæ onerariæ viginti quinque; longæ duodecim; reliquæ, & speculatoriæ, & actuariæ ad celeritatem nauigandi: aliæque paulo latiores, & humiles, ad onera; & multitudinem iumentorum transportandam perplures: quæ omnes eundem numerum confecere præter lintres, & scaphas innumerabiles, quæ longis, atque magnis nauibus subseruire solent.* Hæc à Iacobo aduersus Sarracenos Baleares præparata, & disposita; sed quam fœlicem finem sortitæ sint, sub finem huius anni, quo & Balearica maior capta est, Deo dante fideliter reddemus. Nunc ad Tarasiam, Legionensem quondam Reginam, induere Monialem maturantem, prout supra promisimus, redeamus.

5. d *vbi supra.*

e *lib. 6.*

6. Expressit lachrymas ab Alfonso Legionensi Epistola Tafasiæ, quæ se cum primùm Cistercium induturam, & Deo consecrandam, mani-

festabat : & quam dum tenuit,tam arctè dilexisset,vt se facilius ab Ecclesia diuidi, quam ab ipsa,fateri, nec solum verbis, sed factis non dubitauerit ; quam ab animo nunquam auulsisset, quamuis corpore distans, obtulit Deo,velut tunc primum ab ipso separandam. Satis superque bene secum agi,si Christo nubat, cuius ipse sponsus esse non meruit, si communibus filiis det parentem, quem tremunt Dæmones, venerantur homines, in quem desiderant Angeli conspicere. Velle se habere partem in his nuptiis, ex quibus tantum lucrum vterque capiat ; & vt non possit dotem, idest virtutes, quæ solæ dotant animas, aliqua saltem xenia collaturum. Et assignauit villam bonam oppidum, quod nouæ sponsæ cederet,& in quo eiusdem Ordinis cœnobium,veluti noui matrimonij proles, fabricaretur. Non difficilior Sanctius Lusitanus, quamuis haud ita largus amitæ fuit. Quin & cum Cardinalis,Aragonia relicta, atque lustrata Castella, Legioneque, & celebratis Conciliis in Regnis singulis, vt Rodericus Toletanus ait, ad Lusitaniam vsque penetrasset ; assumpto viro, secum Lourbanum petiit,& Sanctam fœminam abiecta Regia purpura, coram ipso indui curauit Cistercij Sago. Extat totius facti memoria celebris in quadam Bulla Gregorij Papæ noni, expedita post biennium, cum iam Alfonsus è viuis sub latus esset, quam ab Antonio Brandaonio excerptam ex Archiuis Lourbani, vulgatamque, in totius Historiæ, & Monachatus Tarasiæ confirmationem, operæ pretium me facturum censui,si hic transcriberem. Est autem talis. f

f *Apud Brandaon in Monarch. Lusitana.*

7. *Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei,charissimæ in Christo filiæ,Reginæ Dominæ Tarasiæ, salutem,& Apostolicam benedictionem.*

Lætantes suscipimus, & venerabiliter approbamus, quæcunque per inspirationem sancti Spiritus in Sanctæ Religionis augmentum prouenire conspicimus. Quapropter eisdem,in quantum possumus, & debemus,libenter Apostolicæ authoritatis robur adiicimus. Inde est, quod cum ex parte tua nobis fuisset expositum, dilectum nobis in Christo filium Claræ memoriæ A. Legionensem Regem illustrem, donationem Villæ bonæ tibi, cum habitum Cistercienses ordinis coram venerabili fratre nostro Episcopo Sabinensi, Apostolicæ sedis legato, suscepisti, ad fundandum in eadem villa cœnobium ordinis Cistercienses, de Episcopi Dioceſani consensu, tibi fecisse ; in ea nimirum parte, in qua idem Episcopus iam antea, quædam altaria consecrauerat. Nos deuotionis tuæ precibus clementer inclinati, prædictam donationem Apostolica authoritate confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Datum Laterani VII. Kalendas Ianuarij, Pontificatus nostri anno quinto. Hactenus litteræ quæ cuncta complectuntur,& cunctis fidem faciunt indubitatam.

8. Cæterum,quod ad rationem temporis attinet, Tarasiæ Monachatum incidisse in hunc annum aut ad summum in initium anni sequentis, duo mihi argumenta plane confirmant ; vtrumque sumptum ex litteris Gregorij, vtrunque manifestum : alterum,quod Cistercij habitum induit præsente Ioanne Cardinali Sabinensi, cum ageret legatum in Hispania, quod in hunc ipsum annum incidisse,compertum est : alterum, quod viuente Rege Alfonso,à quo id munus acceperit, cuius Gregorius confirmat donationem : & tamen Regem obiisse anno sequenti, & ex litteris constat, & litteræ ipsæ Gregorij ostendunt palam. Vnde vlterius manifestum fit, Tarasiam Reginam,non breui tempore, vt Brito, g & alij putant, sed longo satis vltra viginti annos vixisse sub Cistercij disciplina;idque præter eos quos in sæculari habitu apud Lourbanum inter Moniales vixerat, quippe quæ non decessit ante annum M. CC. LVI. supra dicebamus, & suo loco apertius ostendemus. Qualiter autem intra hoc annorum spatium, aliquæ ab ipsa factæ donationes, ipsis etiam productis instrumentis, commemorentur, duplici via factum saluari potest, vel si ex dispensatione summi Pontificis, quod vult Brandaonius, h vel si delata ad tempus professione, ob maius bonum publicum, quod à Sancta Heduuigi videmus factum,& non incongrue de Tarasia præsumi potest.

g *in Chron. lib.*

h *vbi sup.*

9. Non mihi constat constructumnè cœnobium in Villa bona, vt voluisset Alfonsus, an prætermissum?aut si constructum,quod, aut quale fuerit?Neque enim Brandaonius,qui litteras Gregorij solus adducit de eo aliquid,neque apud alium potui inuenire. Certe in Catalogis, aut lineis Ecclesiarum,Villæ nouæ,& Villæ longæ plures: Villa bona, vna tantum;eaque in lingua Occitana,Carcasonensis Diœcesis,filia Boni-fontis,quæ Lusitanæ,aut Legionensi domui, interuentu Tarasiæ,aut ob illius memoriam ædificandæ, nulla possunt ratione conuenire. Sic neque facile ausim diffinire, an Rex Alfonsus ad Lourbanum venerit,sacris Tarasiæ nuptiis affuturus. Nam quod donatio, tunc illi ab ipso facta,quam memorat Gregorius, confirmatque ; id non obscure videtur indicare ; quamuis nec negem per procuratorem potuisse fieri, aut instrumento transmisso donationis,quod eo tempore,veluti sponsalitium munus exhiberetur. Certe,si præsens Monachatui Tarasiæ fuit,statim decessurus (vt & nos anno sequenti memorabimus) diuina prouidentia effectum videtur, vt quàm insanus præ amoris magnitudine quendam Deo prætulerit, tunc sui compos,Deo libens offerret ; atque ea oblatione deuota facta,atque acceptata à Christo, velut in signum remissæ prioris culpæ cum Euangelico sene clamare posset. i *Nunc dimittis seruum tuum Domine,secundum verbum tuum in pace.* Sed de his satis,superque à nobis dictum. Reliqua, quæ Tarasiæ acta concernunt, suis locis ex more prodenda erunt. Nunc ad alia huius anni transeamus.

i *Luc. 2.*

1. *Beatæ*

1. *Beatæ Eliſabethæ Houenenſis Acta deperdita.* 2. *Quo tempore, quantumque præfulſerit?* 3. *Defunctus quidam glorioſus ei apparet.* 4. *Quis ille? Et quid de Beato Hermano, ſeu Ioſepho.* 5. *Mors Sanctæ imminens.* 6. *Reuelatio ipſam præcedens.* 7. *Glorioſus obitus*, 8. *& notata quædam de Sancta Virgine.* 9. *Adan Morinorum Epiſcopus, infulis abdicatis, Monachum induit.* 10. *Acta eius*, 11. *& quem; ac quando habuerit ſucceſſorem?*

CAPVT QVINTVM.

1. INGENTEM nobis dolorem per hoc tempus excitat Beata Virgo Eliſabetha Monialis in Houenes, dubium an ea, quam memorat Cæſarius[a] in ſuis Dialogis, de qua nos etiam ſupra: cuius vitam, refertam multis prodigiis, à Beato Hermano Præmonſtratenſi, ad longum ſcriptam, & ab Abbate Heiſtelbendenſis domus, vt coniectatur Surius,[b] in qua idem Hermanus habitabat, ad compendium redactam, iniuria temporum, aut incuria hominum amiſſam, lugere licet, non licet reuocare? Colligam tamen quæ ſuperauerunt eius fragmenta in vita ipſius Hermani, ſiue Ioſephi (nam vtrumque illi nomen) cui adeo chara, & familiaris fuit; adeo in cunctis cœleſtis gratiæ donis conſors, & particeps, vt neutrius ſine alio acta, aut ſcribi potuerint, aut ad nos peruenire, aut conſeruari. Porro ex Beati Hermani actis, vitaque, quam ab eodem Heiſtelbendenſi Abbate ſcriptam, qui Eliſabethæ vitam compilauit, vulgauit Surius floruiſſe Eliſabetham per hoc tempus, nec longe ab eo obiiſſe, facile conſtat. Siquidem obiit ante ipſum Sanctum Hermanum, quod etiam illi fuiſſe præoſtenſum, dicam ſtatim: tanto autem tempore anteiuit illius obitum, vt ipſæ Sanctæ vitam poſſet ſcribere, nec breuem, & ſuccinctam, ſed longam nimis & quæ adeo eguerit breuiari: Hermanum autem ad ſuperos tranſiiſſe in eodem Houenenſi Monaſterio, anno M. CC. XXXIII. menſe Aprili, ſuo loco nos etiam demonſtrabimus.

a lib. 5. c. 45.

b 13. Apr.

2. Ergo, quo tempore Ioſeph, ſiue Hermanus, in Heiſtelbendia, in Houenes florebat Eliſabetha, quam ſui ſæculi lumen author appellat, qui vtriuſque vitam, aut ſcripſit, aut compilauit. *Fuit, ait, in Monaſterio, nobis vicino, Virgo Sancta ordinis Ciſtercienſis, lumen, & decus noſtri temporis, cuius teſtimonium tanto plus apud me ponderis habet, quanto eam familiarius noui; nec de illo quiſquam ambiget, qui legerit vitam eius Virginis, primo quidem à noſtro Ioſepho conſcriptam, ſed poſtea à me redactam in compendium, ne quis eius prolixitatem forſitan faſtidiret.* Hactenus author vitæ Sancti Ioſephi, qui etiam prodit, eundem Sanctum Virum in Houenes vixiſſe per tempus aliquod, incertum qua occaſione? nam puer adhuc Præmonſtrati habitum induit. Porro quanta inter hunc vtrumque Sanctum neceſſitudo fuerit, quanta cura de Hermano Eliſabethæ, quanta de vtroque Deo, ſequens viſio declarat, quam idem, qui ſupra, author, ita ſubiungit.[d]

c cap. 55.

d ibidem, 3.

Obiit aliquando apud nos Eccleſiæ noſtræ ſimplex frater, ſacerdotio initiatus, bonum habens à fratribus teſtimonium. Pro cuius anima hæc Virgo Domino multas obtulit preces, petiitque ſibi certò reuelari quo ſtatu res eius eſſent. Poſt aliquos dies apparuit oranti ille defunctus, & de ſua ſalute certiorem eam reddidit. Ait autem Virgo ad illum: Oro, dicas mihi, cuius apud Deum meriti eſt Ioſeph? Reſpondit ille: Ob virtutes eximias, magni Ioſeph eſt meriti. Scire enim debes, illum humilitate, patientia, charitate, & obedientia, omnes antecellere. Id cum poſtea indicatum eſſet Ioſeph, vt ego ab eius ore accepi, ita, ait Hactenus quidem reuelationibus Eliſabeth (ſic enim vocabatur Virgo) fidem adhibui, at nunc timere compellor, eam eſſe receptam, cui talia de omnium mortalium nouiſſimo, prorſuſque inutili; & qui pane, quo veſcitur, dignus non ſit, reuelata ſint. Huiuſmodi verbis ſe ipſum deſpicere, & apud nos, quod erat, diſſimulare ſolebat, ne præclare de illo ſentiretur, hominum laudes deuitare volens. Hactenus ibi de vtroque ſancto, quod vtrumque commendet, Ioſephum, cuius laudes prædicantur; Eliſabetham, quæ eligitur à Deo, vt illis fidem faciat; cuius authoritati ſolus ipſe Ioſephus, in hoc non deferat, in aliis ſemper fidat; cæteri in omnibus fidele teſtimonium, & deuote ſuſcipiant, & venerentur.

4. In libello aureo, quem de eiuſdem Sancti Viri Ioſephi vita, anno proximo M. DC. XXXIX Reuerendus Pater Magiſter, Ioannes Gomez de Caſa ſola, Hiſpane vulgauit, defunctus, non Canonicus, ſed Monachus, neque Præmonſtratenſis, ſed Ciſtercienſis fuiſſe commemoratur. *Euenit,*[e] *inquit, mors cuiuſdam Sancti Monachi Ciſtercienſis, quem Sancta Virgo plurimi faciebat, &c.* Et Paulo infetius. *Poſt dies aliquos precibus inſumptos, atque noctes inſomnes, dum eidem inſtaret petitioni (ſcilicet, vt eius ſibi ſtatus reuelaretur) meruit videre eundem Sanctum Monachum in magna gloria fulgidum, &c.* quod vt non dubito hauſtum ex antiquis (aliàs nequaquam prodeundum à tali viro) ſic à quo hauſerit, hactenus non vidi. Probabile, duplicatam viſionem defuncti duplicis: nec minus duplicatum teſtimonium de laudibus Ioſephi vt in ore duorum ſtaret verbum apud fœminam Sanctam, cuius mox teſtimonio quantumuis ſimplici, cuncti mortales crederent, neque vllum aliud conteſte deſiderarent.

e cap. 51.

5. Appropinquabat tempus glorioſi obitus vtriuſque ſerui Dei, Eliſabethæ nimirum, atque Hermani, quos ſe in vita mutuo diligentes, ne in morte quidem voluit Deus ſepa-

rare

rare. Sed præcessura erat Elizabetha, vt quæ Ioſephum, dum vixit, coadiutorem, & promotorem Spiritus habuerat, poſt mortem etiam haberet laudatorem, & fide dignum teſtem, qui multo plura ſcire de Sancta poſſet, ob continuam cum ea neceſſitudinem; & ea, quæ ſcriberet, credibiliora redderet, ob compertam ſcribentis Sanctitatem. Non tulit Deus, dilectam ſibi ſponſam aliquid ignorare de his, quæ ſe, aut Ioſephum concernebant. Quin potius Angelum ad eam de cælo miſit (niſi ei cohabitare continuo mauis, quod verba magis indicant) per quem ipſa de cunctis, & Ioſephus per ipſam inſtruerentur. Verum quàm illi familiaris Angelus? quàm non ignotus venerit? quæ cum eo colloquia, quam fidenter, quam non fruſtra miſcuerit? demum, quæ illi pro Ioſepho ſolicitudo, quodque Angeli de ipſo teſtimonium? ipſis eiſdem actorum eius verbis, quandiu propria perierunt, quia nulla alia aptiora, promere libet. Ergo, qui vitam Beati Hermani ſcripſit Heiſtelbendenſis Abbas, hanc ſecundam viſionem ita deſcribit. f

f *vbi ſup.*

6. *Aliam quoque viſionem eadem Virgo de Ioſeph habuit, quam illa ſuo mihi ore narrauit. Cum appropinquaret tempus reſolutionis eius, mihi ſane lamentabile, vt quem illa precibus, & lachrymis ſuis ab omni aduerſitate protegere, & in rebus dubiis certum efficere conuenerat, Angelus Domini ait ad eam: Præpara te, breui enim itura es. Sciens illa, quid diceret, quippe quæ ea cauſa Dominum multo tempore ſumma inſtantia eſſet deprecata, & quando, inquit, itura ſum? Illo reſpondente, quod admodum breui ſubiecit Virgo: Ita ne prior ego deceſſura ſum, quam Ioſeph? Reſpondit Angelus. Tu quidem illum antecedes, ſed ille non multo poſt te ſequetur. Tum illa: Dic mihi, inquit, quis vir eſt iſte Ioſeph? Reſpondit Angelus: Magnus plane eſt, & cui in Eccleſia Eiſtelbendenſi nullus par ſit. Illa commemorante fratres bonæ exiſtimationis, qui tunc erant apud Eiſtelbendenſes, ſciſcitanteque, num illos omnes excelleret Ioſeph? Dixit Angelus. Hi quidem admodum boni ſunt, ſed nihil ad Ioſeph. Et quadam vocis contentione, & ſæueritate vtens ſubiecit: Nemo par eſt Ioſeph. Sciæ enim certiſſime, Ioſeph caſtitate, & puritate animi, & corporis, humilitate perfecta, charitate ſumma, & patientiæ longanimitate præcellere vniuerſos: multaque alia de eius virtutibus adiecit.* Hactenus Abbas Heiſtelbendenſis de hac viſione.

7. Periiſſe acta Virginis Glorioſæ in cauſa eſt; vt nihil prorſus de illa ad nos peruenerit, niſi concernens Ioſephum, ſiue Hermanum. Cæterum ex eiuſdem Hermani vita compertum eſt, tam ipſum, quam illius Abbatem, qui vitam eius ſcripſit, affuiſſe in extremis Elizabethæ, atque hunc vltimum extremam vnctionem, ipſo Ioſeph præſente, miniſtraſſe. Demum quanto cum gaudio ipſa obierit, & quam non deſeruerit, vel in morte, piam pro Sancto viro ſolicitudinem: ſic enim idem Author pergit ſcribere. g

g *vbi ſupra.*

Cum autem extremam vnctionem famulæ Dei, præſente Ioſeph, mœſtiſſimus adhibuiſſem, omnibus ſemotis, mihi ſoli dixit: Iam non multa deinceps tecum loquar: ſcio enim certiſſimo impletum iri, quod à Domino per Angelum didici, & ardenter concupiui. Itaque ſub his extremis colloquiis noſtris Ioſeph tua charitati commendo, teque commoneo diligenter, vt modis omnibus caueas, illum vnquam, vel verbo, vel facto perturbare. Infirmitati corporis eius humaniter ſubueni, & quibus poteſt modis ei opitulari, id pro compertiſſimo habens, quod nemo illum impunè exacerbauit etiam in hac vita, vt nihil dicam de futura, vbi pœnas dabit ſempiternas, niſi egerit pœnitentiam. Nam & me ipſam ſentio hic diutius torqueri, quod aliquoties turbauerim eum. Ita Author ille. Ex quibus, vt id etiam obiter notem non immeritò coniectatur Laurentius Surius, eumdem eſſe Abbatem Heiſtelbendenſem: quippe cui Sancta Virgo Eliſabetha commendauit Ioſephum, tamquam patri, & prælato, qui ſolus eius curam, vt ab ea rogabatur gerere poſſet.

Hactenus nota nobis de Sancta Virgine, nam reliqua perierunt, cum eius Actis. Chryſoſtomus Henriquez eam commemorans ad quintam decimam diem menſis Octobris, nominat Abbatiſſam, atque anno M. CC. XLI. obiiſſe ait. Quorum primum ſuſpectum mihi eſt: ſecundum manifeſtè falſum conuincitur. Certe in hiſtoria Ioſeph; vbi de ipſa, nulla Abbatialis curæ mentio fit, quæ ſi illa iniuncta, vix ab authore omiſſam, credere licet. Quod attinet ad annum mortis, conſtat. M. CC. XXXIII. anteceſſiſſe. Quippe in quo Hermanus obiit, quem Sanctæ Virgini aliquanto tempore ſuperuixiſſe, tum ex vita illius, quam ſcripſit, cum iam defuncta eſſet, tùm ex Angeli ad eum reuelatione, de vtriuſque morte facta, nequaquam poteſt in dubium reuocari. 8.

Hoc ipſo anno inſignis pietate, doctrinaque, atque prudentia, & authoritate præcipuus vel inter paucos, Adam, Morinorum Epiſcopus, cum annos X. VI. Eccleſiæ ſuæ præfuiſſet magna cum laude, tandem abdicata paſtorali cura, in Claravalle Monachus factus eſt, ſub Abbatis Rodulphi diſciplina. Hæc illi à multis annis mutatio vitæ extiterat in votis, ex quo funus Matthildis, Elſatij coniugis, Alfonſi primi Luſitani Regis filiæ, ipſius iuſſu deduxit in Claram-Vallem. Porro de hac Adami abdicatione, ita Meyerus. h 9.

h *Ann. lib. 8.*

Anno M. CC. XXIX. Adam. Morinorum Epiſcopus, vix omni vita laudabilis, confectus iam ætate, præſulatu ſe abdicauit, profeſſuſq; eſt Monaſticen in Clara-Valle, ſubeunte in locum eius Petro Archidiacono Flandriæ. Ita Meyerus. Ferreolus Locrius, diem etiam deſignat, quo vale dicens clero, populoque infulis renunciauit. Sic enim ait. i

i *in Chron. Belg. ad hunc ann.*

Anno M. CC. XXIX. Adamus, Morinorum Epiſcopus, poſtridie Feſti Paſchalis Clero, & Populo valedicens, relicto Epiſcopatu in Clara-valle fit Monachus.

Hic *anno M. CC. XIII. (ait Meyerus) defuncto Ioanne, Morinorum Epiſcopo, in locum eius ſubrogatus eſt, ex Archidiacono Pariſienſi, præſul laudatus, atque ſanctitatis opinione conſpicuus.* Quamdiu eam Eccleſiam adminiſtrauit, nihil in Belgio magnum ſine ipſo, cunctis ſimul amando, & reuerendo, anno M. CC. XVII. vnà cum Tornacenſi, & Cameracenſi Epiſcopis, liberationi Ferdinandi Comitis, à Ioanna Coniuge præfectus, multum pro ea laborauit apud Honorium. Anno M. CC. XVIII. Matthilde Comitiſſa vita functa, vnicus teſtamenti eius executor ingentem ſacris ædibus, egeniſque diſtribuit ſummam, & corpus eius deduxit ad Claram-vallem, cum corpore mariti ſepeliendum. Anno M. CC. XXI. corpus D. Oſuvaldi Regis, corpuſque Idabergæ Virginis 10.

l *vbi ſupra.*

filiæ

filiæ (vti accepi, ait Meyerus) Pipini quondam Regis, in Cœnobio D. VVinori trāstulit, præsente eadem Ioanna Comitissa cum multis prælatis, & Cleri, & populi numerosa congregatione. Hæc & alia Meyerus de illo refert, quæ viri ardorem indicant, & qua opinione apud omnes pollebat.

11. Facit & ad ipsius non parum laudem, qui primus, ipsi renuncianti suffectus est, Petrus de Collemedio, insignis Sanctitatis, & gloriæ vir, qui & ipse renunciauit multis Ecclesiis, cum tamen postmodum ad Cardinalitiam dignitatem inuitus licet, tandem promotus fuerit: & eo recusante Pontificatum, Ecclesia eadem vacans per annum integrum, quasi quicumque Petro inferior esset, censeretur indignus, qui Adamo succederet, & vix, qui vacuum eius æqualiter repleret, inueniretur. Certe Ferreolus[m] hæc omnia ita describit. *Post eius, ideſt Adami obitum (corrige abdicationem) Canonici Morinenſes Petro à Collemedio Italo, natione Campano, collegæ ſuo apud Toloſam, contra Albigenſem authoritate Apoſtolica occupato, Epiſcopatum, miſſis legatis, detulerunt. Sed Petrus, qui Turonenſem Metropolim & alias ſedes Cathedrales recuſarat, Morinenſi itidem reiecta, Præpoſitus Eccleſiæ Sancti Audomari fieri maluit; ad quam dignitatem eius loci Canonici, ipſum pariter euocabant. Morinenſes itaque Petrum Donyſium, Flandriæ Archidiaconum, ſibi Epiſcopum elegerunt, poſtquam ſedes anno integro vacaſſet. Sed enim, vt virtus æternum latere non poteſt, Innocentius IV. Pont. Max. (ſedere cæpit anno M. CC. XLIV.) Petrum à Collemedio, in Concilio Lugdunenſi anno M. CC. XLV. Cardinalium Collegio aggregauit.* Hactenus ille; quæ nos occasione Adami, & Monachatus eius, recensuimus. Reliqua eius, ac tandem Sanctam mortem, ac sepulturam in Clara-valle suis locis reddemus pro more nostro.

[m] Ad hunc annum.

---

1. *B. Simonis Alnenſis Conuerſi obitus.* 2. *Antea, nec ſemel à parricidis imminens, ſed Sancto liberato per Dei gratiam.* 3. *An Romam, ad Honorium Papam venerit?* 4. *& quid tunc illi cum quodam Cardinali?* 5. *Illuſtratus intellectus eius diuinitus,* 6. *& reuelata mors.* 7. *Timor, & conſolatio de Cœlo veniens.* 8. *Glorioſus obitus;* 9. *viſiones, & ſepultura.* 10. *Miracula:* 11. *Memoria Sanctitatis, & quædam dubia.* 12. *Atque obiter de ætate hominis dictum.*

CAPVT SEXTVM.

1. INCIDIT in hunc annum Sancta dormitio Beati Simonis Conuersi in Domo Alnæ, quem dudum cunctis gratiæ donis clarum, sed prophetiæ præcipue, admirabantur homines, parebant dæmones, desiderabant Angeli, & longa iam ætate, & morbis fractum, in cælis coronandum præstolabantur. Imminentem iam antea sibi mortem, idque non semel, qua occasione incurrerat, euaserat: quippe cum odia multorum conſciuisset, ob peccata detecta, quæ singula in aliis, non secus atque propria, intuebatur; eadem ipsa, quam concepissent animo detectæ vindictæ, deterrebat eosdem, nec solum assumenda retardabat, sed conuertebat. Vir quidam, Senatoria toga præfulgens, sed intus vlceratam conscientiam habens, ignominioso crimine, in quo notitia culpæ pro pœna foret; cum se à Simone comprehensum sciret, & prodendum timeret, proprij facti pudore velut oppressus, nec confusionem sustinens, quam si detegeretur passurus foret; primum se ipsum: mox, cum id graue nimis appareret, Simonem occidere, & causā sui timoris de medio tollere, diabolo suggerente, deliberauerat. Ergo cum Parricidio consensisset, vocari virum iubet. Ille ad quid vocaretur, non ignarus, nec tamen ideo timens, ad eum vadit. Senator de cubiculo, in cubiculum hominem Dei ducit in secretiori loco sacrificandum: & iam iamque interiora domus peruaserant; cum ecce, trepidante lupo, quamuis feroci, atque irrogandam mortem multo magis, quam agno subeundam formidante, & quid, ait Simon, nunquam facis, quæ facere deliberas? plus tibi inest audaciæ, quam fortitudinis! heri occidere te deliberasti, nec occidisti. Hodie me huc, vt occideres vocas; & non occidis, aut quod facturus es, citius exequere; aut desine concipere flagitia, quæ non audes perpetrare. Tum vero procidens ad illius pedes senator, & iam non ad perniciem confisus, sed ad salutem. Peccaui inquit, in Deum & in te. Sed spero tuis precibus futurum, vt non solum ab hac liberer culpa: sed ab illis, quas timui detegendas. Simile quid cum aliis ei contigerat; & quos non priorum delictorum commonitiones reuocare potuisset, subsequentium conscientia reuocabat.

2. Verū signis induratus adeo esset, vt neq; per hęc media compescereturnon deerant miracula, quæ virū Dei imminenti morti eriperent, homicidas ab ipsa reuocarent. Reprehēderat, asperius quēdā militē de grauib. peccatis, haud dubiū quin quæ prius animaduersa cū omni lenitate, non emendauerat: ille, quæ deprauatorū hominū conditio est medicinā conuertens in venenum; ex correctione truculentior factus, audaciorq; hominē interficere, atq; iniuriā, vt ipse arbitrabatur, ab eo sibi irrogatā certus consilij proposuit vindicare. Simonē adit, sermones cū eo miscet, & Abel iustū, nouus alter Cain in agrū ducit, victimā immolandā manu sacrilega. Non ignorabat Sanctus, quo duceretur, sed nihil ideo timens. Agnus lupo, veluti posset oui coābulabat. Vētū erat ad interiora nemoris, locū aptū flagitio; cū ecce miles descendere Simonē ab equo iubet. Ille nullas subiungens mādato moras; & pro se quidē hilaris; sed pro milite mærens, quē præuidebat nullis suis monitis à sacrilegio concepto destiturū: genib. humi flexis, protensis manib. atq; oculis cælū intuentib. quod rarū inter arborū frondes, conspiciebatur: En, ait, guttur meū, percute, feri; nec te mei misereat, si nō tui, & iā iā gladiū miles exeruerat, quo iugulū Simonis hauriret auide, cū (mirū dictu) stetit immotū brachiū, ac si esset lapideū. atq; capulo gladij defixa manus tenere potuit, nō potuit subleuare, sensit diuinam virtutē in se miles, sensit Simonis merita, atq; ex his efficaciter cō punctus, quē mouere nequibat, proiiciēs gladiū, ad pedes eius procidit, nō vltra ad vomitū canis rediturus. Ferū ab ea die ad Deū cōuersū, in vera pœnitētia atq; Simonis familiaritate vsq; ad exitū vitę permānsisse.

3. Romā adiisse venerabilē Simonē non solū sub Innocentio, sed sub Honorio Papa, inde coniector, quod creati à Pontifice dicuntur in eius vita, qui eū secū adduxerant, Abbates, Conradus, & Gualterus, Pontigniaci hic, ille Cistercij, alter

Sacræ

Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, alter Episcopus sedis Carnotensis;& tamen constat Conradum,Gualterumque creatos ab Honorio,biennio vt minimum à Concilio Lateranensi. Porrò tunc etiam Pontificem voluisse Simonem ipsum Presbyterum efficere, quod ipse recusauerit, eadem eius Acta memoriæ produnt.[a] *Vnde,inquiunt, Pontifex voluit eum ordinare Sacerdotem, vt posset absoluere eos,quorum animas, diuinitus nouerat criminibus irretitas.* Quod cum non acceptaret, saltem concessit. *Vt ab omni peccato,quod ei Dominus reuelaret, à quocumque vellet Sacerdote pœnitentes absolui faceret* Hactenus ibi. Atque hac potestate fruitus est,(dubium à quo concessa)quandiu vixit.

4. In hoc itinere, vt coniector, *cum esset Romæ (ait Author vitæ ipsius) Cardinalem quemdam admonuit super dissolutione duorum nepotum, quos valde diligebat; quippe ætate,& potentia lasciuientes, quod sæpe contingit, de donis Dei impugnabant donatorem. Tum ille de salute eorum anxius rogauit Simonem, vt Dominum pro vtroque deprecaretur.* Ad quem vir Dei; & orabo, & exaudiar, vt confido:& alloquar vtrumque, moneboque: sed iunior,auditis sermonibus meis, illicò conuertetur & resipiscet:alter per aliquod tempus repugnabit: sed & ipse etia tandem ad se redibit. Credidit Cardinalis verbis Sancti, & sicut credidit, ita expertus est. Vterque nepos acquieuit Simonis monitis,vterque resipuit;& quamuis à iuniore præuentus est, vterque tamen se genitum ab eo per orationes, & consilia salutaria incunctanter confessi,appellabant parentem,& quamdiu vixit affectu filiali venerabantur. Crediderim tunc etiam prædixisse ingentem turbationem, Ecclesiæ Dei imminentem à Friderico; quam per lunam apprehensam humana manu,atque ita comprehensam, vt nisi ex duabus extremitatibus,lucem nequaquam dare permitteretur diuinitus sibi præostendi,significauit. Atque hæc quidem prætermissa hactenus nobis, quod proprium eorum tempus ignoraremus, hic saltem, ante fœlicem illius obitum, non immeritò censui præmittenda.

5. Cæterum quoniam diximus Honorium voluisse virum initiari sacris Ordinibus, ne id alicui temere videatur tentatum à Pontifice, in homine Idiota,& qui nullas omnino litteras sciret: proferam adhuc excellens gratiæ donum,quo ab anno M. CCI. hoc est XXVIII. ante mortem, claruisse commemoratur. Nam quotiescumque de Arcanis fidei nostræ,seu quauis alia graui difficultate, sermo inciderat. *Confessus est (inquiunt, Acta Sancti Viri) aliquibus familiaribus suis, adeò se illustratum cælesti lumine,atque donis sapientiæ,& intellectus, vt per viginti. & octo annorum spatium, quamcumque sibi propositam quæstionem facillime dissolueret,atque abdita etiam mysteriorum, sine difficultate penetraret.* Hinc cum Parisiis aliquando peruenisset,atque in scholis, inter earum Magistros,moraretur,audiens illos,& interrogans eos de Sacro Sancto Mysterio Trinitatis: ab eisdem Magistris,super temeritate sua,vt illis videbatur, correctus sæuerius, quod homo illitteratus alta saperet,& super se in mirabilibus ambularet:humiliter,sed fidenter,respondit,dicens:solutionem difficillimæ quæstionis, de qua vobis est sermo, viri grauissimi,inuenietis in tali codice Augustini,in quem, quia hactenus nullus vestrum incidit,difficile ab ea vos expeditis. Illi primum spernentes,mox dubitantes,ad vltimum curiosi indagatores,quæsierunt locum citatum à Simone,inter opera Sancti:& adeo exactum illum inuenerunt,pro quæstione proposita, vt virum Dei illuminatum desuper dubitare nequirent;ex tunc ipsum consulerent,atque omnia,& singula responsa eius,& verba,tamquam oracula,ad eos de cælo missa, venerarentur. Idem contigit cuidam Sacerdoti,cum ad eum tentandum accessisset. Nam prius quam verbum aliquod proponeret;hæc,& hæc,ait Simon,quærere venis:hæc, & hæc cogitasti:atque vtriusq;adeo aptũ responsum dedit,vt Sacerdos compunctus,statim Monachũ induerit in Alna,& anno probationis exacto profiteretur.

Erat Simoni ad hoc tempus prouecta ætas, & 6.
diuturni labores, corpus alias inualidum etiam supra ætatem extenuauerant. Quippe biduannis, triduannisque ieiuniis maceratum frequenter,sæpe & septem dialibus;cum nihil penitus per integram hebdomadam,siue cibi, seu potus degustaret;præter continua opera,& labores, quibus occupabatur;duabus ferreis loricis,cum sanus esset,comprimebat continuò, ex quibus alterã adhærentem carni,vel si grauissima arctaretur infirmitate,ad tempus deponere,velut piaculũ ingens reputabat. Ergo cum iam defectus viribus corporis,dissolui tandem,& cum Christo esse desideraret;quadam nocte, sub initium præsentis anni,ab oratione quiescens,paululum soporatus,vidit,& ecce lectus in quo iacebat à quatuor viris, aspectu venerandis,subleuatus in aëra,quasi ad cælos deferri cõspiciebatur. Tum vero ipse à somno illo euigilans, atque interpretationem eius sine vlla hæsitatione coniectans, statim cognouit dissolutionem sui corporis imminere:& designato loco sepulturæ,quem sibi prælegerat, siue in quo sepeliendum forte præuiderat, fratribus indicauit, se iam dissolui. Ferunt ex tunc frequentes in illo loco orationes Simonis,intempesta etiam nocte, & cælo nunc pluuioso, nunc fulminante: cumque interrogaretur, cur id faceret? instare sibi mortem,respondisse;& illum locum excepturum corpus exanime.

Inter hæc de diuina misericordia,multa fidu- 7.
cia viro; sed multus de diuina iustitia timor; & qui se peccatorem reputabat, vel inter paucos; iratum sibi Deum pertimescens, ob eadem peccata,nihil aliud quã veniam postulabat Aliis pro meritis,reddenda fore premia;sed quid aliud quã pœna manere possit? sed neque hanc deprecari: luat quæcumq; in Deum deliquisset!atque ô vtinam luat, itavt diluat offensam solam in dolore sibi,pro qua,quando potuisset satisfacere?esse rebus creatis modum,& terminos; esse & actionibus. Quod si infinitum adæquari finito nequit, quando eius opera,offensas adæquabunt? Hoc & similia in pectore voluebat inter lachrymas cordis,singultusq; cum ecce ad eum vox de cælo dicens. *Si putas tibi peccata remittenda pro tuis meritis,quid sanguis Christi effusus orbi proderit? scias itaq;expiata illa condigne Sanguine Christi fuso. Tũ tuis meritis repositã coronam,à qua nõ vnquam possis defraudari.* Nec voce miles Christi confortatus neque vltra dubitans, gaudium in morte, requiem in sepulchro, in vltimo iudicio misericordiam, & æternam in cælis beatitudinem, per Christi merita,cum fiducia præstolabatur.

Mense Octobri, declinante iam autumno, 8.
cum in vinculo quodam,iuxta Malbodium, pro suæ domus negotiis demoraretur, in morbum incidit; atque eo paulatim ingraueſcente, cum sibi

sibi instare mortem, non dubitaret, deportari se in Alnam petiit, obtinuitque, in proprio nidulo fœlix morituras. Visiones præcedentes ipsius transitum, & eundem sequutæ, Fratres contristauerunt, & consolarunt. Vix Simon ad Conuentũ deductus erat, cum quidam Monachus, ipsi familiaris, vidit in somnis duos egregios iuuenes in Cœmeterio fodientes, in illa parte loci, quam suo ipse sepulchro destinauerat: vidit, & lucem splendidam, quæ locum ipsum, atque aërem ambiẽtem illuminabat. Non tamen intellexit quid portenderet, donec se quotidie, cum Corpus Christi, ad infirmum deferretur, recordatus visionis, compertum habuit, migraturum Simonem, cuius animam Angeli susciperent, cuius corpori sepulchrum præpararent. Hinc clamor Monachorum, luctusque, quod Simonem amitterent; per quem tot, tantaque in dies à Deo beneficia consequerentur. Ille præcipuè, qui viderat visionem, lugebat amicum, & de propria iactura, quam faciebat; nec instanti eius gloria, nec potentiori apud Deum intercessione, consolabatur.

9. Munitus Sanctis Ecclesiæ Sacramentis, & sui Abbatis accepta benedictione, tum & Fratribus cunctis valedicens, ac se pro eis, ad Deum intercessurum promittens singulis; demum seipsum Saluatori suo commendans, sexta die Nouembris tradidit spiritum ab Angelis ad cœlos deducendum. Porrò cum Monachi omnes, & conuersi amarissime flerent in eius obitu; sed inter alios, & præ aliis Monachis, ille, cui fuerat sepulchrum præostensum, idemmet Sanctus in magna gloria apparens, abstinere à fletu, ac certo scire, se Deo conregnare, serenus iussit, & *O! quam non sunt huius sæculi labores, passionesque condignæ ad gloriam, qua in præsenti fruor, & quæ in vobis, ô filij, reuelabitur, dummodo in Dei, & Virginis amore; atque Ordinis obseruantia perseueretis.* Dixit, & cætui Sanctorum benedicens, vidente illo suo familiari, eleuatus est, quoad à propria ipsius claritate, ab oculis illius susciperetur. Corpus Sancti Sepulturæ mandatum est, in ipso eodem loco, quem præsignauerat; quod auctor vitæ eius testatum habet. Vtrum autem is esset idem ipse, in quo Wericus Prior, Nouitiusque, vterque Sanctitatis fama clarus, de quibus supra diximus, iacebant: an postea crebrescentibus miraculis ad eorum sepulchrum translatum sit? non de facili ausim determinare. Sanè Molanus, in suis Sanctorum Belgij natalitiis, dum virum memorat [c] *Conditum, ait, cum corporibus duorum Monachorum, quorum vnus fuit Nouitius, alter VVerricus Prior, in Altari, ad ingressum Ecclesiæ.* Hactenus ille. Sane quam sibi signauit, sepulturam, in medio Cœmeterio, & cui, nisi subdio adesse non posset, locatum esse, quæ supra diximus, videntur insinuare. Vt credi liceat, inde post translatum, & sub altari ad ingressum Ecclesiæ positum, in signum excellentis Sanctitatis, atque excipiendæ fidelium veneration.

c Febr. 24.

10. Glorioſum tranſitum, miracula glorioſa ſequuta ſunt, ex quibus vnum, aut aliud prodere libet. Erat in Pago ditionis Brabantiæ vir quidam paralyſi diſſolutus, qui à multis annis iacebat in grabato, truncus inutilis. Hic vt in pluribus Beatum Iacobum redderet, non ſolum à morbo patiebatur, ſed ab vxore. Quippe quæ ex illo lenamen nullum habens, ſed laborem continuum, ſumptuſque, aut miſeriæ illudebat, aut morbum, velut culpam, exprobrabat. Coërcentur plerumque metu fœminæ, coërcentur pudore; ſi vtrumque abſit, omnino intolerandæ. Huius, pudore effuſo, timoris, ab impedito viro: & quò ſe altius dolebat tali obſtrictam, eò in illum acerbius debacchabatur. Contigit, vt Simone, recens defuncto, ingraueſceret morbus, & à viri querelis, ſeu lamentis, per dolores extortis, vxoris probra, & conuicia concitarentur. Tum vero ille Sanctitatis Simonis memor, atque aptum ſibi putans interceſſorem, per quem diuinam clementiam imploraret; quas nec cum melius haberet, non potuiſſet, leuare ad cœlum manus, conatus eſt, Simonem voce, Simonem corde ingeminans: & ecce (mirum dictu!), vix nomen Sancti in auribus adſtantium auditum eſt; cum manus agiles, expedita brachia expertus, atque vltro ſe mouentia; clamat miraculum; & cum nouum vigorem, nonas vires per artus ſingulos quaſi diſcurrentes, in ſeipſo ſentiret, è grabato proſiliens, protinus firmas, & ſolidas agnouit vaſſes, & plantas; vigoroſa alia membra, & quæ à propriis officiis ſingulorum, non vllo obſtaculo, ſeu debilitate retardarentur. Igitur ſanus factus ex illa hora, medico ſuo gratus Alnam petit, ſepulchrum Viri Dei deuotus viſitat, collaudans Deum, & prædicans Simonem, per quem tam ingens ſibi beneficium, tam inſperata ſalus collata eſſet.

11. Diuulgato per vniuerſam circa regionem tanto miraculo, dum multi alij infirmi, debileſque implorant Simonem, multa alia nec minora ſequuta ſunt. Ferunt Sanctimonialium diu vexatam à Dæmone impudico, & qui per vim, per minas, per importunas, & crebras vexationes, ad libidinem illam prouocaret; Simonis meritis ab ipſo liberatam, cum magis de eiuſdem quiete deſperaretur. Ferunt, & multa alia ab eo patrata, ſed quæ in præſenti non vacat recenſere. Virum Sanctis Ciſtercij, Belgiique, quotquot de illis agunt, omnes adnumerant. Corpus ſuum in honore eſſe Alnenſibus, atque in maioribus Eccleſiæ ſolennitatibus, veneration publicæ ſimul cum aliis Sanctorum reliquiis exponi; qui Belgium perluſtrauit, atteſtatur Chryſoſtomus Henriquez, in Menologio, [d] addito carmine quodam præcatorio, ad ſeruum Dei compoſito.

d Febr. 24.

Athleta magne Chriſti, Simon Beate, Salue.

Cæterum quod tam ipſe, quàm Molanus, [e] memoriam eius recolunt ad XXIV. diem menſis Februarij, niſi fortaſſe ad tranſlationem referant, vnde hauſerint non potui inuenire. Sic neque quod Henriquez ſolus ait, Simonem filium fuiſſe Comitis Gelriæ; vnde ſumpſerit, neſcio. Nam neque in vita, quam vulgauit Ioannes de Aſſignies, [f] neque in illo compendio, quod Molanus, tale quid inuenitur; ſed ſolum fuiſſe natum claris parentibus. Vitam præter auctores memoratos, à Ioanne Moſcho ſcriptam, vulgatamque Aubertus Miræus prodit in Faſtis Belgicis, [g] ſed diminutam, & quæ multo pauciora contineat, quam ea, quam Aſſignies publicauit.

e *in Natalitiis Sanctor. Belgij.*

f *lib. 3. c. 11.*

g *Nouemb. 6.*

12. De ætate hominis, ingens dubium ſubeſt, ex differentia anni, quo aſſumpſiſſe Ciſtercium commemoratur. Quibuſdam ad M. C. LXI. referentibus, quod putat Molanus: aliis in M. C. XCI. ſi communioribus vtamur caracteribus, facili errore; & vnius ſolius litteræ inuerſione 6 numero, in alium trãſituro. Iuxta priores octuaginta quatuor vixit. Quippe LXVIII. quos in ordine, XVI. ſæculi veniunt ſuperaddendi. Poſteriores, quatuor, & quinquaginta

solos ei attribuunt. Vtrique forsan à veritate deuij, illi dum augent, isti dum diminuunt. Nobis in dubio, dum primo de viro egimus, neuter annus notatus, ne erraremus, sed ille magis, quo iam in Alna esse, nequaquam potuit in dubium reuocari. Sane si alterutris adhærendum sit, præferendi priores, quippe ad grandæuam ætatem peruenisse, quæ de ipso narrantur, magis insinuant.

---

1. *Iacobus Rex in Baleares traiicit.* 2. *Initia belli improspera;* 3. *quæ fœlix tandem victoria est consequuta.* 4. *Visibiliter fauente Christianis Sancto Georgio.* 5. *Dictum de victis,* 6. *& de spoliorum æquali distributione:* 7. *Sed Prælatis Templariis.* 8. *Moncadarum ad Sanctas Cruces deducta funera.* 9. *Et sequutum miraculum.* 10. *Dictum de Raymundo Populetano.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. SEQVITVR Ballearicum fœliciſſimum bellum, à quo Iacobus Aragonensium Rex, illustres illas auspicatus victorias est, quibus postea Cistercium illustrauit. Multis id narrant Miedes, aliique nos breuiorem Hieronymum Zuritam producemus, pro instituto nostro satis exactum: neque grauabimur, si quæ ab ipso omissa, superaddere ex aliis, quædam etiam de nouo in lucem dare. Ergo Zurita rem totam ita prosequitur. [a] *Ingentibus tam naualibus, quam terrestribus copiis contractis Salonio portu, classe, CLV. nauium, quas maiores vocabant, Rex egreditur. Nocturna aura prouectus, in Balearem maiorem nauigat. Ex alto tempestate iactati, reflatu reiiciuntur: sedatisque fluctibus, & tempestate commutata, CC. XI. stadiis ab vrbe deflectentes, Septembri mense insulæ portum tenent, quem Palumbariam incolæ appellant. Primus terram attingit hostium Bernardus Argentona: qui vexillo sublato, vt se sequantur, nostros hortatur: & ex proceribus primi copias exponunt Nunnius, Sancij Comitis filius, Raymundus Moncada, Bernardus Sancta Eugenia, Gilabertus Guillias, & Bernardus Campanus, Templariorum Magister. Dum Rex operitur, vt terrestes copiæ traiicerent, & Onerariæ ex agmine suo per altum dissipatæ consequerentur; cum raptim milites exponerentur, atque omnia agerentur turbate, conserta pugna, nostri ceduntur. Guillelmus Beneharnensis, & Raymundus Moncada, atque octo Moncadarum gentis proceres, & Hugo Mataplana, interiere: & in prima acie nostri profligantur; ac victi pelluntur. In ordinato exercitu coacto, & in ordines deducto, Rex vrbem Castris circumsidet. Cum Rex Clade accepta, satis omnibus instructis, comparatisque ad hostes perrexisset, & locum idoneum statiuis delegisset, ac nostri stationibus quieti tempus tererent, aliquot Castella vicina expugnantur.*

[a] *in Indices rerum Aragonia.*

2. Hæc prima belli pars nostris dolenda, quamuis potitis insula; quippe quæ illis Guillelmi Beneharnensis, & Moncadarum procerum lamentandam iacturam intulisset; & aliàs integra adhuc Regia vrbe, intra quam se Sarraceni continerent, atque opportune erumperent; aut amittenda facile, aut non sine multi cruoris effusione, conseruanda à Christianis, reputabatur. Auertit tamen Deus vtrumque metum, & conuertit in bonum, breui expugnata vrbe, Sarracenis occisis, fugatisque, atque multis ex eis spoliis partitis, quæ victores cũ terra simul diuiderẽt. Quin pro Mõcadis, qui interierunt in eo prelio, ostento miraculo, quod ex duobus ex illis sacris corporibus (sic enim licet, & libet appellare) ad Sanctas Cruces, Cistercienſem domum, deductis, deriuatum ad alios; viuentes, non occisos; nec victos: sed victores, atque in cœlis triumphantes declarauit. Id ex loco concernẽs hos Annales inferius dabimus. Nunc ad Iacobi victoriam glorioſam satis, & Sarracenos fugatos, aut occisos, aut bello captos, in vltima præsentis anni die, in qua vrbs capta legitur, redeamus. [b]

[b] *vbi supra* 3.

Castra cum Castellis nostri, præsidiisque firmassent; & hostes nulli extra mœnia adorirentur, nec quisquam extra portas propellere auderet; aggerem, & vineas agens, turres quoque muro admouens Rex, summa vi obsidionẽ vrget. Quamuis continuus labor, neque die, neque nocte remissus, hostes subegisset, locusque inuadendi vrbem nostris datus esset, qui nulla eruptione impediri posset; in transmarinis auxiliis extremã spem reponentes, obstinatis obsessi animis obdurant. Rex acrius obsidioni insistens, ingenti militum alacritate mœnia vndique aggressus, diuiso exercitu, & in eã partem circũductis copiis, quã hostes tenent, incredibili virtute instat. Qui pro munitionibus pugnant, vix primæ impressione sustentata, proiectis armis, se fugæ dedunt: quibus veterani immixti, decliuem per locum, nullo vltra obsistente, in vrbem inuadunt. Miles tota vrbe peruagatus, prædæ cupiditate incensus magnã stragem edit. Ad II. Kalend. Ianuarij capta vrbs, direptaque fuit. Abohibes, & eius filius terdecim annorum in Regis potestatem venere. Arce, quã Almudenam Mauri vocant, summo viriũ conatu nostri potiuntur: immiti cæde fugiẽtium pariter, & repugnantium. Rex primo, & vicesimo ætatis anno vix exacto, & militari, & Imperatorio munere egregie perfungitur. Hactenus victoria.

4. Mirabile est, quod de illa tradunt, contestante ipso Rege Iacobo, qui res suas commentariis illustratas posteris dedit, ex quibus Bernardinus Gomezius [c] in hæc verba. *Quo die (Iacobus vrbem ingressus est) non Christianorum modo, sed Sarracenorum, qui aderant, testimonio comprobata forma fuit: in prima equestri Christianorum acie, equitem quẽdam fulgentibus indutum armis, equoque, & ephippiis splendentem albis, conspectum fuisse; eiusque aspectu, & pugnandi ardore Sarracenorum animos maximo consternati timore cœpisse: quem creditum est (Regia testante historia) Beatum Georgium fuisse, qui patronus, ac defensor Regnorum Aragonum; in eo conflictu, suis contra Sarracenos adfuit militibus: iis præsertim, qui eius insigne, purpuream, scilicet Crucem Domini gerebant: ea quippe cataphracti specie, & figura, cum in hac pugna; tum aliis multis in prælijs, cum in prima acie, sæpe cum illo insigni victoriæ fuit visus.* Fœlix Iacobo dies, faustusque fœlix Aragonensibus, & deuotione præcipua recolendus; quippe

[c] lib. 7.

quippe in quo consequuta victoria ingens ex numine propitio, aliarum multo plurium auspirium fuit.

5. Rethaboygo Regi (hoc enim nomen ei, qui insulæ præerat, quem Zorita Abohihen nuncupauit) in suo palatio inuento, atque ex fulgentibus armis, & optima corporis habitudine cognito, Iacobus ipse apprehensus eius barbam, quod antea se facturus fidens prædixerat: Noli, inquit, timere, captus à me es, viues. *Eo quod in custodia relicto, pergit Gomezius,* [d] *Iacobus arcem repetiit: quæ protinus ei fuit tradita: inuento ibidem, atque capto filio Regis puero, annos nato tredecim. Is postea Christo nomen dedit, & Iacobus vocatus est, atque in Aragoniam à Rege in triumphum ductus, donisque ac præ aliis multis fuit cumulatus. Tametsi de eius parente Rethaboygo nulla fit amplius in historia Regis, aliorumve Christianorum mentio: cum à Iacobo, neque in Hispaniam translatus fuerit, neque in triumphum ductus: quin imo creditum est, illum in vrbe in vinculis fuisse relictum; ibique situ, & squalore, atque mœrore confectum interiisse. Demum Sarracenorum tanta fuit in vrbe strages, & occisio; vt ad viginti millia occubuisse compertum fuerit; neque inulta quidem; quandoquidem ex nostris quam-multi perierunt.* Hactenus, quæ inuolutè Zurita, Bernardinus euoluit, & fusius, ac distinctius nobis propinat.

6. Victoria parta, distributa militi præda, cui partitioni à Rege præfecti Episcopi, Berengarius Barchinonensis, & Lupus Ilerdensis; additi & quidam proceres; furorem militum ægrè continebant. [c] *Quæ autem in vrbe fuerit auri numerati, & argenti facti, atque signati summa: quæ vasorum, tum vestium, ac etiam equorum, & omnis generis iumentorum innumerabilitas comparata: quæ denique manubiarum, in Regia, & in templis copia vix credi potest. At vero spolia, dempto auro, item argento, & gemmis, quæ facile abscondi, atque negari poterant; neque extorquere à Militibus tutum erat; vniuersa in vnum coaceruari, atque inita olim pacta de diuidendis spoliis Rex obseruari iussit; statimque ea publice sub hasta vendi cœpere: ac pro vniuscuiusque merito, & in bello factis impendiis, ita cuique diuidi.* Verum cum pauci à cunctis inuenirentur sua sorte contenti, conuersi milites in distributiones, quod minus se accepisse querebantur, ab eorum tentoriis ausi repetere, veluti Sarracena, diripuerunt. Ardebat miles, auri sacra fame; & nisi à Rege, comprehensis paucis seditionis capitibus, correctus esset, multo atrociora à seipso pati potuit, quam paulo ante ab hoste passus fuisset.

7. Facit, & ad Iacobi commendationem quod [f] *in ea spoliorum diuisione Rex magnam haberi voluit rationem Fratris Bernardi Campani, præfecti Miravetensis, atque in Regnis Aragonum, Magistri Templariorum, vt diximus, vicarij: ob strenua, præstantissimaque eius, ac multorum equitum sui Ordinis facta, impendiaque. Qua causa eidem, & prædia, & pagi, & locus etiam ad condendum templum & milites quadraginta ipsius Ordinis sustentandos, liberalitate Regis in Insula concessa fuere.* Hæc ad hunc annum, intra quem parata, vt dixi, victoria est. Nam reliqua, quæ post eam sequuta sunt, sequenti, quo euenerunt, promenda erunt. Mirum est in insigni ista victoria, nullam omnino Calatrauensium militum inueniri mentionem, cum numquam floruerint magis, quàm per hoc tempus. Sed Sede, & capite totius sacræ militiæ positis in Castella, & occupatis cum Ferdinando Rege militibus, in finitimorum infidelium expugnatione; qui pauci ad Aragoniam pertinebant per Alcanizium, aut non potuerunt diuidi, aut noluerunt: iunctis viribus, ingens rebus pondus, diuisis, parum, aut nihil allaturi. Certè Calatrauenses per hoc tempus in magno pretio habitos, quas supra dedimus, Gregorij Papæ litteræ satis nobis expresse manifestant.

8. Redeo ad Moncadas occisos ante victoriam, sed post victoriam declaratos à Christo Martyres insigni miraculo, quod in cœnobio patratum Cistercienſi, nequaquam licet silentio præterire. Sunt Sanctæ Cruces insignis Abbatia in Catalonia, in Diœcesi Ilerdensi, à Moncadis fundata, cuius superius fecimus mentionem. Quid de aliorum corporibus sit factum, non est mei instituti inuestigare: Raymundi atque Guillelmi Moncadarum veneranda cadauera, ad Sanctas Cruces honorifice delata sunt, ibidem inter suos sepelienda. Ingenti procerum affinium, & propinquorum comitante caterua, funera deducuntur, occurrunt Monachi psallentes inter lachrymas, quas exprimebat memoria tantorum Principum. Per claustrum ad Ecclesiam peruentum est, neque enim alia ad eam patebat ianua, sed nec nunc pater. Ibi in medio chori constituti, & deposito ad terram vtroque feretro, vt pro vtroque immolarent, aperto libro, officium pro defunctis canere tentant. Res mira, & digna æternum celebrari: qui, introitus MISSÆ, quærebatur: *Requiem aternam:* nulla industria in libro inuentus est. Quin cum per singulas chartas, seu folia, vt vulgò dicunt, aperiretur, in singulis officium pro Martyribus: *Intret in conspectu tuo, Domine, gemitus compeditorum:* Scriptum inueniebatur: atque eo vsque per diuersas partes apertus, idem reddidit, vt Monachi conuicti tanto miraculo, Martyrum tandem officium decantarent. Hæc illius Ecclesiæ constans traditio, quam cum in ea ante triginta annos essem, plus, minusve, à Patribus ad filios deriuatam, à senioribus hausi, neque hic duxi silentio prætereundum.

9. Conseruabatur, & forte hodieque durat, in memoriam tanti miraculi, ad sepulchra, tabella historiam narrans, subiecto versu latino trito, & vulgari, qui necem tantam, & causam necis continet:

Effundunt isti vitam, pro nomine Christi.

Sepulchra ipsa eleuata de terra sunt, ad latus epistolæ; propinqua choro, nam anteriorem partem versus Altare occupant duo Regum Mausolæa; alterum ad latus Euangelij Petri secundi: alterum Iacobi secundi, vxorisque, ad latus Epistolæ. Post quos Moncadæ hunc titulum conseruant vulgari lingua.

SEPVLTVRA DELS NOBLES DON RAMON Y DON GVILLEN DE MONCADA. MORIREN EN LA CONQVISTA DE MALLORCA. EN LO ANNI DEL SENOR DE M. CC. XXIX.

E regione sepulchri Moncardarum, sepulchrum aliud visitur, æque etiã eleuatum, sub hoc titulo.

SEPVLTVRA DE DON FERNANDO SANHEZ. FILL DEL SENOR REY EN IAVME LO CONQVISTADOR.

Ita inter Reges in terra pausant corpora, quorum animæ in cœlis haud dubie regnant.

10. Hoc ipso anno, quantum ex tempore licet coniectari, cum ad Capitulum generale pergeret, nisi alia forte occasio virum traxit, in Firmitate prima Cistercij filia, obiit Raymundus, Abbas Populetanus, Ordine Abbatum XIII. quem alteri Raymundo, in Elnensem Episcopum promoto, diximus ante hoc quinquennium successisse. Successorem Arnoldum sortitus est, huius nominis tertium; quem etiam, in Pontificem assumptum intra biennium Tabulæ illius Ecclesiæ testificantur. Forte Raymundus Gallias penetrauerat, Iacobo Regi auxilia petiturus. Nam ea à Gallis, & Italis habuisse, conueniunt omnes; neque minus aptum tempus huic negotio, quàm Capitulo, fuit Iacobo, vt diximus, traiicienti mense Septembri.

---

1. *Abbas Petrosæ cum Petragoricensi, Pictauiensi Ecclesiæ Ordinandæ præfectus,* 2. *Gregorium consulit:* 3. *ab eodem litteras, & responsum dubiorum accipit.* 4. *Flagitium atrox in Lugdunensem Præsulem;* 5. *cui vindicando Guillelmus Cistercienses, & Abbas Firmitatis destinantur.* 6. *Gregorij litteræ,* 7. *& vindictæ modus impositus.* 8. *Velæ Regis Vngariæ priuilegium.* 9. *Et successio Magistrorum Auisiensium in Lusitania.* 10. *Acta Capituli,* 11. *& Chronologia Abbatiarum,* 12. *dictum de Pietate Dei:* 13. *& tandem VValteri-Brauia, Sanctimonialium domus.*

CAPVT OCTAVVM.

1. DVOBVS malis emergentibus in Gallia circa hoc tempus occurrit Gregorius, qua vigilabat pro commisso sibi grege, sollicitudine; neutri sine Cistercio: adeoque neutrum à nobis omittendum. Elegerat Pictauiensis Ecclesia quinquaginta Canonicos, incertum quo motiuo, cum vix suppeterent sibi facultates, vnde viginti decenter alere posset. Hinc quæsiti ditiones, non meliores; neque qui Ecclesiæ possent deseruire; sed qui non indigerent, ab ea ali. In his multi in puerili adhuc ætate, & qui prorsus inutiles, Canonicorum Pictauiensium titulo videbantur illudere, aut eo nomine, ad alia beneficia, cum per ætatem liceret, disponebantur: alij in aliis Ecclesiis obtinentes diuersas dignitates, aut personatus; nec deerant; qui haberent beneficia cum animarum cura, quibus nulla ratione deesse possent. Ita quo plus ministrorum, minus obsequij; & grauabatur Ecclesia multitudine, quantumuis parum ex ea quisque perciperet; non assistentia, aut seruitio decorabatur. Pauci & quia inepti, ad pinguiora non conspirantes, celebrabant officia: & nec se totos tradebant ministerio, à quo non integre valebant sustentari. Peruenit id ad audientiam Summi Pontificis; & qui possent obuiare tanto malo, duos viros elegit, Petragoricensem Episcopum, & Abbatem de Petrosa, Ordinis Cistercienſis; quibus, vt numerum ad viginti tantum reducerent, si tot in omnibus idonei inuenirentur, aliter alios ab eis substituendos, in mandatis dedit, quæ quantocyus ab eis exequi iussit. Accingunt operi Episcopus, & Abbas, & cum vix inuenirent, quem relinquerent; quippe pueri, verè nulli Ecclesiæ, quia verè nulli poterant; idonei, aliis Ecclesiis deseruiebant; Pictauiensi soli inepti ministrabant; ab ægro corpore horrente medicinam, sub orta vox, vt soli illi non apti censendi essent, qui ignorantes, cum scire debuissent, inuenirentur. Reliquos aptos etiam ad maiora, quibus, fraudandos iure, quia ineptos? & pueris, ignorantiam non imputandam; cum scire, neque eatenus potuerint, & procedente ætate facile possint. Adeò qui semel inualere cœpit abusus difficile euellitur; neque vllas manus vlcus magis refugit, quam Medici, aut Chyrurgi, quasi ipsam salutem exosam habeant.

Nullum Legatis dubium in his omnibus, quippe sapientibus: sed cum se cunctis debitores scirent, tum ne quod facerent, per appellationem suspenderetur; & litigiosis, versutiis interiectis, quod sæpe contingit, veritas obscurata nutare posset; Pontificem consulendum esse censuerunt. Ille incunctanter, submouendos omnes, qui quouis impedimento retardati, assistere nequirent, in responsis dedit. Atque illos solos relinquendos, ex quinquaginta, vel de nouo instituendos; qui non solum idonei, sed expediti assisterent, atque diuinis continuo ministrarent. Ita ad pauciores Ministros reducto numero, creuit obsequium: neque solum meliores, aptioresque, sed plures habuit Ecclesia Pictauiensis, dum pauciores. Extat, & legitur reductionis huius memoria, consultationesque, & responsi Gregorij in Registris eiusdem, ex quibus, quia illæ priores memorant, has solas posteriores promere libet, [a] 2.

a *ex Regist. Gregorij.*

3. *Petragoricensi Episcopo, & Abbati de Petrosa Cistercienſis Ordinis, Petragoricensis Diœcesis.*

Super in ordinata ordinatione quinquaginta Canonicorum, & amplius, in Ecclesia Pictauiensi præsumpta, vobis mandauimus, vt tantæ multitudinis numerum, vsque ad vicesimum, de quinquaginta prædictis implendum, si tot ex ipsis inueneritis idoneos, alioquin de aliis, auctoritate Apostolica, reducere curaretis. Sed cum quidam de institutis eisdem sufficienter beneficiati sint alibi, quorum aliqui Ecclesiasticam obtinent dignitatem, aliqui verò beneficia, quæ curam habent animarum; & quidam in puerili existant ætate: nos consulere voluistis; an tales reputare idoneos debeatis? Cum autem illi sint in Ecclesiis idonei reputandi, qui vtiliter eis possint inseruire: de ipsis vobis taliter respondemus; quod non fuit intentionis nostræ, cum super hoc scripsimus, quod pueri, & beneficiati, qui non possunt in eadem Ecclesia deseruire, in ea debeant idonei reputari. Datum Perusij XVI. Kalendas Augusti, anno tertio. Hæc in primo negotio, quod occurrit.

4. Atrocius secundum, quamuis fortasse ex eo minus nociuum, quia minus serpens. Turbatis adhuc proceribus per Galliam, & fœmininum, quamuis prudentissimum, Imperium Blanchæ auersantibus, nulli secura pax; & singuli priuatas quisque causas, quo iure, qua iniuria pertractabant.

ctabant. Inter rebelles, neque Ecclesiis honor, nec Pontificibus. Quis Archipresulem, totius Galliæ primatem, si credimus Bernardo, Lugdunensem nimirum, aggressus sit, non constat ex auctoribus. Sed inuasum sacrilege, & violenter spoliatum, & captum, ac longo tempore in carcere detentum, cum bona etiam suorum diripuissent: in comperto est, non sine graui scandalo, & Pontificiæ dignitatis desolatione: & obuiabat his malis Ludouicus in quantum poterat: sed puer adhuc, ac pluribus attendens, distractusque impedire, & retractare multa poterat; non pro meritis omnia vindicare: Archiepiscopo, à custodia iam educto, nulla ablatorum restitutio, nulla suis, nulla Ecclesiæ satisfactio exhibebatur. Non tulit tantum dedecus Gregorius: sed, Rege ob publicam pacem dissimulante, vix qui compelleret ad satisfactionem factiosos Principes, aut contra eos auderet, inueniebatur. Placuit consilium, eligere tres viros, qui & gratia valerent apud Regem, auctoritatéque, qua eum ad auxilium sibi præstandum, quotiescumque opus esset mouere possent: & aliàs Venerabiles Principibus, etiam ipsis factiosis, illos compescerent sola verbi efficacia, quæ nullis armis egeret adiuuari. Nullam potentiam firmam, si contemnatur; sed neque auctoritatem integram conseruari, sine potentia. Eant, quos reuereantur, vel peruicaces; sed eant, quos timeant; & contineantur metu, si minus poterunt ratione contineri.

5. Itaque qui vtroque pollerent dono (nam donum etiam Dei gratia Principum) Parisiensis Episcopus, vt coniicere licet, Barthomeus, LXXIV. in Ordine, & duo ex Cistercio Abbates inuenti sunt, alter Guillelmus, communis omnium parens, alter qui Firmitati præerat, Simon, insignis plane vir, & cui multa commissa per hoc tempus, pietatis, prudentiæ, doctrinæque testimonium præbent haud contemnendum. Non tamen iussi ad Principes accedere, quò maior auctoritas, & minus eis periculum inesset: vbicumque commodius conuenirent, vel tres, vel duo ipsorum, inde agere in reos permissi sunt, & vocare per litteras, quantumcumque distantes, præfixa die in mandatis, comparituros. Obstabat lex Concilij Generalis, quæ reos quoslibet, vltra duas dietas, ad comparendum cogi non patiebatur. Sed dispensauit in ea Gregorius Papa; seu iustam causam in enormitate criminis inueniri, siue in delegatorum auctoritate. Extant eiusdem ad illos graues litteræ, ex Vaticano extractæ, quæ & facinus recensent, & modum iniungendæ satisfactionis ipsis permittunt; reseruata Gregorio absolutione, iuxta earum rescripta concedenda. Earundem porrò litterarum tenor est talis. [b]

b ex Regest. Greg. tom. 2. 6.

Episcopo Parisiensi, & Cistercienſi, & de Firmitate Abbatibus, Cabilonensis Diœcesis.

Intellecta præsumptione damnabili, quod quidam Filij Belial in Venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Lugdunensem ausu sacrilego non sunt veriti attentare, tacti dolore cordis intrinsecus vehementi, & in nobis anima nostra multipliciter est turbata. Ad nostram siquidem audientiam eodem Archiepiscopo conquerente, peruenit, quod quidam iniquitatis filij Dei timore postposito, ipsum, eodem, & eius sociis bonis propriis spoliatis, nequiter capere; ac eundem per plures dies, non sine Apostolicæ Sedis, & totius Ordinis Clericalis iniuria, per violentiam detinere pro suæ voluntatis arbitrio præsumpserunt. Nolentes igitur, vt tantæ præsumptionis excessus remaneat impunitus, discretioni vestræ per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus tum eos, qui tanta temeritate, Archiepiscopum non sunt veriti capere memoratum, quam omnes illos, qui eis super hoc consilium, vel auxilium præstiterunt; nec non, & illos, ad quos tempore patrati sceleris simpliciter, vel cum spoliis ipsius, & suorum habuere recursum sacrilegij memorati, tamdiu & vos publice nuncietis, & faciatis, per Regnum Franciæ singulis diebus Dominicis, & festiuis, pulsatis campanis, & accensis candelis, excommunicatos publicè renunciari, & ab omnibus tamquam excommunicatos arctius euitari, donec passo iniuriam satisfecerint competenter; & ablatis sibi omnibus restitutis, eum vestrarum testimonio litterarum ad Sedem Apostolicam venerint absoluendi.

Illos vero, in quorum districtu fuit huiusmodi facinus perpetratum, vel sacrilegi prædicti consistunt, aut bona sæpe fato Archiepiscopo, & suis ablata nequiter detinentur, vt sacrilegos ipsos, ad satisfaciendum præscripto Archiepiscopo competenter & tam ipsos, quam omnes alios, sub quorum iurisdictione, illi qui bona sibi, & suis ablata detinent, commorantur, quod ipsis restituant vniuersa, tradita sibi potestate, compellunt, monere diligenter, & inducere procuretis; ipsos ad id, si necesse fuerit, per Censuras Ecclesiasticas appellatione remota, cogentes: non obstante constitutione Concilij Generalis, qua cauetur, ne quis vltra duas dietas, extra suam Diœcesim, per litteras Apostolicas, ad iudicium trahi possit. Quod si non omnes duo saltem ex vobis, &c. Datis Perusij tertio Kalendas Decembris anno III. Hactenus litteræ. Nec nobis constat, quid per ipsas factum, nisi quod tamen, Archiepiscopo quiescente, & cessante à querelis, resarcita omnia damna credenda sunt: atque illi ita pro iniuria satisfactum, vt Pontificia illæsa auctoritate, Ecclesiasticaque, qui quondam rei, iam tunc pœnitentes, meruerint absolui, atque Ecclesiæ in quam adeò peccauissent, & à qua essent præcisi, reconciliari. 7.

Hoc ipso anno *Belæ, Danorum Rex, (ait Aubertus Miræus* [c]) *Cistercienſibus Fratribus concessit, vt ipsorum visitatores vitæ necessaria habeant apud exactores suos, & villicos.* Cuius etiam indulti meminit Renatus Chopinus [d] in Monastico, & ex ipso alij etiam recentiores. Porrò ipsius indulti hoc est exemplar. [e] 8.

c *in Chron. Cisterc.*

d *lib. 2. fol. mihi 252.*

e *tom. 2. Priuileg. impress. Priuileg. Reg. 8.*

Bela Dei gratia, Danorum, & Sclauorum Rex, omnibus in Regno suo constitutis, salutem, & gratiam.

Significamus vobis, quod misericordiæ, & pietatis intuitu, Fratribus de Cistercio hanc concessimus immunitatem, vt quotiescumque visitatores eorum ad partes nostras venerint, apud exactores nostros, & villicos gratis habeant vitæ necessaria: & in foris, & in portubus super rebus, quascumque comparauerint, vel quocumque modo habuerint, immunes sint, & liberi, à thelonei exactione: & nequis huic nostræ donationi contraire audeat, ipsam sigilli nostri impressione, & litterarum testimonio confirmamus. Quod si quis contra hanc nostram libertatem venire præsumpserit, indignationem nostram se nouerit incursurum.

Datum anno Incarnati Verbi M. CC. XXIX. VI. Nonas Martij. Hactenus Rex Danorum, & Illyrici.

9. Hoc item, aut ad summum sequenti anno, creditur decessisse in Lusitania D. Ferdinandus Roderici, cognomento *Monteyro* Eboracensis Militiæ quartus Magister, quæ ab ipso ad Auisiam Arcem translata, vt supra memorauimus, inde Auisiensis cœpit nuncupari: vnde ab aliquibus primus Ausiensis Militiæ Magister dicitur. Sepultus in eadem domo fuit, ad portam Sacrarij: vsque ad tempora Leonis Papæ X. sub quo ad Nauem Ecclesiæ translatum dicitur, quæ Benedicto Parenti nuncupatur: nec ibi permansurus, quippe hoc nostro sæculo, anno M. D C. I X. ad eiusdem Benedicti Patris Sacellum tumulo decentiori transferendum. Successit illi Martinus Ferdinandi, quintus in Ordine, egregiæ militaris virtutis Dux, de quo multa in sequentibus dicemus.

10. Sequitur vltima huius anni pars; Acta Capituli, & Ecclesiarum fundationes. Et quidem in Capitulo illud rarum post Arnaldum Parentem, quod nulla lex à Patribus nulla lata præceptio, seu prohibitio: siue adeo omnia recta inuenirentur, vt nihil obliquum, siue Guillelmi, & aliorum consilium fuit, moribus insistendum magis, quam legibus; queis, si intimius, & altius perspiciantur, neque iusti indigeant; nec discoli sat valeant coërceri. Relinquenda multa zelo Prælatorum, prudentiæque relinquenda arbitrio: & non quicquid priuatim quicumque peccat, peccari posse ab omnibus, nouo edicto sancito demonstrandum. Vtilius obrui delicta, quam diffundi: & illud per secreta remedia sæpe obtineri: hoc per publica, difficile euitari. Demum quod medicinam humano corpori, hoc reipublicæ leges; tum etiam robur, virtutemque extenuant, cum morbos tollunt.

11. Ecclesias duas accrescentes nostris Chronologia recenset, alteram sub inuocatione Sanctæ Trinitatis, ad VI. Idus Iulij, alteram de Pietate Dei, ad VIII. Kalendas Aprilis. Primam illam, in Etruria, Clusiensis Diœcesis, quæ vrbs inter Aretium, & Oropitum, sub Archiepiscopatu Senonensi, Gratiano Monacho, qui Decretum collegit, illustris fuit. Columba protulit, augentem lineam Ecclesiæ Claræ-Vallis. Dicitur autem Sancta Trinitas de Brandolo, seu de Bridolo, vt habent alia exemplaria, ad differentiam Sanctæ Trinitatis de Ligno, & Sanctæ Trinitatis de Refech, aliarumque eiusdem aduocationis, de quibus, aut supra egimus, aut etiam infra à nobis agendum erit. Est & alia Sancta Trinitas Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Verulanensis, in Prouincia Romana, cuius meminit Innocentius Papa IV. in litteris ad eiusdem Abbatem, aliosque, super Florensis Monasterij, à Ioachimo fundati, & Ordinis totius reformatione. *Datis Perusij tertio Kalendas Decembris, Pontificatus ipsius anno nono.* De quibus suo loco dicendum erit. Hæc omnia porro cœnobia, seu Abbatias, ex aliis institutis transiisse ad Cistercium, neque de nouo pro nostris instituta, ipsa aduocatio videtur significare.

Monasterium de Pietate Dei Guillelmus Parens, ex Cistercio propagauit in Diœcesim Cænomanensem missa Colonia, in qua à Roberto Claudio, inter Galliæ cœnobia, memoratur; & inuenitur etiam in libris Cameræ, ducentorum Florenorum taxam attingens. Fundatores illius nobis incogniti; sed haud dubie illustres, alias Guillelmum nequaquam pertracturos. Iongelinus Berengariam fuisse tradit, Santij Regis Nauarræ filiam, Ricardi Angli viduam, cui etiam Cenomani subiiciebantur. Constat intra biennium à fundatione florentem Abbatiam, & cuius iam Abbati Gregorius I X. graues causas committeret; cum Episcopo Cenomanensi decidendas, litteris datis Reati, tertio Kalendas Nouembris, Pontificatus ipsius anno quinto; quas nos etiam in tempore reddemus. Est & alia Abbatia in Gallia eiusdem nominis in Diœcesi Trecensi, nec diuersi instituti, cuius meminit etiam Robertus Claudius, verum Sanctimonialium non Monachorum. 12.

His duobus virorum Monasteriis ex Auberto Miræo [f] tertium adiungo VValteri-Brauiam, nam alia, quæ ad hunc annum adducit, aut dicta à nobis supra, aut suis locis infra referenda. Certè Argensolium, atque Vallis-Ducis antiquiora sunt: Vallem Comitis, ex ipso vel fundatore, Ottone, Gebriæ Comite, posterius esse constat, quando hoc anno nondum Comitatum adeptus erat, vt ex ipso Myreo ibidem colligitur. Vetum quod attinet ad VValteri-Brauiam, hæc habet scripta. *VValteri-Brauia, Virginum quoque est Abbatia, sita in Gallo-Brabantia. Nomen hoc illi datum à VValtero, illustri Equite, qui ante annos amplius quadringentos cœnobium in vico hereditario nunc cognomine, instituit, iam olim celebre, & Thomæ Cantipratani æuo* Sanctarum Altricem Virginum, integræque pietatis hospitium. *Disciplinam & ædificia per hæreticos vastata restituit Ioanna VVesem Abbatissa, ex Valle-Ducis, per serenissimum Albertum Austriacum euocata. Subest Monasterium visitationi Villarienſium.* Hæc ille, nec nos plura de hoc cœnobio. 13.

[f] In Chron. Cisterc.

ANNVS CHRISTI M. CC. XXX. ANNVS CISTERCII C. XXXIII.

1. Iacobus peste, & suorum discessu minutus viribus, 2. ex Aragonia, & aliunde copias reficit. 3. Sarracenos Montanos ad deditionem cogit. 4. Quos insularibus in mancipia donat. 5. Redux ad Patriam, Populeti se primum sistit. 6. Acclamatur ab omnibus. 7. Populetum repetit. 8. vbi super Episcopatu Maioricensi suborta discordia, 9. per Abbates Populeti, & Sanctarum crucium, ipso compromittente, terminatur.

CAPVT PRIMVM.

1. MVLTAM nobis hoc anno, qui fuit Christi milleſimus, ducenteſimus, trigeſimuſque, Ciſtercij tertius, & trigeſimus ſupra centeſimum Hiſpania noſtra materiam ſubminiſtrat; reduce à Maioricæ expugnatione Iacobo, & nouo matrimonio ante per eum ſoluto, quàm conciliato: defuncto Alfonſo Legionenſium Rege, adeò in Tharaſiam prono, vt eius filias, Berengariæ filio prætulerit, Ferdinando nimirum, atque Regni hæredes declarauerit. Et ſponderat, maiorem natu Iacobo, vt quod iure non poſſet, potentia, & armis, quæ Regibus pro iure, conſequeretur. Demum Tharaſiæ modeſtia, prudentiaque componente ad concordiam diuiſos Fratres, atque id genus aliis, quæ ſigillatim: ſed ante omnia Iacobus Maioricam à Sarracena fæce expurgans, tum ſuis redditus, & Populeti ſe ſiſtens, dicendus erit. Quod olim noſtri in Hiſpania cum Sarracenis, id Sarraceni cum noſtris in Balearibus; amiſſis vrbibus, ad Montana tranſire. Et laborabat Iacobus penuria militum, ex peſte, & ex diſceſſu: illa, quæ ab inſepultis cadauetibus occiſorum in bello, corrupto aëre, non ſolum vulgus, & gregarios milites, ad exceſſiuum numerum: ſed primarios exercitus miſerabiliter interemit. *Nam vno menſe* (ait Bernardinus Gomezius [a]) *Claramontius Alamanius, Perezius Mirtacius, Aragonenſis nobiliſſimus, quin & Cerbellonius, vna cum bellicoſiſſimo Emporitano Comite, cum maximo Regis, atque totius exercitus dolore, de medio ſublati fuere; cum nulli magis, quam ij, qui anteà cum Benearnenſi, & Moncada occubuere Proceres, Regem tum re, & armis, tum conſilio, & fidelitate iuuerint: & in occupanda Inſula pars magna fuerint.* Sed & qui capta, atque direpta vrbe, opimi ſpoliis, ſteriles victorias faſtidiebant, velut qui peſtem ingruentem fugerent, quotidie ad Cataloniam reuertebantur.

[a] lib. 7.

2. Senſit Iacobus, ſe à ſuis deſeri: nec prohibuit tamen, quæ magnanimitas cordi illius inerat: verum, ne in ea ſtuporem deſtinaret, defectu prouidentiæ, *Petro Cornelio, pergit idem Auctor* [b], *Magiſtro equitum mandauit, vt capta ex Regio ærario ſumma centum mille victoriatorum, in Aragoniam proficiſceretur; indeque conſcripta cohorte centum quinquaginta equitum cataphractorum, maturato ad ſe, cum ea remaneret: ac præ cæteris Athum Focium, & Rodericum Licianam, Barones præſtantiſſimos, qui Regia etiam ſtipendia, & honorariis potiebantur, ſecum adduceret: propterea quod creſcentibus Regnis, neceſſe eſſet ad ea conſeruanda, augeri quoque copias, & exercitum. Quæ cum diligenter à Cornelio perficerentur, ac præter illos, multi etiam cum Cornelio, in Inſulam venirent, exercitus magna ex parte ſuppleri cœpit.* Acceſſit ad eiuſdem robur exercitus Hugo Follalquerius, Magiſter equitum Ordinis Hoſpitalis, quindecim comitatus eius equitibus. *Quem Rex, pergit Auctor* [c], *excepit benigniſſimè, eo amore, & honore ipſum, eiuſque Ordinem proſequutus, vt tametſi prædiorum omnium facta fuerat diuiſio, vixque reliqua eſſet portio; nihilominus ſua quoque Hoſpitalariis equitibus triginta, ſaluis aliorum portionibus, pars contigerit, perinde ac Templariis paulo ante fuerat conceſſa. Hæc autem portio magni fuit habita ab Hoſpitalariis, qui tametſi nouiſſimi ad Inſulam veniſſent, nec oppugnationi vrbis interfuiſſent, pari tamen cum Templariis præmio à Rege donati fuerint.* Nihil Iacobo vtilius, nihil Inſulæ, quam Templarios, Hoſpitalarioſque in ea manere: ſtrenuos milites, atque pellendis reliquiis Sarracenorum, & propugnando loco præ aliis habiles. Et Iacobum in omnes liberalem, ſed nihilominus, ſibi ſemper prouidum; vbi proprium negotium agebatur, liberaliorem decuit apparere.

[b] vbi ſuprà.

[c] vbi ſuprà paulò inferiùs.

His copiis inſtructus inclytus Rex, ſolarium primum, Almarainchumque, & Baialbaharium, quæ oppida, Montanis conuicina, Sarraceni munierant; mox inde pulſos, in cauernis montium latentes, atque ex abditis obuerſarum rupium, multis miſſilibus Chriſtianos vulnerantes; per incendia, cauearum oſtiis iniecta, fumo, & igne, & latebrarum ſitu expugnat: atque dedi coactos mancipia facit, & ſibi & ſuis, ſi vita illis donatur, obſequutura. Mille quingentos prodiiſſe ex vno antro, produnt hiſtoriæ, qui boum decem, ouium triginta millia Regi obtulerint: minor ex aliis numerus, proportionata ex cunctis præda fuit. Rex cum exercitu, & ſpoliis, captiſque, vrbem ouans ingreditur, atque in gratiarum actionem totus effuſus, iubet ſurgere Templum in quo diuina, ex vera religione, atque ritu Chriſtiano celebrarentur, non ſibi ſe nuncupare victoriam illam; quam à Deo accepiſſet, Deo reddendam: ſed neque propitium ad alias habiturum, ſi hac abuteretur; & eſſe adhuc Sarracenos in Hiſpania, quos ipſius vellet auxilio ſuperare. Relatum mox in communi, de Sarracenis, qui capti in prælio eſſent, quive dediti: an remanere in Inſula permitti, an in Cataloniam, Aragoniamque deduci conſultius foret? Terram, ſi relinquatur ſine cultore, inutilem relinqui, in ſolitudinem breui redigendam. Quid agri ſibi poſſint, quid poſſeſſiones, ſi deſint

Coloni? An ipsi à signis ad aratra transeant, & munia bubulcorum subeant, qui modo Ducum? Sed nec si faciant, sufficere se terræ; paucos, immensæ: nec si sufficerent, deficientibus Incolis, relinqui quibus serant, aut quibus metant. Quanto enim certius, atque indubitabilius est, sine hominibus fruges redundare? An per tot maris, terræque labores, per tot pericula, id vnum consequantur, vt sibi seruiant; & neque qui laborent ipsis habeant, neque à quibus lucrentur: nec præsentem fortunam quantumnis tristem, vlla meliores spe valeant consolari? sterilem omnino esse victoriam, vbi victi non seruiunt. salutem ex inimicis, quæstum ex hostibus, ex aduersariis obsequium adipisci; vnicam, summæque victoriæ gloriam, quæ vel in Christo meruit commendari.

4. Hæc contra alij, mancipia semper infida, & nisi diuidantur, metuenda. Nihil charius homini propria libertate: quam si quacumque via moliatur, non se iniurioſum putat, non infidelem: sed naturalis iuris, à quo liberi omnes, assertorem, vel fugam, si proueniat, virtuti tribui; quanto magis vindictam; & rerum amissarum restaurationem? Exulceratos à recenti iactura animos, si inter se, si à patria diuidantur, facilè induraturos: at coadunatos in ipso natali solo, quo se spoliatos vident, queruntúrque; quidni exardescant, & grassentur in inuasores? Licere id sibi ex diuersa religione, ex accepta iniuria; demum ex rei propriæ, quæ ab alio detinetur, vendicatione. An Sarracenis in vituperio sit, quod nobis, talia passis, in laude foret? aut vituperium, si esset, verebuntur, qui ad vltimam miseriam peruenerunt? Sed esto, soli non audeant rebellare; quam longè distat Africa? An non inde euocare Sarracenos, eiusdem cum eis Sectæ, facilè erit? Quæ vis, si veniant, resistere illis valeat, inter hostes domesticos; à quibus aduenæ notitiam terræ discant, atque infirma locorum, vrbiúmque; & quibus arma præbeant, quæ auidè conuertant in proprios dominos? Eant potius ad Regna, ipsis ignota, & dispersi per vrbes, neque torqueantur à præsentia boni, quod amiserunt, nec se inuicem acuant, accedantque; demum neque vlla eis spes affulgeat, ex qua ad res nouas valeant incitari. Atque hoc quidem salubrius consilium erat. Sed præualuere priuatæ vtilitates, vt solent plerumque; & animus Iacobi generosus timere nescius, quos ditauisset, noluit contristare. Relicti in Insula Sarraceni sunt, Christianorum mancipia, per quos colerent agros, atque alia opera laboris exequerentur.

5. Rebus ita ad Maioricam compositis, *ad V. Kalendas Maij*, ait Hieronymus Zorita [d], *Rex Palumbariæ portu soluens, in Cataloniam transmittit.* Ibi ante omnia Virgini se sistit in Cistercienſi domo Populetana, iam tunc animo Monachus, atque inter Monachos pro acceptis tot beneficiis humiles Deo gratias relaturus. At quanto gaudio, quanta deuotione, ab Arnaldo, & Conuentu susceptus sit, quis stylo, aut verbis valeat enarrare? Bernardinus Gomezius hæc tantum habet [e]. *E portu soluens, secundo vento post diem tertium, portum non longè ab ostio Iberi tenuit. Verum tempestate subito exorta, non mari Tarraconem, sed terrestri via, cœnobium Populetanum adiit, vt gratias Virgini, & Matri Sanctissimæ immortales ageret; eique supplicationes per vniuersa regna sua, ob tam fœlicem rerum euentum decerneret.* Hæc tantum ille. Crediderim celebrata victoria cum suis Monachis, Barchinonem, aut alio diuertisse, eandem cum Proceribus Regni, & Procuratoribus Vrbium celebraturus. Nam Populeti, à currente mense Maio, mansisse vsque ad Nouembrem, quamuis auctores supponere videantur, non de facili possum persuaderi.

d In Indice Aragon.

e lib 7. in fine.

6. Vbicumque fuerit, solemni acclamatione exceptus, è prisco more Balearicus salutatus est. Et mansisset hoc illi forsan nomen, si non aliis Prouinciis expugnatis, à qua præcipuè agnominandus esset, incertum foret, & melius omnes comprehendi viderentur expugnatoris nomine, Hispanè: EL CONQVISTADOR; quasi tot armis eius concessissent, vt sigillatim non possent designari. Illud compertum, à Maiorica acquisita, Iacobum in terrore Sarracenis, Christianis populis in admiratione, periclitantibus adeo in spe fuisse, vt vltro à multis sollicitaretur, quasi solus oppressos, & inualidos de manu potentiorum liberaturus. Audi Bernardinum Gomezium hæc scribentem [f]. *Balearium Maiore, eiusque vrbe expugnatis, Iacobi nomen, gestarumque ab eo rerum longè, lateque peruagata fama, eo vsque increbuere; vt quo magis Sarracenis Regibus odio ille, atque terrori esse cœpit; eo quidem glorioſius à Christianis Principibus, non in amicitiam modo, & auxilium; sed in adoptiua vocari meruerit. Nam & Toletanus Rex, Afrorum potentissimus, bellum toties ad recuperandam Insulam indictum, inferre nunquam est ausus: & Romanus Pontifex, ac vniuersa ferè Italia, à Federico Imperatore, vt mox dicemus, oppressa, eius auxilium, præsidiumque implorauit: & Sanctius Nauarræ quoque Rex, eundem, adoptandi gratia, ad se vltro accersiuit: vt vno simul tempore Iacobus, & triumphum ex Sarracenis: & beneuolentiam à Christianis, & gloriam denique ex omnibus reportarit.* Hæc ille: de quibus nos inferius aliqua.

f lib 8. initio.

7. Florebat opinione Sanctitatis Bernardus Caluonius, quem dudum, magnæ spei adolescentem cunctis se substraxisse, atque in Illustri cœnobio Sanctarum Crucium Monachum induisse commemorauimus: & iam creatus Abbas eiusdem domus, communi omnium consensu, per vniuersum Regnum celebrabatur. Itaque paucis in diuersis negotiis, peractis mensibus, Rex Populetum redit, quo & Sanctum Abbatem ante alios, tum Regni Episcopos, Procereſque vocat: omnium Sanctorum in eo Monasterio, cum eis, solemnitatem celebraturus. *Festo omnium Sanctorum die*, ait Zurita [g], *ad Populetum sacrorum celebrationi assidet.* Ibi post sacrificia, & orationes, vt piis etiam operibus litaret, de erigenda Episcopali Sede in Insula Maiorica deliberat; multis subortis in illius creatione difficultatibus, quas Regis pietas, constantiaque vicere: sed non sine Cistercio compromissa in Arnoldum Populetanum, nec non & in Abbatem Sanctarum Crucium, controuersia vniuersa, quæ cum Episcopo, & Ecclesia Barchinonensi, qui soli resistebant, suboriebatur. Rem totam narrat Hieronymus Zurita, tacito compromisso, quamuis vtrumque Abbatem interfuisse, & vtroque mediante, concordiam sumptam, quæ post modum firmata per instrumentum, tam erectioni Sedis, quam Pontificum eius electioni

g In Indice Arag.

terminos

terminos præscribebat, memoriæ prodit, atque in eius verba [h].

h vbi suprà. S.

In controuersiam, & disceptationem Regi cum Berengario Episcopo Barchinonensi venerat super Ecclesia in Maiori Insula constituenda: & Episcopo, qui illi præsideret, deligendo. Id enim ius Episcopus, & Conuentus Ecclesiæ Barchinonensis ad se spectare contenderant. Eius donationis causa, quam olim Sarracenus qui Balearium Insularum, & Dianij dominabatur, fecerat: qua ditionem eam Episcopo Barchinonensi, & Conuentui eius Ecclesiæ detulerat: cui donationi, & Comites Barchinonenses, & Archiepiscopi, Episcopique consenserant: & à Sede Apostolica firmata, atque stabilita fuerat. Sed omni ope, & opera enitente Rege, animaduertentes Ecclesiastici Ordines Barchinonenses, quod pro frequentia, atque cultu maioris Insulæ, equum esset, vt Sedes Pontificia eo in Regno constitueretur, quam Rex pollicebatur, affluentibus copiis ditare, voluntati Regiæ paruerunt; & interuentu Abbatum Populeti, & Sanctarum Crucium, & aliorum, ad eam pactionem deuentum est, vt ea in Insula Episcopus crearetur: & Sedes Pontificia constitueretur. Is verò eo tempore primus ad eam dignitatem adsciscetur, quem Rex perficiendum videret: cautumque, vt ei nominationi assentirent: eo vero defuncto selectio eius, qui in mortui locum sufficeretur, à Barchinonensi Episcopo, & Clero in posterum regio permissu, è gremio Ecclesiæ Barchinonensis, aut Maioris Insulæ: aut ex alia Ecclesia fieret: modo ne vltra duos menses ea selectio differatur. Ea res Populeti ad VIII. Idus Nouembris sancitur. Episcopi Maioricenses nuncupati. Primum ad eam dignitatem adscitum memorant Raymundum Torrellian. Ita Hieronymus Zorita in suis Indicibus.

Porrò quem vocat Abbatem Sanctarum Crucium, non alium à Beato Bernardo fuisse, inde facilè licet coniectari, quod Bernardus in Episcopum Viguensem tres intra annos legitur promotus, vt suo loco dicemus. Cum tamen constet Monasterio Sanctarum Crucium non tres tantum præsedisse, sed multo plures.

Bernardinus Gomezius compromissum, quod in Annalibus Zurita etiam agnoscit, expressius prodit, simulque reliqua Populeti Acta, atque Regis discessum, atque ex eiusdem Regis Commentariis, scripta reliquit. *Idcirco*, ait [i], *Abbarum cœnobiorum Populetani, & Sanctarum Crucium Ordinis vnius modi, quos Rex arbitros constituerat, sententia fuit, vt Apostolicæ Sedis decreto Episcopatus in Insula constitueretur, eique Ecclesiæ propius Pontifex præficeretur: cuius prima electio ad Regem spectaret; sequentium vero, perpetuo ad Episcopum, & Canonicos Barchinonenses: modo tamen, de gremio eiusdem Collegij illa fieret: aut nullo ibi inuento idoneo, de Balearico eligeretur dignior; idemque seruaretur Ordo in Ecclesiis Minoris Insulæ, & Ebusi, si contingeret, aliquam erigi in Episcopatum. Ad hæc litteris suis Rex mandauit profecto Insulæ, vt quam primum Templum maximum in Vrbe; in aliis autem oppidis per multas ades sacras, atque in Pagis Sacella, Regiis sumptibus ædificare curaret. Quibus peractis, Rex è Populeto cœnobio proficiscens, Illerdamque præteriens, in Aragoniam peruenit, vbi maximo applausu ab omnibus Aragonensibus, sed à Cæsar-Augustanis potissimum cum triumpho exceptus fuit.* Hæc ad hunc annum de Gestis Iacobi Regis, quamuis de nouis ab eo tentatis nuptiis, sed intermissis à morte Alfonsi, Regis Legionensis, sequenti capite pauca dicenda erunt.

i lib. 7. in fine.

---

1. *Alfonsi Legionensis victoriæ de Sarracenis*, 2. *atque ad Sanctum Iacobum peregrinatio, & mors.* 3. *Contrarij effectus in Tharasiam, & Berengariam*, 4. *Illius filia Iacobo antea sponsa*, 5. *post mortem Patris spreta.* 6. *Bellum imminens super Regni successione:* 7. *in quo suspecti Episcopi.* 8 *Sed Tharasiæ consilia præualuere.* 9. *Inita concordia.* 10. *Dictum de Sanctia, maiori natu filia*, 11. *& de sorore Dulcia; & miraculis Sancti Antonij Patauini.*

CAPVT SECVNDVM.

1. DVM hæc in Aragonia peragebantur, in Castella, & Legione turbata omnia à morte Alfonsi Regis, quem non minus victorem de Sarracenis, nec minus Religiosum morbus abstulit, cum relaturus pro adeptis victoriis gratias, ad Compostellam deuotus properaret Lucas Diaconus Tudensis auctor est [a], cum Ioannes Cardinalis Sabinensis peragraret Hispaniam, *Inter cætera, quæ Sanctè gessit, Reges Christianos contra Sarracenos concitasse. Vnde Rex Legionensis Adelfonsus cum exercitu suo, & parte exercitus filij sui, Regis Ferdinandi obsedit Caceres, oppidum fortissimum Barbarorum, & cepit illud.* Et post pauca. *Sequenti vero anno obsedit Ciuitatem Emeritam, & cepit eam.* Et post immensam Barbarorum stragem, qui illustrem Vrbem recipere aduentarant. *Tunc Rex Alfonsus à victoria reuersus, obsedit Badajozum, & post paucos dies cepit ipsum.* Porrò, ne his domesticis victoriis, quæ nostris vtiliores, quamuis fortasse in orbe minus illustres, auxilij de cœlo missi, quod habuisset Iacobus, gloria deesset; *in ipso bello, pergit idem Auctor, visibiliter apparuit Beatus Iacobus cum multitudine militum ablatorum, qui Sarracenos in manu valida prosternebant. Beatus etiam Confessor Isidorus quibusdam apparuit Zamoræ, antequam Emerita caperetur, & bellum fieret: & dixit eis; se ad auxilium Adelfonsi Regis cum Sanctorum exercitu properare, & quod sibi dictam traderet Ciuitatem, & de Sarracenis Campalem præberet triumphum.*

a In Chron. mundi ad hunc ann.

2. His victoriis illustratus Alfonsus Rex, his de cœlo auxiliis gloriosus, ad propria redux; quod Populetum Iacobo Aragonensi, vt fisteret se Virgini; vt se gratum Iacobo exhiberet, id illi Compostella, atque Apostoli ipsius sepulchrum fuit. Verùm *cum causa orationis*, ait idem, qui supra Lucas [b], *ad Ecclesiam Sancti Iacobi Apostoli properaret, in Galleria, in loco, qui dicitur Villanueua de Zemos grauiter ægrotauit: & accepta ab Episcopis pœnitentia; & corporis, & sanguinis Domini*

b vbi supra

mini Sacramento, morte pretiosa decessit: & in Ecclesia Beati Iacobi Apostoli, iuxta partem suam est honorificè tumulatus. Rexit Regnum fœliciter quadraginta duobus annis. Obiit Æra M. CC. XLVIII. octauo Kalendas Octobris. Hæc de Alfonsi victoriis, morteque commemorata breuiter, quibusdam aliis, quæ Annales nostros concernunt, parabunt viam.

3. Susceperat Alfonsus ex Tharasia filium, & duas filias; illum legitimum Regni successorem, si patri superuiueret, eadem lege, qua Alfonsus Aragonius, Iacobi filius, etiam post matrimonium patris direptum, nihilominus legitimus declaratus est, atque in Regno parentis successurus. Nec enim minus bona fide genitus, nec minus declaratus hæres à patre fuit. Verum eo per immaturam mortem rapto, solæ filiæ superstites, quamuis natu maiores Ferdinando; at Ferdinandus priuilegio sexus, sororibus veniebat præferendus. Et dignus erat Regno propriis virtutibus, atque obsequio in parentem, quantum suo iure saluo, præstare poterat. Sed effectus; à ratione plerumque deuij: & Alfonsus aliàs egregius Princeps, fatali quadam vi, vt in Tharasiam pronus, sic à Berengaria auersus; neque aliter vtriusque proles prosequebatur; siue facilis esset, in credendo, quod vitium Mariana illi impingit: siue insito cunctis appetitu, vt nitantur in vetitum, sed in Principibus longè potentiori. Fœlix profecto matrimoniis Rex supra omnes mortales, si sibi temperasset. Quippe duobus, duæ illi contigerunt beatissimæ fœminæ, sanctæ, prudentes, pulchræ, neque steriles, quibus vix inueniri meliores possent. Sed nihilominus eisdem infestissimus (adeò incertæ res hominum) quippe quam libuit, non licuit retinere; quam licuit; non libuit: separandus ab ea, quam diligebat, atque illi permittendus, quam non amabat.

4. Igitur Ferdinandum, non secus atque matrem, exosum habens, arcere Alfonsus à Regni successione, atque Tharasiæ filias anteferre, quibus poterat modis meditabatur. Sed cum id nunquam in pace prouenturum, Ferdinando viuente, non ignoraret; & fœmininum sexum prorsus imbelle facilè ab ipso per arma superandum; Sanctiam, maiorem natu, locare viro, qui ius eius tueretur, consilium fuit, neque alium quam Iacobum in Hispania, cui tantum possit negotium commendari. Regibus vtile, plerumque pro honesto; & Regnum Legionense citra Pirinæos montes antiquissimum, ab Hispania amissa, ingens cuicumque incrementum censendum fore. Esse Iacobo ætatem florentissimam, erectum animum, gloriæque percupidum, opes ad belli sumptus sufficientes; & quod in ducibus magni semper momenti fuit. Beneuolam fortunam, promptamque, quæ pro industria & peritia militari, pro ingentibus copiis esse solet. Nullam illi amicitiam cum Ferdinando, cuius amitam spreuerit; atque has affinitates, si permaneant, non conciliare animos; si dissoluantur, etiam alienare. Acceptaturum hanc compensationem, pro Aragoniæ oppidis, quæ Eleonora tenebat, titulo dotis. Non displicuere nuptiæ Iacobo Regi, quandiu vixit Alfonsus. Quis enim Regnum sperneret, maximè post susceptum hæredem ex alio thalamo? & Alfonsus tam tenax promissi fuit (nam odij in Ferdinandum non licet credere) vt moriens filias hæredes declarauerit. Quod in Rege non solum Christiano, verum, & pio, & qui Episcopos assistentes sibi habuit, cum ægrotaret, mirandum foret; si non id Regibus malum commune esset; vt quia cum possunt, veritatem audire nolunt; cum volunt, non possint: & qui illis assistunt, blandiri sueti, nunquam non blandiantur, semper illudant. Certè quos primos consultores Alfonsus habuit, cum testamentum condidit; eosdem primos filiarum desertores ex alto vidit, quod nos etiam statim recensebimus.

Quæ nuptiæ placuissent viuente patre, cuius auxilio Regnum, quod solum quærebatur, stare posset; post eius obitum Iacobo displicuerunt: siue reuera Ferdinandum timuit; siue parando sibi per arma Regno (& non aliter poterat) consultius duxit Sarracena inuadere, & terræ suæ confinia, quam Christiana, atque distantia loco; cum maximè illa, cum egregia laude, & merito; hæc, non sine remorsu, & sui nominis nota aggrederetur. Meminit huius sponsalitiæ actionis, à Iacobo Aragonio prætermissæ, Hieronymus Zurita in suis indicibus ad hunc eundem annum totidem verbis [c]. *Nuntij de Alfonsi Regis Legionensis morte Regi offeruntur: qui filiam Sanctiam natu maiorem, quam ex Tharasia Sanctij Portugaliæ Regis filia genuerat; nuptui Regi traditurum pollicitus fuerat, tanquam Regni hæredem: cum Ferdinando Filio, quem ex Berengaria Regina, iusta vxore, ac Sanctissima fœmina susceperat, Legionensis Regni hæreditas veniret.* Ita quod ad Iacobum Regem attinet. [c] In Indicibus Aragonia.

5. At non adeo procliues in Ferdinandum Proceres Legionenses; seu charitate in Principem defunctum; siue, quod ego propius vero reputo, quia Regnum, si diuideretur inter sorores, facilius sibi exponi diripiendum, ad quod plerique aspirabant, intuerentur; Sanctiam, & Dulciam Reginas proclamabant. Hinc Mariana [d]. *Proceribus Regni non idem animus erat. Plerique sorores sequebantur: & aderant factioni oppida, & vrbes, magnumque aliquod malum ex eo dissidio impendere videbatur.* Rodericus Ximenius Toletanus rebellionem appellat; sed cuius multi complices; & fortè, quod surgebat ex testamento, vrgentius ius putabant, & Regnorum vnionem, seu confusionem, vt Legioni nociuum, auersabantur. *Sorores*, ait [e], *Domini Regis, Sanctia, & Dulcia rebellionem cum complicibus præparabant.* Illud compertum, Reginam Berengariam adeo pro filio sollicitam extitisse, vt cum ille, audita morte patris ad oras Bæthicas, vbi fœliciter Mauros expugnabat, retardaret aduentum; ipsa nec litteris, nec Nunciis, quamuis fidelibus, & magnæ auctoritatis, fidendum duxerit; sed personaliter iter arripuerit ad reuocandum filium; ne pars sororum per moras inualescens, nulla mox posset potentia superari; & peruenit ad oppidum Orgaz, sexto à Toleto lapide, nisi ibi habuisset obuium Ferdinandum, Giennium vsque haud dubiè processura. [d] lib. 12. cap. 25. [e] lib. 9. c. 14.

7. Extinxere subortam tempestatem interuentiones duplices, aliæ admirandæ, si præteritis componas; laudandæ aliæ. Qui ægrotanti, & condenti testamentum, in quo filius hæredes instituisset, Alfonso Regi affuerunt Episcopi; hi in vtramque sororem insurgentes, Ferdinando adhæserunt. Atque illum in Regno sublimarunt. Narrat, qui cunctis affuit, Rodericus, Pontifex Toletanus, totidem verbis [f]. *Sed tamen Regni Prælati,* [f] lib. 9. c. 14.

Prælati, quorum interest Regnum & Sacerdotium contueri, in auditu auris Regem Ferdinandum in Regem illico receperunt, scilicet Ioannes Ouetensis, Nunius Astoricensis, Rodericus Legionensis, Michaël Lucensis, Martinus Salmantinus, Martinus Mindonienſis, Michaël Ciuitatensis, Sancius Caurienſis. Hi omnes cum suis Ciuitatibus, patre mortuo, filio se dederunt, nec rebellio cogitata potuit inualere. Nam quam citò venimus Maioricam, Regi se protinus reddiderunt. Hactenus ille: neque ego factum ausim condemnare; quod ipse laudat: sed si hoc ex iustitia esse putabant, blanditos Regi, nec testamentum eius direxisse, cum ipsum absoluerunt; aut absoluisse, si corrigere renueret; qui excusem, non habeo; nisi fortè affuisse alios dicamus, aut assistentes latuisse testamentum, quod non facilè possum persuaderi.

8. Cæterum vt constantia Episcoporum reuocanda in dubium; sic Tharasiæ modestia, zelusque, cunctorum Principum imitatione dignus, laudandus venit. Quippe, cum primum imminere bellum Fratribus, nec, nisi fuso sanguine Christiano, controuersiam de Regno dirimendam, perpendit animo; non Sanctium Lusitanum, nepotem, adit, vt prouocet ad bellum pro consobrinis; non ipsa classicum contra priuignum canit, vt olim contra Fratrem, non arma ciet; quin potius filias, ad priuatam vitam componit, neque tanti esse Regnum, vt per tot clades veniat acquirendum, multis propositis rationibus, persuadet. An Legionensem pubem, & Castellanam, quas in communes hostes armari vellent, in se inuicem arment; & vtramque perire patiantur, cum incolumen possint conseruare? Tot Christianos periculis obiicere, nimis grande coronæ pretium esse? Quæsierit Ferdinandus sibi Regnum dispendio boni publici: ipsæ è contrario vel dispendio proprio bonum commune quærant: & vt ab ipso, vt de Regno armis certarent, initium fuerit; ne certent, penes eas exemplum eat. Gloriosiorem victoriam de seipsis, quam de hostibus esse; & hanc cruentam, dubiam, neque innocentem: illam, si velint, innoxiam, & certam fore. Eat in sæculum, cum vincere potuerint, noluisse certare; & Regnum Fratri, vtrique genti pacem, hostibus veniam, suis incolumitatem; atque vtrisque, ne alios, aut cum scelere vincerent, aut ab eis vincerentur cum ignominia; & potuisse conferre, & liberaliter etiam contulisse.

9. Assensere consiliis parentis filiæ, nec quicquam se facturas, nisi quod iusserit, aut quicquid fecerit, ratum habituras, in responsis dant. Tum vero ipsa egressa Monasterium, neque vltra morata, Berengariam ad vltimos Lusitaniæ fines vocat; atque in Valentia, ad Minium fluuium oppido, conueniens vtraque, post varios pacis, concordiæque tractatus, illa filiarum nomine, Legionensi Regno, & iuri, quod ex patris testamento illis competeret, liberaliter cedit: hæc è contrario Ferdinandi vices agens, sorori vtrique ad aureorum triginta millia, ingentem planè summam pro illo æuo, annuatim persoluenda pacta legitur. Ita inita concordia inter vtramque; quam filiis gratam, ratamque habentibus, etiam Gregorius nonus confirmauit, litteris ad sequentem annum datis, quas Brandaonius [g] adducit sub hoc initio. *Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis in Christo filiabus, nobilibus fœminis Sanctiæ, & Dulciæ, filiabus charissimæ nobis in Christo filiæ, Reginæ Dominæ Tharasiæ, salutem, & Apostolicam benedictionem, &c.* Meminit & interuentionis matris ad hanc concordiam Ioannes Mariana verbis sequentibus. *Viuebat,* air [h], *eo tempore Tharasia, Sanctia, Dulciaque Mater: veneratque ex Lusitania, vt filias re, & consilio iuuaret. Ab ea primum de ineundo fœdere per Legatos mentio facta. Valentiæ, quod oppidum in Calaecis est, Reginæ parentis, atque Nouercæ, Berengariæ, & Tharasiæ mutuo colloquio dirempta controuersia est. Regiæ sorores Regni iure cesserunt Fratri, triginta aureorum millia annua pacta, vnde vitam illæ principalem sustentarent.* Hactenus ille. Constat ab hac concordia Ferdinandum nouercæ etiam addictum, ne dum sororibus, plurimum illi obsequium præstitisse, cuius indicia, productis instrumentis, idem, qui supra, adducit Brandaonius eodem loco; obseruantiam, quam habuit erga sorores, Tudensis etiam Lucas memoriæ prodit. *Supererant*, ait [i], *duæ nobilissimæ sorores suæ (id est Ferdinandi) filiæ Regis Alfonsi, quas genuerat ex Regina Tharasia, Sanctia, & Dulcia; quas semper habuit in magna reuerentia, donans illis, dum viuerent, annuatim triginta millia aureorum.*

h *lib.12. cap.15.*

i *Idem vbi suprà.*

10. Mutua inter Fratres pace stabilita, imo inter Regna, & vrbes, Tharasia ad suum Lourbanum reuersa est, filiæ Legione ad tempus permansere; & Sanctia quidem religiosam vitam professa in Monasterio Sanctæ Eufemiæ, Diœcesis Palentinæ, quod Iacobeæ militiæ Moniales inhabitabant, commendatricem traditur egisse (sic illæ superiorem suam appellant) ingenti ibidem miraculo conuersa, si qua fides historiis [k], quod non licet silentio præterire. Cum locum illum fortè pertransiret, nihil minus cogitans, quam propriam conuersionem; quin nec pausare, aut quiescere ibi volens: quæ lecticam ferebant animalia, ad portam Monasterij stetere immobilia; nec manuducta, siue cæsa fustibus, discesserunt à loco, quoadvsque ipsa manum Dei sentiens, ac matris memor, descendit Monasterium ingressura. Tunc animalia cum lectica vltro abire, quasi illic mansura, quam asportauerant, non vltra eorum obsequiis indigeret. Floruit insigni opinione Sanctitatis, quam hodieque conseruat; quin nostro sæculo altius radicatam fidelium cordibus. Translatum corpus, Philippi III. iussu, ad Vrbem Toletanam, incorruptum inuentum, imò & viuidum: cum nullum medicatum præseruatiuis, ante CCC. annos sepultum esset. Iacet Toleti, in Conuentu Sanctæ Fidei eiusdem Militiæ, in Sacello D. Mariæ Betlehemiticæ, vbi & de illius miraculis inquisitum, ad instantiam Monialium, Antonius Brandaonius [l], & alij testificantur. Atque hæc de Sanctia.

k *Brandon. lib.14. c.12.*

l *vbi suprà.*

11. Dulcia, seu dulcis (*Aldonciam* Hispani dicunt) quæ natu minor erat, post annos aliquot transiit in Lusitaniam, charitate in matrem, siue tædio nouercæ: quod semper inuisum propinquitatis genus, nulla valet prudentia dulcorari. At non Lourbanum cum Tharasia inhabitauit; sed aulam cum Sanctio, cui adeo grata fuit, vt illam inter proprias filias, & viuens habuerit, & moriens, tabulis signatis, hæreditauerit. Inde reuersa ad Regnum Legionense, in Monasterio S. Mariæ de Villabona, quod mater condidisset, vt nos etiam dicemus sequenti anno, Cistercienſem tandem habitum induit, in quo & Sanctissimè vsque ad

g *lib.14. cap.12.*

ad mortem perseuerauit: Matri in cunctis persimilis, nisi quod tamen traduxisse vitam cœlibem, ac Virgo permansisse credita est. Inter miracula Sancti Antonij Patauini, insignis Lusitani, duo narrantur, patratum vtrumque in duabus puellis Regiis: altera, filia Reginæ Legionensis, natione Lusitanæ, quam à morte post triduum suscitauit, & matri reddidit: altera, Lusitanæ Reginæ, Tharasiæ nomine, quam nondum mortuam, sed iam iam morituram, ab ipsis Orci ianuis reuocatam, integræ statim saluti, quasi nil passa esset, restituerit. Vtrumque referunt Auctores Franciscani, Lusitani, & exteri: atque ex ipsis Fr. Lucas VVadingus [m]; & primum quidem in Sanctia factum putat, quamuis subdubitans; secundum in Dulcia patratum certo affirmat. Illud compertum, quibus ex tempore, & aliis circunstantiis talia miracula possint conuenire, præter filias Tharasiæ, nullas fuisse: illis, vt omnia nequeant adaptari; at possunt multa: & facilius credendum in aliquibus, quæ minus ad rem faciunt, potuisse decipi, quam in cunctis decipere voluisse, graues Auctores; & quibus plena fides habeatur, vel ab incredulis. Certè aliquid grande contigisse, dubitari non potest; & quidquid fuerit, vt meritis Antonij, sic ad instantiam, & fidem Tharasiæ matris, atque in eius filiabus factum fuit.

m *Ad annum.*

---

1. *Iulianæ Cornelienſis mira viſio.* 2. *Labores corporis, & vitæ auſteræ tenor.* 3. *Amor vſque ad deliquium mentis, & corporis.* 4. *Eximia puritas, cœlestium contemplatio,* 5. *fruitioque:* 6. *de animarum ſalute zelus ingens,* 7. *oſtenſus per miracula.* 8. *Compaſſio, & in omnes tentatos miſericordia.* 9. *Euam per Euangelium Chriſto generat.* 10. *Non ſolis viuis, ſed defunctis prodeſt.* 11. *& ieiunium per triginta annos protractum.*

CAPVT TERTIVM.

1. HIc nobis iterum incidit memoria Beatæ Virginis, Iulianæ Cornelienſis; & occasione cuiusdam visionis, quam ab hoc anno habuit frequenter satis; quæ à tenera eius ætate, de qua proximo Tomo, de ipsa narrantur, ad illum vsque veniunt recensenda. Visionem ipsam Ioannes Diesthemius Blerus, Prior Sancti Iacobi Leodiensis, atque Bzouius [a] ex ipso, aliique memoriæ prodidere verbis sequentibus. *Circa annum Domini M. CC. X X X. in Epiſcopatu Leodienſi, iuxta Ciuitatem Leodij in hoſpitali leproſorum, quod vulgariter vſque hodie, locus Cornelij Montis dicitur, fuit Virgo omnium virtutum flore renitens, nomine Iuliana. Hæc ab ineunte ætate ibidem nutrita, quadratim ad virtutum, ac etiam ſcientiarum culmen per Dei gratiam aſcendit. De cuius Virginis humilitate, obedientia per mentis exceſſum fuiſſe rapta, atque ſpiritu prophetico euidentiſſimè claruiſſe, adeo vt proximorum cogitationes, atque cordium intentiones proderet. Hæc luctabatur cum Diabolo, loquebatur cum Apoſtolis, fulgebat miraculis. Itaque cum hæc Sancta Virgo à primis Infantiæ annis ſemper ſeſe orationi manciparet, crebro vidit, & quaſi ſemper ſuo aſpectui inter orandum ingeri mirabile ſignum, ſcilicet Lunam quaſi in ſuo ſplendore, cum aliquanto tamen ſui orbicularis corporis fractione: & videns mirabatur, & timebat, neſciens, quid hoc ſignificaret. Vnde nitebatur totis viribus præfatum ſignum amouere, nec valuit.* Pergit Auctor ad declarationem eiusdem visionis, impetratam à Deo post multas preces, quæ glorioſiſſimæ, deuotiſſimæque feſtiuitatis Sacramenti Euchariſtiæ, annuatim in Eccleſia celebrandæ, initium fuit. Sed nos priusquam ad ipsam accedamus, quæ Diesthemius de Virgine confusè, & velut generaliter; aliquanto distinctius, productis singularum rerum exemplis, nonnullis etiam ex tempore notatis, qua breuitate licuerit, proferemus.

a *Ad hunc annum n. 16.*

2. Attenuauerat Venerabilis Virgo vires externas à tenera ætate, tribus præcipuè modis: labore corporis; maceratione carnis, ardore mentis. *Cecidit igitur Iuliana*, ait Auctor vitæ ipsius [b], *adhuc in ætate iuuentutis conſtituta, in multam corporis debilitatem, quam & habuit diebus omnibus, quibus vixit.* Et alibi [c]. *Tria itaque fuerunt, quæ à iuuentute ſua vires corporis eius exhauſerunt, labor ingens, quem habuit, dum pecorum curam gereret; frequens compaſſio Dominicæ paſſionis, & vehemens amor Creatoris ſui.* De corporali labore dictum supra: de continuis ieiuniis, vigiliisque, atque id genus aliis pœnalitatibus, quibus Christo patienti compatiebatur, id vnum nobis dixisse satis sit, quod conuersa in naturam præ assuetudine, prorsus iam illi molestiora essent (quæ aliis in subsidium) quam ipsa austera, & aspera esse possent. Nam audi quod sequitur [d]. *Cum autem non ſolum non traheretur appetitus aliqua voluptate, ſed ſola cibi memoria ſaturaretur, ſæpius rogauit Dominum, vt ſaltem aliquid cibi poſſet ſumere, ne in admirationem cunctis gentibus verteretur, ſi ſine cibo corporali viueret. Vnde hoc tantillum, quod ſumebat, apud Deum precibus impetrauit. Solebat etiam dicere fidelibus ſuis, quod comedere, bibere, & loqui, præ omnibus rebus ſibi erant oneri. Victum autem illius tenuiſſimum, & propè nullum, ſimilis propè nullus, & tenuiſſimus comitabatur ſomnus.*

b *cap. 11.* c *cap. 15.* d *cap. 12.*

3. De victu, & somno hæc; neque alia ratio de cunctis aliis fuit. Porrò ab ardore cordis defectum corporis velut continuo experta, nonnunquam etiam decumbere lecto, aut ad illum deferri, impotens sui omnino compellebatur. *Iacebat*, ait [e], *aliquando Iuliana in dormitorio, & diuino amore mirabiliter æſtuabat: ita vt veraciter dicere poſſet, illud Canticorum.* Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum, vt annuntietis ei, quia amore langueo [f]. *Decubuerat ſiquidem lecto, non alio profecto, quam diuini amoris languore; Moniales vero, eam laborari infirmitate corporali credebant.* Et paulò inferiùs, cum ante oculos haberet Christi imaginem. *Nimio*, ait [g], *correcta dolore, ex memoria Paſſionis Chriſti, in terram corruit, & defecit. Eua verò (recluſa hæc erat Sancta, de qua inferius) accepit eam in vlnas ſuas, & ipſam in lectulo reclinauit. Cupienſque ipſius dolorem, vel pellere, vel lenire, dixit ei. Quieſcite Domina mea, quoniam dolor Paſſionis Chriſti*

e *cap. 23.* f *Cant. 2.* g *cap. 25.*

Christi iam abiit, & receſſit, ſed tamen ipſam paſſionem ſuſtinuit. Cumque poſt paululum, per feneſtram ſibi propinquam, oculos in cœli figeret firmamento, rapta in ſpiritu, tam mirabiliter extitit, vt nullo ſigno vitæ, in ipſa permanente, credi poſſet veraciter expirare.

4. His tribus cauſis, extenuatis omnino viribus, ceſſare ab externo labore coacta eſt; ſic diſponente Deo, vt expedita à Marthæ ſollicitudine, orationi, meditationique; atque aliis exercitiis vitæ contemplatiuæ, cum Maria vacaret; & in terra diſtans, nihilominus in cœlis conuerſaretur. Nam & quæ Angelis homines coæquat, & familiares facit, incorrupta Virginitas, adeo in Iuliana viguit [g], vt *Nunquam ſentire permiſſa ſit, vel primos motus carnis libidine titillantis.* In hoc fortaſsè ſubæqualis Angelis, quibus quia nulla pugna, nulla victoria. Sed eo maior puritas, quo non ſolum à ſordibus, ſed à periculis ſordium immunes viuunt. Itaque, quod labori detrahebat, contemplationi dabat, in qua adeo profecit, vt colloquia Sanctorum, Chriſtique, altiſſimorumque myſteriorum notitiam promereretur. Ferunt, cum in eiuſdem Euæ recluſorio mente exceſſiſſet, atque in ipſo exceſſu, pallida aliàs ora, languidaque, in candentia lilia, atque roſas vernantes mutata eſſent; dum oculos chriſtali inſtar lucentes, cœlo defigeret, auditam loqui cum Petro, & Paulo Apoſtolis: à quo colloquio, cum poſtmodum rediret, & videret recluſam ſibi adſtantem; ad eam velut, quæ cunctis affuiſſet, dixiſſe: Eamus; atque illa interrogante. Quo ergo ibimus? Reſpondiſſe Iulianam, Romam ad Apoſtolos; ne ab eorum diſceſſu, cum præſentia, alloquio etiam carere compelleretur. Memorant, & in quadam ſolemnitate Aſcenſionis Dominicæ, adeo illuſtratam fuiſſe cœleſti gratia [h]. *Vt plenitudinem (nam verba Actorum exprimam) angusto corpore non ferente, quæ circumstabant timore cogerentur, ne diſrupto corporis vaſculo, per medium, ſcinderetur. Audiebant autem (mirabile dictu) Iulianam colloquentem, & Dominum collaudantem, einſque vocem clarè percipiebant ſine oris apertione, ſed ſolo pectore eam proferente.* Et capite ſequenti [i]. *Cum aliquando vnam ex Canonicis horis cum alia Religioſa perſolueret, dixiſſeque illum verſum Hymni, videlicet.* Præſta Pater, per Filium, præſta per almum ſpiritum; *& vſque huc accederet; fixis oculis in cœlum, vlterius quicquam dicere non potuit, ſed defecit ad intuitum Trinitatis, raptaque per mentis exceſſum ad ſublimia contemplanda, ad ineffabilem arcanorum illius ſuperne ciuitatis, quam fluminis impetus lætificat, notitiam admiſſa eſt.*

5. Referam per anticipationem oſtentum aliud illuſtrationum, quibus perfundebatur, quoties diuina myſteria contemplaretur [k]. *Cum Iuliana tempore quodam ante ſuum obitum, in Salſinia, Abbatia Monialium Ciſtercienſium, moraretur, quadam vice cum Venerabili eiuſdem loci Abbatiſſa, de dulcedine huius Cantici proferebat. Et cum Abbatiſſa inſtaret, vt illa eam, quam circa hoc ſentiebat, dulcedinem, aliquatenus eructaret; Iuliana repente, veluti inebriata ſpiritu, in hæc verba prorupit. Parum eſt Domina, quod ſentio, ſed pro tanto auro, quod capere poſſet hæc, in qua degimus Abbatia, nollem, prout mihi donatum eſt à Virgine Maria, ſuper ipſius Cantico, quod ſapio non ſapere, quod ſentio, non ſentire. Quod audiens Abbatiſſa mirata eſt. Verum cum Chriſti famula poſtmodum ea, quæ veluti in exceſſu mentis dixerat, pectore retractaret; cœpit eam pœnitere, quod tale verbum protuliſſet. Vnde ſequenti die, cum Abbatiſſa loquens de verbo, heſterno die, prolato, ſupplici ter veniam precabatur; obſecrans ob hoc, quod in charitate dixerat, ne eam accuſaret.* Multa alia narrantur, in eius Actis, quæ longum eſſet, in præſenti recenſere. Illud compertum per hæc, & ſimilia dixiſſe Dieſthemium Blerum, crebro in cœlum per mentis exceſſum raptam, alloquutam Apoſtolos, & cætera, quæ ex ipſo ſuperius commemorauimus.

6. At non ob hæc contemplationis munera, perfectionem actionis omittebat Iuliana, magis induſtria, in melius commutabat. Quippe quam olim pecudibus paſcendis, mulgendiſque, animabus lucrandis operam dabat. Extat de hoc illuſtre teſtimonium in eius vita, quod miraculo inſigni, atque multiplici confirmatum à Domino, non pigebit ad litteram tranſcribere [l]. *Frequentabatur*, ait, *quædam Ordinis mulier à quodam importunè improbo, quam non modicum Chriſti famula diligebat. Hæc autem frequentatio erat contra voluntatem eius, quæ hominis illius ſpiritum cognoſcebat, nec non & mulieris. Admonuit ergo hæc fœmina hominem ſæpius, vt à colloquutione eius deſiſteret; qui tamen ſurdis auribus eius admonitionem audiebat. Cumque die quadam acceſſiſſet, & rogatus noluiſſet abire, zelo religionis accenſa, duas perſonas vocauit, quæ illum recedere compulerunt, eius improbitatem, & ſtultitiam exprobantes. Ipſe vero repulſam hanc æquanimiter non ferens, iracundia inflammatus, cœpit religioſam fœminam inhoneſtatis, & turpitudinis arguere, ac mendaciter infamare. In via tamen, qua gradiebatur, ore ſacrilego virus vipereum mendacij iaculando, diuina vltione in terram corruit correptus morbo graui, & agritudine repentina; qui ſimul cognitione, & memoria priuatus, ad propria velut exanimis delatus eſt. Quod audiens prædicta mulier, inconſolabiliter cœpit contriſtari, quod hoc illi miſero, etſi non culpa, cauſa tamen ſua accidiſſet: præſertim cum illum in ſtatu ſalutis, non confideret comprehenſum.*

7. *Miſit ergo ad Chriſti Virginem Iulianam, rogans eam omni affectu, vt diuinam Clementiam precaretur, quod illi homini ſic punito, cognitionem, qua vel pœnitere poſſet, tribuere dignaretur. Alioquin ſciret, cor ſuum, nunquam pacis ſolatium habiturum. His auditis Chriſti Virgo, ſicut tota pietatis viſceribus affluebat, dilectæ ſuæ dolenti condoluit, & in virtute orationis clamauit ad Dominum, & quod deprecabatur impetrauit. Placatus ſiquidem Dominus Ancillæ ſuæ precibus, reſtituit flagellato memoriam, & cognitionem, non ſolum qualem antea habebat, ſed cognitionem ei contulit veram, & illuminatam, cum munere voluntatis in melius commutatæ. Quibus ille receptis compunctus eſt corde, publicè proteſtans, ſe de bona muliere per omnia eſſe mentitum, ſpondens, ſi conualeſceret, ſe de reatu mendacij ab ea veniam precaturum.*

turum. Vt autem veterem hominem cum actibus suis exueret, accersito Christi Vicario confessus est, spiritu mentis suæ cupiens renouari. In breui autem tempore post purgationem, & sanitatem mentis, reddita est etiam illi sanitas corporis. Qui totus sanus factus, ad prædictam mulierem redire, & antiquas vias voluit iterare. Sed religiosa mulier prouida futurorum, licet hominem speraret ex antiquo in alium commutatum: timuit tamen, ne processu temporis, pristinos mores resumeret inconditos. Misit igitur denuo ad Christi famulam, rogans, & obsecrans, vt Dominum exoraret, & hominem illum à voluntate mala custodiret, & in bono statu, quem idem sua pietate dederat, conseruaret. Quid multis moror? Leuauit Iuliana puras manus in oratione ad Dominum, &, quod petiit, obtinuit. Nam Dominus, qui homini punito sanitatem, sanato bene agendi contulerat voluntatem; subtraxit insuper ab illo ferè omnium rerum cognitionem; quæ ad suam æternam salutem minimè pertinebant.

8. Addam & alia, facientia ad hoc propositum, quæ partim in communi, & generali, partim specialiter narrantur in eius vita [m]. *Compatiebatur mirabiliter Iuliana proximis suis, qui tentationum procellis vrgebantur, vt veraciter cum Apostolo dicere posset* [n]. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Vnde cum aliquæ personæ familiaritatis commercio, seu deliberationis desiderio, ad eam venientes, tentationes, seu grauamina eidem vero corde, humiliter, & absque hypocrisi reuelabant: & ipsa secundum gratiam diuisionum spiritus, quem à Domino acceperat, cognosceret, quia ita erant; passiones huiusmodi, per nimiam mentis compassionem, sibi arctius assumebat, & tanquam proprias ad Dominum deferebat. Nec apparebat in conspectu Domini vacua, sed effundebat, sicut aquam, cor suum coram ipso, cum munere deuotæ orationis, & effusione lachrymarum copiosa. Et vt ad misericordiam præstandam tribulatis, & afflictis moueret diuina viscera pietatis, corpus suum absque misericordia duris verberibus affligebat, nec requiescebat spiritus eius, donec ipsa persona à tentationibus liberarentur.* Hactenus ibi: atque hac ratione, ab spiritu accidiæ, Reginam quandam; ab spiritu tristitiæ, Sanctimonialem Cistercienſis Ordinis, per orationes; sic plures alios à variis tentationibus liberasse commemoratur.

m *cap.* 31.

n 2. *Cor.* 11.

9. Verùm, quæ illi in maiorem gloriam cedit, Venerabilis Eua, recluſa Sancti Martini Leodienſis, cuius supra meminimus, & quam per Euangelium Christo genuit, vt ait Diesthemius Blerus [o]; demum quam promouendæ festiuitati Sacramenti Eucharistiæ, sociam habere voluit, obtinuitque: & cui soli concessum est videre, per Ecclesiam, promotam, & extensam; hic etiam nobis venit referenda. *Hæc siquidem*, aiunt Acta B. Iuliano [p], *in ætate floridæ iuuentutis constituta, amore Christi tacta, recludi desiderauit. Sed nihilominus, vt est humanæ fragilitatis, territa est sublimitate propositi. Quo cognito Iuliana inanem timorem ab illius pectore verbis potentibus effugauit, & ad confirmandum propositum, exhortationibus ipsam efficacibus animauit. Iam enim tunc mutua inter ipsas dilectio habebat exordium, quæ & postmodum, crescente vtrimque religione, indeficiens reperit incrementum. Ingressa est igitur angustias recluſorij Eua, vt carnem suam spiritui liberius subiugaret, fructusque spiritualium bonorum percipere posset. Ingressa tamen fuit hoc pacto, quod dilecta exhortatrix eius, ad minus semel in anno, ipsam visitare deberet.* Hactenus ibi. Ergo Iuliana, quod operibus externis, pro virium tenuitate, minus dabat; spiritualibus proficiens incrementis, commutabat in melius, dum indulgebat saluti proximorum, & tot Deo animas, tot animabus Deum conciliabat.

o *Apud Ezouium hoc ann. n.* 16. *art.* 5.

p *cap.* 19.

Non solum autem Virgo Sancta viuis, sed & defunctis profuit, nullum misericordiæ opus omittens, nullis se non beneficam ostendens, qua charitate in omnes, qua apud Deum gratia, quæ notitia pollebat necessitatum [q]. *Cum quadam vice, obitum cuiusdam mulieris, sibi charissimæ, per reuelationem cognouisset, continuo pro illius anima persoluit cum lachrymis vigilias defunctorum. Defuncta vero, Dei permissione apparuit sorori, quam habebat, & dixit illi, quod per orationes Iulianæ non minimam partem euaserat tormentorum. Quod illa audiens, Beatam Virginem visitauit, atque obitum sororis suæ nuntiauit illi, ad quam Iuliana Noueram, inquit, ego bene decessum illius, pro qua dixeram vigilias, tota liquescens in lachrymis. Tunc recordata est mulier verborum sororis suæ, quæ ei apparuerat, videlicet vigilias B. Virginis Iulianæ sibi plurimum profeciſſe.* His, & aliis operibus Iuliana, non sine fœnore, actiuæ vitæ labores compensabat. 10.

q *cap.* 24.

At non omisit præ defectu virium corporis, quod vnum potuit, ieiunium continuare. Quin, quo debilior, eo in victu parcior erat, velut quæ à quouis vel paruo suffocaretur. Ferunt à triginta annis ante mortem, adeoque ab anno M. CC. XXVII. continuasse ieiunium, nullo interruptum die, neque vllis precibus, aut medicorum consiliis interrumpendum [r]. *Ante obitum suum per triginta annos, & amplius, omni tempore ieiunauit: tempus autem refectionis suæ Vespera erat. Tam modicum vero, imo tam nihilum sumebat, vt omnes, qui hoc nouerant, firmissimè credere possent, corpus eius pro defectu, vel tenuitate nutrimenti breuissimè ruiturum, si non pariter agnouissent, in ipsa Sanctum Spiritum habitare: corpusque ipsius simul cum anima inuisibili potentia sustentare.* Pergit Auctor de ieiunio Virginis plura, verum nobis ad præsens dicta sufficiant. Atque hæc quidem de Actibus Iulianæ. Nunc iam de donis, præcipuè prophetiæ, & miraculorum, quibus eximiè floruit, aliquid etiam breuiter dicemus. 11.

r *cap.* 12.

1. *Illustris prophetiæ dono Iuliana*, 2. *occulta cordis Euæ manifestat.* 3. *Salutem illi in vtroque prædicit homine.* 4. *Distantis Clerici pericula agnoscit.* 5. *Hedvvigi recluſæ multa reuelat.* 6. *Impurum dæmonem oratione fugat.* 7. *Restituit oculum prominenti carne obstruſum.* 8. *Quibus Actibus communis hostis inuidens*, 9. *ſenſibiliter infestat Virginem Sanctam.* 10. *Ignominiam reportans, & confuſionem.*

CAPVT QVARTVM.

1. ILLVSTREM prophetiæ dono Iulianam, illuſtrem miraculis, multa, & illuſtria exempla commendarunt; nec nobis animus cuncta recenſere; ſed pauca eligam, ex quibus facilè alia coniici valeant, & de prophetiæ dono dubium nullum, vt enim habet auctor vitæ ipſius [a]. *Multa priuſquam euenirent, ventura, prophetico ſpiritu prædixit. Multa etiam, quæ iam euenerant, quæ nec vidit, nec referri audierat, per eundem ſpiritum reuelauit. Nonnulla in momento, quo in remotis locis fiebant, fieri nunciauit. Status multarum perſonarum ſpiritu cognouit; ſecreta inſuper cordium ſe cognoſcere manifeſto indicio declarauit.* Hactenus ille, velut generaliter, nullum omnino prophetiæ genus omittens. Cæterùm in ſpeciali hæc, quæ ſequuntur [b].

a cap. 18.

b cap. 20.

2. *Cum quodam tempore ad chariſſimam ſibi Euam veniſſet, ab ipſa recluſa cum omni deuotionis hilaritate recepta eſt. Iuliana vero ſemper cogitans, quæ Dei erant, aut orationi vacabat, aut diuinis laudibus inſiſtebat, ſeu etiam cum ipſa recluſa de ſalutaribus, & ſpiritualibus colloquiis conferebat. Inter loquendum autem cœpit aliquando ab ipſa recluſa poſtulare, vt ſibi vellet abſcondita cordis ſui patefacere, ac reuelare. Illa vero nouitate petitionis huius ſtupefacta, cœpit aliquo modo hæſitare. At Chriſti famula. Quid eſt, inquit, O Eua, putas te mihi celare abſcondita cordis tui? Scio tam bene, ſcio tuum per omnia cogitatum, ac ſi in palma mea (ducebat autem digitum ſuum ſuper palmam) viderem oculis corporalibus, quidquid cogitas litteris exaratum. Cœpitque plurima de cordis illius abſconditis dicere. Recluſa vero ad ſe ipſam oculos reflectendo, hoc euidentiſſimo indicio comperit, Iulianam veraciter prophetare. Sicque Eua ab hoſpite ſua exponi audiuit, quod ipſa illi exponere primitus hæſitauit.* Et infrà [c].

c cap. 26.

3. *Infirmabatur aliquando eadem recluſa, multiſque laborabat doloribus; & præcipuè febre acuta, quæ quidem in tantum inualuerat, vt omnes de eius conualeſcentia deſperarent. Quod cum Iuliana cognouiſſet, viſitauit eam, & intrans in Oratorium, orauit. Cum autem ſurrexiſſet ab oratione, locuta eſt ipſi recluſæ, his verbis. Ab omnibus his infirmitatibus ſanabimini, & omnimodam recipietis ſanitatem; & hoc quidem protulit, de exteriore homine ægrotantis. De interiori verò, cum ipſa non minus mirabiliter eſt locuta, manifeſtans ſtatum mentis, in quo erat, nec non, & illum, in quem erat poſtmodum ventura. Ex præmiſſis autem non cecidit aliquid in terra; ſed omnia provt ipſa prædixerat, vt fidelis inueniretur, euenerunt. Corporalem ſiquidem recepit ſanitatem, & illum etiam mentis ſtatum, qui ei à Iuliana prædictus fuerat. Manifeſtauit autem eadem recluſa poſtmodum Beatæ Virgini multas tribulationes, quæ animum eius vehementius affligebant. At illa blandè conſolata eſt eam, diuinam illi Clementiam præuidens affuturam: ab omnibus, quæ habetis, liberabit vos Dominus. Quod & factum eſt.* Et paulò inferiùs [d].

d cap. 28.

4. *Miſerat aliquando B. Iuliana quendam Clericum ad partes remotas, pro aliquibus negotiis peragendis. Ita autem nix operuerat ſuperficiem terræ, vt ille viam, vel ſemitam tenere minimè poſſet; vndè in loca, plurimum periculoſa, incidit oberrando. At Iuliana, quæ illum miſerat, continuo cognouit per ſpiritum, quo modo illi erat: obſeruauitque quaſdam religioſas, vt Dominũ oraſſent, quatenus Clericum ab inſtantibus periculis eripere dignaretur. Fudit autem, & ipſa orationem ad Dominum. Exaudiuit igitur Deus preces clamantium ad ſe; & illum à periculis mirabiliter liberauit. Cognouit & hoc ipſum Chriſti Virgo, nam, & ereptionem Clerici nuntiauit, & gratias illius retulit ereptori. Reuerſus autem Clericus narrauit diem, & horam quo in prædicta inciderat pericula, non aliter profectò, qua prædixerat ancilla Chriſti, firmiter ſe credere proteſtans, non niſi ſuffragiis orationum tanta ſe pericula euadere potuiſſe.* Et paucis interpoſitis [e].

e cap. 30.

5. *Narrare ſolebat magna Religionis, & claræ opinionis Hedvvigis, recluſa S. Remacli iuxta Leodium, B. Iulianam, quamplurima ſibi, ſpiritu prophetiæ prædixiſſe. Viuentibus etenim adhuc in corpore matre, ac ſorore eiuſdẽ recluſæ, dixit illi, matrẽ eius primitus morituram, & poſtmodum ſororem illius. Ipſam verò ſuperſtitem remanſuram; quod poſtea rei exitus comprobauit.* Hæc omnia ad litterã deſumpſi ex Actis Virginis, quo maior dictis fides; multa omittens, ne tot congeſta faſtidio Lectori forent.

6. Venio ad miracula, quæ nec pauciora, nec minora commemorantur, ſed duo tantum referam [f]. *Venit aliquando ad Chriſti famulam quædam Regina, quæ à maligno ſpiritu crudeliter in anima, & corpore vexabatur; quæ cum tentationum ſuarum, ac laborum miſerabilem ſeriem enarraſſet, humiliter poſtulabat, interceſſionis illius auxiliis adiuuari. Orauit igitur Chriſti Virgo, & diuinæ propitiationis effectum reportauit. Siquidem viſum eſt eidem Reginæ, cum diſcedere voluiſſet, magnum lapidem, & ponderoſum à ſuis humeris cecidiſſe; & continuo ſenſit, ſe ipſam totaliter ab infeſtantium vexationum pondere liberatam.* Transeo ad alia [g].

f cap. 34.

g cap. 37.

7. *Erat quædam Regina, quæ grauiſſimam infirmitatem duobus annis, & dimidio, in vno oculorum perpeſſa fuerat. Excreuerat enim ab eius oculo fruſtrum carnis ad modum nucis, quod horrorem intuentibus ingerebat. Affligebatur itaque illa duplici moleſtia, verecundiæ videlicet, & doloris, vtrumque etiam diuturnitas temporis augmentabat. Sano tamen ducta conſilio, ad Chriſti Virginem venit ſemel, & ſecundo: & eidem conquerendo expoſuit, quantam, & quanto tempore tolerauerat oculi paſſionem. Ipſa verò oculum morbidum ſignauit, deditque ei lineum pannum, quo ab oculis ſuis tergere conſueuerat exitus lachrymarum. Quæ valefaciens diſceſſit, & ſecum pannum, quem*

quem acceperat, deportauit. Craſtina verò die cum ipſa Regina Miſſarum intereſſet ſolemniis, & oraret, in leuem ſoporem reſoluta eſt. Et vidit: & ecce quædam reuerenda perſona, quam ei Iuliana Virgo mittebat ab altari, veniebat ad eam, quæ manibus attrectans oculum, carnem ſuperfluam amouebat leuiter, & curabat: quo facto receſſit ſopor ab ea. Quæ cum appoſuiſſet manum oculo, nihil ſenſit veteris paſſionis; diuinitus namque multo tempore optatam receperat ſanitatem: gauiſaque eſt gaudio magno valde, & gratias reddidit ſuo Creatori. Sociæ verò illius, & familiares ſtupebant vehementer, cum viderent ipſius curationem tam inopinatam. Quæ cum ſciſcitantibus enarraſſet ordinem rei geſtæ, dabant gloriam Deo, qui merita dilectæ ſuæ Iulianæ manifeſtare voluerat miraculo tam iucundo. Hactenus ibi.

8. His, & ſimilibus florebat Virgo Beata, cum ecce hoſtis communis pro more inuidens, per ſe, per alios, occultè, manifeſtè, quibus poterat modis, fœlices eius progreſſus expugnabat: & quidem per ſe ipſum manifeſtè multa molitus, nihil præter ignominiam reportabat [h]. *In ſolemnitatibus Sanctorum Iuliana totas noctes inſomnes ducebat: tunc enim conſuetum vigiliarum penſum, deuotio cumulabat. Vigiliæ autem eius ſtudiis ſpiritualibus erant plenæ, Sanctis videlicet meditationibus, affectionibus, orationibus, contemplationibus. Aliquando continuis fatigata vigiliis requieſcere cupiens, caput ſuum ſuper auriculare paululum reclinabat: ſed tunc malignus ſpiritus, de ſub capite eius illud extrahebat, vel lectum ipſius concutiebat ictibus. Tunc enim ad ipſam, veluti opportunitate accepta, aliquam moleſtiam illaturus, accedere tutius præſumebat, cum illa ab oratione ſpiritum relaxabat. Iuliana verò leuiter euigilans, reſumebat orationis arma, quibus hoſtem ſuum potentiſſime repellebat. Ipſe namque malignus ſpiritus felicibus ſtudiis inuidens Iulianæ, à iuuentute illius viſibiliter, & ſenſibiliter inſectando, donec nihil ſe proficere poſſe conſiderans, diuerſas perſequutiones aduerſus Chriſti famulam concitauit, vt ſic etiam fortius eam expugnaret per miniſtros ſuos.* Hactenus Acta. Sed quæ per alios in Iulianam, infra: nunc quæ per ſe ipſum dæmon, quæ rurſus ipſa in illum proſequamur [i].

h cap. 12.

i cap. 35. 9.

Cum Iuliana animas à maligni ſpiritus tempeſtate eripere, & Chriſto curaret reſtituere; aduerſus ſe iram Diaboli acrius prouocabat. Nimium ſiquidem iraſcebatur; dentibus ſuis fremebat, & tabeſcebat, cum videret quamplurimas animas, quas tentationum procellis abſorbuiſſe, vel peccatorum pondere ſepultauerat, irremediabiliter eieciſſe; per orationes illius, quaſi ab inferis voragine reuocari. Tota igitur malignitate in Chriſti ſponſam ſæuiebat, & ipſam quieſcere non ſinebat ſiue dormientem, ſiue vigilantem. Ipſi etiam laruales prætendens figuras, viſibiliter apparebat, forſitan vt eam ab animarum liberatione deſiſtere cogeret. Sed quanto ille in eam amplius graſſabatur, tanto ipſa libentius ab illius nexibus conabatur ſoluere eos, qui peccatis propriis detinebantur. Sciebat quippe in tantum Chriſto id opus complacere, in quantum malignum videbat iraſci, & inſanire. Hæc, & alia in Iulianam aduerſarius. At quid Iuliana in ipſum, pergit Auctor ſcribere [k].

k cap. 35. & 36. 10.

Suſpectas tamen ſemper illius habens inſidias, diligenter cuſtodiebat ſe, ne fortè vel in leuibus comprehenderetur ab eo. Orationes enim clypeo dentem inuidi retundebat. Quo circumdata à dextris, & à ſiniſtris, intus illius inſultus intrepida ſuſtinebat. Qui cum Iulianam multo tempore vexaſſet viſibiliter, traditus eſt ipſe in forma viſibili, & ſenſibili in manus eius, vexationem, quam intulerat, recepturus. Quædam religioſæ ſui Monaſterij aliquando audiebant ſtrepitum, quem Iuliana in dæmonem faciebat; quem manibus tenens, cedebat toto conamine, ac pedibus conculcabat. Et ſic, qui ſe altiſſimo coæquare voluit, à muliercula calcabatur; & qui in eam præſumpſerat inſurgere, confundebatur, & operiebatur, ſicut diploide, confuſione verberis, & pudoris. Multa alia, his ſimilia, referuntur: verum dicta ſufficiant, vt iam ad eius electionem in Prioriſſam, & alia, quæ hoc tempus, & ſingularem illam reuelationem, quam præcedenti Capite narrauimus, ſpecialius concernunt, procedamus.

---

1. *Iuliana electa in Prioriſſam Montis Cornelij*, 2. *nullum optimæ matris munus omittit.* 3. *Inuidia Dæmonis, machinamentaque*; 4. *longè ab ipſa præuiſa*, 5. *atque prædicta.* 6. *Tum ſpeciales fauores ab Euchariſtia*, 7. *atque illius cognitio, diſcretioque.* 8. *Quibus ad eius feſtum promouendum, præparabatur.* 9. *Præceptum Chriſti, & declaratio præhabitæ viſionis.*

CAPVT QVINTVM.

1. HIs floribus virtutum, donorumque vernabat Iuliana, dilecta Deo, familiaris Angelis, pauenda dæmonibus, hominibus veneranda; cum ecce Prioriſſa loci per mortem rapta, communi omnium ſuffragio illi ſufficitur; incertum quo anno? niſi quod tamen ante hunc electa creditur: quippe ante promota, quam de promouenda Euchariſtiæ feſtiuitate, reuelationē, præceptumque ſuſciperet. De hac Iulianæ, pro defuncta, ſubrogatione, Auctor vitæ ipſius hæc habet verba [a]. *Illi, quibus intererat de Prioriſſa domui prouidere, cognouerunt quod iuniores ſorores, bonam deſiderabant habere Prælatam: & quoniam Chriſti Virgo Iuliana admirandæ conuerſationis merito, & Sanctitatis priuilegio, ſorores dicta domus ſupergreſſa fuerat vniuerſas, illam tanquam digniſſimam iudicabant. Concurrentibus igitur votis religioſarum in illam, conſtituta eſt illius Monaſterij, non ſine diuina prouidentia, Prioriſſa. Nolebat ſiquidem Chriſtus lucernam ardentem, & lucentem vlterius abſcondi ſub modio, ſed poni ſuper candelabrum, vt luceret omnibus, qui in domo Dei erant. Iuliana vero quamuis latere, quamuis ſubeſſe multo magis concupiſceret, quam præeſſe; in obedientiæ tamen vitium incurrere pertimeſcens, propter Deum, & obedientiam, iniunctum ſibi ſuſcepit officium.* Hæc de electione facta per Moniales, atque de ipſius electæ acceptatione.

a cap. 39.

2. At in officio, qualiter ſe geſſerit, pergit Auctor ſcribere in hunc modum [b]. *Sed quis, qualiter Dei*

b vbi ſupra.

Dei Virgo in hoc officio præfuerit, imo profuerit, valeat enarrare? Præfuit in humilitate, præfuit & in sollicitudine. Exemplum se cunctis præbuit bonorum operum, non quærens quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Quæcumque Sancta, quæcumque bona, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, & religionis, hæc loquebatur & exhortabatur. Et paulò inferiùs. *Non Dominam se exhibebat; sed ancillam, sed matrem, sed nutricem.* Et rursus. *Posuerat Pater totius consolationis, in ore Iulianæ verbum solatij spiritualis, vt eas quæ vel in tristitia, vel in tribulatione erant constituta, posset per datam sibi gratiam consolari. Pusillanimes confortabat, proficientibus applaudebat, congaudebat perfectis, æmulabatur omnes Dei æmulatione, desiderans, & totis nisibus satagens, ipsas Virgines castas exhibere Christo.* His plura alia subiungit idem auctor de Beatæ Virginis Iulianæ ergæ commissum gregem sollicitudine.

3. Inuidit Prioriſſæ hoſtis antiquus, qui Moniali inuiderat, & quo maior à matre fructus in filias, eo magis dolebat, & cruciabatur. Inquietauit nonnullas ex ſororibus: nam vbi deerunt aliqui, qui ſe permittant à Dæmone inquietari? atque ipſa earumdem inquietudine, illudebat Magiſtræ; nunc filiabus incertos patrandæ culpæ; nunc patratæ delator ad piam matrem; & aliquibus veris falſa miſcens, omnes qua poterat anxius perturbabat. Nam audi quod ſequitur [c]. *In custodiendis autem illis, tanta fuit ei diligentia, & sollicitudo, vt plerumque requiem non caperet, nec noctibus, nec diebus. Incredibilis enim illi cura erat, ne sibi commissæ Moniales, provt consueuerat, periculis se committerent animarum. Multoties, cum illas in pace crederet pausaturas, & ipsa lassa membra vellet aliqua requie refouere, excitabatur à maligno spiritu, nuntiante, sorores non requiescere, sed fugisse. Nec tamen credendum est, hæc illum nuntiare, quia illarum æmularetur salutem, qui tam sanguinem sitit animarum. Et cum Christi Virgo surgeret festinanter, vtrum ne illæ quiescerent, cognitura; reperiebat illas aliquando reseratis ostiis recessisse. Interdum tamen ipse malignus eam excitans, mendacium de sororibus loquebatur; siquidem spiritus mendax est, etsi aliquando veritatem dicere compellatur.* Hæc prima ſemina diſcordiæ, & diſſenſionis, inter filias, & matrem, qui tunc præerat domi Godefridus, vir vitæ venerabilis, comprimere prudentia ſua potuit, extinguere non potuit; vnde ipſo mortuo, quo violentius detenta fuerant, & erupere potentius, vt ſuis locis infra demonſtrabimus.

cap. 40.

4. Illud compertum, nihil prorſus accidiſſe fœminæ Sanctæ, quantumuis longè diſtans, quod non ante præuiſum, prædictumque, nullo negotio potuerit declinare. Sed præualebat in illa iuſtitiæ zelus, & perfectæ obedientiæ: & vt ad omnes pacem diligebat, ſic non timebat bellum; præferens charitatem, non metuens odia, quoties ea propter Dei cauſam incurreret. Conſtat multos ante annos, quam euenirent, reuelaſſe ipſam Euæ, quæcumque à Dæmone, eiuſque miniſtris, per temporis diſcurſum paſſura foret. Sic enim in illius hiſtoria lego [d] *Cum superuiueret Prior iste* (ſcilicet Godefridus) *reuelauit Deus famulæ suæ multa, quæ post eiusdem Prioris obitum, euenerunt. Veniens igitur ad recluſam Euam, dixit illi. Maligni spiritus, qui me vsque nunc visibiliter vexarunt, recesserunt à me: sed maligni spiritus, qui in cordibus Virorum, & mulierum inuisibiliter regnant, acrius de cætero insurgent aduersus Ecclesiam Christi, & in eos etiam, qui eam volunt exaltare; sed me primitus aggredientur. Hoc autem vltimum dicebat de solemnitate Sacramenti, quæ per ipsam erat mundo, & iussione Domini, propalanda. Qua ratione Christi Virgo primo, & principaliter, nec non, & alij fideles, qui eam promouere attentarunt, multa mala perpessi sunt.*

d cap. 42.

Post hæc addidit loqui ad recluſam, dicens: Dominus Godefridus laudabilis Prior noster, infra anni circulum, ab hoc sæculo migraturus est. Est autem vnus Frater in domo nostra, qui illi succedet in Prioratu, sub quo maligni spiritus ita sæuient in me, vt necesse sit mihi fugere à facie ipsius tribulantis. Est autem vnus Frater in domo nostra iuuenis, & innocens, qui me iuuabit tribulationum pondera supportare; verumtamen me fugere oportebit. Et lachrymis obortis, dixit: In illo tempore, ô recluſa, necessaria mihi eritis. Nonne profugam in vestro recipietis hospitio? Tunc recluſa ad illam: Omne, inquit, solatium, & omne bonum, quod vobis præstare potuero, noueritis, me vobis cum omni desiderio præstituram. Non cecidit autem quicquam ex præmissis, quæ Iuliana prædixerat, in terram, sed omnia suis temporibus euenerunt. Sic ſe habebant Virginis Iulianæ res per hoc tempus, cum ſupradictam viſionem de pulcherrima Luna, ſed cum quadam ruptura, videre meruit.

5.

6. Creſcebant interim in fœmina Sanctiſſima dulcedinis affectus, & deuotionis, quibus erga ſacram Euchariſtiam inflammabatur: creſcebant, & cum meritis coronæ; & quibus fruebatur, illuſtrationes, exhibebat ſe Chriſtus ſine zelo in Sacramento, exiſtens, ſponſæ ſuæ; & quod vix beatis ſpiritibus conceditur, videre meruit. *Quomodo Christus omnibus se sumentibus in salutem se totum, & integrum exhibebat in cibum; quem nihilominus in semetipso remanere videbat, integrum, & perfectum.* Videre, inquam, meruit, non corporis, ſed rarioribus multo mentis oculis; vt eo ardentius amaret, quo clarius noſceret, & inebriata ab vbertate tanti myſterij, feruentius in illius amorem pertraheretur. Sed audi adhuc ſpecialius priuilegium, pauciſſimis conceſſum, quos ego legerim: vt non ſolummodo Chriſtum in Euchariſtia videre meruerit; ſed longè diſtans, vbi Sacramentum, atque Hoſtiæ conſecratæ, vbi vero non eſſent, contemplaretur. Audi quod illi in Eccleſia S. Martini apud Leodium, dicitur contigiſſe ſemel, & iterum, cum filiam ſibi Charam, venerabilem Euam, iuxta exhibitam illi promiſſionem, viſitauiſſet [e].

e cap. 19.

7. *Venerat aliquando Iuliana ad istam recluſam, in cuius solario, cum incubuisset orationi, sicut ei moris erat in omni loco orare frequenter, sensit per spiritum, corpus Domini in Ecclesia B. Martini, post Missarum solemnia, minimè remansisse. Completa vero oratione, descendit de Solario, vultuque tristi dixit ad recluſam. Corpus Domini post Missam in Ecclesia non seruatur; quod tamen in aliis Ecclesiis fieri solet. Quod ita esse manifestè, postea comparuit. Eadem Christi Virgo, cum alio tempore ad dictam recluſam rediisset, ac orationem fudisset, cognouit per spiritum Corpus Domini in præfata Ecclesia ante & post Missæ solemnia reseruari. Quæ interim, animi gaudium prodens, facie exhilarata, dixit. Reuera solito nunc opulentior est vestra Ecclesia, quoniam corpore Christi, quod in*

ipsa ante & post Missam remanet, est ditata. Cognouit autem Eua, fideli inquisitione, dilectam sibi Iulianam, de corpore Christi, semel, & iterum, non nisi spiritu prophetico, vera nuntiasse.

8. His, & similibus, tum fauoribus præuenta, tum reuelationibus illustrata, insigni promouendæ festiuitati, atque in Ecclesia Christi celeberrimæ, ab eo in cuius sunt manu corda hominum, à primis annis Iuliana præparabatur; & qui infirma, & abiecta mundi elegerat, ad confundendum fortia, & Euangelium diffundendum per totum orbem; ad hanc solemnitatem instituendam, non viros doctos, non Pontifices, non Principes, sed imbecillem fœminam elegit, cuius industria inciperet, cuius labore crescceret, & cuius tandem indefessa instantia promoueretur. Ergo cum venit plenitudo temporis præelecti à Deo, vt hanc festiuitatem reuelaret, Iulianam primum mundo, Belgioque, à quo incipere voluit; mox Iulianæ cœlestis gratiæ dona, atque alia præludia, queis tanti operis digna ministra foret: demum vt opus ipsum illi iniungeret, visionem ostendit, quam nos capite tertio memorauimus. Tum verò illa, vt erat humilis spiritu, de veritate dubitans visionis, & præ frequentia suspectam illam habens, ac tentationem putans, *Orabat*, ait Auctor vitæ ipsius [f], *& per personas, satis fideles, orari ad Dominum faciebat, vt eam à quadam tentatione, quam se pati dicebat, eripere dignaretur. Sed cum nulla industria, nulla sua, vel aliorum fidelium prece, importunitatem signi posset à se repellere, cœpit tamen aliquando cogitare, ne fortè non tam laborare deberet ad hoc signum repellendum, quam ad aliquid mysterium inquirendum in ipso. Contulit igitur se totam cum omni deuotione ad deprecandum Dominum; vt si id, quod videbat, aliquid significaret, sibi reuelare non dedignaretur mysterium visionis.* Hactenus liber Actorum vitæ Sanctæ.

f *cap.* 43.

9. Pergunt deinceps, Auctor eiusdem libri, atque Diesthemius Blerus, eisdem verbis, aut saltem pene eisdem [g] *Tum reuelauit ei Christus, significari in Luna præsentem Ecclesiam; & in eius fractione, defectum vnius solemnitatis, quam Deus in Ecclesia, ad augmentum sacræ fidei, voluit celebrari. Accepit proinde præceptum cœlitus, vt hanc solemnitatem inchoaret, & celebrandam mundo nunciaret. Illa vero ad hæc obstupescens, sese non posse, respondit. Cæterum quotiescumque orationi vacabat, à Domino monebatur, vt præceptum iniunctum perficeret, quam ad hoc præ mortalibus cunctis Deus præelegisset. Sed illa paruitatis suæ conscia, quæ mentis gressum fixerat in humilitatis fundamento, dixit: Domine, dimitte me, & rem hanc arduam Clericis committe. Et respondit Dominus; per te omnimodis oportet inchoari, ac deinceps per personas humiles promoueri. Instabat ergo humilis Iuliana continuis ad Deum precibus, vt aliam personam ad hoc opus eligeret; & vice quadam audiuit sibi cœlitus pro responso dici* [h]. *Confiteor tibi Pater cœli, & terræ, quæ abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. At illa nec sic acquiescens respondit: Excita Domine temetipsum; excita, & viros eruditos; & me minimam in pace dimitte. Et facta est rursum vox ad eam dicens* [i]: *Immisit in os meum Canticum nouum, carmen Deo nostro* [k]. *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam à Concilio multo.* Hactenus in vtroque. Porrò à tempore prædictæ visionis, & explanationis illius, viginti adhuc annos elapsos tradunt, resistente Iuliana, roganteque, ne tantum opus inutili mulieri, & nullius omnino auctoritatis iniungeretur. Qualiter autem tandem obsequuta, & consortes inuenerit, & viros etiam doctos, grauesque, supra modum propitios; quas nihilominus ab aliis, & à suis persecutiones passa, exilium tolerauerit: demum in ipsius festi promotione, tum Iuliana viuente, per Leodium: tum ab eius obitu, per Ecclesiam vniuersalem, Vrbano Papa ad Euam scribente, quando ad illam non poterat; quæ plura, atque illustria contigerunt, suis à nobis locis, & temporibus, siue ab eo, qui Annales continuauerit, more solito venient referenda.

g *Apud Bzouium.*

h *Matth.* 11.

i *Psal.* 19.

k *Psal.* 39.

---

1. *Paganorum ex Monte Sancti Ioannis, aduersus Casæmarium* 2. *flagitium atrox.* 3. *Casæmarienſium ad Gregorium Papam querela.* 4. *Eiusdem indignatio:* 5. *qui grauem per vtrumque gladium vindictam parat.* 6. *Episcopi in Cistercio residentes:* 7. *& impetratum pro ipsis indultum Summi Pontificis.* 8. *Processus pro Canonizatione Sancti Virgilij nostris iniunctus.* 9. *Monasterium Sancti Damiani, cum adiunctis,* 10. *incorporatur Monasterio Sancti Matthæi,* 11. *impositio perpetuo silentio Hospitalariis.* 12. *Dictum de Monasterio Sancti Anastasij, & Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Orbitello.*

CAPVT SEXTVM.

1. EVNESTAVIT initia præsentis annis flagitium planè atrox in Prouincia Romana; cuiusdam Castri hominibus (Monti-Sancti Ioannis loco nomen) inuadentibus bona Ecclesiæ Casæmarij; atque iniicientibus in ipsos Religiosos manus sacrilegas. Inuasionis occasio nobis occulta, nisi fortè potentia, quamuis modesta, concitauit inuidiam; & Casæmarij Ecclesia semper opima; sed à tempore Honorij Papæ III. inter opimas diues, præpotensque, vix poterat id malum declinare. Siue ergo hæc, siue alia causa extiterit, Pagani Castri, absente à Monasterio, quantum coniici datur, eius Abbate, fortè, & intento mandatis Summi Pontificis (nam sub initium anni subsequentis inter ipsum, & Imperatorem Fridericum, variis Legatiis functum, infra videbimus) conspirarunt in ipsum; atque vicinam Grangiam deuastantes, trucidare conuersos, vulnerare socios, diripere bona, abigere pecora; neque vllum hostilitatis genus fuit, quod non atroces, & impij perpetrauerint. Et quidem ex conuersis, occisus vnus, fortè Magister Grangiæ, alij vulneribus lethalibus acceptis, vix euasere gladios; fortè inter ipsa remedia perituri. Qui afflictis rebus prouidere posset, omnino nullus; sed neque quibus prouidendum foret, præter

præter exanimem, atque ipsos vulneratos, nihil in tota grangia residuum fuit. Perculit Monachos inopinatus nuntius, atque suorum miseranda strages; & vocauit nonnullos, per quos defunctus, terram, precesque; saucij fomenta haberent, & medicinam. Ast vbi in Grangia direpta omnia videre; nec nisi corpora, aut infecta tabo, aut male ligatis vulneribus exanguia, & per humum proiecta reperere. Tum vero Prior, nam Prior illuc adierat, ad Castrum accedens, & coram Castri Dominis comparens, non se actorem aduenire contra sacrilegos, non supplicium de ipsis petiturum modestus ait; quamuis id iure posset, forte, & deberet, si non vindictam Deo reseruaret. Reddantur saltem aliqua ex ablatis, quæ ad infirmorum curam, quæ ad necessarios assistentium vsus facere possint. Conferenda ea sibi, charatative, vel si vnquam ablata; nam quæ vrgentior occasio offerri possit? Nunc, si dare non velint, saltem restituant; aut si restitutionis forsan pudet, liberaliter donent: & sint misericordes, vel ex alieno. Non omittendam prorsus occasionem, qua possint largitate, ipsam iustitiam: Iustitia, misericordiam cumulare.

2. Quæ impetu continuo flagitia ruunt, minus imputabilia: & credi possunt præueniri rationis vsum, agere magis patrantes, quam patrari: deliberata; & per moras procedentia, inexcusabiliora; nec quæ fragilitatem humanam sapiant, sed quæ diabolicam æmulentur obstinationem. Denegata petenti misericordia, denegata iustitia; nam liberalitatem à raptoribus, ne ipse qui petebat, præstolabatur: & siue minus malum visum est, quod semel commisissent, seu placuit enormitatem primi sceleris, eleuare secundo; Priori pepercerint, in socios tamen eius debacchati, ostenderunt operibus, quam non miserentur vulneratorum qui mansissent in Grangia, quando nec eos, quos apud se habebant, inuulneratos voluerunt repedare. Atque hæc quidem patrata per Paganos, conniuentibus Dominis; vt non immerito coniici potuerit, ipsorum etiam consilio perpetrasse. Tunc Venerabilis Prior succensus zelo, nec sibi, aut suis iniuriam irrogatam, sed soli Christo reputans, adeoque nulli æquanimiter ferendam, dispositis vtcumque gratiæ rebus, & vulneratis, ad Conuentum vsque deductis; ipse cum paucis Monachis, vrbem primum, mox in vrbe, Gregorium Papam adit; & ecce inquit, contemni nos pro Christo, pro Christo vulnerari, pro Christo mori; ingens fœlicitas, & gloria incomparabilis. Cæterùm intra Ecclesiam Dei esse, atque in ipsa Italia, quin propè Romam, & in terra Summi Pontificis, qui seruos Dei occidant, spolient, vulnerent; an tolerari debeat, possitve? penes solum Gregorium, qui rerum potiebatur iudicium esse. Non sibi curam aliquam de suis, qui quando melius pereant? Semel imbutos sanguine Ecclesiastico popularium gladios, si inulti relinquantur, à Monachis, ad Clericos; à subditis, ad Prælatos, transituros. Scandala in Ecclesia prouenire, ingens haud dubie malum, sed necessarium; quod vitare possimus, vnum esse, si non impune dentur: si sciant omnes, etiam in hac vita, væ hominibus illis, per quos euenerint.

3. Hæc, & similia dum Prior, Monachique ad Gregorium referunt, de flagitio vulgato, per totam vrbem, etiam pessimus quisque vindictam clamat. Ille quo zelo iustitiam æmulabatur succensus animo, sed nihilominus afflictis paterne condolens, hos primum bono animo esse iubet, nec dubitare, quin patrem experiantur, quem interpellant iudicem, ipsorum rebus numquam defuturum: mox in sceleſtos, non tantum per Censuras, quas quanti facerent, qui sacra omnia, & profana confudissent? Sed ferro & igne grassandum esse prouidit: & gladio materiali coërcendos, quos spiritualis non posset reuocare. Esse delicta, quæ clauibus subiaceant; esse quæ ferro veniant præcidenda. Atrocissimis neutrum satis esse, nisi vtrumque adhibeatur; & vix aliud atrocius posse contingere: Non semel visa furta, non sacrilegia, non semel homicidia contigisse: coiisse hæc omnia in vno facto, rarum: etsi proteruiam repetiti delicti addas, forsan sine exemplo; nisi atroci subiaceat vltioni, in pernicioſum exemplum euasurum. Ergo censuras Ferentinati Episcopo, arma Campanis Ordinibus commendat: sed neutris, priusquam ad Castri Dominos, quos neque omnino immunes à delicto, nequaquam dubitabat, sed neque fontes declarare voluit, ne pudorem exuerent, has graues & sæueras, litteras dedit.[a]

a *ex Regest. Greg. in Vaticano.*

Nobilibus Dominis de Monte S. Ioannis.

4. *Horrendum facinus, & execrabile sacrilegium nuper ab hominibus terræ vestræ damnabiliter perpetratum, nostrum stupefecit auditum, & amariſſime conturbauit cor; eo quod timore Domini prorsus abiecto, Domestici serui eius, præter ludibria, & verbera, quæ patiuntur indebite, & in occisione gladij moriuntur, & non est, qui requirat sanguinem innocentem. Quare ij, qui gloriantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis impunitatem non solum sibi, sed & alij indebitam sperantes, malignos secure incitant ad peccandum, & sic innocentes, quæ non rapiunt, compelluntur exoluere non sine graui contumelia Creatoris. Sane ascendit ad nos gemitus dilectorum filiorum Prioris, & Conuentus Monasterij Casamarij, quod homines Castri vestri nuper, in quandam eorum Grangiam hostiliter inuehentes, ibi quemdam Conuersum ausu sacrilego impie occiderent, & aliis vulneratis lethaliter, aliis iniuriosè tractatis, quadam exinde animalia per violentiam abduxerunt: nec iis contenti, cum Prior ad eos restitutionem ablatorum petiturus accederet, iidem ipsi atroci animo contumeliam cumulantes, in quosdam socios suos manus sacrilegas iniecerunt, & vt hæc non sine conscientia vestra, vel aliquorum vestrum viderentur esse præsumpta, vnus ex vobis tunc præsens in Castro auditam supra his querimoniam non admisit. Quod si habere aliquem Dei zelum irrequisitus etiam, tot, & tanta flagitia vltrice iustitia vindicasset. Quis ergo erit amodò innocenti locus tutus? Qua poterit pietati seueritas prouideri? Si homines innocentes, & totaliter innoxij impiorum manibus exponantur? Quis à tanta immanitatis excessu non exhorreat? quis non tantam sæuitiam detestetur.*

5. *Cæterùm, licet ex ipsis simus exacerbati grauissimè, attamen, ne, prætermissa monitione, subito ad acerbitatem pœnæ peruenire videamur, nobilitatem vestram monemus attente, per Apostolicam vobis sedem firmiter præcipiendo mandantes, quatenus infra octo dies post susceptionem præsentium, vos, cum omnibus, qui prænotatis interfuere flagitiis nostro conspectui præsentetis; alioquin Venerabili Fratri nostro Ferentinati Episcopo, nostris damus litteris in præceptis, vt huiusmodi scelerum*

rum patratores, & complices excommunicatos publice nuntians, in personas excommunicationis, & in terram interdicti sententias, appellatione remota promulget, & renouet solenniter singulis diebus Dominicis, & Festiuis; vniuersis quoque fidelibus nostris de Campania dirigimus scripta nostra, vt vos diffidatos habentes, cum à dilecto filio. G. de Romania Subdiacono, & Capellano nostro, Campaniæ maritimæque rectore fuerint requisiti, contra vos prompta magnanimitate procedant, donec aduenerit condigna pœnitudo punitis, & nobis de tanta iniuria congrue satisfaciant. Datis Perusij sexto Kalendas Februarij anno quinto. Ita Gregorius cum iratus esset, misericordiæ tamen recordatus, temperauit rigorem, non abiiciens flagellum, sed suspendens, & quatiens, non infligens, vt neque inultum rameneret facinus, & in pauciores vindicta grassaretur.

6. Hoc ipso anno impetratum priuilegium à Guillelmo parente, mihi probat, Episcopos Cistercij residentes, nec raros per hoc tempus, numquam aliàs indulto procurando, quod paruo, aut nulli vsui esset futurum. Porro hos Episcopos, aut exules intelligo, aut eos, qui, abdicato Pontificatu, priuatam ibi vitam profitebantur: nullis aliàs permittendis residere extra Diœcesim propriam, qui intra illam erant, Cabilonensi, nulla indigente gratia pro exercendis in ea Pontificalibus. Quin neque per cœnobia transeuntibus, ex antiquiori indulto, quod in hoc etiam à Gregorio memoratur. At quinam fuerint Episcopi prædicti? cum multis aliis excidit. Illud compertum, in domo Claræ-Vallis à tempore Bernardi numquam defuisse: (quod & nos supra de Godefrido duplici, Soritano nimirum, & Lingonensi; de duplici Ioanne, Lugdunensi, & Sanct-Maclouiano; de Eskilo, de Alano, de aliis; & nuper de Adamo Morinorum, commemorauimus.) Et credendum tot alios in Cistercio, abdi pro Christo solitos: nisi quod scribendi, quæ apud ipsos, Claræ-Vallensibus plerumque, maior cura, Cistercienſibus, segnis semper incuria fuit. Ergo hoc anno Guillelmus, Cistercij Parens, à Gregorio obtinuit, vt ab Episcopis, in suo Conuentu residentibus, quoties proprius abesset, Pontificalia omnia Monachi eiusdem domus habere possent. Extat & legitur diploma in Vaticano sub hoc tenore, [b]

b *ex eisdem Regest.*

7. *Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei; dilectis filiis, Abbati, & Conuentui Cistercij.*

Reputantes vestræ religioni deberi quicquid vobis gratiæ, vel fauoris possumus impertiri, deuotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus, vt quoties proprij Episcopi copiam non habetis, benedictiones vasorum, & vestium; consecrationes altarium, & Ordinationes Monachorum, vobis recipere liceat, à quolibet Episcopo, in vestro Monasterio residentiam faciente, cuius plenam notitiam habeatis, sicut eadem vobis recipere à transeuntibus per vos à Sede Apostolica est indultum. Nulli ergo, &c. Datis Laterani, decimo tertio Kalendas Iunij anno quarto. Hactenus priuilegium, quo clare videas, non pro transeuntibus, pro quibus antea id ipsum concessum dicitur; sed pro residentibus, atque ad instar illius antiquioris fuisse indultum; siue mauis, ab illis, ad hos extensum.

8. Hoc item anno, cum defuncti à multis annis Beati Virgilij, Salizburgensis Archiepiscopi, miracula crebrescerent, atque de eius canonizatione, ad multorum instantiam, agendum foret, Gregorius Pontifex Abbatibus Sanctæ Crucis Austriæ, & de Cireyo, Cistercienſi vtrique, simulque ad Episcopum Brixiensem, litteras dat, in quibus inter alia. [c] *Nos igitur, licet supplicationes huiusmodi libentissime amplectamur, ne tamen in hoc aliquid, de contingentibus videamur omittere, cum, sicut intelleximus, alia vice super his per Sedem Apostolicam mandatum fuisset inquiri, si defunctis inquisitoribus, non fuit finaliter in inquisitione processum; discretionem vestram, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, rogamus, & monemus attentè, per Apostolicam vobis sedem mandantes, quatenus de miraculis Sancti prædicti plenissime inquirentes, rescribatis super his fideliter veritatem: qua cognita procedamus exinde prout secundum Deum viderimus expedire. Datis Anagniæ tertio Idus Nouembris, anno IV.* Meminit harum litterarum Bzouius hoc anno, quamuis ad quos scriptæ nequaquam tradat.

c *vbi supra*

9. *Anno* [d] *mill. simo, ducentesimo, trigesimo (neque enim alia verba, quàm ipsius instrumenti promere libet) Pontificatus Domini Gregorij Papæ Noni anno eius quarto, mensis Maij die sexto, intrante Indictione tertia. Nos Petrus, miseratione Diuina Sancti Gregorij ad Vellum-aureum Diaconus Cardinalis, vniuersis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino plurimam.*

d *ex eisdem Regest.*

Volens Dominus noster Gregorius, Papa Nonus, cui cura omnium Ecclesiarum incumbit, ex officio Pastorali desolationi Monasterij Sancti Damiani, siti in Ducatu Spoletano, in terra, quæ dicitur Arnolforum, in termino videlicet Podij, quod vigere in spiritualibus, & abundare in temporalibus consueuit, paterna sollicitudine obuiare; cum sic esset in vtroque, malitia in ipso inhabitantium faciente collapsum, quod spes, quasi nulla erat restaurationis ipsius: Monasterium ipsum, ab omni Episcopali iure liberum, & exemptum, cum Sancti Pauli, & Sancti Laurentij Ecclesiis, hominibus, terris, possessionibus, pascuis, syluis, & aquis, ad ipsum spectantibus; & generaliter cum omnibus iuribus, vtilitatibus, pertinentiis, & bonis suis mobilibus, & immobilibus; Priori, & Conuentui Monasterij Sancti Matthæi Rheatini, Cistercienſis Ordinis, & per eos ipsorum Monasterio, duxit in vsum proprium concedendum in perpetuum: ita tamen, quod per viros, Deum timentes, diuina ibidem semper officia celebrentur; iure Diœcesanorum Episcoporum, si quod habent in prædictis Sancti Pauli, & Sancti Laurentij Ecclesiis, tamen saluo, sicut in eiusdem Domini Papæ litteris continetur.

10. *Verum cum Prior, & Fratres Hospitalis Hierosolymitani, & Sancti Blasij de vrbe, ad se prafatum Monasterium Sancti Damiani dicerent pertinere; & super hoc, coram dilecto nostro Ioanne Spata, Domini Papæ Subdiacono & Capellano, dato prædictis, Priori, Fratribus, & Abbati, & Conuentui, ab eodem Domino auditore, lite contestata diutius litigatum fuisset; hinc inde propositis, & Venerabili Patri R. S. Eustachij Diacono Cardinali, Domini Papæ Camerario, & Capellano, recitatis; idem Cardinalis, ex ipsius Domini Papæ mandato, speciali fretus auctoritate, & vice ipsius, corporaliter inuestiens; tradidit Monasterio Sancti Matthæi Rheatini, Cistercienſis Ordinis, & Fratribus eiusdem loci, eorumque successoribus, in perpetuum, per Fratres Synibaldum, Abbatem, & Richardum,*

Richardum, Priorem eiusdem Monasterij, sæpe dictum Monasterium Sancti Damiani, situm in Ducatu Spoletano, exemptum, & liberum, cum Ecclesiis, & omnibus aliis, provt sapius est expressum. Sed cum adhuc iam dicti Prior, & Fratres, eosdem Abbatem, & Conuentum super prædictis impeterent, tandem partibus quarentibus bonum pacis, auctoritate Apostolica supplente defectum absentiæ maioris Magistri Hospitalis eiusdem, qui in partibus transmarinis agebat, fuit in nos ab eis (sub pœna Mille marcharum argenti, qua soluta, vel non soluta nostrum laudum vel arbitrium concordia, siue difinitio, firma esset nomine suo, & Ecclesiarum suarum) super omnibus prædictis, voluntarie compromissum.

II. *Nos autem, obtentis primitus, & licentia, & auctoritate Domini Papæ, tam pro compromisso, quàm pro arbitrio, super huiusmodi proferendo, sententialiter, & sub pœna, in compromisso de communi voluntate partium comprehensa, arbitrando, & laudando, imponimus perpetuum silentium præfatis Priori, & Fratribus Sancti Blasij nomine suo, & Hospitalis sui, sui super dicto Monasterio Sancti Damiani; & super eius Ecclesiis, seu capellis, hominibus, possessionibus, & aliis suis iuribus, & pertinentiis superius declaratis; firmiter inhibentes eisdem, ne prædictos, Abbatem, & Conuentum Sancti Matthæi, nec eorum Monasterium, de cætero, per se, & per alios, nomine suo, & sui Hospitalis, impetant, nec molestent in prædictis, vel singulis prædictorum; nec aliquid iurisdictionis sibi de cætero vendicent in prædictis: sed pacifice dimittant eis prædicta omnia, & quiete. Actum in Palatio Lateranensi, in Capella Domini Papæ, me Thoma Scriniario præsente, & testibus subscriptis ad hoc specialiter vocatis, & rogatis, &c.* Hactenus instrumentum Cardinalis, quod quinque post diebus confirmatum à Gregorio Summo Pontifice, in Bulla ipsa insertum, extat in Vaticano.

Quo iure Ecclesia Sanctæ Mariæ de Orbitello, ad Abbatem Conuentumque Sancti Anastasij de Vrbe pertinuerit, inter occulta nobis: certum hoc anno litigatum inter vtrosque, & Monachos, & Clericos. *Super obseruatione sententiarum, excommunicationis in Priorem, suspensionis in Clericos, & interdicti in præfatam Ecclesiam de Orbitello, ab Abbate Sancti Anastasij promulgatarum*; & causa cognita, per Cardinalem Sanctæ Prudentianæ, iudicem à Gregorio constitutum, *Prædictos Priorem, & Capitulum de Orbitello, ad obseruantiam sententiarum ipsarum sententialiter condemnatos.* Porrò has sententias, non ex delegatione Summi Pontificis, sed propria, & ordinaria auctoritate, ab Abbate prolatas, duplici ex capite colligi videtur; altero quod lis ipsa contestatur, non solius Abbatis Sancti Anastasij, sed ipsius, & totius Conuentus nomine; altero, quod cum in eodem processu nihilominus verteretur in dubium quædam declaratio Sutrinensis Episcopi, super valore earundem sententiarum; eadem declaratio facta caneatur, ex delegatione Summi Pontificis: vt palam sit, si Abbas ex delegatione processisset, non minus explicandum, in ipso fore. [c] Extant eiusdem Cardinalis Bartholomæi litteræ, datæ Romæ apud Sanctam Prudentiam, anno Domini milleſimo, ducenteſimo, trigeſimo, Iulij die tertia; & confirmatæ à Gregorio Papa Nono, Laterani pridie Nonas Iulij eiusdem anni. 12.

c *vbi supra.*

---

1. Guido Cardinalis, qui olim Abbas Cistercij, Sancte obdormit. 2. Acta eius, & laudes. 3. Dionysij, Kalisiani, 4. & Mariæ, primæ Abbatissæ Carricensis mors, 5. atque huius Encomium. 6. Manes Sancti Dominici, Germanus ad Gumielem sepultus. 7. Roderici Toletani donatio facta Hortensibus. 8. Philippus Abbas, ad habitum admissus in Clara-Valle. 9. Et parricidium à Militiis sacris auersum.

CAPVT SEPTIMVM.

I. HVNC item annum illustrarunt alij euentus, glorioſi obitus. ſepulchra, donationes, atque id genus alia, digna Annalibus, quæ in hoc capite veniunt recenſenda. Inter obitus primum locum occupet, omnium reuerentia nominandi, Guidonis de Pare, Cardinalis Epiſcopi Prænestini, qui, ex Abbate Ciſtercij quinto decimo, ante annos quadraginta aſſumptus ad purpuram (raro, abſque dubio, exemplo, ſaltem in his, qui prouectæ iam ætatis, atque ex meritis propriis promouentur) ad hæc tempora vſque perdurauerat. Anno milleſimo, centeſimo, nonageſimo, Diaconus Cardinalis Clementis tertij, incertum cuius tituli? mox Preſbyter Sanctæ Mariæ Trans-Tyberim, titulo Calixti. Demum anno milleſimo, ducenteſimo, ſexto, qui ei ſucceſſerat, alteri Guidoni in Ciſtercienſi Sede, ipſo è conuerſo, in Epiſcopatu Prænestino ſuffectus eſt, in quo quatuor, & viginti annos exegit, plus minuſve; nam annus certus mortis ignoratur. Vixiſſe ad annum milleſimum, ducenteſimum, vigeſimum nonum, argumento eſt, quod in Decembri antecedentis anni creatis Cardinalibus, nullus in Prænestina Sede ſuffectus dicitur. Non prolataſſe vitam vltra milleſimũ, ducenteſimum, trigeſimum primũ, non minus probat, quod eius anni menſe Septembri Iacobus de Pecoraria, ex eadem familia, in eam dignitatem eſt promotus; quod cum Chaconius in Gregorio Nono prodat, ſatis mirandum eſt, in Clemente dixiſſe, Guidonem vſque ad milleſimum, ducenteſimum, trigeſimum ſecundum, fuiſſe ſuperſtitem. Ergo inter duos annos, quibus potuit obire, medium elegi; ſiue quia ita notatur ab aliquibus, ſiue quod hac ratione, & ſi diſtarem, minus tamen à vero, diſtare poſſem. Dies obitus notatur à Chaconio Auguſti vigeſima ſecunda, ſepulchrum hactenus à nullo prodi video. Certè hoc anno, & die notata obiit, quod à temporibus Innocentij ſecundi, ſub quo primo cœperunt, numquam viſum, integrum annum, & paucos vltra dies, ſine vllo Cardinali Ciſtercium fuit. Nempe à fine Auguſti, quo Guido deſiit, vſque ad Septembrem anni ſubſequentis, in quo Iacobum ſucceſſorem habuit,

habuit, ex Cistercio assumptum, vt nos etiam ibidem referemus.

2. Mirum est quanta in huius Guidonis Historia caligine laborent omnes auctores, dum eum cum successore in Cisterciesi, cum antecessore in Prænestina sede confundunt; & quæ diuisa nobilitant vtrumque, in vnum confarcinant, sibi ipsis contrariis, nulla temporum habita ratione, nulla locorum, quod nos etiam superius adnotauimus. Quæ hunc Guidonem illustrant, præter dicta. Quod Sacram Calatrauæ Militiam, à Cistercio dudum decisccntem reunierit, eamque denuo Cistercio incorporauerit; quod eidem leges, & Regulam præscripserit. Quod Huelguense cœnobium apud Burgos, & sub eo Monialium congregationem cum Capitulis annuis, atque annuis Abbatissæ visitationibus, per Castellæ, & Legionis Regna stabilierit. Sine exemplo in multis, quod Regibus Hispaniæ, Galliæ, & Angliæ, vel inter paucos charus, à singulis ipsorum multa acceperit, & multa eisdem obsequia retribuerit. Quod Sedis Apostolicæ Legatum, in Germania, & in Belgio; tum etiam in Italia, cum laude egerit: atque vbicumque memoriam dignam reliquerit; quod in Germania Euchariſtiæ cultum promouerit, apud Leodium Clerum reformauerit; quod in Italia rebellem Marco-Waldum, Senescaluum Imperij, diris ab eo impetitum, armis etiam externis expugnauerit, expugnatum, pœnitentemque, & obsequi paratum, pius absoluerit: demum, quod quatuor electionibus Pontificum, Cœlestini, Innocentij, Honoriique, atque Gregorij Noni, Cardinalis affuerit, semper dignus, qui eligeretur, numquam eligi ambiens, aut concupiscens. Obiit in senectute bona, Romæ vt creditur, & inter viros Sanctitate, doctrinaque, atque gestis illustres, quos protulit Cistercium, etiam ab exteris egregia ab omnibus, cum laude memoratur. Fuit & alius Guido, Abbas Cistercij, ordine vigesimus quartus, Cardinalis, de quo & nos in sequentibus agemus. Interim adnoto, diem quo, ab Henriquez notatur in Menologio, (hic de quo, in præsenti, nempe vigesimam mensis Aprilis) neque illi conuenire, nec successori. Quippe successor mense Iulio obiit, vt supra notabamus, hic Augusto.

3. Hoc ipso anno obiisse in Gallia lego Dionysium Chalisianum, siue Caroliloci, virum ingenio, & doctrina præcellentem, de quo Philippus Seguinus, Kalisianus, & ipse, in sua Bibliotheca, hæc habet verba. [a] *Dionysius Kalisij Monachus, natione Gallus, patria Syluanetensis, vir bonis moribus, & doctrina spectatissimus, vitam, ac miracula Diui Guilllemi, Bituricensis Archipræsulis, & quondam Kalisianæ domus Abbatis septimi, in epitomen redegit. Claruit anno restitutæ salutis millesimo, ducentesimo, trigesimo ex Archiuis Kalisij.* Hactenus ille. Nec credimus hunc fuisse scriptorem illum vitæ Beati Guillelmi, quæ circumfertur, vulgata à Surio. Qui prærermissis prioribus vitæ Actis, & Monachi, & Abbatis, totus est in narrandis gestis Episcopi.

a *litteræ D.*

4. Pertinet item ad eundem annum primæ Abbatissæ Carricensis obitus, Mariæ Comitissæ, Stephaniæ fundatricis filiæ, quam ad hunc vsque annum pertigisse, in antiqua Kalenda eiusdem domus notatum video. Nam quod nonnulli volunt, talem numerum, ad Æram Cæsaris, non ad annum Christi, pro more antiquo Hispaniæ referendum; conuincit priuilegium Alfonsi Castellæ Regis, expeditum apud Beneuentum octauo Kalendas Iunij, Æra millesima, ducentesima, quadragesima prima, quo *Comitissæ Dominæ Mariæ, in Villa, & Monasterio, de Carrizo, atque eidem Monasterio, in perpetuum concedit, vt liberi remaneant eius vasalli, à petito, & pecto, fosada, & aliis iuribus, quæ ad Regiam vocem possunt pertinere.* Quare cum constet, Mariam superuixisse longe post Æram millesimam, ducentesimam, trigesimam, consequitur, designatum in libro annorum numerum, ad annum Christi, fore referendum; quod si verum est, inuenietur præfuisse dicta Maria quinquaginta & quatuor annis; nempe à millesimo, centesimo, septuagesimo sexto, quod eò facilius euenisse potuit, quò filia fundatricis, in Monasterio, à matre recens erecto, ab initio suæ conuersionis præfuisse credenda venit. Verum est tamen, in serie Abbatissarum duas alias describi electas ante hunc annum. Iacet Maria in medio chori Sanctimonialium, in sepulchro marmoreo, Leonibus lapideis superpositio, atque altari contiguo, quod Stephaniæ matris ossa claudit.

Mariam inter fœminas Sanctitate illustres Cistercij memorat Philippus Seguinus, [b] atque ex ipso Chrysostomus Henriquez in Menologio quarta die Octobris, vbi & eiusdem Seguini verba adducit, quæ ita habent. *Maria Virgo, ex Regio sanguine sata, filia fuit Dominæ Stephaniæ, Armigniaci Comitissæ, quæ solitariam desiderans vitam, Monasterio Beatæ Mariæ de Carrizo se inclusit. Cuius etiam imitatione, multæ Principissæ sese puriori vitæ addixerunt. Multæ denique fœminæ, ipsius exemplum secutæ, Sanctimoniæ laudes apud posteros meruerunt. Quanta vero cum perfectione ad Summum virtutum culmen erecta fuerit, & in suas pro viribus præclaram morum efformationem transfuderit, ieiunia assidua, vigilia orationes, & alia rectæ vitæ instituta, quæ omnibus, dum Abbatissæ munus obiret, reliquit, satis fidem faciunt. Sepulta est cum Stephana matre sua in medio chori eiusdem Ecclesiæ. Hoc Monasterium ipsa propriis sumptibus extruxerat, cui prima Abbatissa præfuit Maria.* Ita Seguinus in serie Abbatissarum. Subrogatam habuit Tarasiam, sed quæ electa anno millesimo, ducentesimo, decimo tertio: anno millesimo, ducentesimo, vigesimo septimo, adeoque ante hunc annum, obiisse dicitur. Potuit prædicto anno renunciare, & quæ illi succesſit, Abbatissæ, vsque ad tres annos tertiæ, super viuere: & forte ideo Alfonsus in priuilegio Abbatissam non nominat, etiamsi in ipsius gratiam concessum, nullius alterius, quàm ipsius exprimat nomen.

5. b *lib. 3. cap. 118.*

6. Hoc ipso anno Mannes, siue Mamertus (nam vtroque video nomine appellari) Frater S. Dominici Guzmanij, illustrauit Monasterium S. Petri prope Gumielem, non Cistercium professus; vt quidam putant, sed ibidem sepultus, cum Fratris viuens institutum professus esset. De eius sepultura, & Sanctitate, ita Bernardus Guido, atque ex ipso alij Scriptores Dominicani. [c] *Hic obiit, & quieſcit in Monasterio quodam Monachorum Alborum in Hispania, vbi miraculis, & virtutibus claruit, Sanctus reputatur, & honorabiliter custoditur prope altare, ibidem habens venerabilem sepulturam. Sic de loco, sepultura, & fama Sanctitatis, retulit in Capitulo Generali Tolosæ anno Domini*

c *apud Maluendam.*

Domini milleſimo, trecenteſimo tertio, quidam Frater Hiſpanus, qui erat Socius Prioris Prouincialis Hiſpaniæ & fuerat ad tumulum eius. Hæc ille. Quæ eadem Leander Flaminius, aliique; & nos ſepulchrum illius non ſemel viſimus. Ferdinandus Caſtillus auctor eſt, Monachos Sancti Petri Gumielenſis, ex antiquis monumentis, & traditione quadam, inter ipſos recepta, aſſeuerare, Mannem in eorum cœnobio Monachum, & Abbatem extitiſſe; nec eo gradu quieſcere volentem, etiam in Ciſtercij Abbatem, promotum eſſe: & quidem quoad Monachum attinet, & Abbatiam, vtrumque eiuſdem domus, video etiam ab aliis affirmari: [d] ſed meo iudicio, ſine fundaméto [e]. Neque enim in Catalogo Abbatum inuenitur, cum ſeries eorum, ad nos vſque deducta per inſtrumenta conſtat; ſed neque aliquod ſcriptum, ſiue pictura antiqua, quod id vel leuiter videatur indicare produci poteſt; & de Abbatia Ciſtercienſi compertum eſt, neque poteſt in dubium reuocari. Crediderim, recentiores aliquos, moros ex loco ſepulturæ, & religioſa Mamerti profeſſione, Ciſtercienſem putaſſe. Nam cur Dominicanus, non inter ſuos, ſed inter Ciſtercienſes ſepultus eſſet? Sed placet in hoc Maluendæ coniectura; Sanctum videlicet, *vel in paterna domo, vel alibi in itinere quopiam, extra ſuum Monaſterium defunctum, in Sancti Petri Gumiellenſis cœnobio conditum. Nam ſimile quidpiam S. Thomæ Aquinati accidiſſe certum eſt, qui in Monaſterio Foſſænouæ, Ciſtercienſis Ordinis, ſepulchro ibidem inditus fuit.* Hactenus ille. Quibus potuit addere ſpecialiores in Mamerto cauſas, ſeu viſitandi cœnobium Gumielenſe, ſiue in eo accipiendi ſepulturam. in quo nimirum tam pius pater, quàm mater, vt ſupra memoraui, conditi eſſent. Maneat ergo ſuis quandiu vixit; nos ſolam ſepulturam, & ſacros cineres, nobile illud Sanctuarium illuſtrantes, commemoremus.

[d] Moutaluo lib. 1. c. 44.
[e] Henriquez in Menolog. Martij 15.

7. Rodericus Nimenius Toletanus, non minus propriis dotibus, quam ſuæ prærogatiua Eccleſiæ, illo præſertim æuo, Hiſpaniæ Primas: Hortæ ab infantia addictus, Martini memor, cui loco corpus dudum legauiſſet; qua licuit etiam animum, certe ad animi dotes acquirendas; inſtrumenta potiſſima, inſignem Bibliothecam, multis refertam libris, quam à teneris annis cumulauerat, donatione inter viuos confirmauit, ſolo vſufructu ſibi reſeruato, quandiu viueret. Extat & legitur inſtrumentum donationis, in hunc tenorem [f]. *Notum ſit omnibus, tam præſentibus, quàm futuris, quod nos Rodericus, Dei gratia Toletanæ Sedis Archiepiſcopus, Hiſpaniæ Primas, damus omnes libros noſtros, quos habemus, Monaſterio de Horta, iure Dominij poſſidendos in perpetuum, & habendos, vſum tamen librorum omnium nobis, quãdiu vixerimus reſeruamus. Vt autem hæc noſtra donatio perpetuum robur obtineat firmitatis, Abbati, & Conuentui eiuſdem Monaſterij præſentes literas conceſſimus, ſubſcriptione manus propriæ, & ſigilli noſtri patrocinio communitas. Datis apud Bliecos anno ab Incarnatione Domini milleſimo, ducenteſimo, trigeſimo. Nos Rodericus, Dei gratia Toletanæ Sedis Archiepiſcopus, Hiſpaniarum Primas, facio, & confirmo.* Hactenus inſtrumentum donationis, qua nulla maior; & conſeruantur libri hodieque in vitella ſcripti, inter quos & prototypon hiſtoriæ eiuſdem Archiepiſcopi, atque alia M. M. S. S. aliquorum auctorum, qui non de facili valeant inueniri, in Bibliotheca, plane ſumptuoſa, quam ad inſtantiam noſtram ante annos viginti conſtruxere. Occupant dextrum latus, à parte Capitis, quamuis iam diminuti multi Codices, alij omnino amiſſi, non inueniantur.

[f] ex Archiuo Horta.

Rodulphus item, Claræ-Vallis Abbas, qui 8.
anno præcedenti inſignem virum Adamum, Morinorum Epiſcopum, ad habitum admiſerat; hoc, ſubæqualem, certe magni nominis, Philippum, S. Lupi Trecenſis Abbatem, abdicata Abbatia, Monachum fecit, vt notat Nicolaus Camuzatius in Miſcellaneis, vbi agit de Præpoſitis Eccleſiæ S. Lupi, antequam in cœnobium Ordinis Sancti Auguſtini pertranſiret. *Philippus, ait, dimiſit Abbatiam (ſcilicet Sancti Lupi & factus eſt Monachus in cœnobio Claræ-Vallis, circa annum Chriſti milleſimum, ducenteſimum, trigeſimum.* Monaſterium Sancti Lupi, in Diœceſi Trecenſi, in libris Cameræ ſexcentorum Florennorum taxa notatur.

Quod attinet ad Militias Sacras, id Annalibus 9.
dignum, præ aliis video, cum multa hoc anno patraſſent in Saracenos Calatraua, & Alcantara, altera ſub Alfonſo Legionenſi, ſub Ferdinando altera, in quorum vtraque Regnis ſita eſſet; cum vtraque alterius auxiliis, de infidelibus, contra quos inſtituta, triumphare poſſet: à morte Alfonſi, diuiſæ inter ſe; Calatraua Ferdinandi partes ſequuta, Alcantara Sororum; illa ſuum Regem numquam deſertura cui militare nata: hæc ſui vltimam in morte voluntatem, quantum ſibi daretur, proſequutura: & erat illi curæ Regni maieſtas, ne Legionenſes, antiquius longe Regnum, Caſtellanis recentibus; ſubditis olim, qui illis imperaſſent, ſubiicerentur. Sic iura belli; Fratrem in ſorores, & ſorores armabant aduerſus Fratrem, ſimul omnia turbabant; & ſibi Calatrauam, & Alcantaram, ex recenti adoptione, matrem, & filiam, ſiue ſorores, ex antiqua profeſſione vocare velis; Militias Sacras eiuſdem inſtituti, ſub eiſdem Prælatis, legibuſque, in ſe inuicem verſas, ſtimulabant. Et prorupiſſent haud dubie in clades mutuas, ſi non Tharaſia componens inter Fratres, quod ſupra vidimus, ſuſtuliſſet de medio materiã belli; & qui iam iam vtrimque mutuo inſtabant, à ceruicibus gladios auertiſſet. Præualuit tamen Inclyta Virgo impedire tot mala, facereque, vt colligatis armis, aduerſus fidei hoſtes, quo ſanctius; eo fructuoſius conuerterentur. Acceſſit ſtatim Arias Perezius Alcantaræ Magiſter ad Ferdinandum; nec dubitauit Rex ſibi fidelem, qui Patri vel defuncto ſeruaſſet fidem. Tum gratiæ Deo, ab vtraque Militia actæ, quod reuocata pace, vtraque à parricidio, inuito quidem, ſed pene neceſſario, eſſet immunis.

1. *Ida in Rameya florens, & fructus faciens,* 2. *occultissima quæque,* 3. *absentiaque per prophetiam nosci.* 4. *Dæmones aduersarios habet,* 5. *& eis imperat.* 6. *In refectione,* 7. *sicut in oratione puerum Iesum videt, & eo fruitur.* 8. *Eundem à Maria Virgine* 9. *suscipit.* 10. *Qualiter sit à Sancto Viro visa, & cognita* 11. *Septem spiritus Sancti donis repleta,* 12. *mense Octobri in grauem morbum incidit.*

CAPVT OCTAVVM.

1. FLOREBAT interim prophetiæ spiritu clara, atque miraculorum dono illustris B. Ida Niuellensis, apud Rameyam, & inter Belgij eximia luminaria, cum plurima fulgerent, pene vt Luna inter Stellas conspiciebatur. Cogitationes cordium cognoscebat; præterita futura, absentiaque, atque abstrusissima quæque reuelabat. Conuertebat animas, sanabat corpora, imperabat Dæmonibus, loquebatur cum Angelis, & Deum sibi in cunctis assistentem, ne dicam obsequentem, certè operantem, quæcumque petiuisset, experiebatur. Consummanda in breui, explebat tempora multa; placita enim supra alias erat anima eius. Nos singulorum donorum selecta quædam, neque vt narremus, sed velut in exemplum proponamus. De dono prophetiæ, audi sequentia. Clericum, cum Religiosa quadam fœmina [a]: parentem cum naturali peccantem filia [b], per spiritum nouit: & arguens, obsecrans, increpans, effecit, vt vtrique à viis suis pessimis, atque conuersatione damnata deterrerentur. Idem illi cum Regulari quodam Canonico, qui in Apostasiam inciderat, idem cum aliis contigit; neque vllum peccatorum genus fuit, quamtumuis internorum, de quo non ipsa à Deo, peccatores ab ipsa, & plerumque cum fructu admonerentur.

a *cap.* 12.
b *cap.* 11.

2. *Canonicus quidam Præmonstratensis (sic habent eius Acta [c]) vir religiosus, & bonorum operum, Venerabilis Ida, pariter in curru sedentes ab oppido Loua amicus quodam tempore, nimia curiositate fatigatus est in conscientia sua; pro eo quod timebat, ne non sufficienter confessus fuisset peccata sua; & per aliquod temporis spacium mentem eius tã grandis turbasset scrupulositas, velut sagitta quædam accutissima, vehementer turbauit cor eius. Ita vt eodem momento videretur sibi interius in spiritu suo audire vocem dicentẽ sibi: Perge Frater ad Sororem Idam de Rameya, & illa certificabit te de peccatis tuis: Cumque ille quodam officio Monasterij sui constrictus, facile licentiam egrediẽdi obtinere non posset, cœpit mœstus anxiari, & cogitare quid ageret? Matrem siquidem habebat foris in sæculo, frequenter venire solitam ad Monasteriũ de Rameya, & cum B. Ida familiare miscere colloquium. Quadam die, dum illa adesset, & CHRISTI sponsa sciret per spiritum Sanctum anxietatem filij eius, dixit ei. Perge, ô, mulier, ad filium tuum, quoniam plurimum anxiatur, & desiderat colloquium meum. Perrexit illa, sicut admonita fuerat, ad filium suum, & dixit: fili mi, quare angustiam cordis, qua fatigaris tot, & tot diebus celasti mihi? Ille æstimans, neminem scire, quod patiebatur, prater solum Deum, ineuitabilem scrutatorem cordium, dixit ei. Mater quæ est angustia, qua affligor? cui mater: scio, inquit fili mi, quod multũ crucieris in conscientia tua, sicut audiui à Domina Ida, Moniali de Rameya. Quod ille audiens miratus est, & mirabilẽ Dei famulam verum dixisse, testatus est. Tandem accepta licentia idem Canonicus venit ad Monasteriũ de Rameya, & mentis suæ incommodum Ancillæ CHRISTI intimauit. Quæ gratiosa quadam liberalitate confortans eum in Domino, & in potentia virtutis eius, posuit manicam cucullæ suæ in manu eius, dicẽs. Sicut verũ esse attendis, quod cucullæ meæ manicam in manu tua; sic verum esse cognoscas remissa tibi à Domino peccata tua. Quo responso tamquam diuinitus accepto valde exhilaratus, consolatrici suæ gratias egit, & amouens à corde suo tristitiæ nubilum, ad Monasterium suum regressus est.* Hactenus ibi.

c *cap.* 16. *Videtur irrepsisse mendũ in textu.*

Quodam tempore circa horam diei sextam [d], *in excessu mentis rapta permansit vsque ad horã nonã. Tandem regrediente eadem interrogata fuit à custode sua vbinam fuisset? & illa; fui, inquit, in Monasterio Vallis-Virginum, vbi vidi quemdam Episcopum, Nouitias benedicentẽ: reuelatusque est mihi status vniuscuiusque illarũ, his inter signis, quod hæc sunt earum nomina. Et tunc sigillatim nouitiarum nomina recitans, subiunxit dicens: quia cum benedicerentur pro suauitate gratiæ cœlestis, quam interius degustabant, viribus corporis destitutæ solo tenus corruerunt. Et quoniã huiusmodi defectus infra benedictionem eis in diuersis locis acciderat, eadẽ loca per ordinem narrauit. Accidit interea non lõgo post tempore, conuersum quemdam de Valle-Virginum venire ad Monasterium de Rameya, quem conueniens prædicta Monialis, fecit diligenter scrutinium, super his quæ de Monialibus Vallis-Virginum audierat, & omnia ita se habere probauit.* Hæc coæuus vitæ Idæ Auctor Anonymus: addens & multa alia eiusdem generis, quæ longum esset prosequi, si singula seorsim reddenda forent.

3. d *cap.* 38.

Cum Dæmonibus frequentes congressus habuit, quos sæpe videbat, *nunc in forma simiæ, ait idem Auctor* [e], *nunc in forma canis, insuper & aliis mille modis, Nullam tamen ei vnquam læsionem inferre prævaluerunt. Dominus enim, qui eam in summa virtutum arce locauerat, & spirituali munierat armatura, dedit ei potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem Dæmonis, quem tamquam magister discipulum semper sibi subiectum, & obedientem habebat.* Vnde etiam in principio eiusdem capitis, cum Dæmon Ancillam CHRISTI aggrederetur, quod eum de dormitorio sororum, per quod singulas tentans vagabatur, exagitaret. *Ipsa eum arripiens (inquiunt Acta) & pedibus suis tamquam vile lutum conculcans, pugno suo percutere cœpit. Pessimus autem ille, tamquam catena vinctus, neque formam vllam prater formam vetulæ prætendit, neque de manibus eius effugere prævaluit, donec multis ab ea cæsus alapis, tandem per licentiam ipsius in fugam versus est, accepto ab ea mãdato in virtute Cruciferi, ne vlterius dormitoriũ ingrederetur.* Satis hæc ad notitiã collati doni: sed nõ pigebit quid aliud superaddere.

4. e *cap.* 13.

Nocte [f] *quadã cum in lectulo suo residens, hæc B. Virgo vigilaret, vidit repente, sicut ei videre à Domino datũ est, oculis corporeis ante ostium dormitorij ignem magnum exurgentem. Et ecce anima quædam in effigie corporali, qua videri, & cognosci poterat, ignem eundem præcedens, concito gressu ad lectum eius properabat. Respexit iterum & ecce ante ostiũ dormitorij tres Dæmones, statura, & aspectu horribiles,*

5. f *cap.* 14.

horribiles, qui eamdem animam insequentes, præditum ignem, quasi de fornace erumpentem per os suum, mira amplitudine patulum, euomebant terribiliter, vt miseram animam, misericordia indigentem absque misericordia huiusmodi cruciaret. Misera autem, quæ tunc iam peruenerat ad lectulum venerabilis Idæ, vestibus eius se operire cœpit, vt à facie malignorum, eam prosequentium, quodam modo absconderetur. Tunc famula CHRISTI misericordi oculo, & compatientis affectu intuens eam: Noli, inquit, timere, ô paupercula, non traderis in manus inimicorum tuorum, vt noceant tibi, & prævaleant aduersus te. Eleuata itaque dextera bellatrix victoriosa, signum Crucis malignantibus opposuit, præcipiens eis cum omni constantia, ne tremulæ, & pauperi animæ approximarent, & paulo inferius Præcipio vobis immundi Spiritus in virtute Spiritus Sancti, vt absque mora locum hunc deserentes, descendatis in infernum. Qui tantæ adiurationis pondus non ferentes, eadem hora cum vlulatu euanescentes, in infernum demersi sunt. Venerabilis autem Ida prosternens se in oratione, rogauit misericordiæ Dominum, vt omne purgatorium, quo deinceps illa crucianda erat, secundum suam misericordiam ei indulgere dignaretur. Ascendente itaque oratione, & perueniente ad aures Domini Sabaoth, anima illa sine mora libera, sursum erecta volatu, ad sydereas mansiones transiens, extitit choris Angelorum perpetuo socianda. A Domino per Ancillam suam factum est illud, & est mirabile in oculis nostris.

6. Venio ad fauores, quos non minus frequentes de Cælo habuit. § *In die Sanctissimæ illius festiuitatis, qua desideratum sancti Spiritus aduentum in Apostolos summa cum veneratione recolit vniuersalis Ecclesia, Virgo accedens ad altare cum omni reuerentia, viuificum corpus & sanguinem Domini deuotè percepit. Cum itaque comedisset cum latitia panem suum, & cum gaudio vinum suum bibisset, quoniam quidem placebant Deo opera eius, tanta suauitatis dulcedine anima eius inebriata est, quod grandis fuit ei labor, chorum intrare, & horas diei frequentare. Peracto autem Missæ maioris officio, cum post sextam introisset refectorium cum cæteris, & cœpisset comedere; ecce subito claritas magna circumfulsit eam, & radiis eiusdem claritatis oculi eius reuerberati sunt. Ipsa autem statim manica cucullæ suæ faciem suam operuit, ne claritatem eamdem conspiceret; frustra tamen. Cùm itaque cæteris comedentibus non comederet, ecce inopinatè dilectus eius candidus, & rubicundus, quem elegerat ex millibus, scilicet Christus Dominus, in specie pueri duodennis ei astitit, tanta pulchritudine gratiosus, & amabilis, quod eius pulchritudinem exprimere non potuisset. Vestimentum autem, quo induebatur cerulei erat coloris, & facies eius quasi flamma ignis luminosa, & venerabilis; capilli verò capitis eius, crispi, & medio colore colorati videbantur; & dilectam sponsam suam, quam visitare venerat, tantum, respiciens, alias Moniales quæ in refectorio erant minimè conspiciebat. Sicque aliæ materiali corporis esu reficiebantur, ipsa verò reficiebatur edulio amoris diuini. Cum autem lectrix finem fecisset lectionis, hæc etiam visio finem accepit. Ille enim dulcis puer, cum eadem, qua aduentus, claritate, in altum se tollens, cum illa dulci oculorum intuitu sequeretur, post modicum patente Cœlo receptus, videri ab ea vltra non potuit.* Hæc refectuæ mortalis corporis artus. Quid nisi oranti plus aliquid contigerit? [h]

h *cap. 21.*

Sacratissima illa nocte, qua Dominus maiestatis de Virgine nasci dignatus est, venerabilis Ida, quam tunc infirmitas corporis in infirmitorio cogebat detineri, residebat in claustro post vigiliarum expletionem, expectans à Domino sibi transmitti cœlestis gratiæ benedictionem. Cumque Sacerdos primam Missam cantans hostiam eleuaret, vidit illa in manibus eiusdem Sacerdotis puerulum, tamquam recenter natum, speciosum verè super omnimodam pulchritudinem omnium paruulorum. Et paulo inferius. *In eodem autem loco claustri, in quo residebat, mirabili vlterius dulcorata visione, cum iubilatoria mentis iucunditate vsque ad finem laudum permansit. Post laudum vero decantationem, lotis manibus, & ore suo, interius ingressa est cum cæteris Monialibus infirmis, Ecclesiam, & retro chorum in angulo quodam resedit. Et cum secunda Missa cantaretur, vidit iterum in manibus Sacerdotis puerulum delicatum, gratioso vultu melliflua iucunditatem exterius demonstrantem.* Et tandem vltimò. *Permansit autem vsque ad Missam maiorem, in eodem loco, & vt in præcedentium Missarum celebratione viderat, vidit modicum grandiusculæ staturæ puerulum, de Altari venientem ad se, qui ei amplexum, & osculum præbens, seipsum etiam ei ad amplexandum, & osculandum sua dulci benignitate, & misericordia concessit.* 7.

Cumulabantur fauoribus fauores, nec Regina Angelorum, Angelive, pro suo quisque modo, minus in Idam officiosi inspiciebantur. [i] *Abbas quidam ordinis Cistercienſis, vir Religiosus, & omnium bonorum amicus fidelis, die quadam veniens ad Monasterium de Rameya, cœpit cum Venerabili Ida deuotum & Sanctum habere colloquium. Et cum loquerentur ad inuicem de salute animarum, & de charismatibus gratiarum Omnipotentis Domini, Ida vulnerata charitate, gratiæ superuenientis abundantiam sustinere non valuit, statimque viribus corporis destituta est, & facta in excessu mentis coram quibusdam, illic sedentibus, more solito suauiter obdormiuit. Et cum ab aliquibus tangeretur, vt ad se rediret, excitari omnino non potuit. Sed in eodem loco vsque ad horam Completorij sic rapta permansit. Post Completorium autem delata est à sororibus in infirmitorium. Contigit itaque ei, quod ex occasione conceptæ dulcedinis tota die sequenti vsque ad horam vespertinam sic permansit, interiori animæ suæ iucunditate celebrans cum Deo suo Sabbathum festiuitatis cœlestis.* 8.

i *cap. 23.*

Tertia die, prædicto Abbate iuxta Leodium in Ecclesia quadam Missam celebrante, & pro ea infra Missæ Canonem Dominum Saluatorem sedula & humili deuotione cordis exorante, oratio eius ante conspectum Domini Dei Sabbaoth euolauit. Eadem namque die claritas immensa CHRISTI sponsam interius illustrauit. Et ecce cum eadem claritate, cunctis veneranda mortalibus, Regina misericordiæ, Virgo MARIA, gestans in vlnis suis benedictum fructum ventris CHRISTVM, ei repente assistens apparuit. Quæ cùm deflecteret in eã, illos suos misericordes oculos sua dulci benignitate filium suum ei porrexit, & ait; Accipe eũ & collocans in gremio tuo, desideratis amplexibus, & osculis diem festum age cũ eo. Quẽ illa suscipiens, & cũ insatiabili desiderio strictũ in vlnis suis amplexãs, oscularí 9.

non cessabat. Regina autem gloriæ residens iuxta lectum eius super sedem, lecto proximam, per aliquam moram intuebatur ludum illum delectabilem, quoad inuicem sancta familiaritate dulciter iocabantur. Tandem osculorum, & amplexuum iucunditate expleta, dulcissima Virgo filium suum de manibus dilectæ ipsius recipiens, repente disparuit. Grandis autem abundantia cœlestis suauitatis, quam eadem hora Virgo Domini sumpsit, ad cumulum, quasi duobus mensibus in anima eius permansit. Hæc de piissima Misericordiæ Matre Angelorum Regina, Christo cooperante, quo Ida Virgo ab vtriusque pietate, veluti geminatis deliciis perfrueretur.

10. At de Angelis, qui, & ipsi se in fauorum Idæ partem, qua dabatur, miscebant, audi quod sequitur.[k] *Cum vir quidam religiosus, & timens Deum, die quadam coram imagine Crucifixi deuotè oraret in Ecclesia, ecce inopinatè apparuit ei puer JESVS: statimq; prosternens se in terram, cum omni humilitate adorauit eum, petens ab eo vt liberaret eum ab importunitate cuiusdam tentationis, qua vehementer fatigabatur. Puer autem conuersus ad eum, nunc, inquit, fili, non liberabo te quoniam prius oportet, me Sancta quadam familiaritate amoris diem festũ agere cum amica mea, Ida de Niuella in Rameya. Quo dicto venerabilis Ida dulcissimo puero repente assistens apparuit, cœpitque amicabili vultu quodam coram eo grandes lachrymarum riuulos ab oculis suis effundere. Vt autem idem puer tantarum effusionem lachrymarum, de ardentissimi cordis amore procedentium, sibi acceptabilem esse ostenderet, repente peluis aurea in manibus eius apparuit, quam ante faciem dilectæ suæ tenens, lachrymas flentis in ea recipiebat, quibus decoram faciem suam lauabat. Duo etiam Angeli, eidem puero ministerium exhibituri, illic apparentes, linteo candidissimo, quod in manibus habebãt, faciem eius, madidam lachrymis, extergebant.* Hactenus acta. Porrò ad visionis firmiorem certitudinem cum idem vir Rameyam postea adiret, atq; omnes Moniales circumspiceret; quam numquam hactenus corporaliter vidisset, agnouisse Idam, quæ ostensa per spiritum altius multo phantasiæ eius inhæserat, quam si longa assuetudine coniuncta, repetitas transmississet species ad eius oculos. Sed pergo ad aliud.[l]

k *cap.* 24.

l *cap.* 28.

11. *Desiderabat aliquando Beata Ida septem S. Spiritus donis interius illustrari. Contigit autem, eam in festiuitate Beati Andreæ Apostoli, quæ tunc prima dies erat Aduentus Domini, dum Missa celebraretur, in quodam Ecclesiæ loco residere. Et factum est, cum Sacerdos eleuaret hostiam in Altari, vidit illam mirabili modo mutatam in eiusmodi colorem, sicut est Sol in ortu suo, erat enim rubicunda & ardens, & ex ea septem radij luminis egrediebantur. Qui omnes in purissimum cordis eius triclinium descenderunt. Confestim itaq; tam magnifica S. Spiritus Visitatione, & illustratione repleta est, vt ab illa die septem dona Spiritus Sancti, solito abundantius, se lætata sit accepisse.* His multa alia similia referuntur de Sancta Virgine, quæ in illius actis ad longum scripta, nihilominus, à magnis viris probant, fœminam Sanctam.

Sed heu! à magnis viris quibus dignus, vt ait Propheta, non erat mũdus: nam neq; Ida diu frui digna fuit. Nam vix trigesimum primum ætatis suæ annum expleuerat; cum ecce circa huius mẽsem Octobrem, pergunt acta.[m] *Cum appropinquaret terminus vitæ eius, & Dominus, qui mentem illius gratiæ cœlestis radiis illustrauerat, & corpus eius in suo Sancto seruitio custodierat, vellet eam de tenebris mortalitatis huius, ad lucidã Supernæ Ciuitatis mansionem, euocare; corporali eam flagellauit infirmitate, itavt continuò lecto decumberet.* Ita in actis. Porro hanc vltimam Virginis ęgritudinem incœpisse in Octobri præsentis anni, inde conuincitur, quod Sancta obiit Decembri anni sequentis M. CC. XXXI. cum menses prius quatuordecim ægrotasset. Porrò quam se prælliterit constantem aduersum longum, & laboriosum morbum; quã non inter ardores continuos febrium, & dolorũ punctiones, spiritum relaxans, aut carni cedens, quin semper eadem, aut eo se ipsa maior, quo ex morbo fragilior, per totum illud tempus perseuerauerit, eadem acta scribunt totidem verbis.[n] *Cumque quatuordecim mensibus infirmitatis huius (quæ tenero eius corpusculo satis fuit onerosa (frixorio coarctaretur, numquam eiusdem infirmitatis occasione pusillanimis, accidiosa, vel impatiens extitit. Sed semper se paratissimam exhibuit, ad sustinendum multo validiorem infirmitatem, si id placuisset in oculis Domini.* Hactenus ibi. Nos reliqua prolixæ infirmitatis, simul & transitum Virginis glorioſum, & post mortem miracula, cum aliis, anno sequenti quo euenerunt, referemus.

m *cap.* 33.

n *vbi supra.*

---

1. *Acta Capituli, & Sanctæ Trinitatis festum promotum.* 2. *Chronologia,* 3. *& reformatio S. Mariæ de Plani:* 4. *de aliis breuiter.* 5. *Dictum de Fonte-Claro, domo Hispaniæ.* 6. *Cœnobia Virginum de Soliers, & Vinea-nostræ Dominæ.* 7. *De Soliers plura.* 8. *De alio Flandriæ, sed dubio Monasterio,* 9. *& instauratum Sanctæ Crucis-Vallis.*

CAPVT NONVM.

1. QVo anno festum Venerabilis Sacramenti reuelatum Iulianæ eodem video statutum, in Capitulo, vt Sanctissimæ Triados solemnitas maiori cum lætitia, & celebriori apparatu perageretur: forte mouente Deo patrum corda, atque ipsa concurrentia festiuitatum, veluti contestante, non magis alibi gloriam Trinitatis, quam in ipsa Eucharistia relucere. Iussa tamen celebrari absq; sermone ad fratres in capitulo: vt ipsius profunditas mysterij decentius per silentium, neque venerabilius recoleretur. Ineffabilitatem neque immerito, inter Dei attributa numeratam; vel numquam, vel tunc maxime admittendam: neque laudare Deum, sed detrahere magis videri posse, quicumque fari tentat: submittant potius alas, & facies velent. Igitur in Capitulo statutum, vt *Solennitas Sanctæ Trinitatis cum tribus lampadibus in posterum semper fiat, & Abbas celebret in Conuentu; sed sermonẽ, in Capitulo propter materiæ difficultatẽ fieri nõ oportet.* Reliqua intacta: nisi quod tamẽ aliquibus nutantibus (tanta est vis exempli) super perpetua abstinentia à carnibus, quam viderent ab aliis etiam obseruantissimis familiis, recens

mundo

mundo exortis, non obseruari; silentium impositum: præceptumque, *Vt de esu carnium inuiolabiliter regula obseruetur, sub pœnis adiectis.* Hæc in Capitulo.

2. Chronologia Abbatias quatuor numerat, easque vt apparet, inuerso ordine; saltem mutata anni supputatione, neque ab Aprili, aut Paschate, vt hactenus, siue à Cistercij initio, quod probabiliter coniectati sumus; imò neque à Kalendis Ianuarij, vt vulgo omnes; sed à Natiuitate illum incipiens, iuxta morem Romanum, sequenti ordine.

Anno M. CC. XXXIV. Kalendas Ianuarij, fundata est Abbatia Labacensis.

Tertio Kalendas Ianuarij, Abbatia de Plani.

Eodem anno Kalendis Martij, Abbatia de Cana, siue de Caua.

Eodē anno VIII. Idus Augusti, Abbatia de Valētia. Hactenus ibi. Iuxta quem ordinem priores duæ domus, ad finem præcedētis anni, quàm ad huius initium magis spectant. Et quidem Abbatiam de Plani, certum est, ab anno præcedenti Cistercio adductum, sub Sanctæ Vallis Abbatis, aliàs de Fulina, visitatione, adnitentibus Apostolicæ Sedis visitatoribus, & volentibus Monachis, cum se sub laxiori disciplina, tam in spiritualibus, quam in temporalibus imminutos experirentur. Extant de hac huius Monasterij reformatione, ad Cistercienses ritus, Gregorij litteræ, quas totum rei processum, & qualitatem loci continentes quamuis proximum annum concernentes, in hunc locum consulto reseruaui. Sic autem habent.[a]

[a] Ex Regestis Greg. ex vaticam.

3. *Abbati, & Fratribus Sanctæ Mariæ de Plani, Cisterciensis ordinis, Cenetensis Diœcesis. Ex parte vestra fuit nostris auribus intimatum, quod cum olim dilecti filij, Prior Ecclesiæ S. Martini de Venetiis, ordinis Prædicatorum, & eius Collegæ, visitatores Ecclesiarum exemptarum Cenetensis, Felitrensis, Belunensis, & Concordiensis ciuitatum, & Diœcesum, per suas nobis litteras intimassent, quod prædictam Ecclesiam S. Mariæ de Plani, quæ ad S. R. E. nullo pertinet mediante, adeo inuenerant in spiritualibus deformatam, & in temporalibus diminutam, quod nulla spes esset, vt posset aliquatenus reformari, nisi Cisterciensis ordo propagaretur ibidem. Adiicientes nihilominus, se reformationi exposuisse ipsorum. Nos S. Benedicti Paduani, S. Mariæ de Varcio, S. Iacobi de Monte Silice, Paduanensis Diœcesis, Prioribus, nostris dedimus litteris in mandatis, vt si res taliter se haberet, & constaret eisdem ipsam, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinere, de Fratribus Cisterciensis, vel alterius ordinis, prout secundum Dominum expedire viderent, ordinarent eamdem. Prædicti vero S. Iacobi, & S. Benedicti Priores (nominato Priore S. Mariæ de Vancio interesse executioni dicti negotij non valente) iuxta mandatum Apostolicum procedentes, ordinem Cisterciensem in Ecclesia præfata instituere; ipsamque cum suis pertinentiis Monasterio de Sana-valle, Cisterciensis ordinis, submittentes, Abbati eiusdem Cœnobij, vt ipsam de Abbate, & Monachis ordinaret, secundum instituta Cisterciensis ordinis, iniunxerunt. Quare à nobis humiliter petebatis, vt quod super iis per prædictos Priores, authoritate Apostolica factum esse dignoscitur robur faceremus firmitatis habere. Nos igitur vestris deuotis precibus inclinati, quod à nominatis Prioribus secundum Dominum pie ac prouide factum est in hac parte, ratum & gratū habentes, prædictū ordinem, in Ecclesia sæpe fata præcipimus perpetuis tēporibus obseruari, Romanæ Ecclesiæ in omnibus iure saluo. Null;*

ergo &c. Dat. Perusij VIII. Kal. Martij anno III.

Hactenus litteræ, & in eis historia reformationis Monasterij S. Mariæ de Plani Cenetensis. In linea Ecclesiarum Claræ-vallis, S. Mariæ Hospitalis etiam dicitur, Taruisinæ Diœcesis, & video in libris Cameræ Apostolicæ S. Mariam de Plani, siue Hospitalis, in Diœcesi Taruisina, Taxa sex, & sexaginta Florenorum, commemorari.

Non adeò notæ nobis tres aliæ domus: & Labacensem, cum domo Cataloniæ, ad annum M. CC. 4. XXIV. dicta sunt qui confundant. Canam, vel Cauam inuenio in Lombardia, Diœcesis Cremonensis, Cerreti filiam; adeoque spectantem ad Clarā-vallem. Lego & Caueam in Gallia, ad Ripā Axonæ, de qua Robertus Claudius in sua Gallia. *Cæuea, vel casea Cisterciensis ordinis, Diœcesis Suessionensis, S. Chrispino dicata, vulgo* Sanct Chrispin En casse, *ad Ripam Axonæ:* verum non hanc, sed illā, ad hunc annum in Chronologia puto memorari. in libris Cameræ, *Mariæ Magdalenæ de Cana ordinis Cisterciensis* In Cremonensi Diœcesi notatur sub taxa florenorum centum, & quinquaginta. Nec conditam de nouo, sed reformatam, ex ipso titulo coniicere libet magis, quam affirmare. Valentiam, genitam à domo Claræ-vallis sub Radulphæ Parente, Tabulæ memorant, in Pictauiensi Diœcesi, vbi etiam notatur in libris Cameræ, sub aduocatione S. Mariæ & ducētorū Florenorū taxā adimplet. Meminit item eius Robertus Claudius, sed nulla alia notitia domū illustrat.

Quatuor Cœnobiis relatis in Chronologia, 5. tria alia Authores superaddunt: Grande-pratum, Montem-Regalem, & Fontem-clarum. Sed Grande-Pratum, cum ipsa Chronologia, sequenti anno dicendum. Montem-Regalem superius memorauimus. Et fortasse ædificia, quantumuis propera, non suscepere Conuentum, ante hunc annum. Fōtem-clarum, Hispanam Illustrem domum, eadem Chronologia sexēnio differt, aut septennio anteponit, vt supra vidimus, & tamen constat, ex eiusdem Cœnobij tabulis, hoc primum à Monachis insessam, & Michaele Abbate, qui à Labecensi Cœnobio (Hispane *de labache*) transmissi essent. Fundator inclytus Iacobus Aragonius, numquam non religiosus, semper beneficus familiæ Cistercienſi, cui destinatus ipse; & qui nobis obsequiis, noua Dei beneficia; & nouis meritis, nouos quotidie triūphos promeretur. Abbatię situs in Diœcesi Ilerdensi, non longe à Cinea flumine, qua parte termini Comitatus Barchinonensis, Aragoniam contingunt. Hinc facile ficariis, atq; prædonibus, quibus Prouinciæ abundant, patebat transfugio; sed hi coërciti, seu motu, seu reuerentia, quamdiu vixit Iacobus ab eius morte atrocius erupere: adeo Cœnobio infensi, graueſq; vt ne cum bonis & quiete, vitā perderent, Monachis alio inde migrandum foret. Mansere tamen, in eodem loco, ad annos C. XIII. plus minusve, nempe vsque ad M CC. XLIII. quo Regiam, cum priuata, fundationem mutare coacti, in secundum lapidem ab Vrbe Cæsarauguſta transtulere Cœnobiū, quod hodieq; ibidem florere visitur, sub S. Fidis Virginis (cuius paruum sacellum præcessisset in loco) aduocatione. In Chronologia circa idem tempus notatur, vt nouum Monasterium, sed falso tamen cū alias trāslationes prorsus omittat. Nos si quid forte specialius, in hac fuit, dicemus in tēpore, aut alteri dicendum reseruabimus. Interim adnoto, illius centuriæ annorū, qua Fons-Clarus permānsit, nullā maiorē peruenisse ad nos notitiā; neque

video ab Incolis ipsis conseruari. Quæ à tempore translationis sequuta sunt, suo loco commodus, & quidem non vulgaria dicenda erunt.

6. Monialium duo alia Cœnobia lego, hoc anno, ab Augustinianis institutionibus, transiisse, ad Cistercienses, de quibus Aubertus Miræus ita in Chronico Cistercien. [b] *Moniales de Soliers, prope Huyum, ditionis Leodiensis oppidum, assumunt habitum Cistercienſem, relicto Augustiniano. Idem fecerunt Moniales Vineæ nostræ Dominæ, à Raynero, Priore Belli-Fageti fundatæ.* Sumpsisse videtur, ex magno Chronico Belgico, qui fere eadem habet, sed paulo fusius. [c] *Tum (ait) ideſt circa annum M. CC. XXX. Moniales de Soliers, prope Huyum, Ordinis Sancti Augustini, assumpserunt Ordinem Cistercienſem, & simul Moniales Roberti Montis, translatæ sunt ad locum, qui dicitur Vallis-benedicta. Istis diebus fundatum est Clausirum, quod dicitur vinea nostræ Dominæ, a Raynero Priore Belli fageti, Ordinis Sancti Augustini, qui de Consilio Ioannis Episcopi, vnam partem bonorum suorum Clero dedit, & alteram Monialibus, quæ post, Ordinem Cistercienſem susceperunt.*

b *in Additionibus.*

c *Inter Souptores Germaniæ.*

7. Distinctius adhuc, quod ad prius Cœnobium attinet, Ægidius Auræ vallis, in eo quem scripsit libro de gestis. Leodiensium Episcoporum: sic enim habet. [d] *Tertio autem Episcopatus Ioannis anno, Deo inspirante, Nonæ de Soliers, Ordinis S. Augustini, assumpserunt Ordinem Cistercienſem; quarum prima Abbatissa nobilis, & religiosa, Domina Isabela de Bonem, consanguinea dicti Episcopi, extitit* Hæc ille de Virginibus de Soliers, nam de his, quæ in Vinea nostræ Dominæ, nihil noui produnt, quod proferamus.

d *in Ioanne Episcopo.*

8. Lego in Roberto Claudio fundatum à Ioanna Comitissa iuxta Insulam Flandriæ, Diœcesis Tornacensis Monasterium Monialium, sub Sanctæ Margaritæ aduocatione. *Sancta Margareta, ait,* [e] *Fœminarum Ordinis Cistercienſis prope Insulam, Diœcesis Tornacensis, fundatur anno M. CC. XXX. à Ioanna, Flandriæ, & Hannoniæ Comitissa.* Hæc ille. Meyerus, ad annum M. CC. XXXV [f] hæc habet verba. *Pontifex Romanus confirmat institutum, & bona Monasterij Nouæ-Terræ in Slipis, in loco dicto Hunkeulict, in Diœcesi Tornacenſi, vbi iam est Parochialis Ecclesia, dicta Sancti Petri Sacellum. Erat autem Monasterium Virginum Cistercienſium. Actum Viterbij VIII. Idus Februarij anno sui Pontificatus nono, ideſt anno Domini M. CC. XXXV. Eodem anno Ioanna Princeps approbat, & confirmat per suas tabulas eiſdem Vestalibus suum locum, ac bona in Slipis, consensumque præbet Monasterio ibidem ædificando* Ita Meyerus: nec mihi constat, an eadem domus Sanctæ Margaretæ, quæ Nouæ-terræ, maximè cum eodem Meyero teste, neutra inter opera publica, quæ Ioanna Comitissa struxit, commemoretur. Diœcesis Tornacensis eadem est. De Slipis nullam in Authoribus Flandriæ, ex qua rem aucuper, nuenio mentionem. Ergo de his, Gentilibus relinquo certam notitiam.

e *in sua Gallia.*

f *l 8. Annal.*

9. Sequitur Sanctæ Crucis-Vallis Cœnobium, quod supra memorauimus, instauratum hoc anno, cum bellicis tumultibus, ante aliquod tempus vastatum esset. De qua instauratione hæc ex eiusdem domus monumentis, Chrysostomus Henriquez in suis liliis. [g] *Postea verò cum in bellicis tumultibus euersum Cœnobium esset, instaurari, & quasi de nouo fundari cœptum est circa annum Christi M. CC. XXX. ab Egone, seu Hegone, Comite de Landauu, filio Ludouici Comitis, ex Clementis Comitis Hhemburgensis filia Domina Agatha, octo filiarum, & quinque filiorum matre. Benefactores vero Monialium huius congregationis leguntur fuisse maximè Comites de Vvllenteten, & Harmanus iunior, Comes à Gruningen, & Landauu, qui pro se, & Coniuge sua Heduuige, filiisque Ludouico Comite, & Parocho Constantiensi ad Nicrum, Conrado, & Zberhardo, dono dedit Abbatissæ, & Conuentui Sanctæ Crucis Vallium, iurisdictionem pagi, & totius Ecclesiæ Andelsingensis in eadem vicinia positæ. Est in eodem Cœnobio insignis sepultura Comitum de Landauo, Gruningen nobilium item Virorum ab Hettenstein, qui magni dicuntur fuisse eiusdem Cœnobij benefactores. Huic Monasterio multæ Principes Virgines, quæ sæculi diuitiis, ac vanitatibus spretis, ibidem Cistercienſe institutum amplexæ sunt, piissime præfuerunt.* Hactenus Henriquez, Catalogum Abbatissarum ab eodem adductum, apud ipsum, qui volet, videre poterit.

g *l. 2. dist. 15.*

ANNVS CHRISTI M. CC. XXXI. — ANNVS CISTERCII C. XXXIV.

1. *Templariis, Hospitalariisque spoliatis à Friderico,* 2. *Abbas Casamarienſis, à Pontifice ad ipsum* 3. *Legatus mittitur.* 4. *Friderici versutia,* 5. *& status Vrbis.* 6. *Remissus Abbas ad eumdem Imperatorem;* 7. *atque Archiepiscopus Regiensis frustra adiunctus.* 8. *Friderici fraudes, & status rerum turbidus.* 9. *Sed nihilominus à Gregorio omnia paccata.*

CAPVT PRIMVM.

SEQVENTI anno, qui fuit ab ortu Christi, milleſimus, ducenteſimus, trigeſimus primus; à condito Cistercio, supra centeſimum, quartus & trigeſimus; Fridericus Imperator, è Syria redux, quæ multa Hospitalariis, Templariisque, resistente Goberto, non intuliſſet in Italia allaturus, eorum bona, quasi sibi debita, quo iure, qua iniuria, & nullo iuris ordine seruato, per vim donationis vsurpabat. Restituerat quædam iussu Pontificis, in speciem obediens, sed per ludibrium: quippe ablatorum, velut Hydræa capita, præciso quolibet, multa pullulabant. In stabant ipsi,

ipsi, iniuste se spoliari, non solùm in defensos, sed inauditos: & paratos per omnia stare iuri, ante omnia citandos, audiendosque si nihil proferant, quo causam suam tueantur, tum demum condemnandos, & destituendos: cæteros Principes dedisse sibi arces, dedisse oppida, possessionesque, ex quorum fructibus conseruari possent; & Crucem præseferre pauendam paganis populis: res Orientis, per eos continuatas à centum annis, varia fortuna, virtute semper eadem, & quam semper fideles commendauissent. Esto nihil eis Fridericus conferat, cum magis mereantur, & magis egeant; at non spoliet. An multo magis à Principe Christiano, quàm ab hoste patiantur? An magis sibi ab ipso timendum esset? Hæc & similia ad Pontificem Gregorium, vt ad Patrem communem. Tum verò ille Cistercio pro more vsus, Casæmarij Abbatem ad se vocatum, ad Fridericum mittit, omnia, & singula in ipsius ore ponens, litteris datis, quæ ex Regestis extractæ, ita habebant. a epist. 101.

2. *Friderico Romanorum Imperatori semper Augusto, & Regi Siciliæ.*

Si verè desideras, sicut decet, vt Terræ Sanctæ negotium non turbetur, sed potius dirigatur; expedit, vt Hospitalarios, & Templarios, per quos Terra illa est inter multas angustias hactenus gubernata, & si e quibus nequaquam posse creditur gubernari; nulla molestatione fatiges; sed potius beneficentiæ gratia prosequaris; sic agens proprium interesse, vt apud Dominum incomparabile tibi meritum compares, & apud homines omne bonum. Sane, vt taceamus, quod nobis mendaciter exprobatur, quod quasi momentanea videtur fuisse possessio de illis, qui per nos sibi restituta fuerint; nunc illorum grauem, & amaritudine plenam querelam non possumus obaudire, lamentantium, quod nuper sunt, & aliis spoliati, cum nec vellent, nec valerent iuris ordinem declinare. Quare non est dubium, quin exinde grauia possint Terræ Sanctæ dispendia imminere: Cum indigentia laborantes non habeant vnde terram ipsam valeant more solito defensare.

3. *Vt igitur conscientiæ propriæ, necnon famæ tam nostræ, quam tuæ, prouidere consulas, Imperialem Celsitudinem rogamus mone do, & hortamur in Domino, quatenus eligas potius vinci misericordiæ pietate (cui cætera virtutes cedere minimè dedignantur) quam de Iustitia exasperata notari; dictis Hospitalariis, & Templariis ablata restitui facias vniuersa; ita quod diuinam cuites offensam, & nos mansuetudinem tuam possimus merito commendare: cum alias patientiam nostram variis detractionibus exponere videreris. Vt autem super hoc plenius tibi nostrum intimemus affectum, in ore dilecti filij, Abbatis Casæmarij, posuimus verba nostra; quibus te credere volumus incunctanter. Datum Laterani IV. Kalend. Martij, anno IV.* Hactenus per Abbatem Casæmarij Gregorius ad Fridericum, sæueritatem mansuetudine demulcens; sed nihilominus acuens mansuetudinem; vt eo magis ab ipsa Friderico, atque Aulicis eius timendum foret.

4. Non erat Friderico pacata mens erga summum Pontificem, memori quippe publici anathematis, quo ipsum inusserat, atque persuaso ipsius interuentu, confœderatas Italiæ Ciuitates, quæ dudum in Imperium rebellauissent. Vnde nihil aliud, quam vindictam acrem, atque vicem Gregorio reddendam meditabatur; sed cum non tutam sibi reputaret obedientiam Ecclesiæ palam exuere, confugit ad dolos, atque Legatum honorifice excipiens (& erat alias illi charus, vel inter paucos) dum legit litteras, & mandata audit, obsequium simulans, lacinioſus in verbis, in rebus tenax, magnifica in Ecclesiam, & sedem Petri, de se modesta scribit; præterea nihil operi: sed neque quid scripto mandare voluit; solum in ore Abbatis multa posuit, pleraque ambigua, & dubia: vsucapienda, si ex voto prouenirent; sin minus, aut neganda, aut eludenda. Sensit dolos legatus, detexitque Gregorio Pontifici. Neque enim quamuis callidum ingenium Imperatoris, sagacitatem eius superabat. Sed Gregorio præuento nobis curis, idem ac Friderico, vt non per fraudem, per dissimulationem faciendum fuit, nam audi quod sequitur, cum Venerabilis Abbas iret, rediretque & Friderici responsa sustineret.

5. *Cum Gregorius Pontifex (ait Bzouius) b Perusium ad componendos motus aliquorum Ciuium se contulisset, Romæ seditio permaxima exorta est. Cœperant paulo ante Romani, explosò Consulum Magistratu Senatores, quandoque vnum quandoque binos creare annuos, qui eius populo dicerent, & custodiæ Vrbis curam haberent: dato in primis Sacramento Pontifici. Itaque per absentiam Pontificis, Annibalem, Annibalda familia natum, & Gregorium parum æquum elegerant, præsertim hi, qui partes Friderici Imperatoris sequebantur. Inter quos cum plurimi hæreticorum censerentur, aliquos etiam sacerdotum eadem labe infecerunt, & à Gregorio separarunt. Hi porrò Pontificem formidantes, cum Senatore Annibaldo populum, facilè mobilem, ad rebellionem concitarunt, atque deinde exercitu collecto in Viterbienses, Gregorio addictos, promouerunt* Hæc Romæ interim. b hoc ann. num. 3.

6. Ergo Gregorius, cum se his curis implicitum videret, nec minus sibi timendum à Friderico, tempestate suborta, quam à se Friderico, vt ipse arbitrabatur, non dubitaret; dissimulare placuit, quod vnicum conseruandi Imperia medium est; nec dissimili arte, quam ille vsus, eodem Casæmarij Abbate rursus remisso, in Epistola amica, gratantique, reliqua ex parte in ore Legati posuit; ex parte in tempus distulit, à Friderico per Nuncios proponenda, cum primum ipse Roma, quod in proximo erat, egrederetur. Instituit tamen (quod vnum moram pati non videbatur) restitutioni eorum, quę Fridericus Templariis abstulisset, Hospitalariisque; super quo etiam Regiensi Episcopo, qui se ad hoc promisisset interuenturum vt Abbatis instantiam promoueret, per eumdem Abbatem litteras dedit. Exemplar porrò vtrarumque litterarum, ex eisdem Regestris, in gratiam mei lectoris promere libet; ergo ad Imperatorem hæc scribit verba. c c epist. 201.

7. *Imperialis Celsitudinis litteras nobis, per dilectum Filium Abbatem Casæmarii, præsentatas gratanter recepimus, & intelleximus diligenter; gaudentes in Domino, quod erga nos, & Romanam Ecclesiam debitum exhibes sinceritatis affectum: quod tibi Dei, & hominum gratiam comparas, & fauorem, & nos ad profectus tuos efficaciter exhortaris. Cæterùm intellectis, quæ idem Abbas nobis ex parte tua viua voce proposuit, cura plurima occupa-*

ei, & specialiter pro negotio Fidei, nequaquam super his, vel aliis in Vrbe deliberationem habere potuimus oportunam. Sed cum, sicut creditur, noster inde non in longum differatur egressus, tunc poteris ad nostrum Nuntium destinare; qui tuam nobis intentionem exponens, nostrum responsum tibi plenius reportabit; interim autem iis, quæ prædictus Abbas ex parte nostra, mansuetudini tuæ, viua voce proponet, fiducialiter acquiescas, certus, quod votis tuis libenter annuimus, quatenus cum salua honestate possumus. Dat. Lateran. Pridie Nonas Martij, Pontificatus nostri anno IV. Hæc Gregorius clementer ad Fridericum.

7. Porrò, quæ viua voce Abbas detulerit, restitutionem concernere præcipuè eorum, quæ Templariis, Hospitalariisque ablata fuissent, cæteris reseruatis in aliud tempus; constat ex litteris, quas idem Gregorius IX. Regiensi Episcopo inscripsit, quarum, in eisdem Regestis contentarum, hic erat tenor. [d]

[d] epist. 114.

Regiensi Archiepiscopo.

Sperauimus, vt sicut nobis præsentialiter promisisti, Hospitalariis, & Templariis, restitui procurares ablata: sed adhuc ablatis primitus destituti, aliis sunt nouiter spoliati, sicut nobis eorum lamentabilis conquestio patefecit. Cum igitur propter hoc dilectum Filium Abbatem Casemarij, ad Imperialem præsentiam destinemus, fraternitatem tuam rogamus, & monemus attentè, per Apostolicam sedem mandantes, quatenus apud charissimum in Christo Filium nostrum, Fridericum, Romanorum Imperatorem Illustrem, semper Augustum, & Regem Siciliæ, vt eis ablata restituat vniuersa, interponas efficaciter partes tuas, ita quod diligentiam tuam possimus meritò commendare. Dat. vt supra. Lateran. Hæc ad Archiepiscopum Regiensem Gregorius Nonus.

8. Nihil per hos Legatos obtinuisse, siue Templariis, siue Hospitalariis, compertum est: quandiu nouis postea in Fridericum, tùm Legatis, tum litteris, quin & Censuris agendum illi fuit in se, eumdem expertus, quem timuisset: subdolum, vafrum, duplicem; vindictæ auidus? & qui vt acceptas iniurias ab Ecclesia, vt ipse reputabat vlciscereturr, nullis foret flagitiis parciturus. Etenim cognita Romanorum rebellione. f *Occasionem arripuit (ait Abraham Bzovius) res notandi, & sè de Gregorio vlciscendi, per speciem enim defendendi illius aduolauit, & Romanis animos contra Viterbienses adiecit, cumque promisisset (ita Gregorius Sancto Ludouico Galliarum Regi scribebat) terram Ecclesiæ perditam statum reducere, & ipsam pro viribus in Tuscia defendere, non modò nihil fecit, sed insuper, & recuperationem Castri, quod modico labore reduci poterat, impediuit, & cum hostibus Ecclesiæ, vt ex consequentia facti, & litteris demonstrari poterat, fœdus pepigit, vt ipso certo die exinde recedente, illi ad arma consurgerent, & Beati Petri matrimonium occuparent.* Hactenus Bzouius.

f hoc ann. num. 3.

Non tamen potuit in Vicarium Christi 9.
prævalere versutia subdoli Principis, nam pergit qui supra, *Facilè postmodum Gregorius copijs armatis, Petro Capoccio Ductore, audaciam Romanam repressit, & agrum Sabinum, & reliqua patrimonij Sancti Petri recuperauit, Deo vlciscente tumultuarias Ciues, quorum vix decima pars superfuit à contagione pestilentiæ; qua Vrbs post inundationem Tyberis laborauit. Reuersus in Vrbem Gregorius Annibalem, factionis Principem, grauiore anathemate damnauit, & Ioannem Poli, Senatorem Vrbi præfecit. Sacerdotes autem, & Clericos, hæresis conuictos, beneficiis priuauit, dignitatibus exuit, & aliis censuris Ecclesiastica disciplina castigauit; Populum verò largitione pecuniarum recreauit, atque Vrbem ab aquis interraneis putrescentem expurgauit.* Hactenus ibi. Atque hæc omnia sub initium intrantis anni interuentu Abbatis Casæmariensis. Nam qualiter postea, Friderico supplice, atque implorante auxilium Summi Pontificis confœderatas in ipsum ciuitates ad obsequium reduxerit, interuentu Iacobi de Pecoraria, siue de Placentia, Cisterciensis, non minus, & tunc recens creati Cardinalis; sub finem eius, quo euenit dicemus.

---

1. *Rebellantibus in Imperatorem Italiæ Vrbibus, 2. atque Filio Henrico Germaniſque; 3. ipse ad fraudes conuersus Gregorium adit. 4. Ille ad Germaniæ Principes scribit. 5. Deinde Iacobum Sancti Anastasij Abbatem, 6. Cardinalem creatum, 7. ad Lombardiæ vrbes legatum mittit. 8. Quid Fridericus. 9. Quid nouus Cardinalis; atque alia de hoc ipso remissiuè.*

CAPVT SECVNDVM.

1. MENSE Septembri (ne publica hæc diuidam) nouiter seu mentes, seu fraudes Imperatoris, nouos bellorum casus, noua dissidia, atque hæc iterum opposuere Cistercium Italiæ cladibus, assumpto ad purpuram Abbate Sancti Anastasij, & promoto in Legatum Summi Pontificis. Qui Friderico iam reconciliato, atque in speciem supplici, & Ecclesiæ, quam nuper impugnauerat, imploranti fauorem, ciuitates Italiæ, & per eas vniuersum Imperium (nam vniuersum in ipsum rebellauerat) vsque ad Henricum filium, reconciliaret. Rem qualiter gesta sit, paululum altius repetito principio pandam. Oderant Fridericum Imperij Vrbes, oderant & Prouinciæ, Procereſque, & quod Principibus grauius adhuc malum; etiam spernebant. Quippe odium à timore reprimi solet; ne exterius erumpat contemptus, nullo fræno retinetur. Et Fridericus in factis suis inconstans, in verbis fallax, aduersus inimicos formidolosus, & solum atrox aduersus pusillanimes, dum nec timeri, neque amari poterat, à suis æque, & extraneis spernebatur. Carolus mihi Sigonius [a] author est, cum primum, quas in

[a] de Reg. Itali lib. 17.

Eccle

Ecclesiam, & Pontificem machinabatur fraudes, patuere per orbem. *Legatos, & Rectores Ecclesiarum confœderatarum vnà cum Acone Arestino, & Richardo Sanct. Bonifacio, Bononiæ conuenisse, ac nemine dissentiente, fœdus inter se, aduersus Fridericum, nouo iureiurando sanxisse:*

2. Porrò hanc rebellionem Italiæ Vrbium, non ab ipsis, aut aliqua illorum, sed à Germanis Principibus, & quod miteris ab Henrico Rege ortam, id est à proprio filio, (adeò Imperator inuisus omnibus erat) graues alij authores testificantur. Etenim Insubricarum rerum Chronicum, ab Antonio Paduano Monacho scriptum, & vsque ad annum M. CC. LXX. continuatum, quod inter scriptores Germaniæ (ob notitiam, & gesta Friderici) Christianus Vrstisius publicauit hæc habet verba [b]. *Eodem anno M. CC. XXXI. ad petitionem Regis Henrici, Filij Friderici Imperatores, Mediolanenses, & alij adientes Imperium, legatos in Alemaniam direxerunt, & cum eo contra Imperatorem societatem firmissimam statuerunt. Concepit enim Rex dolorem, & peperit iniquitatem contra proprium Genitorem: ideo quod videbatur, quod Imperator plus eo puerum Conradum diligerat, & foueret.* Hactenus ibi, de conuerso in Patrem filio, iusto Dei iudicio, vt qui in Matrem Ecclesiam rebellauisset, filium in se rebellantem experiretur. Germaniæ Chronicum vlterius ad hoc addit, cum Henrico coniurasse Germaniæ Principes; immò ipsos illi authores extitisse coniurationis, sic enim habet. *Henricus Rex Germanorum, Filius Friderici, hostibus iungit se, fœdusque contra Patrem cum Longobardis fecit, impulsu, vt creditur, quorumdam Germanorum Principum: nam pollicitus erat Longobardis sibi venturas ex Germania copias.* Ita in Imperatorem Fridericum Germaniâ, Italia, & Filius rebellauit.

[b] Ad hanc an.

3. Tum verò ipse ad astutias conuersus, fraudesque, quæ plerumque pro armis, maximè timidis; simulare obsequium, fingere fidem, collatum sibi Imperium ab Ecclesia, per Ecclesiam seruandum, nec se nisi per ipsam imperare, aut posse, aut velle: & arma in Sarracenos libenter sumere, in Christianos nequaquam pugnaturum, nedum in proprium filium, quem facilius, quam vincet, tolerabit. Iudicet Pontifex inter ipsum, vrbesque decernat, statuat, iubeat nullum prorsus mandatum recusaturo. Arceat tantum ab Italia ciuile bellum, arceat à filio in Patrem arma sacrilega; quæ vt facilius deponat, & tenuet vires, & auxiliares Germaniæ Principum copias intercipiat mandatis, censuriisque. Pugnent si velint, exteri cum ipso, si causa aliqua subest, parato singulis iustitiam conseruare, at non se misceant filij parricidio, qui possunt ea labe non maculari. *Imperator (pergit vbi supra Germaniæ Chronicon) timens (à filio, & coniuratis) quàm primum mittit Romæ Legatos, qui agant cum Pontifice, vt in Germaniam litteras mittat, filius aduersus Patrem iuuet.* Hæc pro cauendis periculis à filio: at non pro vitandis armis Italiæ vrbium. *Potestatem omnem arbitrariam, ait Bzouius [c], permisit Pontifici inter ipsum, & prædictas ciuitates fœderatas, omnes discordias vertentes componendi.*

[c] ad hanc ann. num. 3.

4. Gregorius iniuriarum oblitus, & pacis auidus, nam minus credulum, non audeam affirmare; (multo autem minus pecunia accepta motum, quamuis sint, qui affirment, & potuit pro subsidio Christianorum in Oriente præliantium acceptare) oblitus inquam præteritarum fraudium, atque quietis, & pacis Italiæ cupidus, primum quidem, ait idem quod supra Germaniæ Chronicon [d]. *Dat in Germaniam litteras Apostolicas, quibus mandat, sub excommunicationis lata sententia ne quis filio aduersus patrem pareat.* Deinde ad reuocandas Italiæ vrbes, legatos deligit, quorum tum curæ, tum industriæ, prudentiæque tuto tantum negotium committi posset. Præerat Monasterio Sancti Anastasij, Iacobus de Pacientia, seu de Placentia (de Pecoraria alij dicendum putant) natione Italus, patria Papiensis, genere nobilis, & cunctis tum naturæ, tum fortunæ dotibus potens, ob quas, & iuuenis Archidiaconatu Rauennæ donatus fuit; sed qui dudum spretis mundi illecebris, Monachum indutus est in Clara-Valle. Inde à Monachis Monasterij Sancti Anastasij, in Abbatem electus, cum ex diuturna familiaritate, atque ex multis negotiis prudenter gestis, innotuisset Gregorio, qui eius sæpè industriam expertus esset; aptus præ cæteris aliis visus est, cui tantæ molis negotium imponeretur. Vna purpura viro deerat, quæ conueniret munere, & maiorem conciliaret gerendis authoritatem. Eà hominum plerumque conditio est, vt extrinsecis his additamentis plerumque moueantur; intrinseca aut non curant, aut non agnoscunt. Ergo Gregorius Cardinalem primum creat; neque ex Diaconis, Presbyterisve, sed ex Episcopis; deinde Legatum ad easdem Vrbes mittit, adiuncto illi Ottone, dicto Blancho, tituli Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Diacono Cardinali, per quos (verùm præcipuè per Iacobum, quem ideo gradu prætulit) concordiæ, & pacis causa promoueretur.

[d] lib. 2.

De eius creatione, ita Chaconius [e]. *Anno M. CC. XXXI. Pontificatus sui V. mense Septembri, Reati, Gregorius IX. Papa tertio creauit Cardinales, inter quos hi fuere. Frater Iacobus de Pecoraria Papiensis, Episcopus Cardinalis Prænestinus.* Itaque quæ ante annum vacauisset, Prænestina sedes, cui duplex Guido, ex Cistercio vterque; vnus post alium, immediatè suffectus erat, tertia electione in Cistercio continuata, Iacobo de Plancia, siue de Pecoraria collata est, atque ipse primus in illa creatione donatus à Gregorio, purpura Sacra. Pergit Chaconius. *Hic nobili genere Ortus, Maiorum decora insigni virtute, & pietate auxit. Monasticam vitam in Ordine Cistercienſi professus, ob doctrinam, & vitæ integritatem, Abbas Monasterij SS. Vincentij & Anastasij, ad Aquas-Saluias extra Vrbem, primum, deinde Cardinalis eligitur.* Hactenus ille de viri patria, genere, Monachatu, Abbatia, atque ad purpuram Sacram promotione.

[e] 5. in Greg IX.

6. Cæterùm quædam, quæ aut variat, aut omittit, quia hic nobis primum memoria incidit illustrissimi viri, & quo Ecclesia in multis & arduis vsa, memorat inter primos illius æui, quandiu non alibi, commodius, certiusve, præcedentibus breuiter subiungam. Primum est, cognomentum de Pecoraria fortè corruptum, & melius de Placentia, aut Pacientia legendum esse. Secundum, quod superius adnotaui, in sæculo Archidiaconum Rauennæ antequam ad Cistercium conuerteretur: & tertium tandem, quamuis genere Italum, non induisse Cucullam Romæ, neque in Italia, sed in Burgundia, &

domo Claræ-Vallis. Constant hæc omnia ex Libro Sepulchrorum eiusdem domus, in qua & ipse sepultus tali inscriptione incisa ferali lapidi.

HIC IACET DOMINVS IACOBVS DE PLACENTIA, ARCHIDIACONVS RAVENNÆ, POSTEA MONACHVS CLARÆ VALLIS, DEINDE TRIVM-FONTIVM ABBAS, DEMVM PRÆNESTINVS EPISCOPVS CARDINALIS.

Ita inscriptio Viri sepulchralis, cui præ aliis fidendum. Nisi quod tamen, quod ad præfecturam attinet, palam est, vtrumque testimonium constare posse. Quippe SS. Vincentij, & Anastasij Monasterium in vrbe, Trium-Fontium etiam dici, vulgo ad *Tres-Fontanas*, & quam ob causam, ni fallor, latè memorauimus. Ergo Iacobus ex nobili, & Docto, Archiadiaconus Rauennæ, ex Archidiacono, Monachus Claræ-Vallis; ex Monacho Sancti Anastasij ad Tres Fontes in Vrbe Abbas; demum hoc anno ex Abbate Cardinalis Episcopus Prænestinus creatus est, vt ea dignitate cohonestatus, Legatia fungeretur, atque Italiæ Vrbes Friderico, & Imperio reconciliaret.

7. Cæterum huic eidem creationi, Legatum subiunctum (vt inde facile liceat coniectari eo fine creatum, vt legaretur) iidem qui supra Authores testificantur. Nam Carolus Sigonius hæc ex antiquis [f]. *Pontifex, quod iam Friderico reconciliatus, pacem in primis, otiumque expectaret, Legatos duos in Lombardiam decreuit, Iacobum, Episcopum Prænestinum, atque Ottonem, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum; datis mandatis, vt Lombardos quacunque ratione possent, ad concordiam cum Friderico redigerent.* Hæc ad hos ipsos Legatos excipiendos, & disponendos rebellium ciuium animos, quo ab eisdem ad pacem, & obedientiam, minori possent negotio persuaderi.

f *lib.* 17.

Fridericus (Sigonius idem [g]*) post recuperatam Pontificiam gratiam, nihil aliud sibi superesse arbitratus, quam vt Lombardos sibi adiungeret; ex Gregorij authoritate Rauennam iterum conuentum ciuitatibus ad rem componendam indixit, atque eo Henricum etiam filium, & Principes suos ex Germania euocauit, atque ad priorem armorum eximendam suspicionem inermis, atque aulico tantum comitatu stipatus accessit, variis secum ad ludum, & delectationem populorum generibus belluarum adductis, nunquam ante, aut certè rarò ad modum in Italia visis; Elephanto, Leonibus, Leopardis, Camelis, & auibus rapacibus, quæ per multos dies mirificum omnibus spectaculum præbuerunt.* Ita Sigonius. 8.

g *vbi supra*

Bzouius legatos conuocasse Rectores Vrbium, at non Pauennæ, sed Bononiæ, memoriæ prodit. *Misit*, ait [h], *hoc anno scilicet, Gregorius Cardinales in Lombardiam legatos, Iacobum de Pecoraria, Episcopum Prænestinum, & Ottonem Blancum, Tituli Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum: qui Bononiæ comitio indicto, nihil non egerunt, & pacem inter Imperatorem, & Mediolanenses, atque reliquos confœderatos restituerent.* Cæterum nec Rauennæ, nec Bononiæ sequuta pax, variis hinc inde studiis: eò minus Friderici verbis fidentibus confœderatis, quò annuebat cunctis, & nihil, quod petebant, recusabat; Patauij stabilienda reseruabatur. Sed quem res tandem exitum habuerit, & qualiter Imperatoris fraudes detectæ, in filium primum impie, mox in Vrbes, demum in Ecclesiam etiam desæuierint? qua nihil sine Cistercio factum est, quod multa ab eo passum, singula suis locis dicenda erunt. 9.

h *hoc ann. num.* 3.

---

1. *Sanctorum ad hunc annum glorioſi obitus.* 2. *Vocata à Chriſto Eliſabetha Vngarica,* 3. *& lecto decumbens,* 4. *ante mortem, vt olor, dulce canit;* 5. *de cœleſtibus diſputat:* 6. *Dæmonem fugat, Sancteque obdormit.* 7. *Concurſus ad Feretrum, ſepulturamque:* 8. *& miracula ibidem à Deo facta.* 9. *Dictum de aliis, & de eius canonizatione remiſſiue.*

CAPVT TERTIVM.

1. ILLVSTRARVNT hunc annum glorioſi obitus intra, & extra Ciſtercium: Quippe extra ex recenti Minorum ordine, Sanctus Antonius, cognomento Parauinus, ex loco tranſitus; ſiue Vlyſſiponenſis, ex natali; atque ex vtroque, non ſolum Franciſcanæ familiæ, cui adhæſit, ſed Luſitaniæ, & Italiæ egregium lumen: intra, Fulco, Archiepiſcopus Toloſæ, ſplendor Galliæ; atque Ida Niuellenſis in Rameya, Brabantiæ, & Belgij gloria; demum ſub habitu griſeo in Ciſtercienſi domo Deo Sacrata, Eliſebeth Vngarica, Ludouici Lantgrauij Turingiæ, vidua; quæ duæ vltimæ in tenera ætate, vt viuentes, de mundo, carneque hoſte communi; ita cum primum viuere deſierunt, inſignes triumphos de morte reportarunt; claræ miraculis, claræ apparitionibus; & altera communi acclamatione, veneratioque, & ſi minus à publica; altera ritu publico, & ſolum Sanctis adſcripta, atque propoſita inuocanda, & imitanda. Igitur de Antonio Patauino, propriæ hiſtoriæ, neque illæ ſine noſtris, cum canoni Sanctorũ adſcriptus ſit interuentu Iacobi Cardinalis, quod ſequenti anno in tempore dicemus: Fulco, quia Vrbanus, ſponte fœminis cedit, nequaquam omittendus, ſed retardus; & Viragini Regiæ Eliſabethæ plures tituli ſuppetunt, per quos cæteris veniet præferenda.

2. Clarebat multis, tum miraculis, tum meritis, & quaſi ad anteriora ſe extendens anteibat Coronam per opera virtutum glorioſa; quin etiam, & celerius arripiendam: *tandem cum poſt deductam vitam religioſiſſime (ait Iacobus Montanus* [a]*) tempus aduenisset, quo Sanctiſſima Dei famula ex hac luce migraret, Chriſtus Ieſus illi iucundiſſime apparuit, dicens: veni electa mea, & cœleſti thalamo, quem tibi ab æterno, deſtinaui, potire. Hoc viſu mirificè lætata, magiſtrum grauitunc temporis infirmitate laborantem inuiſit; interrogantique, quonam modo vitam deducere proponeret, ſi mori ſibi contingeret? confeſtim quid diuinitus didiciſſet, reuelet. Quarto poſt die, aduerſa valetudine corripi cœpit, paulatimque inualeſcente virium defectione, lecto decubuit, animo tamen ſemper*

a *apud Sur. cap.* 28.

per cœlestibus bonis intento, atque in amore Christi ardente. Hoc initium morbi fœminæ Sanctæ: in morbo manus semper admiranda, & continua Domini fuit.

3. *Assidebat aliquando iacenti ancilla vna, cum esse præter infirmantium morem, audit illam, dulcissimo cantu personare, atque ad numeros musicos veluti cygneam vocem artifici modulatione inflectere: tum post aliquantulum moræ, auersam dicere: vbi es, dilecta filia? & Ancilla, en, inquit, ego adsum, subiunxitque: ô quam dulci concentu aures meas demulsisti, Domina pientissima. Mox Elisabeth: tunc, ait, cantum meum audisti? statim Ancilla: etiam, inquit, audiui; & quidem lætissima. Cui Dei famula: Auicula, ait, cœlitus demissa, inter me, & parietem desederat, tanta mihi suauitate per varia cantinelarum discrimina diuinum præcinens melos, vt quamuis infirmo corpusculo, non potuerim me continere, quin & ipsa concinnerem pro viribus.* His veluti cœlestis gloriæ præludiis, fœmina Sancta à charissimo sibi sponso præueniebatur. Pergit Montanus.

4. *Ante diem tertium obitus, vendicatura sibimet secretum; iubet omnes cubiculo excedere, qui ad ipsam visendi gratia conuenerant; arcerique foribus, quoscumque admitti petentes. Interrogata cur id faceret? volo, inquit, tumultus externi vacua, meminisse Iudicis mei, terribilisque censuræ, quam perbreui habeo subire. Pridie, quam decederet, magistro, qui paulo ante conualuerat, culpas integerrimè confessa, Christum in pauperibus testamento reliquit hæredem, vilem dumtaxat tunicam excipiens, in qua sepeliri postulauit: vt tam tunc nihil minus, quã de funeris cura & exequiarum pompa cogitasse credatur. Paucis post horis Eucharistiæ Sacramento refecta, oleoque Sancto perunctа, reliquum diei, ac noctis medium tanto feruore spiritus exegit, vt in dubiis argumentis proderet, Christum hospitem, & pro desiderio excepisse, & pro amore exceptum tenere. Colloquebatur cum assidentibus de sanctissimis rebus, quas vel in concionibus audierat, vel instinctu diuino didicerat: ad postremum subtexens, vt Christus Mariam, & Martham super obitu Fratris mœrentes, inuiserit, vt fuerit benigne consolatus, vt iis animum firma pollicitatione fecerit, vt pariter ad sepulchrum ierit, & denique lachrymas intimæ, verissimæque compassionis indices profuderit.*

5. *Hoc loco veluti profundam rei pulcherrimæ disputationem ingressa, cum stupore, & admiratione præsentium, de iis Christi lachrymis, tam viua tam aculeata, tam flammea tamque ad imum spiritum penetrantia verba fecit, vt omnibus pœnitissime compunctis lachrymas excusserit, vtpote dolentes, auelli se ab ea, quam intimo diligebant affectu. Ad quos Elisabeth conuersa: Nolite, ait, ô Christigenæ super me flere: magis autem super vosmet fletum madescite. Nec aliud loquuta, melos suauissimum, sine labiorum motu aliquo, proferre auditur, sciscitantibusque, qui aderant, quod ea cantinela sibi vellet, respondit, præcinentibus mihi, qua potui facultate concinendi Vicarij munus adiunxi, quos mirum si non audistis. Quibus verbis creditum fuit, Angelos, qui paulo mox egressuram carnis ergastulo animam operiebantur, cœlesti prosonuisse harmonia, eaque infirmam, vt concineret, excitasse.*

6. Hæc & alia similia glorioſa satis, consolationes meritis, & merita cumulabant consolationibus. At vbi venit plenitudo temporis eius *appetente iam noctis medio* (pergit [b]) *circumsedentes intuita: Quid, inquit futuræ essemus, si ipse-*

[b] cap. 29.

met nobis humani generis inimicus repræsentaret? Nec mora: fidentissima voce, veluti abigendo, conspectum horribili simulacro diabolum exclamat: fuge miser, fuge infelix. Imminente morte: hæc est, ait, hora Virginei, & immaculati partus, admonens nos commentari debere aliquid de Iesu puello candidissimo; quemadmodum hyeme, noctu, atque alienis in ædibus sit natus, pannis inuolutus, collocatus in præsepio, à pastoribus inuentus, stella proditus, denique à Chaldeis adoratus. Hæc enim sunt nostræ salutis veneranda mysteria, locupletissima beneficia, ornamenta pulcherrima, in his tota spei nostræ ratio viget, fides proficit, charitas ardet. De his (rogo) disputemus, ac dulciter conferamus. Inter hæc verba, veluti quiete placida obdormiret, Sanctissima Dei famula, capite paululum labente, decessit. Hæc de fœlici dormitione fœminæ Sanctæ, de anno & die, hæc in eodem capite *decessit anno religionis nostræ, milleſimo, ducenteſimo, trigeſimo primo, tertio decimo Kalendas Decembris.* Id est die Nouembris decima nona.

Permansit insepultum corpus per quatuor dies, in quibus vndique ad illud concurrebatur. *Videre tunc erat, ait idem Montanus [c], vt certatim aduolantes, pro se quisque reliquiarum aliquid, vel de capillamento nudi verticis, vel de vnguium præsegminibus, vel de mammillarũ papillis, vel de auricularum summitatibus, vel de laciniis abiectæ, viliſque tunicæ decerpere, &, (quod audacius erat) præsecare festinarent: adeptaſque portiunculas maximi putarent, sæpiusque deosculatas reuerenter asseruarent. Præterea gratissimus odor nares omnium imbuerat, nihil omnino, vel minimi fœtoris, sub tanti spatio temporis à quoquam percipiebatur: veluti si pro hominis cadauere (cuius est proprium, mephitim exhalare) omnium Thesaurus aromatum, ac suauissime spirantia adessent myrotheca. Quarto demum die, peracta solennissimo ritu celebratione rei diuinæ, præsentibus Cœnobitarum præstantissimis partibus, clerique, ac populi ingenti caterua, in Sacello Xenodochij vicino, preciosum corpusculum, per quam honorifice sepultum est.* Ita Iacobus. atque hactenus de morte, & sepultura. 7.

[c] eodem capite.

Pergit de miraculis, quæ crebescere statim incœpere, sed à Cistercio, nempe à Monacho Cistercienſi, ab annis quadraginta, cordis, & mentis morbo laborante, sed sanitati reddito, sola virtute contactus corporis sacri, sic enim subdit capite sequenti [d]. *Cœpit autem mox thesaurus ille quam plurimis coruscare miraculis, & rebus ipsis declarare, quam mirabilis sit Deus in Sanctis suis: adeò vt sexdecim mortuos ad vitam excitasse, leprosis munditiem, surdis auditum, mutis loquendi facultatem, claudis gressum, cœcis visum, miseris, & calamitosis solatium contulisse, famatissime prædicetur. Quæ omnia Siffridus, Moguntinus Antistes, probatissimis documentis confirmata, Pontifici Maximo Gregorio IX. transmisit.* Et paulo inferius. *Cæterum constat, Monachum quemdam Cistercienſem, contactu Diuæ Elisabeth sepulchro, priusquam ossa eximerentur, abacto turbidissimi cordis morbo, quo per quadraginta annos misere discruciatus fuerat, pleno munere conualuisse; & quidem suo ipsius testimonio, quod etiam iureiurando confirmauit.* Hoc initium signorum Elisabethæ post mortem patratorum, vt inde ostensio gloriæ exordium sumeret, vnde gratia cœpisset transferri. 8.

[d] cap. 30.

Inde ad alia transitum illustriora, quanto anima præstat mortali corpore, & difficilius mentis,

quàm

quàm carnis morbi sanari solent. Vitiis sensualitatis irretitus, & in lubrico miseriarum carnis immensus, Elisabethæ interuentu, non a peccatis solum, sed quod mireris, etiam à tentationibus liberatus est, retulitque in confessione venerabili Magistro Conrado de Marpg, asserens quod ab illa hora, ardor in eo libidinis, extinctus, nullam tementem tentationem, nullos motus præcipites, siue nimium vrgentes excitauerit. Aliis prætereà inflatis per superbiam, per iracundiam tumidis, marcidis per inuidiam, siue per auaritiam defectis viribus, opportunè subuenit; & quibuscumque per spirituales morbos debilibus, quantumuis desperatis, inuocata deuotione integram sanitatem impetrabat. Neque omittebat sanare corporum morbos, & cœcis, claudis, mutis, surdisque, visum, gressum loquelam, & auditum glorioſe restituens, sed vicem mentium sanare, difficilius; & quo vtilius glorioſus iudicabatur. His, & aliis signis clarescentem Gregorius IX. intra annum plus, minusve, subiecit indagini, litteris datis ad Moguntinum Archiepiscopum, Siffridum, credo vt Metropolitam, ad Abbatem Eberbaci, Ordinis Cistercienſis, & ad Conradum Maspurgium; illum, velut sub cuius regula, & habitu; hunc, vt cui obedientiam promisisset. Deinde, cum primum certa esse cognouit, triennio nondum elapso Sanctis adscripsit, & litteras de ipsius canonizatione per orbem dedit: quæ omnia, & alia eandem concernentia, singula suis locis reddenda erunt.

---

1. *Ida post septem infirmitatis menses, abundantiori superfusa gratia,* 2. *augeri sibi morbum petit, & impetrat;* 3. *raptam in spiritu* 4. *mortem præstolatur.* 5. *Sancte obdormit.* 6. *Ratio temporis;* & *inscriptio sepulturæ.* 7. *Miracula* 8. *post mortem* 9. *multa,* 10. *& varia,* 11. *Scriptores vitæ, & duplex Rhameyensis Ida distincta.* 12. *Miuellensi ibidem cultus exhibitus.* 13. *Emendatus Brito, atque iterum resumpta ratio temporis.*

CAPVT QVARTVM.

1. IINE anni, prophetiæ spiritu clara, nec non miraculorum dono illustris Beata Ida, post longam ægritudinem. Quippe mensium quatuordecim, defœcata ad purum, mortalitatem exuit, atque ex Rhameya ad Cœlos euolauit Iacuerat in lecto per septem menses, nempe ab Octobri præcedentis anni quod nos ibidem diximus, cum aduenientе sacra solennitate festi Pentecostes resoluta in suspiria, lachrymasq;, quibus se tamdiu ab sponso separatam ineptam ad obsequia, & neque frui permissam, nec promereri, sed velut truncum inhabile relinqui, conquerebatur: sensit repente affluentiam diuinæ gratiæ, sensit donorum copiam; sensit & ipsum donorum, gratiæque largitorem specialius sibi assistere, atque hoc illi properantis sponsi pignus, hæc velut arrha in proximo adeundi thalami fecit.

a cap. 33. *Euolutis, (ait author vitæ ipsius* [a]*) quasi septem mensibus, aduenit dies celebris, quo spiritus Paraclytus effulsit in Discipulos, in quo sicut in cæteris solemnitatibus præcipuis, abundatiore cœlitus saginata est pinguedine deuotionis. Ab illo itaque die vsque ad diem transitus sui Sanctissimam Trinitatem, quasi per speculum intuebatur, & miro modo semper se in Beata Trinitate, & B. Trinitatem in se ineffabiliter contemplabatur.*

2. In his deliciis, quinque alios exegit menses, nempe, vsque ad Octobrem præsentis anni, quo roborata ex continua Dei præsentia, & quo propius nocebat, ardentius flagrans; vrgentius se torqueri à morbo petiit, quo vel citius à corpore soluta perueniret ad thalamum; vel detenta, suppleret per passiones, quod minus per actiones, diutino præpedita morbo exequi posset, nam pergit Author. *Cum spatio totius anni ægrotasset, oratione familiari, quemadmodum solita erat, petiit à Domino, vt si diutius vellet eam languere, languor ei in posterum agrauaretur. Statim orationis suæ consequuta effectum, satis valida febre correpta est. Dixit cuidam amico suo spirituali, quod deinceps languor eius aggrauaretur vsque ad mortem. Quod ita accidisse, rei declaranit euentus. Dixit præterea quod quanto magis corpus eius infirmitatis pondere premebatur, tanto liberius spiritus sursum eleuabatur, & transibat in Deum.* Hæc ad hunc annum, præcedentia glorioſum obitum.

Verum de obitu, audi quæ sequuntur. *In vigilia aduentus Domini ad vesperam, cum soror eius carnalis, mulier honestæ vitæ, Herfendis nomine, assideret languenti, & de bonis Domini ad inuicem sermocinarentur, & prudens Virgo mente iucunda, & ore placido in hæc verba prorupit, dixitque: Ecce ô soror, ecce Beata Trinitas tonat, & descendit in terram.* Pergit Author latius explicare, quid sit tonare Sanctam Trinitatem: & statim ad narrationem subdit. *Crescente itaque deinceps infirmitate quanto minus alimentorum exterius sumebat, & attenuato corpore debilis efficiebatur, tanto velocius adesse arbitrabatur sui transitus diem. Quinta die ante migrationem eius, cum sentiret in proximo dissolutionem sui corporis imminere, oleo infirmorum se petiit inungi, & statim sensit vim Sacramentalis Vnctionis operari in ea; spiritusque eius magna pace quiescere cœpit. Tunc rogabat Abbatissam, vt vniuersos a Domo, in qua ægrotabat, eiiceret, propter hoc maximè, quod spiritus eius diuertebatur. Quod statim ad nutum eius factum est.* 3. 4.

Cum autem Sole occidente clauderetur dies, prima Vigilia noctis à sensibus corporis alienata, rapta est sursum in cœlum, ante conspectum diuinæ Maiestatis: & sic ea diutius quiescente in pace Dei, quæ exuperat omnem sensum, facies mire lucida his qui aderant, apparuit. Monialis autem quædam, quæ assidebat ei, videns tantam, & tam mirabilem gratiam Domini in ea, mirabilis & ipsa facta in perceptione abundantis gratiæ, quæ cœlitus eadem hora irrorauit animam eius, & tanquam præsentem videret Dominum Saluatorem, magnifice iucundata cœpit deuotissime osculari manus, & pedes eius. Transacta vero maiori parte eius noctis, Christi sponsa de cœlo regrediens, & aperiens oculos, vidit Abbatissam, & prædictam Monialem, dixitque; se plurimum latari, quod præter eas nullam cæterarum

rum adesse cernebat. Cumque interrogaretur ab illis aliquo signo vbi tam diuturno nobis tempore moram, feciſſet, ſubmiſſa voce reſpondit, ſe à Domino in cœlum raptam fuiſſe. Et quemadmodum ei videbatur, ſe illic vidiſſe in anima, & corpore glorificatam, & quodam modo corpus ſuum eſſe alteratum. Dixit præterea, quia locum gloriæ, quem Dominus ei ab origine mundi in primum præparauerat, eidem in Cœlo oſtendiſſet. Cumque iterum ſigno interrogaretur, vtrum ſciret horam migrationis ſuæ an non? Se neſcire aſſeruit. Rurſum cum illi ſignificaretur, ſe indubitanter credere, Deum id ei facile reuelare, ſi ipſum oratione inſtantiſſima interpellaret: reſpondit Ida, non ſe diffidere de omni re, quæ in Dei poteſtate eſt conſtituta. Et adiiciens dixit: aliquandiu tantam in omnipotentia Domini ſe habuiſſe fiduciam, vt ſi ſponte, vel ab aliquo in aquam profundiſſimam mitteretur, vel ſi contingeret, vehementem de nubibus imbrem ruere, in medio imbris, imbrem ſe minime ſentire crederet, & in aquis vehementibus ſine vitæ ſuæ periculo verſari. Sequenti die, quæ feria ſecunda erat, in eadem tranquillitate permanſit, & vniuerſi, qui ad intuendum eam ingrediebantur, fixis in eam oculis, de luminoſa vultus eius pulchritudine plurimum mirabantur. Hæc in capitulo illo trigeſimo tertio, & tandem in ſequenti [b].

b cap. 34. §.

Sic autem ea quieſcente, & cum gaudio præſtolante deſideratum ſui tranſitus diem, aduenit dies ille feſtiuus, dies lætitiæ cordis eius; fuit ſiquidem proxima feria quinta, tertio videlicet die ante Beatæ Virginis Luciæ feſtiuitatem. Et cum circa horam nonam infirmitas eius grauaretur, Sanctum eius corpus coarctando, mortem illi iam-iamque in ianuis eſſe demonſtraret; inter alia verbum hoc memoria dignum protulit. O vere Beata mors, quæ liberare potens es ab omnibus malis! & ſubridens, obſecro, inquit, vt adferatur mihi Sacro-Sanctum Corpus Domini Saluatoris, quod quamuis præ anguſtia, & dolore infirmitatis, & defectu corporis mei nunc recipere nequeam, ex eius tamen dulci viſione leuamen, & conſolationem in anima mea concipiam. Tunc Abbas quidam, qui præſens aderat, induens ſe alba, ſtolaque cum manipulo aſſumpta, attulit reuerendum Domini Corpus, & eidem cum omni reuerentia præſentauit, Illa autem antequam mortis debitum ſolueret, infirmitatis, & mortis violentia viſum exteriorem ei adimente, Sanctum Domini Corpus intueri nequiuit. Quod videns Abbas ſtatim reuerſus eſt ad Eccleſiam, & pyxidi intra ciborium ſalutarem hoſtiam ſine mora reſtituit. Eadem horâ antequam ſacerdotalibus exueretur, Sancta illa anima carne ſoluta eſt, & ſtatim pulſata ſecundum Ordinis conſuetudinem tabula defunctoria, ſororumque conuentu velociter occurrente, commendatio animæ eius, quæ ſe ab annis pueritiæ Deo totam commendauerat, expleta eſt. Cumque Sanctum eius corpus in Eccleſiam fuiſſet delatum, ſuperueniente nocte circa funus, ex more à ſororibus pſalmos decantantibus vigilatum eſt. Sequenti die pro animæ ipſius abſolutione, Miſſa ſolemniter celebrata, venerabile corpus eius ſepulturæ traditum eſt. Hactenus Acta Beatæ Virginis.

De anno, tum ætatis, tum Monachatus, & currente ab aduentu Chriſti Domini, hæc in eodem capite, ex quibus alij omnes Authores deſumpſere. *Obiit anno incarnati Verbi M. CC. XXXI. expletis in Ordine Ciſtercienſi XIII. annis, & nouem menſibus, ætatis ſuæ XXXII. menſe nono, III. Idus Decembris.* Hæc de anno, & die glorioſi tranſitus. Sepulchro eius Epithaphium inciſum lego, quod mendoſe vulgatum apud Henriquez [c], correctius, ex Orthographo ipſo damus. 6.

c *in 3. Virginibus.*

Ida nouum clauſtri ſpeculum, quæ noua fidelis
Floruit, eximio perfuſa decore Rachelis.
Dulcis amica Dei, virtutum lampade clara
Se feruenter ei libauit amoris in Ara.
Profuit omnibus eius amor cum mente ſerena,
Triſtibus, & lætis infundens vbera plena.
Eius amor flagrans ad Chriſtum glorificatum,
Sæpius hanc vexit, vt amata videret amatum.
De ſuper accepit etiam mirabile munus,
Cui ſe conceſſit ſpectandum Trinus, & Vnus.
Eius amor prudens, qui vitans cuncta nociua,
Ad bona ſe vigilem dedit alto numine Diua.
Eius amor fortis, qui rumpens retia mortis,
Rebus in aduerſis patiens fuit abſque querela,
Nec mirum, placuit Chriſti ſibi namque ſequela.
Carnis defectus, fletus, vomituſque cruoris
Deſignant quoque quanta fuit, quàm plena doloris.
Eius miranda compaſſio, qua tribulatis.
Iugiter occurrens, impleuit opus pietatis.
Iam nunc flere libet, quia mors nos impia cædit,
Dum procul à nobis ſolutrix noſtra recedit.
Aret ſolſequium, marcet roſa, lux tenebratur
Falciferæ gladio Idæ dum vita putatur.
De tenebris raptam, Regnis Cœleſtibus aptam.
Qui lucem donat, Deus hanc ſine fine coronat.
Iam canit inde la Sol, & verum nunc habet eſſe,
Cuius multiplici cumulantur ſemina meſſe.
Ida VALE, noſtrique memor per ſæcula VIVE,
Quæ non vlterius poteris lugere, morive.

Tranſitum Idæ miracula ſequuta ſunt, quæ gloriam eius apertius demonſtrarunt. *Ipſa ſepulturæ eius die, inquiunt eius Acta* [d], *puella quædam intolerabili quodam dolore dentium torquebatur, quæ ſpem habens firmam, ex dentibus Beatæ Idæ maxillæ ſuæ appoſuit, ſtatimque dolor omnis, quo cruciabatur, fugatus eſt.* Hoc ipſa die, qua corpus terræ mandatum: in ſequentibus plura alia contigere [e]. *Quædam Sancti-Monialis de Rhameya auditus officio priuata eſt, promiſſitque ancillæ Chriſti Idæ aurem ceream, ſi eius interceſſione amiſſum recuperare auditum mereretur. Quam petitionem, atque promiſſionem repentinus conſequutus eſt effectus; tunc plurimum exhilarata, iocoſa quarumdam ſororum admonitione, peram, & baculum ab vno Presbyterorum* 7.

d *cap. 34.*

e *cap. 35.*

byterorum Monasterij accepit, & secum deferens aurem ceream, perrexit ad sepulchrum Virginis, dixitque: Domina mea Ida, ecce vobis offero, quod promisi, gratias Deo agens omnipotenti, & vobis, quia tam repentinum mihi auxilium impendistis. Altera Sancti-Monialis eiusdem Cœnobij, ex occasione morbi, qui catharrus dicitur, capitis dolore fatigabatur. Cum autem tunc temporis essent dies Rogationum, & instaret festiuitas Ascensionis Domini, cœpit illa valde desiderare, quod incommoditas morbi illius toleretur ab ea, vt in illa solemnitate vocem haberet habilem ad cantandum; oransque Beatam Idam, dixit ei: Domina Ida, si vos ab hac hora, vsque ad horam illam in crastinum volueritis mihi à Domino impetrare sospitatem, pergam ad sepulchrum vestrum, & vobis ad gratiarum actionem referendam, nasum cereum offeram. Hæc autem dubitans dicebat, diffidens de intercessione Virginis, & sua curatione; & sic propositi sui immemor facta est. Sequenti die, hora eadem, qua Venerabili Idæ prædixerat, sanitatem desideratam mentis eius consequuta est.

8. Alia Monialis, quæ febribus laborabat, venit ad sepulchrum Virginis, nullam omnino spem habens de sanitate recuperanda propter incredulitatem suam. Et appropians loco sepulturæ: Domina, inquit, Ida, si vos potestis, succurrite mihi precibus vestris ad Dominum. Sanata tamen est non propter merita sua ab infirmitate illa, sed propter Domini largitatem, & vt manifestaretur sanctitas ancillæ suæ. Conuersus quidam Monasterij Rhameyensis, triennio, infirmitate graui laborabat, ita vt neque iacere, neque dormire propter continuam infirmitatis molestiam valeret. Sperans autem meritis, & precibus Idæ salutem corporis se adepturum, adiit hora Vespertina sepulchrum eius, & deuotione, qua potuit, orauit Christi sponsam, vt optatum sibi non negaret suffragium. Ascendit autem oratio eius in aures Domini Dei exercituum, & regressus est sanus, nec vnquam postea eandem infirmitatem sensit. Iuuenis quidam in eodem Monasterio febre calida torquebatur, & magnam corporis patiebatur incommoditatem; quadam itaque die ad vesperam, cum præ dolore febris nondum comedisset, cœpit cogitare, quod multi infirmi ad sepulchrum Beatæ Idæ venientes ab infirmitatibus suis sanabantur. Confestim igitur surgens de lecto suo discalceatis pedibus, venit ad sepulchrum, & facta oratione in eodem loco obdormiuit. Erat autem modicum ante noctis crepusculum; cumque illic aliquandiu quieuisset, tandem euigilans, & sanatum se omnino reperiens, ad domum hospitum, vbi minister fuerat, deputatus, doloris expers, cum gaudio reccurit.

9. Mulier quædam habebat filiam trium, siue quatuor annorum febribus laborantem, cuius dolori mater compatiens ad multas accedit Ecclesias Sanctorum, mendicans suffragia, ac tandem ad sepulchrum venit Venerabilis Idæ, tenensque filiam in gremio suo, monebat eam, vt verbis quibuscumque posset, Virginis auxilium flagitaret; infantula autem, verba sua balbutiendo dimidians, cepit dicere. Domina Ida adiuua me: eiusmodi verbum frequenter repetens; tandem in gremio matris suæ suauiter obdormiuit. Et cum paululum euigilasset, cœpit videre dicens: mater ego conualui, & bene mihi est. Mater autem eius gratias agens Deo, & Venerabili Idæ, ad propria remeauit. Frater quidam de Ordine Prædicatorum multis diebus dolore dentium afflictus, neque manducare, neque somnum, nisi per modicum capere poterat. Casu autem accidit, conuersum quemdam ad Leodiensem venire ciuitatem, qui vnum ex dentibus Venerabilis Idæ secum ferebat. Quod agnoscens infirmus frater prædictum dentem intra os suum posuit, & sic à dolore dentium per Virginis meritum liberatus est. Quem cum ab ore suo abstraxisset, magnam dulcedinem sensibiliter expertus est: ac deinceps dolorem illum non sensit.

10. Puer quidam fistulam habens in oculo, grauiter laborabat: Cumque pluribus medicis à Parentibus suis offerretur ad curandum nihil fecerunt. Tandem Conuersus quidam superueniens, vnum ex Beatæ Idæ dentibus penes se habens, eum prædicti pueri oculo applicauit, ac locum doloris eo tetigit; paulatimque grauis ille morbus cœpit annihilari. Sic factum est, vt quod per medicos corporum fieri non potuit, per summum medicum Christum meritis ancillæ eius adimpleretur. Mulier quædam multo tempore graui laborans infirmitate, promisit, se visitaturam sepulchrum Beatæ Idæ, & candelam illuc delaturam, si eius orationibus sanitati restitueretur. Venit itaque sicut promiserat, & pristina sanitate recepta remeauit ad propria. Monachus quidam de Valle-Dei quadam die piscem comedens, vnam ex aristis illius in cute glutiuit. Cumque arista intra gutturis eius arteria fixa remaneret, ita vt nec eam introrsus trahere, nec foras retrahere posset, dolorem interius in gutture suo sentiens, ignorabat quid ageret. Non multo post contigit, eum cum Abbate suo venire ad Monasterium de Aquiria: vbi intellexit ab vna ex sororibus haberi velum quoddam candidum, quod Virginis Christi Idæ fuisse ferebatur, quod accipiens, & gutturi suo circumponens sanatum se illico sensit. Hactenus sumpta ex Actis Virginis Sanctæ, quæ vulgauit Henriquez; alias de eis extare libellum integrum, decem capitibus distinctum, Aubertus Miræus in Chronico Cistercienſi testatum habet.

11. Idem, vitam Idæ scripsisse coæuum Monachum Abbatis iussu sui, testatur Miræus [f], eamque stare M. S. in Rubra-Valle, Tomo secundo Agiologi Brauantinorum. Quin etiam apud se in veteri Codice: eandemque nihil abbreuiatam vulgauit Henriquez in suis quinque Virginibus, vbi triplici Idæ Niuellensi nimirum, Louanienſi, Leuuicensique, Beatricem: & Aloydem superaddit, ex qua nos pleraque mutuati hactenus sumus. Niuellensem Martyrologiis suis inseruere ex Belgis Molanus, Rhaysæusque, quas ille ad Vsuardum publicarit, hic ad Molanum. Aubertus Miræus in suis Fastis Belgicis, Burgundicisque: ex exteris Arnoldus VVionius, Hugo Menardus, Chrysostomus Henriquez, & plures alij. Nisi quod quidam non qua obiit die, XI. Decembris, sed XXIX. Decembris eam commemorant, in quo errant Molanus,

[f] In Chron. Cisterci.

lanus, & VVionius; alij, adnotata vera die obitus, Niuellenſem, cum Leuvvicenſi confundunt (quæ idem Rhameyenſe Monaſterium poſterior tempore, ſed meritis æqualis illuſtrauit:) in qua Arnaldus Rhayſenus deceptus videtur: quippe qui Niuellenſem ſilentio tranſit, Leuvvicenſem memorat die XI. Decembris. Melius ergo Miræus, Henriquezque, quamuis Miræus Leuvvicenſem non commemorat.

12. De cultu, & veneratione, Idæ exhibitis, Ioannes Molanus in natalitiis Sanctorum Belgij ita ſcribit g. *In die depoſitionis, etſi non ſit canonizata, ex conſenſu Generalis Abbatis Ciſtercienſis, ſacrum fit de omnibus Sanctis, cum collecta de Communi Virginum, & poſt ſacrum duas habet Antiphonas cum ſpeciali collecta. Eccleſia tunc ornatur, omnes Sancti-Moniales communicant, ex deuotione ab opere mechanico ceſſant, ſermonem Sacerdos de ea facit, & in menſa Vitæ eius ſeries per aliquot dies legitur. Reliquiæ poſitæ ſunt in ſacello Sancti Ioannis in capſula, ſub ipſius in habitu Sancti-Monialis effigie; caput vero inuolutum ſerico panno, in celebrioribus Feſtis ponitur in altari intra chorum Sancti-Monialium. Dens vero argento incluſus, multis contra dentium dolores efficax attulit remedium. Denique quoties Litaniam legunt, aut canunt, eam poſt Agnetem, vt domeſticam Patronam, innocant.* Ita Molanus, & ex ipſo Henriquez in Menologio.

g *Ad 19. Nouemb.*

Porro ex his, quæ de Vita, & morte Beatæ Idæ Niuellenſis hactenus diximus, facile corrigendus venit Bernardus Brito h, qui epiſtolam Gaufridi Villarienſis, in qua de multis Ciſtercienſis familiæ Sanctis, hoc circa tempus florentibus, ſcribit, ad Idam Niuellenſem directam tradit. Cum tamen id cum rebus ſtare nequeat; etenim in eadem commemoratur Beatus Bonifacius, ex Lauſanenſi Epiſcopo, Ciſtercij Capellanus, in Monaſterio Lamere, atque Beatus Richardus Sacriſta, aliique, quos poſteriores conſtat Idæ obitu, cum alter circa annum M. CC. IX. alter non multo ante diem clauſerint, neuter ante obitum Idæ, id eſt ante hunc annum induerit Ciſtercium; ſed poſt, vterque; vt ſiquis continuauerit, palam faciet; quare crediderim ad Idam Leuvvicenſem ſcriptum eſſe, quam in eodem Rhameyenſi cœnobio, non multo poſt floruiſſe, authores produnt. Sed de his latius quicumque proſequatur, neque enim nobis, progredi vltra datur, aut anteire. 13.

h *lib. 6. Chronic. Ciſt cap. 39.*

---

1. *Fulconis Toloſani Præſulis obitus.* 2. *Et vitæ deſcriptio.* 3. *Scripta*, 4. *atque memoria Sanctitatis.* 5. *Arnaldi Populetani Abbatis, in Epiſcopum Agatenſem promotio.* 6. *Monachi Angli aſtutia, ſeu proditio*, 7. *cuius Cumbir Cœnobium* 8. *pœnam luit.* 9. *Priuilegium Theobaldi, Campaniæ Comitis, pro domo Claræ-Vallis*; 10. *& pro Ciſtercio Gregorij Papæ Noni, in litteris quibuſdam notanda clauſula.*

CAPVT QVINTVM.

1. SEQVITVR ordine Fulco Toloſanus, qui omnium vltimus dicitur obiiſſe, nempe in die Natalis Chriſti Domini, & quo in catalogo Archipræſulum Toloſæ, hæc pauca, & dubia a. *Vigeſimus ſeptimus Toloſanus Archiepiſcopus fuit Fulco Maſſilienſis, religioſus, & Abbas Floregiæ (ſiue Flore-Fiæ) Ordinis Ciſtercienſis, à Comite Toloſano, Albigenſium Hereticorum Duce, & Principe, Epiſcopatu pulſus eſt. Obiit die natalis Domini, anno M. CC. XXXI. vel anno M. CC. XIII. vt ſcribit Cæſar de noſtre-Dame in Hiſtoria Prouinciæ.* Ego, ſi annus M. CC. XXII. cum anno M. CC. XXXI. veniret in controuerſiam, hærerem dubius, neque vtri adhærere facile ſcirem. At cum M. CC. XIII. controuertatur, dubitare non poſſum; cum conſtat liquido, anno M. CC. XV. & anno M. CC. XVI. adhuc ſuperſtitem, interfuiſſe Conſilio Lateranenſi, atque Sanctum Dominicum Guzmanium duxiſſe ſecum Romam, & reduxiſſe, atque decimis, aliiſque donaſſe; quin & ſequentibus vſque ad M. CC. XXIII. Quo funeri Ludouici Regis interfuit. Multa alia de illo memorantur, quæ ſupra dedimus. Quare ſi alter è duobus ſequendus eſt, & in altero obiit, hic neceſſario venit præferendus, maximè cum Authores alios videam hîc inclinare. Quippe Philippus Seguinus b hoc ipſo anno, Franciſcus Belforeſtius c, & eum ſequutus Arnoldus VVionius, in ſequentem ſcribant referendum. De Viri morte præter diem, & annum, parum, aut nihil inuenio apud Authores: ſepulturam in Grandi-Sylua, iidem qui ſupra Belforeſtius, & Arnoldus teſtificantur.

a Catalog. Archiepiſc. Toloſan.

b *lib. 2. qui eſt de ſcript.*
c *lib 2. Annal. cap. 5.*

Fuit Fulco, vt creditur, patria Maſſilienſis, genere nobilis, doctrina inſignis, Poëta excellens; atque in flore ætatis ſæculo deditus. Quotus quiſque enim in lubrico iuuentæ, inter tot dotes innoxius ambularet? ſed quem æternitatis contemplatio, & pœna, & premium nunquam terminanda ante oculos propoſita, à caducis conuerſum, ad manſura, & perpetua reuocarunt. Floræſiæ primum Monachus, mox Abbas; inde, vt quidam ſcribunt, Maſſiliæ Præſul, qui tamen hoc M. CC. XXXI. ante annos XXVI. ad Toloſanam Eccleſiam promotus fuerat. Hanc Principum tyrannide, & malitia, atque hæreſum, iam tunc late ſerpentium, illuuie obſitam, anteceſſorum ſuorum oſcitan- 2.

tia penè extinctum, reuocauit ad vitam: & religione, industria, exemplis atque continua veritatis prædicatione; inter bellorum turbida, inter hostes, inter perpetuas peregrinationes, pro Ecclesia susceptas, fideque, velut in media pace reparauit, imo & auxit Clerum, & Sacro-Sanctam Eucharistiam extra vrbem hæreticam eduxit, excusso pedum puluere, longum exilium ab Ecclesia sua sustinuit. Semel, & iterum Gallias, Belgiumque, prædicans, crucem aduersus Albigenses, peragrauit; sui temporis Sanctis familiaris, à quibus etiam in magna gloria visus; Catholicis amabilis, hæreticis terribilis tyrannis reuerendus semper fuit. Instituendi Prædicatorum Ordinis Dominico Parenti, & Author; tum & præmotor apud Innocentium Summum Pontificem; demum Ecclesiam in qua primum Cœnobium conderet, & redditus, ex quibus sustentaret, eidem contulit; in quibus Ordinis obtinuit confirmationem.

3. Hæc breuis summa gestorum à Fulcone, inter quæ tamen, non immemor doctrinæ, nonnulla etiam opuscula scripsit, ob quæ, & inter Doctores commemoratur. Vnde Philippus Seguinus in sua Bibliotheca hæc habet verba [d]. *Fulco Tolosanus Archiepiscopus, & quondam Monasterium de Florigenis, alias de Thorentto, in regione Prouinciæ, Monachus, ad quem Innocentius III. Romanus Pontifex, multas scripsit Epistolas. Vir quidem Sanctus, & Catholicæ veritatis propugnator accerimus, qui Raymundum, Tolosani Comitem, & multos alios eiusdem familiæ viros, impiè de Catholica religione sentientes, fulmine Pontificio percussit; tractatum de querimoniis Beraldi; edidit quoque ad diuersos; & Albigensium hæresi eliminanda, atque eius authoribus profligandis Epistolas plures. Claruit anno Domini M. C C. XV. sub Innocentio III. Philippo Augusto, & Ludouico VIII. Francorum Regibus. Obiit autem dum sacra Natalitia Christi agerentur solennia in bello sacro contra Albigenses M. CC. XXXI.* Hæc de quibus etiam Franciscus à Cruce Cenomanensis in Bibliotheca Gallica, quamuis, vt alia, ad nos vsque non peruenerunt.

d *littera F.*

4. De Sanctitate testimonia plura suppetunt. Cardinalis Iacobus de Vitriaco [e] fortem totius Ecclesiæ columnam vocat, atque laudes illius latè prosequitur [f] quin & de Beata Maria Æquiacensi loquens [g], ait: *Super caput Fulconis celebrantis, visam à Sancta fœmina columbam candidam, ipsi in os Eucharistiam inferentem, & ingentem claritatem, eum intus penetrantem, eiusque animam illustrantem.* Hæc ex Vitriaco, Episcopo Aconensi, mox Cardinali, doctrina æque insigni, ac pietate; & quem non fauor, natalesve illustres; sed merita euexerunt ad sacram purpuram. Reliqui Authores cum veneratione Fulconem memorant, Petrus præcipue VValsarnensis Monachus, Theodoricus de Apoldia, Guillelmus de Podio, author libri miraculorum venerabilis Sacramenti, atque alij eiusdem sæculi, ex quibus recentiores desumpsere. Verum est prætermissum à Ioanne Abbate, & Missali antiquo, quod an casu, obliuioneve? quæ in aliis contingit; an consilio factum? non ausim dicere. Virum Menologio suo inseruit Chrisostomus Henriquez, ipsa qua obiit die, nulla maiori luce, quàm nos dedimus.

e *in prolog. ad vitam S. Mariæ Ægnai. apud Surium mense Iunio.*
f *lib. 1. vitæ cap. 3.*
g *lib. 1. cap. 12.*

Hoc ipso anno, quo Fulco Tolosanus viuere desiit, Arnoldus, huius nominis tertius, ex XIV. Abbate Populeti; in Episcopum Agatensem promotus dicitur, si qua Tabulis fides, in quibus *Adde* pro *Agde* corrupte legitur. Crediderim, natione Gallum, hominem, pietatis, & doctrinæ fama celebrem, ab Hispanis vocatum ad Populetum; Monachis ad virtutes sola intentis; non ad carnem, aut sanguinem, neque ad terræ, seu linguæ communionem. Porrò potentem gratia apud Iacobum, ipsique, ac regno eius in multis vtilem, quod supra, neque semel memorauimus, reuocatum à Gallis; adeo pax mutua iungebat vicinos populos, fœlici illa ætate; vt neque Hispani Gallos genere, & ortu, nec rursus Galli Hispanos longo conuictu, & assuetudine morum auersarentur. Eius post promotionem gesta non extant: sed nec Ioannes Chenu, quamuis initio Agatensem Ecclesiam memoret, Narbonæ suffraganeam, seriem Episcoporum eius adducit, ex qua aliquid haurire, aut saltem nomen, & tempus computare concederetur. Dies obitus eius nona manet in eodem Cœnobio, nempe vigesima secunda mensis Septembris; reliqua tenebrosa caligo tenet, vt plura alia. Arnoldum Populeti excepit Vitalis XV. Abbas eiusdem loci. 5.

Eodem anno Cumhiræ Monasterium, siue Cumbir, quod in diœcesi Meneuensi Angliæ, genitum Blancarandæ, superius diximus, insignem cladem, proditione, an astutia cuiusdam Monachi satis haud dubiè meritam, largitione euasit; cum bonis prius spoliatus omnibus esset, ingenti abacta præda, pecuniaque, quæ satis pro vindicta cupidis fuit. Rem à Mathæo Paris, Albano Monacho, ex professo narratam, non aliis, quam ipsius verbis promere libet. Sic autem habet, cum de bello inter Leolinum Regem, & Anglum tractat [h]. *Erat autem eo tempore Leolinus cum exercitu suo non longe à Castello montis Gomerily, in quodam prato, quod Ripariam habebat vicinam, paludibus obsitam, vbi militibus Castri memorati dolosas insidias præparabat. Nam fratrem quemdam de Abbatia Cistercienſis Ordinis, quæ proprie erat* Cumhira *nuncupata dixerit Leolinus, vt dicitur, ad Castellum; quem cum viderunt milites Castelli, transeuntem per eos, exierunt, vt cum fratre loquerentur & scientes ab eo, si quid de Rege Leolino accidisset, respondit, quod viderat eum cum paruo comitatu in prato vicino, vbi expectabat maiorem numerum armatorum. Milites verò cum à fratre requirerent, si possent Ripariam, & pratum Equites cum securitate transire, respondit frater: Pons, qui vltra Ripariam itinerantes ducere solebat, confractus est à Leolino, quia metuebat impetum vestrum sed tamen poteritis, secure vbicumque volueritis Ripariam, & pratum in equis transire, & VValenses* 6.

h *ad hunc ann.*

VValenſes cum paucis equitibus, vel vincere, vel fugare.

7. *Quo audito: adhibens fidem falſis aſſertionibus, fratris, VValterus de Grado VVilla, cuſtos Caſtelli, & præcipiens commilitonibus, & ſeruientibus, vt conuolarent ad arma, aſcenſis equis, ad locum celeriter peruenerunt. Quos VVallenſes cum impetu venire conſpicientes, ad ſyluam quamdam, quæ prope erat, doloſe illico inierunt fugam. At Caſtellani rapido equorum volatu, eos inſequentes in Riparia præfata, ac palude illius prati ſubmerſi ſunt vſque ad ventrem equorum, illi præcipue, qui primi venebant; ſed alij, qui ſequebantur, ex ſociorum ſubmerſione præmoniti, de caſu commilitonum ſuorum non mediocriter condolebant* [i]. *Tunc VVallenſes hoſtium ſubmerſionem cognoſcentes reuerſi ſunt cum impetu ſuper eos, & cum lanceis ſuis, milites, & equos in cæno volutantes crudeliter peremerunt. Factus eſt autem ibi, hic inde conflictus grauiſſimus, multis vtrobique peremptis, ſed tamen VVallenſes victoria potiuntur. Captus autem ibi Ægidius filius Richardi de Argentonio, miles ſtrenuus, cum quibuſdam aliis.*

i VVallenſes contra Anglos victoria.

8. *Cumque tandem caſus, qui militibus iam dictis acciderat, Regi fuerat denunciatus, cum feſtinatione ad Abbatiam, cuius frater præfatos milites prodiderat, hoſtiliter tranſiens, in vltionem tanti ſceleris quamdam grangiam illius Abbatiæ, bonis omnibus ſpoliatam omnino iuſſit igne cremari; ſed Abbas loci, vt ædificia ſumptuoſis valde laboribus conſtructa ſaluaret, trecentas Marchas Regi numerauit, & ſic eius quieuit indignatio.* Hactenus ex Mathæo Paris deſumpta, vt palam fiat vnius hominis culpa, multos ſæpe perire, etiam innoxios.

9. Hoc ipſo anno, Claræ-Vallis Abbas, Rodulphus, à Theobaldo, Campaniæ, & Briæ Comite, illuſtre priuilegium impetrauit, confirmatis, quæ mater donauiſſet, anteceſſoreſque, atque addita, & protetione, quæ neque vllatenus intermitti poſſet, nec alienari. Priuilegium Renatus Chopinus primum, mox ex ipſo Aubertus Miræus refert, menſe Aprilis expeditum, in hunc tenorem [k]. *Sciendum eſt etiam, quod ego concedo in perpetuum iam dictis fratribus Claræ-Vallis, quicquid ipſi de feodo anteceſſorum meorum, & de feodos meis, & quicquid ab hominibus meis, cuiuſcumque conditionis ſint, & quicquid in toto Comitatu Campaniæ, & Briæ, qualitercumque acquiſierint &c. & hæc omnia ſub mea, & ſucceſſorum cuſtodia, protectione, & defenſione ſuſcipio: ita quod nec ego, nec ſucceſſores mei poterimus dictam cuſtodiam, protectionem & defenſionem aliquo modo alicui concedere, vendere, nec alienare: ſed quicumque tenebit de cætero pro tempore Dominium, & Comitatum ciuitatis Trecenſis, volo firmiter, & ſtatuo, quod habeat, & teneat immediate ſine aliqua diminutione cuſtodiam, protectionem, & defenſionem omnium prædictorum. Itaque ad maiorem ſecuritatem D. D. Fratrum, me, & ſucceſſores meos ipſis fratribus obligo in perpetuum, vt non poſſimus aliquo modo aliquando alienare Bœaum ſuper Albam, nec Formitatem ſuper Albam, nec etiam Villam de ſubtus Formitatem, &c.* Hæc & alia impetrabat Rodulphus ſuis; quo citius auellendus, magis ſolicitus.

k In Chronic. Ciſterc. ad hunc annum.

10. Quo item tempore Gregorius Papa IX. prolixam Monaſterij Ciſtercij litem cum oppido vicino de Beligniaco, de plenitudine poteſtatis vtens, atque ſupplens defectum procurationis pro parte Monaſterij, quaſi ipſe Procurator illius eſſet, nec poſſent non habere ratum, gratumque, quicquid ipſe feciſſet, tandem compoſuit; & proprietate totius poſſeſſionis, de qua litigabatur, adiudicata Monachis, vſum tamen cuiuſdam illius partis oppidanis conceſſit, ſub graui pœna, atque amiſſione iuris, ſi limites præſcriptos tranſgrederentur. Extant, legunturque ſuper hoc litteræ ad Guillelmum Abbatem, Conuentumque datæ Laterani, III. Nonas Aprilis, Pontificatus illius anno V. in quibus hæc inter alias, clauſula [l], *vt ſimul comparentibus procuratore prædictorum hominum, qui habebat de comparendo mandatum; & Procuratore veſtro, qui, quamuis, mandatum huiuſmodi non haberet, nos tamen (partem veſtram aſſumentes) eius procurationis in hac parte defectum ſuppleuimus de noſtræ plenitudine poteſtatis, &c.* Atque hanc clauſulam notatu dignam cenſui, vt quantæ curæ Ciſtercium Gregorio eſſet, vel ea ipſa coniectari poſſit, quicumque legerit, ſed tranſeo ad alia.

l *In Regaſt. Greg. huius anni epiſtola 24.*

1. *De residentia Clericorum litteræ*, 2. *præcipue in Anglia, per Nostros exequendæ.* 3. *Inquisitio, pro coronatione* 4. *Regis Norvegiæ:* 5. *& pro venerabilis Lucæ Strigoniensis,* 6. *in numerum Sanctorum relatione.* 7. *Abbas Vallis-Paradisi in Hispania, ad Regem Lusitaniæ;* 8. *Firmitatis, & Pruliaci, in Gallia, ad componendas discordias Grandimontensium;* 9. *Eleemosynæ, & Fulcardi-Montis, ad Tironenses:* 10. *Analfitanus in Italia Iudex, ad Pontificum lites decernendas; à Gregorio nono destinantur.*

CAPVT SEXTVM.

1. INTER hæc, multa hoc anno, sicut hactenus factum, nostris iniuncta: ex quibus quædam grauia, dignaque, quæ his Annalibus veniant inserenda. Cum Parochialium Rectores Ecclesiarum per totum Regnum Angliæ, sed maximè in Eboracensi prouincia *quærentes commissarum sibi ouium (verba ipsissima Gregorij Papæ sumo* [a]*) solum modo lac, & lanam: atque earum salutem penitus postponentes, neque per se, neque per alios idoneos vicarios debitum in eis exhibere Domino famulatum procurarent; propter quod sæpe negligentia Pastorum oues se in foueas peccatorum præcipites dabant.* Idem Gregorius Archiepiscopo Eboracensi, ad quem de iure diuino pertinebat, sed & syluana, Rieuallensi Monacho, doctrinæ tunc, & pietatis gloria claro, litteras suas, mandataque direxit, *quatenus dictis Rectoribus omnibus, quotquot sunt intra, & extra Regnum Angliæ, vbicumque consistant, absque moræ dispendio, authoritate Apostolica mandarent, vt singuli eorum, quique nulla se Apostolicæ sedis dispensatione tuebantur, à tribus mensibus post commonitionem in præfatis Ecclesiis, sibi commissis, facerent residentiam personalem. Hi vero, qui ab Apostolica sede, ne personaliter residere cogantur, specialem indulgentiam obtinerent, infra eumdem terminum, vel idoneos vicarios instituerent, qui vitæ merito, ac talento scientiæ, populum & verbo, & exemplo, & valerent, & vellent erudire.*

a *In Regest. huius anni Epist.* 131.

2. Pergit deinde ad plura alia mandanda, quæ ad eamdem residentiam spectarent, & tandem concludit; si renuerent, potestatem eisdem facere instituendi Rectores, & pro dispensatis Vicarios subsistuendi *contradictores si qui fuerint, vel rebelles, vel subtractionem beneficiorum suorum, & si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam, sublato cuiuslibet appellationis, contradictionis, & excusationis obstaculo, compescendo, præceptum nostrum taliter impleatis, quod super hoc non possitis aliquatenus de negligentia reprehendi: & Dominus vltionem de vestris manibus, de quibus nos pleniorem fiduciam gerimus, non requirat in tremendo iudicio sanguinem prædictum. Datum Rheati IV. Idus Septembris, anno V.* Hæc ad Syluanum, Rieuallensem Monachum, quem magnæ haud dubiæ authoritas virum, litteræ ipsæ, ex materia, ex potestate, & ex collega, satis manifestant.

3. Leuior plane ex materia, quia sæcularior: sed quo maiestuosior, plausibilior, atque speciosior, ex Regia dignitate, quæ Abbati de Stanleya, vna cum Episcopo Bergensi (prima post Metropolitanam Norvegiæ sede) causa ab eodem Gregorio commissa est, pro ipsius Regis Norvegiæ coronatione. Hæc cum dubiorum quorumdam vestigationem, ac pleniorem indaginem, ad sui celebrationem prærequireret, anticipata morte Prælatorum, per quos facienda erat, differebatur. Nam primo quidem Archiepisc Landensi, & Scarensi Episcopo commissa, cum re infecta, vterque decessisset, Nidriosiensi Archiepiscopo atque Episcopo Bergensi mandata, fuit. Verum cum prior etiam fato functus, collegam solum, adeoq; non valentem in causa progredi; importune satis reliquisset; Rex nouas litteras à Gregorio obtinuit, quæ Bergensi relicto, Strauengrauuensem, & Abbatem Stanleyæ, commissionis collegas destinabant, litteræ porro ad vtrosque de his scriptæ, & breuiter rem totam continentes, ex Regestis fideliter transcriptæ, hæc habent verba [b].

b *vbi supra. Epist.* 132.

4. *Bergensi, & Strauengrauuensi Episcopis, & Abbati Stanleyæ, Cistercien sis Ordinis.*

Cum charissimus in Christo filius noster, Norvegiæ Rex illustris. olim nobis pro coronatione sua humiliter supplicasset, nos bonæ memoriæ Archiepiscopo Landensi, & Scarensi Episcopo nostras dedimus litteras in mandatis, vt super electione, conditione, ac statu personæ Regis eiusdem, & Regni sui, aliisque circumstantiis vniuersis, quæ ad ipsius promotionem, seu prosequutionem negotij necessaria esse viderentur, diligenter inquirerent veritatem, & quicquid inuenirent, suis nobis litteris fideliter intimarent, vt plenarie per eorum relationem instructi, super hoc securius procedere valeremus: sed cum post modum, ex parte Regis ipsius, nostris fuisset auribus intimatum, quod iidem Archiepiscopus, & Episcopus in negotio non processerant. morte præuenti; nos bonæ memoriæ Nidriosensi Archiepiscopo, & tibi, frater Bergensis Episcope, negotium ipsum iuxta præscriptam formam commisimus exequendum. Verum quia, eodem Nidriosensi sublato de medio, tu solus procedere nequiuisti, præfatus Rex à nobis humiliter postulauit, vt super hoc procedi parte, ac per alios mandaremus. Nos igitur Regis eiusdem postulationibus benignum impertinētes assensum, discretioni vestræ per Apostolicam sedem mandamus, quatenus memoratum negotium iuxta primum mandati nostri tenorem exequi procuretis. Datum Rheati Nouembris V. Idus, anno V. Hæc ad coronationem terreni Regis.

5. Porro ad Regni cœlestis declarationem, ne vel hoc proueniret sine Cistercio, idem, qui supra Pontifex, de Cistercien sis Ordinis in Vngaria Abbati in mandatis dedit, vt vnà cum Episcopo Cenadien si; de Sancta vita, & miraculis glorioſis venerabilis Lucæ, quondam Strigonien sis Archiepiscopi, accuratè inquirerent, adscribendo ab ipso Sanctorum

aluo,

aluo, si merita miraculis, & miracula famæ responderent. Extant non minus, in eiusdem Gregorij Actis litteræ ad eos datæ sub hoc tenore [c].

c Ex eisdem Regest. Epist. 118.

Cenadiensi Episcopo, & Abbati de Cicado, Cistercienſis Ordinis, Quinque-Ecclesiensis diœcesis.

Inscrutabilis omnium sapientia Creatoris, attingens à fine vsque ad finem fortiter, disponensque suauiter vniuersa, ita habet sola notitiam actionum, vt quo fiant animo, non ignorans, opera, quantumcumque videantur ab hominibus Deo grata, reprobat, nisi ex radice processerint charitatis. Sicut etenim Angelus Sathanæ se quandoque in lucis Angelum transfigurat; sic plerique impietatem suam celantes, sub velamine pietatis, per falsam Religionis speciem, quàm prætendunt, ignominiose nomen sibi sanctitatis vsurpant. Et licet is, qui solus nouit abscondita tenebrarum, huiusmodi peruersorum malitiam, ab eorum fructibus esse docuerit cognoscendam; vt tamen inter lepram, & lepram, & quæ munda fuerint, & immunda melius distinguere valeamus, solet Dominus vitam Sanctam eorum, qui seminauerint in lachrymis, plerumque miraculis confirmare, signisque sequentibus indicare, quod eis splendorem pro meritis dederit sempiternum.

6. *Hac igitur ratione, cum ex parte Venerabilium fratrum nostrorum, Strigonienſis Archiepiscopi, & suffraganeorum, fuisset nobis sæpius intimatum, quam iustè, sobrie, ac pie fœlicis recordationis Lucas, Strigonienſis Archiepiscopus, prædecessor Archiepiscopi memorati, vixerit in hoc mundo; quantaque Dominus operetur miracula per eundem, languores multorum, qui deuote auxilium implorabant eiusdem, relegando ab ipsis; nobisque fuisset deuotissime supplicatum, vt & canonizaremus eumdem, & Sanctorum annumerari catalogo faceremus: tanto maturiori consilio circa ea consueuimus procedendum, quanto in iis citius, quàm in aliis, dum mole carnis grauatus humanæ, considerationis intuitus potest falli. Ideoque synceritati vestræ, de qua fiduciam gerimus pleniorem, per Apostolicam sedem mandamus, quatenus inquiratis per iuratos testes idoneos, tam de vita, & conuersatione ipsius Archiepiscopi, quàm de miraculis supra dictis, & circumstantiis vniuersis, diligenter perspiciatis veritatem. Et cum dicta fideliter redigentes in scriptum, ea sub vestris sigillis ad nostram præsentiam transmittatis, vt per vestram relationem instructi, procedamus, in negotio, prout viderimus procedendum. Datum Rheati V. Kalend. Septembris, anno Quinto.* Hactenus litteræ Gregorij summi Pontificis, vt palam constet, quod sæpius inculcauimus, per hos annos, & plures subsequentes, antecedentesque, vix à Gregorio, successoribusve, quid magnum, siue actum, siue peractum, cuius expers Cistercium, aut non ipsius interuentu perageretur.

7. Hoc item anno Vallis-Paradisi Abbatem, seu de Peleis, vna cum Zamorensi Episcopo, ad Sanctium, Portugaliæ Regem, Legatos lego, ab eodem Pontifice Gregorio, composituros inter ipsum, Ecclesiamque, quæ plurimum ab ipso, præcipue in Vlyssiponensi Prouincia, odio in Episcopum, an innata Regum cupidine omnia sibi vsurpandi? grauabatur. Gregorij litteræ leguntur inter alias, quibus vtrumque instituit, atque amplam potestatem illis concedit, post longam narrationem ita subiungens [d]. *Nolentes igitur Ecclesiarum grauamina sub dissimulatione vestra, de qua plurimam gerimus fiduciam, præsentium authoritate mandamus, quatenus eumdem Regem personaliter adeuntes, moneatis attentius, & efficaciter inducatis, vt à grauaminibus Ecclesiarum, & Clericorum, de cætero conquiescens, Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, præcipue Vlyssiponensis diœcesis, omnia restituat, quibus per se, ac suos fuerint hactenus spoliati. Prædicta etiam grauamina taliter studeat emendare, quod de puritate fidei, & conseruatione Ecclesiasticæ libertatis possit merito commendari. Quod si meritis, & exhortationibus vestris, quod non credimus, acquiescere forte noluerit, vos eum per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescatis, non obstantibus dilatoriis, exceptionibus, super quibus sufficienter curauimus prouidere. Datum Rheati Nonis Octobris, Pontificatus nostri anno V.* Hæc in Hispania.

d Epist. 146.

In Gallia nouis inter Grandi-Montenses subortis dissidiis, noui visitatores, Iudicesque ex Cistercio, vt hactenus Firmitatis, & Pruliacensis Abbates dantur, adiuncto Priore Prædicatorum Parisiensium; & litteris expeditis ad eos inhunc tenorem. 8.

c Epist. 17.

De Firmitate, & de Pruliaco Abbatibus Cistercienſibus, Cabilonensis, & Senonensis diœcesis, & Priori Sancti Iacobi Ordinis fratrum Prædicatorum Parisiensium, & infra, post narratas nouas discordias, nouos tumultus, atque noui Prioris institutionem, cuius violentia omnia pessum irent tandem concludit. *Quia igitur instantia nostra quotidiana, est omnium Ecclesiarum sollicitudo continua. Discretioni vestræ per Apostolicam sedem mandamus, quatenus ad Domum Grandimontensem personaliter accedentes, & habentes præ oculis solum Dominum, simpliciter, & de plano, absque litigiorum strepitu, inquisita super his, & aliis, quæ corrigenda videritis, veritate, secundum dominum, & dicti prædecessoris nostri statuta, cuiuslibet appellationis, siue alio obstaculo non obstante, corrigatis, & reformetis, tam in capite, quam in membris, quæ correctionis, & reformationis officio noueritis indigere; facientes quod statueritis, per censuram Ecclesiasticam firmiter obseruari. Dat. Laterani Nonis Aprilis, anno quinto.*

Tyronensibus eodem morbo infectis, laborantibusque, qui sanctissimas etiam familias fœdare solet, atque eorum maiori, & supremo capiti, idem Gregorius non multo ante mandauerat [f]. *Quatenus aduocatis vniuersis Abbatibus, & Prioribus, sibi subiectis, infra Festum Omnium Sanctorum, proxime venturum, corrigeret, & reformaret, tam in Monasterio Tyronensi, quàm in membris ipsius, & cæteris ei subiectis, quæ secundum Deum & B. Benedicti regulam, correctionis, & reformationis noscerentur officio indigere.* Et post quædam alia iniuncta, suddit inferius, *alioquin cum nolimus, sicut nec debemus, hæc conniuentibus oculis, pertransire, ne forte pariant irreperabilem corruptelam, si iam corrupta transiuerint incorrepta; cum dilectis fi-*

9.

f Epist. 31.

liis de Eleemoſyna, & de Fulcardi-Monte Ciſtercienſis Ordinis Abbatibus, Rothomagenſis, Carnotenſis, & Cenomanenſis diœceſum dedimus in mandatis, vt ex tunc ad ſæpe fatum Monaſterium perſonaliter accedentes, & habentes præ oculis ſolum Dominum, mandatum noſtrum tibi directum ſuper hoc, ſine diminutione, & difficultate quolibet exequantur, contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles, per Cenſuram Eccleſiaſticam, ſub Apoſtolica obedientia compeſcendo. Dat. Laterani, quarto Nonas Aprilis anno quinto. Hic ille ordo Tyronenſis eſt, de quo Bernardus Pater ad Epiſcopos Aquitaniæ. *Ciſtercienſes ait* g, *Caſtembleſenſes, Cadumienſes, Tyronenſes, & Sabigniacenſes &c.* Quemque adeo à Sabigniacenſi diuerſum, vel ex his litteris licet coniectari; de his Piccardus in Notis ad eam epiſtolam. *Tyronenſes, Eremitæ in diœceſi Carnotenſi, ſic dicti ab amni Tyrone præterfluente.* Verum hoc de præcipuo Monaſterio, & reliquorum capite, nam alia plura per diuerſas Prouincias ſub ſe habebat.

g Epiſt. 126.

10. Demum nec Italia à noſtrorum officiis immunis fuit. Nam vltra pacem eius procuratam per Nuncios, per Legatos, vt ſupra vidimus, & videbimus, tandem conſequutam, quamuis Tyrannide, vt dolo Imperatoris, non permanſuram: Archiepiſcopo, & Clero Almafitano, cum Epiſcopo Caputaquenſi, prolixa ſatis lite contendentibus, ſuper quibuſdam iuribus, neque acquieſcentibus ſententiæ, dudum latæ per Cardinalem Epiſcopum Sabinienſem, Abbas Sancti Petri de Amalfia, Ciſtercienſis Ordinis, Amalfitanæ diœceſis, cum Abbatæ de Ebulo, iudex ab eodem Gregorio datus eſt, neque vt exequeretur tantum, ſed vt componeret, aut inter reſilientes iudicaret, ſic enim habent eiuſdem Gregorij litteræ h. *Mandamus, quatenus præfatos Archiepiſcopum & Capitulum, non permittatis ab eodem Epiſcopo, vel aliis, contra inter loquutoriam eiuſdem Sabinienſis Epiſcopi, moleſtari, moleſtatores ipſorum, per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita, compeſcendo; ſi autem dictus Caput-Aquenſis Epiſcopus coram nobis voluerit ſtare iuri, partibus conuocatis, tam ſuper principali, quam ſuper quadam compoſitione, quæ ſuper hoc dicitur eſſe inita, inter partes, & ſuper aliis, quæ duxerint proponenda; audiatis cauſam, & appellatione remota, ſine debito terminetis; facientes obſeruari &c. non obſtantibus litteris ſuper hoc ab eodem Archiepiſcopo, à ſede Apoſtolica impetratis, Dat. Lateran. XV. Kalend. Maij, anno V.* His multa alia ſimilia prudens omitto, ne nimia copia, dum inſtruit, lectorem grauet.

h Epiſt. 118.

---

1. *Iacobus Aragonenſis, atque Sanctij VVaſconis mutua adoptio.* 2. *Acta Capituli.* 3. *Grandis-Prati initia,* 4. *atque inſtrumentum illius fundationis.* 5. *Sancti Stephani de Cornu Monaſterium,* 6. *ex Nigris Monachis, ad noſtros reformatum;* 7. *atque Sanctæ Mariæ de Palatiolis, ex Eremitis Auguſtinianis,* 8. *primum in Prioratum S. Anaſtaſij, mox in Abbatiam filiam;* 10. *quas mutationes multæ aliæ ſunt ſequutæ.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. GAVDENTEM decipi Sanctium Nauarræ Regem Iacobus Aragonius hoc ipſo anno, non tam decipit, quam velut ineſcauit, illexitque, propoſita adoptione, qua vix adoleſcentiam prætergreſſus, pene decrepitum diuitem, & orbum hæredem inſtituit, & ipſe mutuo ab eo inſtituendus zorita iura omnia inuerſa putat a. *Quod tertium, & vigeſimum annum Iacobus agens (ſic enim ipſe computat) externum hominem longa ſenecta grauem, ac diuturna, & deſperata valetudine confectum in filium adoptauerit: & quem genuiſſet, pene Infantem puerum, adeoque quem non odiſſe poterat, non ſolum in coheredem adiunxerit, aut ſuſtinuerit; ſed planè, vt alienum exhæredauerit.* Ego vero facilius multo credam, voluiſſe nouum Regnum filio acquiri adoptione illa mutua, quæ vix à iuuene ad ſeipſum retroceſſura timeri poſſet, à ſene ad iuuenem facile deſcenderet, & per ipſum ad filium pertranſiret. Certe Filium, vel Matre repudiata, legitimum hæredem, tum Regia authoritate, tum Pontificia declarati antea fecerat, & ipſe anno ſequenti iterum ſanxit; vt nihil minus, quam inofficioſus in illum putari poſſit. Miremur magis torporem Sanctij Senis, niſi is plerumque ſenum error eſt, quod ſe vel pueris ſperent ſuperfuturos. Confirmauere vtriuſque Regni Proceres vtriuſque Regis pactum. Aragonenſes, veluti qui ſperabant Regnum Regno coniungere; Vaſcones forſan nouarum rerum cupidi; vt qui inter arma legitimi hæredis nepotes ex ſorore, & adoptiui, plura ſibi ſperarent concedenda, ſiue ab ipſis per turbas vſurpanda, quam per quietem, & pacem habere poſſent. Hæc, ne Iacobi Hiſtoriam intermittamus, quam ſemel cœpimus.

2. In Capitulo lex vna ſancita fuit, humilitatem, & contemptum honorum præferens, ſed charitatem afferens, quæ aliena inſtantius, quam propria pertractaret. Statutum fuit, vt *ſicut prohibitum eſt, quod cauſam electionis nullus proſequatur, ſic quoque diſtricte prohibetur, vt nullus cauſam proſequi audeat ſuæ depoſitionis; vicini autem Abbates, ſi quem iniuſte depoſitum audierint, denuntiare ſtudeant Capitulo Generali.* Ita nullo quærente, quæ ſua eſſent: quæ IESV CHRISTI, omnes; & cauſas proprias ſinguli ſpernebant: communes quilibet impenſius pertractabat.

Claudent

Claudent hunc annum, ex more fundationes, ex quibus tres recenſentur in Chronologia. 3.

XVI. Kalendas Septembris, Abbatia de Grandi-Prato.

XV. Kalendas Nouembris, Abbatia Sancti Stephani de Cornu.

Et Abbatia de Palatiolis iuxta Vrbem, incerta die.

Grandi-prati tum ſitum, tum parentem, Chronicon Villarienſe, vnde miſſa colonia paucis commemorat, ex quibus etiam mutuatum, habet. b *Ad Grandi-pratenſe, Monaſterium ſecundo milliari à Namurco, excitandum, Monachi duodecim, cum Abbate terdecim, ex Villario à Guillelmo Abbate vndecimo anno M. CC. XXXI. miſſi ſunt. Quibus Namurco appropinquantibus, Clerus Namurcenſis cum populo, inſtituta proceſſione occurrit, magnaque ipſos deuotione ſuſcepit, & ad Grandis-prati locum deduxit.* Ita in Chronico. In Tabula autem Eccleſiæ Grandis-prati, diſtinctius aliquid; certè ex vtroque plenior notitia erit. *Anno, inquit,* c *ab Incarnatione Domini M. CC. XXXI. in die Aſſumptionis Beatæ Mariæ fundata eſt Abbatia Grandis-prati à Margarita, Comitiſſa Viennæ, ex bonis, quæ ad hoc ſtatuerat frater eius Philippus, Marchio Namurcenſis, qui Cruce ſignatus contra Albigenſes hæreticos in itinere obiit, ſepultus Valcellis.* Eadem habet Ægidius Aureæ-vallis in hiſtoria Epiſcoporum Leodienſium, & pergit vlterius. *Huius primus Abbas extitit Dominus Ioannes, vir religioſus, & humilis, qui multis expenſis factis, & apparatu, die eodem, quo cingulo Militiæ accinctus erat, in ordine Ciſtercienſi, in Villario ſe adiunxit, relicta vanitate ſæculi.* Hunc inter viros claros illius tractus, ſacratium Namurcenſe, atque ex ipſis Monologium recenſet Iunij IX.

b in Chronic. Ciſter.

c apud Henric. Iunij 9.

Inſtrumentum fundationis Grandis-prati, cum multis aliis, tùm donationibus, tùm etiam priuilegiis Flandriæ Comitum, vulgauit Miræus in ſuis Eccleſiarum Belgij notitiis, ex quibus locum Villarienſium olim, permutatione ad Comites tranſiiſſe, Marchioneſve; nam iam tunc Marchiones nominabantur. In eo porrò conſtructum Monaſterium, quod iidem Villarienſes per Monachos tranſmiſſos, veluti domum filiam inhabitarent. Nam hoc initium primi expediti hoc anno, menſe Auguſto. d *Henricus Marchio Namurcenſis, & Viennæ Comes, & Margarita Marchioniſſa, & Comitiſſa, vxor eius, notum fecimus, quod cum nos per commutationem recepiſſemus, ab Abbate, & Conuentu de Villario, Ciſtercienſis ordinis, Diœceſis Leodienſis, omnes poſſeſſiones, quas eadem Abbatia habebat apud Grande-pratum, Froncort, & Burchis, cum ſuis appenditiis, & omne, quod habebat ex illa parte Moſæ, inter Dionantum, & Hoyum, & Moſam; nos eaſdem poſſeſſiones in allodium liberum contulimus Abbatiæ de Grandi-prato, quam fundauimus ſecundum legatum prædeceſſoris, ac fratris noſtri Philippi bonæ memoriæ, quondam Marchionis Namurcenſis. Actum anno M. CC. XXXI. menſe Auguſto.* Sequuntur plures aliæ donationes, priuilegiaque, quæ Abbatiam commendant, & probant fuiſſe inter primas illius tractus. 4.

d cap. 2011.

Antiquiora initia Sancti Stephani, cognomento, de Cornu, in Lombardia; quippe quæ ab olim Sancti Benedicti Parentis regula, Abbatia exempta floruiſſet; ſed temporum tranſcurſu deformata, atque ipſa exemptione, velut degenerans, facile ad laxamenta, & libertatem, à primitiuo rigore pertranſiret. Reformari ad antiquam obſeruantiam curauit Gregorius, multis miſſis ad eam Viſitatoribus: ſed ſemel laxamentis ſueta familia, non potuit ad ſtrictiora reuocari; diſperſiſque Monachis per alia Monaſteria, Ciſtercienſes induci, ſiue ſubſtitui, vnicum ea ætate diſciplinæ corruptæ remedium fuit. Quod vt Gregorius facilius conſequeretur, Placentinum Epiſcopum, & Prouincialem Fratrum Prædicatorum ad longum miſit, qui ſemel ab eo decretam mutationem manciparent effectui, & Ciſtercio plantato antiquam Domum Benedicto Parenti reſtituerent. Illi, vocatis ex Cerreto Monachis tradiderunt Eccleſiam, Conuentumque deſerere antiqui habitatores, cum reformari nollent, compellebantur. Conſtant hæc omnia ex epiſtola Gregorij ad Archiepiſcopum Parmenſem, poſt biennium ſcripta, cum ſuper retentione Monachorum, qui fuerant diſperſi, litigaretur; ſic autem habet excepta ex Vaticano. e 5.

e epiſt. 79.

Parmenſi Epiſcopo, & Archipresbytero de Saxo, Parmenſis Diœceſis, Venerabili fratri noſtro Epiſcopo Placentino, & dilecto filio fratri Stephano, Priori Prouinciali fratrum Prædicatorum in Lombardia. 6.

Referentibus nobis innotuit, quod cum eis noſtris dederimus literis in præceptis, vt ad Monaſterium Sancti Stephani de Cornu Laudenſis Diœceſis, quod in ſpiritualibus collapſum miſerabiliter dicebatur, perſonaliter accedentes, ac impendentes ibidem Viſitationis officium, vice noſtra, ipſum de Monachis Ciſtercienſis ordinis reformarent; Monachis in eo degentibus, in locis aliis ſui ordinis collocatis, iidem, iuxta mandatum noſtrum inducentes eumdem ordinem in Monaſterium memoratum, ac ipſius Monachos in diuerſis Monaſteriis recipi facientes; Demum G. Monachum eiuſdem in Monaſterio Sancti Columbarij authoritate Apoſtolica collocarunt, &c. Hoc fuit initium Sancti Stephani, ſub Abbate Cerreti, Ciſtercioque, quod poſtea Bonifacius Simoneta, haud contemnendus ſcriptor, aliique, doctrina, & pietate florentes, nobilitarunt.

Virorum vltima Abbatia de Palatiolis, ſi tamen Abbatia, nam Prioratus incœpit circa annum, ante & poſt vnionem ad noſtros factam, conditionis humanæ præ cunctis aliis experta, & expertura viciſſitudinem. Quippe proximo Eremitæ ſine Regula, mox ſub Sancti Auguſtini inſtitutionibus habitare cœperunt; inde in Ciſtercio, Prioratus, & Abbatia, poſt quæ ad Carthuſiam tranſiit; nec tamen diutius ſub ea permanſura, cum hodie à Franciſcanis inhabitetur, forſan ex his ad alios tranſlatura. Initia domus ex Grego- 7.

rij Papæ literis constant, intra sexennium datis ad Generale Capitulum Cistercij, sub hoc
f epist. 263. tenore. f *Cum bonæ memoriæ Ioannes Abbas Monasterij Sanctorum Andreæ Apostoli, & Sabæ Confessoris, cum consensu Conuentus sui, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Palatiolis, cum terris, vineis, hortis, arboribus, & aliis bonis suis, ad id Monasterium pertinentem, sub annuo censu duarum librarum ceræ, ipsi Monasterio annis singulis persoluendo de mandato fœlicis recordationis Innocentij Papæ Prædecessoris nostri, quondam Xisto Priori eiusdem Ecclesiæ, ac eius Fratribus conuenisset, quandiu ibidem ordo ipsorum vigeret; ita quod institutus ibi tunc ordo propter ipsorum insolentiam deperiret, dicta Ecclesia rediret liberè ad Monasterium eorumdem, prout in literis confectis exinde proximus contineri: quia prædicti Prior, & fratres nullam habebant de religionibus approbatis, sed tamquam Eremitæ fructus ibi pœnitentiæ faciebant: piæ memoriæ Papa Honorius prædecessor noster regulam Beati Augustini eis indulsit, ibidem in posterum obseruandam. Cum autem iidem ad commotionem dilecti filij nostri Tituli Sanctæ Mariæ Trans-Tyberim Presbyteri Cardinalis, qui eis in benedictionibus dulcedinis diu affuit, quasi Pater, propositum, Domino inspirante, religionis conceperint arctioris, & ad frugem vitæ velint melioris transire. Sic mediante Cardinali prædicto, inter dilectos filios Abbatem, & Conuentum Monasterij Sancti Anastasij vniatur, etiam dicti Prior & frater susciperent, & obseruarent Cistercienſis ordinis instituta, &c.* Hactenus ante vnionem Palaciola.

8. In vnione hæ leges præscriptæ sunt, vt quandocumque in Abbatiam crescere posset, è membro, in filiam transiret Sancti Anastasij: solutis prius, quæcunque in ædificiis, aut possessionibus Sancti Anastasij Conuentus insumpsisset. *Interim autem (pergunt eadem literæ) idem Abbas Sancti Anastasij, & successores sui, qui*
9 *pro tempore fuerint disponendi; de ipsa Ecclesia, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, & tam in personis, quam in rebus, sicut de ipso Monasterio Sancti Anastasij (cum vnum ouile, & pastor vnus esse debeat vtriusque) admittendum totum Conuentum, vel partem illuc in æstate, si expedire viderint, habebunt liberam facultatem. Nos igitur laudabile Prioris, & fratrum ipsorum propositum in Domino commendantes, & approbantes, quod inter ipsos taliter est tractatum; quamquam super statuta ordinis ad habendum Conuentum, & aliam familiam necessariam sufficientes, ad præsens non habeant facultatem; quia tamen consideratis animarum lucris, exinde proueniturus, & necessitate ipsius Monasterij Sancti Anastasij euidenti; cum propter intemperiem aeris & alias incommoditates plurimas, vix possint æstatis tempore ibi esse Monachi, aut habitare: Mandamus quatenus supplentes defectum, si qui is est, ob præmissam causam, pro reuerentia Beati Petri, & nostra, præfatam Ecclesiam, præscripto censu supradicto, Sancti Sabæ Monasterio reseruato, iuxta præmissam formam, eidem Monasterio Sancti Anastasij vniatis, &c.*

Gregorij Papæ literis susceptis, obediuit Capitulum, & Monasterium Sanctæ Mariæ de 9.
Palatiolis Cistercio, & Sancto Anastasio incorporauit, iisdem conditionibus, quas interuentu Cardinalis sancitas, ipse firmabat. Permansit Prioratus de Palatiolis per duodecim annos, plus minusve. *Verum (pergit Innocentius Papa 8 IV. qui Gregorio successit, in aliis literis* g Epist. 391.
ad Abbatem, & Monasterium S. Anastasij) cum supra dicta Ecclesia (nempe S. Mariæ de Palatiolis) per gratiæ diuinæ subsidium, illud, sicut accepimus, in bonis susceperit incrementum, vt digne consurgere possit ad titulum Abbatiæ. Hoc, quoad gloriam diuini nominis, Abbatiam de ipsa, iuxta formam in præmissis expressam libere faciatis; vobis authoritate præsentium concedimus facultatem. Sic Innocentius IX. Kalendas Februarij; Pontificatus sui anno primo. Quibus etiam, quod iam in Abbatiam, per Monachos, & Abbatem Sancti Anastasij, sine noua Capituli licentia, Palatiolensis Domus promota esset, *defectum, si quis forsitan, ex eo quod Abbatis & Capituli Cistercienſis super id ad præsens non fuit requisitus consensus, supplet de plenitudine potestatis, &c.*

Extat memoria Abbatiæ de Palatiolis in lit- 10.
teris Bonifacij VIII. in quibus & Monasterium Sancti Angeli de Valle illi attribuit, & vnit, expulsis, qui illud prius habitauissent. Datis Agnaniæ, IX. Kalendas Septembris, Pontificatus ipsius anno VIII. Porrò hæc, & alia illius incrementa, atque duplicem adhuc mutationem, qua ad Carthusianos, ex nostris primum transiit, mox ab eis ad minores, qui modo occupant; cum aliis, quæ concernunt eamdem domum, si quis forsan Annales prosequatur, singula suis locis reddet pro instituto. Interim nos Monasterij situm, terminosque, ex quadam illius Tabula, quæ ante quadringentos fermè annos scripta, hodieque perseuerat, proferamus. *Anno M. CC. XLIX. Apostolica sede vacante, Indictione XII. mense Februarij die VIII. facta est præscriptio bonorum omnium immobilium Cœnobij Sanctæ Mariæ de Palatiolis, Cistercienſis Ordinis quod Cœnobium situm est, vna cum hortis, vineis, syluis, riuis, fontibus, viis, & inuiis, cryptis, & rupibus arboribus fructibus, & infructiferis per gyrum, in quod cole super lacum Albanen, seu in pede montis caue inter hos fines à primo latere possidet Ecclesia Sanctæ Mariæ de Crypta-ferrata, à secundo, & desuper Ecclesia Sancti Angeli de Lam, à tertio Castrum, quod dicitur Male-affictum, à quarto desuper possidet Castrum Rochæ de Papa, &c.* Pergit vlterius numerare bona, quæ in præsenti non vacat ad longum ponere. Hæc de Cœnobiis virorum præsentis anni.

1. *Pratense*

1. *Pratense Virginum Cœnobium iuxta Trecas,* 2. *Recens erectum Episcopo subiicitur,* 3. *vt cum Trecensi Capitulo componat.* 4. *A Cistercio respuitur,* 5. *sed mox admittitur,* 6. *temperata priori subiectione.* 7. *Seligental à Ducissa Bauariæ Ludmilla conditur,* 8. *Atque opime dotatur.* 9. *Dictum de Spirensi Cœnobio Montis-salutis.* 10. *Villabona, Reginæ Tarasiæ opus,* 11. *& eius confirmatio:* 12. *ac filiæ Dulcis Monachatus in ipsa domo.* 13. *Demum nominis,* 14. *locique mutatio.*

CAPVT OCTAVVM.

1. SEQVVNTVR ordine Virginum Cœnobia, quæ plura numero, & forsan ex notitiis non inferiora. Pratense prope Trecas inchoarunt fœminæ religiosæ, in quadam grangia Stephani de Campo Guidonis; empta, aut donata? dubium, quæ erat in terra Capituli Trecensis. Hac occasione infestatæ per Canonicos, quod sine eorum licentia ibi sedissent. Cæterùm cum Robertus, tunc Episcopus, faueret Monialibus, & nouum opus promouere desideraret; à Capitulo obtinuit, vt permanerent, si modo Episcopo, & eius successoribus, adeoque & Capitulo ipsi, sede vacante, subderentur in omnibus, & quasdam alias seruarent conditiones, per quas ius suum illæsum (sic ipsis videbatur) conseruaretur. Vulgauit instrumentum transactionis, hoc anno factæ, Nicolaus Camusatius in Miscellaneis, quod ad maiorem totius facti notitiam, non pigebit ad litteram transcribere.

2. *Robertus diuina permissione Trecensis Episcopus, ad quos præsens scriptum peruenerit, salutem in Domino.*

Gratias agimus Saluatori, quod nostris temporibus, per suos fideles, domos religiosas, nouasque religionis plantulas instituere non desistit, in augmentum Fidei Christianæ, & testimonium veritatis, quibus, cum de genere sint bonarum, tanto tenemur facilius consentire, quanto credimus certius ea ad honorem Saluatoris esse facta. Vnde cum de nouo in iustitia Capituli Trecensis, & censiua in quadam grangea Stephani de Campo-Guidonis, quæ vocatur Creberia cum iuxta Trecas, quædam Moniales habitum album gerentes esse cœperint ad seruiendum ibidem Creatori, & dictum Capitulum aliquando contradixerit, quia id iustitia & censiua, ipsius Capituli factum fuit sine eis; & per hoc, vt dicebant, possent iura eorum, & Ecclesiæ Trecensis deperire, ad quæ seruanda specialiter sunt adstricti? Tamen bonum iam inceptum nolens Capitulum impedire, assensum suum, vt dictæ Moniales ibi remaneant, præbuit in hunc modum.

3. *Dictæ Moniales omnino suberunt nobis, & successoribus nostris; nec poterunt in censiua, iustitia, decimatione, vel Dominio Ecclesiæ Trecensis aliquo genere acquisitionis aliquid acquirere, sine speciali licentia, & assensu Capituli. Nec impetrabunt aliquid, aut impetrari facient per se, vel aliquam interpositam personam à Domino Papa, vel aliquo Legato sedis Apostolicæ, per quod ius, vel honor, aut vtilitas Ecclesiæ Trecensis, vel Capituli in spiritualibus, vel temporalibus minuatur, etsi impetrauerint, vel fecerint impetrari, non valebit ipso iure. Nec sine licentia Capituli, vel assensu poterunt se extendere ad faciendas officinas, vel ædificia vltra fossata, quæ nunc temporis sunt ibidem. Nec permutare poterunt vel excambiare locum illum, sine speciali licentia Capituli sæpe dicti; quod si fecerint, locus ille ad dictum Capitulum cum omni iure, libere, & pacifice reuertetur, sicut antea, antequam dictæ Moniales ibi essent. Præterea dictum Capitulum quitauit eisdem Monialibus tantum modo iustitiam, & censum sex denariorum, quos idem Capitulum habuit infra Fossata Grangiæ memoratæ, conuentionibus tamen præmissis, plenius obseruatis, retentisque nihilominus penes dictum Capitulum iustitia, censiua, & iure omni, quod habet extra Fossata dicti loci. In quorum omnium testimonium nos ad petitionem dicti Capituli; necnon & dictarum Monialium sigillum nostrum apponi fecimus. Actum anno M. CC. XXXI. mense Augusto.*

Hactenus instrumentum transactionis; in quo tamen, vt id obiter notem, consulto, vt credo, Cistercij nulla mentio, neque Moniales ad illud pertinere; sed tantùm album habitum portare dicuntur; ne scilicet subiectio plano iure promissa Episcopis, cum instituto pugnans nullam vim videretur habere posse. Illud compertum, recusasse Cistercium per quatuor annos admittere Moniales, quæ talem obedientiam pepigissent; quoad vsque Episcopo Roberto de medio facto, sub Nicolao illius successore temperata est, & ad Cistercij leges pene redacta; cuius rei etiam extat instrumentum ab eodem vulgatum, Reuerendissimi Abbatis Cistercienses, qui vices suas pro incorporatione eiusdem domus, sub Abbatis Claræ-vallis visitatione, tribus Abbatibus illius lineæ committit, de Ripatorio, de Bullencuria, atque de Moris litteris ad eos datis, quæ ita habent. b

4.

b *Apud Nicol. Camuz. vbi supra.*

5. *Dilectis in Christo de Ripatorio, de Bullencuria, & de Moris Co-Abbatibus suis, F. G. dictus Abbas Cistercienses, salutem, & synceram in Domino charitatem.*

Cum Venerabilis Pater N. Dei gratia Episcopus, & Capitulum Trecense contradicat, ne Moniales de Prato iuxta Trecas incorporentur Ordini nostro, occasione cuiusdam compositionis initæ inter ipsos, & dictas Moniales, scilicet quod omnino essent subiectæ Episcopo Trecensi, & successoribus suis, tandem bonis viris mediantibus dictam compositionem temperare intendunt in hunc modum. Quod obedientiam dicto Episcopo Ecclesiæ Trecensi exhibebunt, & iustis sententiis, monitionibus, & mandatis ipsius Episcopi parebunt in omnibus, quæ non sunt contra libertatem Ordinis, nec excommunicatos, aut interdictos ad aliqua sacramenta, vel diuina officia recipient, nec tradent Ecclesiastica sepulturæ, sed tempore interdicti, ianuis clausis celebrabunt.

Quod

6. *Quod si in his deliquerint, & contrauenire præsumpserint, Episcopus Trecensis compellere poterit ipsas ad satisfactionem, satisfaciendo de bonis ipsarum, vsque ad valorem vnius modij frumenti: & si dictæ Moniales in sua contumacia perdurauerint, Abbas Claræ-vallis excommunicabit eas, cum à dicto Episcopo super hac re fuerit requisitus, si de suis excessibus contumaciter satisfacere recusauerint: & nihilominus dictus Episcopus in familias earumdem excommunicationis sententiam poterit promulgare, si dictæ Moniales vt dictum est, in supradictis casibus satisfacere recusarent. Cætera vero contenta in dicta compositione, dummodo non sint contra libertates ordinis, fideliter obseruabunt, & Abbatissa dicti loci, quando contigerit ipsam benedici sub religione iam susceptæ, promittet, quod omnia supradicta obseruabit, & pro posse suo faciet obseruari: Hinc est, quod mandamus quatenus ad dictam domum pariter accedentes, eam authoritate Generalis Capituli ordini nostro incorporetis, & ibidem Abbatissam instituatis, non obstantibus conditionibus prætaxatis. Datum anno gratiæ M. CC. XXXV. mense Ianuario.* Hæc summa facti totius fundationis, atque incorporationis huius Cœnobij, cuius etiam meminit Robertus Claudius in sua Gallia Christiana, atque alij antiqui, & Recentiores.

7. Alterum huius anni Monasterium Seligental, alias de Lantzhuer (vtroque namque appellari nomine solet) quod primum pro Virginibus Cistercium in Bauaria.m induxit, fundatum à Ludmilla Ducissa vidua. Porrò de eo Stero in suis Annalibus.[c] *Anno M.CC.XXXI. Monasterium Monialium Cistercienſium, à Ludmilla Ducissa, in Lantzhuer instruitur.* Exactius tamen VVigulæus Hundius, latiusque & nihil fere omittens in Metropoli sua Salizhurgensi, *Seligental, ait, Monasterium Virginum Cistercienſium Ludomia, alias vulgariter Ludmilla, Ducissa Bohemiæ vxor primo Alberti Aposen, tertij huius nominis Potentissimi Comitis, ante ſyluam Bohemicam, ex quo tres filios habuit, Leuithpoldum, & Albertum Quartum; secundo nupta Ludouico, Duci Bauariæ, filio Ottonis de VVitlspach primi Ducis, ex quo vnicum filium Ottonem ſuſcepit, viduata anno M. CC. XXXI. anno ſequenti Landeshautæ in ſuburbano ſacratis fœminis Monasterium conſtruxit, Ciſtercienſibus initiauit, dotem ſuam dedit, vbi eius ſepulchrum, necnon cæterorum Principum inferioris Bauariæ oſtenduntur.* Hactenus Hundius, quorum partem in chronico Ciſtercienſi Miræus refert. [e] Cæterum instrumentum dotationis à Ludmilla confectum sequenti anno, atque ab eodem VVigulæo Hundio vulgatum, quia satis elegans, quia nostris honorificum, demum quia alterius nominis, ideſt de Lantzhuer, ex præexistenti ibidem Hospitali, quod ita vocabatur, rationem reddit; transcribendum putaui pro meo more, id post longum præmium, neque inelegans, hæc habet verba. [f]

8. *Nouerint igitur vniuerſi, tam præſentes, quam poſteri, quod ego Ludomia, Ducissa Bauariæ de portione ſubſtantiæ, quæ ex hereditate Parentum meorum me contingit, cum vidua illa Euangelica, ne vacua appaream in conſpectu Dei Omnipotentis, aliquid in gazophilacium Domini mittere cupiens, annuente, & conſentiente dilecto Filio meo Ottone, Illuſtri Duce Bauariæ & Palatino Comite Rheni, ad inſtaurationem Conuentus Virginum Sanctimonialium, Ciſtercienſium Ordinis, qui inter religiones cæteras, quaſi ſtella matutina fulget in medio nebulæ, & quaſi ſol domum Domini, Sanctam videlicet Eccleſiam illuminat, quamuis in iſtis partibus, heu! Bauariæ nemini ſit cognitus: in Hoſpitali Landeshuer, in finibus Ratiſponenſis Diœceſis, vt quaſi cuſtodes ſuper muros Hieruſalem conſtituta tota die, ac nocte, pro beneficio impenſo laudare, & pro peccatis meis, & delictis meis, & maritorum meorum defunctorum, videlicet Ludouici, Ducis Bauariæ, & Alberti Comitis de Pogen; pro ſalute, & incolumitate filiorum meorum, prædicti ſcilicet Ducis ad Alberti Comitis, & ſucceſſorum noſtrorum, nomen Domini non ceſſent deprecari: has quinque villas, ſitas in Parochia de Ehambe, ante ſyluam Bohemicam, contuli, ſcilicet Schubarzenbach, Zelemugen, Viezthir ſuperius, & Viezthir inferius, & Riſennide: ita videlicet, vt prædictarum villarum cohabitatores numquam ad aliquod ſeruitium, tam talionum, quàm cenſuum, ſiue exactionum, niſi ad ex ſolutionem viginti, & vnius libræ, & dimidiæ, minus duodecim denariis, & duarum ſcapharum vnius tritici, & vnius ſiliginis, in perpetuum cogantur ab aliquo; & vt prædictarum villarum, Filius noſter ſæpe dictus Dux, & ſucceſſores, ſine omni talionis, vel exactionis, ſiue alterius quocumque nomine cenſeantur, ſeruitij, quibus pauperes à ſuis Iudicibus, vel Aduocatis, ſolent grauari, perpetui ſint iudices, & defenſores. Acta ſunt hæc anno gratiæ M. CC. XXXII. Indictione V. Præſidente Ratiſponenſi Eccleſiæ Venerabili Domino Sifrido, eiuſdem vrbis Epiſcopo, & dilecto Filio meo ſæpe dicto Ottone Ducatum Bauariæ, & Palatinum Comitatum Rheni tenente.* Hæc de Seligental, in quo Cœnobio præter Duces Bauariæ, multi Principes alij, apud eumdem Hundium, sepulti iacent.

9. Tertium Cœnobium, Pons-salutis dictum, in Diœceſi Spirensi, de quo pene eadem Bruschius, & Democharis in Catalogis Spirensium Episcoporum, in Berengario, seu Beringero Episcopo Quadragesimo septimo. *Huius inquiunt, Antiſtitis temporibus fundatum eſt in honorem Virginis Mariæ, anno M. CC. XXXI. Cœnobium Virginum inſtituti Sancti Bernardi, Pons-ſalutis appellatum; à Magiſtro quodam Salomone, Herbipolenſis Eccleſiæ Canonico, in Spirenſi agro, non procul ab Oppido Landovn, nato.* Ita vterque de tertio Monasterio. At nos iam quartum notius, quia domesticum & pluribus Cistercium illustrans titulis, ex fundatrice, ex filia Sanctimoniali, ex concurrentia euentuum; demum ex instituto, prosequamur.

10. Additum ergo in Hispania nostris hoc anno quartum Cœnobium Regium, quod duabus filiabus Sanctiæ & Dulci, cum à spe regni legionis cecidissent, vt anno præcedenti memoraui, Tarasia mater struxit; non quasi statim induituris habitum, ad quem nondum à Deo vocatæ essent: sed vt fabricæ sonitu excitatæ expeditius audirent, si vocarentur; & vt audientes statim inuenirent, vbi commodius, & citius responderent.

c *Apud Henricum Canisium. In antiq. lection.*

e *Ad hunc ann.*

f *vbi ſupra.*

rent. Quippe quem sibi portum elegisset, atque inuenisset tutum, eundem censuit ipsis prouidendum. Acceperat ab Alphonso Legionensi, olim dilecto sibi, dum licuit, coniuge, imo etiam dum non licuit, locum satis amænum, optimumque, dictum de Villabona ad ripas Guæ (tractum illum *des Vierzo* incolæ dicunt) altero lapide ab vrbe Villa-franca, altero à Monasterio Cerrazeti; quem sibi; etsi habitanti Lusitaniam, in hunc finem consulto retinuerat. Hunc construendo Monasterio aptum ædificio illustrauit, & auxit dote; ac Diœcesani Episcopi, id-est Asturicensis interuentu, locupletatum aris, & pro more Cistercij Virginis sacrum à Pontifice obtinuit confirmari. Litteræ vero ipsius confirmationis expeditæ hoc anno, ex quibus etiam Monachatus Tharasiæ constat, prout hodieque leguntur, hæc habent
g Ex Regist. Greg. verba. g

11. *Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, charissimæ in Christo filiæ, Illustri Reginæ Tarasiæ, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Ea, quæ diuinitus inspirata in augmentum Sacræ religionis accedunt de voto, veneramur affectu, adiiciendo piis actibus quidquid possumus firmitatis: vt non solum inconcussa permaneant, verum etiam proficiant, quæ de viris beneplacitis offeruntur. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit expositum coram nobis, claræ memoriæ Alphonsus, Rex Legionensis, tibi habitum Cistercienses ordinis assumenti, domum, quæ dicitur Villabona in præsentia Venerabilis fratris nostri ..... Sabinensis Episcopi, tunc Apostolicæ sedis legati, ad Monasterium eiusdem ordinis, ibidem consensu Diœcesani Episcopi construendum, liberali donauerit pietate, ac idem Diœcesanus ibi altaria dedicarit: nos deuotionis tuæ precibus annuentes id sicut rite, ac prouide actum est, authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datis Reati XVII. Kalendas Ianuarij, Pontificatus nostri anno V. Christi M. CC. XXXI. Ita Gregorius. Similem porro obtinuisse confirmationem ab Innocentio IV. post annos XIV. aliæ litteræ produnt eiusdem notæ. *Datæ Lugduni pridie Idus Augusti, Pontificatus Innocentij IV. anno III.*

12. Hoc initium Monasterij de Villabona, quod sub visitatione & correctione Abbatis Carrazeti cœpisse, sunt qui affirment: & constat ipsum propria authoritate, an delegata ab alio, curam eius gessisse per longum tempus. Sanctia, atque Dulcis Monasterium sibi constructum, vt non statim ingressæ, at statim velut ingressuræ nobilitarunt, & multa dote auxerunt, in qua & oppida septem, Villabona, Arborbona, Quilos, Laualgoma, Valtuille superius, & inferius, Cubillos, & Cubillinos computabantur: quæ si ad hanc diem Monialibus mansissent, vix illum locupletius in toto illo tractu reperiretur. Vtramque infantem induisse ibidem sanctimonialem, eiusdem Monasterij traditio est: sed quæ de sola Dulci constare potest, cuius etiam sepulchrum visebatur eleuatum à terra in medio Chori, antequam ædificium exundantis fluuij aquis submergeretur. Et creditur claruisse multis virtutibus, quas sanctissima morte consumauit. Reliqua vitæ illius ignota nobis, neque vnde disceremus nanciscì facile fuit.

Obierit in eo loco Sanctus Guillelmus, Dux olim Aquitaniæ, cum Compostellam ad S. Iacobum iret; an alius Eremita, Monachusve illum inhabitauerit, ante vel post Monasterij constructionem, in dubio est. Constat à Sancto aliquo huius nominis, cuius corpus ibidem requieuerit, primam aduocationem, breui in Sanctum Guillelmum commutasse; & magnitudo, proceritasque ossium, quæ hodieque visuntur concordare videntur cum his, quæ de Duce Aquitaniæ authores tradunt. Quicumque fuerit ingentis meriti esse, inde deduci potest, quod cum in translatione Sanctimonialium, de qua statim, exuuiæ Sancti simul transferrentur; occultissime tamen, ne detentioni paterent, siue rapinæ: Virgines ad sepulchrum eius orare solitas, latere non potuerunt, quin diuinitus reuelato loco Sacri depositi, accesserint ex more, solitum orationum pensum exhibituræ. Seruantur modo in arca deaurata ad latus Epistolæ iuxta pyxidem ipsam maioris aræ, vbi & patent fidelium venerationi. 13.

Mansit Cœnobium ad ripas Guæ fluminis CC. XC. annos plus, minusve, nempe vsque ad M. D. XXI. quo cum continuis fluctibus quassatum minaretur ruinam, ad instantiam Abbatissæ, quæ tunc præerat, & aliarum Monialium, & si non omnium, ad Monasterium Sancti Michaelis, non longe ab eo distans, translatum est, atque ipsi vnitum: cum idem Monasterium Monialibus, quod viuerent liberius, dispersis per alia loca. Priori Monacho gubernandum traditum, & Collegio S. Saluatoris Salmanticensis vnitum est, vt in hoc Tomo dicam in Appendice Abbatum Palatiolensium. Ex qua item vnione factum est, vt Monasterium S. Michaelis, quod fuerat suppressum restitueretur, atque iterum acciperet Moniales, pro quibus ab initio surrexisset. rursus, vt pro vnione, facta Collegio, pensio annua succederet viginti millium marauitinorum: cui soluendæ deinceps, vtraque domus S. Guillelmi, & S. Michaelis, atque vniusque prouentus, obligarentur. 14.

ANNVS CHRISTI M. CC. XXXII. ANNVS CISTERCII C. XXXV.

1. Iacobus semel, 2. & iterum frustratus Legatiæ suæ fructu, pene desperat 3. tandem optatam pacem, conditionibus vtrimque æquis componit, 4. non tamen firmam, Friderici dolo, 5. perfidiaque. 6. Actum Patauij de Canonizatione Sancti Antonij, 7. de qua Legati ad Pontificem scribunt, 8. & præter spem, inquirendi litteras impetrant: 9. properata reliqua, atque Antonius adscriptus Sanctorum numero. 10. Inde instituta vniuersa Lombardia, & Veronenses discordes concordati.

CAPVT PRIMVM.

1. SEQVITVR annus à Christo, in terris nato, trigesimus secundus, supra millesimum, ducentesimumque qui fuit Cistercio centesimus quintus, quo Iacobus Placentius, aut Pecorarius, Cardinalis Episcopus Prænestinus, ex Abbate Cœnobij Sancti Anastasij, cum Collega Legato Ottone Blanco, Lombardiam peragrantes, arguentes, obsecrantes, increpantes opportune, importune, in omni tum patientia, tum doctrina, & constantia, suæ legationis functiones exequebantur. Nec recusabat Fridericus leges, quæ sibi imponerentur; iã forsan conscius se nullas seruaturum. Sed obsistebant obdurati in bellum animi fœderatarum Vrbium: seu hominis ingenium semper atrox, & semper fraudulentum auersarentur, nec simulatæ ad tempus comitati fidendũ putarẽt; seu semel sueti Rectores imperare, quod sæpe cõtingit; nec in pace deponerent mallent per turbas Imperiũ retinere: seu tandẽ ciues, militarem licentiam securitati, quietiq; anteponerent; & mala omnia, quibus subiacebãt, & subiacere, durante bello, poterant, libertate parendi, satis superq; ad arbitrium compensarent. Constat cum anno proxime præterito Cardinales legati apud Laudam, Episcopalem Vrbem, vtrique parti diem indixissent, quo de concordia adnitentibus cunctis agendum foret; post longas contentiones nihil peractum; *eo quod, ait Bzouius,* [a] *procuratores ciuitatum non plenam omninò à Rectoribus societatis potestatem transigendi obtinuissent.*

a *Ad hunc ann. num.* 1.

2. Inter hæc etiam Bononia tumultuabat intestinis diffidiis; seu sacrilegiis, quæ inter bella plerumque misceri solent; ablatis, quæ Episcopi essent, castris, & oppidis, & traditis Prætori maiori Vrbis, veluti exinde in communes transituris, quorum restitutioni, quamuis in cassum insistendum legatis eisdem fuit. Nam *Gregorius Pontifex, ait Carolus Sigonius,* [b] *Rheati quinto Idus Ianuarij, literas ad legatos suos in Lombardia manentes misit, vt nouum Prætorem Raynerium, & commune Bononiæ adrestituenda sua Episcopo castra, cohortarentur, ne ipse in eos durius consulere cogeretur. Eis autem ille, scilicet Raynerius, adeò non paruit, vt ex consilij sententia Prætores in omnia eius, ideſt Episcopi Castra miserit, atque omni illum iurisdictione spoliarit. Quare Gregorius, tertio Nonas Iulij Spoleto Parmensi, & Mãtuano Episcopis per literas imperauit, vt Pretorem Raynerium, & Fridericum, & cohortes eorum, atque totam Bononiæ ciuitatem, catu piorum expellerent, atque ammotos in omnibus Lombardiæ, Romaniolæ, Marchiæ, & Tusciæ Vrbibus diuulgarent, simulque scholaribus animaduersionis Ecclesiasticæ de-*

b *de Reg. Ital. lib.* 17.

nuntiatione mandarent, vt vrbe excederent, neque ante Festum S. Michaelis redirent. Ergo non solum Vrbes cum Friderico, sed & secum pugnabant, & cum Ecclesia; neque vllum ferè flagitium committi poterant, quod boni publici vmbra non palliaret.

3. Hic status rerum erat in Lombardia; cum ecce miserante ad tempus Deo, & permittente inducias publicis malis, quæ omnia ad intestina bella consequebãtur, designata à Legatis fœlicior dies, quarta decima post festum resurrectionis præsentis anni, atque fœlicior locus, nempe Patauium, non multo ante illustratũ glorioso obitu, & tunc etiam frequentibus miraculis Antonij Parauini, siue Vlyssiponensis, in quibus, atque eiusdem S. auspiciis fœlicius de concordia ineunda disceptaretur. *Tandem ait Bzouius,* [c] *post multas vtrimque tergiuersationes ad diem XIII. Maij, Fridericus Imperator Patauium veniens præsentibus, & decernentibus Iacobo, Præneſtino Episcopo & Ottone, tituli S. Nicolai in Carcere Tuliano Diacono, Cardinalibus Legatis, in gratiam cum ciuitatibus Lombardiæ confœderatis rediit, & conditione pacis, à Gregorio Põtifice cõfirmari postulauit.* Hactenus Bzouius citans in margine epistolas Greg. XXIX. CC. L. VIII. & CC. L. IX. præsentis anni; quas vtinã vulgasset, vt inde melius conditiones ipsius pacis, & totius tractatus series constare posset.

c num. 1. huc annu.

4. Ego in antiquis nihil de concordia, quin noua discordiarum semina iacta, inito cũ Ezelino Tyranno fœdere, & Filio Henrico in vinculis coniecto, in quibus tandẽ obiit, non sine multa veneni suspicione; in chronicis Germaniæ, & aliis lego. Quippe, quæ vulgauit Adrianus Mutius, & inter veteres scriptores Germaniæ circumferuntur, hęc habent verba, [d] *Ergo Henricus frustratus spe venturi sibi exercitus ex Germania, destitutus præsidiis, à Patre capitur, & Regno abdicatur, in qua custodia moritur breui; quidam crediderunt Patris iussu necatum.* Quis crederet futurum fidum in exteros qui adeò in proprium filium infidus fuit? Vnde & sequitur, in eodem ipso Authore: *Lombardi, post captum Henricum, vehementer humilitati sunt. Nam crudelibus modis afflixit eos Imperator. Quas igitur ciuitates, ex rebellibus, recepit in gratiam, præsidiis, & Magistratibus, quorum illi fides spectata fuit, muniuit; quasdam penitus deleuit, quasdam capere non potuit.* Hæc ibi. Quædam hunc annum concernentia, quædam per anticipationem, & quia nulla quidem nostris parcentia, à nobis inferenda latius suis temporibus.

d *lib.* 22.

5. At quæ præcise spectant ad hunc annũ, exactius adhuc, neque ideo minus succincte, quæ Author Anonymus, qui rerum in Lombardia gestarum, quo

quo tempore scribebat, Chronicon texuit; [c] sic enim ait. *Anno Domini M. CC. XXXI. Fridericus Imperator in mense Martio, dum de Apulia vellet in Histriam nauigare, impulsus vi Ventorum, venit Venetias, & inde forum Iulij transmeauit: ibique facta est compositio inter ipsum, & Ezelinum, in detrimentum Marchionis Estensis, & Comitis S. Bonifacij, & totius Marchiæ, & etiam Lombardiæ: sicut postea patuit per effectum. Ascendit autem Alemaniam Imperator, & capto Filio proprio, Rege scilicet Henrico, misit eum in Appuliam, ibique fecit ipsum vsque ad diem mortis, sicut proditorem, in carcere custodiri; ideò quod confœderatus fuerat cum Lombardis: constituitque in locum eius Conradum, quem tenerrime diligebat.* Hactenus ibi: atque hæc obiter ad complementum historiæ dicta, quæ prætermittit Bzouius, & quia his, quæ inferius dicturi sumus de Cladibus Italiæ, quæ nostros, sed præcipuè Claram-Vallem, ad Mediolanum, cum aliis interuoluerunt, lucem dabunt. Sed redeo ad Iacobum.

[c] *inter scriptores Germaniæ.*

6. Dum hic Patauij tractaret negotia pacis, sollicite vrgebãt Patauini, quod Sanctissimus Confessor Antonius, qui Iunio proximo intra eamdem Vrbem ad superos transiisset, & crebris ad sepulchrum à die obitus, miraculis clarebat, in numerum Sanctorum adscriberetur. Rarum omnino, & forsan sine exemplo, aut saltem cum rarissimo, si intra annum id fieret; sed raram etiam illius Sanctitatem, raram prædicationem, rara miracula; nec continendum communes intra leges, quê Deus in his, ab illis exemptum voluit. Antonium per insolitas virtutes, per insolita signa, prodigiaque, per insolitam, non tantum illius populi, sed totius penè Ecclesiæ acclamationem, à cæteris discretum, non esse regulandum illorum legibus. Nihil repente faciendum in re tam graui: sed neque Dei voluntati resistendũ per tot signa ostensæ: nam esto illud leuitatis argui posset; hoc conuincitur manifestæ obstinationis. Esto singuli forsan falli possent, qui petitioni instabant: at non credendum omnes falli simul, imò neque tot potuissent conueniri, nisi moti à Deo, in cuius tamen manu sunt corda omnium. Hoc Pontifex, hoc Clerus Patauinus, hoc Magistratus Vrbis, populusque; hoc Patauinæ non parum hinc florentis Academiæ Doctores, & Magistri. Demum hoc tota Italia, nedum Lombardia tota postulabat. Verùm res ardua, & quæ si semel fieret, posteris in exemplum transire posset, vt gratas aures inueniret apud Pontificem, maiorum adhuc exigebat auctoritatem.

7. Cœlitus planè aduenisse visi sunt Cardinales Legati: qui testes oculati miraculorum, venerationisque, quæ ex recenti memoria Sanctitatis, aliàs fixa manebat mentibus omnium, fidem Gregorio indubitatam facere, auctoritate, qua in Ecclesia pollebant, & apud ipsum; tum iudicio, atque pondere rationum, expressarum per litteras, eumdem efficacius mouere possent. Igitur ipsi comperta veritate; & Deo interius mouente vtriusque cor (nam homines non possent) scripsere Gregorio, Fratribus, id est sacro Collegio Cardinaliũ; atque ad præstandum consensum petitioni, iustæ quamuis insolitæ, multis propositis potenter pertraxerunt. Verùm hæc ipsa luculentius, exactiusque Franciscani Annales, & mihi etiam præ antiquis suspiciendus (quæ fide, quo iudicio in cunctis pollet) Reuerendus P. Fr. Lucas Wadingus, in his, quos nuper vulgauit, totidem verbis [f].

[f] *Ad hunc ann. num. 11.*

8. *Sollicite hoc anno vrgebãt Patauini, Sancti Antonij canonizationem; quare præmisso ad Pontificem miraculorum processu, per Commissarios ab eodem desideratos legitimè facto, destinarunt nouos legatos, qui proficiendæ, & acceleranda rei incessanter insisterent: delegarunt Episcopus, & Clerus Matris Ecclesiæ Canonicos duos, duosque Minoritas; cinitates, Magistratus, & communitas totidem Proceres, nobilesque Equites, magno stipatos famulitio. Academiæ Patauiæ Doctores vniuersi suas addiderunt preces missa communi Epistola. Sed efficaciores illæ litteræ duorum Illustrium Cardinalium, Ottonis Candidi, alias Blanchi de Alerano ex Marchionibus Montis-Ferrati Casalensis, Diaconi tituli Sancti Nicolai in carcere Tulliano, & Iacobi de Pecoraria Papiensis, Ordinis Cisterciensis, ex Abbate SS. Vincentij, & Anastasij ad Aquas-Saluias, Episcopi Cardinalis Prænestini. Hi à Pontifice Legati missi in Lombardiam, vt Longobardos Imperij hostes Friderico, pacem cum Pontifice dissimulanti, reconciliarent. Tunc Patauium aduenerunt, quando de mittendis Oratoribus ad Pontificem ageretur: visis & expensis tot miraculis, quæ quotidie ad Sancti Viri corpus fiebant, per ipsos Oratores scripserunt Pontifici, testimonium perhibentes veritati. Ad nouas preces nouum indixit Cardinalem consilium Sanctissimus Dominus, iussitque, vt congesta, & publica fide conscripta miracula examinarentur.* Hactenus ille: neque inter gesta Iacobi per hoc tempus rem adeò grauem licuit præterire.

9. Non satis constat, an Patauij interfuerint Legati, cum sacrum canonizationis Festum in Vrbe Patauina, atque ad Sancti sepulchrum perageretur? & probabile etiam affuisse, atque officium de Antonio celebrasse. Certè adeò festinata omnia sunt, vt adesse potuerint; quippe cum ipsi mense Maio scripserint, iuxta medium illius, quo res concordiæ, & pacis pertractabant; aut ad finem Aprilis, quo vtrasque forte partes anteuerterant, emollituri, qua possent vtrosque animos, atque ad sectandam pacem, & detestanda intestini belli damna disposituri; vix intra sesqui mensis breue spatium scriptæ litteræ, Romamque perlatæ in Consistorio, discussæque, inquisitio decreta, atque commissa, examinati testes, & processus remissus, ac remissus; demum sancitum, Antonium adscribendum Sanctorum Canoni; atque Sanctionem adscriptio ipsa sequuta, celebrata Spoleti tertio Nonas Iunij, vt in litteris ipsis videre licet. Vt ergo exiguam Patauij moram fecerint, interesse potuerunt solennitati, quæ die tertia Iunij acta Spoleti, quantumuis differretur, potuit Patauij eundem intra mensem, id est ante exitum Iunij, celebrari. Nec dubium, si interfuerint, ingentem addidisse splendorem festiuitati. Hæc ad Patauium.

10. Cæterùm quod ad pacem Italiæ attinet, quæ plane vnica legatiæ occasio fuit: post res compositas cum Imperatore, restabant adhuc per totam Lombardiam tumultuantes populi, siue conceptum animis fauorem aduersus Fridericum, atque speciosum libertatis nomen, quod semel assumpsissent, ægrè deponerent; siue arma in communem hostem parata, in seipsos conuerterant, atque à publica causa communis boni ad priuata studia, vindictasque, atque inolita odia permutarent. Huelphos, & Gibelinos ab hoc tempore, in factiones diuisos, totam item Italiam diuisisse, compertum est; & plura alia

mala inde sequuta, quæ ad nostra tempora pene perdurarunt. Ergo Iacobo simul & Ottoni peragranda Lombardia reliqua fuit. Nec dubium apud Deum, hominesque pulchros eorum gressus, quippe Euangelizantium bona, quæ cunctis attulerint, atque ô vtinam diutius permansura! Certè Veronenses, qui plus aliis infecti liuoris tabe, ab eorum aduentu repressi sunt, sed post discessum ad arma redituri. Paucis hæc tangit Carolus Sigonius, dum ita ait [g]. *Legati Pontificis, reliqua perlustrata Lombardia, cum Veronam venissent, factiones intestinis discordiis sauientes ad concordiam redegerunt. Verum profusis illis, ipsi rursus ad insaniam rediere, atque agros mutuis vexare maleficiis perrexere.* Ea Iacobi, Collegæque industria, atque auctoritas quocumque perueniebant, sed mala, quæ inuasura erant Italiam, ex diuino decreto, nullis humanis mediis auertebantur. Hactenus quæ de gestis Iacobi, in prima hac legatia, scripta inuenio.

[g] *de Reg. Italiæ lib. 17.*

---

1. *Actum de Elisabeth adscribenda Sanctorum Canoni, 2. cum miracula plura, in Cisterciensi Henrico, 3. aliisque ad illius 4. sepulchrum patrarentur. 5. Suscitati; & præuenti mortui sex, 6. & collata Martino fœmina Sancta. 7. Super quibus Conradus Gregorio scribit. 8. Ille è contra cunctorum inquisitionem, 9. Moguntino Archiepiscopo, Abbati Ebheruacensi, 10. atque eidem Conrado libens commendat, 11. demum Conradus hoc officio functus, priusquam sacrilego hæreticorum gladio perimeretur.*

CAPVT SECVNDVM.

1. QVOD in B. Antonio Patauino, siue Vlyssipponensi difficile, quia insolitum; hoc ipsum in Beata Elisabetha, Regis Vngariæ filia, atque Illustris Lantgrauij Thuringiæ vidua, ab exemplo Antonij, facile fuit. Cum crebris ad sepulchrum, magnisque clarescceret miraculis, iussum est intra annum ab eius obitu, de vita inquiri, simul & de prodigiis admirandis, quæ per fœminam Sanctam ante, & post, glorioſus Deus semper in Sanctis suis, sed in illa, quia fœmina, quia Regia, quia in tenera ætate, glorioſior velut tractu incessanti perpetrauisset. Vix quatuor menses à litteris Antonij, ad litteras pro Elisabetha datas interceſſere, (adeò non recusamus, quod semel fecimus) quippe priores illæ mense Iunio, hæ posteriores expeditæ leguntur mense Octobri: & fortasse ideo solum expectarent, ne anteirent. Quippe idem, plus minus tempus fuit, quo Elisabetha Antonio superuixerit. Factum tamen cum illa aliquid nouum, nec mihi saltem, in alio hactenus visum: vt neque plurium petitiones expectarentur, sed vnius sufficeret, Magistri Conradi: & inquisitio eidem, qui petebat, licet cum aliis duobus committeretur: Demum, vt ad id munus exequendum, eligerentur illi; qui intimius nouerant, ad quos dum vixit proprius pertinuisset, Diœcesanus, nimirùm Moguntinus, Pater Abbas illius Monasterij, in quo habitu suscepto, votum emisit, id est Eberuacensis, cui Sanctæ Catharinæ cœnobium suberat, & Magister Conradus, quem non solum à sacris confessionis suæ, sed à præceptis habuit, vtpote cui obedientiam promisisset. Rem totam breuiter paucis aperiamus.

2. Frequentabatur sepulchrum Sanctæ fœminæ, neque solùm salutem accipiebant, qui frequentabant, sed vt acciperent, atque frequentarent, per Spiritus cœlestes, & per varias visiones, atque reuelationes excitabantur. Nihil non à Cistercio Sancta ordita, conuersionem, miracula; hanc item ostensionem suæ gloriæ, atque has reuelationes ab eodem non minus ordiri voluit. *Compertum est, (ait Iacobus Montanus in eius actis* [a] *) Henrico Cisterciensi Monacho, dies, noctesque grauissimis doloribus vexato, ita vt eiulati clamoribus Fratres omnes ad compassionem mouerent, noctu fœminam, candida veste apparentem, suasisse, votum Diuæ nuncuparet Elisabeth, si consequi sanitatem desideraret: omittenti, insequuta nocte itidem apparuisse, idemque dixisse. Illum, quando Abbas, Priorque cœnobio abessent, consulto seniore votum nuncupasse, atque sequenti nocte comparente iterum prædicta fœmina, signumque Crucis edente, conualuisse protinus. Reuersis deinde patribus rem, quæ acciderat, miraculo quidem fuisse: voti verò nuncupationem non ad modum probatam, quod dicerent; solere verò sæpe Monachus Cacodæmonum illusione ad malum, sub specie boni, permoueri: maximè, cum nullo Monachorum sua sponte vouere sit integrum, proinde melius, ac securius videri, si peccatorum confessione facta, animam Deo, corpus cœnobio concrederet. Quarto de hinc fœminam eamdem cessatori visam dixisse, quando implere, quod suscepisset, votum intermitteret, in pristinam esse recasurum infirmitatem atque, vt antea, tantisper exagitandum, quoad in animum soluere debitum induceret. Quas minas, effectu misero è vestigio sequenti Monachum, facta sibi potestate, ad iter accinctum, extemplo ita conualuisse, vt persoluto gnauiter voto, nihil tale vnquam postea sit expertus.*

[a] cap. 3. apud Suri.

3. Ab hoc signo multa alia sequuta sunt, & diffusa in exteros, quo latius cum virtute miraculorum, & beneficiis, Sanctæ fœminæ cultus diffunderetur. *Constat, pergit auctor, qui supra* [b], *etiam puellæ cuidam è Moguntino territorio poculum petenti, cum à porrigente diceretur; accipe vt Diabolum imbibas: protinus immissum esse Cacodæmonem. Illam, intumescente vehementer vtero, exclamasse, flammigerantem sibi per fauces transmissum titionem, miserisque ac inconditis gestibus visentes partim perterrefacere, partim ad lachrymas permouere: atque ita per biennium vexatione durante, demum sarcophago diuinæ Elisabeth præsentatam, cum paululum ibidem panis, ac vndæ sacræ insumpsisset, confestim recepta mente, exactoque nequam spiritu, cunctis, qui aderant, stupentibus, ad sanitatem rediisse. Notum etiam apprimè est, Theodorico Traiectensis Diœcesis incolæ, contractam, ac prorsus inutilem ad humanos vsus manum habenti, qui diuinam Elisabeth inuiserat, minimè tamen voti compos effectus; cum tertio plena fide interesset, in gressus occurrisse virum ætate senili, reuerendo*

[b] cap. eod.

reuerendo vultu, facundia prompta, ac quo tenderet? interrogasse. Cumque ille, Marpurgum, ad celeberrimam Diuæ Elisabeth tumbam, respondisset: data mox benedictione, subiecisse, vt consequendæ salutis certus pergeret, manumque foueæ sepulchrali penitius inseret, atque deinceps D. quoque Nicolaum honorare prosequeretur: præterea imprudentes nominasse eos, qui perquisitis Sanctorum reliquiis, votisque pro more Christiano solutis, statim discederent: cum perseuerans in precibus ardor, fidesque, Deo, & Sanctis maximè placeret: atque his dictis, euanuisse. Illum eiuscemodi verbis audientem immissa tumbæ manu, per quam celeriter curatum fuisse.

Parua sunt hæc, & minus admiranda, quia
4. frequentiora. Quod in Martino, & aliis, sed non multis, glorioſum, & rarum, aliquos mortuos ad vitam reuocasse, atque animas à corporibus egressas, ad cadauera multa reduxisse, id in Elisabetha frequens fuit. *Celebre namque admodum est, pergunt Acta* [c], *Hermannum ex*
c cap. 32. *Celenienſi territorio clusum in carcere, neruoque constrictum, post inuocatam integra fide Elisabeth, noctu eamdem conspexisse, consolantemque, non sine ingenti latitia audiuisse: in patibulo deinde appensum, permissuque Iudicis, cum satis ad mortem pensilis fuisset, depositum, præsentibus patre, ac patruo mirabiliter reuixisse. Insigniter etiam nunc liquet, Buchardum Moguntinæ Diœceſis scholarum, profluentibus aquæ vortibus, dum incautius piscatur, absorptum, mortuumque, post inuocatam per eos, qui aderant, supplici voto Diuæ Elisabeth opem, vitæ redditum esse. Itidem Berelinum, eiusdem territorij puerum quadrimum, post indubiæ mortis signa diutius adnotata, imploratis per matrem meritis famatissimæ Elisabeth, viuum, sanumque surrexisse. Quin & aliarum pari fermè ætate puerum, miserabili in puteum euentu prolapsum, facta ad Diuam Elisabeth deuotione per eum, qui tum fortuitu superuenerat, mortuumque difficulter admodum extraxerat, protinus rediuiuum in pedes constituisse.*

5. Famatum præterea non mediocriter est, Fridericum è Moguntino territorio, natandi peritissimum, cum in amnem se lauandi gratia mersisset, & Pauperi cuidam olim cæco, tunc meritis diuinæ Elisabeth vidēti, vndas per contemptum inspergeret, exasperatum audiret vicissim precari, ne vnquam viuus. cui innatabat, flumen egrederetur, vindice Elisabeth, à qua lumen ipse adeptus esset; confestim obstupescentibus neruis, ac viribus subtractis, ad ima lapidis instar fuisse, extractumque haud dubie pro mortuo, post votum Diuæ Elisabeth per propinquos nuncupatum, extemplo pristinum viuendi munus recepisse. Clarum item est Ioannem è Moguntina Diœceſi innocentem, vnà cum fure quodam deprehensum, mortique pariter adiudicatum, rogasse præsentes pro se Deum, ac Diuam Elisabeth precarentur, ne aliter quam meruisset, supplicium lueret. Nec mora, è duobus in patibulo suspensis, strangulato noxio, insontem missam cœlitus accepisse vocem, confideret Sanctissimæ Elisabeth, cuius esset, quam primum patrocinio liberandus. Statimque rupto funiculo, illæsum decidisse, exclamasseque: *Tu me pientissima Elisabeth liberasti. Quibusdam autem delapsum, appendi de integro debere dicentibus, respondisse iudicem, nolle se denuo suspendi permittere, quem Deus liberasset.*

Itaque de Beato Martino dicitur, *Factus est* 6.
trium mortuorum suscitator magnificus. Duplicata gloria, sicut & numero, de Sancta Elisabetha prædicabatur. *Facta est sex mortuorum suscitatrix magnifica.* Quippe vt in Virgine glorioſa redemptio est, quod periculo, aliàs non effugiendo; fuerat præseruata, quam si ab eo contracto redempta esset: Ita in his vltimis glorioſior resurrectio, si alter ab vndis, alter à suspendio, quibus aliàs necessario cessuri forent, immunes euaserint, quàm si vterque post mortem suscitaretur. Multa & mira sunt alia, quæ sequuntur; neque vllum ferè miraculorum genus est, quo non voluerit Deus illustrare fœminam Sanctam: neque iam solum sepulchrum frequentantes, sed inuocantes etiam distantissimi; & videre solebant, quam inuocabant. & optatam per eam sanitatem, visum, auditum, gressum, atque alia beneficia consequebantur.

Hæc, & similia, cum animo perpenderet Ma- 7.
gister Conradus, neque putaret, quam Deus illustrabat per tot signa, & prodigia, ab hominibus prætermitti debere sine honore; non Reges, vt Pontificem per Nuntios, non Prouinciarum Principes, non Ecclesiarum Prælatos, aliosve, vt per litteras suas sollicitaret, rogare necessarium, aut conueniens duxit, si ad gloriam Dei expediat, vel sine ipsis; si non conducat, nec per ipsos hæc facienda. Ipse solus Gregorio Papæ scripsit (non alterius Gregorius mentionem facit,) & vita, ac meritis fœminæ propositis, velut qui cuncta nouerat; mox ad miraculorum gloriam transitum faciens, cunctorum discussionem committi petiit, cui liberet Pontifici, ne tunc recentia, & patentia cunctorum oculis, decursu temporis obliterarentur; & tunc demum comprobanda venirent; cum iam non possent. Quippè sublatis de medio, qui ipsa viderent, aut fortasse (quæ hominum plerumque conditio est) aut aliqua perirent; aut alia aliis permixta, confunderentur. Tum verò Pontifex grauitatem rei perpendens, sed & necessitatem, nec minus de Conradi zelo dubitans, quàm de Archiepiscopo, Abbatéque, quibus Sancta subfuisset; qui multo in his amore; nullo tereno affectu ducendi forent: sententiam vltimam in aliud tempus reseruans; inquisitionem exactam fieri iussit, litteris ad eos datis mense Octobri, quarum tenorem hic censui subiiciendum.[d]

d epist. 121. 8.

Archiepiscopo Moguntino, & Abbati Eberuacensi, Cistercienſis Ordinis, & Magistro Conrado de Marburg, Prædicatori Verbi Dei.

Visibilium, & inuisibilium conditor, cunctipotens, & æternus, & si grata multorum perpetuitate bonorum perpetuum reficiat, quem plasmauit, illum tamē gratorum successiua recreat creatione nouorū. eo quod illa humanæ conditionis affectibus, & suæ salutis effectus fuit votiua; provt probat inspectio florum amæna recentium, & exhibet perceptio fructuum gratuita nouellorum. Igitur ad æternas delitias fidelibus exponendas, ad dandum gentibus Fidei, spei, & charitatis augmentum, ad dirigendos in viam pacis, & claritatis æternæ pedes, in tenebris, & mortis vmbra sedentium, Solis, & Lunæ mirificus operator in cœlesti solio, noua producit lumina lucis instinguibilis emissiua, pro qua cordibus

cordibus deuotorum, quærentium luminis ineffabilis lucidissimas mansiones, immensitas exultationis infunditur, & alias infinita beneficiorum genera conferuntur. Porrò lætantur plures huius præsentia temporis, stellam in die perspici, quas decursæ noctis tempora innumeras se recolunt inspexisse. Gaudebunt & Magi fulgorem syderum, quæ ab initio Dei sapientia fecerat intueri, sed spectantes nouam stellam in Oriente, nati Regis nuntiam, gaudio inexplicabili sunt perfusi.

9. Exultat nimirum & Sancta Mater Ecclesia cum in eius fulgido firmamento, diuersis Sanctorũ splendoribus illustrata, fulget de nouo Sydus perspicuum singularis, & præexcellentis hominis ostensiuum, per quod ignorantium Dominum tenebræ propelluntur, per quod hæreticorum peruersum dogma confunditur, & fidelium Beata credulitas adangetur. Sanè cum lætitia, dulcium lachrymarum concursibus comitata, dilecte Fili Frater C. ex litteris tuæ deuotionis accepimus, quod ille artifex glorioſus, qui terram in aurum, & aquam alterat in Crystallum, claræ memoriæ ancillam suam E. quondam charissimam in Christo filiam nostram, Lantgrauiam Thuringiæ, iure naturæ fragilem, & labilem; demum dono gratiæ in cultu diuini nominis stabilem, & robustam, ac tandem mundanæ miseriæ compedibus expeditam; aggregat collegio supernorum, gloriam concessæ Beatitudinis signis exprimens glorioſis: nam erga sepulchrum eius, & locis aliis, per inuocationem, sui nominis, & deuotionis suffragia, vita mortuis, lumen cæcis, auditus surdis, verbum mutis, & gressus claudis, cœlesti dextera conferuntur.

10. Verùm si per virtutum insignia, quibus olim iam dicta Lantgrauia extitit multipliciter insignita, seu per famosa miracula, quibus eius Sancta rutilare dicitur sepultura, cœlestis sponsæ vocibus, esse de Sanctorum numero debeat affirmari: tamen quia mentibus ambiguis subito rei veritas non clarescit, & repentinis non solet miraculorum relatibus, quorumdam spiritus exultare, eo quòd omne rutilum nomen auri non impetrat, nec ebur quodlibet niueum imitatur: nos, quos prouidentia præambula decet festinos incertis, & lentos in dubiis inueniri; discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus prouide attendentes, quod lux vera Sanctorum, Dominus Iesus Christus, signis publicis, & prodigiis euidentibus trepidantia discipulorum pectora roborauit, mentes eorum dubias de resurrectionis admiranda gloria, expressè certitudinis clarificans fulcimentis; vitam, & conuersationem Lantgrauiæ memoratæ, quibus Domino, & hominibus noscitur placuisse; nec non miracula, quæ auctore Domino, de sui corporis Sanctitate procedunt, habita præ oculis sola diuinæ reuerentiæ maiestatis, per testes idoneos studeatis inquirere cauta diligentia, & sollicitudine vigilanti; quæ in scriptis redacta, sub sigillis vestris, fideliter conseruetis, illa nobis posteaquam mandatum receperitis, per fideles nuntios, & solennes transmissuri. Datum Agnaniæ secundo Idus Octobris anno sexto.

Hactenus litteræ graues, & elegantes, prouidæque, & quæ ita sententiam ad tempus differrent, vt nihilominus examen maturarent; Conrado superstite, exequutoréque futurum; ipso sublato, difficilius vltimandum. Et prophetasse ipse, seu Gregorius, siue mauis, vterque visus est, instantem illi mortem, quam intra annum glorioſam ademptus est ob eam causam fidei. Quippe *Anno M. CC. XXXIII.* (*ait auctor Anonymus*, [c] *qui Lamberti Scaphnaburgensis historiam continuauit*) *Rex, & Mogunti-* 11.

c Ad hunc annum.

nus, & Magister Conradus de Marburg, Moguntiæ Conuentum Episcoporum, & Comitum, atque clericorum fecerunt pro quibusdam infamatis de hæresi; inter quos Comes de Seine accusatus, inducias purgationis vlteriores obtinuit. Super reliquos verò, qui non comparuerant, prædictus Conradus de Marburg ibidem populum cruce signauit. Quapropter illi felle amaritudinis commoti, iam dicto Conrado in reditu insidias iuxta Marburg ponentes, ipsum vna cum Gerardo minoris Ordinis, Fratre probatæ vitæ, tertio Kalendas Augusti crudeliter occiderunt. Ergo intra annum consummandus fœlici obitu, mortem suam præueniſſe visus est; atque hoc vltimum impendisse, officium fœminæ Sanctæ. Qualiter autem biennio, post eius necem, & qua occasione Gregorius recordatus, processum repetierit, aut si amissus, nouum confici iusserit, etiam per Cistercienses, & glorioſam matronam Sanctis adscripserit; suo tempore à nobis dicendum erit.

---

1. *Illustris Sanctitate Viri, ex his qui minus noti, circa hoc tempus.* 2. *In Valcellis Lambertus Pater noster,* 3. *& VValterus Beaumontius.* 4. *Prioris memoria.* 5. *Et Fusniaci, orante Conuentu, ingens miraculum.* 6. *At simile, ex Cæsario.* 7. *Dictum de Monacho celebrante pro defunctis;* 8. *& de alio consequuto peccati veniam interuentu Mariæ.* 9. *Virgo quædam Cistercium æmulata in quantum potuit,* 10. *de Dæmone triumphat, mox gloriam mundi fugiens patriam deserit.* 11. *Roberti Olomucensis mors, Acta, sepulchrum.* 12. *Vladislai funus laudesque:* 13. *Demum Henrici mors, & sepultura.*

CAPVT TERTIVM.

1. SVB idem tempus, quantum ex scriptis Thomæ de Cantipratano, atque ipsius ætate, licet coniicere, illustres Sanctitate Viri apud Valcellas clarebant miraculis, & per Belgium, Germaniam, Galliamque, inter clarissima Ecclesiæ luminaria celebrabantur. Hugoni, quondam Decano Cameracensi, de quo dictum superius, VValterus Beaumontius, atque Lambertus cognomento *Pater noster* additi sunt, Monachus, & conuersus, vterque pius, vterque religiosus,

religiosus, vterque humilis; sed super omnia vterque zelo feruidus, & qui, ne proximis scandalum daretur, nullis omnino parceret incommodis; nullis impediretur vtilitatibus. Hinc ortum habuit illustre illud miraculum, quod in eadem domo, ad orationem alterius patratum legitur ab auctore coæuo, Sanctoque, & qui à nostris extraneus professione; sed loco simul, & tempore, loco vicinus, neque ex affectu, neque ex ignorantia excipi possit.

2. *Accidit*, ait Thomas Cantipratanus [a], *quod in Valcellensi Monasterio quoddam nostro tempore, molendinum factum est, quod stramina, & paleas, quasi in farinam, contritione penitus valida conuertebat. Tali autem farina porci, admixtis furfuribus, impinguabantur. Venundatis itaque eis in proximam Cameracensem ciuitatem, cum pulmosa, & non solida caro inueniretur in illis, & ex hoc graue scandalum oriretur, quidam ipsius Monasterij Sanctissimus Frater, Lambertus nomine, cognomento* Pater noster, *audito quod actum est, manus, & oculos eleuauit ad cœlum, & dixit: Nunquam amplius, Domine Deus, huius molendini rota vertatur. Nec mora, dicto citius, machina totaliter corruit, & simpliciores Fratres, & Monachos sui miraculo à scandalo liberauit.* Hactenus celebre, insigneque miraculum, glorioſius, quo vtilius, patentiusque; quippe in oculis omnium populorum, dum cæteros ab scandalo, suos ab infamia, à periculo vtrosque vendicauit: hinc plura alia fuisse consimilia, compertum est; sed quæ antiquorum incuria prorsus perierint; perituro & hoc ipso, si non à Cantipratano, aliud longè agente, notatum foret.

a lib. 2. c. 26. p. 1.

3. Non inferioris perfectionis Monachus VValterus Beaumontius, certè opinionis longè celebrioris. Quippe cum idem Thomas de Cantiprato famosissimæ Sanctitatis Monachum dicit neque vt scandala de domo Dei tolleret, minus; sollicitus, aut minus potens fuit; nisi quod tamen miraculosè doctus, miraculo non eguit, vt impediret, *Accidit*, ait idem qui supra auctor [b], *nostro tempore, vt certissima relatione didicimus, in prædicto Valcellensi Monasterio, vt congesta cuiusdam defuncti fœneratoris de Attrebato pecunia in ipso cœnobio seruaretur. Igitur die quadam, cum ille famosissimæ Sanctitatis Monachus, VValterus scilicet de Beaumont, iuxta scrinium in quo pecunia seruabatur, oraret, diabolum desuper sedere vidit. Territus autem ad horam, sed signo Crucis munitus, interrogat. Quid hìc sedes? quid hìc expectas nequissime humani generis inimice? Cui ille: Bene, inquit, & iustè hìc sedeo, hoc quod meum est conseruando. Nec mora, Monachus ad Abbatem currens, quid vidisset, exponit: Abbas vero in Attrebatum pecuniam cum omni velocitate remisit.* His tunc viris florebant Valcellenses, celebrabanturque, dum in Villario, aliique prophetiæ, & miraculorum dono clari, Cistercium simul, & Belgium illustrabant, nam de his etiam subdit paulò inferiùs [c]. *In hoc Monasterio* (scilicet in Villario) *multos vidimus Sanctos, & pleroſque; qui prophetiæ spiritu, & miraculis claruerunt.*

b ubi supra p. 4.

c ibidem p. 6.

4. Lambertum recentiores, Rayse, Henriquezque, Beatis, aut magnis pietate viris, ille Belgij, hic Cistercij, vterque numerat; ille in Auctario ad natalitia Sanctorum Ioannis Molani; hic in suo Menologio, quamuis in die varient, quippe alter ad XII. Septembris, alter ad XVII. Decembris virum memorant: neutrum, vt puto, decerptum ex antiquis, quæ præter dicta, nihil omnino tradunt. Quare, quod eum Monachum affirmant, incertum puto. Certè traditio in conuerso magis inclinat, & nomen Fratris, quo vsus Cantipratanus, frequentius solet conuersis applicari. VValteri Beaumontij neuter meminit, cum ex Cantipratano, vt verum fateat, quem solum de Lamberto habent auctorem, non minus posset, aut fortè etiam deberet commemorari.

5. Per idem tempus in Fusniacensi domo, insigne aliud miraculum, Monachos in amorem Virginis matris, aut de nouo accendit, aut confirmauit, id etiam Thomas memoriæ prodit, nec nobis referendum aliis, quam eius verbis. *In Ordine Cisterciensi*, ait [d], *gloriosæ Virgini specialiter dedito, multa valdè facta miracula referuntur, quæ nonnulli ex eis, perscripta, digna memoriæ, tradiderunt. Nos tamen vnum, quod nostro contigit tempore, licet fortè conscriptum sit, referamus. Eonij claustrum ipsius Ordinis est nobilissimum, atque ditissimum. Contigit autem, vt obnubilatione cœlum tempestatem aëris grauissimam minaretur: quæ & facta est. Sparsis ergo coruscationibus vndequaque per aëra, sequuntur & fulgura. Quæ vt viderunt Monachi, certatim ad Ecclesiam fugerunt; vbi Conuentu in choro taliter congregato, vident patriæ, & specialiter claustro periculum imminere. O! (inchoant igitur altissimis vocibus)* SALVE REGINA MISERICORDIÆ. *Et cum venissent ad illum locum antiphonæ,* Eia ergo aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte: *Subito vehementissimus ventus ab Occidente veniens, cum horribili fragore tonitrui, fenestras Ecclesiæ vitreas, cum tanto impetu, totaliter dissipauit, vt Ecclesia firmissimè solidata corruere videretur. Nec mora, vbi in tanto discrimine sacer Conuentus, satis perterritus, flexit genua, & illa verba antiphonæ cantauit.* Et Iesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende, *statim imago Crucifixi, quæ media stabat inter chorum Monachorum, & chorum conuersorum Fratrum, conuersa ad Orientem versus chorum Monachorum reflexa est; & vt mihi à Monachis dictum est, contra naturam picturæ, oculos aperuit, & mox omnis timor sublata tempestate cessauit. Quis ergo in tanto miraculo non obstupescat?* Hactenus sumptum ex Thoma de Cantiprato, qui nobis post Cæsarium solus prælucet, ad aliquos pro tempore erumpentes, sed ex plurimis, paucos Cistercij flores.

d lib. 2. c. 29. p. 28.

6. Verum quod attinet ad antiphonam dulcissimam, qua Virginem saluere precamur Ecclesiæ nomine, extat & aliud exemplum apud Cæsarium, eoque paulò antiquius, quod in augmento nostræ deuotionis, quibus ea salutatio frequentior est, atque ex vltimis verbis familiarior, vt debitis Bernardo, non abs re erit ad litterã transcribere. *In Villa*, ait [e], *Diœcesis Treuerensis Sacerdos quidam Paraciam regit, vir secundum suam possibilitatem multæ hospitalitatis, atque laudandæ castitatis, adhuc enim corpore Virgo est. Die quadam quendam ex conuersis nostris hospitio recipiens*, ait, *ad illum: Ordinem vestrum plurimum diligo, quia multum boni mihi contigit per eum, Antiphonam illam gloriosam, scilicet,* SALVE REGINA MISERICORDIÆ, *ab illo habeo, & quid mihi propter illam contigerit, ad ædificationem vobis enarrabo. Ad omnes*

e lib. 7. c. 30.

horas meas illam dicere consueui: cum autem die quadam Campum breuem transirem, quandam visitare inclusam; iuxta Ecclesiam solitariam habitantem, orta sunt tonitrua tam valida, vt ictus ictui succedens, vires ambulandi mihi adimeret: veniens tandem cum multo labore ad Ecclesiam ipsam intraui, & coram altari me prosternens, pro ipsa tempestate Dominam nostram interpellaui: & ecce, Matrona Virginei vultus, magnique decoris de altari ad me veniens, cum admirarer, quænam esset? illa prior me alloquuta est, dicens: Quia antiphonam, SALVE REGINA MISERICORDIÆ, libenter, ac frequenter decantas, numquam tonitrua, neque fulmina, quorum timore sæpius affligeris, te ladent; sicque ad altare rediens, in oculis meis disparuit, & statim intellexi, quia ipsa esset clemens illa, pia, ac dulcis Virgo Maria. Ab illa hora, vsque hodie, à timore prædicto tempestatum, quo nimis afficiebar, meritis Beatæ Virginis liberatus sum. Ita Cæsarius; sed redeo ad nostros.

7. Quos etiam Sanctitate Austria conspicuos habuit per hæc eadem tempora, inter alios florente, atque variis illustrato à Deo fauoribus Monacho illo, quem f tribit Cantipratanus. f *In Austriæ partibus, sicut per Abbatissam quamdam piam, & religiosam audiui, quidam Sanctissimæ vitæ Cisterciensis Ordinis Monachus fuit, qui in Missa celebrata pro mortuis, ante participationem Corporis Christi, cum diceret:* Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem; *audiuit voces clamantium à remotis: Festinate, festinate, pacem suscipere, quia iam Missa propinquat ad finem. Qui mox, vt stabat Christi Corpus tenens, in manibus, fit raptus in spiritu, & vidit innumerabilium animarum multitudinem festinantem ad pacem, & aliis recedentibus percepta pace, alias clamantes: Festinate, festinate, quia iam Missa propinquat ad finem. Sic Monachus stetit à prima ferè hora diei, vsque ad horam nonam, præstolantibus aliis, & mirantibus, quid stans haberet immobilis. Tandem ergo reuersus ad se, finiuit Missam, & præcipiente Abbate, cunctis, quid vidisset, exposuit, & post paucos dies ipsemet Monachus vitam finiuit.* Hactenus ille.

f *lib.2.c.53. part.33.*

8. His viris Sanctis annumerare libet Monachum alium incerti Monasterij, quem diu feruidum in rigore disciplinæ, sed mox tentante Dæmone prolapsum, inde compunctum, & verè pœnitentem tandem intercedente Maria Virgine, reatus sui se veniam consequutum audire meruit, & se priori statui restitutum, nec sine fœnore, narrat idem qui supra Cantipratanus hæc scribens verba g. *Vix quidam longo tempore deuotus Deo, Ordinem Cisterciensem intrauit, in quo & si diu Sanctè vixit tandem tamen, & Diabolo tentante deuictus, in peccatum cecidit, & multis per hoc occasionem Scandali dedit. Pro quo, vt in Ordine illo consuetum est, grauissimè tribulatus, ad cor tamen cum amarissima pœnitentia rediit, & se ad gloriosam Christi matrem totaliter in lachrymis, & precibus contulit. In magno igitur luctu, tempore non modico, positus, tandem die quadam orauit, & raptus in excessum mentis gloriosam Virginem vidit, & in brachio eius quasi luctantem puerum paruulum, super omnem pulchritudinem speciosum. Qui cum videret pro se filio matrem supplicantem, instabat ille, se à peccato, & tribulationibus liberari rogitans, & ad gratiam vitæ prioris restitui. Sed cum puer quasi renitens vultum auerterit, & mater è contra puerum in alteram brachij partem transferret, vt commodius vultui eius vultum suæ benignitatis ingereret, tandem post miram, & piam precum instantiam, euicit mater in filio, & vultum eius ad piaculum serenauit, vt peccatum homini ad indulgentiam, & statum prioris vitæ ad gratiam condonaret.* Hactenus ibi.

g *lib.2.c.29. part.31.*

Nec excludenda à Cistercio Virgo deuota, quam Deo dignam appellat Cantipratanus, *de qua, ait,* h *verissimè narrabatur, quod mortuis parentibus, in domo Fratris militis relicta, pro Cisterciensi Ordine diu laborans, nec ad effectum perducere valens, fortiter in animo statuit, secundum posse suum, etiam in sæculo Ordinem obseruare. Incessit ergo sine lineis, obseruauit ieiunia, silentium tenuit, carnit carnibus, hora matutinarum surrexit, Ecclesiam intrauit, horas regulares exoluit.* Non, inquam, excludenda hæc à Cistercio, quæ corde, & opere per omnia Cistercienſis, habitatione sola, quamdiu aliud non potuit, diuisa fuit. Porrò hæc quanti apud Deum meriti fuerit, quantæ apud homines existimationis, quam tremenda spiritibus malignis, sed nihilominus, quàm in fide constans, & quam hominum laudes, & gloriam fugiens; idem qui supra Auctor manifestat, simulque etiam occasionem prodit, qua ex propria patria, ad Niuellam se contulerit, ibidemque vsque ad mortem perseuerauerit, sic igitur de ea loquens, prosequitur. 9.

h *lib.2.c.57. part.8.*

Contigit autem, vt ea ignorante, mortuum cuiusdam defuncti corpus vespere ad Ecclesiam deferretur, & solum in feretro relinqueretur. Surgens ergo media nocte Virgo, quam diximus, intrauit Ecclesiam, inuenit quidem mortuum, sed parum, aut nihil timuit; resedit, horas incœpit. Hæc vt vidit Diabolus, inuidit, & corpus mortuum intrans, loculum primo mouit. Virgo igitur se consignans, constanter ait, & inclamat Diabolo: Quiesce miserrime, quiesce, quia nihil poteris contra me; & mox Diabolus surgens cum corpore: Vere, inquit, nunc potero contra te, & meas iniurias à te passas frequentius, vindicabo. Hoc illa vidit, imperterrito corde baculum cum infixa cruce ambabus manibus rapuit, & in capite mortuum feriens, ad terram proiecit, & sic fideli audacia Dæmonem effugauit. Diu ergo Virgo Christi, & cum maxima angustia laborauit, vt cadauer deiectum in feretro relocaret: sed frustra, quia non potuit. Veniens autem mane Presbyter cum custode, miratur deiectum corpus, & vulneratum in capite. Quærit quid actum sit? fatetur Virgo cum lachrymis, rogat obnixius releuari corpus: negat ille, dicens: visurum potius populum, & pergestam rem excitandum in laudem Christi. Mox turbata Virgo, vbi Presbyterum inuincibilem, & inexorabilem vidit, vanam nimirum gloriam, & erubescentiam reformidans, domum Fratris, cognationem, & patriam dereliquit, nec vnquam ad eam postea rediit, sed vsque ad mortem in Niuellam permansit. Hæc in auctoribus, præcipuè Thoma sparsa, concernentia hoc tempus, & neque antea Annalibus illata, nec rursus ad ipsos reditura, cum annum 10.

singulorum

singulorum certum nescirem, collegi in vnum: quandocumque notitia maior subsit, facilè in propria loca reponenda.

11. Hoc item anno ad superos in Morauia migrasse dicitur Venerabilis Robertus, Olomucensis Pontifex, quem ante annos, vt minus XXVII. ex Priore Nepomungi, Abbatiæ Cistercien sis, promotum, Tomo ni fallor, præcedenti commemorauimus. *Homo* (inquit Augustinus Olomucensis [i]) *excellenti litteratura præditus, magna prudentia, ac morum probitate insignis. Hic Sarcophagum D. Christini, auro, & argento vestitum, gemmis pretiosis vndique distinctum, opere pulcherrimo cœlatum, magnis sumptibus, & impensis Ecclesiæ suæ contulit: crucem pretiosissimam duodecim marcharum auri, ab Vladislao Marchione, pro eadem Ecclesia dari obtinuit; magnis beneficiis, & Sacerdotiis peculium D. VVenceslai auxit. Præposituram de bonis suis in Ecclesia Olomucensi primus instituit; Villam MiadVViezij Ecclesiæ perpetuo possidendam tradidit: compluribusque priuilegiis, & diplomatibus Principum indulgentia adauxit.* Hactenus ille. Ioannes Dubrauius addit [k]: *Templum D. VVenceslai, quod igne confragrauerat, instaurasse.* Hæc eius acta, memoriæ hactenus prodita, nam virtutes, & merita apud Deum in libro vitæ scripta esse creduntur. *Moritur*, ait Augustinus supracitatus [l], *Diis, & hominibus gratus Præsul, decimo sexto Kalendas Nouembris, anno M. CC. XXXII. in Bellogrado, Ordinis Cistercien sis cœnobio, sepultus:* ne vel in morte à Cistercio, imo neque ab Vladislao, cum quo viuens de pietate certauerat, separaretur.

[i] In Catalogo Episcop. Olomucen sium.

[k] lib. 15. historiæ Boëm.

[l] vbi supra.

12. Itaque, quem iam antea memorauimus Moraviæ Marchio, Regis Boëmiæ Frater Vladislaus, qui Belligradi cœnobium fundauisset, ante annum M. CC. XXVIII. quo Ecclesia consecrata, luci substractus, in ea nihilominus sepultus erat, vir multis animi dotibus refertus, & qui Roberto, vt in Olomucensem sedem promoueretur, siue electoribus, vt ipsum nominarent, auctor fuit. De eius obitu sepulturaque, & virtutibus, Ioannes Dubrauius hæc habet in sua historia [m]: *Regem* (loquitur de Fratre Vladislai) *tristis nuntius mœrore affecit, Vladislaum Fratrem, cum quo illi prorsus fraternè semper conueniebat supremum in Morauia diem obiisse: funeratumque esse nuntians in nouo cœnobio, quod recens Belligradi excitauerat, & absoluerat.* Et paulò inferiùs: *Mandauit suis, vt ibi, id est in Monasterio Belligradi conderent eum, quemadmodum conditus est, ingenti omnium ordinum luctu; de omnibus enim Ordinibus optimè meritus esse videbatur: optimè consulens vtilitati omnium, pace, iustitia, æquitate, ciuilitate. Ad hæc, in operibus pietatis sic exercitatus, & perseuerans, vt nullum ferè diem intermitteret, quin aliquod exerceret in orphanos, & viduas, & alienæ opis indigentes. Cum Roberto vero Præsule, Donariorum, quibus Ara, Altariaque ornantur, quasi certamen inierat; vter videlicet pretiosiora templo D. VVenceslai, quod Robertus igne collapsum instaurauerat, offerret, &c.* Hactenus ex Ioanne Dubrauio. Vladislaus, quatenus siue ex loco sepulturæ, & fundatione domus, siue ex Roberto, cum quo de pietate certaui sset, nostros concernit.

[m] Histor. Boëm. lib. 15.

Demum hoc ipso anno obiisse, dicitur, Venerabilem Henricum ex Monacho Claræ-Vallis, & primo Abbate Montis Sanctæ Mariæ, Magnæ Troyæ Episcopum, cum in cœnobio Altæcumbæ, incertum, qua occasione? demoraretur. Memorat virum simul & annum mortis Albericus Monachus trium fontium in suo illo Chronico, ex quo tot alij auctores transcripserunt, quibus suas historias locupletarunt. *Anno, ait M. CC. XXXII. obiit apud Altamcumbam Dominus Henricus, quondam Magnæ Troyæ Antistes.* Corpus ad Claram-Vallem translatum est, vbi adolescens Monachum induerat: ibique in Choro conuersorum sepultus iacet ante illius altare, sub lapide plano, parieti appensa hac inscriptione.

HIC IACET DOMINVS HENRICVS MAGNÆ TROYÆ EPISCOPVS, ET MONACHVS CLARÆ-VALLIS.

Reliqua vitæ eius ignorantur, & ô vtinam addat quicumque norit!

---

1. *Lauriſſa Abbatia Imperialis Benedictina.* 2. *Principatu Imperiali destituta*, 3. (*qui in Moguntinum transiit Archiepiscopum*) 4. *vnire se Ecclesiæ Moguntinæ*, 5. *petit, & impetrat*; 6. *mox visitata*; 7. *& Monachis expulsis*, 8. *Cistercien sibus traditur*, 9. *præueniente Pontifice Gregorio.* 10. *Capituli Generalis auctoritatem.* 11. *Inde nostris per priores expulsis* 12. *semel & iterum*, 13. *tandem vtrisque vacua per duodennium, Canonicosque admisit Præmonstratenses.*

CAPVT QVARTVM.

1. INGENS hoc anno nostris cum nigris Monachis, occasione Sifridi Moguntini, suborta lis, & quæ, dum hi Lauriſſam conseruare, insigne Monasterium (cuius Abbas inter illustriores Principes Germaniæ numerabatur) nostri, vt non ambirent, acquirere, acquiescunt; vexauit vtrosque; cum neutri tandem illo potituri forent. Rem altius repetitam ex Trithemio, deinde ex ipsis epistolis Gregorij, pandere libet. Erat Lauriſſa Abbatia Benedictina, antiquitate nobilis, quam *Cancor, Comes Rheni, filius Ruperti Comitis* (ait Ioannes Trithemius [a]) *tempore Pepini, Regis Francorum, Patris Caroli Magni, anno Domini M. CC. LXIV. constructit, & magnificè dotauit*; Religione conspicua in qua Sanctus Hermenoldus tempore Henrici V. Imperatoris Abbas præfuerat; verum dominio, & potentia temporali, inter primas Germania, si tamen alia illi æqualis fuit. In ea diuitias luxus consequutus: & laxamenta Monastici rigoris, etiam in vitia, vt solent, degenerarunt.

[a] In Chronico Hirsaugien. hoc anno.

Præfuerat Lauriſſæ Conradus Abbas, qui vt ex quibusdam Gregorij litteris constat, ab Abbate VVerne-Vicorte, Ordinis Cistercien sis, pro dilapidatione, & aliis enormitatibus (sic litteræ loquuntur) amotus fuerat. Hinc Conuentus

diuisus in duas partes, & ex vtraque emergentibus querelis, accusationibusque, quæ vitia etiam occulta, dum aliæ alias eliciunt prodere solent; iterata inquisitio, & designatus Ildesthiemensis Præsul, qui partes componeret, atque Lauriſſæ collapsam disciplinam, ad pristinum rigorem reformaret. Ergo Sifridus occasionem nactus, duo molitur, per quæ vniuersum Lauriſſæ Principatum sibi vsurparet: alterum, vt is sibi, nam Imperialis erat, à Friderico, veluti potentioti, & à quo conseruari melius posset, concederetur: alterum vt amotis nigris Monachis, Cistercienses succederent, qui Principatus, & dominia temporalia, iuxta suarum institutionum præscriptum aspernarentur (Ita, & plerumque, per speciem reformationis, atque sanctioris vitæ, priuatæ vtilitates inquiri solent) Cessit vtrumque, ex voto industrio viro, & cui nec vires, neque artes defuere. *Eodem anno, nempe hoc M. CC. XXXII.* (ait Ioannes Trithemius [b]) *Fridericus Imperator secundus Principatum Monasterij nostri Ordinis non longè ab Heidelberga, quod dicitur Lauriſſa, cum omni honore, vasallis, ministerialibus, Castris, oppidis, prouentibus, iuribus, & pertinentiis suis, quem Abbas eiusdem cœnobij semper hucusque habuit, abstulit ab eodem Monasterio, & donauit eum Sifrido Archiepiscopo Moguntino, & Ecclesiæ eius, vt patet ex litteris, quæ sequuntur.*

b *In Chronico Sponheimensi.*

3. *In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis: Fridericus secundus, diuina fauente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex.*

Romani Principis decus extollitur, & augusta Sedes Imperij decoratur, cum Principatus (in quibus consistit, & viget Imperium in sua dignitate) congrua prouisione reparat, & conseruat; & illas ad eorum reparationem, & conseruationem personas eligit, & proponit, quæ cum prærogatiua commissarum sibi animarum, cum suæ meritò dignitatis, sufficientes, ad id, & acceptæ fore censentur. Vniuersis igitur Imperij fidelibus, tam modernis, quam posteris, volumus, esse notum, quod nos considerantes tenuem statum Ecclesiæ Lauricensis, ab honore, & nomine Principatus processu temporis collabentem, vt non minus imperio, quam sibi deficere videatur: attendentes insuper, quod per dilectum Principem nostrum Sifridum, Venerabilem Archiepiscopum Moguntinum, cuius gratia seruitia quotidie Imperio præstita, nostro conspectui multa gratitudine se præsentat; & non per eandem sedem Moguntinam, velut obsequiosam, semper Imperio, & nostris honoribus efficacem, seruitium eiusdem Principatus Imperio debitum, quod præter eiusdem Ecclesiæ impotentiam nobis hactenus est substractum, integrè potuerit exhiberi: assistentes nobis, & appropinquante dilecto filio nostro, Henrico illustri Rege Romanorum semper Augusto; super his prouidere volentes, vna cum deliberatione, & consilio Principum, de innata prouidentia, & nostræ gratia maiestatis, eundem Principatum Ecclesiæ Lauriſſensis cum omni honore, Vasallis, ministerialibus, Castris, oppidis, prouentibus, iuribus, & pertinentiis suis, sicut ad nos, & Imperium noscitur pertinere, eidem Moguntinæ Ecclesiæ, dicto Moguntino Archiepiscopo, & suis successoribus, Imperiali auctoritate, in perpetuum donauimus, & concessimus; & nominatum Principem nostrum, Venerabilem Archiepiscopum Moguntinum, præsentibus Principibus, solemniter inuestiuimus, vt eadem Ecclesia Moguntina, idem Archiepiscopus Moguntinus, & successores eius amodo Principatum ipsum teneant, & possideant, & ad honorem nostrum, & Imperij illum foueant, & conseruent, salno iure, quod inde debetur Imperio. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XXXII. mense Aprili, &c.

Hactenus priuilegium Imperatoris, quod sibi etiam confirmati facit Sifridus à filio eius Henrico eundem intra mensem, priùs quam in vinculis à patre custoditetur. Pergit Trithemius. *Huiusmodi donatione Imperiali, simul & Regali confirmatione Principatus prædicti Monasterij Lauriſſensis susceptis, Sifridus Archiepiscopus Moguntinus, quo sibi, & successoribus suis eundem Principatum perpetua firmitate stabiliret, Monachos ipsius cœnobij callida persuasione induxit, magna promittens, vt litteras Summo Pontifici Gregorio IX. dirigerent, & Monasterium suum vnire cum Ecclesia Moguntina postularent. Igitur Monachi de sua expulsione nullam suspicionem habentes, firmiter autem sperantes, se cum Monasterio suo per Archiepiscopum in statum pristinum quantocyus reformandos, ita scripserunt.* 4.

Sanctissimo in Christo Patri, ac Domino, D. Gregorio, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Decanus cum deuoto Fratrum collegio, & ministerialium Ecclesiæ Lauriſſensis, continuas orationes ad Christum cum subiectione filiali. 5.

Ad Apostolatus vestri gratiam referendum duximus, quod cum ad mandatum examen iudicum, à Sede Apostolica delegatorum, Dominus Conradus, quondam Abbas noster, sententialiter fuisset depositus, pro dilapidatione, & aliis enormitatibus suis, quas commiserat: Nos sentientes, iam dictæ Ecclesiæ nostræ reformationem, in alio non posse consistere, sicut nec reuera potuit, nec potest; memoratos iudices nostros de benignitate vestra confisi, de consilio, & consensu Principum, qui tunc Imperium gubernabant, petiuimus, Ecclesiæ Moguntinæ eandem Ecclesiam nostram vniri, præsertim cum Ecclesia nostra sine adiutorio Ecclesiæ Moguntinæ (quæ hactenus nos fouit) non posset aliquatenus resurgere; cum etiam iam dictam Ecclesiam nostram in multis reformauerit, redimendo Castrum ipsius Ecclesiæ prouidè de manu fortiorum, in quo Castro multa pars Ecclesiæ nostræ consistit; præterea multas alias possessiones eiusdem Ecclesiæ nostræ, recuperauit. Cum igitur, Pater piè, & clemens, hoc deliberatione, & prouidentia prudentium Virorum factum esse, sit manifestum, Sanctitatis vestræ pedibus prouoluti, humiliter & attentè. Supplicamus, quatenus nostram necessitatem vtiliter respicientes, factum nostrum, & vnionem nostram, circa sapè dictam Ecclesiam Moguntinam, ratam habentes, auctoritate, & misericordia Sedis Apostolicæ dignemini confirmare.

Sic prima ex parte Sifridus voti compos, nam Pontifex statim concessit, quod petebatur, litteris datis Perusij, IV. Nonas Maij (adeo properabatur) hoc ipso anno: sic inquam ex hac parte voti compos, aggreditur secundam, & Lauriſſam reformari in proprio Ordine, nec debere, nec posse, Hildesheimensi suadet; atque semel laxatam disciplinam, dissoluendam profusius, atrociusque, ni Cistercienſis ibidem reformatio, quæ adeo tunc vigebat, institueretur. Non decere post quingentos ferè annos Benedictum Parentem cedere loco, quem tandiu occupauisset, 6.

uisset, quare neque aliam familiam induci posse. Sed neque Benedictus conseruandus nisi in Cistercio, aliàs semel imbutos profanos mores, si ibidem relinquantur, in deteriores quotidie ruituros. Peccasse hactenus cum aliquo timore, eoque parcius peccasse, velut qui formidarent à loco pelli. Nunc vbi impunitas peccandi data sit, quo alio fræno valeant coërceri? Inesse locis notis occultam vim, qua ad solita trahant. Inesse cunctis animos propensos, ad ea, quæ patrauissent. Demum inesse sociis conscientiam criminum: & effuso timore, pudoreque, velut habenis ruptis; solos stimulos integros mansuros, per quos ad omne malum præcipitentur. Dissoluendas impiorum societates, colligationesve, fugiendas occasiones, mutanda loca, vt mores corrigantur, & substituendos homines constantes, & virtutis prouectæ, qui non facilè ab aliis peruerti possent. His, & aliis persuasus Ildesheimensis (& reuera fortasse ita expediebat post visitatam domum) Gregorio scripsit, nisi Lauriss'a ad Cistercium transferatur, nullam se spe concipere, quod ad meliorem frugem transire posset. Gregorius, quod in aliis expertus fuisset, facilè tunc de Lauriss'æ cœnobio credens (fortè & impulsus ab aliquibus Cardinalibus, provt quisque in Cistercium charitate, aut amicitia in Sifridum, consilium dabat) non solùm mutationem faciendam iussit, sed exequendam Moguntino ipsi commisit, in cuius territorio cœnobium esset. Atque ecce exemplar priorum litterarum, quas adducit Trithemius [c] totidem verbis.

c In Chron. Hirsaug. ad ann.

7. *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo Moguntino salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Lauriss'ensis Monasterij vineæ, diutius expectata, vt vuas faceret, ecce in medium dicitur produxisse labruscas, dum Monasterium ipsum, in quo Mariæ officium per contemplationis speciem florere consueuerat, & in rerum affluentia temporalium Marthæ officiosa sollicitudo vigebat, malitia inhabitantium faciente, adeoque in vtroque (Venerabili Fratre nostro Hildesheimensi Episcopo, cuius prouidentiæ super hoc commisimus inquisitionem; referente) didicimus esse collapsum, quod loco Mariæ, Iecabela, ac loco Marthæ, prodigalitate succedentibus, nulla spes est vlterius, vt in suo possit ordine reformari. Monachi eiusdem Monasterij exteriori, & interiori nigredine denigrati, adeo se mundi deliciis inuoluerunt, substantiam Monasterij cum filio prodigo dissipantes, quod eorum siculnea, immissis stercoribus, diutius expectata, non solum fructibus, sed etiam foliis dicitur aruisse: quod nihil aliud expetit, & expectat, nisi vt radices ficus fatuæ, quæ terram inutiliter occupant, abscindatur. Sanè sicut medici periti solertia, vulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam, abscindenda censentur, vt excluſa putredine, vinum, & oleum infundantur vulneribus, & tandem sanetur ægrotus.

8. *Ne verò fideles, qui bona eidem Monasterio contulerunt, orationum sperantes suffragij inibi habitantium releuari, spe præconcepta frustrentur: iuxta Episcopi præfati consilium, quod suis nouis litteris innotuit, te, qui loci Diœcesanus existis, decet & expedit, maximè cum tempus messis aduenerit, zizania Monachorum existentium in eodem sarculis correptionis euellere, ac triticum in horrea congregare. Compatiatur igitur tua fraternitas, quia & nos compatimur, Monasterio sic collapso; & ad ipsum personaliter accedens, omnino virtutibus destitutum, Cistercienſem Ordinem plantes in ipso, vt ordo, de nigro conuersus in album; purgetur vitiis, & virtutibus augeatur; & sic in architriclini nuptiis aqua in vinum Summi Artificis operatione conuersa, florem honoris, & honestatis educet, & fructum boni operis non relinquet: ex quo spes fidelium reuiuiscet, & irrigando tanti nominis, & religionis de nouo plantatæ plantulam sui roris dulcedine denotius, & libentius confouebunt. Si quos autem de Monachis inuenies, quos amor Cistercienſis Ordinis accendat, illos ibidem retinere poteris, dum tamen de illis nulla opinio sinistra apud bonos, & graues facilè oriatur. Alios verò per diuersa loca sui Ordinis, in tua Diœcesi adeo cautè disponas, ne ouis morbida gregem commaculet, sed deperdita potius reducatur ad caulas: promissurus attentius, ne possessiones, & bona, quæ idem Monasterium quondam noscitur habuisse, à plantatione nouella aliquatenus excludantur.*

His litteris acceptis Archiepiscopus, qui nihil magis, quam eorum obseruationem, ad quam aspirauisset, desiderabat; primum quatuor Cistercij Abbates congregat, Eberuacensem, Mulbrunensem, Burnebacensem, & Sconaugiensem, mox illis religiosos Viros adiungens, de Ordine Minorum Prædicatorum, atque alios nonnullos, quasi de eorum consilio processuros. Cum obedientia cunctis placuisset; sed tamen Cistercienses recusarent ex propriis domibus Conuentum illuc transmittere, quandiu Capituli Generalis consensus, atque expressa licentia non accederet; Sifridus ipse totius moræ impatiens, priscis colonis nihilominus expulsis (neque enim vllus Cistercium amplecti voluit) singulares ab eis Monachos petiit, conuersosque; qui vtcumque domum habitent; interimque ad Capitulum scribit per eosdem Abbates, qui & litteris Gregorij fidem facerent; & locum ipsum, circunstantiasque, ac reliqua ad ascensum necessaria, vt testes oculares, promere possent. Hæc ad Capitulum. Verùm à Gregorio (adeo flagrabat cupidine siue odio!) alias litteras impetrat, quibus Capituli consensum præueniret, suppleretque, quas à Ioanne Trithemio prætermissas, ex Vaticano, & Regestis eius excerptas, in gratiam mei Lectoris, & pleniorem notitiam totius facti promere libet; sic autem habent [d]. 9.

d Epist. 291. 10.

Archiepiscopo Moguntino. Præsentatæ nobis tuæ fraternitatis litteræ continebant, quod cum nos olim per insinuationem Venerabilis Fratris nostri Hildesheimensis Episcopi, cui commiseramus inquisitionem Monasterij Lauriss'ensis, intellecto quod idem Monasterium, quod per contemplationis speciem florere consueuerat ab antiquo, malitia in eodem habitantium faciente, adeo collapsum fuerat in vtraque substantia, quod nulla spes existeret, vt in ipso possit Ordine reformari; tibi nostris dedissemus litteras in mandatis, vt ad Monasterium memoratum personaliter accedens, Cistercienſem Ordinem plantares in ipso: ita tamen quod si quos de Monachis ipsius cœnobij inuenires, quos amor Cistercienſis accenderent religionis, illos retinere posses ibidem; dum tamen nulla de ipsis sinistra opinio apud bonos, & graues facilè oriretur: alios per diuersa loca sui Ordinis tuæ Diœcesis, adeo cautè disponeres, ne ouis morbida gregem contaminare valeret; sed perdita potius reduceretur ad caulas:

caulas : tu ordinationi dicti Monasterij vigilanter insistens, vt hoc posses iuxta nostrarum continentiam litterarum efficaciter consummare, dilectos filios, Ebernacensem, Mulbrunensem, Burneuacensem, & Sconaugriensem, Abbates Cistercienſis Ordinis, & quosdam fratres Prædicatores, & minores, ac viros alios discretos, & timentes Dominum, Moguntinæ, & VVormaciensis diœcesis, aduocare curasti; coram quibus, necnon & loci conuentus præfati, legi nostri seriem mandati fecisti. Præquisiti autem fratres eiusdem Monasterij, si quos eorum Cistercienſis religionis amor accenderet, vt sub eius habitu vellent ibidem Domino militari; idem autem, nec id voluerunt efficere, nec etiam se collocari per te, iuxta mandatum nostrum, in Monasterijs sui ordinis, in tua diœcesi constitutis, potioribus, permiserunt; sed pro sua voluntatis arbitrio, excommunicationis sententia, quam auctoritate Apostolica in rebelles tuleras, vilipensa, paucis duntaxat exceptis, per loca diuersa suæ salutis, & professionis immemores, sunt disperditi.

11. *Tu vero dictorum Abbatum & aliorum prudentum consilio, Monachos, & conuersos quamplures Cistercienſis Ordinis, qui diuinum ibidem officium celebrarent, & libros, & res alias, licet paucas, successuro Conuentui reseruarent, ibi ponere curauisti; dirigens etiam tuas litteras per Abbates eosdem Cistercienses Capitulo Generali, vt Conuentum ad Monasterium mitterent ante dictum, authentici eis copia minimè facta, quamuis eidem Abbates parati essent fidem facere, dictum authenticum nostrum se vidisse; & consideratis, loco, & eius circunstantiis vniuersis, quibusque terris, possessionibusque; & aliis bonis ante dicti Monasterij ostensis per singula; inuenisse eadem, eorum iudicio, copiosè sufficere pro Conuentu. Quia tamen timebas, maiorem adhuc à prædicto Capitulo totius rei decernendam inquisitionem, postulabas à nobis, vt cum, si eiusdem negotij consummationem, vsque ad futurum generale Cistercienſe Capitulum, iuxta constitutionem ipsorum, contigerit prorogari; sæpè fatum Monasterium, irreparabile possit incurrere detrimentum : prouidere super his, de benignitate Sedis Apostolicæ dignaremur. Nolentes igitur, vt occasione huiusmodi, reformatio præfati Monasterij possit aliquatenus impediri, fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, adiunctis tibi aliquibus Viris religiosis, Dominum timentibus, & discretis, ad Ordinationem dicti Monasterij, iuxta traditam tibi formam, sine cuiusuis dilationis impedimento procedas. Contradictores qui &c. Datis Agnaniæ VI. Kalendas Maij anno VI.*

12. Nostri, hac auctoritate iadicati, & velut confirmati in Monasterio *possessiones illius*, pergit Trithemius [c], *quæ relictæ fuerant, Archiepiscopo tradente, præter Vasallos, ministeriales, Castra, oppida, prædia, quæ pertinebant ad honorem Principatus, arripiunt, & fructus earum, in suum vsum vnde viuerent; conuertunt.* Sed ô humanarum rerum vicissitudinem! *Interea* (pergit) *Monachi priores grauiter dolentes, se expulsos, & in suo Monasterio alterius Ordinis professores collocatos, statuunt, tantam iniuriam nullatenus esse sine vltione ferendam. Conuenientes igitur quadam nocte, cum auxilio quorumdam amicorum suorum, Monasterium suum Lors violenter cum potentia intrant. Abbatem cum Monachis conuersis, & tota familia inuadentes eiiciunt, quosdam capiunt, & locum abiurare compellunt, alios percutientes vulnerant, omnesque simul de Monasterio fugant. Expulsi autem Monachi Ordinis Cistercienſis, querelam ad Archiepiscopum Moguntinum deferunt, se manere in tantis periculis non posse, profitentes. Interea Monachi priores Monasterium recuperatum possidentes, quæ sibi vtiliora videbantur inter amicos consultant. Verùm non post multum temporis, cum Archiepiscopum cum potentia venturum audissent, locum deserentes, non sine spoliis, ad tutiora se recipiunt; quid agere velit Episcopus, latentes expectant. Ita Cistercienſis Ordinis Monachi, qui expulsi fuerant, persuasione Episcopi animati, ad Monasterium Lauriſſensis religionis sunt reuersi, & inceptum viuendi modum continuant. Ecce non post multum temporis, cum se Cistercienses in Lauriſſa constituti iam crederent esse securos, antiqui Monachi cum amicis suis nocte Monasterium cum potentia ingressi, eos aggrediuntur, cædunt, percutiunt, & denuo expellunt, protestantes, se omnes interempturos, si denuo ad Monasterium Lauriſſense reuersi fuerint. Vnde ab hac die non amplius Cistercienses poterant induci, vt ad Lauriſſam mansuri inibi, reuerterentur.* Hactenus ille.

[c] In Chronic. con Sponheim. mens.

13. Non vacauisset culpa in Cistercienſibus occupasse Lauriſſam, cum proprij ab ea pellerentur habitatores, præcipuè professores eiusdem regulæ, quibus ab ipsis esset deferendum: si non tot litteris Gregorij Papæ Noni velut compulsi, obedientia, quam cupidine ducti videri possent. Vtcumque fuerit, cœnobium neutris remansit, sed primo vacuum; mox post annos duodecim transactos plus minusve, sub Innocentio IV. cessit Præmonstratensibus, cum Sifridus quoscumque substituere, ab eodem Pontifice obtinuisset, litteris, quæ processum totum continent, Datis Lugduni III. Nonas Maij, Pontificatus Innocentij IV. anno II.

1. Rex Ferdinandus pro cœnobio Belli-fontis in Caſtella ſollicitus, domum ædificat, 2. & locum, & nomen mutat. 3. Gregorius Monaſterio Rheatino Sanctum Benedictum de Fundis vnit. 4. Pro quo & Narnienſi Epiſcopo aliud, ex immediatè ſibi ſubiectis, donat; 5. & Abbati, atque Monachis Fundenſibus 6. de mutato inſtituto congratulatur. 7. In Græcia Abbatia de Ruſiniano, ob diuturnam Græcorum pertinaciam, 8. noſtris accreſcit; 9. Gregorij litteræ, 10. & ex eis, quæ ad hiſtoriam facere poſſunt. 11. Aliæ demum, quibus Pontifex Caricampi Monaſterium ſibi reſeruat; & qua occaſione?

CAPVT QVINTVM.

1. HOc anno Ferdinandus Caſtellæ Rex, quod olim auus eius condidiſſet, Imperator Alphonſus, Monaſterium dictum de Bello-fonte, ſeu de Peleas, in Zamonenſi Diœceſi, ob intemperiem aëris, atque alia incommoda, quæ Monachi in eo dudum experti eſſent, in alium locum commodiorem tranſtulit, atque nomen cum loco mutare iuſſit, ædificatis ipſius Regis expenſis, nouis habitationibus, quas ſiue ab ipſo, in quo ſurgebant, fundo, ſupra modum amœno; ſiue ex Sanctorum, quibus præparabantur, conuerſatione, Vallem-Paradiſi præcipit appellari; litteris de tranſlatione ipſa expeditis, appellationeque, quas ex Archiuis eiuſdem Monaſterij (inſigne monumentum Regiæ pietatis, largitatiſque; atque eius, quam Ciſtercio exhibebat, venerationis) breues, & graues pro meo more tranſcribam [a].

a Ex tabul. Vallis Paradiſi.

2. *Ferdinandus Rex Caſtellæ, & Toleti, Legionis, & Galleciæ Dei gratia, omnibus, ad quos præſens ſcriptum peruenerit, ſalutem, & gratiam.*

Scriptura ſacra teſtimonio declaratur, quod ſpiritalis homo propoſitum non mutat, cum pro ſalute animæ ſuæ vtilius aliquid meditatur. Inde eſt, quod cum Abbas, & Monachi Monaſterij de Bello-fonte, quod Peleas generaliter appellatur, Ordinis Ciſtercienſis, ibidem diutius fuerint conuerſati, & propter inæqualitatem loci, & aëris diſtemperantiam, graues corporum ægritudines, & alia incommoda, quamplurima ſuſtinerent; propter quæ diuinum ſeruitium, ad quod ſpecialius ſunt adſtricti, commodè explere non poſſunt, vt ex voto tenentur: eorum tranquillitati prouidere volentes, & vt religio temporibus noſtris in Dei ſeruitio ſuſcipiat incrementum, dictos Abbatem, & Monachos, transferimus ad Monaſterium, quod mandauimus conſtituendum in loco, qui Vallis-Paradiſi vulgariter appellatur: firmiter prohibendo, ne deinceps, niſi Vallis-Paradiſi locum illum, ſiue Monaſterium, aliquis audeat appellare. Si quis ergo hanc chartam infringere, ſeu in aliquo diminuere præſumpſerit, iram Dei Omnipotentis plenariè incurrat, & Regiæ parti mille aureos in cauto perſoluat, & damnum, ſuper hoc illatum prædicto Monaſterio, reſtituat duplicatum. Facta charta apud Auilam Regis expenſis, ſecunda die Nouembris, Æra M. CC. LXX. Sic Ferdinandus.

3. Inter hæc verò Gaufrido de Caſtellione, S. R. E. Cardinali Preſbytero, tutili Sancti Marci, inducente Abbatem, Monachoſque, qui Monaſterium Sancti Benedicti de Fundis, Diœceſis Narnienſis, inhabitabant: æmulari chariſmata meliora, ad Ciſtercium tranſire, ac Monaſterio Sancti Matthæi Rheatini; quod religionis opinione florebat, ſed loci, & aëris, ac aliarum rerum incommoditatibus laborabat, vniri, atque viribus iunctis, mutare loca (nam neque ipſis commodum habebant) & nouum ſtatuere cœnobium deliberabant, quo vtrique confluerent; & vnum ex vtroque agmen afficerent, quo numeroſius, grauiuſque, obſeruantiuſque, atque ei magis patens donis cœleſtibus. Perlata res ad Gregorium Papam eſt, atque vtilis oſtenſa multis propoſitis. Porrò Gregorius, qua in Ciſtercium flagrabat charitate, atque ferè omnia tranſire cœnobia vellet, defectum veritatis in Eccleſiam obſeruantiæ rigore compenſatura; tranſlationem, fortaſſis, vt nimis properam, nec facilè exequendam, ad tempus diſtulit. Verum vnionem non ſolum conceſſit, vt petebatur, ſed & Epiſcopo, & Capitulo Narnienſi, à quorum obedientia Monaſterium, ſi ad Ciſtercium tranſiret, eximebatur, aliud ex his, quæ immediatè ſibi parebant, & Eccleſiæ Romanæ, largus conceſſit, ne quomodo vnioni reformationique, quo adeo conducebat ſeſe opponerent. Ergo ad hos, vt conſenſum præſtarent, qui ante omnia requiri videbatur, has dedit litteras [b].

b In Regeſtis fol. 103.

4. *Epiſcopo, & Capitulo Narnienſi.*

Cum Monaſterium Sancti Benedicti de Fundis, dudum tibi lege Diœceſana ſubiectum, de tuo & dilectorum filiorum Capituli Narnienſis aſſenſu, Monaſterio Sancti Matthæi Rheatinæ Diœceſis, Ciſtercienſis Ordinis, ſicut dilecti filij Abbas, & Monachi eiuſdem Monaſterij Sancti Benedicti incorporari cupierant, iuxta ipſorum deſiderium, duxerimus vniendum: nihilominus ſtatuentes, vt idem Monaſterium ab omni iuriſdictione Epiſcopali ſit liberum, & exemptum; & præfati Abbas, & Monachi ſuper Beati Benedicti regulam, inſtituta Ciſtercienſis Ordinis Fratrum vna cum Abbate, & Conuentu eiuſdem Monaſterij Sancti Matthæi, de cætero Domino ſtudeant famulari: nolentes autem, vt ex hoc Narnienſis Eccleſia læſionem incurrat, in recompenſationem ipſius, Monaſterium S. Victorij de Vtriculo, quod iuris, & proprietatis Beati Petri eſſe dignoſcitur, tibi committimus, & Eccleſiæ Narnienſi; auctoritate præſentium concedentes, vt tu, & ſucceſſores tui iura Epiſcopalia in eodem exercere liberè valeatis; ita duntaxat, vt Monaſterium ipſum in Ordine ſuo, ſi poterit, alioquin in regulari alio reformetur. Nulli ergo noſtræ conceſſionis, &c. Si quis autem, &c. Datum Agnaniæ primo Idus May anno VI.

5. Hæc Gregorius ad Epiſcopum, & Capitulum Narnienſe, pro obtinendo conſenſu. Porrò eo obtento (& quis illum Pontifici petenti, vel ſine oblata recompenſatione denegaret?) hæc ad Abbatem, & Monachos reformandos, ſpirantia dulcedinem, & in Ciſtercium, quod ſemper præſeferebat, non ſolum charitatem, ſed reuerentiam ſalua maieſtate [c]. *Abbati, & Conuentui Monaſterij Sancti Benedicti de Fundis Ciſtercienſis Ordinis. Cum de Summo munere Chriſti veniat, vt ſibi*

c Ex eodem fol. 104.

sibi à fidelibus suis dignè, ac laudabiliter seruatur, laudes, & gratias, quas possumus patri luminum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, referimus, quod vos, eo inspirante, cuius spiritus vbi vult spirat, in viros alteros commutati, æmulamini charismata meliora; vos, & Monasterium vestrum incorporari Cistercienſi Ordini cupientes. Sicut enim ex vestrarum intelleximus continentia litterarum, vos ad honorem Dei inducti à dilecto filio nostro G. tituli S. Marci Presbytero Cardinali, Venerabilis Fratris nostri Narnienſis Episcopi Diœceſani, accedente conſenſu; conceſſiſtis, approbaſtis, & vultis de cætero super Beati Benedicti regulam, conſtitutiones Ciſtercienſium Fratrum, vna cum dilectis filiis Abbate, & Conuentu Monasterij Sancti Matthæi Ciſtercienſis Ordinis Rheatinæ Diœceſis, in Domino obſeruari: nobis humiliter ſupplicantes, vt veſtri; & eiuſdem Monasterij facta vnione, iuxta beneplacitum noſtrum, de competenti loco, & nouo cœnobio conſtruendo, vobis: & Abbati, & Conuentui ſupradictis, prouidere miſericorditer dignaremur.

6. *Nos igitur, quod à vobis prouidè factum eſt in hac parte, gratum, & ratum habentes, illud auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus; veſtrum etiam dictum Sancti Matthæi Monaſterium vnientes. Statuto nihilominus, vt Ordo Monaſticus in veſtro Monaſterio iuxta inſtituta Ciſtercienſis Ordinis, cui nos ex nunc incorporandos decreuimus, cum eodem in officiis, in victu, & veſtitu, ac omnibus aliis, perpetuis temporibus obſeruetur; de nouo autem in competenti loco cœnobio conſtruendo, habito prudentum conſilio, vobis in breui, annuente Domino, curabimus prouidere. Nulli ergo noſtræ confirmationis, & conſtitutionis, &c. Si quis autem, &c. Datum Agnaniæ III. Nonas Octobris, anno ſexto.* Hactenus Gregorius; vt palam fiat, lactatum mammillis Regum cum recens natum eſſet Ciſtercium olim: non ſolum in eorum gremiis adoleuiſſe, ſed adultum; portari, deducique; ipſorum ſemper cura, atque ipſorum impendiis promouendum. Sed de hac vnione, effectu ſuo fruſtrata, iterum infra.

7. Cæterum, Gregorij paternam prouidentiam, ſollicitudinémque latius adhuc diffuſam vſque ad Græciam Gregorius prolatauit, confirmata, & de nouo collata noſtris, qui Monaſterium Sancti Angeli in Petra, Diœceſis Conſtantinopolitanæ, inhabitabant, inſigni alia Abbatia de Rufiniano, à qua, quod nollent Romanæ Sedi ſubdi, Monachi Græci per ſententiam expulſi eſſent. Porrò rem totam à nobis intactam hactenus (quippe qui neque eiuſdem Monaſterij Sancti Angeli in Petra ſub ritibus Ciſtercij initia nouimus) atque ipſius proceſſum vſque ad hunc annum, ſimul ac paternam pro noſtris ſollicitudinem Pontificis Gregorij; non aliunde melius, quam ex ipſius litteris, Datis ad Abbatem, & Monachos Sancti Angeli, poterimus haurire; quæ ita habent [d].

d Ex Regeſt. Gregorij huius anni.

8. *Abbati, & Conuentui S. Angeli in Petra, Ciſtercienſis Ordinis, Conſtantinopolitanæ Diœceſis.*

Cum vniuerſum Ciſtercienſem Ordinem prærogatiua dilectionis, & gratiæ amplexemur, ad dilatationem ipſius libenter impendimus opem, & operam opportunam. Sanè veſtra nobis exhibita petitio patefecit, quod cum Venerabilis Frater noſter, P. Albanenſis Epiſcopus, tum Legationis officio fungens, in partibus Romaniæ, Abbatem, & Monachos Græcos Monaſterij de Rufiniano, Eccleſiæ Romanæ inobedientes inueniſſet, pariter, & rebelles; eorum Monaſterium vobis contulit; niſi Abbas, & Monachi memorati, præſentarent obedientiam vſque ad Concilium Generale: ac deinde bonæ memoriæ G. Patriarcha Conſtantinopolitanus, de Concilio Generali reuerſus, cum iidem Abbas, & Monachi Græci obedientiam nullatenus præſtitiſſent, te, fili Abbas, de præfato Monaſterio poſtmodum inueſtiuit. Demum vero dilectus filius noſter Ioannes, Tituli Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, tunc Apoſtolicæ Sedis Legatus, eoſdem Monachos iterum commonens diligenter, vt ad obedientiam, & deuotionem Eccleſiæ Romanæ redirent, quia illi nolentes intelligere, vt bene agerent, elegerunt potius aufugere, Monaſterio derelicto, ipſum vobis iam conceſſum iterum contulit, & in poſſeſſionem ipſius vos poſuit corporalem; vt ſic de poſſeſſionibus, quas pro veſtro amiſeratis Monaſterio, compenſationem aliquam haberetis; & quia indecens videbatur, vt Monaſterium ipſum, quod tempore Græcorum fuerat valdè ſolemne, ſine congruo ſeruitorum numero remaneret, tu, fili Abbas, neſciente Conuentu tuo, congregationem ibi promiſiſti transferre, ſi de Ciſtercienſis Capituli procederet voluntate.

9. *Vos vero penſantes, quod Monaſterium veſtrum, à ſupradicto Epiſcopo dedicatum, deſerere non poteritis honeſtè; præſertim cum ibidem multorum ſepulta ſint corpora nobilium Latinorum, quæ de facili non poſſent inde transferri; nec expediret vobis Imperij relinquere patronatum, vt vos alterius potentis dominatui ſubderetis: ſupplicaſtis nobis inſtanter, vt iam dictum Monaſterium, in quo vultis quatuor Monachos ad eius obſequium deputare, vobis collatum hac auctoritate, dignaremur Apoſtolica confirmare. Nos verò volentes ſic veſtris condeſcendere precibus, vt materiam exercendæ virtutis, & Ciſtercienſem Ordinem dilatandi, vobis laudabiliter tribuamus, Monaſterium ipſum hoc modo (non obſtantibus litteris; quas memoratus Cardinalis ſuper facto ipſius Monaſterij Venerabili Fratri noſtro Patriarchæ, ac Capitulo Conſtantinopolitano conceſſit) vſque ad quinquennium vobis committimus gubernandum, interim quatuor dictis Monachis ad eius obſequium deputatis. Si autem, auctore Domino, infra tempus ipſum, ibi ſecundum Ordinem veſtrum poteſtis ordinare Conuentum, extunc ibidem Ordo perpetuis temporibus obſeruetur, & Conuentus ipſe à vobis ius filiationis agnoſcat. Verum ſi fortè vltra prætaxatum tempus, per vos id non poterit adimpleri, & Patriarcha, & Capitulum antedicti, præfatum Monaſterium voluerint plenius ordinare, de ipſorum vndecima, pro poſſeſſionibus veſtri Monaſterij, iuxta prædicti Cardinalis aſſignationem trecentarum, ... terræ compenſatione, vobis ab eis impenſa, computatis quinquaginta ..... terræ, quas vobis dictus tribuit Cardinalis, ipſum Monaſterium ad eos taliter ordinandum liberè reuertatur. Datum Agnaniæ IV. Kalendas Aprilis anno VI.*

10. Hactenus litteræ Gregorij Papæ IX. ad Abbatem, & Monachos Sancti Angeli, in qua eadem forma, Patriarchæ, & Capitulo Conſtantinopolitano, vt conſentirent; & vt exequerentur, Archiepiſcopo Nicomedienſi, cum duobus Collegis, ſcriptum video. Porrò ex his litteris augendus facilè venit Alfonſus Ciaconius in Pelagio Cardinali Albano, qui nullam Legatiæ eius in Græcia mentionem facit. Quod vero ad hos Annales ſpectat,

spectat, vltra Gregorij in nostros propensionem, licet coniicere: primo, Cœnobium sancti Angeli in Petra, ab ipso penè Imperio, Latinis addito, accepisse Cistercium. Secundo, bellis inter Græcos, Latinosque in longum protractis, amisisse suarum possessionum partem non modicam, quæ bonis Monasterij de Rusiniano compensanda venirent, si Græci cederent. Tertiò Græcos non statim pulsos à sedibus, sed concessis induciis, quæ à sexdecim vt minus annis, id est ante Concilium, prorogabantur. Quartò, Abbatem paupertate forsan premente, inconsulto Conuentu, deliberasse, cum ipso ad Rusinianum transire, si Græci discederent; verùm id postea Conuentum recusasse iustissimis de causis, quas Pontifex expressit in ipsis litteris; Demùm Gregorio id vnum placuisse, vt taliter Ecclesiæ sancti Angeli, de Bonis Rusinianæ subueniretur, vt nihilominus pateret semper ianua nouo Cœnobio, & Cistercio, per Græciam dilatando, nouæ semper cautiones adhiberentur.

9. Hoc item anno, Ambianensi, & Morinensi Episcopis inter se contendentibus de loco Cari-Campi, Cistercienſis cœnobij, atque vtroque sibi in illud arrogante iurisdictionem; cum inde Monachi non parum grauarentur, idem Gregorius nihil nostris denegans, cœnobium ipsum sibi reseruauit, quo ad vsque lis pro altera illorum desideretur litteris datis ad Abbatem, & Conuentum in hunc tenorem [e].

e *Ex eisdem Regestis.*

Abbati, & Conuentui Cari-Campi Cistercienſis Ordinis.

Cum sicut audiuimus, Monasterio vestro in finibus Ambianensis, & Morinensis diœcesium constituto, vterque diœcesanus in ipso iurisdictionem se habere asserant, & tam authoritate sua, quàm occasione litterarum nostrarum, non vnquam molestiam inferant, & grauamen; sicque distracti vos nequaquam expedire possitis. Nos quieti vestræ prouidere volentes, Monasterium ipsum, si est ita, ad manus nostras duximus aduocandum: & donec ad quem pertineat, decisum fuerit retinendum; authoritate vobis præsentium inhibentes, ne cuiquam eorum interim intendatis. Datum Alatri XVI. Kalendas Iunij, anno VI.

---

1. *Fiterij, & Oliuæ Abbates in Hispania.* 2. *in Gallia de Alta-Ripa, & Bello-loco, Claromontensi,* 3. *Bethaniæ, & Firmitatis:* 4. *in Anglia, Stratæ-Floridæ: in Italia, sancti Galgani: in Germania, de VVerswile,* 5. *& Hemmenrode: in Austria, sanctæ Crucis, in Vngaria, de Ægris: grauibus causis à Gregorio præficiuntur.* 6. *In Liuonia, qui forent defensuri in Liuoneos grassantur,* 7. *pro quibus Osiliensis Episcopus & Abbas, atque Prior Montis sancti Nicolai, Ordinis Cistercienſis, constituuntur Legati.* 8. *Prohibitum examen ferri candentis,* 9. *& quæ ab Episcopo fuerant ablata, iussa restitui.*

CAPVT SEXTVM.

1. QVÆDAM etiam hoc anno nostris iuncta, ex quibus aliqua veniunt recensenda. Illustri Ferdinando, Castellæ Rege, deferente ad Pontificem, *Quod Calagurritanæ Sedis translatio (incertum ad quem locum) quam Calagurritanus Episcopus fecisset, in ipsius Regis cederet præiudicium, & Regni sui periculum, & grauamen.* Burgensi, atque Tiragonensi, Episcopis, atque Abbati Fiterij scripsit Gregorius [a], *Quatenus, vocato ipso Episcopo, audirent, quæcumque duceret proponenda: & inquisita diligentius veritate, quod inuenirent, Gregorio eidem scriberent: ac terminum præfigerent vtrique, intra quem per Procuratores idoneos, conspectui se Pontificio præsentarent. Datis Agnaniæ, XIV. Kalendas Maij, Pontificatus eius anno VI.* Nec multo ante, Priori, fratribusque illustris Xenodochij Roscidæ-Vallis (*Ronces-Valles* nos dicimus) cum Episcopo, & Ecclesia Pampilonensi, longa lite certantibus, Abbas Oliuæ, Cistercienſis Ordinis, Pampilonensis diœcesis, iudex ab eodem Gregorio datus fuerat, cum duobus Collegis, litteris expeditis Agnaniæ, Kalendis Aprilis, quæ hodieque in Regestis perseuerant. Hæc in Hispania.

a *In Regesto huius anni.*

2. In Gallia, Monasterio sancti Petri de Bessua, Ordinis sancti Patris Benedicti, diœcesis Lingonensis, in spiritualibus, temporalibusque collapso (hæc sunt verba Gregorij) & tunc Sede vacante, quærentéque, vt bonus sibi Pastor præficeretur, per quem deformia reformanda esse speraret, Abbates de Alta-Ripa, & Bello-Loco, Cistercienſis vterque, dati sunt [b], *Qui accedentes ad dictum Monasterium, atque inquisita tam de persona eius, quem postulabant, quàm de postulantium studiis, & modo postulationis, solicitè inquirerent: atque postulatum confirmarent, prout viderint in Domino expedire. Datis Agnaniæ, XIII. Kalendas Maij,* præsentis anni. Nec multo post Claro-Montensis Abbas, ad visitandum Monasterium sancti Sergij, Andegauensis diœcesis, ab eodem Gregorio Papa mittitur, litteris expeditis Agnaniæ V. Idus Maij, cum ampla in capite, & membris iurisdictione.

b *In eisdem Regestis.*

3. Illustri Luxouiensi Ecclesiæ, cum multa dum indigerent reformatione, vt ait Pontifex, Betaniæ Abbas, Cistercienſis, & ipse, censor primum, mox, cum Monachis suspectus haberetur, eo quod eius cœnobium cum Luxouiensi supra quibusdam terris, pratis, & aliis possessionibus, litigaret, vltra centum Marchas valentibns, Abbas Firmitatis cum aliis datus est, [c] *Quatenus, si suspicionis, & recusationis causa constaret, Bethaniensi amoto, ipse procederet, iuxta formam eidem prius traditam: alioquin totum visitationis negotium remiteret ad ipsum, per quem, & collegas, appellatione postposita, iuxta iuris sanctiones terminaretur. Datum Agnaniæ, Kalendis Maij: Pontificatus Gregorij anno VI.*

c *vbi supra.*

4. In Anglia, Monasterio sancti Cornelij Diœcesis Meneuensis, cum paulo ante incendio conflagrasset, Abbas, Stratæ-Floridæ pro reparandis damnis litteris, datis V. Kalendas Maij: in Italia, Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Floria, cum à Legatis Sedis Apostolicæ super procu-

procurationibus præstandis, grauaretur, Abbas S. Galgani: in Germania VVormacienſi Epiſcopo, cum multo ære alieno preſſus eſſet, Abbas de VVerſvvile, Ciſtercienſis & ipſe, veluti reſtitutor, cum duobus Collegis, præfectus eſt; plenaria illis facta poteſtate [d], *quatenus facultatibus, & ſtatu Eccleſiarum VVormacienſis Diœceſis, prouida conſideratione penſatis, Abbates, Præpoſitos, alioſque Rectores Eccleſiarum ipſarum, monere prudenter, & diligenter inducere ſtuderent, attendentes quod membra capiti debent compati patienti, præfato Epiſcopo ſinguli iuxta facultates ſuas taliter in hac neceſſitate ſuccurrant, quod idem per ſubuentionem ipſorum de abyſſo huiuſmodi debitorum emergat; & Epiſcopus ipſe in eo ſtatu valeat remanere, qui Epiſcopali congruat dignitati. Quod ſi forte ad id nequierint monitis veſtris induci, vos taxata pro ſingulis congrua quantitate, ita quod de nimio grauamine nequeant rationabiliter murmurare, ipſos ad eius ſolutionem per cenſuram Eccleſiaſticam, Apoſtolica auctoritate compellatis. Datum Laterani XI. Kalendas Ianuarij, Pontificatus noſtri anno VI.*

d *In eiſdem Regeſtis.*

5. Stabulenſi Eccleſia in eadem Prouincia, vſque ad deſolationem penè redacta propter aduocatorum inſolentiam, qui de cuſtodibus tranſibant, ad prædones; cum pro illius procuranda libertate, reſtaurationeque omnes tres Archiepiſcopi electores, Colonienſis nimirum, Treuirenſis, & Moguntinus, & Methenſis Epiſcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, ſcripſiſſent Pontifici, vt Prumiæ Abbatem, loco vicinum, virum diſcretum, prouidum, & potentem, in paſtorem concedi poſtulaſſent: idem Gregorius, quaſi tot, atque tanta teſtimonia minus ſufficerent, Hemmenrodenſi, ſiue Clauſtri Abbati ſcribit [e]. *Quatenus veritate ſuper his diligentius inquiſita, ſi inueniret, rem ita ſe habere, ipſius Monaſterij curam, & dominationem, donec Domino Auctore reſurgeret, Abbati Prumiæ auctoritate Apoſtolica committeret, iniungens eidem, vt ſuper eo talem exhibere ſe curet, quod Conuentus ipſe, iuxta ſpem, de ſua perſona conceptam, ad priſtinum nitorem reſtituatur. Agnaniæ Idibus Maij eiuſdem anni.* In Auſtria, Abbas cœnobij Sanctæ Crucis, Diœceſis Patauienſis, Salizburgenſi Archiepiſcopo; Strigonienſi in Vngaria, Abbas de Ægris; Ciſtercienſis vterque, iudex datur, alter quarto, alter quinto Idus Iunij, vterque in cauſa graui; nec niſi docto, & prudenti committenda. Cæterum grauior, quæ adhuc in Liuonia.

e *vbi ſuprà.*

6. Hoc item anno expeditas litteras video ab eodem Gregorio menſe Septébri, ex quibus nouum in Liuonia cœnobium (dubium, quo anno?) à noſtris inhabitare cœptum; noua mandata, ad ipſos, atque in Apoſtolatu illius Prouinciæ nouam inueniunt materiam noſtri Annales: oppugnantibus populis vicinis, quos noſtri conuertebant ad fidem Chriſti; ſiue vlciſci placeret ſiue prædari; ſeu pium tandem, religioſumque, ſæuire in ſuæ religionis deſertores arbitrarentur; Templarij, atque alij milites oppoſiti, quod nos etiam ſuperius memorauimus. Verum adductos ad eorum defenſionem, atrociores nonnunquam, quam poſſent ipſos hoſtes experiebantur. Id primum fortè, & ſummum militiæ malum; vt actiones hoſtiles, prædæque, ordiantur ab amicis, &, multo peius, eorum bona inuadant, qua hoſtes aggrediantur, ſiue laceſſant. Templariorum, aliorumque rapinæ primi omnium patebant, quos defenſabant. Quin, ne quod genus prædandi prætermitterent, quos per vim non audebant, per ſpeciem iuſtitiæ ſpoliabant: ſuppoſitis, qui innocues accuſarent; ſed nihilominus pœnam ſubituros, niſi per ferrum candens purgarent obiecta; ſi adurerentur, ſtatim condemnandi. Hæc & ſimilia truces perpetrabant, neque in Liuonios tantum, ſed in cæteros, etiam in bona Eccleſiæ debacchabantur. Delata res ad Gregorium Summum Pontificem, atque ex ipſo ad Ciſtercium reuocata; vt quos habuerat Apoſtolos Liuonia, patronos haberet, & vindices ſuæ libertatis experiretur. Erat in Diœceſi Regenſi Monaſterium, quod noſtri inhabitabant; Mons-Sancti Nicolai loco nomen, è quo, velut ex Hieroſolymitano cœnaculo, prædicatum prodibant, qui mittebantur.

Ergo quæ Epiſcopum Oſilienſem concernebant (nam & hunc ſpoliauerant) Abbati, & Priori Montis-Sancti Nicolai; quæ verò ad recens conuerſos ſpectabant, eiſdem ſimul, & Epiſcopo commiſit, litteris ad eos datis, quæ cauſas ſeparant, & alias aliis, ordine committunt. Porrò ad Epiſcopum ſimul Abbatem, Prioremque, aduerſus duo flagitia duplices dedit; primas contra violentias manifeſtas, in hunc tenorem [f]. 7.

f *In Regeſtis Gregorij præſentis anni.*

Oſilienſi Epiſcopo, & Abbati & Priori Montis-Sancti Nicolai, Ciſtercienſis Ordinis, Rigenſis Diœceſis.

Audiuimus quod quidam Fratres, Ordinem Templariorum profeſſi, regulares Obſeruantias, quibus ſe adſtrinxerant, violantes, cum teneantur nouiter in Liuonia baptizatos, pro viribus defenſare, ipſos multipliciter inquietant, graues eis incutiendo timores, & bona propria non ſine atrocibus iniuriis per violentiam auferendo: iudicia quoque ſæcularia vſurpantes, ſanguinis vindictas exercent, in animarum ſuarum periculum, & ſcandalum plurimorum. Ne igitur abuſus huiuſmodi, ſi reprobatus non fuerit, approbari putetur, qui non ſine diuinæ legis contumelia poſſet de cætero tolerari; mandamus, quatenus huiuſmodi Ordinis profeſſores, & à talibus vexationibus conuerſorum, & aliis prænotatis inſolentiis, ſaltem ex hoc nunc, omnino deſiſtant, moneatis attentius, & efficaciter inducatis, eos ad hæc per cenſuram Eccleſiaſticam Apoſtolica auctoritate compellendo. Datum Laterani, VI. Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno ſexto.

8. Hæc contra vim apertam, rapinaſque: at in palliatas iuſtitiæ typo, & legem contra leges Eccleſiæ poſitam, qua ad ſubeundum examen ferri candentis, compellere ſolebant, quos accuſabant; has ſpeciales ad eoſdem litteras dedit [g]. *Dilecti filij, nouiter in Liuonia conuerſi, grauem ad nos querimoniam deſtinarunt, quod Fratres Templariorum, Ordinem in Liuonia profitentes, & alij quidam aduocati, & Iudices, qui temporalem in eis poteſtatem exercent; ſi quando de aliquo crimine infamantur, eos ferri candentis iudicium ſubire compellunt: quibus, ſi qua ex inde ſequatur aduſtio, ciuilem pœnam infligunt; quare conuerſis, & conuertendis ſcandalum incutiunt, & terrorem. Cum igitur huiuſmodi iudicium, ſecundum legitimas, & Canonicas Sanctiones, ſit penitus interdictum, vtpote in quo tentari Deus videtur: mandamus, quatenus dictos Fratres, & alios, vt ab huiuſmodi conuerſorum grauamine omnino deſiſtant, per cenſuras Eccleſiaſticas appellatione remota cogatis. Datum vt ſupra.*

g *ibid. immediatè.*

Hactenus litteræ datæ pro Liuonibus ad militum violentias compeſcendas: à quibus Epiſcopum

scopum (dubium, quis ille fuerit? & credibile fuisse Cistercienſem, quippe ex his, qui Euangelium prædicauerant) excludi nulla ratio patiebatur; at pro ipſius iniuriis vindicandis ſoli Abbas, & Prior, cum ipſe non poſſet (quippe in propria cauſa) addito illis collega, præficiuntur, Epiſtola in hæc verba eis ſcripta [b].

b vbi ſupra. 9. *Abbati, & Priori Montis Sancti Nicolai, Ciſtercienſis Ordinis, Rigenſis diœceſis, & Præpoſito Rigenſi.*

Venerabilis frater noſter, Oſilienſis Epiſcopus, ſuam ad nos querimoniam deſtinauit, quod quidam fratres in Liuonia, Templariorum Ordinem profitentes, ei poſſeſſiones agrorum, & res alias per violentiam abſtulerunt, & reddere contradicunt. Nolentes igitur eidem Epiſcopo in ſuo iure deeſſe, qui potius eſt à nobis fauorabiliter confouendus; mandamus, quatenus dictos fratres, vt ei ablata reſtituant, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellatis. Quod ſi non omnes, &c. Datum, vt ſupra. Ita per Ciſtercienſes, viſum, illos defendere, quos ipſi conuertiſſent: ſed neque alij aptiores viſi ſunt, ad militum petulantiam, atque effrænem licentiam coërcendam.

---

1. *Petrus de Albalate, & Guillelmus Cerbera Populetani, alter Archiepiſcopus Tarraconenſis,* 2. *alter tutor Alfonſi Regis, Iacobi hæredis, conſtituitur.* 3. *Populeti ea tempeſtate, ingens authoritas.* 4. *Beatarum Virginum Tudecæ, Annæque in Pounduno ſucceſſio.* 5. *Et Ioannis, ex Abbate Ioiaci quarto, in Meldenſem Epiſcopum promotio.* 6. *Acta Capituli, Chronologia,* 8. *& dictum de Honeſta Valle,* 9. *& Tribus Fontibus vtraque Vngariæ domo.* 10. *Cœnobia Virginum* 11. *ſubiectio ſacræ Vallis,* 12. *& Vallis, Virginum tranſlatio ad Aldenardam.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. ILLVSTRABANT hoc anno Populetum inſignes Viri; ſed inter cæteros duo præeminebant, Petrus de Albalate. & Guillelmus Cerbera: ille doctrina, & pietate clarus, vel inter primos orbis; hic claro ſanguine, ac morum, & iudicij maturitate. Neuter ſub modio latere diu potuit. Vacante Tarraconenſi Eccleſia, Hiſpaniæ citerioris, (quam ex ea Vrbe Tarraconenſem appellarunt) primaria ſede, vacante, inquam, ſede Tarraconenſi per obitum Aſpargi, non multo poſt Petrus de Albalate, in Archiepiſcopum Primatem aſſumptus eſt, lumen, & columen futurum totius Regni, ſine quo nihil magnum à Iacobo; vt penè illi idem Petrus fuerit in rebus Aragoniæ, quod in Caſtella Alfonſo, & Ferdinando Rodericus Ximenius, Toletanæ Eccleſiæ antiſtes, fuit. De eo nos in ſequentibus nonnulla: Verum ſi quis annales proſequitur, quæ ipſos illuſtrent, plura proferre poterit.

2. Guillelmus ante habitum ſuſceptum, & bello, & armis ſuetus, Regalium, quàm Pontificalium functionum propinquior, atque eis: gerendis aptior inueniebatur. Ergo Iacobus, cui adoptionis conſilia dubia, captando Nauarreo Regno, ſi poſſet, non filio exhæredando, placuiſſent; ne ſucceſſioni illius obſtare poſſent, Pridie Nonas Maij, ait in ſuis Indicibus Zorita: [a] *Tarracone filium denuò, authoritate Regia, legitimus natalibus, quaſi iuſto connubio natum, reſtituit; qui à Leonora Matre educabatur. Hæredem præterea Aragonu, & Balearici Regni, Barcinonenſis, Vrgellitanæ, & Mompelleriæ ditionis, omniumque earum regionum, quæ ſacro bello vindicarentur, renunciat, & inſignibus Principatus ornat. Filio, Raymundum Berengarium, Prouinciæ Comitem, & eius liberos; & his, Ferdinandum patruum, ac Regia propinquitate affines, ſubſtituit. Præterea filium tutelæ Sedis Apoſtolicæ, & Aſpargo Tarraconenſi Antiſtiti auunculo committit: tutoreſque filij inſtituit Tarraconenſes Antiſtites, Templariorum, & Hieroſolymitanorum magiſtros; & Guillelmum Cerberam, ex optimatibus Cataloniæ virum primarium, qui ad Populeti, Monachorum inſtituto ſe addixerat.*

a lib. 2. in princip.

Hactenus Zorita, paucis multa complectens, atque omnia concernentia noſtros Annales: geſta Iacobi, quia Monachi futuri; & Ferdinandi patrui deſignationem, quia ex Monacho aſſumpti Populetano. Tum Alphonſi tutores primum, & vltimum, quia vterque ex Populeto, quippe pro Aſpargo, ſubrogandus ſtatim Petrus; neque enim ſola perſona eligebatur, ſed dignitas præcipuè, & qui poſt ipſum in illa ſufficiendi. *Tutoreſque filij inſtituit Tarraconenſes Antiſtites.* Demùm Guillelmum, inter omnes vnicum, qui non ex dignitate, ſed ex ſola perſona ſelectus eſſet. Adeò tunc nihil ſine illuſtri illo cœnobio, vt in vnica actione, inuenias quatuor, & quidem omnes magnos; Regem nimirum, ſucceſſorem mediatum Regni, atque immediati deſignatos tutores duos, qui Populeto veniant adſcribendi. Hoc anno Rex Baleares Inſulas repetens, & Balearici quondam Regis filium ad fidem Chriſti trahens, earumdem ſibi imperium, Chriſto, & Eccleſiæ fidem confirmauit. Tum ad propria reuerſus, neque otij patiens, Valentinam expeditionem deliberauit, ingenti apparatu, quem fœlix tandem Victoria eſt ſubſequuta. 3.

Hoc item anno, cum quinquennio laudabiliter præfuiſſet in magna paupertate, ſed in multo maiori religione, Venerabilis Tudeca, prima Abbatiſſa Monaſterij Pounduenſis in finibus Sueuiæ, fœliciter in Domino obdormiuit, non ſine magna opinione ſanctitatis, vt habent tabulæ eiuſdem Monaſterij, ex quibus eam Mænologio ſuo inſeruit Chryſoſtomus Henriquez ad vigeſimam quartam diem menſis Auguſti. Succeſſit Anna eiuſdem perfectionis, vt credebatur, quæ diuturniorem loci præfecturam in ſancta vita exactam ſanctiori morte conſumaſſe etiam probatur, relata & ipſa inter alios in Menologio, ad ſextam diem Martij, ex eiſdem tabulis. 4.

Hoc idem tempus, quantum ex ſerie Epiſcoporum Meldenſium licet coniicere [b], concernere videtur Venerabilis Ioannes, ex quarto Abbate Monaſterij de Ioyaco, Epiſcopus Meldenſis ſexageſimus ſecundus, de quo Philippus 4.

b *Apud Ioan. Chenu.*

Seguinus, ex vtriusque Ecclesiæ monumentis, hæc habet verba. [c] *Ioannes Ioyaci Abbas quartus, vir simplex, pius, & in diuinis Scripturis excellenter instructus, ob ingenij sui dexteritatem, & morum probitatem ad Meldensis Ecclesiæ apicem sublimatus, multa suarum virtutum posteris testimonia reliquit.* Memorat virum Chrysostomus Henriquez in Mænologio ad quintam decimam diem Mensis Februarij.

6. In Capitolio, nullæ leges latæ; nullis fortasse culpis exigentibus noua legum remedia: nec Guillelmo acquiescente pandere subditis, quæ prohiberet parata committi posse. Festum tamen sancti Dionysij, celebrari iustum, non impediendis conuersorum operibus, (id, quod prouidè cauit Guillelmus parens) ne otium, per speciem religionis, quod nonnumquam contigit, induceretur.

7. Chronologia tres prodit Abbatias, hoc anno nostris additas, duas in Vngaria, honestam nimirum Vallem, & Tres-fontes, vtramque incerta die, sicut & tertia, Portus-Sanctæ Mariæ, cuius nulla alia nobis notitia subest. Honestam-Vallem in Quinque Ecclesiensi diœcesi, Borsan genuit, adaucturam progeniem Claræ-Vallis. Errant qui in Vesprimiensi diœcesi locant. Extat epistola Gregorij Papæ IX. post biennium scripta. *Abbati atque Conuentui Honestæ-Vallis Cisterciensis Ordinis, Quinque Ecclesiensis diœcesis.* In qua conuersos duos dare iubentur, administrando cuidam Hospitali, quod Colocensis Archiepiscopus construxisset; quam, in aliqualem Cœnobij ipsius notitiam, ex Regestis exceptam, hîc transcribam [d].

d *Ex Regestis Gregorij ann. 8. epist. 85.*

8. *Ex parte Venerabilis Fratris nostri Colocensis Archiepiscopi nostris fuit auribus intimatum, quod cum olim quoddam Hospitale in territorio Bachiensi, ad receptionem infirmorum, & pauperum, de propriis bonis construxerit, & facultates eiusdem, ex quibus concurrentes ad illud substentari valeant, assignarit; dilectus filius noster I. Prænestinus electus, tunc in partibus Vngariæ Apostolicæ Sedis Legatus, sibi duxit prouidè concedendum, vt in eodem Hospitali, per duos conuersos à Monasterio vestro, pro tempore assumendos, perpetuò ministraretur; dispositione plenaria Hospitalis eiusdem, sibi, & suis successoribus in omnibus semper salua: quo circa mandamus, quatenus præfato Archiepiscopo duos conuersos vestri Monasterij, viros idoneos, ad dicti Hospitalis regimen, si necesse fuerit, concedatis; vt eorum ministerio idem Hospitale in suo statu parmaneat, & alimenta Christi pauperibus, in quorum refectione ipse reficitur, ministrentur. Datum Laterani Idus Maij, anno octauo.* Non ignobile cepit Monasterium, quod vix dum natum solicitabatur.

9. Tres fontes in Vngaria Pelisium genuit in diœcesi Agriensi, augentem etiam lineam Claræ Vallis de fundatore, nihil mihi constat: inuenio tamen Episcopum Agriensem, nomine, Cletum de consensu Capituli, quasdam decimas cœnobio concessisse, de quibus Monachi possent sustentari. Legiturque confirmata donatio ab Innocentio quarto, post annos plus viginti, litteris datis ad Abbatem, & Conuentum, sub hoc tenore [e].

e *Ex Regestis Innocentij IV. anno 10.*

Abbati, & Conuentui Trium-fontium, Cisterciensis Ordinis, Agriensis diœcesis. Cum bonæ memoriæ Cletus, Episcopus Agriensis, sicut accepimus, vestræ sanctæ Religionis obtentu, in cuius obseruantia ad honorem diuini nominis laudabiliter desudatis, decimas quorundam prædiorum, terrarum, & vinearum eiusdem Monasterij, existentium in diœcesi Agriensi, à quinquagesima parte decimarum ad ipsum spectantium, pro sustentatione vestra, de assensu Capituli sui, Monasterio vestro liberalitate pia, & prouida, in perpetuum duxerit concedendas, prout in ipsius litteris confectis ex inde plenius dicitur contineri: nos vestris precibus inclinati, quod per eundem super hoc piè, ac prouide factum est, authoritate Apostolica confirmamus, &c. Datum Perusij IV. Idus Ianuarij, anno decimo. Hæc de duobus Vngariæ Monasteriis, quandiu de alio nihil omnino habemus, quod proferamus.

His virorum Ecclesiis, quædam fœminarum cœnobia, hoc item anno nata, subdere libet. 10.
Hæc sunt de Bottenbroich propè Coloniam, de quo Arbertus Miræus hæc habet verba [f]. *Anno M. CC. XXXII. à D. Godefrido, Præposito Collegiatæ Ecclesiæ, quæ est Monasterij in Eyfflia, constructum est Monasterium in Bottenbroich, duorum milliarium spatio à Colonia, in nemore, quod vulgò* Villia *vocatur, loco amæno, & salubri.* Et Bischo-prode in Prouincia Mindensi, quod Conradus, Mindæ Episcopus, ordine vigesimus nonus, construxit, de quo hæc in Alberto Crantzio lego [g]. *Cuius (id est Conradi) temporibus fundatum est Monasterium Bischoprode, tunc Ordinis Cistercienſium, per hunc Pontificem, iuxta oppidum Greuenalueshagen: inde per Adolphum illum, qui postea ingreditur Ordinem Minorum, transfertur in oppidum Veteris Rintelem. Ita mutauit sæpè locum, donec inueniret, vt consisteret.* Hactenûs ille, nec nos distinctius aliunde eadem hausimus.

f *In Chron. Cisterciens.*

g *lib. 7. Metropol. c. 41.*

Hoc item anno Gregorius Papa Nonus, pro Monasterio de Sacra-Valle Virginum in Germania, quæ nondudum Cistercium suscepissent, has ad Abbatem Sichemitam litteras dedit [h]. *Abbati de Sichen, Cistercienſis Ordinis, Alberstadensis diœcesis.* 11.

h *Ex Regestis huius anni.*

Dilecte in Christo fili, Abbatissa, & sorores de Sacra-Valle Cistercienſis; nobis humiliter supplicarunt, vt eorum Monasterium visitationi, & solicitudini, necnon & dispositioni tuæ in spiritualibus, & temporalibus committere dignaremur; ita etiam vt ad te debeat personarum institutio, & Ordinatio pertinere. Quia ergo eadem Abbatissa, & sorores, spem ad prouisionem tuam, sicut dicitur, erexerunt, firmam habentes fiduciam, quod sub circunspectionis tuæ cura, spiritualibus, & temporalibus debeant proficere institutis: Monasterium, & locum ipsarum in prædictis tibi duximus committendum, discretionem tuam monentes, & per Apostolicam Sedem mandantes, quatenus in his omnibus curam Monasterij memorati recipias, & regulariter, prudenter, per te, ac fratres Ordinis tui studeas exercere; ita quod sicut de te sperauerunt, reperiant in effectu; & à Deo meritum, ac à nobis gratias, ex hoc tibi valeas comparare. Datum Alatri XIV. Kalendas Iunij, anno sexto.

Demum *hoc anno (ait Aubertus Miræus [i].) Moniales Vallis-Virginum ex Flobeca Aldenardam, Flandriæ oppidum, migrarunt, in quo hodie residunt.* 12.

i *In Chron. Cisterciens.*

suis bonis, iuribus, & possessionibus, Cistercienſi Ordini, ad construendum ibidem Monasterium, concessisse; reseruata prudentiæ nostræ compensatione congrua Lucanensi Præsuli, & Ecclesiæ, suo tempore facienda, si aliquando forsan Ciues Lucanenses ad pristinæ dignitatis honorem restitui mererentur.

10. *Præterea Sancti Galgani, Cistercienſis Ordinis, VVlteranensis diœcesis, districtè dedimus Abbati litteris nostris in præceptis, vt personaliter ad Ecclesiam præfatam accedens, & pro Cistercienſi Ordine, omnium bonorum ipsius, tam mobilium, quàm immobilium, authoritate nostra, possessionem ingrediens, de ipsa disponeret, prout exigerent sui Ordinis instituta. Priorem autem, clericos, & conuersos eiusdem Ecclesiæ, diligenter moneret, vt pro animarum suarum salute Ordinem Cistercienſem assumerent: alioquin eos in aliis Monasteriis sui Ordinis collocaret, contradictores, & rebelles, per censuras Apostolicas, appellatione postposita compescendo.*

11. *Verùm, quia, sicut accepimus, dictus Abbas circa prædictorum collocationem, propter multiplices exceptiones videlicet periurij, homicidij, rapinæ, ac defectus scientiæ, in eorum personas, oppositas, haberetur negligens, & remissus: ne ipsorum collocatio eiusdem Abbatis negligentia, vel friuolis exceptionibus aliquatenus valeat impediri, mandamus quatenus eas, & conuersos ipsius Ecclesiæ, in Ecclesiis supradicti Ordinis Sancti Augustini, & hospitalibus, Ecclesiis eisdem subiectis, omni occasione postposita, & prædictis, & aliis exceptionibus friuolis, quæ non debent obsistere pœnitentiæ peragendæ, necnon promissione, quam idem Abbas fecisse dicitur priori, & clericis, & conuersis prædictis, videlicet, quod non nisi in Ecclesiis sui Ordinis, Lucanensis Ciuitatis, vel diœcesis prouideretur: eisdem, nequaquam obstantibus, collocare procures, contradictores, &c. Datum Agnaniæ tertio Kalendas Augusti, anno VII.* Hactenus Gregorius.

12. Primum, qui sub Cistercio præfuit Abbatem, Sancti Pantaleonis Monasterio, egregiè laudat Gregorius Papa IX. sequenti anno, tunc recens reformatas ad Cistercium Moniales Sancti Carbonij Lucanensis, illi, & per illum Monasterio suo commendans, litteris expeditis mense Aprilis, quas nos etiam in tempore reddemus. Crediderim prouectorum nobilium tyrocinio instituendo, quæsitum Ducem; neque vllum, nisi strenuum designandum. Adeoque talem, cui Romanus Pastor, sponsas Christi turò tradere posset. Memoratur etiam Monasterium Sancti Pantaleonis, Cistercienſis Ordinis Lucanensis diœcesis, in litteris Honorij Papæ IV. Datis Romæ apud Sanctam Sabynam, quinto Idus Decembris, Pontificatus ipsius anno primo, in quibus inter alias Sancti Galgani filias numeratur.

---

1. *Dum reliquiæ Albigenſium nostros molestant, exagitantur, & tandem extinguuntur.* 2. *Quo tempore, à lamento, Lutgardis,* 3. *quod pro eis susceperisset, cessare iussa.* 4. *Frequentes ad eam de cœlo visitationes,* 5. *non solum ipsi, sed alijs manifestè.* 6. *In morbos animarum mira efficacia;* 7. *linguarum donum, & alia ad hoc facientia.* 8. *Reginæ Blanchæ referendæ gratiæ, pro hæresi extirpata, Cistercium eligit;* 9. *atque ingrediendi, tempore Capituli, cœnobij eiusdem septa licentiam impetrat.*

CAPVT SECVNDVM.

1. DVM Italia flagrabat bellis ciuilibus, in Gallia Narbonenſi Albigenſium hæreticorum reliquiæ, vt palam non auderent, furtim tamen Catholicos, præcipuè Religioſos, maximè Cistercienſes infestabant: & ni Raymundus, Tolosanus Comes, Raymundi, quondam hæreticorum fautoris, filius, in fide perstitisset, facilè nostros primum ab illis partibus, mox ipsorum defectum propugnaculis, religionem Christianam exagitassent. Constat domos, & grangias Cistercienſes indiguisse custodibus, deputandis ab ipso, ne sub honesto quæsiti hospitij titulo, cum per vim non licebat, spoliarentur. Extant legunturque litteræ Comitis expeditæ hoc anno Tolosæ, duodecimo Kalendas Martij, quas Papyrius Massonus [a] euulgauit, in quibus hæc inter alia cauenda censuit, *statuimus, vt nullus sit tantæ temeritatis, quod domos religiosas, & præcipuè Cistercienſis Ordinis, offendat in aliquo, in rebus, vel personis, palam, vel occultè. Et si quis contra hoc fecerit, bona eius occupentur, de quibus, passis damna plenariè satisfiat, & persona ipsius debita animaduersione puniatur. Item statuimus ne Barones, milites, & alij homines nostri, Abbatias, grangias, & alias domos religiosas, nimia importunitate albergandi, opprimere præsumant. Et si quis contra voluntatem custodum nostrorum, quos in singulis domibus ad requisitionem ipsarum ponemus, ibi continuè moraturos, qui iurati nobis suo ministerio authoritate nostra huiusmodi albergatores repriment importunos, re ipsa domos prædictas albergauerit; si eques, in quinque solidis Tolosanis; si pedes, in duobus solidis puniatur.* Ita Comes Raymundus in illis litteris, quæ eadem verba Renatus Chopinus [b], Aubertus Miræus [c], & alij transcripsere.

a *Annal. lib. 3.*

b *lib. 2. Monast. tit. 2.*

c *In Chron. Cisterc. ante ann. 1572.*

2. Papyrius Masonus, hoc tandem edicto, Albigenſium fauillas extinctas putat; refertque in Blancham, Ludouici Regis Matrem, Hiſpanam Heroïnam, penitus relegati erroris illustrem gloriam; sic enim ait [d]. *Hoc Raymundi edicto, & Episcoporum vigilantia, Albigenſium secta breui extincta est. Qua in re Blancha, quæ in Regni procuratione erat, multum laborauit: Vt videantur Albigenſes vnius fœminæ auspicijs victi, ad officium redijsse.* Hactenus ille. Ego non dubito, gloriam hanc illustrem tribuendam fœminæ: neque eam in Blancham referri posse abnuo, quæ toto nisu incubuit in tantum opus: Sed in Luthgardim verius referendam, vrgentiori ratione mihi persuadeo: quippe, quæ Dei iussu, vt supra vidimus, assumpserat lamentum, ieiuniumque, pro ingruentis erroris, iam hinc latè diffusi, extirpatione;

d *vbi supra.*

& alias in eiusdem vita lego, circa hoc tempus iussam illud deponere: Exauditam hauddubiè, eoque non vltra hac de causa lachrymaturam.

e *lib.2. c.31.* Nam audi quod in eius vita legitur. [e]

3. *Lamentis diuturnis propter peccatores adeò se afflixit Luthgardis, vt facie eius quotidie rigata lachrymis, oculi eius, secundum Hieremiam, fontem lachrymarum deducere viderentur. Tandem apparuit ei misericordiæ Dominus in fletibus rugienti, congratulansque ei, quod miserorum causam diu fideliter egisset, illa manu, quam pro peccatoribus in cruce extenderat, à facie eius lachrymas detersit, dicens: Volo te ab his lamentis, pro meis peccatoribus susceptis, iam absolutam, nec patiar te deinceps luctu, & lachrymis affligi. Placido autem cordis feruore posthac in oratione persistes, atque hac perinde, vt hactenus lachrymis, iram patris auertes: & hic status vitæ eius ad mortem vsque durauit.* Hactenus ibi. Nec dubium quin de illis lachrymis loquitur, quas Virgo mater illi antea iniunxerat, cum de hæresi

f *lib.2. c.7.* Albigensium locuta dixit [f]. *Ecce ab hæreticis, & Pseudo-Christianis rursus conspuitur, rursus crucifigitur filius meus. Tu ergo assume tibi lamentum, & perpetuis septem annis ieiunato, vt sopiatur ira filij mei, quæ generatim vniuerso imminet orbi.* Ergo lamentum pro hæreticis iniunctum, & de septennio in septennium continuatum vsque ad hoc tempus, quo hæresis extincta est; si hoc anno cessare etiam iubetur, manifestè videtur indicare, ideò cessare iussum, quod impetrauerit.

4. Sanè Lutgardis florebat per hoc tempus tot, ac tantis miraculis tum Christi, & matris eius, tum supernorum ciuium visitationibus, vt mirum magis foret, si quid peteret, quod ei à cœlesti sponso, quantumuis arduum esset, denegaretur. Quippe quod solet amantibus accidere, non solum sibi in ipsâ complacebat, sed eam ipsam complacentiam aliis, multis, ac variis modis, communicabat. Et quidem quod ad ipsam attinet. *Quinque inde sequentibus an-*

g *lib.2.c.32.* *nis, ait Thomas* [g] *(id est ab anno M.CC.XXX. plus, minusve) sicut ipsa mihi cum multis lachrymis dixit, quotidie ferè venerunt ad eam, vel ipsa Christi sanctissima mater, vel Angeli, vel alij speciales Sancti, demptis continuis Angelorum visitationibus. Et tamen in his omnibus perspectam spiritus eius requiem non inuenit, donec ipse Sanctus, Sanctorum omnibus ineffabiliter dulcior, vtpotè sanctificator omnium, aduenirет; tum enim inuenisse se sensit, quem dilexit anima eius, tenuitque eum, nec dimisit.* Atque hæc ad ipsam.

5. Cæterùm, quæ ad alios, quasi non solum Virginem amaret, sed etiam se illius amore captum ab omnibus agnosci delectaretur, quod maioris adhuc charitatis indicium est; idemmet Author, non multo ante tradiderat. *Vt autem,*

h *lib.2.c.30.* *ait* [h], *quibusdam Aquiriæ Monialibus, quæ fortassis minus dignè de illa sentiebant, Luthgardis meritum innotesceret, insigne hoc miraculum accidit, quod nunc commemoro. Consueuerat illa singulis diebus Dominicis Corpus Christi percipere, cumque euntem ad altare nemo, licet debilem, sustentaret; quidam, quibus id videre, concessum est, perspicuè viderunt duos Angelos mediam eam tenere, & deducere ad altare. Aliàs etiam manifestissime visa est Beatissima Dei genitrix, & sanctus Ioannes Baptista, eam officiosissime comitari.* Hæc in amoris manifestationem, quam in Virginem Sanctam Christus Dominus, & propter Christum vniuersa cœlestis curia, non solum habebat, sed ostentabat.

Addam & aliud eiusdem amoris signum, quod æquè ad alios voluit peruenire, non sine 6.
ingenti, tum Virginis gloria, tum etiam aliorum vtilitate [i]. *Venit quandoque ad Monasterium* i *vbi supra.*
eius mulier, quæ omnem salutis, & veniæ spem prorsus abiecerat. Ingressam in colloquij locum, rogabant Moniales, vt consolationem admitteret, & spem suam in Deo collocaret. Illa verò nihil mota earum Verbis, fugere nitebatur. Sed vi retentam orabant, vt Luthgardem expectaret: quæ etsi nihil ad consolationem dicere ei posset, quippe cuius sermonem ipsa non intelligeret; at oraret saltem Dominum pro ipsa. Erat enim fœmina illa prorsus Gallicana; Theutonici idiomatis ignara. Adducta celeriter Luthgardis, ad remotiorem locum cum ea secessit, sensit enim in spiritu, fœminam vltra modum afflictam. Mirari verò omnes, & ridere cœperunt, quo pacto se inuicem intellecturæ essent, cum altera alterius linguam nesciret. Cum ergo illic diu pariter consedissent, surrexit mulier ad plenissimam spei fiduciam reuocata: & reuersa ad communis colloquij locum; dixit Monialibus: cur dixistis hanc sanctissimam fœminam esse Theutonicam, quam ego prorsus Gallicam cognoui? Neque est sub cœlo vlla alia, quæ me verbis suis ad spem veniæ reducere potuisset.

Hactenus sumptum ex Actis Sanctæ Virgi- 7.
nis, in quibus etiam simile quid sequitur [k] *re-* k *vbi supra.*
fert, aiunt, frater Bernardus, se vidisse Luthgardem, & virum venerabilem, ac Deo dignum, magistrum Guiardum, Cameracensem Episcopum, qui non minus Theutonici, quam illa Gallici sermonis imperitus erat, inter se colloquentes, se inuicem intelligentes. Nec mirum, si ad horam diuersæ linguæ inter colloquendum mutuam intelligentiam nihil impediuere, quando Luthgardis plena fuit illo spiritu, qui discipulis præstitit, vt omnium gentium linguis loquerentur. Hæc & similia in Luthgardi, frequentia per hoc tempus, facile persuadent, dedisse Deum meritis ipsius, lachrymisque, Albigensis prouinciæ conuersionem, pro qua tot lachrymas à Deo iussa, fudisset; & quarum lachrymarum cessationem, non minus à Deo iussam, totius prouinciæ conuersio secuta est, atque abiuratio errorum, qui adeò Ecclesiam, & tamdiu molestassent. Verum quòd lachrymas Luthgardis prouocatura, Maria Virgo; tersurus, fugaturusque Christus aduenit; hoc ipsum neque leuiter confirmat, non vnquam filio dilectæ sibi matris retractaturo preces, aut precum merita, nisi indulto fauore, pro quo eædem preces iniunctæ essent.

8. De Guidone Carcasonensi Episcopo, qui post Arnaldum, & Fulconem Tolosanum, primus in Fidei negotio semper fuit, non satis constat an adhuc superuiueret; neque solum errorum abiuratione publica, atque solemni; sed etiam reliquiarum extinctione, quam summè exoptauisset, fruitus sit; tunc demùm senex in pace dimittendus? Illud compertum, cui hanc gloriam Papyrius Masonus tribuit, Reginam Blancham, per Cistercienses præcipuè comparatam, in Cistercium voluisse referendam: ideoque hoc anno impetrasse à Gregorio insigne priuilegium, vt semel in vita Cister-

cienſe

ANNVS CHRISTI M. CC. XXXIII.

ANNVS CISTERCII C. XXXVI.

1. *Grassante per Italiam fame, & bellis,* 2. *ad Cistercium vocati Viri potentes, diuites, coniugati,* 3. *& locus eis diuinitus ostensus,* 4. *impetratus à Gregorio, qui datis litteris ad Abbatem Sancti Galgani,* 6. *Abbatiam quamdam admitti ab ipso in filiam,* 7. *& in ea viros ad Cistercij habitum iubet;* 8. *satisfacturus Ecclesiæ Lucanensi, pro ablato cœnobio, & coniugibus alia prouisurus.* 9. *Antiqui habitatores, cum ægrè in domibus alijs admitterentur,* 10. *per Archiepiscopum Pisanum* 11. *admitti iussi;* 12. *atque alia de eadem Ecclesia remissiuè.*

CAPVT PRIMVM.

2. DVCENTESIMVS, trigesimus tertius annus, supra millesimum ab ortu Christi Domini, qui fuit Cistercio trigesimus sextus, suprà centesimum, Italiæ fame, atque intestinis bellis insigniti fuit laboratum alimentorum omnium penuria, sed maximè vini, adeò vt vel nuptias celebrare sobrias, atque à vino abstemias, si qua Sigonio fides,[a] quicunque contrahebant, compellerentur. Nec tamen ideò à bellis cessatum est: quidam cupidine, alij odio in partes; plures assuetudine licentiæ militaris; tum, ne desistere à cœptis viderentur, in mutuas cædes vltrò properabant. *Sed neque in Lombardia, ait* [b] *Bzouius, res planè erant pacatæ. Quamquam enim anno superiori Imperator Fridericus, cum Rectoribus ciuitatum confœderatarum, Patauij coram Legatis Sedis Apostolicæ; Iacobo Prædestino, & Ottone, tituli sancti Nicolai, Cardinalibus, comparentes, atque eis, tanquam compromissarijs Electis, & arbitru, rem totam permittentes; ex Sedis Apostolicæ arbitrio omnes controuersias composuissent, atque concordiæ conditiones stabilissent: tamen cum Gregorius Pontifex, datis ad Fridericum litteris, ab eo deposceret, vt Lombardis ciuibus iniurias acceptas remitteret, vt pacta & conditiones pacis diplomate publico confirmaret, vt easdem pacis conditiones obseruaret: Cunctabatur tamen; studio, vt ferebant, miscendæ contra Pontificem, & Ecclesiam Romanam Italiæ. Facilè enim sibi persuadebat, in perturbata Italia se posse iura Ecclesiarum, & maiestatem, authoritatemque Pontificiam imminuere. Quapropter factionibus Italiam studiosè impleuit,* &c.

[a] De Regno Italiæ hoc anno.

[b] Hic anno num. 6.

3. Hic rerum status erat in Italia, breui in maiora mala, atque apertiorem perfidiam proruпturus: cum ecce ex prima Thusciæ nobilitate, quidam viri potentes, clarique, siue prædicatione B. Viri Ioannis Vicentini, ex ordine Prædicatorum, qui tunc iussu Pontificis, euangelizans pacem, & Regnum Dei, quod Hierusalem, visio pacis interpretatur; seu verius, mutuis cædibus edocti, humanæ vitæ non solum inconstantiam, sed vanitatem, quæ tam facilè cedat alterius ictibus; vel si deficeret, tot aliis accidentibus, tot naturæ miseriis concessura: terrena fugere, cælestia sola inquirere, vxores, filios, matres etiam spernere, abdicare diuitias; & in quo soli Deo viuere possent, & mundo mori, Monasterium construere, atque addere de bonis suis prouentus, quales Cistercium (nam illud elegerunt) admittere solebat, deliberarunt. Quæsitus diu, & multum locus est, construendo Cœnobio: sed commoda patebant vicina populis; deserta incommoda; & penè inhabitanda reperiebantur. Erat in Thuscia, in Lucanensi Diœcesi, perantiquum Cœnobium Canonicorum, vt puto, Regularium, Sancto Pantaleoni dicatum à multo tempore; hoc sub Episcopi Lucanensis cura, cum diu floruisset, tandem seu longa vacatione Sedis, quæ, vt coniici videtur ex ipsis litteris, in pœnam ciuium (fortè tumultuantium bellis ciuilibus, aut in proprium Episcopum rebellium) in suspenso manebat; seu temporum, & naturæ humanæ vicissitudine, cum per censores à Gregorio missos visitaretur, adeò deformè, atque in vtroque ædificio collapsum inuentum est, vt nisi ad aliam transiret disciplinam, & omnia innouarentut, vix posset reformandum sperari.

Oratum diu per viros illos fuit, & multis aliis cum instantia preces iunctæ, quatenus dignaretur Deus ostendere, an locus ille, ad illud sanctum opus (nam alia pleraque omnino congruebant) beneplacito voluntatis eius approbaretur? Quo signo petitioni satisfecerit? in dubio est: aliquod præcessisse, Pontifex narrat, per quod, & præelectum, & à Deo præostensum, demonstraretur. Nec mora, eo diuinitus accepto, & gratibus peractis, Romam adeunt, Gregorium Nonum humiles conueniunt, internam vocationem, & vota pandunt; & sese, ac sua Cistercio destinasse, & per Cistercium Deo, proponunt supplices: detur tantummodo copia magistrorum, per quos edoceantur; dentur, qui vltro oblata velint recipere: detur in terra locus opportunus, ex quo ad Cœlum adspirent, aut concessus à Deo, si semel constet, à Vicario ipsius non denegetur. Se siue propriam, siue etiam Euangelij, aut Cistercij ætatem velint respicere, circa vel vltra vndecimam venire, quod non negabant. Non tamen ideo excludendos esse à vinea, exemplo Christi Domini; qui non solum admisit, sed vocauit, vel vna tantum hora laboraturos. 3.

Placuit Gregorio feruor militum Christi; nec dubitauit manum Dei esse, quæ perditis temporibus, primitiuum Cistercium, & sæcula Bernardi reuocauisset. Quippe viros prouectos, & coniugatos, tum nobiles, tum diuites congregari in sæculo, vt sæculum fugerent, & spretis liberis, vxoribus, parentibus, quæ chariora diuitiis, deliciisque; omnia pro Christo relinquere, vel dare; & nihil penitus sibi retinere; cæteris inspirare conuersionem, atque integras familias ad Deum trahere; vnicum penè sociorum Ber- 4.

nardi exemplum fuit. Et illos quidem sub tanto duce, facilè: at hos acephalos, & nullo præeunte, ad tam insolitæ conuersionis apicem pertingere potuisse, arduum, & longe supra vires humanas reputabatur. Sed nihil, adiuuante Deo, difficile demonstrauit euentus: & quod modo in stuporem trahebatur, breui in exemplum, non solum imitandum, sed ex parte excedendum, non paucis fuit, quod nos etiam dicemus intra triennium. Ergo, cui oues quamtumcumque deuias reuocare ad caulas, & deducere ad Deum solemne erat; vltrà venientes repellere non licuit: quin occurrere magis, & excipere, ac nihil denegare, quod postularent. Obstabant tamen vxores coniugatis, quarum etsi consensus obtentus esset, Monachatus in dubio: obstabant etiam Matres, sorores, filiæ, quibus, prout quæque singulis coniunctæ, prouidendum ante omnia videbatur: obstabat demùm Ecclesia Lucanensis, ad quam ius Monasterij pertinebat: & quamuis tunc Episcopo careret, imò & vt puto, sede Episcopali; at quandocumque restituenda foret, orbata tanto membro, non poterat imminuta reuocari. Vtrique obstaculo obuiandum censuit Gregorius: & pro cœnobio Sancti Pantaleonis, si cathedra Lucanensi Ecclesiæ restitueretur, satisfactionem obtulit: pro vxoribus verò, cæterisque, accuratè prouidit; vt in Monasteriis pauperum inclusarum, siue Clarissarum collocarentur. Tunc verò tandem ad Abbatem Sancti Galgani, Cisterciensis Ordinis, VVlteranensis Diœcesis, de cuius tum doctrina, tum pietate plurimum confidebat, has graues satis, & Cistercio glorioſos, litteras dedit [c].

[c] *Epist.* 267.

5. *Abbati Sancti Galgani, Ordinis Cistercienſis, Vulteranenſis diœceſis.*

Ad grande ſalutis exordium, vtilitatibus plurimorum, largiente Domino, magnifice profuturum, aſpirat quorumdam nobilium diuinitus inſpirata deuotio, qui totis viſceribus concupiſcunt in ſuæ ciuitatis diœceſi fieri cœnobium, iuxta Ciſtercij inſtituta. Vehementer quippe deſiderant è vicino aliquem portum quietis habere, ad quem confugiant; fugientes ſæculi fluctuantis ſæpius repetita naufragia: ne ſi, tendentes longius, tardauerint, anchoram in tuta figere ſtatione, propter diſtantiam optati refugij, à fluentibus interim comprehenſos abyſſi profundum abſorbeat, & puteus praua conſuetudinis ſuum (quod abſit) os vrgeat ſuper eos. Vt autem, quod deſiderant facilius aſſequantur, ſeipſos, & ſua, ſalubri conſilio diſponentes diuinis obſequiis mancipare, impenſas non modicas parauerunt ad eadem ſacram, & domorum fabricam, ad inſtar præfati Ordinis erigendum, & poſſeſſiones amplas offerunt ad ſuſtentandos fratres congregatos in loco, quem elegerit Dominus per Sedem Apoſtolicam ad hoc opus.

6. *Denique fratres quidam ſitientibus ferre aquas, & cum panibus occurrere fugientibus feruenti animo ſatagentes, quæſitum diutius locum aptum, & tandem monſtratum à Domino, inuenerunt: Eccleſiam videlicet regularem Sancti Pantaleonis de Monte Eremitico, Lucanenſis diœceſis, quæ commoda, ſitu loci, aquarum influentia, vicinitate nemorum, & à ſtrepitu circumhabitantium ſeparata, latè ſinum expandens, placidè ſe coaptat, vt cernitur, ad ordinis huius amplexum: & ad ſuum incolatum ipſa videtur quodammodo inuitare: præſertim, cum collapſa in ſpiritualibus, prout docet inquiſitio nuper facta, expediat in ordine, ac miniſtris, Domino famulantibus, renouari. Quare nobis à viris religioſis fuit cum multa inſtantia ſupplicatum, vt ad tam Sancti deſiderij complementum, eidem ordini locum ipſum concedere dignaremur.*

Nos ergo, qui ſectari ſaluatoris veſtigia cupimus, & non ſolum optamus ſalutem fidelium, ſed 7. *inſtanter quærimus, & ſolicitè intendimus procurare; tam piis votis, & fidelibus auſpiciis, libenter annuimus, Eccleſiam ipſam cum omnibus ſuis bonis, iuribus, & poſſeſſionibus, Ciſtercienſi Ordini, ad conſtituendum ibi Monaſterium concedentes. Verùm, ne, per hoc alienari penitus aliorum iura credantur, compenſationem congruam, Lucanenſi Præſuli, & Eccleſiæ, ſuo tempore faciendam, ſi aliquando forſan ciues Lucanenſes meruerint reſtitui ad priſtinæ dignitatis honorem, noſtræ prudentiæ reſeruamus.*

Hinc eſt, quod tuæ deuotioni mandamus quate- 8. *nus perſonaliter ad Eccleſiam præfatam accedens, & pro Ciſtercienſi ordine, omnium bonorum ipſius, tam mobilium, quàm immobilium, authoritate noſtra poſſeſſionem ingrediens, diſponas de ipſa, prout exigunt tui ordinis inſtituta. Priorem autem, clericos, & conuerſos ipſius Eccleſiæ, moneas diligenter, vt pro animarum ſuarum ſalute, Ordinem Ciſtercienſem aſſumant: Alioquin eos in aliis Monaſteriis ſui Ordinis collocare procures, contradictores, & rebelles per cenſuras Apoſtolicas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Dictis verò nobilibus, propriis nominibus exprimendis, in dicta Eccleſia Domino ſeruituris, habitum ordinis tui tradas; dum tamen vxores illorum, qui iuncti ſunt matrimonio, liberam & ſpontaneam licentiam illis tribuant, & prius habitu religionis aſſumpto, aliquod clauſtrum intrent, vouentes, & publicè promittentes, ſub regulari obſeruantia ſe perpetuò manſuras. Nos enim fratri Philippo de Ordine Fratrum Minorum, Viſitatori Monaſterium pauperum incluſarum, dedimus noſtris litteris, in mandatis, vt ipſas, nec non matres, & ſorores, & filias ipſorum, ſi voluerint, debeant in Monaſteriis earumdem incluſarum, quæ minori grauata ſunt numero, collocare, Datum Agnaniæ 11. Kalendas Februarij, anno ſexto.* Hæc huius anni initia non iniucunda; ad quem etiam relata in Chronologia Sancti Pantaleonis initia ſub Ciſtercio; & filiationem Abbatiæ Sancti Galgani referri in chronologia, infra videbimus.

Non ſatis conſtat, an aliqui ex canonicis ſuſceperint Ciſtercium, in propria domo cum noſtris permanſuri. Illud compertum, eos, qui detrectarunt, adeò criminoſos, & fœdos fuiſſe inuentos, vt vix inueniretur locus aliquis, in quo ſuſciperentur; maximè cum Abbas Sancti Galgani, eorum animis emolliendis, promiſiſſet, non ad alia cœnobia, quàm diœceſis Lucanenſis mittendos fore. Quare idem Gregorius anno ſequenti, vt negotium perficeret, has ad Archiepiſcopum Piſanum litteras dedit [d]. 9.

[d] *Epiſt.* 220.

Archiepiſcopo Piſano. Meminimus, nos olim, ad petitionem quorundam nobilium ciuitatis Lucanenſis; qui diuinitus inſpirati mundanis vanitatibus derelictis cupiebant, & cupiunt in habitu Ciſtercienſis Ordinis Domino militare; Eccleſiam Sancti Pantaleonis de Monte Eremitico, Ordinis Beati Auguſtini, Lucanenſis diœceſis, collapſam in ſpiritualibus, & temporalibus, prout nobis de ipſa facta inquiſitio reuelauit; cum omnibus

ſuis

cienſe Capitulum adire, atque Abbatibus, ex cunctis mundi partibus, congregatis ibidem, magni illius Conclauis ſepta ingredi permitteretur: nempe vt ſimul cum his, per quos euicerat, acceptæ à Deo Victoriæ gratias ageret, atque de tanto totius Eccleſiæ bono, cum his, quos operis habuiſſet promotores, iocundaretur Extat, legiturque indulta gratia in Regeſtis Gregorij, litteris ad eamdem Reginam datis
1 Epiſt. 3. 9. ſub hoc tenore [1].

Blanchæ Illuſtri Reginæ Franciæ.

Vota, quæ pietatem reſpiciunt, & ad ſalutem pertinent animarum, quadam manu ſolicitudinis iuuare tenemur, & pro poſſe noſtro diligenti ſtudio efficaciter promouere. Eapropter, chariſſima in Chriſto filia, tuis honeſtis ſupplicationibus inclinati, quam libenter fideli, deuotoque in propoſito confouemus, intrandi cum decem honeſtis mulieribus, ſemel in vita tua, tempore Capituli Generalis, Ciſtercienſe Monaſterium, & videndi Conuentum, & alios congregatos ibidem, quod deuotionis cauſa te non modicum aſſeris affectare; liberam tibi authoritate præſentium concedimus facultatem. Nulli ergo noſtræ conceſſionis, &c. Si quis autem, &c. Datum Laterani, ſeptimo Kalend. Aprilis, anno VII. Ita Gregorius ad Reginam Blancham; quam hoc indultum, ex hoc præcipuè fine, impetraſſe à Pontifice ex occurentia temporis, circumſtantiarumque, coniector, non affirmo.

---

1. *Sancto Ludouico temporalia inuadente Rothomagenſis Præſulis, quod à quadam violentia non ceſſaret,* 2. *triplices Gregorius Papa Legatos mittit.* 3. *Litteræ ipſius ad Tornacenſem, & Pontignacenſem Præſules:* 4. *in quibus ſeriem totius facti narrat,* 5. *& eos ad Regem mittit,* 6. *reſtitutionem quibus modis poſſent, procuraturos.* 7. *Tum aliæ ſimiles Abbati Sabigniaci, atque Priori Prædicatorum Pariſienſium.* 9. *Diſceptatum vtrimque de facto Regis;* 10. *& tandem ipſe obediens iuſſis Pontificis.*

CAPVT TERTIVM.

1. INGENS hoc anno gloria noſtris accreuit apud Deum, apud homines, moderante ſui animi paſſiones, quæ in Regibus præcipites, Sancto Francorum Rege Ludouico, ad eorum prudentem, conſtantemque, ex iniuncto Gregorij, commonitionem. Antiqua nimium inter Galliæ, & Angliæ Reges diſſidia, & ſimultates, à Patribus ad Filios, atque à Capitibus ad membra deſcendebant: æmulantibus ſubditis, vt ſolent, non actibus dumtaxat ſuorum Principum, ſed affectibus etiam conformari. Porrò Northmani; quo Galli proximiores, nullo interiecto mari, terrave; eò magis patebant mutuis odiis. Ergo Rothomagenſis Archiepiſcopus, aſſentatione in Anglum, proprium Dominum, ſiue zelo iuſtitiæ (neque enim ſatis conſtat, qua occaſione?) nobiles quoſdam Gallos, ſibi ſubditos, interdixerat ſacris, & per Eccleſias interdictos denunciauerat. Graue id viris, maximè innocuis, vt ipſi exiſtimabant: & cum in odium Ludouici Regis (ſic enim dictitabant) lacesſerentur, defendi ab ipſo; imò quocumque titulo vim paſſi, velut à potentiori, ni iura Principatus laxare vellet, ipſius protectionem interpellarunt. Rex Archiepiſcopum, primùm ad ſe vocatum, & blande monitum, vt viros illos piorum cætui redderet, per preces Principum, Epiſcoporumque, per prudentum conſilia, & quantum ſalua maieſtate licuit, per ſe ipſum inſtanter ſolicitauerat: mox cum ad omnia durum experiretur, ad temporalia verſus, in quibus ſibi multum iuris eſſe (nam in ipſius ditione continebantur) qui conſulerent, neque tunc defuere, neque vnquam deerunt, (quandiu libido Regibus, & conſultis ambitio dominabitur) mulctauit rebellem; neque appellantem Gregorium Summum Pontificem, ac ſe, & ſua ſub ipſius protectione ponentem, quamuis ſpoliaret, audire voluit.

2. Hinc Gregorij Pontificis conflictus, qui neque Regi, iuſtitiæque aliquatenus, ſi pro ipſa ſtaret, nec libertati Eccleſiæ deeſſe vellet, quam per has protectiones labefactari; & nonnunquam euerti, ſub ſpecioſo prætextu iuris naturæ, non poterat in dubium reuocare. Ergo per litteras, graueſque legatos cum ipſo agere viſum; electique ad hoc munus duo Epiſcopi, ex Primoribus Galliæ, Pariſienſis Guillelmus, & Adam, ſeu Robertus, Syluanectenſis, (grauis vterque, & doctus, & quorum primum rigidum, & multorum librorum ſcriptorem tabulæ vocant [a].) Verùm cum Galli in cauſa Regis Galliæ, quantumuis graues, prudenteſque, & conſtantes; ſuſpecti eſſent (adeò Principis proprij reuerentia, ne dicam aſſentatio, viros etiam inſignes ſolet retrahere) cenſuit ſibi ad Ciſtercium recurrendum. Quippe illic animos, & liberos à metu, & ab omni ſpe humana magis immunes, quam alibi expertus eoſdem, & promptiores ad obſequia, & efficaciores ad conſilia, & ad omnia emergentia conſtantiores, præſtolabatur. Pontigniacenſis, & Sabigniacenſis Abbates inter plures inuenti, pietate, & doctrina venerabiles, opinione inſignes, atque zelo iuſtitiæ, & Eccleſiæ adeò feruentes, vt nulla maieſtate deterreri, nullis prorſus blanditiis, vt vel modicum ſaltem declinarent, allici poſſent. Non tamen ſimul, ſed diuiſi legati ſunt, atque vtrique collega alius adiunctus: Pontigniacenſi Tornacenſis, ex Belgio Præſul; Sabigniacenſi, Religioſus, & pius Vir, Prior Prædicatorum Pariſienſium, quem æquè liberum ab omni ſpe, & metu, nec minus prudentem, doctumque tanto negotio parem exiſtimauit. Porrò ad priores, quibus maior authoritas, atque vtrumque exercendum gladium committebatur, has ſimul cum mandatis, prout in Regeſtis habentur, litteras dedit [b].

a *Apud Ioan. Chenu.*

Epiſcopo Tornacenſi, & Abbati Pontigniacenſi, Ciſtercienſis Ordinis, Altiſiodorenſis diœceſis.

3. *Dignum in terræ Principibus arbitramur, vt quia bonorum multitudinem perceperunt ab omnium Conditore, ſacris ſtudeant vacare virtutibus, & pietatis operibus abundare. Aliàs autem minoribus, cum ſentiant ſibi licitum, quod vident à ſuperioribus*

b *Epiſt.* 181.

ribus non vitatum, materia prauis actibus inhærendi, cultu postposito bonitatis, multa multoties non immeritò præberetur. Sanè charissimus in Christo filius noster, Rex Francorum illustris, quanta sit authore Domino, sublimitate conspicuus, & potentia gloriosus, & proximis cognitum, & remotis etiam est apertum. Debitum igitur sibi iusto iure credimus, vt sit ita continuo probitatis insignibus redimitus, quod nihil motu proprio, vel prauis suggestionibus amicorum, sicut pridem efficiat, per quod impietatis exemplar aliquibus derelinquat.

4. *Ipse quidem, cum Venerabilis Frater noster, Episcopus Rothomagensis, vt eiusdem nobis lamentum exposuit, & querela, in spiritualibus, & temporalibus nullum post Dominum prater nos, iudicem habeat, de antiqua Rothomagensis Ecclesiæ libertate, ac ipsius consuetudine hactenus obseruata, quorumdam impulsibus concitatus, progenitorum suorum tramite declinato, qui tanquam deuotionis, & rectitudinis amatores, Ecclesias, & viros Ecclesiasticos, fauoris assidui sunt spirituali munere prosequuti cum ad suam præsentiam euocatum, ad hoc inducere videbatur, vt super eo, quod in quosdam excommunicationis sententiam promulgaret, de quibusdam alijs articulis sub eius examine responderet. Sed quia idem Archiepiscopus non solum iuri suo periculum, verum etiam subuersionem metuens Ecclesiasticæ libertatis, id efficere denegauit, se ac bona ipsius Ecclesiæ protectioni Sedis Apostolicæ supponendo; præfatus Rex contra illum ex hoc grauis commotionis stimulis agitatus, ipsum domibus, villis, terris, redditibus, & possessionibus, ad Ecclesiam suam spectantibus, rationis abdicato consilio, spoliauit; illa, non absque superni Regis offensa, & sui nominis detrimento, per ministros suos faciens detineri.*

5. *Verùm, cùm ad eumdem Regem amorem adeò præcipuum habeamus, quod vellemus ipsum cunctis præeminere Principibus, tam virtutum affluentia, quam rerum etiam vbertate; timentes huiusmodi excessum iniuriæ, vltionum Domino displicere; serenitatem Regiam Apostolicis litteris excitamus, vt vota nostra circa reuerentiam matris Ecclesiæ deuotione prosequens filiali, preces, & monita, quæ sibi pro dicto Archiepiscopo secura fiducia replicamus, sic promptitudine compleat efficaci, vt absque morâ dispendio sibi, & Ecclesiæ suæ bona sublata restituat vniuersa; præsertim cum ex animo, cupientes suis conseruandis iuribus non deesse, parati simus, si aduersus eumdem Archiepiscopum se ius aliquod habere confidit, exhibere sibi iustitiæ complementum. Volentes nihilominus ad exauditionis condignæ gratiam sublimitati suæ fieri debitores, si sublata materia scandalorum, quæ possent accidere, de oppressa Rothomagensis Ecclesiæ libertate, suam clementiam audiamus propere, quæ pro munere speciali deposcimus.*

6. *Quo circa discretioni vestræ, de qua multum in Domino confidimus, per Apostolicam Sedem in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus memoratum Regem personaliter adeuntes, ad complendum super restitutione predicta, nostram, vel diuinam potius voluntatem, sicut efficacius poteritis, inducatis: super huiusmodi negotio, iuxta tenorem litterarum, venerabilibus fratribus nostris Parisiensi, & Syluanectensi, Episcopis, & dilecto filio magistro Ioanni de Monte-mirabili; Archidiacono Parisiensi, pro eodem Archiepiscopo directarum; si fortè illi mandatum Apostolicum infra præfixum sibi terminum exequi neglexerint, omni occasione postposita processuri. Datum Agnaniæ X. Kalendas Nouembris, anno VII.* Hæc Summus Pontifex ad Tornacensem Præsulem, & Petrum, huius nominis secundum, Pontigniacensem; persuasuros, si possent, Ludouicum, per obsequia, per preces, per rationes, vel si non possent, per censuras coercituros. Cæterum, vt id ipsum, quod petebatur, multiplices suasores persuaderint; & ne quod medium, emolliendi animum Regium omitterent Gregorius, duobus aliis Religiosis, & doctis viris, Abbati Sabigniaci, & Priori Prædicatorum Parisiensium, has alias, eodem die scriptas, litteras dedit [c].

[c] Epist. 282.

7. *Abbati Sabigniacensi, Cistercienſis Ordinis, Abricensis diœcesis, & Priori Fratrum Prædicatorum Parisiensium.*

Regum claræ memoriæ, qui, diebus nostris, Aulam Regni Franciæ fœlici regimine gubernarunt, tanta, vt læti recolimus, extitit prudentia probitatis, quod ipsi mundo celebres sunt effecti, & æternis gaudijs, vt de pietate diuina confidimus, deputati. Studuit quidem ipsorum excellentia gratiosa notam in populo suam virtutem efficere, multis curando laboribus gloriam diuini nominis ampliare; fuerunt iidem calatores iustitiæ feruidi, & cultores misericordiæ non remissi. Extitit insuper adeò ipsorum dextra liberalis, quod nedum Ecclesiæ Regni Franciæ, sed in longinquis constitutæ partibus, sunt eorum beneficijs ampliatæ. Quo circa eisdem Regibus non solum sibi regnantibus, sed Regnorum omnium conditori adeò floruit Ecclesiastica libertas, quod prælatorum aliquis raro sub illorum regimine suspirauit. Si de prædictis Regibus tanta virtutum processit congeries, & vbertas, quid est nobis de charissimo in Christo filio nostro, Rege Francorum illustri, iugiter apperendum; nisi quod progenitores suos sequatur operibus, & effigiet in virtute? Porrò pati contrarium, absque amaritudine nimia, non possemus, præsertim cum leniter sustineri nequeat, si vnde fructus percipiendi sperabantur; neque flores contingat obtinere.

8. *Rogamus itaque prudentiam vestram, & hortamur in Domino Iesu Christo, per Apostolicam vobis Sedem præcipiendo mandantes, quatenus eumdem Regem, quem tantò præ Regibus cupimus existere gratiosum, quanto præ multis alijs est ipse nobis placitus, & dilectus, ad hoc prudenter, & solicitè inducatis, quod Sanctam Romanam Ecclesiam, matrem suam, quæ parata est ipsum continuo fauore prosequi, dum meritò benemeritus, vel mereri solicitus studeat comprobari, circa fauorem Ecclesiasticæ libertatis continua reuerentia prosequatur, & in præsenti lætificet depressam Rothomagensem Ecclesiam, in statum pristinum erigendo, ita quod gemitus, & suspiria Venerabilis Fratris nostri, Archiepiscopi Rothomagensis, contra ipsum vlterius, ad aures superni iudicis non ascendant, nec ad nos eiusdem querela pluries iteratur; quam cum salua conscientia pati à modo nequeamus, expedit Regi, eiusdem vtilitatibus insudare, vt qui nos, pro sui nominis incremento, debet facilius exaudire, vt quod in maioribus est expressum sibi Apostolicis litteris, nostrum beneplacitum, sublato cuiusque difficultatis, & tarditatis obstaculo, laudabiliter exequatur; præsertim cum, authore Christo,*

Christo, possimus ad condigna sibi præmia respondere; quæ vt ipsi temporibus proueniant opportunis, petimus, vt intercessionis vestræ studio vigilanti lætanter audire nos faciat, quod præfatus Archiepiscopus, restitutis sibi sublatis omnibus, in solito gaudio reflorescat; sicque fiat quod ex alto deuotioni vestræ gratiam, & fauorem à nobis exinde compareris. Memoriter habituri; quod si dictus Rex aduersus Archiepiscopum memoratum ius se aliquod habere confidit, de illo parati sumus exhibere sibi iustitiæ complementum. Datum Agnaniæ decimo Kalendas Nouembris, anno VII. Hactenus Gregorius.

Susceptis reuerenter vtriusque litteris, ab vtrisque legatis, accingunt operi; & primi quidem, loco propinquiores, Sabigniacenses, Parisiensisque, Abbas, & Prior; post ipsos, Tornacensis Episcopus, atque Abbas Pontigniacensis, conueniunt Regem; & se non pro Archiepiscopo rogare, sed pro Ecclesia; cui cederet gloriosum; resistere, indecorum semper Regibus fuit. Esto violentiam viris irrogauerit, quos à cœtu piorum innocuos arcuit; irreuerentem se in Regem præstiterit, cuius preces contempsit, si non mandata: luat, quas debet vtriusque criminis pœnas: sed imponat Ecclesia, quæ sola potest: nec Princeps sæcularis iudicem agat, vbi tantùm actorem agere debet. Id ab ipsius maioribus seruatum, in gloria cunctis: si quando ab aliquo forsan violatum est, in dedecore fuisse: neque tam armis imperium prolatasse, quod ipse hæreditauit, quam religione. Vincere Ludouicum facile fuit: aulici, qui contrarium persuadebant, atque iuris periti recalcitrabant. Concessam à Deo Regibus potentiam, ad suorum defensionem. Quos si vim pati videant, quid interest, an ab his, vel ab illis opprimantur? An si Ecclesiasticum inuadentem intueantur temporalia alicuius subditi bona, arcere à furto debeat, quod nullus neget: si spiritualia, omnino prætermittat? An leuiores iniurias sublaturus, solas grauiores permittere teneatur? Occurrat potius, & liberet insontes, atque indemnes conseruet quacumque possit. Se non in pœnam abstulisse bona Rothomagensi Præsuli, quam infligendam Ecclesiæ soli reseruat, arcere tantum, qua sola via potest, mucronem anathematis, à iugulo innocentium, quem mucronem si retrahat Archiepiscopus, Regem non vltra in ipsum processurum. Absoluat, & ablata ita reciperet, & tunc demùm, cum integra sint omnia, omnia ad Ecclesiæ tribunal referantur, ipsius solius iudicio terminanda.

9.

Hæc & similia, qui Regi persuaserant inuasionem bonorum Archiepiscopi, pertinaces instabant; & Regiæ maiestatis esse, ab eo quod incepisset, non retrocedere: quippe, ne à subditis, sub spe retractationis, in contemptum venirent quæcunque faceret. Sed vicit cuncta efficacia legatorum, constantiaque, atque Regis docilitas, quæ vinci à Deo, ipsiusque Vicario, gloriosius reputauit, quam repugnare. Indignum esse aliorum obedientia, qui negat, quam debet: & multo magis debitam Ecclesiæ, à Regibus Christianis, quam ipsis à populis. Quippe hæc iure gentium introducta, id est iure humano; cum illa immediatè à Deo præscripta fuerit. Ægrè se ferre, si subditi disquirant, cur aliquid præcipiat: cur quæ iubet Ecclesia ipse discutiat? Stet, aut cadat Domino Archiepiscopus; firmetur à Gregorio; aut erigatur, si fortè cecidit: Se satis iam fecisse suo muneri, dum fecit, ne res ipsum latere posset. Quæ alia restant, ipse prosequatur, cui à Deo iniunctum; sibi obedire, nullatenus ad culpam; resistere, in damnationem cedere posse. Hic fructus vtriusque legatiæ, vtriusque Abbatis; hoc Sancti Regis exemplum, in media iuuentute (vtinam imitandum aliis, vel in senecta!) hic demùm exitus controuersiæ totius fuit.

10.

---

1. *Gregorio reformante religionis per diœcesanos, Præmonstratenses supplicant,* 2. *& sui Ordinis Visitatores obtinent: sed ab eorum mandatis resilientes,* 3. *visitatoribus nostri superadduntur.* 4. *Gregorij litteræ vniuersum factum narrantes,* 5. *committentes negotium,* 6. *& pœnam præscribentes his, qui deliquerant.* 7. *Quæ vtrique gesserint? & quid Gregorio scripserint?* 8. *eiusdem litteræ ad Abbatem Præmonstrati,* 9. *& restituta illi administratio.* 10. *Demum perpensa quædam de hoc euentu.*

CAPVT QVARTVM.

1. SANCTISSIMAM Familiam Præmonstratensem, ab ipsis suis primordiis, & Parente Northberto nostris addictam, inconsultum hoc anno paucorum factum multò magis deuinxit, adstrinxitque, addito nouo vinculo, orto ex iuncta illius, cum multa religione floreret, visitatione. Rem illa ætate Nostris per illustrem. neque ipsis ingloriam, quippe in quibus nihil aliud inuenerunt, quam pietatis exempla, qui visitarunt; altius repetito principio, ex ipsis Apostolicis decretis pandere libet. Exiit edictum à Gregorio IX. pro cœnobiis exemptis antiquioribus; vt ea omnia (Carthusianis exceptis, & Cistercien sibus) per locorum Episcopos, tanquam per Sedis Apostolicæ, ad id munus præstandum delegatos, visitarentur; missis ad singula quibusdam constitutionibus, per quas possent facilius reformari. Præmonstratenses vix centuriam vnam prætergressi ætatis, & adhuc consistentes in primo robore; non se reformationem recusare, si qua fortè indigerent; non manum medicam, etsi armatam ferro, & igne: externam tantùm, vt minus salutarem, & plerumque nociuam, deprehendebantur. Religiosorum morbos sæcularibus occultos, & incognitos; idque non solum esse, sed oportere; turbari, si quascumque in eis stipulas videant; facile in se, vel camelos deuoraturos. Quare, cum nec curari, si ignorentur; nec sciri ab eis possint sine scandalo, per solos religiosos, imo per solos domesticos tranctandos. Et quanto melius experti deprehendant; quanto melius discernant morborum genera, quam rudes, & ignari? Tum semel cognita ipsorum qualitate,

quantò

quanto singulis melius medebuntur? Visitentur, si placet Christi Vicario, aut si expedire putat: sed visitentur per eos, qui scire possint, in quo denegauerint, & ad quam debeant normam reformari.

2. Placuit Gregorio petitio prudens, & humilis; atque tribus Abbatibus sui ordinis, Antuerpiensi nimirum, Milldeborgensi, & Sancti Alexij de Vrbe, ad se vocatis, primum quidem constitutiones illas, quas sanciuisset, tradidit publicandas; mox visitandi in Capitibus, & membris, vniuersas Ecclesias, quæ Abbati Præmonstrati subiectæ erant, & potestatem fecit, & mandatum iniunxit, quod illi promptè, & deuotè exequerentur. Illi obedientes præceptis Summi Pontificis, ad Præmonstratum veniunt, vt à capite ad membra, naturæ ordine, descenderet influxus; & illîc publicatis constitutionibus, facilior aditus pateret ad alia loca. Honorificè quidem suscepti sunt: sed quominus in iuncto sibi munere procedere valerent, impediti statim, per interpositam ad Gregorium appellationem. Porrò eò discordiæ ventum est, vt cum non ideò cessarent delegati, ab exequendis mandatis Summi Pontificis, qui tunc præerat Abbas Præmonstrato, suasionibus quorundam in præceps actus, velut in contumaces, rebellesque, anathema in ipsos promulgauerit. Hinc indignatio iusta Gregorij Papæ, quod in eius legatos ausus esset; quod pietate Romanæ sedis abusus, quos ipse petiisset, dehonestasset: & eo solum petiisse visus esset, vt quos habebat subditos, per censuras terreret; & incusso terrore piis hominibus, mandata Pontificia ludificaret. Et luisset haud dubiè graues pœnas intentatæ audaciæ, si non quàm primùm velut sibi redditus, adiisset Gregorium, præferens pœnitentiam, & pro misericordia supplicaturus.

3. Hic status rerum erat in Præmonstrato, cum Summus Pastor, quem iam iam exercebat, recondens gladium, sed nihilominus non omnino inultam iniuriam Apostolicæ Sedis prætermissurus, Sancti Alexij Abbatem, occupatum in aliis negotiis, aut cognoscens, aut faciens, quæ erat eius prudentia, & mansuetudo, duos pro illo Abbates Cistercij subrogat, Fulcardimontis, atque Frigidi-montis, qui duobus aliis ex Præmonstrato, quibus rem ipse prius delegauisset, sibi adiunctis, & pœnitentibus satisfactionem publicam præscriptam à Pontifice imponerent, & priores litteras, quæ hactenus suspensæ nihil effecerant, iuxta earumdem tenorem exequerentur. Porrò ad vtrosque super hoc negotio, has graues quidem, neque minus iustitiæ, atque rigoris, quam lenitatis, misericordiæque fel, & mel eructantes litteras dedit [a].

a *Epist.* 4.

4. *Antuerpiensi, & Milldeborg Præmonstratensis Ordinis, & Fulcardi-montis, & Frigidi-montis Cistercien sis Ordinis Abbatibus, Rothomagensis, Belluacensis, Cameracensis, & Traiectensis diœcesium.*

Grauis est admodum, & correctione dignissima religiosorum insolentia, per quam contra regularem modestiam subire præsumunt; quod ex longa religione tenentur potius se obedientes, & humiles exhibere, quorum quidem excessus eò maiori subiacet vltioni, quæ enormior, & exemplo periculosior est eorum offensa, si elationis spiritu concitati ad eam stultitiam deueniant, vt etiam contra Romanam Ecclesiam non metuant calcitrare.

Olim siquidem, licet mandatum nostrum pro reformatione facienda per singulas diœceses, ad diœcesanos Episcopos manasset; ad supplicationem tamen Præmonstratensis Abbatis, & aliorum de ordine suo humiliter supplicantium, vt non per extraneos, sed per eiusdem Ordinis Rectores visitari faceremus eosdem, statuta quædam fecimus, pro reformando Ordine memorato; & non sine multa gratia deferentes eisdem, per vos, filij, Antuerpiensis, & de Milldeborg Abbates, & dilectum filium Abbatem Sancti Alexij de Vrbe, mandauimus publicationem statutorum ipsorum, & correctionem, & reformationem eiusdem Ordinis fieri in Capite, & in membris, prout correctionis, & reformationis officio indigerent. Qui venientes ad locum; & statuta eadem publicantes, procedere omisistis, propter appellationem obiectam: & quoniam Abbas Præmonstratensis, ad quorundam Abbatum suorum consilium, de facto, cum de iure nequierit in iniuriam Sedis Apostolicæ, ac contemptum, excommunicationis sententiam in vos non fuit veritus promulgare. Nuper verò idem cum quibusdam Abbatibus sui Ordinis, ad præsentiam nostram accedens, & culpam suam humiliter recognoscens, super præmissis misericordiam humiliter postulauit; promittens firmiter pro se, ac omnibus de Ordine suo statuta prædicta se inviolabiliter seruaturos. 5.

Licet igitur tantæ præsumptionis excessum possemus acrius vindicare, cum idem Abbas talia contra Sedem Apostolicam, in personas delegatorum suorum præsumens, posuerit in Cœlum os suum, & lingua eius trânsierit super terram: nos tamen simplicitati veniam tribuentes, & agentes mitius cum sponte conuersis, vos, Filij, Fulcardimontis, & Frigidi-montis Abbates, subrogantes loco prædicti Abbatis Sancti Alexij, cuius absentiam tamdiu Ecclesia tolerare non potest, mandamus, quatenus non obstante appellatione prædicta, tam in Præmonstratensi, quàm in aliis Ecclesiis eiusdem Ordinis, & tam in Capitibus, quàm in membris mandatum Apostolicum exequentes, Præmonstratensem, & alios prædictos Abbates, qui sibi in huiusmodi consensum, & consilium tribuerunt, per sex mensium, quatuor verò maiores ex eis per anni spatium, à sacerdotali Ordine sine vllo contradictionis, & appellationis obstaculo suspendatis; ita quod suspensi vltimum locum teneant in refectorio, Capitulo, & in choro; ac omni sexta feria à vino debeant abstinere; curetisque quod dignam Deo, & nobis inde possitis reddere rationem, rescribentes nobis vsque ad festum B. Andreæ, proximè futurum, quidquid inde duxeritis faciendum: Quod si non omnes tres vestrum, &c. Datum Laterani 11. *Kalendas Aprilis, anno septimo.* Hactenus ad quatuor Abbates Gregorius Nonus. 6.

Porrò eos omnes Præmonstrati conuenientes congregasse Capitulum; & primo quidem sententias suspensionis in eos, qui deliquissent intimasse, mox promulgasse leges Apostolicas, quas Gregorius sanxisset; vtrasque demùm ab omnibus admissas, prout quemque concernebant, inconcusse adimplendas, & obseruandas, promulgari feciisse per totum ordinem; constat ex aliis eiusdem Gregorij litteris ad Abbatem Præmonstrati, quas mox adducam: atque hoc 7.

vtrumque

vtrumque & grauiter patratum, & humiliter admissum; cum scripsissent Pontifici, indignationem illius mitigauisse. Inde per nouem menses, plus minusve (nam vnum alium Capitulũ insumpsit) visitasse cœnobia, si quæ indigere dicebantur visitatione. Sed cum nihil ferè in illis inueniissent (adeo plerumque, à rumore, veritas distat!) quod ab antiqua patrum obseruantia, & primitiuo rigore degenerasset, post longam, & exactam disquisitionem; litteris iteratis intimasse Gregorio; taleque testimonium perhibuisse de familia Sanctissima, vt facilè annuam suspensorum pœnitentiam ad paucos tantum menses; visitationem, ad pauca Monasteria reducenda, reliquis prætermissis, impetrauerint. Tum vero tandem Præmonstrati Abbas, qui hactenus suspensus, aut impeditus, & deferens Abbatibus, omnia quæcumque occurrerant negotia, ad ipsorum arbitrium, atque depositionem reuocauisset, Romanam curiam, cum eorum litteris adit, & administrationem sibi restitui, à Gregorio petiuit, obtinuitque; ac litteras accepit, quibus non solum reddebatur antiquo muneri, sed Apostolica fulciebatur auctoritate, qua idem munus solemnius, atque vbi id oporteret, incunctantius exequeretur. Eas & si anno sequenti datæ sint, pro maiori notitia totius facti, & ne rem ipsam diuidam, hîc consequenter censui subiiciendas, sunt autem tales [b].

b Epist. 491. 8.

Abbati Præmonstratensi.

Sicut in nostra proposuisti præsentia constitutus, cum olim pro reformatione tui Ordinis, statuta quædam de Fratrum nostrorum consilio fecissemus, dilectis filiis Sancti Alexij de Vrbe Sancti Michaëlis de Antuerpia, & Mildelborg, Abbatibus eiusdem Ordinis, litteris nostris iniunximus, vt ad Generale Præmonstratense Capitulum accedentes, statutis ipsis ibidem solemniter publicatis, & seruarent, & ab aliis facerent inuiolabiliter obseruari. Corrigendo, & reformando tam in Capite, quam in membris, quæ correctionis, & reformationis officio noscerent indigere; sed tandem, quia prædicti Abbates præter quandam appellationem, ad Sedem Apostolicam interiectam, vltra publicationem statutorum ipsorum minimè processerunt, & idem Abbas Sancti Alexij ab Ecclesia sua vlterius obesse non poterat; dilectos filios Fulcardi-montis, & Frigidi-montis Abbates, Cistercienses Ordinis loco eius subrogantes; ipsis eisdem, & præfatis Sancti Michaëlis de Milldelborg, Abbatibus, nostras dedimus litteras in mandatis, vt appellatione huiusmodi non obstante, mandatum Apostolicum exequi procurarent iuxta priorem continentiam litterarum: quicquid inde facerent, nobis, vsque ad Festum Beati Andreæ, proximè præteritum, fideliter rescripturi.

Qui super præmissis cum diligenter processerint, prout in ipsorum litteris nobis exhibitis, plenius continetur, nobis humiliter supplicasti, vt cum dicti Abbates iam sint officio suo functi, ac penes te, tanquam caput tui Ordinis, in præmissis, & aliis, quæ ad correctionem, & reformationem dicti Ordinis pertinent, videatur remansisse potestas, prouidere super hoc, tam tibi, quam toti Ordini salubriter dignaremur, licet igitur ad correctionem membrorum tuorum ex officio tuo possis; vt tamen melius & efficacius correctioni eorum valeas imminere, quia plus timeri solet, quod specialiter indulgetur, quam quod generali includitur sponsione; præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus iam dicta statuta omnino facias obseruari circa correctionem subditorum tuorum auctoritate nostra, quam tua libertate, officij tui debitum exequaris, non obstantibus litteris, quæ ad eosdem Abbates, à Sede Apostolica dimanarunt. Datis Laterani VII. Kalendas Februarij, anno septimo. 9.

Hactenus litteræ, atque ex illis processus totius facti, nostris glorioſi; quibus tantæ familiæ reformatio, cum maximè floreret, permittebatur: cæterum Præmonstrato non indecori; quippe vltra primam illam irreuerentiam in primos delegatos, ex qua orta necessitas aliorum; reliqua adeò perfecta (sic credere par est) inuenta sunt, vt nostri magis testes Sanctitatis, quam iudices excessuum; nec correcturi, sed commendaturi viros adierint, qui fortè tunc, malitia detrahentium, aut inuidorum, aliqua indigebant commendatione. Crediderim permissam à Deo culpam, quæ nostros ascisceret; vt quibus domesticis suspectum (quæ hominum plerumque conditio est) ab exteris omnino irrefragabile, & omni exceptione maius testimonium, atque cunctis credendum perhiberetur. Neque tamen per sæculares, quos recusauerant, sed per religiosos, planè amicos, & sibi familiares, visitarentur. 10.

---

1. *Hermani, aliàs Ioſephi, Præmonſtratenſis, cum noſtris familiaritas,* 2. *aduentus ad Houenes, diuino monitu,* 3. *Sancta dormitio,* 4. *& fœlix ſepultura.* 5 *Tranſlatio corporis, & in ipſa miracula plura.* 6. *Emmengardis, Scotiæ Regina, in Aber Morechnoto,* 7. *& Ferdinandus, Flandriæ, & Hannoniæ Comes, in Marcheta ſepulti.* 8. *Dictum de ipſo, & Ioanna, ipſius vidua, Ciſtercienſi futura;* 9. *& de Galteri, Carnotenſis Præſulis, ac Petri Egeæ, Alcobacienſis Abbatis, funere.*

CAPVT QVINTVM.

1. Hic item annus; inter alia, noſtris, funeribus externis clarus, ſacris, profanis, mixtis ex vtroque; & ne à domeſticis omnino vacuus fuit. Inſignem Sanctitate Virum, Beatum Hermannum, aliàs Ioſephum, Canonicum Regularem Præmonſtratenſem, ad ſuperos in breui tranſiturum, ab Heiſtembeldia, proprio Monaſterio, ad Houenes, Ciſtercienſium Virginum domum, iuxta Coloniam, prouida largitate Deus adduxit, vt quas in vita, exemplis, & conſiliis; illuſtraret in morte etiam miraculis, & pretioſo theſauro ſacræ glebæ, & ſi non diu ibidem permanſuro. Sanè, ſi fides habenda verbis Sancti, quod ibidem migraret, diuinæ voluntatis conſilium fuit. Verùm quæ in eius glorioſa dormitione, tum ſepultura, tranſlationeque hos Annales concernunt, non aliis melius, quam Actorum ipſius verbis, more ſolito, à nobis memorabuntur.

2. *Venio nunc*, ait Auctor [a], *ad tempus illud, quod votis omnibus toties optauerat adesse, quo illum Dominus ad se euocare voluit. Illo igitur tempore propinquante, tota Quadragesima nihil ferè comedit præter panem simplicem, & calefactam ceruisiam, paucaque pira assa, cum tamen esset vel maximè debilis, & à nobis id mirantibus reprehenderetur. At interim nihilominus, contemplationi, lectioni, scriptioni animo indefesso vacabat. Porrò tertia Quadragesimæ Dominica, Domino illum oculis misericordiæ suæ respiciente, vt euelleret de laqueo pedes vnici, & pauperis sui, venit ad Abbatem nostrum nuncius Monasterij Virginum Cistercienſis Ordinis, apud quas quandoque vixerat Ioseph, petentibus vt permitteretur per Quadragesimam apud ipsas diuina celebrare. Abbate vero, & Fratribus id renuentibus, quod viderentur Ordinis statuta non permittere; ille spiritu futura præuidens, venit ad Abbatem, aitque illi, Dei esse voluntatem, vt ad illas Virgines mitteretur. Assensit igitur Abbas, Fratribus eius de recessu conquerentibus, nec mediocriter doleutibus. Quibus Ioseph ait: Noueritis, me post Pascha sine dubio reuersurum ad vos.*

[a] *Apud Sur. tom. 2. c. 55.*

3. *Deinde pedibus suis iter ingrediens, celeriter venit ad illud Monasterium; & cum in eius interiora esset ingressus, scipione, quo se sustentabat, terram consignauit, sepulchri formam exprimens, dixitque sororibus, quæ illic aderant. Hoc loco sepelietis me. Inde Palmarum die tam fuit robustis viribus præter morem suum, vt totam officium indefessus perageret; tantaque repleretur consolatione, vt ad agendas Deo gratias etiam sorores hilariter inuitaret. Tertio post die, correptus febri, lectulo decubuit, in dieſque acrius cruciari cœpit. Passus autem stuporem mentis siue ecstasim, cum ad se rediisset, se nihil, ait, proficere, Iesum se ad suas preces inexorabilem præbere. Quicquid id sibi voluerit, nos hactenus latet. Hora vero obitus eius impendente, circumsedentibus valedicens, & in manus sui Iesu spiritum commendans, erecto corde, & vultu, migrauit ad Christum.* Hactenus Auctor vitæ Viri Sancti, quibus verbis, dum air, ipsum aliquando in eodem Monasterio vixisse, manifestum videtur, longioris temporis diuturnam mansionem, & velut permansuram significari. Quippe id non insuetum illis temporibus, idem Auctor ostendit paulò inferius [b]. *Habebat*, ait, *Ioseph iuuenem admodum sibi charum, professione Canonicum Regularem, in Monasterio Virginum Cistercienſis Ordinis Domino inseruientem, qui venienti Sancto ad illud Monasterium in diuinis ministrare solebat, &c.* Ergo qui Sanctus in Cistercio vixerat, & Cistercium dilexerat, in Cistercium, ante mortem reductus est, vt fœliciter in Cistercio consummaretur. Atque hæc de morte. Verùm de sepultura, audi, quod sequitur [c].

[b] *c. 54. mense Aprilis.*

[c] *vnde suprà.*

4. *Corpusculum eius loco illo, quem ipse designarat, humatum est, Superiore nostro præsente, & frustra rogante sorores, vt Fratris nostri corpus nobis dimitterent, quem nos ei viuentem accommodassemus.* Ergo vt elegerat, in Cistercio mortuus, nec minus in Cistercio sepultus est. Verum restabat ad implenda adhuc promissio, qua se ad suos post Pascha reuersurum, cum discederet, serio asseuerauerat. Ergo *cum id renuntiatum nobis fuit* (pergit Stehinbeldensis auctor in Actis) *post fusas lachrymas, cum ad nos reuersi essemus, statuimus repetere corpus eius, nullis neque laboribus, neque sumptibus parcentes. Adfuit autem nobis Deus noster, &, iubente Colonienſi Archiepiscopo, corpus eius è sepulchro eduximus Feria tertia Pentecostes, cum iam in illo iacuisset à quinta Feria Paschatis, loco palustri, & naturaliter humido. Adeò autem corpus illud incorruptum inuenimus, vt non solum nullus in eo appareret vermiculus, sed etiam ipsa cutis superficies illæsa cerneretur. Tanto igitur accepto thesauro, facti sicut consolati, cum rediremus ad nostra, magnum vidimus concursum hominum circum circa habitantium; qui cereos, & cruces ferentes manibus, laudabant Deum in Sancto suo, dicentes: Benedictus, qui venit in nomine Domini: moxque Dominus cœpit mirificare Sanctum suum edendis miraculis, & exaltando mirabiliter eum, qui suo iudicio se infra mortales omnes supra humanum modum abiecerat, omnique creaturæ subiecerat propter Deum.* Pergit Auctor narrare plura miracula, quæ ad sacri corporis præsentiam, siue contractum, tam in Houenis, quam in ipsa via, atque in nouo sepulchro perpetrabantur.

Permansit corpus in prioris sepulchri loco dies XLVIII. nempe à quarta Aprilis, vsque ad XXII. mensis sequentis: nec dubium præelectum à Sancto, dum adhuc viueret, nunquam ita desertum, vt non ab ipso veniret protegendum. Et potuit ipse; prudenti vsus consilio, meliusque inter suos, & sacras Virgines, quibus vtrisque viuens adhæsisset; ne alteros in morte pertransiret, vtrosque fouere, atque vltimum spiritum Cistercio inter Virgines sacras, simul cum Angelis, ab ipsis suscipiendum; quia semper Angelis cognata Virginitas; corpus suis permittere: vtrumque charitatis pignus excellens, sed quanto anima corpore superior, & longius duratura, tanto illud maius, & dulcius amplectendum. Sanè extremis mandatis excipiendis, claudendis oculis, atque hauriendo halitui. Vltimo proximiores, charioresque quæsiti: neque aliud patribus, filiisve in morte solatium: vt non immerito quæsitæ à Sancto Virgines ad hæc munera explenda, præcipuo priuilegio amoris ab eo, in ipsas ostensi condecorentur. 5.

Hoc ipso anno, quo in Germania Iosephus sacris cineribus, Regiis in Scotia, si qua fides auctoribus, illustrauit Cistercium Emmengardis VVillelmi, Scotorum Regis vxor, in Abermorechnotho sepulta, quod ab ipsa fundatum Monasterium, in superioribus, ni fallor, commemorauimus. De eius obitu simul & sepultura, ita Demsterus [d], siue Emstherus, in apparatu *Belmurein, vulgo Abermorechnot, in Fife, Ordinis Cistercienſis, fundauit Emmengarda Regina, Regis VVillelmi vxor; & Beatæ Mariæ semper Virgini dicauit, vt habet Boëtius in Scotiæ descriptione.* Et statim subiungit. *Obiit autem Regina tertio Idus Februarij, anno M. CC. XXXIII. sepulta in eodem cœnobio apud Scoti Chronicon lib. 9. c. 48.* Hæc tantum ille, nec nobis plura aliunde mutuari licuit. 6.

[d] *In Monasterium Scotic.*

Vtrique funeri tertium aliud iungo illustris Ferdinandi Flandriæ Comitis, Lusitanorum Regum claræ propaginis, Ioannæ Constantinopolitanæ, nostris tandem hæsuræ, dilecti coniugis, de quo hæc habet Meyerus in Annalibus [e]. *Anno M. CC. XXXIII. sexto Kalendas Augusti, Nonioni Ferdinandus Princeps, diem suum obiit, morbo (quod tradunt quidem) ex* 7.

[e] *lib. 8. hoc anno.*

ex labore calculi contracto : relatus est ad Marketam, ibique in Monasterio magnificè sepultus, curatum funus ab quaternis Episcopis, omnique Flandriæ, atque Hannoniæ dignitate. Ita Meyerus. Extracta, cum ad Marketam duceretur corpus, viscera, & Nouiomi recondita, tali, loco Epithaphij, appenso disticho, quod idem, qui supra, auctor euulgauit.

Ferdinadi proauos Hispania, Flandria corpus,
Cor cum visceribus continet iste locus.

8. Mansit Ioanna, Ferdinandi relicta, ab eius obitu, destinata Cistercio; & fortè illud statim induisset, ni mortua vnica filia, quam susceperat, de consilio Sancti Ludouici, Franciæ Regis, ad secundas transire nuptias inducta esset, ex quibus Principatui Flandrensi daret hæredem. Qualiter autem Thomæ iterum nupta (Fratri Sabaudiæ Comitis, & Reginarum Galliæ, Angliæ, ac Siciliæ auunculo) & nihilominus ipsi etiam superstes, tandem Monialem ante mortem Marchetæ egerit? Si quis hos Annales fortè continuauerit, suis temporibus, & locis recensebit. Interim adnoto, quod Bzouius superaddit [f], Ferdinandum non antea obiisse, quam mundo valediceret, atque Sanctioris vitæ studio in Monasterio quodam Syriæ se includeret; quia non inuenio in auctoribus probatis, neque ipse aliquem affert, tanquam suspectum, non facilè approbandum.

[f] Hic anno num. 11.

9. Sequitur funus extero-domesticum, si Episcopos ex Ordine assumptos exteros appellare, vnquam fas fuit; funus, inquam, Carnotensis Episcopi, VValteri, quem ex Abbate Monasterij Pontigniacensis assumptum anno M.CC.XVII. cum sexdecim laudabiliter præfuisset, hoc tandem mortuus, & Pruliaci sepultus memoratur. Hoc anno decessisse Tabulæ produnt, quas Democharres, atque ex ipso VVionius [g], & ex vtroque, & Sebastiano Rouillardo, Ioannes Chenu [h] vulgauit Sepulturam, VVillelmus de Nangia notat in eo quod scripsit Chronico, quamuis annum postponat biennio integro, sicut ad annum electionem retardauit. *Anno*, inquit [i], *M. CC. XXXV. obiit Galterus, Carnotensis Episcopus, & sepultus est apud Pruliacum, Monasterium Ordinis Cisterciensis.* Hæc ille. Galteri reliqua nobis minus nota, nec dies obitus in Martyrologio Pontigniacensi, cum aliorum diebus, adnotatur.

[g] lib. 1. ligni. vita c. 46.
[h] In Episcopis Carnot.
[i] Ann. 1235.

Vltimo loco venit memorandum Petri Egeæ funus, septimi in Ordine Abbatis Alcobacensis, quem hoc anno ad superos transiisse, nec sine opinione Sanctitatis probat inscriptio ad sepulchrum eius sculpta, quæ & obiter vitam, & tempus præfecturæ breuiter pãdit; sic autem habet [k]. 10.

[k] Apud Brand. lib. 14. cap. 8.

ANNO AB INCARNATIONE DOMINI M.CC.XXXIII. ÆRA M.CC.LXXI. DIE SANCTI SPIRITVS INCIPIENTE AVRA XI. KALENDAS IVNII, BONÆ MEMORIÆ DOMINVS EGEAS VII. ABBAS ALCOBATIÆ, FOELICITER MIGRAVIT AD DOMINVM, POSTQVAM SVPRADICTVM LOCVM XVIII. ANNIS, ET DVOBVS MENSIBVS SALVBRITER GVBERNAVIT VIXIT ANNIS XVIII. IN SÆCVLO XII. CÆTERIS IN ORDINE CISTERCIENSI. ANIMA EIVS REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

Ita inscriptio, in qua illa nota X. quadraginta significare, idque receptum inter Lusitanos, Brito, atque alij probant multis productis. Itaque XII. annos tantum in sæculo, in religione reliquos XXXVI. vixerat Petrus : XVIII. sub cura sui Abbatis, totidem curam ipse gerens suorum Fratrum. Extare dicitur instrumentum confectum sud hoc Abbate, cessionis iurium non contemnendorum, sub his, laude haud dubiè, & perpetua imitatione, clausulis dignis. *Eligentes quantum in nobis est pacem cum omnibus habere, & iniuriam potius pati, quam inferre.* Et paulò inferiùs : *Hæc omnia facientes, non quod remordeat nos conscientia, aut supradictis in aliquo teneamur : sed vt omnes cognoscant, qualiter, & quantum desideramus pacem, licet cum temporali damno habere.* Hactenus funera.

---

1. *Rodulphum, ex Abbate Claræ-Vallis, in Aginensem Episcopum promotum* 2. *excepit Drogo, quondam Grandi-montensis.* 3. *Abbas de Ile, aut Ilda, Frisonibus inteſtinis bellis diuisis,* 4. *cum aliis à Gregorio Legatus mittitur.* 5. *Ecclesia quædam à nostris repudiata glorioso titulo,* 6. *Congregationi Florensi tandem adiuncta.* 8 *Persequutio in nostros,* 9. *& duplices Gregorij,* 10. *pro eis litteræ in Suessionensem Episcopum,* 11. *atque aliæ in Rhemensem Archiepiscopum.*

CAPVT SEXTVM.

1. RODVLPHVS, Claræ-Vallis Abbas hoc ipso anno, quippe octauo ab ipsius electione, auulsus à filiis, in Episcopum Aginensem promotus est, nec in ea quidem sede permansurus, quamuis breui extinguendus; quippe, qui anno M.CC.XXXVI. ad superos transiisse commemoratur. Extãt in Clara-Valle memoriæ multæ præfecturæ Rodulphi, maximè in Inuentario Reliquiarum, quarum haud dubiè religiosus cultor fuit. In Tabula argentea, quæ inter alias secũdum locum obtinet, cõmemorantur tres Virginis Capilli, *quos misit Imperatrix, vxor Ottonis Imperatoris, filia Ducis Brabantiæ, tempore Domini Radulphi Abbatis Claræ-Vallis.* Et loco nono numera-

tur. *Tabula aurea, quæ facta fuit tempore Domini Radulphi, XV. Abbatis Claræ Vallis, ex vndecim Marchis auri, & duabus Marchis argenti; in qua sunt triginta quinque Saphyri, & quinq; Smaragdi, & plures alij minoris pretij lapides, &c.* Porrò in hac Tabula inclusæ memorantur, atque eximiè dispositæ, & ornatæ, *centum sexaginta duæ Reliquiæ.* Demum decimo loco numeratur. *Tabula, quæ facta fuit tempore Domini Radulphi Abbatis, in cuius medio insertum est philaterium aureum, quod attulit nonus Artandus, in quo continentur Reliquiæ triginta quatuor Sanctorum, sub viginti quatuor cellulis, & sub eodem philaterio continetur portio ligni Domini,*

quam attulit idem Artandus,& continentur in tota dicta Tabula, Reliquiæ centum quadraginta octo. Leguntur, & nonnulla priuilegia, Claræ-Valli sub Radulpho Abbate indulta, sed quæ vix speciale, quid contineant, sed tantum firment, aut confirment concessa hactenus.

2. Promotioni eius ad Ecclesiam Aginensem fidem faciunt Catalogi, tum Abbatum Ecclesiæ Claræ-Vallis [a], ex qua promotus;tum Archiepiscoporum Lugdunensium [b],ad quam inde assumptus,nam Aginensium nanciscimihi non licuit. Excipit virum in Clara-Valle Drogo, quondam Grandi-montensis,mox Cisterciensis Monachus, & qui in Abbatem Vrsi-campi dudum assumptus,eam tunc Ecclesiam cum laude administrabat. Adeò qui ex aliis ad nostros pertransibant, non leuitate,sed zelo Dei acti,ad potiora venisse, vel ex fructibusipsis comprobabantur. In his ex Grandi-monte quosdam habuimus Sanctitate insignes,doctrinaque;quos à prima auertebant vocatione domestica dissidia; & continuæ Cistercienſium legationes ad ipsos componendos, atque gentis notitia, ad Cistercium præ aliis prouocabant. Debuimus his malis,remediisque magnum Ecclesiæ lumen, Sanctum Guillelmum; debuimus & alios illustres viros, inter quos venit Drogo, posterior tempore,sed pietate præcellens,doctrinaque,& suauitate morum; atque ob hæc omnia inter primos numerandus.

a *Apud Claud. Robert.*
b *Apud Ioãnem Chenu.*

3. Quo anno in Gallia Rodulfus ad Aginensem, in Italia Ægidius, Columbæ Monachus, ad Placentinam sedem promotus est, Tertius vocatus ex eodem Monasterio ad eandem Ecclesiam,cum Ioannes,& Grimerius præcessissent,de quibus supra, atque alij post ipsum sequendi essent. Hæc ex Tabulis Ecclesiæ Placentinæ,neque alia nobis de ipso promere licet. Initio anni, conflagrantibus in Germania bellis ciuilibus, aliquibus Prouinciis,neque acquiescentibus consilia pacis suscipere,nisi per magnos Principes,aut eorum Legatos, ad id vnum transmissos promouerentur: Gregorius Nonus, cum duobus Archidiaconis, & primum omnium Cistercienſem Abbatem misit, ignotæ nobis domus, nisi fortè pro *Ile, Ilda, aut Ilaria*, quas supra memoraui, sit legendum.Quæcumque fuerit,tunc Abbatem habuit, cui dignè tantum negotium committi potuit. Porrò ad eum simul, Collegasque tales Gregorius Papa litteras dedit [c].

c *Epist.*255.

4. *Abbati de Ile Cistercienſis Ordinis,& A.& H. Archidiaconis Bremenſis Diœceſis.*

Cogitans pacis consilia Dominus, cuius Spiritus, nonnisi super quietum, & humilem requiescit, detestatur dissensiones, & prælia, quæ pericula pariunt animarum; propter quod gratum Domino præstant obsequium, qui, vt discordantes ad concordiam reducant, diligentiam, & sollicitudinem interponunt. Significantibus sanè dilectis filiis Decanis, & Scholastico Bremensibus, nobis innotuit, quod in Archidiaconatibus, officiis eorum annexis, qui Frisones vulgariter appellantur, tanquam odientes requiem, continuo ad inuicem præliantur,ad mutuum exterminium toto conamine molientes; ad quos regione turbata accedere aliquis non præsumit, qui ad faciendum pacem, vel treguam inducat eosdem: nec ipsi etiam pati volunt, vt per alios, quam per magnos Principes, vel eorum nuntios, ad hoc destinatos, ab ipsis ad concordiam incitentur, cum ad hoc inducipersalios, indecens reputent, & indignum. Cupientes igitur,cum simus illius Vicarij, qui est pacis amator, & auctor, vt prædicti populi ad vinculum redeant charitatis, mandamus quatenus ad eos, ex parte nostra personaliter accedentes, studeatis inter ipsos fœdera reformare, illos ad hoc sollicitis monitis exhortantibus inducendo; ita quod per diligentiam vestram inter ipsos interueniat fœdus pacis, & vos possitis ex hoc fœlicitatis æternæ gaudia promereri. Datum Agnaniæ IV. Kalendas Februarij, anno VI.

Lis hoc eodem anno speciosa nostros inuoluit, abiicientes Ecclesiam satis honestam, sed in qua ad reddituum tenuitatem,nec Monachorum numerus, nec poterat conseruari rigor vitæ Monasticæ; & maluerunt carere illius bonis,possessionibusque,quam laxamenta pati,quæ vbicumque admissa,inde ad alias Ecclesias diffundi possent. Dederat quidam Frater Hugolinus cœnobio Ferrariensi Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Stella, Amalfitanæ Diœceſis, vt Monasterium Cistercienſis Ordinis ibidem constitueret, in quo quatuor Monachi, vt minimum, Deo iugiter deseruirent. Acceptata ab Abbate Ferrariæ donatio est: & Monachi transmissi præscripto numero; sed quatuor soli, languere statim omnes, torpere singuli, nec tenere Conuentum: & vix psallere in choro, in agro metere, vix seruare silentium, vigiliasve,aut valebant, aut poterant. In Refectorio, si vnus ministrabat, legebat alius, vix quibus legeretur, relinquebantur. Tum si administratio temporalium, si ingruentes morbi, si negotia, aut priuata, aut communia, quem detinebant,cessabant reliqui: atque vitæ Eremiticæ insuetis,fortè & imparibus,cœnobiticæ impendia,subsidiaque,& quicquid ad eam iuuat,denegabatur. Nullum est onus graue, si multi ferant;si pauci,vel refugiunt,vel opprimũtur.Hæc, & similia partim speculata, partim haud dubiè experientia ipsa comperta,perpulere Abbates,qui Monasteria Italiæ visitabant iussu Capituli, vt locum ipsum velut ineptum,incompetentemque obseruandis in eo Cistercij legibus,penitus obiicerent, Monachos amouerent, atque ad Ferrariam,vnde egressi erant,remitterent.Verùm,cum ne sic quidem vellet Pontifex alienare à Cistercio possessionem,quam semel acquisisset; si quo modo in ea, vt in Prioratu, siue saltem vt Grangia,quatuor Monachi possent residere, procuratore Ferrariæ ad se vocato, interrogatoque, dicitur respondisse [d]; *quod eadem Ecclesia, propter incompetentiam loci, esse non poterat Cistercienſis Ordinis Monasterium: nec iuxta ipsius Ordinis instituta vlterius Prioratus ibi haberi, vel si esset Grangia, liceret in ea quatuor illius Ordinis Monachis immorari.* Ita Gregorius Nonus in suis litteris. Datis Laterani V. Kalendas Aprilis, hoc ipso anno.

5.

d *Epist.*1.

6. Ergo quæ à nostris repudiata hæreditas,velut pro derelicto haberi cœpit Florensibus (qui nostris similiores,vt filij Patribus) & Monasterio de Rubiliano concessa est:ea tamen expressa conditione, vt vtraque Ecclesia mutuo vnita, Sancta Maria de Stella caput esset,& Rubilianum transiret, in eius membrum. Adeò his, quæ Cistercium spernebat, alij vel ex præcipuis illustrabantur.Extat de his Decretalis eiusdem Gregorij ad Amalfitanum, & Salernitanum Præsules scripta non multo post, in qua, & totius ab initio facti series, & exitus grauibus sanè verbis,continetur, quæ ita habet [e].

e *Epist.*35.

Amalfita

Amalfitano, & Salernitano Archiepiscopis.

Ex relatione dilecti Filij Fratris Hugolini nobis innotuit, quod cum Ecclesiam, in honorem Sanctæ Mariæ super maiorem in Diœcesi Amalfitana ab ipso constructam, Ferrarienſi Monasterio Cistercienſis Ordinis subiecerit, vt ibidem sub ipsius Ordinis obseruantia Domino seruiretur: Visitatores Cistercienſis Capituli accedentes ad locum, exinde Monachos amouerunt, decernentes eam non esse aptam Ordini supradicto. Propter quod idem Frater se inueniens sua intentione frustratum, à nobis desideranter expetiit, quod Florenſi Ordini dicta concederetur Ecclesia, vnito sibi Monasterio Rubiliano Ordinis memorati, ita quod Ecclesia caput, & dictum Monasterium membrum existat ipsius.

7. *Cumque nos, ipsius Fratris precibus inclinati, dilectum Filium nostrum P. Sancti Gregorij ad velum aureum Diaconus Cardinalem, nostris litteris mandauerimus, vt si esset ita, prædictam fieri auctoritate nostra concederit vnionem; ipse non duxit in negotio procedendum, pro eo, quod tu Frater Amalfitanensis prædictam Ecclesiam, tunc vacantem, cuius collatio ad te pertinere dignoscitur, Monasterio contuleras memorato. Quia vero collationem ipsam non iuxta desiderium prædicti Fratris vnio subsequuta, nobis ex parte dilectorum filiorum Abbatis, & Conuentus Rubiliani prædicti Ordinis, fuit iterum supplicatum, vt Ecclesiæ memoratæ vnire Rubilianum Monasterium dignaremur. Nos igitur eorum & prædicti Fratris supplicationibus annuentes, quia neutrum per se ad Conuentum ibi retinendum sufficere videbatur, dictum Monasterium eidem Ecclesiæ duximus vniendum, auctoritate Apostolica statuentes, vt id robur obtineat perpetuæ firmitatis. Quocirca fraternitatem vestram, de qua plenam obtinemus fiduciam, per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus auctoritate nostra faciatis vnionem eandem inuiolabiliter obseruari. Contradictores, &c. Datum Laterani II. Idus Aprilis, anno VII.*

8. Hoc ipso anno in Rhemēſi Prouincia, sed maximo in Territorio Sueſionenſi ingens in nostros orta persequutio, eorum pacem nonnihil perturbauit; tentantibus Episcopis, contra inconcussam libertatem Ordinis, de electionibus Abbatum cognoscere, examinare electos, confirmare electiones, aut infirmare; quin & Capitulis, præsentationis eorundem, Archidiaconis, installationis iura petentibus: & quod mireris, si fortè id recusarent, eosdem, & se coram respondere, & velut malefactores condemnare, quorumdam indultorum prætextu non dubitantibus, & quas in ipsos censuras ferre non poterant, ferentibus in illos, qui in aliquibus cum eis communicabant, & nisi obuiam his malis itum fuisset per priores Abbates recens electos, appellantes Gregorium Summum Pontificem, breui forsan immunitas corruisset, quæ per tot annos inconcussa perseueraſſet. Constat, Abbatem Longi-pontis primum, dein de Longo-Villari, cum talia paterentur, conquestos esse: & illum quidem tres impetrasse Iudices, Meldenſis Ecclesiæ omnes, per quos in pristino iure conseruaretur, litteris datis ad Decanum, Cantorem, & Thesaurarium Ecclesiæ Meldenſis, Laterani IV. Idus Aprilis præsentis anni. Verum cum Sueſionenſis Episcopus in nullo illis deferret, post octo ferè menses nouas datas ad Meldenſem Pontificem, cui Sueſionenſis non posset refragari. Porrò harum exemplar (nam & prio-

rum non alius tenor erat) ex Regestis exceptum, hæc habet verba [f]. f *Epist.* 333. 9.

Meldenſi Episcopo.

Vt Venerabilis Frater noster Sueſionenſis Episcopus sibi commissam curam pastoralis officij, officiosè gerere probaretur, religiosos Viros, in sua præsertim Diœcesi commorantes, ipsum non solum non deceret offendere, verum etiam ab aliis defensare pro viribus. Sed sicut dilectus filius Abbas, & Conuentus Longi-pontis, Cistercienſis Ordinis, suæ Diœcesis, humili nobis conqueſtione monstrauit, ab ipso contrarium sunt experti. Cum enim electiones, & confirmationes Abbatum ipsius Ordinis, ad patrem Abbatem pertineat per eiusdem Ordinis instituta, ipse libertatibus inuidens eorumdem, cum aliquis in Monasterio ipso eligitur in Abbatem, eum examinare de vita, litteratura, ac moribus; & electionem confirmare ipsius, vt eos per hæc, & alia iurisdictioni suæ subiiciat, elaborat. Capitulum quoque suum, eundem præsentari sibi requirit electum, & approbando vsurpare nititur potestatem: & eos malefactores, si hoc non faciant, reputantes, auctoritatis cuiusdam indulgentiæ, quam à bonæ memoriæ Alexandro Papa, Predecessore nostro, se habere proponunt, vt in malefactores suos possint Ecclesiasticam exercere censuram, præsumunt animaduertere in eosdem.

Archidiaconus insuper ius installandi electum sibi vindicare contendit, contra Cistercienſis Ordinis instituta, & indulta Sedis Apostolicæ temerè veniens: & si quando, pro eorum libertatibus defendendis, dicti Episcopi resistunt effectui voluntatis, idem eos compellit in sua præsentia respondere, ac interdum propter hoc emendam exigit ab eisdem: nec iis contentus, nouo molestandi genere adinuento, pro eo, quod non potest in eos censuram Ecclesiasticam exercere, in illos, qui molunt in molendinis ipsorum, vel coquunt in furnis, emunt, aut vendunt vina, & alias res eorum; & eisdem communicant (aliàs nullis culpis suis exigentibus) illam exercet in eos, interdicti, & excommunicationis sententiam proferendo. Cum igitur nos non deceat sic præsumpta æquanimiter tolerare, mandamus quatenus Abbatem, & Conuentum prædictos super præmissis omnibus non permittas à prædictis Episcopo, & aliis indebitè molestari: etsi huiusmodi sententias in contrahentes cum eis, & alios, supradictum Episcopum, & Capitulum, occasione prædicta, promulgare contigerit, auctoritate nostra pronunties esse nullas. Datum Agnaniæ XVII. Kalendas Decembris, anno VII. 10.

Hactenus ad Meldenſem Gregorius Nonus, nec dubium quin pro negotio peragendo, quod tandiu durauisset, laboratum ab illo non parum fuit.

Cæterum pro Abbate de Longo-Villari, semel iam victa causa, defensio leuior, & auctoritas Iudicum inferior, sufficiens fuit. Datæ tamen ad duos Præpositos litteræ, ex quibus constat, totius mali initium, à Metropoli ortum, indeque nisi statim extinctum esset, facilè ad alias Ecclesias deriuandum, litteræ porrò, in fauorem illius datæ, ita habebant [g]. 11. g *Epist.* 354.

Sancti Andomari, & S. Petri de Aria Præpositis, Morinenſis Diœcesis.

A viris Ecclesiasticis, in quibus viget religio, eo sunt in concessis sibi à Sede Apostolica libertatibus, fortius conseruanda, quo si secus fieret, & nos offenderemur grauius, & ipsi tanquam mandatorum Sedis Apostolicæ contemptores pœnam possent meritò incurrere grauiorem. Cum igitur,

ſicut dilecti filij Abbas & Conuentus Monaſterij de Longo-Villari, Ciſtercienſis Ordinis Morinenſis Diœceſis, ſua nobis inſinuatione monſtrarunt, idem Monaſterium multiplicibus Sedis Apoſtolicæ priuilegiis ſit munitum, mandamus quatenus ad obſeruationem priuilegiorum ipſorum, Venerabilem Fratrem noſtrum, Archiepiſcopum Rhemenſem, & ſuffraganeos ſuos, nec non & cæteros ſubditos eorundem, monere attentius, & diligenter inducere procuratis; ita quod ipſi Abbas & Conuentus in ſua libertate gaudentes intercedere poſſint ad Dominum pro ſalute noſtra, & omnium cum quiete. Datum Laterani XI. Kalendas Decembris, anno VII.

Ita quæ opprimere, ſi diutius inualeſceret, Ciſtercij immunitatem facilè poſſet, moleſtia, aut perſequutio, duorum diligentia, breui ſopita fuit.

---

1. *Abbates Firmitatis, & Maceriarum defendendo Matiſconenſi Epiſcopo*, 2. *De Gratia Dei, Monaſterij Angeliacenſis, formandis moribus*, 3. *& debitis ſoluendis*; 4. *de Spina viſitandis Monaſteriis exemptis Regni Caſtellæ*; *Mata-planæ, electioni Sancti Facundi*; 5. *Frigidi-montis, pro Sancti Cucufati*; 6. *de Tileto, pro Eccleſia Viginti-Millienſi*; 7. *de Fontana-Viua, pro reformando cœnobio Sancti Alexandri Parmæ*: 8. *Tunc Claræ-Vallis Mediolanenſis Abbas, Priorque, hæreticis Lombardiæ compeſcendis præficiuntur.* 9. *Inquiſitum de vita, atque miraculis Stephani Dienſis*, 10. *& inquiſitio commiſſa Abbati Vallis-creſcentis.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. VSVS etiam hoc anno noſtris Gregorius ad multa, & grauia negotia pertractanda, quæ in hoc capite veniunt recenſenda. Sæuiente in Eccleſiam Matiſconenſem, Matiſconenſi Comite, & quodam eius, aut verius Sathanæ miniſtro, Matiſconenſi Clerico, vt ait Gregorius Pontifex [a], *Filiali deuotione poſtpoſita, reuerentia paterna deſpecta, viperina crudelitate, inſurgente in patrem filio degenere, in paſtorem, oue; diſcipulo in Magiſtrum; atque impias in eundem Venerabilem Epiſcopum iniiciente manus, & exercente quæcumque probra voluit in eundem; quem captum etiam grauiter vulnerauit, carcerali cuſtodiæ tradidit, & detinebat in vinculis alligatum.* Venerabilibus de Firmitate, & Maceriarum Abbatibus in mandatis dedit [b], *quatenus ſi inueneritis ita eſſe, prænominato Decano priuato in perpetuum Eccleſiaſticis beneficiiis vniuerſis, ipſum, & præfatum Comitem, ac alios, quos interfuiſſe inueneritis enormitatibus ſupradictis; tandiu, appellatione remota, pulſatis campanis, & candelis accenſis, diebus dominicis, & feſtiuis excommunicatos publicetis, & faciatis arctius euitari; donec dicto Epiſcopo libertati plenariè reſtituto, ipſi, & Eccleſiæ aliquam ſatisfactionem impendant; & tum veſtrarum teſtimonio litterarum Apoſtolico ſe conſpectui repræſentent: terras nihilominus præfati Comitis, & aliorum interdicto diſtrictiſſimo ſupponentes, ita quod quandiu memoratus Epiſcopus detentus ibi fuerit, nulla in eis, præter baptiſmatis, Sacramenta Eccleſiaſtica conferantur. Datum Laterani XI. Kalendas Aprilis, anno VII.*

a Epiſt. 3.

b ibidem.

2. Monaſterio Nigrorum ſatis illuſtri, Sancti nimirum Ioannis Angeliacenſis, in Xantonenſi Diœceſi multo ære alieno dudum oppreſſo, ſui Abbatis iniuria, ſiue malitia. *Qui quoſdam redditus, Monachorum vſibus deputatos, ſæcularibus quibuſdam conceſſiſſet, ac Monaſterium nominatum in quatuor millibus librarum Turonenſis monetæ, quæ in vtilitatem dicti cœnobij minimè conuerſa fuerunt, quibuſdam creditoribus obligaſſet; tandem propter infirmitatem, & alios defectus multiplices, ſe inutilem penitus recognoſcens, poſtquam vidit præfatum Monaſterium collapſum taliter; vt correctionem, & pœnam, propter tranſgreſſiones debitam memoratas, poſſet euadere; Prioratu quodam ducentas libras in redditibus ſingulis annis valente, & inſuper tribus millibus ſolidorum redditualibus de bonis menſæ deputatis Conuentus, ſibi annis ſingulis perſoluendis, ſuis vſibus applicatis, in manibus Conuentus ceſſit regimini Abbatiæ.* Idem Gregorius duplices ad Epiſcopum Xantonenſem, & Abbatem de Gratia Dei Ciſtercienſem litteras dedit alteras [c]. *Vt ad idem Monaſterium perſonaliter accedentes, & habentes præ oculis ſolum Dominum, inquiratis de præmiſſis omnibus diligentius veritatem, & iis, quæ de bonis eiuſdem alienata inueneritis illicitè, vel diſtracta, ad ius, & & proprietatem ipſius legitimè reuocetis, ac prouiſione dicti Abbatis irrita penitus nuntiata, cum proprium nullatenus debeat retinere, omnes redditus ante dictos in ſolutionem debitorum, & vtilitatem Monaſterij ſæpè fati conuerti ſine cuiuſlibet appellationis obſtaculo faciatis; corrigentes, & reformantes ibidem tam in capite quam in membris, quæ correctionis, & reformationis officio noueritis indigere. Datis Laterani I. Kalendas Decembris, anno VII.* Atque hæc quidem pro reformatione morum, atque reparatione domus illuſtris.

c Epiſt. 355.

3. Verùm pro debitorum ſolutione, alias eadem die litteras dedit, in quibus debitorum mentione facta Pontifex ſubdit [d]. *Nos igitur de diſcretione veſtra plenam fiduciam obtinentes, dictum negotium vobis duximus committendum, per Apoſtolicam vobis Sedem mandantes, quatenus ad antedictum Monaſterium perſonaliter accedentes, vniuerſis debitis in vnam ſummam redactis, Abbati, & Conuentui ſupradictis, competenti ſuſtentationi de bonis dicti Monaſterij reſeruata, omnes redditus, & prouentus ipſius tandiu faciatis in ſolutione debitorum conuerti, quouſque terminis competentibus totum debitum, (vſuris interim, pœnis, conditionibus, in fraudem vſurarum contractis, omnino ceſſantibus) fuerit perſolutum. Creditores quoque ad relaxandum iuramentum, de perſoluendis, & non repetendis vſuris, per cenſuram Eccleſiaſticam, & quod fructus etiam computent, iam receptos in ſortem, & ſic extra, Monaſterio reſtituant memorato, per pœnam, & cenſuram Eccleſiaſticam cogatis. Nihilominus Monachos, qui proprium habere dicuntur reſignandum illud in manibus eiuſdem, in vtilitatem ſupradicti Monaſterij conuertendum,*

d Epiſt. 356.

tendum, appellatione postpositâ cogendo; contradictores, &c. Quod si non, &c. Datum Laterani II. Kalendas Decembris, anno VII. Hæc, & similia quædam in Gallia Abbati de Bethania, aliisque.

4. At in Hispania, Abbati de Spina, nomine Meliori, sexto in Ordine, qui Petro, proximo anno, successisset, vna cum Abbate Cellæ-Nouæ, visitatio cœnobiorum exemptorum Castellæ, atque Legionis commissa legitur, in litteris eiusdem Papæ Gregorij ad Abbatem Matæplanæ, Cistercienſis Ordinis, Palentinæ Diœcesis, quarum hoc initium [e]. *Ex insinuatione dilecti Filij Abbatis de Spina, Cisterciensis Ordinis, Palentinæ Diœcesis, cui vna dilecto filio Abbate Calle-Nouæ, exempta Monasteria Regionis illius commisimus visitanda, &c.* Porrò per eos depositò Abbate Sancti Facundi, quod minus habens, & ineptus inuentus esset, *cum charissimus in Christo filius noster (pergunt litteræ) illustris Rex Castellæ, & Legionis (Ferdinandus) ac Venerabiles Fratres nostri, Palentinus, & Oxonienſis Episcopi, suis nobis litteris humiliter supplicauerint, vt cum non solum in prædicto Monasterio, verum etiam in Regno prædicto, non inueniatur persona æque idonea ad reformationem eiusdem, &c. quam Abbas Cellæ-Nouæ, illum eidem præficere dignaremur: cum prædicto Monasterio eo fortius consulere teneamur, quò specialius ad nos noscitur pertinere: Fraternitati vestræ (scilicet Abbati Matæplanæ, & Archidiacono de Cerrato) mandamus quatenus si personam dicti Abbatis Cellæ-Nouæ idoneam inueneritis ad regimen Monasterij memorati, & ei de ipso vtiliter prouideri; auctoritate nostra illum præficiatis eidem, & faciatis sibi à Conuentu eiusdem debitam obedientiam, & reuerentiam exhiberi, recipientes ab eodem Abbate iuramentum fidelitatis, iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus inclusam; & formam iuramenti, quod ipse præstabit de verbo ad verbum nobis per eiusdem patentes litteras, sub sigillo signatas, per proprium nuntium destinetis, Datum Laterani V. Kalendas Maij, anno VII.* Ita in Castella.

[e] Epist. 80.

5. Nec multo ante in Catalonia, cum Monasterium Sancti Cucufati, Barchinonenſis Diœcesis, ab Episcopo Barchinonenſi, indebitam, atque incompetentem in eo sibi vsurpante iurisdictionem, in præiudicium Ecclesiæ Romanæ, cui immediate subeſat, supra quam credi posset, molestaretur: Abbati Monasterij Fontis-Frigidi, qui tunc ad visitandum Populetum, ex debito paternitatis forte aduenerat, vna cum Abbate Ripollenſi, iniunxit Gregorius [f]. *Quatenus inquisita super hoc, & cognita plenius veritate, dictum Episcopum, vt ab huiusmodi præsumptione penitus conquiescat modis omnibus, sub Apostolica obedientia, sicut iustum fuerit, compellatis. Datum Laterani II. Kalendas Aprilis anno septimo.*

[f] Epist. 27.

6. Non minus in Italia, cum Viginti-Millienſis Ecclesiæ bona, sede vacante, ac longa lite de electione mota, sub titulo custodiæ, & ne per occasionem litis distraherentur, à potestate, & consiliariis vrbis, occuparentur, atque ob hanc inuasionem, ipsi anathemati, & tota ciuitas interdicto subiacerent, Abbati de Tileto, Cistercienſis Ordinis, Aquenſis Diœcesis, vna cum duobus aliis collegis iniunctum [g]: *Quatenus, si rem inueneritis taliter se habere, à potestate, consiliariis, & communi præfatis, de memoratis bonis fideliter conseruandis, & de ipsis etiam sine delatione, ac difficultate qualibet restituendis Episcopatui ante dicto, & Pontifici per Sedem Apostolicam, vel alias ei de ipsius mandato canonice proferendo, sufficienti cautione recepta, ipsis ad cautelam absolutionis beneficium impendatis, & relaxetis sententiam interdicti. Datum, Laterani, V. Idus Iunij, anno VII.*

[g] Epist. 160.

Nec multo post, cum illustre cœnobium Sanctimonialium Sancti Alexandri, Diœcesis Parmenſis, Parentis Benedicti Regulam sub nigro habitu laxius obseruantium, à Brixienſi Episcopo, & Prouinciali Fratrum Prædicatorum, in Lombardia visitatoribus à Gregorio deputatis, in spiritualibus, & temporalibus adeò collapsum, vt ipsi retulerunt, inueniretur, vt nulla spes superesset in proprio posse ordine reformari; ideoque aliis tradi mandatum esset: supplicante Abbatissa, atque sororibus, & protestantibus, separatas esse reformationem susçipere, & obseruare quæcumque præciperentur: Abbas de Fontana-Viua, Cistercienſis Ordinis, subrogatus est, ad quem, præmissa narratione totius facti, scripsit Gregorius [h]: *Vt Monasterio in Beati Benedicti regula reformato, Abbatissa, & Moniales intra claustra Monasterij se recludant; ita tamen, quod Monasterium ipsum pro eius vtilitatibus, & necessitatibus, valeat aperiri; & si euidens ingruerit necessitas, vel vtilitas, Abbatissa etiam possit exire duabus de antiquioribus, & honestioribus eiusdem sororibus comitata. Quo circa mandamus, quatenus personaliter accedens ad locum, in capite, ac membris corrigas, & reformes ibidem, quod correctionis, & reformationis officio noueris indigere: faciens super hoc, & aliis supradictis prouisionem nostram per censuram Ecclesiasticam, appellatione remotâ, firmiter obseruari. Cæterùm Moniales, conuersos, clericos, & laicos, Monasterio præfato subiectos; vt sicut debent, obediant Abbatissæ, si necesse fuerit, censura simili, eadem auctoritate compellas. Datum Anagniæ II. Idus Augusti, anno VII.*

7.

[h] Epist. 264.

8. Pergamenſibus Consulibus, & populo interse contendentibus, & parte altera, potentiorique fauente hæreticis, qui iam tunc grassabantur per Lombardiam, cum primo G. tituli Sancti Marci Presbyter Cardinalis, mox Brixienſis Episcopus, cum quodam ex familia Prædicatorum Collega, compescendis rebellibus Legati, irrito vtrique conatu, per consilia, per preces, per censuras laborassent; tandem Abbas, & Prior Claræ-Vallis Mediolanenſis, à Gregorio missi, litteras acceperunt, in quibus hæc post facti narrationem [i]: *Quia verò in ipsos est eo grauius Ecclesiastica exercenda saueritas, quo per maiorem suæ peruersitatis cumulum, & Deo odibiles, & nobis contemptibiles, se prorsus reddiderunt; mandamus, quatenus dictas excommunicationis, & interdicti sententias solenniter innouantes, & per ciuitates, & loca Lombardiæ, Marchiæ, & Romandiolæ, quibuslibet diebus Dominicis, & festiuis, pulsatis campanis, & candelis accensis, publicari etiam facientes, inhibeatis expresse dictarum ciuitatum, & locorum habitatoribus, vt cum ipsis hominibus in nullo participent, nec eorum suæque partis de Pergamo aliquem in potestatem, seu Rectorem admittant; interdicto nihilominus, vt ipsorum filij ad beneficia Ecclesiastica, & tabelliones, seu iudices ad publica officia, quousque satisfaciant, vt tenentur, nullatenus admittantur. Contradictores, &c. Da-*

[i] Epist. 424.

tum Laterani X. Kalendas Ianuarij, anno septimo.

9. Vltimo loco recensenda à nobis inquisitio de vita, atque miraculis Stephani, Diensis olim Episcopi, quem Viennensis Prouincia Sanctis annumerari; quod merita, atque signa concordarent, instanter à Gregorio postulasset. Iniuncta porrò ea duobus Episcopis, Ebredunensi nimirum, & Bajocensi, sed addito vtrique Collega tertio, Abbate Vallis-Crescentis, atque litteris ad eos datis in hæc verba [k].

k *Epist.* 392.

Archiepiscopo Ebredunensi, Episcopo Baiocensi, & Abbati Vallis-Crescentis, Cisterciensis Ordinis, Diensis Diœcesis.

Patri luminum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, quantas possumus, & si non quantas debemus, gratiarum exoluimus actiones, pro eo quod in Sanctis suis mirabilis, vt suæ virtutis potentiam mirabiliter manifestet, & salutis nostræ causam misericorditer operetur; fideles suos, quos semper coronat in Cœlo, frequenter etiam honorat in mundo, ad eorum memoriam signa faciens, & prodigia, per quæ prauitas confundatur hæretica, & fides Catholica confirmetur. Ex litteris siquidem Venerabilis Fratris nostri, Archiepiscopi Vienensis, & suffraganeorum suorum, nos noueritis accepisse, quod piæ memoriæ Stephanus, Diensis Episcopus, qui degens olim in mundo magnis pollebat meritis, nunc viuens in cœlo tot dicitur miraculis coruscare, vt eius Sanctitas apertis indiciis comprobetur, & eius inter alios Sanctos inuocare suffragia non sit indignum. Quare nobis per easdem litteras supplicarunt, vt eum Sanctorum Catalogo adscribi faceremus.

Licet autem ad hoc vt aliquis Sanctus sit apud Dominum in Ecclesia triumphante, perseuerantia sola sufficiat, iuxta illud [l]*: Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ; quod euidenter illa Ioseph talaris tunica significabat: ad hoc tamen, vt ipse Sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sint necessaria, virtus morum, & veritas signorum: merita videlicet, & miracula; vt hæc, & alia sibi inuicem contestentur; cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant, ad perhibendum inter homines testimonium Sanctitatis. Nos attendentes, quod in tam Sancto, & pio negotio, est cum grauitate, & maturitate plurima procedendum; de fide, ac circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus non solum per testes, sed per famam etiam, & scripturas authenticas, de virtute morum, & veritate signorum, operibus videlicet, & miraculis, sollicite inquirentes; quod inueneritis nobis sub sigillis vestris fideliter transmittatis; vt opportuno tempore procedamus, exinde, prout secundum Dominum viderimus procedendum. Datum Laterani XVII. Kalendas Ianuarij, anno septimo.* Hæc præcipua negotia præsentis anni, vltra notata supra, nam minutiora non vacat recensere. 10.

l Apoc. 2. 2.

---

1. *Acta Capituli, & breuis Ecclesiarum Virilium Chronologia.* 2. *Dictum de Sancto Petro de Ferentillo.* 3. *Aula Dei in Frisia Sacrarum Virginum,* 4. *& Eppachium in Constantiensi Diœcesi,* 5. *in qua & Monasterium Scotorum,* 6. *Virorum olim, postea fœminarum.* 7. *Sancti Syri Parmensis reformatio,* 8. *translatio,* 9. *atque protectio* 10. *pro soluendis antiquis debitis.* 11. *Coniectatum de occasione reformationis:* 12. *& dictum de alio cœnobio Vltraiectino.*

CAPVT OCTAVVM.

1. IN Capitulo paucæ admodum leges, & solum spiritui profuturæ: vt *Missa de Spiritu Sancto prima die Capituli Generalis per totum Ordinem celebretur.* Hoc pro fœlici progressu totius Ordinis. At pro Monialibus, vt *Prudentes, & honesti instituantur confessores Monialium: neque Patris Abbatis licentia, liceat ipsis Monialibus confiteri.* Ita prouisum fragilitati sexus, quem numquam continebis, nisi coërceas: etsi nimium constringas, facile frangas. Nec latior nobis campus in Chronologia: in qua tres tantum notantur Abbatiæ hoc anno nostris additæ; Sancti Pantaleonis, de qua iam dixi; & Noui-Campi, atque Sanctæ Mariæ in Landestroch, quarum notitia exigua, nullaue, nisi quod tamen in Henricianis Tabulis, de linea vtraque Morimundi commemoratur; & alias Nouum-Campum Miræus notat, annum licet postponens, atque hæc scribens. *Anno M. CC. XXXIV. studio, & impensis VVenceslai, Rugiæ Principis, constructus est Nouus-Campus in Zuuerinensi Episcopatu; qui sicut multis annis insigniter claruit, sic Anno M. D. XXXIV. misere Abbate, & Fratribus nudatus est, inuadentibus scilicet Lutheranis res Ecclesiasticas, idque iuxta Euangelium, si placet credere.* Ita Miræus de Nouo-Campo; de Landedroch hæc notitia vulgata recens. Fons Beatæ Mariæ in Landstras, alias in Landstroost, in Carniola Diœcesis Gurtensis, fundat circa annum Domini M. CC. XXX. Bernardus, primus Corinthiæ Dux, cum vxore Gutta, Ottocari Boëmiæ Regis filia, quorum filius Bernardus sic sepelitur. Conuentus ex Villario Metensi missus.

2. Inuenio tamen (quæ post quinque, & viginti annos in Chronologia nostris adiuncta dicitur,) Abbatiam Sancti Petri de Ferentillo, alias de Fruentello, commendatam hoc ipso Claræ-Vallensibus, à Gregorio Papa, ad ipsius Monachorum postulationem. Litteræ porrò, quas Gregorius dedit, quia ad illum vsque producere Annales non speramus, quo anno datæ, veniunt transcribendæ [a].

a *Epist.* 244.

Abbati, & Conuentui Claræ-Vallensi, Cistercensis Ordinis, Lingonensis Diœcesis.

Ex parte dilectorum filiorum Conuentus, & Abbatis Sancti Petri de Ferentillo nobis fuit humiliter supplicatum, vt cum ad frugem melioris regulæ cupiant famulari, Monasterium eorum ordinare iuxta Cistercensis Ordinis instituta dignaremur.

gnaremur. Sperantes igitur, quod idem Monasterium per diligentiam eiusdem Ordinis professorum, ampliores flores, & fructus proferens gratiæ, in spiritualibus, & temporalibus proficiat incrementis: vniuersitatem vestram rogamus, & monemus attente per Apostolicam Sedem mandantes, quatenus Monasterium recipientes prædictum, studeatis illud super eiusdem Ordinis obseruantias informare. Datum Anagniæ, VIII. Kalendas Augusti, anno VII. Hactenus Gregorius. Certè si hoc anno petita, concessaque, imò à Gregorio præcepta reformatio; adeò dilata, vt non ante M. CC. LVIII. perficeretur, ingens perseuerantiæ, in illis, qui petebant, indicium fuit.

3. Copiosior aliquanto Monialium seges, quarum plura cœnobia; quæ nobis breuiter veniunt pestringenda. Numero primum Aulam-Dei in Frisia, de quo ex Chronicis Frisiæ Andreæ Cornelij, hæc habet Aubertus Miræus in suo Chronico [b]. *Anno M. CC. XXXIII. Aulam-Dei, alio nomine Monasterium Nouum, apud Snecam, Frisiæ oppidum, Vlboldus, vir dives, ære suo proprio fundauit, instinctu Dodonis, Abbatis quarti Veteris Monasterij, qui adhunc locum ex Monasterio Syon Moniales, & conuersas deduxit, vt ex Sancti Bernardi instituto vitam ibi regularem inchoarent. Vlboldus autem postmodum factus est conuersus, vt vocant, in Veteri Monasterio, ibique vitam in summa auctoritate finiuit.* Ita Miræus, quæ eadem transcribit Henriquez in Menologio, vbi & Vlboldi meminit ad vigesimum sextum diem mensis Ianuarij. Puto tamen non Vetus-Monastrium, sed Veterem-Montem magis legendum esse.

[b] Cisterc. hoc anno.

4. Secundum sequitur Eppachium, olim Hæckembrechium, de quo ex Gaspare Bruschio, hæc idem Auctor [c] *Subest hoc Monasterium, quod in Diœcesi Constantiensi situm, visitationi Abbatis Salernitani, medio ferè itinere inter Ochesenhusam cœnobium, & Biberacum, oppidum Imperiale, situm. Est autem inchoatum Anno circiter. M. CC. XXXIII. à piis, & religiosis duabus Begginis, quarum vna, ex nobili familia Rosemburgensi, altera ex Laudemburgensi, fuit nata. Ad has mox aliæ plurimæ accesserunt, atque inter eas quinque nobiles, quarum parentes ipsis domicilia extruxerunt.* Hactenus ille. Quæ eadem ex Bruschio Martinus Crusius in Annalibus Suæuiæ [d], & Chrysostomus Henriquez [e] habet in suis liliis: addentes ex eodem. *Inchoatum Monasterium aliquoties in pago Malselhaino: sed ligna, & saxa ad opus præparata, semper ad eum locum, vbi nunc Monasterium visitur, sponte rediisse.* Templum Sancto Pancratio dicatum dicitur: & Monasterium fidelium largitionibus creuisse in possessiones adeò pingues, vt breui centum viginti Moniales, vltra ministros, conuersos, & Capellanos alere potuerit. Seriem Abbatissarum mancam, & mutilam; cœnobij excidium, restaurationemque, iidem adducunt, quæ suis locis relinquo reseranda.

[c] vbi suprà.

[d] lib. 1. p. 3. c. lib. 2. dist. 3. c. 5.

5. Lego in eadem Constantiensi Diœcesi tertium aliud cœnobium nostris adductum, etiamsi nulli, quod mihi probabilius, Abbati subiectum; nam dudum Nostri Moniales recusabant: lego, inquam, Cistercium suscepisse, Monialesque sub ipso, cum antea à Monachis nigris habitaretur, visitatorum illius Prouinciæ zelo, qui Monachis eiectis, qui incolebant, quod nimis laxe viuerent, atque dispersis per alia Monasteria, septuaginta sorores constituerunt (incertum vnde adductas? qui Sancti Patris Benedicti regulam, & Cistercij instituta profiterentur. Constat ex litteris Gregorij Papæ Noni, ad Episcopum, & Capitulum Constantiense, cum quibusdam ex Monachis redeuntibus, Moniales in quiete, quam præelegerant, imò & in possessione perturbarentur. Porrò exemplar litterarum Summi Pontificis, provt extat in Regestis, hæc habet verba [f]. *Episcopo, & Capitulo Constantiensi.*

[f] *Epist.* 100.

6. *Ad audientiam nostram, significantibus dilectis filiis visitatoribus Ecclesiarum Constantiensis Diœcesis, noueritis prouenisse, quod cum ipsi, Monasterio Scotorum, Ordinis Sancti Benedicti, in dicto constituto Diœcesi, officio visitationis impenso, inuenissent quemdam Abbatem ipsius, lapsu carnis enormiter in multorum scandalum laborantem, ac habentes plures incontinentiæ suæ testes; ipsum cum quodam alio Monacho suo ad alium eiusdem Ordinis claustrum, peritorum religiosorum vsi consilio, transmiserunt: septuaginta sororibus in eodem Monasterio Scotorum, secundum Dominum, & Beati Benedicti regulam, ac institutionem Cisterciensis Ordinis, prouide institutis. Cum igitur iis, quæ ad Religionis augmentum salubriter statuuntur, tanto fauor maioris gratiæ debeatur, quanto Religiosorum continuum, & deuotum obsequium acceptabilius noscitur apud Dominum; vniuersitatem vestram rogandum duximus, & monendum per Apostolicam Sedem præcipiendo mandantes, quatenus eiectis de prafato Monasterio duobus Monachis, qui se in illud ausu temerario, vt asseritur, intruserunt, sorores prædictas fauore benenolo prosequentes ipsas manu tenere, ac defendere, ob Dei, & nostram reuerentiam procuretis, ita quod eadem vestro suffultæ præsidio, quietæ possint obsequiis diuinis insistere, nosque deuotionem vestram inde merito commendemus. Datum Laterani, tertio Nonas Maij, anno VII.*

7. Ex eisdem Regestis Gregorij Papæ habemus in Italia cœnobium aliud Sancti Syri de Fonta-Nella, Parmensis Diœcesis, in quo Moniales olim sub nigro habitu, ad Cistercij instituta (etsi neque hæ, vt puto, ad obedientiam, arctioris vitæ studio) transuolarunt; crediderim, ex discordia Monialium de electione Abbatissæ, reformationem ortam: adeò nihil tam malum nobis contingit, ex quo non bonum à Deo elici valeat. Porrò cum debitis, ante reformationem contractis, nimium premerentur: & alias ad Ecclesiam Parochialem, in medio ciuium positæ, vix, aut ne vix, quieti, & orationi, atque spiritualibus exercitiis, iuxta ritus Cistercij, vacare possent; duplici malo impetrarunt duplex remedium, id est, duplex indultum, alterum pro mutandis antiquis sedibus, alterum, ne indiscriminatim coram omnibus iudicibus conueniri, vt antea, possent à creditoribus, sed coram solo Episcopo Brixiensi, quem eis Pontifex dabat conseruatorem. Priorum litterarum exemplar hæc habet verba.

Episcopo

8. *Episcopo Parmensi, & Fratri Stephano, Priori*
g *Epist.* 87. *Prouinciali Fratrum Prædicatorũ in Lombardia* g.

Exhibita nobis dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ, & Monialium Monasterij Sancti Syri de Fontanella, Cistercien sis Ordinis, Parmensis Diœcesis, petitio continebat, quod cum domus ipsius Ordinis, iuxta propria instituta, per milliare ad minus esse debeat à communi hominum habitatione remota, præfata ipsarum Ecclesia, Parochialis existens, & secularium habitationibus circumsepta, tot probris appetitur, & inquietationibus fatigatur, quod nec orationis locus esse cernitur, nec quietis. Nam ab hominibus dictæ Villæ, ad contentionem, & litigium nuntianda, campanam pulsare quotidie compelluntur: quorum aliqui iuxta Monasterij officinas frequenter euntes, cum musicis instrumentis, & verba temporalia conclamantes, multipliciter impediunt orationes earum, & officia diuina perturbant. Ita meditationes diuino insistentium operi, vel in lectulis quiescentium, clamoribus abducentes, quod obturare compelluntur manibus aures suas.

9. *Vnde cum hæc, & similia pacem ipsarum impediant, & salutem; & eiusdem Monasterij officinæ ruinam, propter priorum nigri Ordinis Monialium negligentiam, comminentur: Abbatissa, & Moniales prædictæ nobis humiliter supplicarunt, vt occurrentes animarum periculis, & honestati dicti Ordinis prouidentes; ipsum mutari Monasterium in locum, quod eidem religioni congruat, mandaremus: Nos igitur ancillarum Christi condolentes angustiis, & plenam de vestra prudentia fiduciam obtinentes, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus, si præmissis veritas suffragatur, Abbatissæ, ac Monialibus memoratis idem Monasterium transferendi, auctoritate nostra, sicut expedire videritis, licentiam concedatis. Datum Laterani IV. Nonas Maij, anno VII.* Ita Gregorius pro loci translatione.

10. Verùm pro exemptione Sanctimonialium à diuersis iudicibus, Brixiensi Episcopo reseruato, coram quo possent, & deberent conueniri.
h *Epist.* 88. Hæ ad eundem h.

Brixiensi Episcopo.

Ne dilectæ in Christo filiæ, Abbatissa, & Conuentus Monasterij Sancti Syri de Fontanella, Cistercien sis Ordinis, Parmensis Diœcesis, super debitis, quæ quondam Moniales nigri Ordinis contraxerunt, compellantur coram diuersis iudicibus litigare; præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ipsas non permittas supra præmissis per alios iudices fatigari; sed in tua præsentia de ipsis exhibeas conquerentibus iustitiæ complementum: & si quæ litteræ super hoc, à sede Apostolica emanauerint contra eas, denunties non valere, nisi rationabile quid obsistat contra dicta. Datum, vt supra.

Cæterum Monasterij reformationem ex dis- 11.
cordia electionis, atque alicuius violentia, aut intrusione, ortum habuisse, ex aliis litteris mihi persuadeo, eadem die datis, Præpositum omnium Sanctorum Laudensis Diœcesis, pro sedandis scrupulis, qui ex effectibus eiusdem dissensionis, etiam post initam pacem repullulabant. Litteræ autem sic habent in Vaticano.

Præposito omnium Sanctorum, Laudensis Diœcesis.

Porrecta nobis dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ, & Monialium Monasterij Sancti Syri de Fontanella, Cistercien sis Ordinis, Parmensis Diœcesis, petitio continebat, quod cum olim inter Moniales nigri Ordinis, quæ in Monasterio ipso erant, super diuersis electionibus, de ipsis in eodem Monasterio celebratis, orta discordia, plures Clerici per electas huiusmodi fuerint in Ecclesiis, ad idem Monasterium pertinentibus, absque Conuentus assensu, tempore discordiæ, minus canonice instituti, iidem adhuc in iisdem Ecclesiis commorantes ab eis beneficia percipiunt, in ipsarum, & Ecclesiarum præiudicium, & grauamen; vnde prouideri super hoc per Sedem Apostolicam petierunt. Nos igitur prædictorum obuiare malitiis, & indemnitati Monasterij, quod reformari cœpit, intendere cupientes, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus illos, quos in prædictis Ecclesiis taliter inueneris institutos, non differas ab eis, sine cuiuslibet appellationis obstaculo amouere. Datum vt supra. Hæc pro notitia Parmensis Monasterij, cuius non antea nobis mentio inciderat.

Meminit & Miræus alterius domus in vr- 12.
be Vltraiectina, quam à Villibrando Oldemberchio, Vltraiectino Episcopo, ex Villa-Abstedensi translatam, dotatamque testificatur, hoc ipso anno, ad marginem notato; additoque, eundem translatorem, & dotatorem, postea in eodem, magnifico tumulo conditum. Vtrùm autem & ipse fundator fuerit, & quo anno? neque prodit Miræus, neque hactenus ab alio hautire potui.

ANNVS CHRISTI M. CC. XXXIV. ANNVS CISTERCII C. XXXVII.

1. *Vexationes nostrorum ab Episcopis, in electionibus,* 2. *inseruientibus, Colonis, & familiaribus.* 3. *Compulsi promulgare censuras contra potentes,* 4. *grauiter ab eisdem molestantur.* 5. *Guillelmi Patris sollicitudo prouida,* 6. *& quatuor vna die indulta impetrata;* 7. *pro electionum, & electorum immunitate,* 8. *pro familiaribus,* 9. *& quouis modo à nostris* 10. *deprehendentibus.* 11. *Obuiatum delegatorum* 12. *grauaminibus,* 13. *atque item aliis,* 14. *quæ à sæcularibus, nostris inferebantur.*

CAPVT PRIMVM.

1. ANNO anni; à Christo Seruatore millesimo, ducentesimo, trigesimo quarto, qui fuit Cistercio septimus, trigesimusque, supra centesimum, cum Episcopi, cum delegati Iudices, cum Principes, & quod mireris, cum matronæ nobiles, velut fatali instinctu, consensuque

sensuque, nostrorum quietem diuersimodè turbarent, (adeò nihil securum in hac vita) Guillelmo, huius nominis tertio, Cistercij Patri, multum, & diu laborandum pro illa fuit. Repressa iam, quæ dudum intenta nostris grauamina per Prouinciam Rhemensem. Cæterùm eadem, nisi opportune, efficaciterque cunctis prouideretur, refundenda per alias; dolentibus Episcopis, substractam suo imperio familiam grauem, atque late patentem, nec minus veneratam per totum orbem; ad quam si semel ianuam aperirent, multum sibi decoris, potentiæque, ad Principes, ad Reges, etiam ad ipsam curiam addendum foret. Cautum fortassis satis pro aliquibus: sed plerumque compertum, latius serpere morbum, quàm medicinam; & nisi quod singulæ Rhemensis Prouinciæ domus aduersus molestantes impetrauissent; extendatur ad omnes, nullas prorsus indemnes, nullas ab eis immunes posse consistere. Serum esse præsidium in defensione, ab irrogata iniuria; quæ vt non præualeat, non potuit non nocere: anteuertendas offensiones à viris prouidis, quas vt repellere semper glorioſum sit; sed quanto glorioſius præcauere?

1. Quid, quod iam tunc per Prouincias Lugdunensem, Bisuntinensemque, & forte in aliis, quasi Rhemenses Episcopos vlturi, Episcopi inferebant nouas molestias: & quas in nostros promulgare prohibebantur, censuras Ecclesiasticas, in familiares, inseruientes, in Colonos, in eos, qui nostris quoquomodo communicabant; promulgabant sæueri; & iustè, vel iniustè promulgatas, vsque ad vltimas diras, atque earum ostēta prosequebantur? vix interesse, in nobis torqueamur, an in amicis, sociis, adiutoribus: si retrocedant, à cunctis deserendi. Quo, quid miserius? si persistant, in omnibus passuri. Esse Episcopis potentiæ suæ subnixam iurisdicendi formam; esse armatam familiam, ministrosque, per quos quæcumque iubeant, exequantur: multa de facto, cum de iure non possint, fieri; & semel facta, quamuis cum scandalo, postea in exemplum trahi; si repetantur, in iusta transitura. Obuiandum ingruentibus malis à viris prouidis, si fieri possit, antequam erumpant, sin minus, priusquam occupent; dum solum imminent, facile impediendis: si semel opprimant, ægrè reuocandis. Hæc à Prælatis Principibus Ecclesiæ.

3. Accessit nouum aliud genus grauaminum ab eisdem Episcopis per speciem pietatis, honorisque, eo periculosius, quo occultius; atque eo atrocius; magisque dolendum, quòd non per ipsos, sed per sæculares minus attentos; nec per quoscumque, sed per potentiores, nostrisque deuinctiores, inferebantur. In causis, sibi à Gregorio delegatis per Prouincias, per Regna, quasi non vllis aliis vti possent, quæcumque ardua, quæcumque difficilia, referebant ad nostros, quos etiam in patronos cœnobiorū, siue in benefactores, in vicinos potentes, diuites, nobiles, atque in Rectores propinquarum cœnobiis vrbium, quasi ipsis magis fiderent, denuntiare sententias, exequique; & si quæ alia inuisos reddere possent, compellebant inuictos: & vt Abbatibus ab his plerumque parcerent, in quos minus audebant, Verum Priores, Subprioresque à Conuentu abstractos continuis subdelegationibus, atque cunctis odiosis implicabant: & erant, qui putarent, nostris infensos, vt eos offensioni bus obiicerent, has occasiones quærere, per quas aut calumniari timidos possent, si remissius egissent, aut constantes, & gnauos, inuisos reddere; nec solum ab extraneis, remotisve, sed à proximioribus, potentioribusque, etiam ab ipsis Patronis deserendos. Ita vniuersos in nostros concitabant: dum debiliores ipsi per seipsos, quia nostris adhærebant, potentiores per nostros exagitabant.

Nec fraudabantur à desiderio suo, saltem in 4.
vltimis quibus plerumque minus pietatis, quo plus potentiæ. Semel conceptam in nostros offensionem, quo iure, qua iniuria, quibus poterant modis vlciscebantur: & quidam, quandiu aliter non possent, aut non auderent, Iuris patronatus honesto titulo, quidam aduocatiæ, custodiæve, exigebant pecunias; & neque gregibus parebant, neque segetibus: alij onerosi frequentibus hospitiis, non solum temporalia diripiebant, sed, quod magis dolendum, quibusque bonis spiritualem quietem perturbabant. Quippe interrupto Monastico rigore, per frequentes ingressus, regressusque, & diuersa, contrariaque exercitia, pro modesto silentio forensis strepitus; pro spiritualibus colloquiis, verba scurrilia; pro Dei laudibus, iurgia personabant. Abiiciebantur sibi regulares, pisces, & olera; & carnes, atque fercula exquisita, quæ disciplina claustralis abhorrebat, non sine sumptu; imò non sine scandalo multorum, affectabantur. Demum ne à fœminis quidem immunes domus, seu violenter intrusis, seu fraudulenter: seu tandem eo audaciæ ventum est, vt quod Reginæ Blanchæ concessum esset, idque semel in vita; inferiores putarent sibi licere; & vix inueniretur fœmina Princeps (adeò trahunt exempla) quæ non Monasteriorum septa ingredi, quoties illi liberet, & profanare claustra, hactenus inaccessa, machinaretur.

Hæc mala simul quatiebant Cistercij nauem: 5.
hos inter fluctus à turbine ventorum in diuersa distracta conflictabatur. Cum ecce, qui ad clauum sedebat, Guillelmus parens, infractus animo, atque ex ipsis periculis constantior, Romam per se, an per electos viros, atque ad id destinatos prouidus adiit; & qua pollebat gratia apud Gregorium, qua auctoritate apud omnes Cardinales, breui effecit, vt quatuor ingruentibus morbis, quatuor antydota, non solum opportuna, sed efficacia, à Sede Petri, eodem die manerent, quibus Episcopi ab illis grauaminibus, & & singulis eorum compescerentur: & neque nostri cogerentur esse molesti suis benefactoribus; neque ipsi è contra ab eis exacerbati, pro beneficiis molestias irrogarent. Ergo quod dudum Abbati Longi-Pontis, pro electionum, & electorum indemnitate, aduersus Suessionensem concessisset; primo ad omnes Ecclesias totius Ordinis, atque in omnes Episcopos, Capitula, atque omnes Archidiaconos extendit Vicarius Christi, litteris ad eundem Guillelmum datis, quas Ioannes Abbas inter alias vulgauit, in hunc tenorem[a].

a *tom. 1. priuil. 5.*

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis, Abbati Cistercij, & vniuersis Co-Abbatibus eius, Cistercienſis Ordinis, salutem, & Apostolicam benedictionem. 6.

Ex parte vestra nobis est oblata querela, quod cum auctoritate Apostolica sit inhibitum, ne vllus Episcopus, vel qualibet alia persona regularem electionem Abbatis Ordinis vestri impediat, aut de instituendo,

instituendo, vel remouendo eo, qui pro tempore fuerit, contra instituta Cistercienſis Ordinis ſe aliquatenus intromittat; ac vobis à Sede Apoſtolica ſit indultum, vt ſi Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, in quorum Diœceſibus domus veſtræ fundatæ ſunt, cum humilitate, ac deuotione debita requiſiti, ſubſtitutos Abbates benedicere forte renuerint, liceat eiſdem Abbatibus, ab alio Epiſcopo percipere, quæ à ſuo fuerint indebite denegata: Quidam Archiepiſcopi, & Epiſcopi, cum in veſtris Monaſteriis in Abbates aliqui eliguntur, de modo electionis inquirere, & examinare perſonas de vita, litteratura, & moribus, & electionem confirmare prædictam pro viribus elaborant: Capitula quoque ipſorum, eoſdem ſibi præſentari quærunt electos, & approbandi eos vſurpare ſibi nituntur temere poteſtatem: Archidiaconi etiam inſtallandi electos ipſos vendicare ſibi iniuriosè contendunt contra indulta Sedis Apoſtolicæ non modica venientes.

7. *Volentes itaque quieti veſtræ conſulere, ac veſtris grauaminibus in hac parte paterna ſollicitudine prouidere: ne talia præſumantur de cætero, & ne ab inſtituendis, vel inſtitutis Abbatibus, benedictionis prætextu, aliquid penitus exigatur; auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, vt ſi contra prædictam inhibitionem noſtram à quoquam fuerit propria temeritate præſumptum; ſit irritum, & inane: etſi aliquæ ſententiæ latæ fuerint, nullum robur obtineant firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis, & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit Omnipotentis Dei indignationem, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Laterani X. Kalendas Februarij, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.* Hæc in Epiſcopos, Archidiaconos, & Capitula quæque Eccleſiarum Cathedralium, pro electionibus. At pro ſeruientibus familiaribus, colonis, atque aliis, qui noſtris communicabant; ne vlterius in ipſis moleſtaremur, quia forſan per ſe reſiſtere non poſſent, aut non auderent, conſeruatores ſæueros, & graues dedit, Abbatem, & Priorem Cluniacenſes, noſtrorum verè amicos, Fratreſque; & qui vel vltro eoſdem defenſarent. Extant, & litteræ eodem die datæ in Regeſtis Gregorij, quæ & neceſſitatem patefaciunt, & adhibent cautelam, totidem verbis [b].

b *Epiſt.* 493.

8. *Abbati & Priori Cluniacenſi.*

Filij huius ſæculi, quos prudentiores filiis lucis in generatione ſua veritas proteſtatur, reiecta diſciplina iuſtitiæ, & obſeruatione fidei relegata, ſibi inuicem moliuntur inſidias, damna inferunt, iniurias irrogant, mouent lites, ad arma proſiliunt, concitant prælia, ſceleribus indulgent, inuicem ſe ad mortem, ſe ipſos perſequendo, dilaniant; nec ſufficere, ſibi credunt; non attendentes, quantum, qui talia agunt, digni ſunt morte! qui tam immaniter ſæuiunt in ſe ipſos; ſed etiam ad deſiderabilia Eccleſiæ, Fratres videlicet Ciſtercienſis Ordinis, qui remoti à turbationibus popularibus, in quadam mentis ſolitudine conuerſantes, vt ebullientes ab infimis, curas cordis, per ſuperni gratiam amoris reſtringant; qui dum inter ſe cum Domino ſibi ſecretum quærunt, vbi cum illo, exteriore ceſſante ſtrepitu, quaſi quodam familiari colloquio, per interna deſideria delectentur; extendunt nequiter manus ſuas: quorum peruerſitas vix eos habere patitur vnde viuant, quando peregrinationis ſuæ viaticum, vel conuitant per calumniam, vel excutiunt per rapinam: de quo etſi magnis doloribus vrgeamur, illud tamen intolerabilius nos vrit, quod ij, qui debuerant perſequutorum ipſorum flammas extinguere; non ſolum defenſionis manum, perſequutorum ignibus non apponunt; verùm etiam quoſdam ignes ignibus adiicientes, eos importabiliter perſequuntur.

Sicut enim ad nos dilectorum filiorum, Abbatis Ciſtercij, & Co-Abbatum ipſius Ciſtercienſis Ordinis, querela grauis, & ſtupenda peruenit; cum auctoritate Apoſtolica ſit ſtatutum, & expreſsè nihilominus interdictum, vt nulli omnino liceat in eoſdem Abbates inibi conſtitutos, contra id, quod ab origine Ordinis noſcitur inſtitutum, nec non in vicinos, vel mercenarios; pro eo, quod ipſos ad laborandum adiuuant in illis diebus, in quibus ipſis laborantibus alij feriantur, vel aliqua occaſione eorum, quæ à benignitate Apoſtolica eis indulta ſunt: ſeu benefactores ſuos, pro eo, quod aliqua eis beneficia, vel obſequia ſtudio charitatis impendunt; aut in aliquem de ipſorum familia, quandiu in eorum fuerit famulatu, pro eo, quod decimas, iuxta quod eorum Ordini indultum eſt, non perſoluunt, vel aliquid aliud, ipſis ab Apoſtolica Sede conceſſum: interdicti, vel excommunicationis ſententiam promulgare quidam Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alij Eccleſiarum Prælati, ac eorum officiales, tam in Imperio, quam in Regno Franciæ exiſtentes; ac in præmiſſas Prouincias, & alias, quæ ipſis vel emendo, ſeu vendendo, aut molendo in molendinis, vel in furnis eorum coquendo, aliterque communicant; interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ferre ſententias, contra indulta Sedis Apoſtolicæ, auctoritate propria, ne dicamus potius temeritate, præſumunt: vt ſic ſeruientes illos ſine culpa culpabiliter puniant innocentes; efficientes per hoc deterioris conditionis eos, quàm perfidi ſunt Iudæi, quos culpa propria perpetuæ ſeruituti ſubiectos, ex ſola miſericordia pietas Chriſtiana receptat; dum eis ſubtrahunt communionem fidelium, qui ab ipſorum Iudæorum participio non arcentur. 9.

Cum igitur nobis principaliter iniuriari probentur, qui priuilegia Sedis Apoſtolicæ irreuerenter impugnant, vel ſuperficialiter eorum verba tenentes, contra ipſorum gentiunt voluntatem, & priuilegiatos priuilegiorum commodis priuare conantur: nolentes tam abuſiuas enormitates, ſeu tam enormes abuſus non abſque iniuria Sedis Apoſtolicæ excogitatos equanimiter tolerare; mandamus, quatenus inquiſita ſuper præmiſſis diligentius veritate, ſententias, ſi quas, in Lugdunenſi, & Biſuntinenſi Prouinciis inueneritis ſic proferri, ſine difficultate qualibet penitus relaxantes; illoſque, quos eas tuliſſe conſtiterit, ad ſatisfaciendum eiſdem de damnis, & expenſis, quæ occaſione huiuſmodi ſubierint, modis, quibus conuenit, appellatione remota, cogatis: proceſſum veſtrum nobis fideliter reſcripturi, vt alias excedentes, ſic pœna caſtiget, quod exceſſus vlterius non procedat; non obſtante, quod tibi fili Abbas Cluniacenſis, ſicut dicitur, à Sede Apoſtolica eſt indultum, vt de cauſis, tibi ab ea commiſſis, cognoſcere non tenearis inuitus: Datum Laterani X. Kalendas Februarij, anno ſeptimo. Ita Gregorius ad Guillelmi inſtantiam, à Prioribus malis noſtros exemit. Sed cum adhuc reſtarent poſteriora, quibus, & graues eſſe ſuis patronis, benefactoribuſque per ſpeciem honoris compellebantur, exponebanturque eorum iniuris; duplices aliæ litteræ emanarunt, quarum vnas vulgauit Ioannes Abbas inter alia indulta, quas ſtatim dabo: aliæ, quæ nondum lucem acceperunt, ex Regeſtis extractæ, ita ſe habent [c]. 10.

c *Epiſt.* 481.

Abbati

Abbati Cistercij, & vniuersis Co-Abbatibus eius
11. *Cisterciensis Ordinis.*

Quanto studiosius diuinæ contemplationi vacatis deuote Domino famulando, tanto libentius quieti vestræ volumus prouidere. Cum igitur sicut porrecta nobis vestra petitio continebat, quod nonnumquã Iudices, à sede Apostolica delegati alicui vestrum, pleriũque Priori, vel subpriori Ordinis Cistercienſis iniungant, vt excommunicent, aut excommunicatos denuntient proprios sui Monasterij fundatores, seu ciuitatum, castrorumque, ac Villarum communia, in quorum territorio, vel confinio sunt Monasteria vestra sita, sine quorum pace subsistere non potestis: & quod ad Villas extra Monasterium personaliter accedentes, eosdem excommunicatos ab eis singulis diebus Dominicis & festiuis pulsatis campanis, & candelis accensis, publicè nuntient euitandos; propter quod quies Monastici Ordinis perturbatur, & frequenter incurritis odia plurimorum.

12. *Nos tranquillitati, & quieti vestræ volentes paterna solicitudine prouidere, authoritate præsentium districtius inhibemus, ne quis predictorum, absque mandato sedis Apostolicæ speciali, aut legati ab eius latere destinati, præmissa vobis iniungere, ac ad ea compellere vos præsumat inuitos: eadem authoritate vobis nihilominus concedentes, vt si secus, quod non credimus, præsumptum fuerit vos eis in præmissis non teneamini aliquatenus obedire. Nulli ergo, &c. Datum vt supra.* Hæc, ne in eos, à quibus protectionem, atque humanum fauorem sperabamus, agere per Censuras, atque eos denunciare compelleremur. Verum, ne ipsi, in quos processissemus vltra nos molestarent: & speciatim, ne fœminæ illustres nostrorum claustra ingredi præsumerent, has alias literas Gregorius Papa dedit quæ vulgatæ inter Cistercij priuilegia, non ideo minus veniunt transcribendæ.

dum 1. priuil. 14.

13. *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filiis Abbati Cisterciensis & vniuersis Co-Abbatibus eius, Cisterciensis Ordinis, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Quia refrigescente charitate multorum, adeo iniquitas abundauit, vt quorumdam succensa, velut ignis, impietas, contra Ecclesias, & personas Ecclesiasticas tanto validius inflametur, quanto rariores, qui eas tueantur, contra prauorum incursus, inuenit obiectores: nos quibus ipsarum cura, & solicitudo incumbit, ibi fortius insurgere cogimur, vbi persecutorum immanitas periculosius exardescit. Sicut enim nobis ex parte vestra grauis est oblata querela: nonnulli Principes, ac nobiles, occasione iuris patronatus, aduocatiæ, seu custodiæ, quam in Monasteriis, grangiis, cellariis, vel domibus vestris se habere proponunt; ac interdum etiam pro suæ libito voluntatis; & quidam Ecclesiarum prælati, à quibus deberetis non grauamen, sed solamen potius expectare; bladum, vinum, euectiones, animalia, & res alias, pro ædificatione, ac munitione castrorum, & Villarum, nec non pro tyrociniis, torneamentis, expeditionibus, & aliis vsibus eorumdem, à vobis exigunt, & extorquent, alias vos taliis, & exactionibus indebitis multipliciter aggrauando.

Præterea quidam ex ipsis, & alij carnes comedere 14.
in vestris domibus, ac mulieres etiam easdem domos ingredi contra instituta vestri Ordinis non verentur: propter quod, & quies Monastici Ordinis perturbatur, & graue commissis vobis Monasteriis imminet detrimentum. Quare nobis humiliter supplicastis, vt super his paterna prouidere solicitudine dignaremur. Nos igitur, & vestræ prouidere quieti, & molestantium malitiis obuiare volentes, authoritate præsentium districtius inhibemus, ne quis a vobis præmissa exigere vel extorquere, aut in vestris domibus vesci carnibus, seu mulier aliqua eas intrare præsumat contra Ordinis instituta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani X. Kalend. Februarij; Pontificatus nostri anno septimo. Hactenus Gregorius. Ergo hæc quatuor indulta eadem die, vigesima tertia Ianuarij, contra quadruplex malum obtenta, & expedita, intrẽtem annum nostris Guillelmi cura, & Gregorij largitate, fœlicibus auspiciis cõsecrarunt. Nec dubitare licet, paccata omnia vtriusque ope, & opera, quãdiu nil simile vlterius euenisse, aut alia morbis applicata remedia commemorantur. Atque hæc quidem generaliter obtenta pro vniuersa familia, nã quæ specialia pro aliquibus Ecclesiis, prouinciisve, tum ab eodem Guillelmo, tũ ab aliis impetrata legũtur, hoc ipso anno, ne confusionẽ pariant, sequenti capite seorsũ referemus.

---

1. *Plura alia priuilegia nostris indulta: 2. & declaratum à Gregorio nono, 3. Quid nomine exemptorum Cœnobiorum cum visitari iubentur, intelligatur. 4. De sigillis Abbatum, Conuentuumque, 5. constitutio pro nostris: 6. de decimis, 7 & vice parochorum augenda congrua, 8. & de dote in Græcia Ecclesiarum Cathedralium. 9. Impetrata, & non nulla in proprios Monachos, 10. & de fœminis, in Conuersas, saltem in grangiis vicinis Monasteriis, non admittendis.*

CAPVT SECVNDVM.

1. VT Generalia pro omnibus indulta Guillelmus Parens, ita specialia quædam pro aliquibus, iuxta diuersa grauamina ingruentia in diuersis Prouinciis, non ipse solus, sed alij etiam Abbates impetrarunt. Nam primo quidem quod ad ipsum attinet, quos vniuerso Cistercio datos diximus, Abbatem, & Priorem Cluniacenses, eosdem plane Cistercij Monasterio, tres ante dies ad quinquennium impetrauit, conseruatores: litteris sub intrante anno expeditis, in quibus hæc inter alia continebantur. [a]

a epist. 490

Abbati & Priori Cluniacensibus.

Sicut dilecti filij Abbas, & Conuentus Monasterij Cistercij nobis sua petitione monstrarunt, Monasterium ipsum à nouellis, qui nomen Domini recipere in vacuum non formidant, multipliciter molestatur; nos igitur, & eorumdem Abbatis, & Conuentus, prouidere quieti, & molestantium malitiæ obuiare volentes, vobis de quorum solicitudine fiduciam gerimus pleniorem, manda-

mandamus, quatenus eidem Monasterio contra peruersorum audaciam efficaciter assistentes, non permittatis eos, contra indulta sedis Apostolicæ ab aliquibus indebitè molestare. Molestatores huiusmodi per Censuras Ecclesiasticas coercentes, non obstante constitutione de duabus dietis, edita in Concilio Generali, dummodo vltra tertiam, vel quartam ex sua Diœcesi per literas Apostolicas aliqui non trahantur, præsentibus vltra quinquennium minime valituris. Datum Laterani, XI. I Kalendas Februarij, anno VII Hæc pro Cistercio.

2. In Anglia, occasione annuæ visitationis Monasteriorum exemptorum, tribus iniunctæ Clericis (& rarò Clericos Monachis præficias sine periculo) grauis nostris turbatio suborta est, cui nisi idem Gregorius subueniisset, potuit exemptionem Cistercij labefactare. Quippe ambitione extendendæ iurisdictionis per Monasteria exempta, quæcumque non subessent Ordinariis, interpretantes, quamuis alias à propriis superioribus, iuxta strictiores disciplinæ leges visitarentur; ad Cistercienſia claustra manu mittere; atque insignia illa Angliæ Sanctuaria, quæ prouinciam illustrant Eboracensem, Fontes, & Bellamlandam, aliaque visitare tentarunt; & quod ne Episcopi quidem ausi essent, cum alias simili fungerentur, delegatione priuatos Clericos vurspare non puduit; adeo semper plus audent, qui minus possunt. Ita cum maxime florebat obseruantia Cistercienſis familiæ, cum aliarum Comitiis, præsidere, easque reformare præcipiebatur; paucorum Clericorum sæcularium, aut superbiæ, aut cupidini exposita, minabatur ruinam (quid enim aliud ab ea Visitatione poterat sperari?) Si non interpellatus Gregorius nonus opportune occurrisset instanti malo. Occurrit tamen, noxamque auertit, litteris ad eosdem Clericos datis, queis, quam alienum ab eius mente fuerit id, quod ipsi intendebant, declarauit, verbis sequentibus. g

b epist. 230.

3. *Priori Dunelmensi, & Subdecano Eboracensi.*

Dilecti filij Abbates, & Conuentus Cistercienſis Ordinis, in Eboracensi Prouincia constituti, Nobis significare curarunt, quod cum visitationem exemptorum Monasteriorum eiusdem Prouinciæ, tam in Capite, quam in membris, vobis, & cuidam pœnitentiario Dunelmensi, ex officio nostro duxerimus committendam; & vos hac occasione niteremini eorum Monasteria visitare; ipsi nostram audientiam appellarunt. Cum autem intentionis nostræ non fuerit, vt Monasteriis Cistercienſis Ordinis, quæ adeo in disciplina regulari vigent, & visitantur secundum statuta sui Ordinis annuatim, debeant per vos, occasione prædicta, officium Visitationis impendi; discretioni vestræ per Apostolicam sedem mandamus, atque in virtute Sanctæ obedientiæ præcipimus, quatenus prætextu litterarum ipsarum, non exerceatis visitationem aliquam in eisdem; processum, si quem circa hoc habuistis reuocare curantes: Datum Perusij quarto Idus Nouembris anno octauo.

4. Orta & in nostros in eadem Prouincia, atque hoc ipso tempore, noua alia, inauditaque vexatio sigillorum Abbatum, Conuentuumque occasione quæsita; quæ in Cistercio, ab initio semper eadem, (fortè ad vnionem patrum cum suis filiis, atque indiuisam semper voluntatem significandam) & tamen non sufficere ad fidem, nisi essent diuersa; quippe duorum, qui possent dissentire, cum neuter solus satis ad lites esset, arguebantur. Itaque allegationes, exceptiones, etsi quæ alia occurrebant, solius Abbatis sigillo consignata, vt moris erat nostris reiecta passim, donec Conuentus interrogaretur, processum litium immensum retardabant. Accrescebat hinc nostris duplex molestia altera ex protractione, quæ fratres diu à Cœnobis exulantes impensis grauans, claustrali simul quiete defraudabat; altera, quæ plerumque solet contingere, quod dilationibus iustitia succumbebat, & nouis semper fraudibus, per quas caderet causa, locum dabant. Commune damnum singularius passum Monasterium de Rupe-Casell, Eboracensis Diœcesis, ad Gregorium pro se, & aliis recurrit, atque fideli relatione facta, impetrauit remedium, quod literis ad Abbatem, Conuentumque expeditis, prodesse cunctis voluit, qui applicauit. Litteræ porro in Regestis hæc habent verba. c

c epist. 331.

5. *Abbati, & Conuentui de Rupe Cistercienſis Ordinis Eboracensis Diœcesis.*

Adhuc Ismael persequitur Isaac, dum nonnulli saculi huius filij, qui prudentiores in generatione sua filiis lucis existunt, viros spirituales, maxime seruos Dei, multipliciter affligere non verentur. Vobis siquidem significantibus, intelleximus quod cum ab institutione Cistercienſis Ordinis fuerit ordinatum, vt in singulis eiusdem Ordinis domibus vnum dumtaxat haberent sub nomine Abbatis sigillum, quo Abbas, & Conuentus in Monasterij sui negotiis communiter vterentur: plerumque contingit, vt cum fratres Monasteriorum dicti Ordinis ab Abbate, & Conuentu ipsius, literis munitis sigillo Abbatis, eiusdem, pro causis, & aliis negotiis destinantur; pars aduersa, & eius aduocati malitioſe obiiciunt, literarum ipsarum cautionem non sufficere pro Conuentu: sicque pro sua calliditatis astutia, dictis fratribus non admissis, iuris sui prosequutio impeditur. Ea propter vestris deuotis precibus, inclinati, authoritate vobis præsentium indulgemus, & fratres, quos sub cautione talium literarum à vobis contigerit destinari, præmissis obiectionibus non obstantibus, in causis, & aliis negotiis Monasterij vestri, secundum statum prædictum, & morem solitum admittantur. Nulli ergo, &c. Datum Perusij X. Kal. Decembris, anno VIII.

6. Tamdiu stetit Cistercium, quamdiu indiguit: cum abundauit, prædæ, quibus potuit; æmulationi cunctis; & tandem sibi ipsi excidio fuit. Certe hoc anno diripi tentatum, non solum ab extraneis, sed à domesticis, quæ tria sequuntur indulta demonstrabunt, quæ nouis indiguerunt opponi vellicationibus. Alterum latum aduersus Episcopos Latinos, quæ ab Ecclesiarum Patronis, aut personalibus exigere deberent, exigentes á nostris, alterum contra sedes Cathedrales Ecclesiæ Græcæ, quæ sibi à nostris indebita vsurpabant; vtrique retorquentes verba Sanctionum, & vel inuita trahentes ad sua commoda; & tandem tertium longe mirabilius, quia longè rarius, in nostros ipsos Monachos (adeò nihil non peruertit auri cupido?) exulantes à claustris, & prætextu (nam quis alius esset?) alimentorum, sacrilegè inuadentes, atque etiam alienantes materna bona: vt palam fiat; de Cælo edoctum Stephanum, verum Cistercij Patrem, Magistrumque, tam sæueram pauperiem instituisse; non vt non haberemus necessaria, sed ne superfluis, quod euenit plerumque, aliorum auaritiam, atque nostrorum luxum concitaremus. Ergo hoc anno ab his tribus inuasi (si ita fari licet) qui tunc viuebant Patres, aduersus omnes remedia procurarunt; & primis quidem, quia latius serpebat malum, vniuersum

uersum Capitulum obuiauit, præsentata, Gregorio petitione, atque impetrata iustitia, sine gratia, verbis sequentibus. d

epist. 483. 7.

Archiepiscopis, & Episcopis, præsentes litteras inspecturis.

Dilecte filij Abbas Cistercienſis vna cum Conuentu Abbatum, qui ad Generale Capitulum conuenerunt apud Cistercium, nobis conquerendo monstrarunt, quod vos occasione statuti generalis Concilij, continentis, vt Parochialium Ecclesiarum Presbyteris, de illarum prouentibus sufficiens prouisio assignetur, consuetudine, constitutione Episcopi, vel cuiuslibet alterius non obstante, ipsos ad augmentandum prouisiones Presbyterorum Parochialium, de decimis quas in Parochiis percipiunt eorumdem, nitimini coarctare; licet decimæ ipsæ secundum moderationem Concilij generalis non pertineant ad easdem Ecclesias; nec ipsi ius patronatus, aut personatus obtineant in eisdem; non attendentes, quod de ipsarum Ecclesiarum prouentibus, quas persona, ac patroni sibi dicebantur pene penitus vendicare, huiusmodi est argumentatio facienda, sicut ex verbis eiusdem statuti colligitur euidentior. Ideoque præsentium vobis authoritate districtius inhibemus, ne Abbates ipsos, seu Monasteria eorumdem, huiusmodi prætextu, in iis grauare de cætero attentetis. Datum Laterani secundo Nonas Decembris anno VIII. Ita Gregorius ad Episcopos Latinos. Verùm in Cathedrales Ecclesias Græciæ, quæ alia in nostros abuti tentauissent constitutione, ad petitionem Abbatis Sancti Stephani Constantinopolitani, atque ad ipsum scribens, hæc quæ sequuntur. c

epist. 422. 8.

Abbati, & Conuentui Monastery Sancti Stephani, Cistercienſis Ordinis, Constantinopolitanæ Diœceſis.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod Venerabilis Frater noster Patriarcha Constantinopolitanus, ac quidam alij Archiepiscopi, & Episcopi Romanæ occasione constitutionis cuiusdam, quam venerabilis frater noster Episcopus Albanensis, tunc Apostolicæ sedis legatus in partibus Romaniæ, super legatis edidit defunctorum, & dilectus filius noster I. tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, dum ibidem legationis fungeretur officio, innouauit, de quibusdam, quæ vobis, & Monasterio vestro leguntur à decedentibus, tertiam à vobis indebite exigunt portionem. Cum igitur Episcopus, & Cardinalis prædicti sicut ex eorum interpretatione accepimus, non intellexerunt quod de his, quæ in ornamentis Ecclesiasticis, vel ad fabricam Ecclesiæ reparatione indigentem, Capellaniam, aut Ecclesiæ luminaria, necnon de his, quæ pro aniuersario septimo, tricesimo, ac vigesimo faciendis à quocumque leguntur, aliqua deberet solui portio Ecclesiæ Cathedralis; nos interpretationem eorum ratam habentes secundum ipsam constitutionem præfatam, præcipimus obseruari; firmiter inhibentes ne à vobis de iis, à prædictis aliqua portio exigatur, aut à vobis in prædictis aliquid fraudulenter in Ecclesiarum Cathedralium præiudicium procuretur. Nulli ergo, &c. Datum Laterani XV. Kalendas Decembris, anno VIII. Ita Gregorius: in qua eadem forma etiam scripsit Abbatissæ, & Conuentui de Percheio, ne simili subiacerent molestationi.

Restabat adhuc tertium grauius malum, à Pseudo filiis, quod insigne Cœnobium Prulliacense, Stephani parentis quondam proles, præ cæteris expertum, tale ab eodem hoc ipso anno rescriptum impetrauerat. f 9.

epist. 497.

Abbati & Conuentui de Pruliaco Cistercienſis Ordinis Senonensis Diœceſis.

Ex parte vestra nostris est auribus intimatum, quod quidam Monachi, & conuersi Monasterij vestri, Dæmoniacis cedentes insultibus, ab obedientiæ iugo sua sæpius colla subducunt, & reluctantes frena claustralis obseruantiæ, in omnem desiderij libertatem ad tumultus fugiunt seculares: bona Monasterij secum exportãdo; quæ si quando ad alios quocumque casu perueniunt, ea contra iustitiam detinere præsumunt, vobis contradicentibus, & inuitis, in animarum suarum periculum, & ipsius Monasterij detrimentum. Nos igitur vestris precibus inclinati; ne quis prædicta bona præter assensum vestrum audeat retinere authoritate præsentium inhibemus. Nulli ergo, &c. Datum Laterani secundo Kalendas Februarij, anno septimo.

Hoc ipso anno, ne temporalia sola nostris in cura viderentur, aut essent, Bullencurianum Cœnobium, cum in Grangia, vicina Monasterio, retineret conuersas, quas à Bernardi tempore introductas, ipso licet sæuerius obnitente, potentum gratia, & preces, & pietas incauta continuauerant, aduersus illas rescriptum impetrauit, quod precibus, potentiæque opponeret, si se aut repulsam passæ, aut obtentis frustratæ conquererentur. Atque ecce Exemplar rescripti Summi Pontificis. g 10.

g epist. 538

Abbati, & Conuentui de Bullencuria, Cistercienſis Ordinis.

Exhibita nobis vestra petitio continebat, quod cum à Beato Bernardo, & aliis Patribus Cistercienſis Ordinis, expresse inhibitum fuerit, ne in quadam grangia vestra prope Monasterium vestrum posita, decedentibus sororibus, quæ ibi tunc erant, aliqua exciperetur mulier in conuersam, cum ratione vicinitatis, siniſtra exinde posset suspicio saboriri, nihilominus tandem postmodum ad preces quorumdam Potentum plures ibidem sunt conuersæ receptæ, in graue scandalum plurimorum. Cum igitur non deceat vos Patrum statuta irrita facere, discretioni vestræ monemus attente, per Apostolicam vobis sedem mandantes, quatenus statutum præmissum studeatis salubriter obseruare. Datum Laterani VIII. Idus Februarij anno septimo. Hactenus quæhoc anno nostris indulta, non multa tantum, sed multiplicia iuxta multiplices occurrentes necessitates; quæ licet mensibus inter se diuisa, præcedentibus nectere, atque in hoc capite, placuit, coadunare.

1. *Sancti Bernardi Abbatis Sanctarum Crucium laus,* 2. *miracula, & domum prophetiæ,* 4. *Tum vitæ puritas, & de salute animarum eximius zelus.* 5. *Promotio in Episcopum & alia remissiue.* 6. *Sanctus Dominicus adscriptus Sanctorum Canoni:* 7. *& Cistercienses in Bulla ipsa laudati.* 8. *Festum illius Tolosæ celebratum,* 9. *& nostri ab ipso Sancto illuc adducti.* 10. *Notata quædam de vtriusqae familiæ necessitudine.*

CAPVT TERTIVM.

1. INTER hęc Sanctus Abbas Sanctarum Crucium, Bernardus Caluonius, sapientia, & gratia apud Deum, hominesque confortatus, & crescens, etiam miraculis, quæ frequentia patrabat, illustrabatur. [a] *Ferebant (ait Franciscus Abbas eiusdem domus in epistola ad Galcerandum, Episcopum Ausetanum olim, hodie Viguensem, ante tres, & trecentos annos scripta) ferebant, inquam, seniores nostræ domus, qui virum Sanctum assequi potuerunt, aut saltem eos, qui ipsum assequuti sunt, quod quadam die inuitatus in quodam hospitio apud Illerdam, dum ipse cum suis sociis, adhuc Abbas, ad mensam sederet, & quidam Monachus, ipsis epulantibus, lectionem diuinam legeret, vt est moris: auis quadam, qua vulgariter dicitur Calandria, existens in gabiola, garriens nimis, eos multum perturbabat, cui in nomine Domini præcepit, vt taceret. Cumque illa statim, quasi mortua taceret, & domina eius doleret, & multum sibi displiceret, putans illam fore mortuam; dictus Abbas, perfecta lectione, & cœna licenciauit eam. Quæ protinus surrexit, & statim more suo cantauit: de quo præsentes fuerunt plurimum stupefacti.* Hoc primum inter signa Sancti viri; cui vel bruta obedire, manifestum diuinæ virtutis, quæ in ipso operabatur indicium fuit.

[a] *Ex Archiuo Ecclesiæ Vichens.*

2. Nec solum creaturæ irrationales, sed etiam insensibiles, naturæ vim cohibebant ad iussa Sancti. Nam [b] *alio tempore, (ait idem Author in eadem epistola,) accidit, quod cum frugibus, quæ erant in quadam area iuxta Monasterium, quidam peruersi ignem supposuissent, venit illuc Abbas Sanctus; & accepta Cruce in qua est lignum Domini, proiecit eam super segetes ardentes: qui ignis virtute Sanctæ Crucis, & meritis ipsius sine dubio, illico fuit extinctus, & segetes restauratæ.* Ferunt, & quodam anno nimium sterili, cum Monachi dolerent, cum ne quas in horrea inferrent fruges, imo neque quas meterent; nec vineæ in mustum botros protulissent; Abbatem Sanctum verbis fidei plenis, eorumdem mœstitiam consolatum, tot spiculas erantes auulsisse, quot erant horrea, tot botrulos, quot cadi: & propriis manibus illas confricantem, hos comprimentem, & vasa musto, & horrea implesse granis, quæ non solum domesticis sufficerent, sed etiam peregrinis, atque pauperibus. Atque huius signi memoria conseruatur in eiusdem picturis, dum terens spicas, & botros manu comprimens, in tabulis plerumque depingi solet. Hæc de miraculis; nam communia alia restitutæ salutis multis infirmis, quia ex ipsa frequentia velut vilescunt, prudens prætereo; & rariora produco, quæ altius imprimuntur, & minus grauant.

[b] *ibid.*

3. Neque inferior in dono prophetiæ. Præterita, futura, absentiaque, quamtumcumque occulta, velut parentia promere, viro Sancto concessum à Deo fuit. Vnum è multis euentum in lucem dabo; qui non solum in ipso donum pandit; sed in cantu, atque precibus, virtutem, & Sanctitatem cuiusdam alterius Monachi, ex his, quos Christo genuit, satis conuincit. [c] *Alio tempore (ait idem author qui supra) cum de remotis partibus rediret ad Monasterium, & appropinquaret eidem, adhuc in via existens, subito descendit de animali, super quo sedebat, & stetit flexis genibus orando in terra per aliquam moram: cumque socij sui admirantes interrogarent eum, cur hoc egisset? Respondit: Quod ea hora fuit traditum sepulturæ corpus cuiusdam Monachi defuncti, cuius animam dum Conuentus flecteret genua, cantando more solito Antiphonam* Clementissime Domine, *ipse vidit in Cœlos ab Angelis deferri: sicque cognouerunt, cum intrassent Monasterium, quod illa hora corpus dicti defuncti fuerat traditum sepulturæ.* Hactenus quæ vigebant in Sancto dona gratuita.

[c] *ibidem.*

4. Cæterum, quod ad puritatem vitæ attinet, & honestatem morum, zelumq; quo non suam tantum, sed etiam proximorum salutem æmulabatur vt se ad hæc ipsa dona aptiorem redderet, audi miraculis cunctis mirabilius, quoddam ipsius factum; Monachi adhuc dubium, an iam Abbatis? quod idem author ad eumdem Præsul em scribit totidem verbis. [d] *Quadam vice, dum esset in partibus Illerdæ, & quædam mulieres vidissent dentes suos albissimos, dixerunt, quam pulchros dentes habes Monache; illeque cum audisset, & aliquantulum elongasset se ab illis, secreto petierit vnum lapidem de torrente, seu via, vbi erant, & fregit sibi dentes: volens implere mandatum illud Euangelium: [e] Si scandalizauerit te pes tuus, vel manus tua, aut oculus, proicies illum abs te.* Hactenus ex epistola, scripta sequenti sæculo, cum crebra ad sepulchrum Sancti miracula successores vrgerent, vt eum adscribi curarent sanctorum numero.

[d] *ibidem.*

[e] *Matth. 18*

5. His, & similibus, tum signis, tum virtutibus florebat Bernardus, & per eum Sanctæ Cruces in vniuersa Hispania, Galliaque, maxime in Aragonia celebratur: cum ecce, Ausetana sede vacante (Vique, vel Viche hodie incolæ dicunt) auulsus à filiis, inuitus licet, & obnitens in quantum potuit, consecratur Episcopus, communi populi, & cleri acclamatione. De eius promotione, hæc in epistola. [e] *Cum meritis ipsius exigentibus, Abbas Sanctarum Crucium effectus esset, sed deinde nobis ablatus, nobisque donatus, factus est pro tempore Episcopus Vicensis, & gradatim ascendens, sicut in functionibus, ita etiam iret de virtute in virtutem, quousque Deum Deorum in Sion videre mereretur.* Hæc de electione; cuius etiam annus, ex anno mortis deduci facile potest. Quippe defunctus quarto Kalendas Decembris, cum nouem annos, & paucos quosdam menses Ausanæ præsedisset, hoc anno electum esse, necesse est, vt numerus annorum constare possit. Cæterum, quantum Episcopus floruerit, qualiterque vt dignitate auctus, ita &

[e] *ibidem.*

virtuti

virtutibus, & donis quotidie crescens, ad magnum perfectionis culmen peruenerit; si quis fortè annales prosequetur, Deo dante describet; materiam latam plane, sublimemque, atque dignam scribi firmiori calamo.

6. Hoc ipso anno Gregorius Ecclesiæ Pastor, illustrem illam totius Ecclesiæ facem, Hispaniæ, Guzmanorum familiæ gloriam, Beatum Dominicum, ad totius orbis Christiani petitionem, Sanctis adscripsit, edicta bulla Canonizationis, vt vocant, in qua, vt quos habuit fautores, & cultores, quamdiu vixit, post mortem etiam haberet gloriæ participes, ex antiquioribus Religionum fundatoribus, sub quadrigarum Zachariæ typo signatis, solus Benedictus, & sub ipso, ac post ipsum Cistercienses atque eius filij Florenses, commemorantur. Porrò verba Sanctissimi Pontificis, neque tam propter nostros, & memoriam Bernardi, valde honorificam, qui nulla tunc egebant commendatione; quàm vt constet Ioachimi Abbatis prolem, Florenses Monachos, insigni, per hoc tempus, opinione Sanctitatis floruisse, vt qui nonnullis aliis post haberentur, etiam à Summo totius Ecclesiæ patre, ex Regestis excerpta ita se habent. [f]

Ioseph. 12. & Zacharia 6.

7. 8 *In quadriga secunda (nam in prima Apostolos, Euangelistasque, & primitiuam Ecclesiam numerauerat) in quadriga, inquam, secunda sub colore, qui lugentibus, ac pœnitentibus congruit, equestrem cuneum deputauit, qui ad clausirale desertum ductus per Spiritum, sub noui Israelis auriga, Sanctissimo Benedicto, velut sub altero, Heliseo, filij Prophetarum, communis vitæ bonum, occasione multitudinis perditum, in iucundæ cohabitationis gratæ Societate restituit; & sic vnitas scissum rete restituens, ac per opera pietatis ad terram Aquilonis, vnde omne malum panditur, proficiscens, eum fecit in ingressis thesauros vinis, & contritis corde quiescere, qui dedignatur in corpore subdito peccatis habitare. Post quos quasi lapsum renouaturus exercitum, & redditurus iubilum post lamentum, applicitis ad quadrigam tertiam equis albis FRATRIBVS CISTERCIENSIS ORDINIS, ET FLORENSIS, velut tonsarum greges geminæ charitatis, fœtibus vberes, de pœnitentiæ lauacro fecit ascendere, Sancto Bernardo ariete ouium, in virtute Spiritus qua ex alto indutus extitit, & in abundantia frumenti Vallium præeunte, vt transeuntes liberati per eum in fortitudine, clament ad Dominum, dicant hymnum, & ponant castra Dei exercituum super mare.* Hæc in litteris Canonizationis Sancti Dominici.

8. Cæterum, vt constaret Gregorium Papam, non proprio marte, aut casu; sed Deo ita inspirante, & Dominico Patre ita volente, hunc suæ tunc recentis familiæ nexum, cum antiquiori nostræ præstruisse; manifesta de cælo secuta signa, manifestæ visiones, iussionesque eiusdem Patris Sancti, ad nostros factæ vtriusque etiam alumnis innotuere. Qua die Tolosæ in primo omnium Cœnobio quæ Dominicus struxit, & in quo Ordo confirmatus legitur, vt supra dicebamus, primum illius festum peragendum instabat, atque totius, tum populi, tum Cleri, sed præcipue filiorum Sancti lætitia præparabatur; peragi nec debere, nec posse sine Cistercio, ipse etiam ostendit de Cœlo missus, & cuidam Monacho Sancto Grandis-Syluæ, Haimerico de Solemniaco, in magna, vt par erat, gloria apparens, vt pergeret Tolosam, enixe rogauit, atque ibi interesset, suorum cætui, qui celebris, solenniisque instabat, quamuis Grandis Syluanis ignoraretur. Rem totam ipse, qui præsens cunctis fuit, atque à Monacho accepit, cum & eumdem ad festum solicitaret, Stephanus Salanacus Dominicanus, grauis alias author (quem Maluenda transcripsit) his verbis prodit: sic autem habet. [h]

h *In Annal. hoc anno.* 9.

Die Beati Patris (Dominici) solemnitatem Primariam præcedente, contigit, me obuium habere in Tolosa deuotum virum, Fratrem Aymericum de Solemniaco, Monachum Cisterciensis Ordinis, cum multis Monachis de Grandi Sylua. Quem quia antiquus socius, & fidelis amicus Beati Dominici fuerat in domo Fulconis Episcopi Tolosani, instanter rogaui, quod ad festum veniret in Crastino celebrandum. Qui exultans in Spiritu (Spiritualis enim vir erat, & Sanctus) dixit: Omnipotens Deus, gratias ago tibi, quia glorificas seruum tuum Dominicum, quia per totam noctem fui per Spiritum in visione cum eo, & more solito post charitatiua oscula, post diuina colloquia, mutuo habita, obnixè rogabat, & omnimode iniungebat, quod hodie ad domum filiorum suorum venirem, & suæ curiæ interessem, solemnis enim futura erat valde. Et ecce veniam lato animo, & adero cum gaudio, & exultatione. In crastino venit cum multis (scilicet Monachis Grandi-Syluæ,) & munera orationum & laudum obtulit, honorans Deum in Sancto suo. Hæc Stephanus.

10. Porrò ex his, quæ concernant hos Annales, duo elicio, alterum est, Haimerici Monachi Sanctitatem reuelationesq; qui per hoc tempus florebat in Grandis-Syluæ tum, qua cum Sancto Patre, adhuc viuente, amicitia valuisset, familiaritateque, in ipsa Domo Episcopi contracta, Fulconis nimirum, quæ vtrique communis; adeo Dominicus, à Cistercio numquam auulsus. Alterum, quod in Bulla Pontificia, Cisterci laus, ad Sancti viri gloriam pertrahatur, ipso volenti factum; forsan, & reuelante aurem Pontificis: Quando & instanti illius celebrationi Monachum Haimericum, vt cum aliis adesset, & filiis suis congauderet, solicitauit. Adeò Dominicus nostris semper addictus, adeo eos semper non solum officiosos, sed etiam obsequentes expertus est: quod vtinam filij (vtrosque loquor) Dominicani, & nostri semper corde retineant, & quod parentes non solum incœpere, sed prosequuti sunt, ipsi etiam vsque hodie conseruarent. Certè comercium per plures adhuc annos inconuulsum mansisse, Angelici Doctoris ægritudo, & Sanctissima vita, ad Fossam-Nouam fœliciter exacta; atque cantica ibidem explanata, ad Monachorum instantiam, cum aliis pluribus, quæ sequentem tomum concernunt satis apertis indiciis manifestabunt.

1. *Iterum inquisitum de miraculis Elisabethæ Vngariæ*, 2. *atque occasio innouanda inquisitionis*, 3. *ex quibusdam Conradi Fratris excessibus*, 4. *pro quibus Romam adisse supplex dicitur*. 5. *Iteratæ Gregorij Papæ litteræ ad Abbates Cistercij*, 6. *& quinam illi?* 7. *Comprobata miracula illustria, & remissiuè de canonizatione*. 8. *Brumbacensis Cœnobij deuastatio, restitutioque*. 9. *Iacobi, Bertinensis Abbatis, Monachatus, præfectura abdicata*, 10. *& promotio Mathæi, Ioachimi Abbatis in Flore successoris*.

CAPVT QVARTVM.

1. HOc rursus anno, quarto ab eius obitu, de Sanctissimæ matronæ, Elisabethæ, Vngariæ Regis filiæ, & Lantgrauij Thuringiæ quondam viduæ, miraculis, & vita à Beatissimo Patre Gregorio inquiri iussum, & inquisitio denuò nostris iniuncta, ingenti acclamatione totius orbis. Verum qua occasione hæc reuocata, cum à morte Conradi velut sopita, nõnihil elanguissent; qualiterque processus ab illo factus cum Moguntino, & Abbate Eberuaci à Gregorio quæsitus; aut si is forsam non inueniretur, denuo instruendo, sed per eosdem testes, neque minus per nostros, sine quibus nihil magnum in Sancta fœmina, altius repetito principio prosequi libet.

2. Remanserant Lantgrauij fratres duo, Henricus, & Conradus, qui Elisabethæ filiis, pueris adhuc, rerum, pro eis, in Thuringia potiebantur. Ex his Conradus primo in Moguntinum, mox in VVormacienſem, Pontifices sacrilegus, quamuis in neutrum sine aliqua occasione, etiam vrbem Frixlarum hostiliter vastauit ferro, & igni: vtrumque facinus, & eorum occasiones Herforfordensis Anonymus antiquus in historia Lantgrauiorum Thuringiæ memoriæ prodidit. [a] *Anno, inquit, Domini M. CC. XXXIII. Sifridus Archiepiscopus Moguntinus à Monasterio Reinsborn aliquam summam pecuniæ extorquebat. Et quia Abbas dare recusabat, ipsum pœnæ grauioris culpæ subiecit, & in Capitulo in Erffordia Canonicorum Sanctæ Mariæ tribus diebus disciplinas recepit. Vltimo verò accidit, quod Conradus, Lantgrauius Thuringiæ, hora illa, dum prædictus Abbas deberet se præsentare ad disciplinas, & nudus in Superiori parte corporis, virgas in manibus baiulans, intrauit Capitulum. Quod videntes aliqui de familia Conradi Lantgrauij, sibi retulerunt, quam male Abbas tractaretur. Qui in furia magna Capitolium ascendit, & extracto cultello in Archiepiscopum irruit, & comam capitis deprehendit, & ipsum transfigere laborauit: sed præpeditus.*

a *Inter scriptores Germaniæ Anonym. Author in hist. Pphesford. cap.* 43.

3. *Mox dictus Conradus ciuitatem exiuit, & expeditionem indixit, & ciuitatem Frixlarum terræ Hassiæ hostiliter circumvallauit, & suburbia incendit. Et cum inde recedere vellet; mulieres lasciuæ murum ciuitatis ascenderunt, & vestibus eleuatis pudibunda ostenderunt sua, & Principi illuserunt, deridentes ipsum cum exercitu suo. Qui reuersus denuò ciuitatem obsedit, ipsam ferro, & igne destruxit, nec Ecclesiis, nec hominibus parcens; & Episcopum VVormacienſem, & plures Prælatos, & Canonicos cum ducentis militibus cœpit.* Hæc anno M. CC. XXXIII. sequenti verò (pergit idem author) *pœnitentia ductus, ciuitatem Frixlarum intrauit, & conuocatis ciuibus in foro, publice se prostrauit, & humiliter veniam petiuit; & ciues in multis bonis libertauit, & decimam, quam de terra Hassiæ habuit, Canonicis ibidem, proprietatis titulo, in emendam tribuit. Demum religioso habitu indutus, Ordinis Theutonici frater effectus est: & donauit, iusto donationis titulo, Curiam Griſtede, Hospitale Sanctæ Elisabeth, Ecclesiæ, dedicatæ ab eadem, & fundatæ in honorem Dei Genitricis Mariæ.* Hactenus ibi.

Nec multo post quamuis tempus nonnihil differt, sic ait. *Conradus Lantgrauius iter arripiens versus Romam, cum transiret Sueuiam, intrauit Curiam Imperatoris Friderici: & honorifice est ab eo receptus cum suis militibus, & armigeris. Et postquam ibi mansit pluribus diebus, vltra progrediens, & Romam veniens à Papa Gregorio reuerenter est receptus, & à peccatis suis sibi confessis, ab ipso est personaliter absolutus. Et cum ibi esset eleemosynas largas dedit, & omni die quatuor de viginti pauperibus cibum propriis manibus ministrauit. De vita S. Elizabeth, vxoris fratris sui, & miraculis post vitam factis, frequenter cum Papa collationes habuit, & pro Canonizatione eiusdem laborauit & reuersus ad Alemaniam, in ordine suo, Diuinis cultibus die, noctuque inhærendo, profecit: & factus est Theutonicæ rector, & Magister.* Hæc in antiqua historia Thuringiæ Principum. Ergo hac occasione restituta, quæ à nece Conradi inoleuisset, dum aliis curis Gregorius distrahebatur, deuotione in Lantgrauiam, repetitus processus, qui olim per Siffridum, Conradumque, atque Eberuaci Abbatem instructus fuerat: & ne, si fortè non inueniretur, Siffrido aliis negotiis occupato, penes quem tamquam principaliorem, credebatur mansisse, nouum mandatum ad Eberuacensem Abbatem directum est, duobus aliis Collegis substitutis; nempe pro Moguntino, Ildesheimensi Episcopo? & pro Conrado, Abbate Vallis-Sancti Georgij, Cistercienſi non minus, literis ad eos datis in quibus; si procedant ad inquirendum, eosdem testes, quos priores examinassent, vtpote instructiores in rebus Sanctæ, reuocare iubentur, in hæc verba.

b *vbi supra cap.* 45. 4.

c *Ex regist. & in Annal. Minorum hoc anno num.* 5.

Episcopo Ildesheimensi, & de Valle Sancti Georgij, & Eberuacensi Abbati, Cistercienſis Ordinis, Moguntinæ Diœcesis.

Ne possimus argui, si lucernam dignam super candelabrum collocari, detineri sub medio patiamur, præsertim cum euidentibus indiciis de cælo noscatur, emittere multa radios claritatis, discretionem vestram per Apostolica scripta in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus inquisitionem, quam de miraculis Beatæ recordationis Elisabet, Lantgrauiæ Turingiæ, per Venerabilem fratrem nostrum, Archiepiscopum Moguntinum, & bonæ memoriæ Magistrum Conradum de Marborch, fieri mandauimus, nobis per solennes Nuncios, quorum committi meritu tanti excellentia negotij debeatur, ad nostram præsentiam,

præsentiam, infra quinque menses post susceptionem præsentium, destinetis. Verum, si præfata inquisitio fortè præ manibus non habetur, vos habentes præ oculis diuinæ reuerentiam maiestatis, testes eosdem, quos dicti Archiepiscopus, & Magister super ipsius Elisabethæ miraculis receperunt, aut alios, si habere poteritis side dignos, aduocatis ad hoc viris prudentibus, & in iure peritis, examinantes qua conuenit solicitudine diligenti, dicta eorum, & seriem testimonij, de verbo ad verbum in scriptis fideliter redigi faciatis; quæ, vt instruamur de dono gratiæ, quam circa gratitudinis filiam videtur virtutum Dominus effudisse, sub vestris, ac Prælatum nec non religiosorum virorum sigillis, infra dictorum mensium spatium, omni occasione postposita, nobis mittere procuretis. Quod si non omnes &c. Tu frater Episcope cum eorum altera &c. Datum Perusij V. Idus Octobris, Pontificatus nostri anno VIII.

6. Hactenus secundæ litteræ Gregorij pro inquirendo de vita, atque miraculis sanctissimæ matronæ Elisabethæ, in quibus tamen notandum, cum de prioribus faciunt mentionem, non memorare Abbatem Eberuacensem, qui idem semper manens non egebat de nouo nominari; sed eos tantum, pro quibus, alij ab eodem Gregorio subrogabantur. Quin ideò, si processus non compareat, eosdem testes iubentur examinare; nimirum, Abbate Eberuacensi perseuerante in eadem commissione, facile erat, ex præhabita notitia eadem testimonia reuocare; alias primo processu non comparente, si nullus ex prioribus delegatis perseueraret, non erat vnde testes dignosci possint, vt iidem examinarentur per posteriores iudices, qui antea deposuissent coram prioribus. Atque ex his omnibus corrigendus venit scriptor, qui pro Eberuacensi, Erbordensem Abbatem nominat, in Minorum Annalibus transcriptus. Quippe nulla Abbatia Cisterciensi eo appellata nomine in vniuerso orbe, nedum in diœcesi Moguntina, quam scripta memorent. Lucas VVadingus vtrumque Abbatem memorat [d], atque alterum Hermanum, Vallis-Sancti-Gregorij, Raymundum alterum Eberuacensem, tradit cognominatos. Hæc ad hunc annum.

d vbi supra.

7. Non constat, prior processus inuentus fuerit, an secundus instructus per nouos iudices, ex noua eis delegata iurisdictione? Illud compertum, siue vnum, siue alterum remissum ad Pontificem, satis superque ostendisse Dei gloriam Sanctæ miraculis, quæ in dies plura, & plura perpetrabantur. Chronicon Belgicum, mortuos suscitatos ad duodenarium numerum producit. *Ita Elisabeth ait tanta, & talis fuisse dicitur, quia per eam Dominus multa fecit miracula, & vt dicitur, duodecim iam mortuos suscitauit, &c.* Reliqua adeò creuisse probantur, vt numerum excederent, neque facile possent computari. Qualiter autem his, & aliis motus Gregorius Nonus, communicato consilio cum Cardinalibus, fœminam Sanctam Canoni adscripserit, & festum eius celebrari præceperit per totum Orbem, litteris datis ad Episcopos, & Prælatos, & specialibus ad Reginam Castellæ Illustrem, Beatricem, Ferdinandi cognomento SANCTI coniugem, Sanctæ Elisabethæ consanguineam, anno sequenti, quo euenit, dicemus.

8. Sub idem tempus, cum bellum atrox esset inter potentes Bauariæ, & Austriæ Duces, Brumbacense Cœnobium in Germania, multa ab vtriusque militibus plura à viris factiosis, & proscriptis, per speciem militantium passum est; direpta domo, & multa præda abacta, quin etiam Monachis violenter inde eiectis; & domo Dei, Spelunca latronum facta quoad vsque hoc anno *M. CC. XXXIV.* (*ait Stero in Annalibus*) *Dux Bauariæ super Monasterium repente irruens, multos proscriptos qui se in eodem Brumbacensi Cœnobio, eiectis Monachis, receperant, comprehendit. Quorum quosdam suspendit, & alios capite plecti iussit circiter quadraginta.* Hæc plerumque stipendia bellorum sunt, & multo prius impugnent amici, etiam quos veneramur, quam hostes ipsi. Et si quæ fortè milites omittunt, perpetrent ciues, quasi nihil sibi timeant imputandum; demum, vt illuc flagitiosi coeant, velut impune inter arma grassaturi.

f *Ad hunc ann.*

9. Hoc item anno Bertonicensis Abbas, Iacobus, vir Sanctimonia morum, & doctrinæ affluentia venerabilis, dignitate abdicata, mutauit habitum, & Monachum in Claro-Mariscо professus est, priuatam vitam ibidem peracturus. Memorat factum Viri Ferreolus Locrius, in suo Chronico Belgico, ita scribens [g] *Anno M. CC. XXXIV. Iacobus Bertonici Cœnobij Abbas, Theoricæ vitæ sitiens, abdicata cura præsulatus, altera Purificationis (Hyppantem Græci vocant) Beatæ Virginis die Sacra, Claromariscum appetit; ibique Bertonicis ign orantibus, Cisterciensis Ordinis regulam profitetur. Quod cum post modum iisdem innotuisset, Iacobum de VValsselim in successorem elegerunt.* Hæc ile. Cæterum Iacobi huius exemplum post annos XXXII. Giserbertum sequutum, ex eadem Abbatia, ad Claro-Mariscense Cœnobium conuolantem, si sit qui prosequatur hos Annales, cum aliis, quæ concernunt illius transitum, suo tempore erit referendum.

g *Ad hunc ann.*

10. Eodem anno, teste Iacobo Græco [h], neque enim alium authorem habere potui, qui Ioachimo successit, Mathæus Abbas, Florensis non solum Monasterij, sed & congregationis communis parens, cum annos XXXII. præfuisset, plus minusve, in Episcopum Geruntinensem in Apulia promotus est; nec quid aliud de eo hactenus scio. Ita Iacobus Græcus in præludiis ad suam Chronologiam, vbi Sanem, seu Ioannem, successorem apud Florem habuisse, testificatur.

h *In præludiis ad Chronolog.*

1. *Tarasia Vidauria, Cistercio tandem seruanda, 2. diu à Rege Iacobo solicitatur: 3. sed nisi credito viro, non consentit, 4. Ex contubernio duos ei filios parit. 5. Rex Iolantem, Vngariæ Regis filiam, super inducit: 6. Ferdinando occulte, pro Eleonora, 7. Conuentu habito Hortæ: 8. Tarasia publicè nuptias impedientibus. 9. Demum initia Monasterij Benifazani.*

CAPVT QVINTVM.

1. HOc primum anno memoria nobis incidit insignis, forma, genere, opibusque, sed constantia, & virtute supra fœmineam insignioris viraginis, Theresiæ Vidauriæ, Iacobi Regis coniugis, an pellicis? Certe dignæ coniugio; & quæ non antea ab eius nuptiis destitit, quam potentioris, cœlestis Regis, thalamo, in Cistercio professa potiretur. Ædificato illustri Cœnobio Virginum, Sanctæ Mariæ de Gratia, vulgò *de la Zaidia*, in vrbe Valentia, in quo sæculi dubiam pudicitiam, & iuuentutis lubrica, Sanctissima Senecta; Senectam Sanctam, morte glorioſa, & miraculis clara consumauit. Et obtinuit in causa coram Pontifice, vt coniux, non adultera, saltem post Iolantem; & filij, quos ex Rege concepissет ex legitimo thoro, etiam ipso Iacobo consentiente, atque ita declarante, reputarentur. Rem tum ipsius, tum Iacobi titulo, atque alias ex duplici cœnobio, hac occasione erecto (nam & Benifazanum in Valentia, quamuis ante conceptum, hac lite obstetricante, lucem vidit) demum ex incidentibus diuersis, Cistercienses Annales concernentem, altius repetito principio prosequi libet.

2. Iacobi Regis diuortium ab Eleonora, clandestini concubitus, & vaga, vt solet, Venus, sequuta est: ætate ipsius impatiente cœlibis vitæ, & rara inuenta in toto Regno fœmina, quæ non se cuperet, ne dum pateretur, à Rege iuuene, & tot dotibus ornato, tot victoriis glorioso, solicitari. Vna fuit Tarasia, filia Ægidij, cognomento Vidauria, quæ sanguine inter primas totius Regni, pulchritudine cunctas, sed longe magis pudicitia superans, mortales omnes etiam ipsum Regem; illos, vt inæquales, hunc nisi iusto thalamo admittendum, tamquam omnino indignum aspernabatur. Hinc amor Regis crescens, à repulsa; & siue doluit, se aliquid non posse, qui cætera potuisset; nec satis Regem esse, quem id effugeret; seu maius aliquid, sublimiusque latere in Virgine putauit, à qua vel ipse, qui tot vicisset hostes, tot vrbes subiugasset, despiceretur; victus, non solum manus, sed cor dedit, ab amore Tarasiæ possidendum. Itaque vt antea bellum, arma, duces; sic tum Tarasiam pectore, sic ore; & præter illam, nihil cogitabat. Haud aliter Rex Sanctus Dauid olim in Bersabe exarsit: nisi quod ille, quam facilem inuenit, breui obliuisci potuit, si voluisset. Hic auersantem illicitos concubitus, quo minus, quod volebat, consequebatur; eo intemperantius deperibat. Et credi potest, vt cupidinem Iacobi, à resistentia Virginis; ita & Tarasiæ, constantia, seu factum mauis, creuisse à Regis nimia solicitudine: siue se ipsam pluris ipsa facere, quam tantus Rex arderet; & cui, sui oblitus, pene succumberet: siue minus timeret amittendum, quem tot vincula necterent; nec sibi iam solæ propriæ dotes, vt prius; sed multo magis ipsius obstinatio, & nisi vinceret, pudor, conciliabant.

Sic multo tempore vtrimque pugnatum est (nam & pugna in amore) dum Rex Tarasiæ, impugnare pudicitiam; illa è contra studet propugnare. Vter vicerit? in dubio adhuc existit; quippe non antea expugnata arce pudoris, quam matrimonio Sacra copula fuit: vero, an putato tantum? Quis discernat? Certe, si probabiliter putatum, Tarasiæ tum honori, tum conscientiæ, quamuis deceptæ, satis superque fuit. Illius porro probabilitatem, duo mihi argumenta persuadent, vtrumque efficax; alterum est, sacrilegium Regis, sequutum in Gerundensem Præsulem, quem in causa à Tarasia testem productum, atque testificantem, mulctari fecit (linguam illi præcidens) velut qui eius confessionem detexisset; ex quo duplex erumpit coniectura. Prima, quod Rex ex solo testimonio (neque enim nomen proditum) deuenerit in testis cognitionem: quod, quando posset, si falsum protulisset? Secunda, quod in confessione nota reuelasse Episcopum, tam verbis, quam facto ipso, conqueſtus sit, vt suo tempore prodent hi Annales; quod tamen crimen committere non potuit, nisi id reuera Rex confessus esset. Alias non vt reuelator confessionis, sed vt impostor, & periurus accusaretur. Alterum, quod post longa satis litem, Gregorius Nonus, & legitimos filios, & matrimonium, si violans obiret, obtenturum valorem declarauerit, iusseritque Iacobum illi stare. Quæ sententia, etsi anceps satis, & dubia, Tarasiæ, aut nuptiis, aut saltem bonæ fidei, multum fauere, nequaquam potest in dubium reuocari. Sed de his omnibus latius suis locis: nec quæ hunc annum concernunt, & si quæ præcesserunt, aperiamus. 3.

Vtcumque fuerit, Tarasia, aut vera coniux (neque enim tunc clandestina coniugia irrita censebantur, erantve) aut se coniugem putans, quamuis occultam, ne Regni Proceres zelo Regij nominis, siue inuidia ipsius tumultuarent; duos susceperat filios ex Iacobo, Iacobum, & Petrum, quos, si Alfonsus, Eleonoræ filius obiret, & successores Regni, & suæ famæ sperabat propugnatores. Nec resistebat Iacobus, amore fœminæ; imo & Alfonso, quem ob Eleonoram, exosum iam habebat, anteponendos non obscuris promissis indicabat. Siue reuera tunc ita sentiret (adeo Tarasiæ hærebat illius animus) siue timeret, coniugij specie captam, si forte de coniugio dubitaretur, amittendam statim, & neque filiis, nec longa consuetudine, neque illecebris Regis retinendam. Quadriennium, plus minus, ita exegerant; cum ecce fama Regis latè diffusa per vniuersum orbem, atque ignorato Tarasiæ matrimonio, seu contubernium maius, multæ fœminæ illustres Regium illius thorum solicitabant. Refertur inter alias pulchra filia 4.

illustris

illustris Ducis Austriæ, qui, vt verbis Bernardini Gomesij vtar [a] *ab vltimis Germaniæ finibus, legatos ad Iacobum misit, qui amplissima oblata dote, ad contrahendum cum filia matrimonium inuitarent.* Non placuerunt Iacobo Virginis nuptiæ, idque, vt ipse asserebat, quia non Regiæ: sed qui secretum nouerant, ne omitteret Tarasiam, submurmurabant.

5. Diuino nutu, an consilio hominum factum? variæ interpretabantur, qui tunc viuebant. Illud compertum, statim Regi oblatam Virginem Regiam, Iolantem scilicet, Andrea Regis Vngariæ per pulchram filiam; quæ interuentu Gregorij Summi Pontificis (quominus posset à Rege recusari) missis etiam à patre, ad eum legatis, Barchinone oblata, admissaque, Eleonoræ in Castella viduitatem, seu cœlibatum dicas, atque Tarasiæ torum in ipsa Catalonia conturbauit. De his idem, qui supra Bernardinus (nec dissonat Zorita) hæc habet verba [b]. *In ipso temporis articulo (scilicet cum Iacobus excusabat nuptias Virginis Austriæ) industria, & authoritate Gregorij Noni, Pont. Max. matrimonium Iolantis, filiæ Andreæ, Regis Vngariæ, ac Petri Altisiodorensis Imperatoris neptis, cum Iacobo fuerit contractum; ad idque nuntiatum est, venisse Barcinonem Bartholomæum, Episcopum Quinque-Ecclesiensem, & Beraldum, præstantissimum Vngariæ Comitem; qui dotis nomine obtulerunt librarum argenti duodecim millia; cum aliis decem millibus ex materna dote Iolanti accessuris; ac aliis etiam ducentis auri libris, à Duce Austriæ debitis, necnon certam Namurcensis Comitatus partem in Flandria; cum nonnullis oppidis, tam in Gallia, quam in Vngaria: tum animi dotes, quibus Iolans vniuersas sui temporis fœminas superabat, vt tanto dignam viro fœminam decebat.* Hactenus de Iolantis nuptiis oblatis, atque à Iacobo acceptatis circa annum; subdit enim sponsiones, atque repromissiones, harum nuptiarum, Barchinone factas, octauo Kalendas Martij, anno Christianæ salutis M. CC. XXXIV.

6. Cæterum de turbata tum Castella, tum Catalonia earumdem occasione nuptiarum; ob Eleonoram priorem coniugem, Ferdinandi Castellæ Regis amitam, cui caruisse Iacobo, longe facilius, quam eumdem ab alia possideri, forte more fœmineo, visum fuit; quippe ad Cœlibem, aliqua spes aditus: ad nouas nuptias, sola desperatio; & de super-inducta, vt fœlicioris, repudiatæ inuidia: demum Alfonsi filij contemptus, si fratres nascerentur, comminabantur: hac, quod Tarasia, deceptam se cognoscens, nullum omnino lapidem non mouit, quo suas nuptias certas, firmasque, quascumque alias inanes demonstraret. Itaque quod ad motus Castellæ attinet, qui & ipsi concernunt hos Annales, ex loco, in quo compositi; Ferdinandus pro amita sua solicitus, sed nihilominus nolens eam exponere iteratæ repulsæ, quæ in fœminis grauior, quocumque malo; non diuortij, sed dotis litem mouit, quasi ea ante omnia illi reddenda; firmandaque in conuentu vtriusque Regis, atque ipsius Eleonoræ; & designato, in quo omnes conuenirent, Cœnobio Hortæ, Alfonsi, Eleonoræ parentis, & Ferdinandi, aui, glorioso opere, quod in finibus surgit vtriusque Regni. Porro hoc prouidere tentatum à Ferdinando, vt si Iacobus forte visa fœmina, quæ ipsum virum fecerat, excitatis speciebus incalescceret, atque ad primum amorem, vt fit, rediret, sine mora reduceret: sin minus, quasi nihil tale voluisset, firmata vterque dote, veluti conuenientes, vnusquisque ad propria reuerteretur. Atque ex his hoc secundum euenisse (nam vicit primum amorem posterius odium) testantur authores, qui in hæc verba loquuntur de hoc Conuentu [c]. c *vbi supra.* 7.

Antequam tamen Iolans ad Regem deduceretur, necesse fuit controuersias cum Eleonora ortas de suppeditandis vitæ alimentis componere, idque fuit præsente Ferdinando, Castellæ Rege, Leonoræ fratre. Quare conuenere ambo vna cum ipsa apud Cœnobium Hortæ, Ordinis Cisterciensis, in confiniis Aragoniæ, & Castellæ situm; itaque conuenit inter ipsos, vt Fariza oppido cum arce, & agro, Leonora viua, nulloque iuncta viro, potiretur, ac neque propterea quicquam eorum, quæ antea assignata fuerunt, nomine dotis, alimentorum, ab ea detraheretur. Præterea, vt Alfonsus filius cum ea esset, neque contra eius mentem, ante tempus, cuiquam matrimonio coniungeretur: nec non vt Leonoræ, vt Reginæ, honos haberetur. Iis ergo pactis, & conditionibus acceptis, Fariza fuit Leonoræ tradita: quæ cum in gratiam Regis omnem redeundi spem à se abiecisset, Cœnobium Præmonstratensis Ordinis in oppido Almazano, in confiniis Aragoniæ exædificauit, ibique perpetuam, ac piam cum religione vitam coluit. Hactenus, quæ in Castella pro Eleonora, imo & quæ Eleonora ipsa peregit. At de Tarasia, audi quæ sequuntur [d]. d *ibidem.* 8.

Concluso Leonoræ diuortio, antequam matrimonio Iolantis daretur locus, Teresia Vidauria, Ægidij filia, fœmina, de qua antea diximus, pernobilis, venustissimaque, ac prudentissima, cum qua Regi aliquot annos contuberny necessitudo intercesserat, duabus ex ea susceptis filiis: Iolanti sese opponere, suoque matrimonio, alterius impedire decreuit. Præterea quod conscia sibi diceret, se non contuberny modo; sed stabilis, ac certi matrimonij iure esse Regi coniunctam: ideo nuptialibus fascibus illud cohonestare velle. Quod plane iam non occulte, sed palam moliebatur, ac neque blandis Regis verbis à cœpto discedere; neque minis rursum, ac indignatione deterreri poterat, quominus procaciter in Regem debaccharetur, constanterque ipsum perfidiæ argueret: quo aduenit Iolans, præsentique huius matrimonio, Teresiæ futurum fuit explosum; ac nihilominus ipsa in maximum Iolantis odium incurrit. Quare huius timens insidias, sese, ac filios, ab eius præsentia, & consuetudine subduxit: interim tamen ad summum Pontificem Romanum, aut abiit, aut misit illos qui ipsius nomine Regem in ius vocarent, totumque matrimonij iudicium ad Pontificem deferrent: promittens, se quidem non ante causæ cessuram, quam mors alterutrum causa cedere coegisset. Itaque contestata lite, diutius res in controuersia fuit, quo ad Teresia grauissimo pro se dato testimonio, non modo rem, sed Regem ipsum in summum, atque extremum pene discrimen, vt dicimus, adduxit. Hactenus ibi: & nos de rebus Tarasiæ, vsque ad hunc annum.

9. Hoc ipso anno, aut sub finem præcedentis, cum Iacobus, Morellam, Vallentiæ oppidum, non multo ante expugnasset, à Sarracenis, à quo vniuersam Valentinam expeditionem fœlicibus initiis auspicabatur; vt eam victoriam authori suo referret, atque alias impetraret, quas iam parabat; illustre Monasterium Benifazanum dicandum Virgini, atque ipsi specialiter addictis, Cistercien sibus Monachis tradendum, ædifica-

a *lib. 10. in principio.*

b *lib. eodem paulo post.*

re

re cœpit; superbum opus, & dignum eius animo, si non exhaustus continuis bellorum sumptibus, non multo post cessare coactus esset Cessauit tamen breui resumpturus intermissa ædificia; cum perpetrato atroci Sacrilegio in Gerundensi Præsule, quod supra dicebamus; cum absoluendus à legatis summi Pontificis, inter alia non leuia, iussus est [c], *vt Cœnobium Benifazanum, in montanis Dertosani agri situm locis, quod ante annos quatuordecim, post captam Morellam, in honorem Sacratissimæ Virginis inchoarat, sumptuosissime exædificaret, & perficeret, illudque dote ducentarum marcharum, vt dicebant, argenti, in annuos reditus locupletaret, & ornaret.* Ita Gomesius, sed de his suo loco, si fuerit fortasse, qui prosequatur.

[c] *ibidem lib. 14.*

---

1. *Imminente in Hispania atroci bello, inter Aragonenses, Nauarrosque,* 2. *Gregorius duos Cistercienses Abbates, ad vtrumque Regem legatos mittit,* 3. *per quos pax stabilita.* 4 *In Anglia inquirendis miraculis Sancti VVillelmi, duo alij præficiuntur,* 5. *quibus negotium secundo etiam remissum.* 6. *In Polonia Cracouiensis Episcopus.* 7. *Monachum, de licentia Gregorij, induit.* 8. *Verum ad petitionem Cleri, & populi,* 9. *atque Capituli Ecclesiæ Cracouiensis,* 10. *iubetur in pastorali cura perseuerare.* 11. *Quis ille? Atque eiusdem notitia breuis.*

CAPVT SEXTVM.

1. PER idem tempus, cum sæuum, & atrox bellum immineret Hispaniæ, Iacobo Aragonensi, & Theobaldo, post mortem Sanctij Regis, quæ in hunc annum incidit, inter se decertantibus super Regni Nauarræ successione: quippe Iacobus, ex adoptione mutua, quæ inter Sanctium, & ipsum præcessisset; Theobaldus, iure sanguinis, quia nepos, ex sorore antecessoris, quia vltimis tabulis Sanctij designatus, & quia à Proceribus totius Regni ascitus; vterque ad se spectare differebat; cum inquam atrox bellum inter vtrumque, aut immineret, aut saltem timeretur: Gregorius Nonus pacis semper amans, & pro vtroque Rege æquè solicitus, destinare ad vtrumque legatos voluit, qui eius siue verius Christi nomine, inter vtrumque pacem conciliarent: & siue per se ipsos conuenirent; siue per arbitros, seu tandem rem ad Pontificem referrent; quoquo modo efficerent, vt gladios imminentes mutuis ceruicibus, ab eisdem auersos, in hostes Christi glorioſius, si exerendi; sin minus ad quietem prouocarent. Et electi ad hoc munus duo Abbates, Cistercienſis vterque; Verolæ, atque Oliuæ; alter ex Aragonia, ex Nauarra alter; qui simul cum Calagurritano Episcopo, & mandata perferrent; & reluctantes, quod timeri poterat, pondere authoritatis compescerent, atque efficacia rationum, quas proponerent, quantumuis retinentes obligarent. Gregorij litteras ad Reges non inueni; quas ad Episcopum, & Abbates scripsit, sic habebant [a].

[a] *Epist. 213.*

2. *Calagurritano, & Calciatensi Episcopo, & dilectis filijs, de Verola, & Oliua, Abbatibus Cistercienſis Ordinis, Tirasonensis, & Pampilonensis Diœcesis.*

Cum sicut nobis est pro certo relatum, inter charissimos filios nostros Aragonum, & Nauarræ Reges illustres, super Regno Nauarræ, quod idem Rex Aragonum ad se pertinere proponit, discordiæ materia sit exorta; & ex hoc maiora emergere guerrarum pericula formidentur; deuotionem vestram, de qua plurimum in Domino confidimus, rogandum duximus attentius, & monendum, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ob reuerentiam Apostolicæ sedis, & nostram, personaliter ad Reges prædictos accedentes, ipsorum animos ad pacem reducere, & ortam inter eos discordiam, iuxta datam vobis à Domino prudentiam, amicabili studeatis compositione sopire. Cæterum si forte, quod auertat Dominus, inter eos concordia nequeat reformari; vos nobis singulas negotij circunstantias exponere, & regias voluntates vestris non differatis litteris intimare; preces, & mandatum nostrum taliter impleturi, quod exinde grata vobis teneamur vicissitudine respondere, & deuotionem vestram dignis exinde laudibus merito commendare possimus. Datum Spoleti, tertio Kalendas Septembris anno VIII. Hæc Gregorij Papæ prouida officia, ab authoribus Regum Aragonensium, atque Iacobi Regis, prætermissa, plurimum contulisse, vt ipse, ab expugnatione Regni Nauarræ, ad Valentinum Sarracenis eripiendum, animum applicaret, nequaquam potest in dubium reuocari.

3. Mariana immemor Pontificiæ solicitudinis, & legatiæ Episcopi, & Abbatum, pacem aut religioni Iacobi tribuit, aut aliorum bellorum, quæ ipsum detinebant, occupationi; aut tandem desperato rei euentu, alienis à Iacobo VVasconum animis, nec persuadendis facile, vt proprio Regi, & vero successori, quippe filio ex sorore Sanctij Regis, alienum, atque dubium, ex affectata adoptione, atque cunctis inuisa, præseferrent. Sic enim ait [b], post mortem Sanctij, *A VVasconibus Theobaldus Campaniæ Comes, lege propinquitatis ad Regnum ascitus, Pampilonæ mense Maio, Regium insigne desumpsit, Aragonio etiam Rege, vt quidam scripsit, conniuente. Et fortasis iniecta animo religio erat, nefasque putabat, iura alienæ hæreditatis inuadere. Inuitum, bella, quæ consequuta sunt, docent tantisper dissimulasse: cum aliæ, ex aliis, enatæ difficultates implicarent, retinerentque ne eius Regni hæreditatem captaret, adoptionis iure, ferroque: tametsi haud magna Victoriæ spes in tanta prouincialium alienatione ostendebatur.* Hactenus Mariana, Sed nos ad alia.

[b] *lib. 12. ad hunc ann.*

4. Eodem anno, cum multis precibus, multorum prælatorum, maximè autem prouinciæ Eboracensis in Anglia, vrgeretur Gregorius,

vt

vt Sanctum VVillelmum, quondam illius sedis Metropolitam, quem Deus tum in vita, tum post mortem per frequentia miracula illustrasset, catalogo Sanctorum adscriberet, duobus aliis Cistercienſibus Abbatibus, Fontium, & Rieuallis, scripsit epistolam, vt vna cum Episcopo Elienſi, de vita, miraculisque illius inquirerent, & quæ inuenirent, ipsi renuntiarent. Litteræ porrò, post longum satis prologum, de diuina erga Ecclesiam prouidentia, qua nunc terrorem incutit, nunc allicit, vt electos confirmet, hæc subdit verba [c]. *Venerabilis frater noſter, & dilecti filij, Decanus, & Capitulum Eboracenſe, nec non quam plures Eccleſiarum prælati de partibus illis, ſuis nobis litteris pluries intimarunt, quod fœlicis recordationis VVillelmus, quondam Eboracenſis Archiepiſcopus, tanta videlicet fulſit gratia meritorum, quod poſt fœlicem eius obitum, ad oſtendendam ipſius gloriam, Dominus ad ſepulchrum eius, multa, & magna miracula operatur. Verum licet opportune, importune nobis totis affectibus ſupplicauerit, vt cum lucerna non ſit ponenda ſub modio, ſed ſupra candelabrum ſtatuenda, eum, quem Dominus honorat in Eccleſia triumphanti, nos in militanti Eccleſia Sanctorum Catalogo adſcribere deberemus: nos tamen prouide uttendentes, quod in tam Sancto negotio non eſt niſi cum maturitate plurima procedendum, ad maiorem euidentiam veritatis diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolicam ſedem mandamus, quatenus habentes præ oculis ſolum Deum, qui non indiget mendaciis alicuius, tam de vita, quàm de miraculis, Sancti prædicti perquirentes ſolicite veritatem, quæ inueneritis, per veſtras nobis litteras intimetis: vt ex veſtra relatione ſufficienter inſtructi, procedamus, ex inde, prout ſecundum Deum viderimus, procedendum. Datum Laterani, Nonis Aprilis, Pontificatus noſtri anno VIII.* Ita Gregorius ad Episcopum & Abbates.

[c] In Reg. Greg.

5. Cæterum cum inquisitione per ipsos facta, non singulorum testium depositiones, sed velut summam omnium remisissent, video ad eosdem non multos intra menses litteras [d], in quibus emendare iubentur, quæ secus fecerant.

[d] vbi supra.

Episcopo Elienſi, & de Fontibus, & Rieuallis, Abbatibus Ciſtercienſis Ordinis.

Et ſi non immerito gaudeamus quoties Dominus mirificans Sanctos ſuos oſtendit per eos ſigna virtutum, cum ex inde inuentus Eccleſiæ ſicut Aquilæ renouetur, confortetur fides, & perfidia confundatur: requiſiti tamen vt aliquos Sanctorum Catalogo adſcribamus, ad id ſine maturitate plurima procedere non audemus. Sanè præſentatam nobis per dilectos filios procuratores, venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi, & Capituli Eboracenſis relationem inquiſitionis factæ, à vobis de mandato noſtro ſuper miraculis Beati Guillelmi, proſpeximus diligenter. Sed licet apud vos multa, & miracula ſint fortè probata, nequaquam tamen apud nos ſuper iis plene potuit ex veſtra relatione conſtare: cum in ea nequaquam dicta teſtium ſint expreſſa, per quæ nobis veritatis poſſet fieri certitudo, quamuis in relatione contineant eadem, quod per tales & tales, talia, & talia miracula ſint probata. Vt igitur quod in hoc negligenter omiſſum eſt, per ſubſequentem diligentiam emendetur, Diſcretioni veſtræ per Apoſtolicam ſedem mandamus, quatenus vel dicta teſtium receptorum ſub veſtris ſigillis, per fideles nuntios, ad noſtram præſentiam deſtinetis, vel inquiſitionem ſolennem iterum facientes nobis planè, ac plenarie, quod ſinguli teſtium depoſuerint, reſcribatis. Ita Gregorius errantes leniter arguens, sed non aliis iniungens, quod poterat per ipsos emendari.

6. Sub idem tempus insignis pietate, doctrinaque, atque rerum peritia gerendarum Cracouiensis Episcopus, cum Sancti antecessoris sui Vincentij imitatus exemplum, Cistercij votum alte concepisset; quod opere non potuit, saltem vt voluit; voluntate, atque habitu susceptо, etiam Episcopus ad mortem conseruauit. Quippe cum prius licentiam obtinuisset infulas abdicandi, atque induendi Monachalem vestem, quod Vratis-Lauiensi Episcopo, & Abbati Lubecensi, (ne vel ipsa abdicatio Pontificatus sine Cistercio fieret) non multo post, reclamante Clero, & populo, atque publico bono id exigente, sedem repetere denuo compulsus est, eisdem designatis restitutoribus, per quos antea à suis fuisset auulsus: & fortè, vt ad Cistercium transiturus, Abbati Cistercienſi commissus est, per quem à vinculis Pontificiis absolueretur; ita, & fortiori consideratione, à Cistercio auellendus, per Cistercienſem deduci Abbatem debuit; quasi ab alio vix posset; aut quo diutius Cistercium continuaret. Priores litteræ continentes absolutionem, in Regestis Gregorij, hæc habent verba [e].

[e] *in regeſtis, ad hunc ann.*

7. *Epiſcopo Vratis-Lauienſi, & Abbati de Luben, Ciſtercienſis Ordinis, Vratis-Lauienſis Diœceſis.*

Venerabilis frater noſter, Cracouienſis Epiſcopus, nobis ſupplicauit inſtanter, vt cum tam voto, quam iuramento teneatur habitum aſſumere Monachalem, ſibi cedendi licentiam largiremur. Licet igitur huiuſmodi ſupplicatio nobis grauis fuerit, & amara; eo quod ſicut ex multorum didicimus teſtimonio, idem Epiſcopus, & in ſpiritualibus ſalubriter; & in temporalibus vtiliter miniſtrauit; & timendum eſt, ne Cracouienſi Eccleſiæ luctuoſa ſit eius abſentia, cuius extitit præſentia fructuoſa. Ne tamen ipſius videremur inuidere quieti, eius quaſi coacti, precibus annuendum; per Apoſtolicam vobis ſedem mandamus, quatenus vice noſtra ceſſionem, ſi tamen fuerit voluntaria, recipientes eiuſdem, vt ſibi Pontificalium vſu reſeruato, faciatis ei, ſicut expedit de bonis Cracouienſis Eccleſiæ prouideri: contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Capituloque ipſius Eccleſiæ nihilominus iniungatis, vt ſibi de perſona idonea per electionem Canonicam prouideant in Paſtorem, qui tanto congruat oneri, & honori. Datum Laterani V. Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno VIII.

8. His litteris susceptis ab Episcopo, atque Abbate Lubensi, processere Cracouiam, Summi Pontificis mandatum expleturi. Verum

cum

cum populum, Clerum, Regem, Proceres, & quod rarius inuenias, ipsum Capitulum Ecclesiæ Cracouiensis, obnitentes viderent; & qui se Sanctum, prudentemque Pastorem longa experientia edoctos, pro nullo alio fore mutaturos, firmatis animis, concordes proclamabant: rursus Episcopos sponsos Ecclesiarum, à quibus nequeunt inuitis separari. Demum publicum bonum perferendum priuatæ vtilitati, quæ tamen facile nunc per obedientiæ, nunc per salutis proximorum merita, & Charitatis officia compensetur. Cum, inquam, hæc, & alia, his non minora propriis hausissent oculis, habitu quidem Episcopum donarunt, quem diu desideraſſet; non tamen admiserunt eius cessionem. Quin potius nuntios remiserunt ad Pontificem narrantes, quæ vidissent, audiissentque; & pro Ecclesia, & ipsi Cracouiensi ad eum intercedentes, nec vtili pastore, Sancto Patre, atque adeo charo filiis destitueretur. Tum verò Pontifex hæc ipsa altius perpendens, approbansque, secundas ad eosdem litteras dedit [f].

f *Epist. vbi supra.*

9. *Episcopo Vratis-Lauiensi, & Abbati de Luben, Cistercienſis Ordinis.*

Quodam Nuntio venerabilis fratris nostri Cracouiensis Episcopi olim in nostra præsentia proponente, quod idem Episcopus voto, & iuramento adstrictus tenebatur assumere habitum Monachalem: ac ex parte ipsius humiliter supplicante, vt eidem cedendi licentiam largiremur; nos licet huiusmodi supplicatio nobis esset grauis admodum, & amara, eo quod dictus Episcopus dicebatur in spiritualibus salubriter, & in temporalibus vtiliter ministrasse; ne tamen eius videremur inuidere quieti, vobis dedimus in mandatis, vt cessionem suam reciperetis, si tamen esset voluntaria, vice nostra; vsu ei Pontificalium reseruato: facientes ipsi de bonis Cracouiensis Ecclesiæ congrue prouideri. Nuper autem vestras, & Cracouiensis Capituli, & multorum aliorum litteras recepimus continentes, quod præfatus Episcopus non posset hoc tempore suam sedem deserere, sine graui Cracouiensis Ecclesiæ detrimento. Propter quod nobis vnanimiter supplicastis, ne per cessionem huiusmodi eamdem viduari, & desolari Ecclesiam pateremur.

10. *Nos igitur attendentes, quod etsi Rachel, & clara oculis, & facie formosa describitur, in comparatione tamen fœcunditatis Lippæ sororis, sterilis appellatur; considerantes etiam quod cum sæpè dictus Episcopus regularem habitum iam susceperit, propter quod desiderio suo satisfeciſſe videtur; eidem nostris dedimus litteris firmiter in præceptis, vt regimen Cracouiensis Ecclesiæ quasi de nouo, authoritate nostra suscipiat, & eam vigilanter, more solito, regat; cum etiam in Episcopatu possit, & interdum pulchræ Rachelis amplexibus per studium contemplationis insistere, & inclytum prædicationis verbum, & bonæ operationis exemplum Spiritualis de Lia filios generare, memor quod Patriarcha Iacob, post Rachelis amplexus, ad Liam rediisse narratur, & Moyses cum delituisset in tabernaculo, foras exiisse ac Populum memoratur. Ideoque discretioni vestræ per Apostolicam sedem mandamus, quatenus ad recipiendam cessionem ipsius Episcopi nullatenus procedatis. Datum Laterani XV. Kalendas Decembris, anno octauo.* Hactenus.

Hunc ego Episcopum Vislaum Coscelecium fuisse puto, successorem Iuonis, de quo supra, qui circa annum trigesimum supra milleſimum atque ducenteſimum plus minusve, duodennio Cracouiæ, in reditu à curia, quo deuotionis ergo profectus fuerat iuxta Mutinam dicitur obiisse. Porro Vislaus legitimè electus, sed non pacifice; quippe Gregorius, velut defuncto in Curia Iuone, eoque, Sedis vacuæ successione ad ipsum deuoluenda, Andræam Gryphium, Palatini Cracouiensis filium, vt ait Martinus Cromerus [g], subrogauerat, cum quo biennio litigandum illi fuit, intra quod spatium ait idem Author. *Basilica Cracouiensis, fortuito incendio in turri, qua ex testamento Iuonis plumbo tegebatur, excitato, conflagrauit.* Biennij fine, nempe Anno trigesimo secundo supra milleſimum atque ducenteſimum adnitente Henrico Barbato Sancto Heduvigis viro, atque electionis, & vitæ ipsius meritis, Gregorius sedem Vislao adiudicauit. Itaque electus ante quadriennium, ante biennium adeptus possessionem, Cracouiensem Ecclesiam, quæ conflagrarat, instaurauit solicite, atque aliam extruxit à fundamentis, quod scribit Cromerus, Cistercienſe Cœnobium in Sarmaticorum montium pede fundatum, dotauit abunde, quod hoc ipso anno inferius; ac plura alia fecerat, per quæ dilectus Deo, & hominibus, & sedi Cracouiensi perneceſſarius (adeoque retinendus) reputabatur. Reliqua vitæ eius ignota nobis; etsi Cromero fides, non diu superstes, Prændotam, cognomento Biolaciouium, gente Odrouansium, habuit successorem.

11.

g *Lib. 8.*

1. *Multa*

1. *Multa hoc anno in Gallia nostris iniuncta*, 2. *itemque in Italia*, 3. *Germaniaque*. 4. *Alia in Hispania*, 5. *In Sabaudia, & in Vngaria*. 6. *In Anglia adeo frequentes commissiones, vt vel Priores eximij curauerint*. 7. *Sed neque in Græcia immunes ab his functionibus*. 8. *Retractata vnio Monasterij Sancti Benedicti de Fundis*, 9. *& præcedenti congruente compensatione*, 10. *translatio Sancti Matthæi Reatini, ad Ecclesiam Sancti Pastoris eiusdem domus*.

CAPVT SEPTIMVM.

1. MVLTA præterea hoc anno nostris iniuncta per vniuersum Orbem, adeò vt non solum Gallia, Italia, Hispania, Germaniaque, atque aliæ Prouinciæ Latini Orbis; sed neque Græcia ab eis immunis fuerit. Minora cuncta silentio prætermittam, ex grauioribus, pauca memorabo. In Gallia in primis, vt inde exordiamur, vnde Cistercium cœpit. Bajocensi Episcopo, Abbas Pontis-alti, Nonis Februarij; Narbonensi Archipræsule, Abbates Grandis-syluæ, & Fontis-frigidi, alter IV. Kalendas Iulij, alter III. Idus Augusti; iudices à Gregorio Papa dati, prolixas satis lites terminarunt. Grandi-syluanus inquisitor in causis fidei, nobili militi Iordano, de Lantario, qui se [a] *à quibusdam æmulis suis proposuit de crimine prauitatis hæretice infamatum per fraudem, & falsos testes*. Et Iudex, & vindex à quo siue conuictus, pœnitentiam; siue innocens expectaret satisfactionem, litteris expeditis ad hoc negotium XV. Kalendas Nouembris. Nobili, & oppulento Monasterio, Sanctæ Mariæ de Bernayo (nam mille, atque ducentis florenis taxatur in libris Cameræ) cum Lexouiensi Episcopo, de electione Abbatis litigante, Abbas de Voto missus *examinare electionem pariter, & electum*: Ipsa confirmare, aut infirmare, provt de iure videret procedendum. Datum Laterani, VII. Idus Maij, anno VIII. Nec multo ante, quod longe ratius est [b], *Abbas, & Conuentus S. Lupi Trecensis, cum multo premerentur onere debitorum, dispositionem omnium rerum temporalium sui Monasterij, de communi Abbatis, & Monachorum consensu, Lingonensis Episcopi, & Abbatis Claræ-Vallis arbitrio permiserunt, sperantes illud, per eorum industriam, à debitorum onere facilius releuandum*. Quam ipsam prouidam deliberationem confirmauit Gregorius Laterani, VIII. Idus Februarij præsentis anni.

[a] Epist. 316.

[b] Ex Regest. Greg. ad hunc ann.

2. In Italia ad Priorem Fossæ-nouæ, super visitatione Æremitarum in certis territoriis, breues, sed graues litteræ emanarunt [c]. *Cum Pontiana, Senona, Palmaria, & Sancti Martini, Insulæ sint Sedis Apostolicæ specialiter, nullo mediante subiectæ; discretioni vestræ per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus Eremitis, ibidem Domino famulantibus, vsque ad biennium, vice nostra, officium visitationis impendas, ita quod nulli propter hoc præiudicium generetur. Datum Signiæ XVI. Kalendas Augusti anno VIII*. Itemque aliæ ad Abbatem Sancti Spiritus de Valle-ficus, Cisterciensis Ordinis, Troianensis Diœcesis, *quatenus administrationem Episcopatus suscipiens, prouentus ipsius in solutionem debitorum Episcopi, sine diminutione conuerteret; prouiso tamen, quod Episcopo exinde, cum quatuor personis, & tribus equitaturis, vitæ necessaria ministrarentur. Laterani X. Kalendas Decembris*: Quo etiam titulo aliæ ad eundem litteræ leguntur, datæ Laterani VI. Kalendas Iunij, sequentis anni. Extant & aliæ ad Abbatem Sancti Galgani, vt in cœnobio Sanctæ Floræ, Diœcesis Aretinæ, *Faceret de persona idonea in Abbatem, per electionem canonicam prouideri, quod si forsan Fratres loci eiusdem in electione facienda nequierint concordare, personam idoneam auctoritate nostra præficeret, ipsi Monasterio in Abbatem, eique faceret obedientiam, & reuerentiam debitam exhiberi. Datum Laterani III. Kalendas Iuly, anno VIII*.

[c] vbi supra.

3. In Germania cum quædam Abbatissa Canonicarum Regularium, cunctorum pene flagitiorum rea, etiam supra sexum argueretur: Quippe quæ *Cum* [d] *prædonibus, atque incendariis, proscriptis ab Imperio, atque excommunicatis, & quadam sua Ecclesiæ munitione, in omnem circa Prouinciam exerceret rapinas, homines ipsos pro suæ voluntatis arbitrio capi faceret, & captos in arcta custodia detineret, donec vel certam summam pecuniæ soluerent, vel miserabiliter debitum mortalitatis explerent*. Cumque hæc, atque alia execrabilia, etiam paterne admonita, non solum non corrigeret, sed nouis semper flagitiis aggrauaret: Gregorius tres ad eam compescendam iudices, siue verius Duces misit, ex Cistercio omnes, Episcopam quondam Alberstadensem, & de VValkerrode, & de Sychen Abbates, per Apostolica mandata illis iniungens, *quatenus inquisita super his, & aliis diligentius veritate, quod Canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes, quod statueritis, per Censuras Ecclesiasticas firmiter obseruari. Quod si non omnes, &c. Datum Laterani IV. Kalendas Decembris, anno VIII*. Extant & aliæ graues causæ commissæ Abbati Montis-Veteris, itemque Abbati de Valle-Sancti Petri, aliisque, quæ in præsenti non vacat recensere.

[d] ibidem.

4. In Hispania, vltra Abbatem Oliuæ, atque Verolæ legatiam ad Reges, quam supra dedimus, Abbas Prior, & Cantor Salcedenses in Lusitania, intra Episcopos, Capitulaque Egitanensis, & Visensis Ecclesiarum, arbitri designati, ad componendum; vel si noluerint, exceptores testium, atque totius causæ promotores, quod vsque sufficienter instructus, in Curia per diffinitiuam terminandus præsentaretur [e]. *Datum Perusij, III. Nonas Octobris, anno VIII*. Nec multo ante ad Vitalem, Abbatem Populeti in Catalonia, Gregorius Papa Nonus scripserat, pro quodam clerico, litteris instructo, ad aliquod beneficium, cum primum offerretur, promouendo [f]. *Datum Laterani XVII. Kalendas May anno VIII*. Quo item die Bernardus, huius nominis secundus, Hortensis Abbas infinibus Castellæ, & Aragoniæ, litigantibus inter

[e] vbi supra.

[f] ibidem.

inter se Episcopis Oxomensi,& Seguntino,iudex datur, non solum arbiter, si concordare posset; sed inter discordantes, si non posset, iuxta iuris sanctiones, decretaque ad vltimam sententiam processurus.

5. In Sabaudia Stafordæ cœnobij Abbas Diœcesis Taurinensis, nobilem Abbatiam Benedictinam Sanctæ Mariæ de Secusia eiusdem Diœcesis [g], *quam Monachorum eiusdem loci (adeo non-nunquam vel in ipsis Angelis prauitas reperitur) detestanda peruersitas, plurimum deformauerat,& ignobilem reddiderat*; cum ne dispersi per alia loca quiescerent, sed redeuntes ad locum armata manu,ad vitia etiam pristina rediissent, visitare, reformareque iubetur, litteris ad eundem Abbatem datis, quatenus simul cum alio eiusdem Ordinis, *cum moderato euectionum, & personarum numero ad ipsum Monasterium personaliter accedentes, & impendentes ei visitationis officium vice nostra, correctis, & reformetis ibidem, tam in capite, quam in membris, quod correctionis, & reformationis officio noueritis indigere: Monachos illos quos pestilentes esse noueritis, amouendo penitus ab eodem; & in aliis Monasterijs ad agendum pœnitentiam retrudendo: Contradictores vero,si qui fuerint, vel rebelles, per Censuras Ecclesiasticas, appellatione postposita, compellatis, inuocato nihilominus, si necesse fuerit, contra illorum rebellionem auxilio brachij secularis, & specialiter dilecti filij nobilis viri, Comitis Sabaudiæ, cui super hoc dirigimus scripta nostra,mandatum nostrum ita sollicite adimplere studentes, quod studium vestrum appareat, in effectu, & nos sollicitudinem vestram commendare merito debeamus, totum miserabilem statum, imo potius stabilem miseram Monasterij sæpe dicti, vestraque visitationis processum nobis fideliter rescripturi. Datum Laterani Kalendis Aprilis,anno VIII.*

g *Eodē loco.*

6. In Vngaria non leuiores causæ commissæ Abbati de Ægris,qui in arduis nimirum,magnisque negotiis Archiepiscopo Strigonienſi,& Episcopo Vesprimiensi collega datus pridie Kalendas Februarij, & tertio Nonas Martij præsentis anni, multorum animos longe dissidentes ad vnionem, & pacem reuocauit. Demum in Anglia adeo crebrescebant delegationes, vt non solum Abbates, sed Priores,ne nimium per earum occasionem, à quiete Monachalis vitæ distraherentur, priuilegia impetrare compulsi sunt, quibus immunes se ab acceptatione, multis propositis causis postularent.Extat rescriptum eiusdem Gregorij Noni, ad Priorem de Bordesleia, Cistercienſis Ordinis, Wigornienſis Diœcesis, expeditum hoc anno,sub hoc tenore [h].

h *ibidem.*

A nobis humiliter postulasti,vt cum non habeas iurisperitiam, & propter iudiciorum strepitum,contingat Sanctæ contemplationis in te otium impediri; eximere te, qui vt asseris, propter senectutis in te, & defectum ætatis, multa debilitate laboras, à commissionum nostrarum sollicitudine dignaremur. Nos ergo tuis supplicationibus annuentes, deuotioni tuæ, auctoritate præsentium indulgemus, vt per commissiones nostras, quas de cætero ad te impetrari contigerit, procedere non tenearis, si de indulgentia huiusmodi non fecerint mentionem. Nulli ergo. Datum Laterani XVI. Kalendas Iunij, Pontificatus Nostri anno VIII. Hæc per Orbem Latinum late diffusum.

7. Cæterum ab his ipsis functionibus exequendis per nostros, ne Græca quidem Ecclesia immunis fuit. Quippe Patriarcha Constantinopolitano exigente à Francigenis, & eorum, qui in Græcia morabantur congregationibus, tertiam illam legatorum omnium partem, quam & à nostris exegisse superius diximus, eadem declaratio,de mente legatorum, qui sanciuissent, promulgara à Gregorio Sancti Angeli Constantinopolitani, Cistercienſis Ordinis, & Priori Sanctæ Mariæ de Bethleem,exequenda committitur,litteris ad eos scriptis in hæc verba [i]. *Ex parte dilectorum filiorum Prælatorum, & Capitulorum vniuersitatis Francigenarum, Constantinopoli existentium, fuit propositum coram nobis, quod Venerabilis Frater noster Patriarcha Constantinopolitanus, occasione constitutionis cuiusdam, quam Venerabilis Frater noster Albanus Episcopus, tunc Apostolicæ Sedis Legatus edidit defunctorum, &c.* & post constitutionis, & declarationis illius expressionem, quæ eadem omnino, quæ ad nos; tandem subiungit. *Verum nos eidem Patriarchæ nostris damus litteris in mandatis, vt dictos Prælatos,& eorum Capitula super tertia parte Legatorum huiusmodi, contra interpretationem præscriptam, non præsumat de cætero molestare. Ideoque discretioni vestræ,de vtriusque partis procuratorum assensu, per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus, si dictus Patriarcha contraire præsumpserit, vos præsumptionem ipsius monitione præmissa, districtione, qua conuenit, appellatione postposita, compescatis, nullis litteris, obstantibus, præter assensum partium à Sede Apostolica impetratis. Datum Laterani IX. Kalendas Nouembris.*

i *ibidem.*

8. Hoc anno, cum vnio cœnobiorum Sancti Matthæi, Diœcesis Reatinæ, Cistercienſis Ordinis, & Sancti Benedicti de Fundis, Narnienſis, quod transire ad Cistercium desideraſſet (incertum quibus causis) ad effectum perduci non potuisset; & alias Monachi Monasterij Sancti Matthæi, ob intemperiem aëris, atque alias graues incommoditates, priores sedes non possent conseruare; Idem Gregorius Papa eis indulsit, Ecclesiam Sancti Pastoris Reatini, ad quam, quia erat Sancti Benedicti, transire decreuerunt, cum vnio sortitura effectum speraretur. Præcipiens interim Guillelmo, tituli Sancti Marci Presbytero Cardinali, qui tunc in partibus illis morabatur, vt de bonis cœnobij Sancti Matthæi, prædictis Monachis Sancti Benedicti de Fundis, congruentem consignaret satisfactionem. Cardinalis vero, de vtriusque partis consensu opimas satis possessiones, & proximiores loco, à Rheatinis demptas, Fundanis cedere, & pro Ecclesia, atque fundis S. Pastoris,exinde iussit plenarie subrogari, vt sic translatio prædicti Monasterij, ad prædictam Ecclesiam, sine vllo impedimento celebraretur. Porrò eiusdem permutationis, ad maiorem illius firmitudinem litteras expediuit,quæ ita habent [k].

k *Epist. 224.*

9. *Guillelmus miseratione diuina tituli S. Marci Presbyter Cardinalis vniuersis has litteras inspecturis,in Iesu Christo salutem.*

Noueritis,quod cum Abbas, & Conuentus Monasterij S. Matthæi, Rheatinæ Diœcesis,apud præfatum locum, propter aëris intemperiem, & alia multa religioni contraria, commode esse non possent, Dominus Papa eis Ecclesiam Sancti Pastoris eiusdē Diœcesis ad Monasterium S. Benedicti Narnienſis

Diœcesis

Diœcesis hactenus spectantem, cum suis possessionibus, & aliis omnibus ad dictam Ecclesiam pertinentibus, pro Monasterio de nouo fundando libere concessit; recompensatione congrua pro obuentionibus, quas dictum Monasterium B. Benedicti percipiebat ab eadem, arbitrio nostro seruata, de possessionibus Sancti Matthæi, præfato Monasterio Beati Benedicti facienda. Quare nos auctoritate Domini Papæ nobis commissa, pro recompensatione illarum obuentionum assignamus, totum pretium Casalis, quod est in territorio Tutiramnensi, &c. & post plures alias nominatas ibidem possessiones, concludit. *Quæ omnia Abbati, & Monachis, qui nunc sunt, & de cætero in præfato Monasterio B. Benedicti erunt, & per eos dicto Monasterio arbitramur esse danda, & concedenda, & prædicta eis damus, in præsenti concedimus, & assignamus, proprio iure de cætero, sine contradictione præfatorum Abbatis, & Monachorum Sancti Matthæi, & aliorum quorumlibet, omni tempore libere possidenda: Ita quod deinceps pænominatum Monasterium Sancti Matthæi in illis nihil iuris possit petere, vel habere: & similiter dicti Abbas, & Monachi, qui nunc in dicto Monasterio Sancti Benedicti sunt, & de cætero pro tempore fuerint, prædictis rebus supra nominatis contenti, in præfata Ecclesia Sancti Pastoris, & eius possessionibus, & iuribus deinceps nihil habeant petere, vel habere, salua in omnibus Sedis Apostolicæ auctoritate. Actum est hoc apud S. Susannam in præsentia dicti Cardinalis anno Domini M. CC. XXXIV. die Mercurij XIV. intrante Martio, Indictione VII.* Sic Cardinalis.

10. Cæterum hanc eandem transactionem non multo post confirmauit Gregorius, atque obiter expressit, ideo factam, quod vnio pertractata non potuerit effectum suum sortiri. Sic enim scribit.

Abbati, & Conuentui Monasterij S. Matthæi, Cisterciensis Ordinis Rheatinæ Diœcesis.

Significastis siquidem nobis, quod nos olim intellecto, quod Abbas, & Conuentus Monasterij Sancti Benedicti de Fundis, Narniensis Diœcesis, æmulantes, carismata meliora, se, ac suum Monasterium vnire vobis, & incorporare Cistercienſi Ordini cuperent; facta vtriusque Monasterij, de consensu Venerabilis Fratris nostri Episcopi, & Capituli Narniensis, primitus vnione; id omnimodis acceptantes mandamus pium propositum opere consummari, vobis ad dictum Sancti Benedicti Monasterium, de licentia transeuntibus, & illis vestram suscipientibus, cum habitu, disciplinam. Verum, quia, sicut postea intelleximus, dicta vnio seruari non poterat, nos eam dissoluentes omnino, & negotium in statum pristinum reducentes, Ecclesiam Sancti Pastoris, cum omnibus pertinentiis suis, ad præfatum Monasterium Sancti Benedicti de iure spectantem, pro eo quod locus, in quo vestrum Monasterium situm est, religioni propter aeris intemperiem, & quædam alia, non est aptus, vobis, concessimus, tribuentes ad eum vos transeundi liberam potestatem, dilecto filio VVillelmo, tituli Sancti Martini Presbyteri Cardinali, nostris dantes litteris in mandatis, vt Monasterio Sancti Benedicti pro obuentionibus, quas ab Ecclesia prædicta percipere consueuerat, compensationem de vestris possessionibus congruam exhiberet. Quarum, discretione, præuia & iudicio, præfato Monasterio Sancti Benedicti de vestri Monasterij possessionibus competens ex cambium assignauit, prout in ipsius litteris, inde confectis, prospeximus contineri. Nos itaque deuotionis vestræ precibus inclinati, quod per eundem Cardinalem super hoc pronide actum est, ratum habentes, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, &c. Datum Spoleti XVI. Kalendas Septembris, anno VIII. Ita Gregorius. Atque hoc est Monasterium S. Pastoris, Diœcesis Rheatinæ, quod in aliquibus exemplaribus, sed perperam, velut diuersum à S. Matthæi cœnobio numeratur.

---

1. *Sancti Cerbonij Monasterium Sanctimonialium in Lucanensi Diœcesi, 2. è cœnobio vicino Sancti Syri, ante annum reformato, magistras petit, 3. per quas Cistercij ritus edoceretur, 4. sub Abbatis Sancti Pantaleonis visitationis, 5. cui super eo scribit Gregorius Nonus. 6. Mutationis occasio, 7. & lis suborta, per eundem Pontificem dirempta: Quem & Moniales de Gratia-nostræ-Dominæ; pro Cistercio accipiendo, 10. ad Guillelmum interponunt intercessorem; 11. eiusdem litteræ ad Abbatem de Tileto, pro aliarum Monialium gubernatione.*

CAPVT OCTAVVM.

1. INTER hæc S. Syri de Fontanella in Lucanensi Diœcesi, quod ante annum Cistercium suscepisset, nobile Monasterium Sanctimonialium, altius in eius legibus fundatum, non solum sacris Virginibus florebat, sed latè sparso odore Sanctitatis, complures alias, atque integra cœnobia ad sui æmulationem prouocabat: sic disponente diuina prouidentia, vt neque his, quas ipsum non cœpisset, Monasteria capacia: nec Monasteriis Cistercium suscepturis, glorioſæ habitatrices deesse possent. Sanè S. Cerbonij Monasterium eandē intra Diœcesim, Monialium S. Syri exemplum sequens, cucullam nigram in albam commutauit: sed neque minus, quæ hanc mutationem prestolarentur, multas Virgines habuit, ea peracta, Cistercium induturas. Atque his vtrarumque feruor fuit, ea instantia repetitæ petitionis, vt Gregorius, non expectato Abbate S. Pantaleonis, cui nouas Cistercienses subiectas voluit, Abbatissæ, & Conuentui S. Syri, vt traderent Magistras, Priori vero S. Catherinæ, Prædicatorum, litteras dederit, vt mutationem habitus, & Cistercienſium rituum admissionem exequerentur; atque ecce vtriusque epistolæ exemplar [a], ex Regestis excerptum, quod ita habet. a *Epist. 10.*

2. *Abbatissæ, & Conuentui Monasterij S. Syri de Fontanella.*

Nihil animarum lucro vobis fore gratiosius arbitrantes, deuotioni vestræ fiduciali ter facienda suggerimus, quæ ad illarum salutem accedere firmiter

miter credimus, & profectum; hinc est, quod cum dilectis in Christo filiabus Abbatissa, & Monialibus Monasterij Sancti Cerbonij, Ordinis Sancti Benedicti, Lucanensis Diœcesis, de virtute in virtutem proficere cupientibus, Cisterciensis Ordinis habitum tribui mandauerimus, iuxta ipsius Ordinis instituta; deuotionem vestram rogamus, & hortamur attentè, per Apostolicam vobis Sedem districtè præcipiendo mandantes, quod aliquas de Collegio vestro, quæ virtutum decore placeant, & præfatas Moniales sufficiant regularibus instruere disciplinis, ad præfatum Monasterium destinetis: vt per ipsas de assequendis æternæ vitæ deliciis eruditæ, illa sequantur efficaciter, per quæ honestatis titulo refulgeant: sicque fiat quod vobis exinde retributionis æternæ præmium, & à nobis condignè rependatur actio gratiarum. Datum Laterani Nonis Aprilis, anno octauo. Hæc ad Præfectam, & Moniales Sancti Syri, vt mitterent magistras noui instituti. At ad Priorem Sanctæ Catherinæ, cum Abbas Sancti Pantaleonis, sub quo vtrumque cœnobium mansurum erat, in aliis occupatus procul abesset, has, quæ sequuntur, eadem ipsa die litteras dedit [b].

b *Epist.* 12.

3. *Priori, & Fratri Sanctæ Catherinæ, Ordinis Fratrum Prædicatorum, de Pisis.*

Opera continentiæ, & Sanctitatis, beneuolo fauore prosequi delectantes, tanto libentius illis finem laudabilem procuramus, quanto præ cæteris vacare tenemur officio pietatis; hinc est, quod cum dilecta in Christo filio, Abbatissa, & Conuentus Monasterij Sancti Cerbonij, Ordinis Sancti Benedicti, Lucanensis Diœcesis, nobis humiliter supplicarunt, vt cum ad frugem transire vitæ cupiant melioris, eis conferre habitum Cisterciensis Ordinis mandaremus: præsertim cum & ipsæ liberius per hoc se credant diuino posse cultui deseruire, ac plures nobiles mulieres Lucanæ, ac Pisanæ Ciuitatum, & Diœcesum, cum adimpletum fuerit, paratæ sint illuc ad Redemptoris obsequia se transferre. Nos itaque earum pium desiderium in Domino commendantes, ac ipsarum supplicationibus benignius annuentes, tibi præcipiendo mandamus, quatenus ipsis præfatum habitum tribuatis iuxta eiusdem Ordinis institutа. Nos autem compensationem super hoc Lucanensi Episcopo faciendam, nostræ dispositioni seruamus. Cæterum si aliquæ noluerint recipere habitum memoratum, eis auctoritate nostra, in aliis Monasteriis sui Ordinis collocetis. Datum Laterani Nonis Aprilis anno octauo.

4. Hactenus Pontifex, ad S. Catherinæ Priorem, Collegamque, cum tum Moniales, tum aliæ fœminæ nobiles in procinctu ad Cistercium, aliæ reformationem, conuersionem suam aliæ properarent, atque Abbas S. Pantaleonis Lucanensis, cui suberant magistræ, & cui discipulæ erant committendæ, à Prouincia abesset; fortè iussu Gregorij, quod ex aliis litteris licet coniectari. Cæterum ne in dubium reuocaretur, ipsi post redditum fore subiiciendas; siue verius, conformiusque tum litteris, tum legibus Cistercij, supra relatis, ne ipse dubitaret eas admittere, atque curam illarum paternam gerere, has etiam ad eundem, eodem die: vt credi possit, mutationem habitus alteri commendatam; quo, ea facta, ad cœnobium suscipiendum faciliori negotio persuaderetur: litteras expediuit, provt in eisdem Regestis subiiciuntur [c].

c *Epist.* 12.

Abbati Sancti Pantaleonis, Cisterciensis Ordinis, Lucanensis Diœcesis. 5.

Etsi nullis inductus precibus, vt speramus, illa libenter efficias, quæ sunt de genere pietatis, plenam nihilominus fiduciam obtinemus, quod eadem rogantibus nobis, tanto libentius delecteris assumere, quanto cæteris virtutibus obedientiam noueris præeminere; hinc est, quod cum dilecta in Christo filia Abbatissa, & Moniales Monasterij Sancti Cerbonij Ordinis Sancti Benedicti Lucanensis Diœcesis, de virtute in virtutem proficere cupientes, ad supplicationem ipsarum, Cisterciensis Ordinis habitum eis tribui mandauerimus, iuxta eiusdem Ordinis instituta, per quod animarum multarum profectum prouenire credimus, & honorem prædicti Ordinis procurari, discretionem tuam rogamus, & hortamur in Domino, per Apostolicam tibi Sedem præcipiendo mandantes, quatenus de Monialibus prædictis, tanquam spiritualibus filiabus, ita diligentiam, sollicitudinem, & curam habeas efficacem, quod ipsa tui fauoris fultæ præsidio, & salutaribus monitis eruditæ, obseruantiæ studio regularis feruenter inuigilent, & nullis obstaculis impeditæ, fœlicitatis æternæ præmia, præstante Domino mereantur: sicque fiat, quod illæ, quasi procuratoribus nobis, in viis prosperari Domini gratulentur, & nos synceritatem tuam dignis exinde laudibus in Domino meritò commendemus. Datum Laterani Nonis Aprilis, anno octauo. Hactenus litteræ.

Cæterum hanc eandem mutationem antiqui habitus, transitumque ad districtiorem disciplinam; etsi spontanea, at non sine occasione à Monialibus facta, cum Abbatissa, quæ illis præsidebat, ob excessus deposita, subrogata in illius locum Constantia implere se sui nominis mensuram, vellet ostendere; aliæ litteræ produnt hoc anno datæ; ex quibus tum Agnetis depositio, tum Constantiæ successio sub nigro habitu; mox, dum illa appellasset Summum Pontificem, atque impetrasset Iudices, per quos iterum causa retractaretur; admissum Cistercium (& fortè intercipiendæ pendenti liti, properata admissio:) demum cum id Pontifici constaret, reuocata potestas, data iudicibus; siue quod Agnes, nondum Cisterciensis, Abbatiæ, quæ Cistercium admisisset incapax esset, seu nollet Pontifex (quia hactenus non visum) coram extraneis Cistercium litigare; siue tandem, quod magis litteræ innuunt, dedeceret Cistercium, quod intra ipsum super præfecturis, & earum retentione litigaretur. Suetis nimirum illius professoribus dignitates respuere, non ambire; atque ita acceptare ex obedientia, vt ea non vrgente, sponte abiicerent, nedum contra obedientiam recalcitrarent. Hæc, inquam, omnia, & alia quæ euenere, constant ex illis litteris, quas ad maiorem totius facti notitiam, atque pleniorem fidem, hîc subiicio [d]. 6.

d *Epist.* 270.

Priori Sanctæ Reparatæ Lucanensis. 7.

Sua nobis Conuentus Monialium Monasterij Sancti Cerbonij, Cisterciensis Ordinis, Lucanensis Diœcesis, petitione monstrarunt, quod cum Agnete, quondam Abbatissa eiusdem Monasterij, tunc Ordinis Sancti Benedicti, per Abbatem Sancti Pauli de Ripa Pisani, visitatorem à Sede Apostolica deputatum, amota, culpis suis exigentibus, à regimine Abbatiæ; Constantia prædicti Monasterij Monialis, per Fratres Frugerium, & Benedictum de Ordine Prædicatorum, Visitatores Monasteriorum

Monasterium Lucanensis ciuitatis, & Diœcesis, auctoritate Sedis Apostolicæ, in Abbatissam ipsius Monasterij canonice prælata fuisset, Monialium eiusdem accedente consensu; dicta Abbatissa falso nobis suggestu, quod esset Abbatia eadem contra iustitiam destituta, nostras super hoc contra præfatam C. ad Abbatem Sancti Sabini, & eius coniudices litteras impetrauit: interim autem de mandato nostro ibidem Cistercienſi Ordine instituto, cum Priori Sancti Pauli de Horto Pisano nostris litteris mandassemus, vt auctoritate nostra inhiberet eisdem iudicibus, & subdelegatis ipsorum ne in eodem negotio procedere attentarent, licet in Ipsius prioris Ecclesiæ nomine fuerit tunc erratum, eo quod vbi Prior Sancti Pauli de Horto, *scribi debuit.* Prior Sancti Petri de Horto, *per impetrantis incuriam, scriptum fuit: nihilominus tamen Prior Sancti Petri maioris Lucanensis, eiusque collegæ, quibus dicti iudices commiserant totaliter vices suas, eandem C. ab ipsius Abbatiæ regimine, prætermisso iuris Ordine, amouentes, atque post inhibitionem ipsius Prioris, Agnetem, quæ Cistercienſem Ordinem non receperat, restituerunt prædictam, quæ spontaneè prius renuntiauerat, litteris pro se ad præfatos iudices impetratis, vt patet per publica instrumenta.*

8. *Cum igitur tum ob causas prædictas, tum quia idem Monasterium Cistercienſia iam susceperat instituta, non teneat quod per subdelegatos, prædictos dicitur esse factum; Discretioni tuæ per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus, si est ita, ipsorum denuntians ipso iure penitus nullum esse processum, & prædictorum Abbatis Sancti Pauli, & Fratrum Prædicatorum, vt conuenit, roborans, eidem A perpetuum silentium super prædictis imponas: contradictores per censuram Ecclesiasticam auctoritate Apostolica compescendo. His vero, qui post inhibitionem dicti Prioris factam auctoritate litterarum nostrarum, ne in negotio eodem procederent, attentare talia præsumpserunt, non considerato, quod apud Cistercienſem Ordinem de prælationis ambitu minime litigatur, quia facile à Prælatis regimine ceditur, & libenter; districtius iniungas, vt officiis, beneficiisque suspensi, ad nostram præsentiam infra terminum, quem eis duxeris præfigendum, accedere non postponant, secundum sua merita recepturi. Cæterum quia occasione prædictæ restitutionis eadem Agnes, Presbyter, & quidam alij Lucanensis Diœcesis Monasterium ipsum libris, & omnibus aliis bonis suis, contra iustitiam, spoliarunt, tam spoliatores ipsos, quàm illos, ad quorum manus bona deuenerunt prædicta, vt eadem ipsi Monastrio sine qualibet difficultate restituant, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, cognita veritate, compellas, &c. Datum Perusij XII. Kalendas Nouembris, anno VIII.* Hactenus Gregorius, & nos ex ipso, de Sancti Cerbonij, Benedictinæ domus, hoc anno ad nostros transitu, sub Magisterio Monialium S. Syri; & sub Abbatis S. Pantaleonis visitatione.

Non multo ante, quam de reformatione Monasterij S. Cerbonij tractari inciperet; cœnobium aliud de Gratia-nostræ-Dominæ (incertum, qua in Prouincia, Diœcesiue?) cum se Cistercio optaret aggregari, Guillelmum Parentem Monialibus auctum inuenitet, siue plus damni nostrorum quieti ab ipsis, quam ipsorum profectui, emolumenti, à nobis prouenire existimaret; siue nihil in facto ipso discutiens, sed solam legem attendens, quæ paucos ante annos lata fuisset; Summum Pontificem adeundum sibi putauit, non vt iuberet, sed vt intercederet, & salua Pontificia maiestate, rogaret impensius, vt Moniales eiusdem Monasterij in filias speciales Cistercij susciperentur. Extat epistola eiusdem Gregorij IX. ad Guillelmum Abbatem, Conuentumque, honorifica satis, quæ ex ipsis Regestis eius transcripta, hæc habet verba [e]. 9.

Abbati, & Conuentui Cistercienſi. 10.

Dilecta in Christo filiæ, Prioriſſa, & Conuentus de Gratia-nostræ-Dominæ, nobis humiliter supplicarunt, vt cum sub Cistercienſi Ordine Domino desiderent famulari, eas à vobis in filias recipi misericorditer faceremus, Apostolicas vobis super hoc preces, & litteras dirigentes. Nos igitur ad piam sororum instantiam præmissarum, quæ se, ac domum suam, secundum prædicti statuta Ordinis cupiunt informari; charitatem vestram rogandam duximus attentius, & monendam, per Apostolicam vobis Sedem mandantes, quatenus in hoc desiderio satisfacientes earum, domum prædictam, & ipsas in vestri Ordinis filias assumatis, paternam de ipsis curam, & sollicitudinem, iuxta prædicti Ordinis prudentiam, habituri. Datum Laterani XV. Kalendas Februarij, anno septimo. Hæc ad Guillelmum Summus Ecclesiæ Pastor. De euentu non constat; quippe de hoc Monasterio, præter epistolam in Regestis Gregorij, nihil aliud alibi potui inuenire.

Idem Gregorius Abbati de Tileto, Moniales Sancti Petri de Mesema, (nisi quis error irrepsit in scriptura) subiectas voluit, & vt eis paternalem curam impenderet, per litteras mandauit, totidem verbis [f]. 11.

Abbati de Tileto Cistercienſis Ordinis.

Ad preces dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ, ac Monialium Sancti Petri de Mesema, Cistercienſis Ordinis, tuæ discretioni præsentium auctoritate mandamus, quatenus bis, vel saltem semel in anno, accedas personaliter ad Monasterium earundem, correcturus, & reformaturus ibidem, quod secundum statuta ipsius Ordinis, correctionis, & reformationis officio noueris indigere. Datum Laterani, IV. Kalendas Aprilis, anno VIII.

e *Epist.* 518.

f *Epist.* 18.

1. *Vallis Eccleſiarum Abbatia in Regno Toleti*, 2. *inſigni pietate Caſtellæ Regis*, *opimam poſſeſſionem ab Abulenſibus*, 3. *atque aliam ab eodem Rege ſuſcepit.* 4. *Florenſes*, *cum ad noſtros paſſim tranſirent*, 5. *non recipi iubentur.* 6. *Et in indulto notata obiter quædam.* 7. *Calatraua ad Orientem tranſire parans*, 8. *pro qua Gregorius Papa ad Antiochenum Patriarcham ſcribit.* 9. *Demum ſucceſſio Magiſtrorum Calatrauenſium*, *& deceſſoris*, *atque ſucceſſoris notitia breuis.*

CAPVT NONVM.

1. INTER hæc Vallis Eccleſiarum Monaſterium in Regno Toletano, cum multa panis penuria laboraret, quippe terra vndequaque conſita vineis, quibus alendis ſupramodum apta, vina quidem prætioſa proferebat, vulgo *Sancti Martini*, ſed nullas fruges; Ferdinandum Caſtellæ Regem rogat, vt quo erat in opera pietatis propenſo animo, Regiæ, & alias inſignis, & claræ domus, quem atauus ipſius, Imperator Alfonſus, conſtruxiſſet, miſereretur. Ferdinandus, cum non haberet terram Monaſterio vicinam, quam dare poſſet, quod longe maius terra, marique, innatæ ſibi erga quoſcumque bonos, ſed maximè erga noſtros, charitas ſpecimen dedit; Alfonſum filium, & Regni ſucceſſorem, & Burgenſem Epiſcopum, tunc Regni Cancellariũ, cum Abbate Conuentus Abulam miſit, rogaturos tam ſuo, quàm eius nomine, Magiſtratus, & Conſules, vt ex his, quibus tunc vrbs abundabat, congruentem poſſeſſionem cœnobio darent, de cuius frugibus, tum Monachi, tum Hoſpites, & pauperes, qui ad illud confluebant, ſuſtentarentur. Petenti Regi, quamuis per epiſtolam, negare difficile; nedum per filium, Regni ſucceſſorem, & adminiſtrum in Regno potentiſſimum; ad ripas Tagi (Alarza incolæ dicunt) ingentem conceſſere poſſeſſionem, frumento, & oleo producendo pinguem, vberemque; quæ vicinis agricolis locata, noſtris temporibus, deductis receptionis expenſis, aliiſque, annuatim ad ſex millium aureorum ſummam pendere ſolet. Extatque & legitur inſtrumentum conceſſionis expeditum hoc anno, quod tum in Regiæ pietatis memoriam, tum in lõganimitatis Abulenſiũ commendationẽ, ex Archiuis extractum eiuſdem domus, ita ſe habet [a].

a Ex Archiuio Dom.

2. *Notum ſit omnibus præſentes litteras inſpecturis, quod nos Rectores, & Concilium Vrbis Abulæ, ad beneplacitum Domini noſtri Regis Ferdinandi, & ad preces Domini noſtri Domini Aldefonſi, prædicti Regis primogeniti, & hæredis, nec non, & Domini Ioannis, Epiſcopi Burgenſis, Cancellarij Regni, & Domini Gundiſalui, Abbatis Monaſterij Vallis-Eccleſiarum, & Conuentus ipſius, qui nos multum, & ſæpe rogauerunt, quod cum Monaſterium eorum ſitum eſſet in loco, alendis frugibus inepto, ob quod ipſi laborabant inopia panis; nos eis aliquam daremus poſſeſſionem, infra terminos noſtros, ex quo frumentum tam ſibi, quam hoſpitibus, atque pauperibus percipere liceret. Nos autem dictis precibus inclinati, & pro ſalute, & remedio animarum noſtrarum, & omnium parentum, & propinquorum noſtrorum, bonam fecimus illis donationem in planicie de* Alarza *ad ripas Tagi, quæ eſt in termino noſtro, ab ipſo Tago flumine per riuulum, qui piſcatorum dicitur, &c. (Nam loci fines latè ibi proſequitur) Facta Carta donationis in Vrbe Abula Æra M. CC. LXXII.* quæ incidit in annum, quem nunc deſcribimus. Ita interuentu Regis factum eſt, vt Vallis Eccleſiarum Monaſterium, ex prima ſua fundatione diues; qui tota Vallis S. Martini, ex prætioſo falerno ſatis nota, pro dote fuerat: cum magna ex parte prouentus eiuſdem Vallis-Colonorum malitia defraudaretur, eoque ad paupertatem deueniſſet; largitate Abulenſium reſtitutũ nitori priſtino, etiam opulentiora ſuperaret.

Inuenit tamen Regia liberalitas, quo vltra 3.
adhuc procederet: & quia locus Alarze longe diſſitus ab Eccleſiarum Valle, portandis frugibus ineptus inueniebatur, neque tam panem præbere Monaſterio, quàm pecuniam, ad panem cõparandum, videri poterat; locum alium quæſiuit viciniorem (Nauas del Rey incolæ dicunt) atque hunc itẽ Gundiſaluo Abbati donauit, Monachiſque; vt vere hæc incrementa ſub Ferdinando, reliquam dotem longe ſuperauerint. Ita Rex Sanctus gloriæ ſuæ immemor, verũ diuinæ, & Ciſtercij zelo plenus, Monaſteria de nouo non cõſtruxit, quæ ipſi tribuerẽtur: ſed conſtructa à maioribus ſic auxit, vt plus illi deberent, quã conſtructoribus. Ea ratione Vallem-Paradiſi, quæ olim Bellifontis, ſeu de *Peleas*, nouo loco donauit, tranſtulitque, atque ædificia ſtruxit: & cum ſedibus nomen mutare voluit, quod ſupra vidimus; Matamplanam per Beatricem coniugem auxit; nunc Vallem-Eccleſiarum adeo ditat, vt aliam magis Eccleſiam de nouo condat: demum vix in Caſtella domus aliqua pertinens ad Ciſtercium inueniatur quæ non illius experta largitatem, ſub ipſo refloruerit, cum nullius tamen auctor, quantum modo recordor, inſcribatur.

Sub idem tempus, cum à Ioachimi morte, & 4.
Matthæi ſucceſſoris promotione, Florenſis congregatio paulatim langueſceret, atque à primitiuo rigore, & obſeruantia deficere nonnihil videretur; multis ex ipſa, ad nos tranſeuntibus, velut qui ad primum fontem, vnde exierant, ne degeneres eſſent, reuerterentur; opus fuit Ioanni, tertio Abbati Floris, ad Gregorium recurrere; & ne ex ipſis venientes admitteremus, Apoſtolicum indultum impetrare, niſi occurratur, breui exterminandam plantationem Ioachimi; vt Monachis in iura Ciſtercienſium, ſic paulo poſt cœnobiis tranſituris. Ea extincta, Ciſtercium ipſum filia non omnino inglotia, Eccleſiam non inutili membro caritura. Et Ciſtercio incrementum nullum, aut leue, ſi Floren abſorbeat: orbum relinqui, in dedecore eſſe poſſe. Scripſit ergo ad Abbates Calabriæ Pontifex, qui in hoc frequentiores; quippe Florenſes vix extra Calabriam, extendebantur; litteras breues, neque ideo minus acres, aut quibus minus ab eis parendum foret [b].

b Ex Regiſt. Greg. IX. hui anno.

5. *Abbatibus, & Conuentibus Ciſtercienſis Ordinis, per Calabriam conſtitutis.*

Cum veſtri ſtatuta Ordinis obſeruari firmiter cupiatis,

piatis, facere vos non decet, vnde aliorum statutis regularibus detrahatur, quia ex hoc forsitan via contra vos aliis pararetur. Ex insinuatione sanè dilectorum filiorum Abbatum, & Conuentuum Monasterij, & Ordinis Florensis accepimus, quod cum sit eorum religio satis arcta; & ex institutione habeatur ipsius, quæ per Sedem Apostolicam approbata est, vt nulli Fratrum ipsius Ordinis liceat ad alium Ordinem se transferre; vos eorum Monachos, & conuersos, absque communium litterarum suorum recipitis cautione, excommunicatis ab eis communicare nihilominus, contra inhibitionem Sedis Apostolicæ præsumentes. Quia vero quod vobis non vultis aliis facere non debetis, discretioni vestræ per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus recipere prædictorum Monasterij, & Ordinis Monachos, & conuersos, sine litterarum cautione communium, & excommunicatis ab eis communicare de cætero desistatis, ad ipsos, si quos habetis, sic receptos eorum conuersos, & Monachos remittentes. Datum Laterani IV. Idus Maij Pontificatus nostri anno VIII. Ita Gregorius ad Abbatem Calabriæ, qui ex Florensibus, quosdam admisisset.

6. Occurrit tamen notandum in his litteris; primo, quod transitus non absolutè omnino, quasi ad diuersum Ordinem; sed solum sine litteris communibus dicitur prohiberi, sine quibus, ne nostros quidem, admittere licebat: vt palam fiat Florensem Congregationem, etiam quandiu substitit, nequaquam reputatam extra Cistercium: quare neque ex ea, ad nostros transeuntes ad alium Ordinem transire credebantur: nec tota ipsa Florensis Congregatio, ad Cistercium reuersa, illum mutauit. Secundo, intra Cistercij eundem Ordinem, Cistercienses arctiori disciplina, & maiori obseruantia semper adstrictos; neque Florensem reformationem vnquam, sed quoddam magis, velut laxamentum Cistercij creditam fuisse. Aliàs, quo pacto potuisset honestari, quod Monachi illius, conuersique à nostris, sine litteris suorum Abbatum reciperentur? Sed de his latius, qui Annales continuauerit, si quis fortasse id oneris assumet; cum vniuersam Florensem Congregationem (nam differri hoc potuit, sed non vitari) restitutam Cistercio commemorauerit.

7. Quod attinet ad militias sacras, hoc ipso anno, cum Calatraua sub ipsius adhuc Magistro Gundisaluo Ianez, & insignis Ferdinandi Castellæ Regis, multas victorias in Bætica obtinuisset, atque ex his, ad maiora alia aspirans, nauigare in Syriam, & sacrorum locorum propugnationem, adnitente Gregorio, meditaretur; post longam satis deliberationem habitam inter milites, atque licentia eiusdem Ferdinandi, & Morimundi Abbatis prius obtenta, respondere Pontifici, se libentissimè illic traiecturos, modo locum haberent, in quo consisterent; id est, in quo militare Deo possent, per obseruantias suæ professionis, & ex quo possent hostes impugnare. Tum verò Gregorius, cui res Orientis promouere in quantum posset, ab ipso initio suscepti Pontificatus in corde fuit, quasi pro belli illius instauratione, nihil sibi aliud expetendum esse putaret, has ad Patriarcham Antiochenum litteras dedit, Calatrauensibus sanè perhonorificas, & si effectu frustratas; adeo res magnas facilè concipias, vel quas non possis; vel quas possis difficilè exequaris. Extant in Tabellario Calatrauensi & in antiquo M. S. Sanctæ Bartholomæanæ Bibliothecæ, quo sæpius vsus, atque has etiam nobis ministrauit.

Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, Venerabili Fratri Patriarchæ Antiocheno, salutem, & Apostolicam benedictionem. 8.

Cum Calatrauenses Fratres Cistercienſis Ordinis, qui nequaquam pretiosiorem seipsis vitam propriam facientes, & pro Domino exercituum agonizare parati, de ipsius gratia per Hispaniam multiplicati sunt, hactenus, & bonæ opinionis odorem longè, latéque, per vitæ meritum effundentes, flores, & fructus proferunt gratiarum, firmum gerant, Deo sic credimus inspirante, propositum acquirere in Syria pro terræ Sanctæ subsidio sibi locum, in quo mansionem paratam, & Fratribus collocatis manum fidelis populi roborent, & dilatent gloriam Christiani nominis in confusionem barbaræ nationis. Nos fauore debito pium eorum in hac parte desiderium prosequentes, fraternitatem tuam rogamus, monemus, hortamur in Domino, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus illius intuitu, qui, vt redimeret seruum nequam in proprio duræ mortis exposuit filium, auctoritate nostra locum ad hoc eis prouideas opportunum, & ipsos ob reuerentiam Apostolicæ Sedis, & nostram syncerè charitatis brachiis amplexeris, vt cum tam excellentis operis, & præcipuæ pietatis diligens cooperator existeris, & à retributore bonorum præmia merearis, & nos de tuis, eorum, ac totius Ecclesiæ profectibus exultantes, patri summo, à quo bona procedunt omnia, referamus gratiarum debitas actiones, & deuotionem tuam merito commendemus. Datum Laterani XII. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno VIII.

Eodem anno Alcantaræ Militia destituta Magistro, nouum sibi Pastorem subrogauit, & nouum Ducem. Quippe Arias Parecius per mortem raptus est, cum annos vndecim res Alcantarenses, nec sine insigni laude, administrasset; Alcantaræ sepultus, vt ait Rades, claram sui memoriam relinquens posteris. Acceperat à Rege Ferdinando oppidum de *Magacella*, insignis hodie Prioratus illustre titulo, compensationem pro aliis nobilioribus quæ sibi, ex quadam antiqua concessione, seu incorporatione Ordinis de *Trugillo*, debita esse, Alcantarenses constanter disceptabant. In eius locum subrogatum lego Petrum Ianez fœlicibus auspiciis, quippe ipso anno suæ electionis finitimos inuadens Sarracenos, glorioſos de eis triumphos reportauit. Serenam dicunt tractum illius terræ, quem purgandum suscepit ab infidelibus; purgatum magna ex parte dono accepit à Ferdinando Rege: retento tamen sibi maiori oppido, dicto de Medellin, circumiacentia plura suscepere. Inter quæ, illud, quod tunc *Aldea nueba*, mox *Aldea delos Freyles*, demum *Villanueua dela Serena*, vocatum est; in quo & Prioratus institutus, qui hodie perseuerat, & inter nobiliores commemoratur. 9.

1. *Acta Capituli, de Abbatum electione, depositioneque; 2. & quædam in irregulares, & in conuersos. 3. Chronologia, 4. & notitia Sancti Augustini de Monte alto; 5. quæ domus, antea possessio Claræ-Vallis: 6. mox cum nostris veniret auferenda, 7. tandem retenta est sub Abbatis Sancti Anastasij visitatione. 8. Reformatum cœnobium Sancti Saluatoris de Monte-acuto 9. & subiectum Cistercio immediatè, 10. cum aliis quæ illud concernunt remissiuè. 11. Ignota nobis duo alia Monasteria, sed subrogatum in Polonia vnum; 12. alterum in Sabaudia, non sine multa vtriusque dubitatione.*

CAPVT DECIMVM.

1. IN Capitulo paucæ latæ leges: sed quarum aliquæ nimiam facilitatem in confirmandis electionibus Abbatum, etiam cum minus idonei eligebantur; nimiam in eorumdem depositionibus, dum corrigere curant, manifestant. Nihil priuatis imperantium commodis vtilius, nihil reipublicæ nocentius esse potest; illi nimirum, quò ineptiores administros, siue coadiutores, eò obsequentiores, ad ea, quæ volunt, habent; facilè si resiliant, deponendos: hi, vt conseruent, quem non merentur locum, dum nihil abnuunt, iura omnia infringunt; neque leuiora à suis subditis exigunt, quam ipsi à superioribus patiuntur. Contra primum abusum cautum est: *Cum iuxta Beati Benedicti regulam, tales debeant esse Abbates, qui sint, & sciant vnde referantur noua, & vetera, præcipitur tam præsentibus Abbatibus, quam electoribus, vt tales de cætero eligantur Abbates, qui sint competentis litteraturæ, vitæ laudabilis, & ætatis legitimæ.* Id est, vt tales de cætero eligantur, qui non possint pro libito deponi. Contra secundum lege etiam sancitum, vt *depositionis sententia nunquam de cætero in aliquem deferatur Abbatem, quomodocumque, etiam contumacem, nisi in aliquo Capitulo nostri Ordinis aliquanto Abbatum numero, prout in charta charitatis continetur, nihilominus congregato; & tunc si præsens fuerit, siue per contumacem absens Abbas, huiusmodi sententia, si dignum fuerit, ferri potest.* In aliquo inquam Capitulo, non Generali, sed Abbatum vicinorum; vt nec consilia faciendis deesse possent, nec factis testes.

2. Lata etiam & lex contra conuersos, *ne Fratres, siue proprio nomine, vt Monachi, sed conuersi nominarentur.* Quippe olim Fratrum nomen in honore, atque à sacro Collegio Cardinalium, à quibus post Apostolos incœpit, *Nuntiate Iacobo, & Fratribus hæc*; ad Cathedrales, Monachalesque Ecclesias, quasi per analogiam deriuabatur, hodie, proh dolor! in opprobrium penè pertransiit, & recusatur ab his, quos honestabat: seu multitudo contemptum generauerit, quod euenit plerumque; siue in expositis hominum frequentiæ, derecti defectus, siue fortè à consortio ipso contracti; qui in solitudine offendere non possent, siue nulli essent reuera, siue latерent. Illud compertum, Fratris nomen conuersis olim negatum, quia honorificum; hodie inter nos in eis solis conseruari, Monachis illud omnino refugientibus. Lata & lex aduersus *irregulares, ne Romam, per speciem obtinendæ dispensationis, sine totius Capituli Generalis licentia mitti possent:* siue id datum strictiori rigori Ordinis, qui omnem abhorreret dispensationem: seu præueniendis fraudibus, quæ eludendæ Monasticæ clausuræ, si semel fastidiatur, concipi solent.

Sequuntur iam Abbatiæ nostris adauctæ, quas video quatuor in Chronologia commemorari. 3.

Anno, inquit, *M. CC. XLIV. septimo Kalendas Martij, fundata est Abbatia S. Augustini de Monte alto.*

Eodem anno Kalendis Maij, Abbatia S. Saluatoris de Monte-Acuto.

Eodem anno Abbatia de Valcana.

Eodem anno Abbatia de Pernon. Porrò ex his, quatuor duæ priores notæ, vtraque in Italia: de posterioribus diuinandum nobis erit, aut aliæ duæ pro ipsis substituendæ.

Sancti Augustini antiquius Monasterium in Diœcesi Castrensi in Apulia, Clara-Vallis accepit possidendum; siue qui illud prius inhabitabant, admisso Cistercio, sese, & Ecclesiam suam illi tradiderint: seu fortè Ecclesia destituta habitatoribus, Claræ-Valli, à Patrono donata sit, ab eius Monachis perpetuo possidenda. Illud compertum, Claram-Vallem circa hunc annum, cum longè dissitam, nimirum vltra Alpes (neque enim Claræ-Valli Mediolanensi, sed Claræ-Valli Burgundiæ donata fuit) aut minus sibi vtilem, aut quod veris pauperibus sat est, saltem non necessariam experiretur, dedisse eandem Abbatiæ S. Anastasij de vrbe, possidendam, si vellet, veluti membrum, siue, si mallet, in filiam adoptandam. Constant hæc omnia ex litteris Innocentij Papæ Quarti, post XVI. annos, expeditis, plus minusve, in quibus hæc inter alia Pontifex ait [a]. 4.

[a] Ex Regest. Innoc. 4. ad ann. 1250.

Abbati, & Conuentui Monasterij S. Anastasij de Vrbe, Cistercienſis Ordinis. 5.

Pro multa deuotione, quam dilectus filius Abbas Monasterij Claræ-Vallensis, Cistercienſis Ordinis, ad nos gerit, pensata prudenter affectione paterna, quam ad Ordinem ipsum, & specialiter ad dictum Monasterium habuerimus hactenus, & habemus, Ecclesia Sancti Augustini de Monte alto, Cistercienſis Ordinis, Castrensis Diœcesis, quæ Monasterij vestri speciale membrum, cum omnibus pertinentiis suis, & vobis, dum idem Abbas esset, in Generali Capitulo apud Cistercium, prout spectabat ad eum, contulit liberaliter, & libenter, renuntians omni iuri, & actioni sibi, ratione præfati Monasterij in prædictis Ecclesia, & pertinentiis competenti, ac beneficio restitutionis in integrum; necnon iuris cuiuslibet auxilio Canonici, & Ciuilis, propter quod posset huiusmodi collatio retractari; & promittens quod tam ipse, quam sui successores, illam perpetuo obseruabunt: concessa vobis nihilomus auctoritate propria ingrediendi possessionem ipsius Ecclesiæ, ac omnium pertinentium ad eandem, & disponendi, ac ordinandi de ipsis omnibus plena, & libera potestate, dilectus filius Abbas Cistercij, & totum Abbatum eiusdem Ordinis Capitulum

pitulum Generale, præfatam collationem ratam habuerunt, ipſamque liberaliter confirmare curarunt, provt in litteris, ſuper his confectis, plenius, & expreſſius continetur.

6. Miſerit ne Sancti Anaſtaſij Abbas Conuentum ad locum, vt filiam ſibi Eccleſiam conſtitueret, emancipandam ſtatim? an membrum vtile voluerit habere per tempus aliquod, quod ſibi in omnibus plenè deſeruiret? an tandem filia donationem matris acceptare diſtulerit? in dubio eſt. Conſtat circa annum M. CC. L. plus, minuſve, Innocentium IV. obtento prius conſenſu ſimul, & litteris Abbatis Claræ-Vallis, eandem ſibi Eccleſiam petiuiſſe (incertum, ad quem finem?) miſſo ex Lugduno, vbi tunc morabatur, procuratore, Magiſtro Radulfo, Priore Sancti Gregorij Trecenſis, Ordinis Sancti Auguſtini, qui eandem reciperet; atque oblata Abbati, atque Conuentui Sancti Anaſtaſij, non æquali tantum, verum ſuper excedente ſatisfactione: ſic enim in eiſdem litteris pergit.

7. *Cum igitur memoratus Abbas Claræ-Vallis à vobis per ſuas depoſcat litteras, & requirat, vt eandem Eccleſiam, cum poſſeſſionibus, domibus, & omnibus iuribus, & pertinentiis ſuis, nobis ſine dilatione qualibet conferatis; vniuerſitatem veſtram hortandam duximus, ac affectuosè rogandam, & cum multa fiducia requirendam, quatenus, quod per prædictos Abbatem, & Capitulum factum eſt in hac parte voluntariè acceptantes, eandem Eccleſiam cum præmiſſis omnibus nobis, remoto cuiuſlibet difficultatis, & tarditatis obſtaculo, prompta liberalitate, plenariè conferatis; illam dilecto filio Magiſtro Radulfo, Priori Sancti Gregorij, Trecenſis Diœceſis, Ordinis Sancti Auguſtini, quem ad hoc conſtitutum procuratorem, Capitulo veſtro duximus ſpecialiter deſtinandum, noſtro nomine liberè aſſignantes: nos enim parati ſumus in recompenſationem propter hoc, ſatisfactionem Monaſterio veſtro facere, non ſolum de re æquiualenti, ſed etiam potiori: affectum autem ſuper hoc noſtrum taliter attendere, ac adimplere curetis, vt exinde ad veſtra, veſtrique Monaſterij procuranda commoda fortius animemur. Gratius namque habebimus ſi noſtro in iis beneplacito ſtudeatis in abſentia obſequi, quam ſi quod petimus in noſtra præſentia faciatis, cum tædium conſueuerit parare longa mora. Datum Lugduni X. Kalendas Maij, anno octauo.* Sic Innocentius, qui etiam Cardinali Vicario Vrbis in eandem formam ſcripſit eadem die. Sed nihilominus Sanctum Auguſtinum manſiſſe Ciſtercio, atque Sancti Anaſtaſij Monaſterio, aliæ litteræ præſtant Honorij Papæ IV. Datæ Romæ apud Sanctam Sabinam Nonis Decembris, in quibus anno M. CC. LXXXV. qui fuit, primus Honorij, Sanctus Auguſtinus inter filios Sancti Anaſtaſij commemoratur.

8. Notior Eccleſia Sancti Saluatoris de Monte-Acuto in Peruſina Diœceſi, quam hoc anno acceſſiſſe noſtris, conſtat, cum ad id laxamenti deueniſſet Sanctiſſima olim domus, vt intentata ſæpè reformatio ſæpius eluderet, neque aliter conſequenda, quantumuis id Gregorius Papa optaſſet, ſperaretur. Itaque eam ad Ciſtercium reformandam, quia aliter non poterat, Gregorius duobus Monachis Ciſtercienſis Eccleſiæ, Petro, & Simoni (nam Ciſtercio ſubiectam immediatè voluit) ad ſe vocatis tradidit, ſimul cum litteris, ad Ciſtercij Abbatem datis, vt ſuſciperet filiam; ad quendam verò Magiſtrum, Petrum de Fuſco, vt nouos dominos in poſſeſſionem mitteret; antiquos, aut diſpergeret, aut ibidem ſubeſſe exhortaretur. Extant, legunturque vtrarumque exemplaria; quæ in clariorem totius facti notitiam, hîc more ſolito cenſui ſubiicienda. Atque ecce exemplar Epiſtolæ prioris [b], *Abbati, & Conuentui Ciſtercij.* b *Epiſt.* 127. 9.

Solet ſtudioſus, & diligens vinitor euellere vites degeneres, quæ terram inutiliter occupant, & perniciosè luxuriant in perniciem palmitum electorum, ac loco illarum vites electas, & vberes propagare, vt tota fiat vinea fertilis, & iocunda. Sanè in Monaſterio Sancti Saluatoris de Monte acuto, quod ad Romanam Eccleſiam nullo pertinet mediante, aliquando tanquam electa Domini vinea flores, & fructus produxerat honeſtatis, quædam radices peſtiferæ pullularunt, curationi quarum nullum potuit efficax remedium adhiberi, dum Abbates ferè omnes, cum quibuſdam ex Monachis, viſi fuerint in exterminium illius Eccleſiæ coniuraſſe, inextricabilibus penè debitis, dictum Monaſterium obligando, nobiles poſſeſſiones, & iura ipſius Eccleſiæ diſtrahendo; & à ſeipſis multipliciter abdicando normam Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Quare nobis, qui licet inſufficientibus meritis, ſuper operarios in Domini vinea ſumus conſtituti, prouidi vinitoris exemplum imitari pro viribus cupientes, ne dictum Monaſterium remaneat in ſpiritualibus & temporibus deſolatum, ſed potius tanquam hortus deliciarum Domini reuireſcat, ſibi Eccleſiis, Caſtris, hominibus, poſſeſſionibus, libertatibus, iuribus, & omnibus aliis bonis ſuis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus integrè reſeruatis, prouidimus ibidem Ciſtercienſem fundare Ordinem, & ſalubres ipſius obſeruantias propagare. Statuimus itaque, vt ipſum Monaſterium, Abbates, & Conuentus ibidem, ſicut Domino placuerit, ordinandi, Ciſtercienſi Monaſterio de cætero ſecundum ſtatuta ipſius Ordinis, immediatè ſubiaceat reuerentiæ filiali. Vt autem quod à nobis deliberatione præhabita eſt prouiſum, robur obtineat inuiolabilis firmitatis, prouiſionem prædictam inconuulſa decreuimus & perpetua ſtabilitate valere: Romanæ Eccleſiæ in omnibus iure ſaluo. Nulli ergo, &c. Datum Rheati VI. Kalendas Iulij anno octauo.

Hæc ad Abbatem Ciſtercij Gregorius IX. vt curam reformandæ domus ſuſciperet. At ad Magiſtrum Petrum eatumdem litterarum executorem, hæc, quæ ſequuntur.

Magiſtro Petro de Tuſco, ſcriptori noſtro. 10.

Cum Monaſterium Sancti Saluatoris de Monte-acuto, quod ſicut accepimus, propter malitiam habitantium in eodem, multipliciter deformatum, multis erat in ſcandalum, & horrorem, prouiderimus de Fratribus Ciſtercienſis Ordinis ordinandum; mandamus, quatenus perſonaliter ad Monaſterium ipſum accedens, Monachos habitantes in eo, vt Ciſtercienſis Ordinis ſuſcipiant inſtituta efficaciter moneas, & inducas: quod ſi monitis tuis acquieſcere fortè noluerint, eos in aliis Monaſteriis ſui Ordinis, vel in obedientiis eiuſdem Monaſterij collocare procures, recepto ab ipſis corporaliter iuramento, vt alienare, impignorare, vel diſtrahere aliquid de bonis earum nullatenus præſumentes, regulariter, & honeſtè in Ordine ſuo viuere, ac Abbati, vel Procuratori Montis-acuti, Ciſtercienſis Ordinis, obedientiam, & reuerentiam ſtudeant humiliter exhibere; ipſos ad hæc per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compellens; aduocato contra eos ſi neceſſe fuerit, auxilio

brachij

brachij sæcularis. Datum vt supra. Addidit Pontifex, & tertias alias litteras,eadem die datas ad eundem, continentes : *vt Fratres Petrum, & Simonem, Ciſtercienſes Monachos, in temporalem ipſius Monaſterij, atque omnium ad illud pertinentium, nomine Abbatis, & Conuentus Ciſtercij mitteret, ad conſeruanda & propaganda in eo Ciſtercienſis Ordinis inſtituta.* Hæc initia Ciſtercij in Monaſterio Sancti Saluatoris Montis-acuti,cum antea multos annos, nunc florens, nunc declinans, ſub nigro habitu variè militauiſſet. Cæterum quale poſt annos quinquaginta,& amplius, ſub Nicolao IV. dubium inciderit, & qualiter ab eo poſt longam litem, in fauorem Ciſtercij deciſum ſit? ne in alienam meſſem manum mittere videamur,cum iam diſcedimus,ſuo tempore manet enodandum.

II. Sequuntur alia duo Monaſteria Valcana, & Pernon,ex ſola Chronologia nobis nota,de quibus adeo nihil addere poſſumus, niſi quod tamen Pernon, ſiue Porno,alias de Bernavu, Gaſpar Iongelinus [c] filiam trium fontium de linea Claræ-Vallis; Valkenam,ſeu Valcanam, in Liuonia, Stolpi filiam notat, atque hanc vltimam ſeptenio etiam anticipat. Video & alia duo Monaſteria notata circa hunc annum, alterum in Polonia, in Sabaudia alterum, quæ non licet ſilentio præterire. De primo in Hiſtoria Polonica collecta ex Bibliotheca Ioannis Piſtorij Nidani, & Baſileæ vulgata, ſcriptum lego: *Anno Domini M. CC. XXXIV. Theodorus, Palatinus Cracouienſis, de domo, & familia Griphonum, quem Poloni appellarunt Cedronem, Monaſterium Ordinis Ciſtercienſis, ſub titulo Sanctæ Mariæ in Villa ſua Ludzimirz, propè oppidum Nouitarg de ſub montibus Sarmaticis, fundauit, & Fratres ex Italia accerſitos vocauit; pro dote præfatam Villam Ludzimirz cum pluribus aliis aſſignauit. Viſlaus autem, Epiſcopus Cracouienſis, eidem Monaſterio manipulares decimas omnium Villarum, Monaſterio prædicto attributarum, & Locandarum, adiecit. Cumque à Viris bellicis Fratres prædicti per ſæpè depradarentur, poſt decennium in Szirczicz Villam, à Subiſlao Canonico Cracouienſi, Filio Ioannis militis, pro centum marchis argenti comparatam, tranſtulit, vbi in hanc diem permanet. Prandota vero, Epiſcopus Cracouienſis, Viſlai Epiſcopi immediatus ſucceſſor, de conſenſu Capituli decimas manipulares menſæ ſuæ in Villis, Goſnanovicze, Goſtachovv, Dlichovv, & in Nigra-ſylua præfato cœnobio inſcripſit, & perpetuo donauit.* Hactenus, quod hoc anno natum dicitur, Monaſterium Poloniæ.

[c] *lib.4.*

Video, & alterius notitiam in Sabaudia, ſumptam ex litteris Gregorij Papæ Noni, ad Abbatem, & Conuentum de Alpibus, Ciſtercienſis Ordinis,Diœceſis Geuenẽſis,quarum hæc verba. 12.

Abbati, & Conuentui de Alpibus, Ciſtercienſis Ordinis.

Cum bonæ memoriæ H. Geuenenſis Epiſcopus, deſiderans, vt Ordo Ciſtercienſis inſtrueretur in Eccleſia Diœceſis Geuenenſis, cuius ad eum cura, & diſpoſitio pertinebat, vobis de conſenſu Capituli ſui, eandem Eccleſiam cum pertinentiis ſuis dederit intuitu pietatis, ac Venerabilis Frater noſter, Geuenenſis Epiſcopus, ſucceſſor ipſius, donationem roborauit eandem, dando vobis plenariè quidquid iuris in ipſa Eccleſia, vel eius pertinentiis obtinebat, ad inſtituendum Ciſtercienſem Ordinem in eadem; nos precibus veſtris benignum impertientes aſſenſum, donationem ipſam, ſicut piè, ac prouidè facta eſt, vt in litteris prædictorum Epiſcoporum plenius continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo, &c. Datum Laterani XI. Kalendas Aprilis, anno octauo. Hæc de duobus aliis Monaſteriis præſentis anni, quorum prioris Iongelinus etiam meminit, & ſitum in Olomucenſi Diœceſi tradit: poſteriorem non alibi inueni, & fortè potuit erectio retardari.

---

1. *Honor-noſtræ-Dominæ Monialium iuxta Orchias, Margaritæ Conſtantinopolitanæ opulenta fundatio,* 2. *tranſlatio ad Flinas,* 3. *& dedicatio Eccleſiæ.* 4. *Monachatus Mariæ filiæ, & ibidem ſepulchra multorum Principum.* 5. *Mons-Sanctæ-Mariæ,* 6. *& litteræ ad Guillelmum parentem, Gregorij Papæ,* 6. *atque aliæ notitiæ eiuſdem domus.* 8. *Tres Abbatiæ Monialium in Germania:* 9. *Dubia vna in Italia,* 10. *& per Abbatem Tileti, illius conuenientia diſcutienda.* 11. *In Græcia Monaſterium de Percheio, in ſpecialem filiam Ciſtercij datum,* 12. *& cura eius Sancti Angeli Conſtantinopolitani Abbati commiſſa.* 13. *Porta-cœli in Morauia, cœnobium Virginum.*

CAPVT VNDECIMVM.

1. SEQVVNTVR Monaſteria Sanctimonialium, de quibus in hoc capite dicendum. Inter quæ primum locum occupent Flinæ, ſeu verius dixerim, Honor-noſtræ-Dominæ, hoc enim primum nomen Monaſterio, quod Margarita Conſtantinopolitana, Balduini Imperatoris filia,ſecunda natu,Ioannæ Flandriæ, & Hannoniæ Comitiſſæ ſoror, & poſtea hæres, VVillelmi de Dampetra Domini vidua, ſub filiatione ſpeciali Claræ-Vallis, in memoriam Bernardi, propè Orchiarum oppidum fundauit circa hunc annum,non multo poſt Flinas tranſferendum. Fundationis illius inſtrumentum expeditum hoc anno vulgauit Miræus in libro donationum Belgicarum totidem verbis [a]. *Ego Margarita, Domina de Dampetra, notum facio vniuerſis, tam præſentibus, quam futuris, quod pro remedio animæ meæ, & Domini VVillelmi de Dampetra, quondam mariti mei, necnon & omnium anteceſſorum meorum,locum, qui dicitur Honor Beatæ Mariæ, ſitum propè Villam de Orchies, in Diœceſi Tornacenſi, cum omnibus appenditiis ſuis, contuli in eleemoſynam Diuo Bernardo, & Ordini Ciſtercienſi ad hoc, quod ſit in perpetuum Abbatia Monialium eiuſdem Ordinis, & ſpecialis filia Claræ-Vallis. In cuius rei teſtimonium præſentes litteras ſigillo meo duxi roborandas. Actum anno Domini M. CC. XXXIV. in die Sancti Dionyſij.* Hactenus inſtrumentum fundationis.

[a] *cap.98.*

Moniales

Moniales primæ, ex Marketa illuc adductæ; 2. sub Abbatissa Ogiua, atque Priora Oda de Maigni, quas æquè claras virtutibus, ac genere, qui seriem Abbatissarum Flinienſium texuit Ioannes Buzelinus, in sua Gallo-Flandria testificatur [b]. Ogiua mortua, Oda illi suffecta, sub qua translata domus, cum iam Maria, Margaritæ filia, gloria mundi spreta deliciisque, Monachatu suo cœnobium dedicasset. Nec satis constat de anno translationis, sicut nec quo Maria habitum induit, nisi quod tamen ante decimum nonum annum vtrumque contigisse, quod idem etiam Miræus in suis Ecclesiarum Belgij notitiis publicum fecit, aliudque instrumentum dotationis, ab eadem Margarita, Flandriæ iam, & Hannoniæ Comitissa, confectum satis ostendit; sic enim habet [c]. *Margarita, Flandriæ, & Hannoniæ Comitissa, vniuersis præsentes litteras inspecturis salutem, &c.*

b lib. 1. c. 42.

c cap. 206.

Nouerit vniuersitas vestra, quod nos Ecclesiam, seu Monasterium Sanctimonialium de Honore Beatæ Virginis, Cistercienſis Ordinis, quod nos pro remedio animæ nostræ, & Domini VVillelmi de Dampetra quondam mariti mei, necnon, & omnium antecessorum, successorumque nostrorum, iuxta Orchies *primo fundauimus, ac postmodum ipsum translulimus iuxta* Felines *specialius in Domino diligentes (maximè cum in dicto Monasterio charissima filia nostra Maria se in Christi perpetuum dedicauerit famulatum) in perpetuam contulimus eleemosynam, &c. Datum anno M. CC. LIII.* Ab hac translatione, priori obliterato, Flinensis Abbatia nomen accepit, quamuis ne antiquum prorsus aboleuerit.

3. Celebris fuit in Flinensi Monasterio dedicatio Ecclesiæ, quæ incidit in annum milleſimum, ducenteſimum, quinquageſimum nonum, tanta tum Principum, Prælatorumque, tum populi frequentia, vt non debeat silentio pertranſiri. Quippe ab antiquis conſeruata memoria in quadam Tabula, quam Ioannes Buzelinus [d] vulgandam censuit. Sic autem habet.

d Gallifl. lib. 1. c. 42.

Anno Domini M. CC. LXXIX. quinto Kalendas Iunij, dedicata, & consecrata est Ecclesia ista in honore Beatissimæ, & glorioſæ, semper Virginis Mariæ à Venerabili Petro, Archiepiscopo Rhemensi, qui etiam eodem die altare in choro Monialium, in honorem Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, consecrauit. Fuit etiam præsens in hac dedicatione Venerabilis Philippus, Episcopus Tornacensis, qui eodem die octo altaria in hac Ecclesia consecrauit: tria autem altaria, quæ remanserant consecranda, idem Episcopus Tornacensis sexto Kalendas Iulij consecrauit. Fuerunt etiam hîc multi Abbates præsentes de Ordine Sancti Benedicti, & Sancti Augustini, & de Ordine Cistercienſi, & Præmonstratenſi, & multo alij Prælati, Religioſi, ac seculares. Fuerunt etiam hîc multi Principes, & maximè digna memoriæ Domina Margareta, Flandriæ, & Hannoniæ Comitissa, quæ Ecclesiam, & Monasterium fundauerat, & ædificauerat propter salutem animæ suæ, & maiorum suorum, & specialiter propter amorem filiæ suæ Mariæ de Dampetra, Monialis in loco isto. Fuit etiam præsens Dominus Guido, Comes Flandriæ, filius dictæ Comitissæ, & vxor eius Comitissa Namurcenſis, & Domina Ducissa Brabantiæ, eiusdem Comitis filia, & multi alij nobiles.

4. Sunt etiam celebres Flinæ sepulchris Principum. Inter quos primum locum tenet ipsa fundatrix, de qua in suis Annalibus Meyerus [e]. *Eam filij eius, Guido, & Balduinus, cum omni dignitate Flandriæ, & Hannoniæ, Flinis magnifico extulere funere.* Iacent, & in eadem Ecclesia Guillelmus Dampetrus, eiusdem Margaritæ Vir, Guido, vtriusque filius, Flandriæ Comes, eiusque coniux Mathildis, Blancha, Roberti Betunæi, Flandriæ item Comitis, vxor: Ioannes, Guidonis filius, & Margaritæ nepos, Leodienſis Episcopus; pluresque, tum fœminæ, tum Viri eiusdem, nouæ; quos apud Buzelinum [f] videre licet. Cæteris omnibus præeminet sepulchrum Mariæ, Guillelmi, & Margaritæ filiæ, Guidonis sororis, in Monasterium constructum diximus, in medio chori, è marmore compactum, hoc Epitaphio inciso, quod Abbatissam, id est matrem nominat, quia verè talis erat, quamuis se nunquam functioni illi permiserit. Atque en Epitaphium.

e lib. 9.

f vbi suprà.

Heu! de Dampetra iacet hîc veneranda Maria.
Quam fuit egregia, nescimus condere metra.
Princeps Flandrenſis huic mater, & Hannoniensis.
Æui sub flore Domini flagrans in amore,
Mirando more floruit bonitatis honore.
Hæc Abbatissa nituit bona, mitis, honesta:
Digna fuit laude, simplex, humilis, sine fraude.
Huic Deus applaude, nec ei tua gaudia claude.
Anno milleno, tercenteno quoque bino,
Migrauit Festo Thomæ Didymi sub honesto.

Quæ passæ fuerint Virgines Flinenses non longè post Mariæ Virginis obitum, si quis Annales istos continuauerit; vix sine lachrymis valeat reserare.

Succedat Belgæ, Belga alia Abbatia, Mons 5. Sanctæ Mariæ, nunc Bigardia minor, propè Bruxellam, quam Cistercienſibus Virginibus. Hoc item anno conditam, probant ipsa instrumenta fundationis, confirmationisque quæ idem pariter Miræus euulgauit. Fundatorem, priuatum, nobilem tamen; Moniales primas, ex Pratenſi cœnobio habuit, iuxta Teneremondam, institutorem loci, Ordinisque, Cistercienſem Abbatem, de mandato Gregorij Summi Pontificis; obtẽta conniuẽtia, non solum Principis, sed cæterorum omnium, qui ius quodcumque habere in loco poterant. Ergo quæ prima omnium, facultas Principis, hoc anno indulta dicitur, à Miræo transcripta hæc habet pauca s. *Henricus Maior, filius Ducis Lotharingiæ, omnibus salutem.*

g cap. 207.

Nouerint vniuersi, quod nos licentiauimus G. de Bellemghem Monialium Domum ædificare, iuxta loca infra nostrum dominium, & illam ædificatam recipimus in nostra custodia. Datum anno M. CC. XXXIV. mense Martio apud Louanium.

Licentia Principis obtenta, restabat adeundus 6. Cistercij Abbas, qui locum vellet non solum acceptare, sed & disponere: quod cum difficilem Ioannes, aut timeret, aut forsan inueniſſet, Gregorium prius sibi adeundum putauit, à quo & ad ipsum sub initio sequentis anni litteras impetrauit, in hæc verba.

Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio Abbati Cistercienſi salutem, & Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius, Ioannes, Miles de Monte Sanctæ Mariæ, nobis supplicauit, vt in Monasterio de Monte S. Mariæ, quod in fundo suo construxit de bonis propriis & dotauit, per te institui Conuentum Monialium Cistercienſis Ordinis mandaremus. Honestam itaque intentionem prædicti Militis attendentes,

tendentes, discretioni tuæ mandamus, quatenus si dictum Monasterium situ loci, & facultatibus, est congruum ad Conuentum huiusmodi Ordinis memorati, obtento Episcopi Diœcesani consensu, satisfacias piis votis Militis supradicti. Datum Viterbij XIX. Kalendas Ianuarij, Pontificatus nostri anno nono.

7. His accessere consensus Diœcesani, nempe Cameracensis, tum & Capituli Ecclesiæ Niuellensis, quæ personatum habebat in ipso loco; in quibus Priorissa Prati ad Tenere mondam, filia dicitur Ioannis fundatoris. Vt credi possit, in ipsius etiam gratiam, Monasterium à Patre constructum esse. Sequutæ exinde nonnullæ donationes propinquorum ipsius, aliorumque quibus breui Moniales locupletatæ in Abbatiam creuere non contemnendam. Qualiter autem secessu temporis, non solum nomen, sed Ordinem mutauerit; & ex Monte S. Mariæ Bigardia minor dicta; ex alba, ad nigram cucullam pertransierit? Si quis forsan Annales hos continuauerit, suis singula locis reddet, vt par est credere. Atque hæc in Belgio.

8. In Germania duo alia Monasteria constructa video. Viam Cœli, sub Abbatum Campensium visitatione, de qua Ioannes Ditmarus, & ex ipso Miræus in Chronico Cistercij, ad hunc annum. *Eodem anno Via-Cœli in Duisserem à ciue quodam Duisburgensi pro Monialibus Cisterciensis Ordinis structa est & constructa.* Et Kirsghartem propè VVormatiam, de qua Abbatia paulo ante constructa, sed ignorantia detracti anni, relata ad annum mortis fundatoris, Bruschius in Catalogo Episcoporum VVormaciensium hæc habet verba. *Henricus Secundus, Comes Sarburgensis, eligitur vnanimi totius Cleri consensu, ex Nouenhusiano Præposito, in Antistitem VVormacensem; anno Domini M. CC. XVII. Præfuit annis XVII. summa cum laude: seditiosam VVormatiam compescuit, & dirupta Curia Senatoria, consensu Imperatoris Friderici Secundi, totam suæ iurisdictioni subiecit, legit Senatum ex quindecim tantum præcipuæ nobilitatis ciuibus, exauthoratis quadraginta personis, quæ ad hæc vsque tempora vrbi præfuerant. Fundauit Monialium cœnobium instituti Cistercienſis Kirsghartem, non procul ab vrbe. Obiit XII. die Septemb. anno M.CC.XXXIV.* Nec multum erit, si eadem occasione, qua postposuimus prædictam Abbatiam, anteponamus aliam, quam Henrici successor nostris adiecit, pulsis antiquis illius habitatricibus, de qua Ioannes Trithemius hæc habet verba [h]. *Eodem quoque anno* (scilicet M. CC. XXXIV.) *pridie Idus Septembris obiit Henricus de Sara-ponte, VVormacienſis Episcopus, in medio chori maioris Ecclesiæ suæ cum honore sepultus, cui Landolphus successit, & præfuit annis XIII. qui Moniales Ordinis nostri de cœnobio Monnemonſther, vulgariter dicto, in suburbio Ciuitatis, propter inordinatam vitam ipsarum expulit, & alias de Ordine Cistercienſi illuc introduxit, quæ & ipsum locum inhabitant, vsque in præsentem diem, vt videmus.*

h *In Chron. Hirsaug.*

9. Scripsit & Gregorius Nonus Abbati de Tileto, & Noui Monasterij fundationem, aut exequendam, aut examinandam pro Viris, aut pro fœminis iniunxit; cum non solum Ecclesia, sed officinæ ad Latronorij Conuentus translationem, dudum constructæ (persistentibus in priori loco Monialibus) vacuæ, & prædonibus apta receptacula (in quos præcipuè excogitata fuissent) vt ex litteris constat, inueniretur. Certè qui in Latronorij fundatione plurimum laborasset, Frater Damianus, translationem illius meditatus, loca horrida, & vasta, ac cædibus, & latrociniis infestata, in domum Dei, & Virginum Sanctarum habitationem conuertere parabat. Sed translatione Conuentus non sequuta: qui olim indefensi latitabant prædones, nunc velut arcem habebant, vnde prodirent. Sed nec Moniales ibi sine periculo; & Virorum Conuentui sustentando, ineptus fortè locus, aut insufficiens. Ergo his omnibus, relatis ad Gregorium, tales ad Abbatem Tileti litteras dedit [i].

i *Ad hunc annum.*

Abbati de Tileto Cistercienſis Ordinis, Aquenſis Diœcesis & Magistro scholarum Ihannuenſi. 10.

Significante dilecto filio, Fratre Damiano, fundatore Monasterij S. Mariæ de Latronorio, Nos, noueritis, accepisse quod idem olim Monialibus Cistercienſis Ordinis inibi constitutis, ad quendam locum transferentibus, qui Patralis vulgariter appellatur, vbi latrocinia, & homicidia, quamplurima frequentius à filiis Belial patrabantur; ad honorem Domini & B. Mariæ, semper Virginis genitricis ipsius, Ecclesiam construxit, ibidem & ipsam, quantum in eo fuit, cum pertinentiis suis Monasterio subdidit memorato. Cum autem Moniales prædictæ nominatam Ecclesiam, de qua non curare videntur, tueri nequeant ab incursibus malignorum, & populus eiusdem Prouinciæ nequaquam sustinere velit, quod sit ibi religio Monachorum; ne occasione huiusmodi peiora peioribus committantur ibidem; præsertim cum populus memoratus suum ei super hoc consilium subtrahat; & Virorum religionem in loco cupiat institui memorato; Nobis humiliter supplicabat, vt ne locus præfatus hac occasione diutius remaneat desolatus, prouidere super hoc misericorditer dignaremur. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ, per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus ad locum præfatum personaliter accedentes, & habentes præ oculis solum Dominum, inquiratis super præmissis diligentius veritatem, & quicquid super his secundum Dominum, & iustitiam statuendum videritis, appellatione postposita, faciatis, quod statueritis per censuram Ecclesiasticam firmiter obseruantes. De vita dicti Fratris Damiani auctoritate nostra disponentes, prout secundum Dominum videbitis expedire. Datum Laterani II. Nonas Maij, anno VIII. Ita Gregorius. De euentu nihil constat; nec nos quid aliud inuenire potuimus.

11. Hoc ipso anno Monasterium de Perchejo in Græcia, cum Monasterio S. Mariæ Magdalenæ (ignoto nobis hactenus, nisi quod Monachorum Cistercienſium fuisse, ex litteris constat) vltro se subiecisset, sub certis conditionibus: quæ vtrimque seruandæ proponebantur; transactione cassata per Capitulum, Abbas Cistercij declaratur illius pater. Ne autem terræ, marisque intercapedine, Moniales, quæ ex multa religione atque eximia honestate commendabantur, paterna prouidentia defraudarentur, Abbas S. Angeli Constantinopolitani, commissarius continuus, à Parente Guillelmo est designatus, & designatio à Pontifice approbata, litteris ad easdem Moniales datis, commendatione plenis, sub hoc tenore [k].

k *vbi supra* 12.

Abbatissæ & Conuentui S. Mariæ de Perchejo, Cistercienſis Ordinis Constantinopolitanæ Diœcesis.

Sedes Apostolica pia mater, etsi omnes habeat in visceribus charitatis, illis tamen fauorem specialis gratiæ impertitur, quibus ampliora deuotionis merita suffra-

suffragantur, & maiori feruore noſcuntur diuinis obſequiis inhærere. Cum igitur à magnis & fide dignis, de feruore religionis, & honeſtatis Monaſterium veſtrum multipliciter commendetur, & dilectus filius, Abbas Ciſtercij, ſicut ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, in ſpecialem filiam Ciſtercienſis Cœnobij receperit domum veſtram, ac de totius Capituli Generalis aſſenſu pactiones inter vos, & Monaſterium Sanctæ Mariæ Magdalenæ Auonenſis, eiuſdem Ordinis, initas irritauit, vobiſque duxerit diligendo indulgendum, vt nullum viſitatorem de cætero admittatis, niſi eius ſuper hoc mandatum oſtenderit ſpeciale; & cum ipſe iuxta ſtatuta Ordinis viſitationis officium propter locorum diſtantiam vobis non poſſit impendere annuatim, dilecto filio Abbati Sancti Angeli Conſtantinopolitani, eiuſdem Ordinis, tam in viſitatione, quam in ordinatione cum apposuerit Abbatiſſam, quam in aliis, quæ in domo veſtra fuerint ordinanda, commiſerit vices ſuas; prout in eius litteris dicitur contineri: Nos Venerabilis fratris, Patriarchæ, ac chariſſimi in Chriſto filij noſtri Imperatoris illuſtris Conſtantinopolitani, necnon, & veſtris precibus inclinati, quod ab eodem Abbate ſuper iis, ſine prauitate prouidè factum eſt, ratum habentes de gratia ſpeciali authoritatem Apoſtolica confirmare, & præſentis ſcriptio patrocinio communimus. Nulli noſtræ confirmationis, &c. Si quis autem, &c. Datum Signiæ V. Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno VIII. Hactenus Gregorius.

13. Addenda demum huic anno fundatio altera, quia eo primum illius incedit notitia, non quod in ipſo, ſed paulo ante cœperit, vt ex ipſo inſtrumento videre licet. Portam cœli in Morauia dicunt domum, in loco Tiſnouitez, Olomucenſis diœceſis, quam ad inſtantiam, & preces matris ſuæ, Boemorum Reginæ, Primiſlaus, Morauiæ Marchio, ſtruxit, dotauitque, & vtriuſque ſepulchro, ſuo nempe, atque Matris nobilitauit. Litteræ dotationis, quas ſolas vidi, Venciſlæi Regis ſigillo munitæ, ita incipiunt.

Nouerint tam præſentes, quam futuri, quod nos Primiſlaus, Dei gratia Marchio Morauiæ, ad pias preces inclytæ matris noſtræ Conſtantiæ, Boemorum Reginæ, Monaſterio, quod Porta-cœli vocatur, in quo religioſiſſimus conuentus Dominorum Ordinis Ciſtercienſis cœpit Deo, & glorioſiſſimæ matri eius Beatæ Mariæ ſeruire, dedimus fundum, & locum in Tiſnouitez, vbi Deo in perpetuum ſeruiant, &c. *Acta ſunt hæc in Znoem anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XXXIV. Indictione VII. Epacta XVIII. Concurrente VI.* Memoratur in litteris dotatio, tanto Principe digna, & multa priuilegia, & exemptiones, quas omnes Venceſlaus ratas habet, viſuntur ante altare maius ſepulchra matris, & filij, ſub lapide marmoreo, cui tamen nulla inſcriptio eſt ſuperpoſita.

ANNVS CHRISTI M. CC. XXXV. ANNVS CISTERCII C. XXXVIII.

1. Præmiſſa à noſtris, & Ildesheimenſi Epiſcopo, exacta inquiſitione, de miraculis Sanctæ Eliſabethæ, 2. à Gregorio Nono Sanctis adſcribitur. 3. Litteræ eius, ad totius Eccleſiæ Præſules. 4. Encomia Sanctæ; 5. dictum de miraculis: 6. & feſtum celebrari iuſſum per totum orbem. 7. Eiuſdem, ad Beatricem Reginam aliæ, 8. atque ad Regem Andreæ; ſed quorum neuter diu ſuperuixit. 9. Religio in Eliſabetham totius Orbis. 10. Andreæ funus in Ægrenſi Monaſterio, 11. eleemoſyna præuia: 12. & in Huelgenſis Reginæ Beatricis: emendata in Mariana ratio temporis.

CAPVT PRIMVM.

1. HOc tandem anno, qui fuit Chriſti milleſimus ducenteſimus, trigeſimus quintus, Ciſtercij centeſimus, trigeſimus octauus, à morte Sanctæ quintus; Eliſabethæ, Vngariæ Regis filiæ, & Lantgrauiæ Thuringiæ adſcriptione inter Sanctos celebris fuit: tranſmiſſis Romam ab Epiſcopo Ildesheimenſi, & duobus Abbatibus, miraculis, quæ vel antea Siffridus Moguntinus, cum altero illorum examinaſſet, vel ipſi inquiſiſſent, & comprobaſſent, iuxta litteras Gregorij ad ipſos datas, quas præterito anno recenſuimus. Marianus, & ex ipſo VVadingus ad hunc annum centum, viginti nouem teſtes iuratos produnt, qui de miraculis ipſis depoſuerint. Tum vero Pontifex, communicato conſilio cum Cardinalibus, inter quos etiam Hieroſolymitanus, & Antiochenus Patriarchæ conſiſtebant, Peruſij in Cœnobio PP. Prædicatorum, VI. Kalendas Iunij, in ipſo Sancto Feſto Pentecoſtes, ſiue vt alij malunt, in Sancti Ioannis Baptiſtæ natiuitate, ſolemni ritu ſanctam declarauit, & feſtum eius celebrari per annos ſingulos XIII. Kalendas Decembris iuſſit, litteris datis ad Prælatos Eccleſiarum, ipſis Kalendis, quas alij etiam authores publicarunt. Sic autem habent [a].

a *In Ann. Minor. ann. 1235. n. 2.* 2.

Gregorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Presbyteris, Decanis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos litteræ iſtæ peruenerint.

Glorioſus in maieſtate ſua Patris æterni Filius, Redemptor noſter, Dominus IESVS CHRISTVS, de cœlorum ſummitate proſpiciens, conditionis humanæ gloriam, multo concurſu miſeriæ, cui primi parentis culpa dedit initium, deformatam, ineffabili diſpoſitione prouidit, vt & virtutem ſuam ſedentibus in vmbra mortis exponeret, & in exilio poſitos ad libertatis patriam reuocaret. Igitur quia nulli potius, quàm ſibi ſuæ factura redemptio competebat (eo quod artifici ſit, & decens, & debitum, vt quocumque caſu depereat, quod pulchrius finxiſſe dignoſcitur, in ſtatum priſtinum ſuæ virtutis ſtudio inſtauretur) in exile vaſcalum (ſi tamen ſit exiguum quod recepit hoſpitem ſuper omnia ſpatioſum) ſcilicet in aulam Virginis, refertam omni plenitudine ſanctitatis, de regali throno ſe conferens, opus inde cunctis viſibile protulit, per quod, propulſo tenebrarum Principe,

de sui redemptione plasmatis triumphauit, certa relinquens instituta fidelibus, per quæ ipsius ad patriam redderetur transitus expeditus.

3. *Huiusmodi quidem pietatis seriem B. Elisabeth ex Regali orta progenie, & Thuringiæ Lantgrauia gratiosa, solerti meditatione considerans, & iam dicta eligens instituta continuis obseruare studijs, vt dignam perceptione se redderet perpetuæ charitatis, quasi ab ortu vitæ vsque ad occasum, virtutum vacando cultui, numquam desiit in charitatis amplexibus delectari. Nam in confessione veræ fidei, vitæque debita sanctitati Cœlestis Reginæ, diligendo filium, per quem dulcedinem consequi posset cœlestium nuptiarum, ita dilexit & proximum, quod amœnum sibi constituens illorum familiarem habere præsentiam, quam eorum inimica corruptio cunctis suggerit effici peregrinam, se in multis sibi reddidit inopem, solicitam fore pauperibus multipliciter affluentem. Quorum ab ætate tenera tutrix esse desiderans, & amatrix, eo quod sciret perennis vitæ præmium dilectorum Deo acquiri meritis egenorum, adeò conditionem ipsorum gratam sibi constituit, quam naturaliter sæcularis elatio vilipendit, quod etiam licitis sibi delicijs, quas offerebat status excellentia coniugalis, deductis pluries in contemptum, corpus delicatum, & tenerum reddebat assiduæ parsimoniæ studio maceratum, tanto sibi meriti quantitate proficiens, quanto quod sponte geritur maioris gratiæ præmio muneratur.*

4. *Quid vltra? Quæque iura sanguinis in superna desiderium transferens voluptatis, & imperfectum quid æstimans, si iam viri destituta præsidio, sic residuum vitæ decurreret, quod se ad iugum obedientiæ (cuius sub lege posita maritali, absque ipsius præiudicio amplexatrix extitexat) non arctaret, religionis habitum induit, sub sub Dominicæ passionis in se celebrare mysterium, vsque in diem vltimum non omisit. O fœlix mulier! O matrona mirabilis! O dulcis Elisabeth, dicta Dei saturitas, quæ pro refectione pauperum, panem meruit Angelorum. O inclyta vidua, virtutum fœcunda sobole, quæ studens ex gratia consequi, quod à natura non poterat indulgeri diris, animæ hostibus per scutum fidei, loricam iustitiæ, gladium spiritus, salutis galeam, & hastam perseuerantiæ debellatis: sic amabilem immortali sponso se præbuit, sic Regina Virginum se dilectioni continua colligauit, suum deprimendo Dominium, in ancillæ humilis famulatum: Sic Sanctis Elisabeth antiquis processibus conformem se reddidit, dum in mandatis, iustificationibus Domini sine querela simpliciter ambulauit, Dei gratiam secreto mentis per affectum concipiens, & eandem per effectum pariens, nutriens assiduè per profectum, quod solum omnium in se sperantium, & exultatio quorumlibet in humilitatis, & innocentiæ vallibus positorum, in promissa suis præmia retributionis exurgens, ipsam mortis nexibus expeditam prouexit, ad solium luce inaccessibili luminosum.*

5. *De cuius & inexplicabili claritate procedit, quod illius spiritus, in superni fulgoris abysso rutilat; & in huius profundo caliginis, multis coruscat miraculis glorioſis, quorum virtute Catholicis, fidei, spei, & charitatis augmenta prouenium, perfidis via veritatis exponitur, & hæreticis confusionis multa materia cumulatur: dum stuporis turbine obnoluti, quod dictæ sanctæ meritis, quæ dum carnis clausa carcere teneretur, pauper spiritu, mitis mente, propria vel potius aliena peccata deplorans, iustitiam sitiens, misericordiæ dedita, munda, corde, vere pacifica, attrita persequutionibus, & opprobriis extitit lacessita; vita mortuis, lumen, cæcis, auditus surdis, verbum mutis, & gressus claudis, cælesti dextera conferuntur. Partes Theutonicæ spatiosas, quas mortis dogmate gestiebant inficère, in doctrinæ cælestis amplexibus cernunt multipliciter exultare; de huiusmodi quidem, & aliis eiusdem sanctæ miraculis, quæ mentis inspecta oculis vberiorem lætitiam proferunt quasi diffusis, distincta viderentur, facta nobis per testes idoneos tanta plenitudine fidei, sicut debetur, & competit colendæ per omnia veritati. Nos, quorum deposcit officium his continuè desudare studiis, per quæ augeatur gloria Redemptoris, dictam sanctam, sibi ad intuitum placuit suæ maiestatis assumere; de fratrum nostrorum consilio, & assensu, ac Venerabilium Fratrum nostrorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum & Prælatorum, omnium, qui tunc apud Sedem Apostolicam existebant, Sanctorum Catalogo duximus adscribendam.*

6. *Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandantes, quatenus decimotertio Kalendas Decembris, die videlicet, quo eadem mortis absoluta vinculis, victura perenniter, ad fontem supernæ dulcedinis voluptatis, festum eiusdem, miranda ipsius meritorum magnitudo exigit, celebretis, & faciatis solenniter celebrari, vt id nobis de thesauris cælestibus eius pia intercessione proueniat, quod ipsa præstante Christo percepisse dignoscitur, & possidere perpetuò gloriatur. Cæterum, vt vniuersitati fidelium inuisibils Aulæ consequendi delitias, ex concessa nobis potestate, desuper propitiante Domino sit facultas, quinimò, & vt exaltetur. Altissimi, si sponsæ suæ venerabilem sepulturam fidelium procuremus accessibus honorari, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui se illuc annis singulis deuotionis aromata, & synceritatis insignia deferentes in memorato festo, & vsque ad octauas ipsius contulerint, de omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri, & Pauli, Apostolorum, eius authoritate confici, vnum annum, & quadraginta dies, de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Perusij Kalendas Iunij anno Nono.* Hactenus litteræ Canonizationis fœminæ sanctæ, quas prima die Iunij, ad omnes per Ecclesiam Christi Prælatos scripsit Gregorius, cum prius in honorem illius erectam Aram in eodem Patrum Prædicatorum cœnobio dedicasset ritu solenni.

7. Nec multo post, eiusdem mensis Iunij die septima, ad Beatricem Reginam, Ferdinandi Castellæ Regis coniugem, Philippi Sueui filiam litteras dedit, de eiusdem sanctæ laudibus; tum vt gratularetur consanguineæ de consanguinea; tum vt fœminam Sanctam & religiosam, ad amorem virtutis, proposito exemplo subæqualis, magis accenderet; siue demùm diuino actus spiritu, contra mortem instantem, precibus nouæ sanctæ munire voluit non longo post ab hac vita discessuram. Certè in epistola, post longa, & multa encomia Elisabethæ, hæc tandem ad Beatricem ipsam subdit [b]. *Charissima igitur in Christo filia, Sanctæ Elisabeth conuersionis exemplum propter duo posuimus coram te, quasi pretiosissimam margaritam; primum, vt in hoc speculo, sine macula frequenter aspicias, ne quid in angulis conscientiæ tuæ lateat, quod oculos diuinæ maiestatis offendat.*

[b] *in Annalibus Minoribus ad hunc annum n. 14.*

Secundo

Secundo, vt nihil deesse valeat ad ornatum, quod ad decorem sponsæ cælestis exigitur, vt cum inuitata fueris ad cubiculum Assueri, scilicet Regis æterni, appareas ornata virtutibus, & pietatis operibus decorata. Datum Perusij VII Idus Iunij anno nono. Ita Gregorius ad Beatricem Reginam, non multo post ad superos, vt pie credimus, atque ad Elisabetham, per eiusdem exempla, transituram.

8. Credendum est scripsisse etiam Andreæ Vngariæ Regi, Elisebethæ patri, qui eius canonizationi superstes fuit: sed non longe ab ea superuicturus; sicut & Beatrix, quippe vterque obiit intra hunc annum, cum alter filiæ, altera cognatę glorioſa acclamatione fruiti essent, quasi vterque cum Simeone Sene dixerit [c]: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum Verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei gloriam ancillæ tuæ, quam parasti ante faciem omnium populorum* Vere ante faciem omnium, non solum quia in Ecclesia vniuersali, atque à supremo illius capite solemniter decretam, quod aliis etiam sanctis commune est: sed specialiter, imò specialissimè ob singularem gratiam, quam Deus illi tribuit in omnium oculis; certantibus prouinciis, regnisque de celebrando festo fœminæ sanctæ; atque adeò frequentibus peregrinationibus, ad illius sepulchrum, vt noster Albericus, qui tunc viuebat, Monachus Triumfontium, in magno chronico Belgico relatus, asserere: non dubitet. *Tantam fuisse peregrinationem Prouinciarum omnium, in Maspurgum, ad eius tumulum, quanta ferè ad Sanctum Iacobum in Compostellam.*

c Luc. 2.

9. Facit & ad eiusdem sanctæ gloriam, quod Franciscana, quod Prædicatoria, quod Cistercienſis familiæ de ea certent; siue vnaquæque sancta æmulatione thesaurum istum ambiat; siue reuera ipsa cunctis adhæserit (nam & Conradum, cui obedientiam promisit, Dominicanum fuisse, sunt, qui affirment) nulli se totam tradens, ne cæterarum expers videri posset: seu tandem inter Cistercienses professa, inter Prædicatores canonizata, quæ duo constant: Minores æmulata in quantum potuit, animo simul, & habitu gestauerit; omnes suis exemplis, precibusque charitate inexhausta datura. Illud compertum, ab hoc anno, & deinceps celebratam ab omnibus, vt propriam; nam & Dominicanos sacrum eius natale solemniter ex tunc recoluisse, Theodoricus Thuringius [d], qui tunc viuebat, Author existit; sed & à nostris hoc anno editam legem de eadem celebranda festiuitate, inter Acta Capituli, suo loco inferius memorabimus.

d Apud Vrading. hoc ann. n. 1.

10. Interim, quod ad Andræam Patrem attinet, & Beatricem Reginam, ne alterum à filia, alteram à propinqua diuidamus, cum vterque ex sepulchro sit dicendus: vtrumque hoc anno obiisse authores tradunt, atque vtrumque Cistercium illustrasse funere Regio; alterum in Ægrensi Vngariæ domo, alteram in Huelguensi propè Burgos, quamuis non diu ibidem permansuro. Ergo hoc anno Cistercium glorias Regias, & accepit, & dedit: hoc, dum animam, Regiam cælis donat, conregnaturam Christo; illud, dum Regia corpora humo tradit non amplius iam in terris regnatura. De Andrea, Bonfinius [e], rerum Vngaricarum scriptor, hæc ait, *Andreas Rex, sanctæ fœminæ Pater paulo post canonizatam filiam vitæ finem posuit, nam statim ab Elisabethæ obitu ingenti tristitia correptus est, quod filiæ præstantiam, vt par erat, non coluerit, quod item illius humilitatem, & miseriam tolerauit. Vix ab ea defuncta annos quatuor supereſſe potuit, nam corporis languor eum tantus inuasit, vt paulatim deficiente virtute hoc anno naturæ cesserit, sepultus honoratissimo funere in Cœnobio, quod Ægres appellant.* Hactenus ille de Andrea, Vngariæ Rege, Elisabethæ patre, atque Iolantis; quam Iacobo, Aragonensium Regi, superiori anno locatam diximus.

e lib. 7. ad fin.

11. Extat in Regestis Gregorij Noni confirmatio cuiusdam eleemosynæ, permutationisque, ab hoc ipso Andræa, Vngariæ Rege, Monasterio de Ægris, quod sibi perelegisset in sepulturam, non multo antefacta, quàm viam vniuersæ carnis ingrederetur: quippe intra hunc ipsum annum, quem describimus, cuius hic tenor.

Abbati, & Conuentui de Ægris Cistercienſis Ordinis.

Cum à nobis petitur, vsque effectum, eaque propter, vsque assensum, commutationem inter vos ex parte vna, & charissimum in Christo filium nostrum A. illustrem Vngariæ Regem ex altera, super quibusdam possessionibus, & rebus aliis, ab eodem Rege in eleemosynam vobis datis, prout in eiusdem litteris dicitur plenius contineri, mediantibus nobilibus viris Kenardo, & Clemente, contractum, sicut ritè ac prouidè de facta authoritate Apostolica confirmamus, &c. Datum Laterani IV. nonas Aprilis anno octauo. Hæc de Andrea.

12. Cæterum de Beatrice, Lucas, Tudensis Diaconus [f], hæc habet. *Æra M. CC. LXXIII. Regina Domina Beatrix obiit, & sepulta est Burgis in Regali Cœmeterio, quod bonæ memoriæ fecerat Castellæ Rex, Alfonsus.* Rodericus Toletanus Præsul, omisso tempore, Vrbem, in qua obiit Regina exprimit; & paulo clarius locum sepulturæ [g]. *Obiit, ait, Regina Beatrix in oppido, quod Taurum dicitur, & ducta ad Regale Monasterium propè Burgos iuxta Regem Henricum regaliter est sepulta.* Longe tamen distinctius Mariana [h], licet in anno mortis nonnihil errans: *Lætitia ex his rebus (scilicet ex victoriis partis à Sarracenis, atque expugnatis oppidis, ex quibus quædam nos supra memorauimus) noua calamitate turbata est. Habet has vices conditio mortalium Regis vxor in terra Tauri defuncta est. Corpus Holgis sepultum, iusta, Regio more, atque apparatu magnifice facta. Inde Hispalim post aliquot annos migrauit, viro, sepulchro coniuncta post mortem, vti coniunctissima vixerant voluntate.* Hactenus ille, qui tamen cum annum M. CC. XXXIV. assignet, motus fortasse verbis Roderici, qui victoriis Regiis ante annum partis immediatè subiungit Reginæ mortem; nihilominus venit corrigendus, non solum ex Luca Tudensi, authore Synchrono, sed ex litteris Gregorij Papæ ad ipsam mense Iunio datis, quas quomodo scriberet, si anno præcedenti rapta fuisset?

f Ad hunc annum.

g lib. 9. c. 15.

h lib. 12. c. 17.

1. *Status Ecclesiæ, & pericula ab hæreticis*, 2. *Conradi olim Magistri nimius zelus*, 3. *ex quo alia à Catholicis*, 4. *& Tolosæ à Raymundo Comite*, 5. *& suis.* 6. *In Livonia defectu operariorum, cessabat conuersio:* 7. *In Palæstina discordes Cruce signati, neque accedebant noui.* 8. *In Græcia Imperium Latinum conflictabatur:* 9. *Sed in hæreticos designatus in Hispania Bernardus Caluonius*, 10. *in Gallia Abbas Grandis-Sylvæ*, 11. *atque alij ad alias partes, remissiue.*

CAPVT SECVNDVM.

1. MVLTIS hoc anno agitabatur curis Gregorius Nonus, cum hæreticus adhuc contumaces, atque latè serpentes, Catholicos rebelles, Sarracenos prævalidos, refractarios Græcos; demum gentiles, defectu prædicantium, retardatos à fide, partim videret, partim ex diuersis Prouinciis admoneretur. Repullulabant in partibus Tolosæ hæreses Albigensium; & quod longe nocentius, mutatis pellibus, quo facilius incautos interciperent, penè totam Europam inquinauerant: & vt ait Tritemius [a], quem refert Bzouius [b]. *Nicolaitarum sectam profitebantur, erantque eis omnibus matres, vxores, & filij communes. Singulis annis ex Alemania, Gallia, Italia sensum annuum Mediolanum, vbi diuersarum hæresum, & errorum primatus agebatur, transmittebant. Certis signis circa ianuas domorum, vel supra tecta peregrini circumeuntes, complicum suorum habitationes reperiebant. Manichæorum quoque blasphemias euomentes, Deum non esse visibilium omnium creatorem blaterabant.* Hæc de hæreticis; occultioribus quidem in partibus Tolosæ, quamuis non semel etiam erumpentibus; latius tamen sparsis per totum orbem. Nam & omnes ex illis, velut decisos, quas edidit, Gregorius constitutiones, contra ipsos hoc anno, satis insinuant. Quippè in quibus, non Nicolaitæ, seu Manichæi, neque aliis nouis exquisitisque nominibus; sed iis ipsis, quibus Albigenses, Cathari, & Patareni designabantur. Constitutiones videre, qui voluerit, apud Abraham Bzouium inueniet ad hunc annum [c].

a *In Chron. Hirsaug.*
b *Hoc ann. num.* 10.
c *num.* 2.

2. Sed neque Catholicos satis obsequentes habebat Gregorius; etsi enim Fridericus, quod altè in ipsum, Ecclesiamque imbibisset, dissimularet odium, breui in Italiæ perniciem eruperum: turbati tamen, atque in defectionem proni cuncti Germaniæ Principes, quos multorum non solum popularium, sed nobilium damnatio recens, sub infami hæreticæ prauitatis nota, à Magistro Conrado promulgata Moguntiæ, & executa; intentata in alios; vt aliquos eorum in eius necem, quam diximus ante biennium contigisse; sic pene omnes in defensionem parricidarum, atque in ipsius odium concitauerat. Sanè Conradum nimio zelo percitum, ad condemnandos reos procliuem fuisse, etiam ante exactam inquisitionem, authores affirmant. Imò (quod illi tandem necem attulit) cum Comitem Seynensem, accusatum; sed multis se purgantem testimoniis, condemnare non posset; discessisse Moguntia velut confusum, atque altè dolentem, quod non etiam in ipsum prævaluisset. Audi Tritemium de his ita scribentem [d]. *Conradus, ait, tam nobilibus, quàm ignobilibus omnibus odiosus factus; quippe qui propter veras hæreses, & fictas, multos nobiles, & ignobiles, clericos, Monachos, & Moniales inclusus, Burgenses, & rusticos, ignis supplicio, per diuersas Alemaniæ prouincias (si dici fas est) nimis præcipiti sententia condemnans, crudeliter fecit occidi. Nam eodem die quo quis accusatus est, siue iustè, siue iniustè, nullius appellationis, nullius defensionis, vel etiam (quod impium fuit) reuocationis sibi refugio proficiente, damnatus est, & flammis crudelibus iniectus, in tantum, vt multitudine damnatorum potius lætari videretur, quam innocentum. Cernens ergo se contra Comitem Seynensem prævalere non posse, confusus, & odio multorum expositus, à Moguntia versus Marpurg ire statuit, saluumque conductum tam Regis, quàm Archiepiscopi Moguntini, quoniam timebat insidias, accepit. Cumque venisset non procul à Marpurg, à quibusdam nobilibus fuit occisus; qui cum veniam, & misericordiam, cum lachrymis, & suspirijs postulasset, exauditus non fuit. Sepultus est iuxta Sanctam Elisabetham.* Ita Tritemius.

d *In Chron. Sponheimensi anno* 1232.

3. Ergo cum Pontifex sacrilegam hanc cædem vltum ire constanter decreuisset: tum reos omnes, in quos inquisiuisset idem Conradus, examinandos rursus; rursus quæ crederent, probanda ad Lydium lapidem veritatis Catholicæ; & referenda ad Sedem Apostolicam, cui decernere datum, præstolaretur: Vidit repentè in peius mutata omnia. Quippe coacto Concilio apud Germanos, non solum prælatorum, sed etiam Principum; quos ad se remittendos sperabat, suspectos de hæresibus, absolutos audiuit, ipso inconsulto; quos verò condemnandos morte crudeli, ob parricidium atrox, atque sacrilegum, è contra ad se remissos, quo à maiori potentia, clementia maior: & locorum distantia, temporisque, obliteratum facinus, consequeretur veniam; aut sæuerè punitum, sicut alia Conrado, sic hoc Gregorio inuidiam concitaret. Itaque in eo, quod ipse solus poterat, præuentus ab aliis: quod alij poterant sibi reseruari, in materia difficili, & odiosa, sensit non esse obsequij, sed prauitatis.

4. Accedebant his curis, aliæ non leuiores, quas Tolosanus Comes, & eius ciues, nunc clam, nunc palam temerarij solicitabant. Ille, vt non publicè ad hæresim reuersus, quam semel abiurasset; nihil tamen omittens, quod religionis odium præseferret: dum Ecclesiasticos, quo iure, qua iniuria, opprimebat frequenter, & nihil minus à patre suo furens, bonis omnibus, violenter spoliatos, exulare cogebat, & mendicare. Hi dum ex alto exemplo descendente, qui mos est hominum, non satis se arbitrantur imitari, nisi excedant. Quæ Comes fecerit, in Priorem Ecclesiæ Mansi, nisi fortè irrepsit error in nomine, referemus inferius. Quæ in Dominicanos Prædicatores, tam ipse, quam qui eum æmulabantur,

labantur, ipsius subditi, Annales Ecclesiastici narrant totidem verbis [e].

e num. 4. hoc anno.

Raymundus porrò, Toparchus Tolosanus, omnibus ciuibus consortio Fratrum Prædicatorum interdixit. Neque his contentus, positis ad ianuam cœnobij custodibus vetuit, ne quis cibum intro conclusis inferret. Volebat siquidem omnes inedia conficere. Verum vt perspexit Patres in fide Catholica, atque Romanæ Ecclesiæ deuotione intrepidè persistere, neque ab ea precibus, aut minis posse abduci, iussit publico edicto exinde abire. Quod vt Patres acceperunt, ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti essent pro nomine Christi, & obedientia Romanæ Ecclesiæ contumeliam pati. Igitur rebus omnibus exuti, & fere semi nudi, bini, & bini per mediam ciuitatem cruce prælata exeuntes, ingenti voce Symbolum fidei concinnebant: CREDO IN VNVM DEVM: addiderant, & Antiphonam illam, ab Hermano contracto compositam, SALVE REGINA MATER MISERICORDIÆ. Non multo post, Narbonense Cœnobium eiusdem Ordinis à furentibus hæreticis solo æquatum, Fratres capti, & multis iniurijs affecti, libri sacri partim lacerati, partim exusti: sacra fidei sacramenta, & symbola conculcata, indignissimumque in modum profanata fuere. Ita pristini morbi repullulabant in male sano corpore; & recidiuo Domino, quamuis dissimulare satagente, vt mox ostendam, serui in omnia flagitia, palam, & absque pudore prolabebantur. Hæc in Prouinciis Italiæ vicinioribus.

6. In Liuonia res fidei malè habebant, multa messe ad falcem iam matura; sed paucis, qui meterent, & triticum, siue frumentum electorum, in horrea Ecclesiæ per prædicationem congregarent. Fortè Cistercium recentibus familiis, quibus id competebat ex instituto, cedebat ministerium: & appetens quietis in suis filiis, atque contemplationis, quos ad Rachelis otium genuisset, à functionibus Liæ reuocabat. Paratum se ad Ecclesiæ omnia obsequia, quandiu ipso indiguisse visum est; neque vlla penitus negotia recusasse. Cum abundaret, parcendum fore sibi, vt numquam de futuro, cum opus fuerit; sic quoties possunt per alios pertractari, numquam ab otio, ad negotia pertrahendo. Constat, hoc tempore reuocatos multos ad propria Monasteria, alios vltro rediisse: & inter eos, qui multos conuertebat, potens simul in opere, & sermone, Redageshausanum Priorem, quem Liuonienses sibi præceptorem, & conuersi petebant, & conuertendi, æquali auiditate, per eum veluti crediturì, præstolabantur.

7. In Palestina non melior status rerum, digladiantibus inter se cruce signatis, ob peculiaria commoda, quod ferè malum vbique serpere solet, & Ptolomaidis ciuibus, quod nimiis exactionibus, à ministris illius emungerentur, aduersus Fridericum rebellantibus; nec patientibus iugum, quod non in bonum publicum, sed in priuatas extorquentium vtilitates, qui mos est exactorum, conuerteretur. Hinc animi crescebant Sarracenis, in coniunctos, imparibus; sed facilè diuisos, superaturis. Nam quid timerent hostes discordes inuicem, in quorum neutros soli, sed semper cum aliorum subsidiis inueherentur. Cassuros vltro, si sibi relinquantur: Quanto facilius, si ab ipsis præcipitentur? Hæc & similia, non solum in Oriente labefactabant populum Christianum; sed subsidia Occidentis impedie-

bant: ægrè persuasis, qui cruce signabantur mare traiicere, vt in alieno solo, cæloque, non tam inimicos crucis impugnarent, quam à sequacibus eius impugnarentur. An in hoc Orbe terra illis deficeret, in qua cadere possent, si mutuis essent vulneribus fodiendi? & in tantum præualuit hæc opinio (siue formidinem appellare mauis) vt etiam in Oriente rebus compositis, vix qui illùc traiiceret, vix qui crucem assumere, aut assumptæ adimplere votum vellet, inueniretur.

Demùm in Græciâ maiora adhuc pericula: 8.
Nam, vt verbis Annalium vtar Ecclesiasticorum [f]. *Constantinopoli satis calamitatum, contra Ioannem Brennum, curatorem pro Balduino secundo, Imperij Orientalis. Ioannes enim Asanes, Rex Bulgarorum, cum Vatacio, comparato exercitu, cum Galli-polim, omnibus in ea trucidatis, in potestatem cepisset, Constantinopolim quoque obsidione circumdederat; & magnum terrorem obsessis tum Latinis, tum Græcis incusserat. Eruptione facta Constantinopolitani, etsi Bulgarorum exercitum effugassent, illi tamen viribus refectis, & obsidionem continuabant, & ferro, ignique omnia circum populabantur spe, & victoriæ, & imperij potiundi.* Hic status rerum erat in Ecclesia, circumdata periculis, ab hostibus, à filiis, à falsis fratribus.

f Hoc ann. num. 10.

Cum ecce Gregorius, quod vnum erat reliquum, ad Cistercium conuersus, cunctis per illud occurrendum fore putauit. Nam primo quidem, quod attinet ad hæreses, hoc ipso anno Sanctum Bernardum, cognomento Caluonium, Episcopum Vicensem, assumptum ex Abbate SS. Crucium, adiunctis sibi Priore Barchinonensi, atque Fratre Guillelmo de Barbarano, Ordinis Prædicatorum, Inquisitorem, & iudicem creauit, qui contra hæreticos, iuxta præscriptos canones accuratè procederet; & in resipiscentes misericordiam, in contumaces iustitiam exerceret. Extant, leguntur que in Vaticano litteræ, datæ XVII. Kalendas Iunij, estque in Regestis epistola sexagesima, cuius meminit Abraham Bzouius ad hunc annum [g]; quamuis, qui alias nobis transcribi fecit, hanc prætermiserit, ignorantia Episcopi, qui hoc Vicensi Ecclesiæ præerat anno, quem tamen Sanctum Bernardum Caluonium fuisse, ex his, quæ anno, præcedenti diximus, nequaquam potest in dubium reuocari. 9.

g num. 7.

Neque solum Pontificem hunc Sanctum, Inquisitorem in partibus Hispaniæ; verùm in Tolosanis, Grandi-syluæ Abbatem creasse legitur, adiuncto illi Priori Prouinciali Prædicatorum, cum de processibus à quibusdam subdelegatis graues ad eum querelæ perlatæ essent: Hæ porrò litteræ, ex Regestis ipsis excerptæ, atque ad nos transmissæ, cum aliis, ita se habent [h]. 10.

h Epist. 107.

Abbati Grandis-syluæ, Cistercien sis Ordinis, Tolosanæ diœcesis, & Priori Prouinciali Ordinis Prædicatorum per Prouinciam Tolosanam.

Venientes ad nostram præsentiam R. & R. sorores viduæ Caturcenses, sua nobis insinuatione monstrarunt, quod cum tibi fily Prior dederimus nostris litteris in mandatis, vt aliquos de fratribus tuis ad partes, iuxta Ordinem tuum tibi commissas, transmitteres, qui Clero, & populo conuocatis, generalem prædicationem facientes, vbi commodius cognoscerent expedire, adiunctis sibi aliquibus religiosis, diligenter inquirerent de hæreticis, & prauitate hære-

tica infamatis, & si quos inuenirent culpabiles, vel infamia huiusmodi laborare, nisi examinati vellent absolutè mandatis Ecclesiæ obedire, procederent contra eos, iuxta statuta nostra aduersus hæreticos promulgata; tu Petrum Silanum, Petrum Berchet, & VVitum Arnaldi, Fratres de Ordine tuo, ad ciuitatem Caturcensem, pro exequendo mandato Apostolico destinasti.

9. *Qui super hoc, ad inquisitionem per se ipsos, non associatis sibi aliis, procedentes, à nonnullis personis ciuitatis eiusdem de veritate dicenda iuramenta secretè pro suo arbitrio receperunt. Cumque die quadam multis tam maribus, quam mulieribus, & ipsis etiam conuocatis, quemdam Presbyterum relapsum ad hæresem abiuratam, de qua semel, & secundo conuictus fuerat, duxerint aduocandum, vt præstaret simile iuramentum; quasi pluribus de populo, cum eisdem mulieribus reclamantibus, quod tam flagitiosi viri non erat testimonium admittendum, tandem ex parte omnium hac occasione ad nostram fuit audientiam appellatum, sed Fratribus ipsis promittentibus, mulieribus supra dictis, quod eas in nullo grauarent, si ab appellatione recederent; & suæ se super hoc exponerent voluntati: eidem appellationi renunciantes emissæ, de parendo mandatis eorum præstiterint fiducialiter iuramentum, quo facto eydem examinatione alia non præmissa, eis sub debito iuramenti præstiti, præceperunt, vt quam vellent religionem intrarent, in ea perpetuo Domino deseruire: propter quod ad Sedem Apostolicam appellarunt, vnde humiliter petierunt, vt cum sint catholicæ mulieres, tenentes rectam fidem, ad Sanctam Ecclesiam deuotionem synceram habentes, nec coactæ seruitia Christus acceptet, super hoc dignaremur eisdem, quæ adhuc desiderant esse matres, misericorditer prouidere: præsertim cum defensionis copiam non habuerint, & condemnari non debuerint indefensæ: quocirca vobis per Apostolica scripta mandamus, quatenus non obstante prædictorum fratrum mandato facto, mulieribus supradictis, inquisita super iis, & aliis, quæ fidei contingunt negotium in prædicta Prouincia, diligentius veritate, super hoc atque aliis, procedatis per statuta Concilij, & nostra nouiter contra hæreticos promulgata. Datum Perusij VII. Idus Junij, anno IX.* Hæc in hæreticos. At quæ inter Catholicos per Cistercienses idem Gregorius Papa; tum in Paganos, & pro ipsis etiam fecerit, quia longiorem habent narrationem, sequentibus capitibus, sed singula seorsim, ducenda erunt.

---

1. *Compescendæ præsumptioni Germanorum, Buchensis Abbas,* 2. *cum duobus Pontificibus,* 3. *à Gregorio transmissi;* 4. *perpensa necessitas* 5. *recurrendi in dubijs ad Sedem Petri.* 6. *Suspensum iudicium,* 7. *in Conradi Maspurgij parricidas animaduersum.* 8. *Gregorij litteræ,* 9. *atque aliæ ad Abbatem Grandis Syluarum,* 10. *de excessibus Raymundi, Tolosæ Comitis.* 11. *Perpensa latè illius obstinatio,* 12. *& Abbas compescendæ ipsi præpositus.*

CAPVT TERTIVM.

1. ERGO in Catholicos, cum & hi rebelles, aut minus obedientes in Germania, & in Gallia reperirentur; in vtraque Prouincia, qui procederent, ex Cistercio electi; & in Germania quidem Buchensis Abbas, cum duobus Episcopis, in Gallia idem, qui supra, Grandi Syluanus, cum duobus Collegis dati sunt, qui vtrorumque insolētiam coërcerent, litteris ad vtrosque hoc anno datis, sæueris, & grauibus, quas piaculum esset pertransire. Porrò quæ in Germaniam destinatæ duplicem primis delegāt functionem, alteram tacitam, alteram expressam: illam, vt patribus, Principibusque intimēt, quàm grauiter excesserint, dum suspectos de hæresi, seu dubios, ipso inconsulto, absolutos declararunt; ob quod, & ipsas litteras in primo alio colloquio legi iubet: hanc, vt magistri Conradi parricidis pœnitentiam imponant, quæ & sacrilegis in satisfactionem, atque supplicium esset, & cæteris incuteret terrorē tanti flagitij. Exemplar verò earumdem litterarum, solito lōgiorum, pro vtriusque materiæ grauitate hæc habet verba [a].

a *Epist.* 568.

2. *Archiepiscopo Salizburgensi, & Episcopo Ildesheimensi, & Abbati de Buch, Cistercienſis Ordinis, Misnensis diœcesis.*

Vineæ Domini Cultores, licet immeriti constituti, iuste in desiderio gerimus, vt illius latitudinem gratitudinis fructu semper venustam existere procuremus, turbationem non modicam subeuntes, si fortè aliquæ plantarum, quæ in illa euidentibus existunt inducys grandiores sint sterilitate notabiles, vel nociuorum productione fructuum displicentes. Sane dudum mirantes audiuimus, & referimus conturbati, quod cum olim post obitum recolendæ memoriæ Magistri Conradi & Marpurg, prædicatoris Verbi Dei, de quibusdam, quos infectos labe prauitatis hæreticæ tenebat assertio, plurimarū oriretur materia quæstionum: quibusdam proponentibus, quod processus contra illos per eumdem magistrum habitus, iniquitatis maculam habuisset; aliis verò referentibus ex aduerso, quod pius extitisset, & prouidus, ac incremento catholicæ fidei plurimum opportunus ad dubitationes huiusmodi declarādas certi locus, & terminus: sunt præfixi. Demum cōgregato Concilio, ad quod plures Ecclesiarum Prælati, & Principes sæculares, ac alij, quorum præsentia tanto competebat negotio, conuenerunt, exurgente nullo pro tuitione fidei, quæ saltem à præsentibus sub nulla debebat negligentia præteriri; memorati infecti, vt dicitur, rationis inconsulto speculo, quod potissime in talibus haberi decebat præ oculis, sunt absolutionis beneficium assequuti. Illi verò perditionis filij, qui dicti Magistri sanguinem innoxium effuderunt, omissis prolatione sententiæ, ac inflictione pœnæ, quæ contra ipsos, pro excessu tam delectabili, & digno non breuibus deplorari lachrymationibus, debebantur, ac satisfacere aliqua non recepta, sunt ad præsentiam nostram pro absolutionis obtinendæ gratia destinati.

3. *Quare nobis, & alijs, opinandi vel potius pro firmo tenendi, materia tribuitur, quod in hoc, & modicus fuerit zelus Catholicæ fidei, & ex illo attentio Sedem Apostolicam reuerendi, vnde fit quod & minoribus, quorum affectioni celebre redditur quod à superiorum prouidentia deriuatur, exemplum validum præsumendi contraria deuotioni conceditur; &*

& prædictis hæreticis cumulatur audacia vacandi frequentiæ prauitatis, dum tanti sceleris patratores, ex illorum damnato Collegio procedentes, immunes à stipendio meritorum euasisse conspiciunt, & eos, quos inter præeminentes plantas Ecclesiæ prouidit Dominus locum magnitudinis obtinere, in extremæ necessitatis articulo produxisse fructus, equitatis odorem, & iustitiæ saporem non habentes, damnabiliter gloriantur, non leuem subsanationis habendo materiam, quod inconsultis nobis ad tanti consummationem, ne dicamus confessionem, negotij sit processum. Quare in pectore nostro, non leuis consurgente turbine quæstionis, viri fratres, quærere cogimur, quod super memorato processu causæ præsidium, vel rationis fuerit fulcimentum.

4. Porrò quod prorsus nullus exstiterit, patet argumento multiplicis veritatis: scitis, enim quod dilectus Deo Moyses, de peculiari populo Creatoris, sibi singulis nationibus prædilecto, curam gerens, & inter ipsos iudices cum aliqua eis disceptatio accidebat, etsi fretus salutari consilio, à virtutum Domino inspirato, ne consumptus labore deficeret, duxerit statuendum, vt eo in iis, quæ ad Deum pertinent existente, viri strenui, quos de cuncto Israële elegerat, populum Domini iudicarent. Tamen ipsi faciliori termino iudicantes, ad eum quicquid erat grauius, referebant: Prætereà nostis, vt credimus, dixisse Dominum [b], prout in b Deut. 18. diuinæ legis serie continetur, si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, inter sanguinem, & sanguinem causam, & causam lepram, & non lepram, & iudicum intra portas tuas verba variari videris; surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venienſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerint illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem; & facies quodcumque dixerint. Qui si præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, vel sinistram; qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrarit Domino Deo tuo, decreto iudicis morietur.

5. Quia igitur rationabile est causam fidei quibuslibet anteferri, quæ potissime Summi Pontificis examini competebat; auertentes à debita nobis reuerentia faciem, præsumpserunt aliqui terminare, quasi authoritatis præmissæ nescij, vel ab eiusdem intellectu perspicuo peregrini; quo consilio iidem, ad transgressionem Mandatorum Domini processerunt. Quo iure, quod est in canonica sanctione præcipuum, ab ipsis tam notabiliter extitit prætermissum? Numquid facultas eis aberat Sedem Apostolicam consulendi? cum & locorum longinquitas, vel anfractus itineris, aut tremenda elatio pelagi seuientis, pro qua cæli clauiger, non expauit, quin Saluatori diceret, vt sibi quod per aquas ad eum procederet, impetraret, nullum ipsis afferret obstaculum, Nuntiorumque penuria, nullum excusationis tribueret fulcimentum; numquid illorum memoria, capacitasque non habebat, quod ad S. R. E. cuius fundamentis super petram positis, quisque cedit impetus tempestatis, in ambiguis, & fluctuosis quæstionibus, per quas imminet naufragium fidei, si non contingat easdem prosperè terminari, sit assidue reuertendum? Præsertim, cum dictus clauiger, cuius arbitrio Orbis Vniuersitas soluitur, & ligatur, cuiusque iudicio à conditore iustitiæ confirmatur; audire meruerit [c]: EGO PRO TE ROGAVI PETRE, VT NON DEFICIAT FIDES TVA: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos? cum etiam dubium non existat, quod qui secum non colligit, spargit, & nemo vnquam sub diluuio sæculi, non in Arca positus, conseruatur. c Luc. 22.

Sed quid ad ista studio exagerationis intendidimus? Cur quæstionum cumulis immoramur? Porrò ne dum prouectis, & prudentibus, sed paruulis, & ignaris potest esse liquidum, quod de præmissis multum sit deuotionis, & obedientiæ, prætermissum: præsertim cum litterarum nostrarum series, per quas mandauimus, vt processus contra huiusmodi pestilentes, secundum formam Concilij generalis, & nuper à nobis edita, haberetur; mandati transgressoribus excusationis suffragium non acquirat: quia cum post processum habitum authoritate Apostolica, contra ipsos, si criminosi, vel immunes à macula hæreticæ prauitatis existerent, dubietas immineret, ad examen nostrum, omni erat occasione postposita, properandum. 6.

Nos igitur, etsi hactenus ista dissimulationi dederimus, super eisdem tamen in posterum, prout expedire viderimus, Domino procedemus. Interim autem homines miseros, qui humanitatis affectu, & miserationis effectu, Christum prodendo, Domini se reddiderunt omnibus modis alienos, sine condigna nolentes prouisione remittere, præsentium vobis authoritate committimus, vt circa ipsos, Dominum habentes præ oculis, iuxta formam, quam vobis, sub Bulla nostra intercluſam, mittimus, authoritate nostra, omni contradictione, & appellatione cessantibus, procedatis; præsentes in primo colloquio generali, in quo charissimum filium nostrum Fridericum, Imperatorem Romanorum; ac alios Principes Ecclesiasticos, & mundanos adesse contigerit, publicari, & exponi solenniter facientes. Datum Perusij II. Kalendas Augusti Pontificatus nostri anno IX. Hactenus ad Episcopos, & Abbatē, quæ ipsi cæteris sæuerius intimarent. 7.

Cæterùm aliam cum forma pœnitentiæ, satisfactioniſque imponendæ sacrilegis, qui Magistrum Conradum occidissent, atque in eorum complices quam in priori epistola inclusam transmissam ait, ab omnibus, de nece Conradi agunt, hactenus prætermissam, quia dignam Annalibus, & quia ad eosdem etiam legatos missam atque per eos mandatum executioni, hîc consequenter censui subiiciendam. Sic autem habet [d]. 8.

d epist. 168.

Eisdem.

Cum interfectores, bonæ memoriæ Magistri Conradi de Maspurg, Prædicatoris Verbi Dei, ad Sedem Apostolicam accessissent, eius misericordiam, & salutis suæ consilium implorantes, nos eis iniunximus, vt in subsidium transeant Terræ sanctæ. Quo circa præsentium vobis authoritate mandamus, quatenus post receptam ab ipsis sufficientem, & idoneam cautionem, quod in passagio Martij proximi futuri, vel alio proximo sequenti, ad partes se transferant transmarinas, eisdem inter alia sub debito præstiti iuramenti, vt per omnes maiores Ecclesias regionis illius, vbi tam execrabile facinus commiserunt, si securè poterunt, vadant nudi, & discalceati braceis duntaxat retentis, fune, vel corrigia ad collum ligata, virgas in manibus deferentes, & ab omnibus Presbyteris illarum Ecclesiarum Psalmum pœnitentialem dicentibus, ante fores earumdem, quando maior aderit populi multitudo, se faciant verberari, suum publice confitendo ratum, iisque peractis absolutionis

beneficium impendatis eisdem, non obstante, quod absoluti fuisse ab alio referuntur. Præsertim cum pro tanta immanitatis excessu, absolui nequierint, absque mandato Sedis Apostolicæ speciali. Præterea, si illi quorum opere, consilio, vel assensu tantum facinus est est commissum, ad mandatum vestrum redierint, pro tanto excessu satisfactionem condignam humiliter impensuri, eos ad absolutionis gratiam admittatis: alioquin sceleratos huiusmodi, & prædictos, publicè candelis accensis alienos ab Ecclesia, ipso iure, atque à fidelium consortio pronuntietis. Cæterum tam eos, quam descendentes ab ipsis recta linea ad nullos honores, dignitates, Ordines, admittantur. Datum Perusij II. Kalendas Augusti, anno nono. Ita rebus Germaniæ prouisum est, quantum pro tempore potuit prouideri.

9. Mirabilius in partibus Tolosæ, quod cum Episcopi, Archiepiscopi, Legati, cum Gregorius ipse (nam ipse prius scripsisse homini dicitur) cum Rex Galliæ, sanctus Ludouicus, interpellatus tum à Gregorij Legato primum, mox ab eodem etiam, vt Raymundo Comiti resisteret, atque eius peruicaciam refrænaret; nequaquam præualuisset, aut non tentasset; Abbas Grandi Syluanus electus fuit velut qui restituturus, atque eius compescituru furorem speraretur. Extant itaque ad eum Gregorij litteræ rem totam recensentes, atque illum opponentes in hæc verba [c].

c epist. 195.

Abbati Grandi-Sylvæ, Cistercien sis Ordinis, Tolosanæ diœcesis, & Archidiacono, vel Decano Petragonicensi.

Dilectus filius Raymundus Bernardi, Prior Ecclesiæ de Manso, non absque multa mentis amaritudine, in nostra proposuit præsentia constitutus, quod cum olim nobilis vir Comes Tolosanus, post pacem inter ipsum, & Ecclesiam reformatam, per quam, Ecclesiam, & viros Ecclesiasticos, ac eorum bona, non offendere, sed defendere potius tenebatur, ad cuius obseruantiam, se tam per pœnas in forma pacis expressas, quàm per proprium iuramentum, & cautiones alias obligarat; contra formam ipsius pacis temere veniens, occupata Villa eiusdem Ecclesiæ, iuramenta fidelitatis ab ipsius villæ hominis extorsisset, & Ecclesiæ Baliuo remoto, exinde alium posuisset ibidem, qui nomine suo secularem iustitiam exerceret, ac Senes-calcus eius prrtas domus Ecclesiæ obstrui faciens, quosdam ad Villam reduxisset, qui electi fuerant exinde, culpis exigentibus eorumdem; & Ecclesiam, quibusdam possessionibus, & rebus aliis spoliasset, alia sibi damna grauia, & iniurias irrogando: quasdam eidem Comiti, & alias Venerabili Fatri nostro, Episcopo Tornacensi, tunc in partibus illis Apostolicæ Sedis Legato, litteras duximus destinandas.

10. *Cum autem Idem Episcopus in exequutione mandati Apostolici processisset iuxta traditam sibi formam; ex parte dicti Comitis, voce appellationis friuolæ ad nos emissa, & procuratoribus partium propter hoc in nostra præsentia constitutis, Venerabilibus Fratribus nostris, Burdegalensi Archiepiscopo, & Episcopo Agennensi & dilecto filio Decano sancti Seuerini Burdegalensi litteras direximus continentes, vt dicto Priori ad ea, quibus eum constaret liquido spoliatum, sine morę dispendio integrè restituto, super dubiis sollicitè inquirentes, ipsum appellatione non obstante, prædicta, restitui facerent ad omnia, quibus spoliatum inuenirent eumdem: contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Cumque prædictis Archiepiscopo, & Episcopo, maioribus occupatis negotiis, committentibus dicto Decano eorum coniudici, ac Decano Burdegalensi, super hoc totaliter vices suas, iidem Decani constitutis partibus coram eis, etsi de huiusmodi spoliatione, vtpotè notoria, plene constaret, nonnullis tamen testibus abundanter receptis, & eorum depositionibus publicatis, Priorem eumdem ad omnia, quibus ipsum spoliatum constitit, cum perceptis medio tempore fructibus, restituendum per definitiuam sententiam decreuerunt: adiicientes nihilominus in sententia, vt comes relaxatis fidelitatis iuramentis ab hominibus sic extortis, & Baliuo suo à Villa prorsus amoto, Priorem ipsum redire ad Ecclesiam suam permitteret, & pacifica eum restitutione possessionum gaudere: in contradictores, & rebelles, excommunicationis sententia promulgata.*

Sed dictus Comes reuerentia diuina calcata, censuram Ecclesiasticam, contemptis Ecclesiæ clauibus, vilipendens non solum in aliquo parere contempsit, cuidam friuolæ appellationi ab eo, vt dicitur interiectæ, quam non fuit prosequutus infra tempus legitimum, innitendo; verum & contemptum contemptui superaddens, & peccata peccatis accumulans, iam dictum Priorem bonis omnibus Ecclesiasticis, & mundanis spoliatum compulit extra solum propriũ exulare. Propter quod iidem iudices, ipsum excommunicationis sententiâ incurrisse, & per Burdegalensem, Narbonensem, & Arelatensem Prouincias nuntiantes, totam terram, quam obtinet, supposuerunt Ecclesiastico interdicto; & mandauerunt, vt in locis, ad quæ ipsum deuenire contingeret, cessarent, quandiu præsens existeret, à diuinis: charissimũ quoque in Christo filium nostrum, illustrem Regẽ Francię, per suas litteras monuerunt, vt memoratum Comitem, claues Ecclesiæ contemnentem, ad parendum rei iudicatæ, tradita sibi Domino potestate, compelleret, & Priorem prædictum faceret gaudere possessione pacifica præmissorum. Nos etiam eidem Regi, didicimus, nostras litteras destinasse, vt iniungeret Comiti supra dicto, & eum, si necesse foret, temporali districtione compelleret, quod Priori restitueret sic ablata, ac ipsum, ac suos redire ad propria, vnde ipsum exulare compulerat, & ibidem securè permitteret commorari. 11.

Quare idem Prior nobis lachrymabiliter supplicauit, vt cum sæpe dictus Comes, quasi stipulam malleum reputans, censuram Ecclesiasticam, non formidet; & prænominatus Rex, tam nostris, quam iudicum eorumdem monitionibus obauditis, non curauerit ad hoc interponere partes suas; ac ipse confractus laboribus, & exhaustus expensis, quasi de summo dignitatum, ad extremam paupertatẽ deductus, à prosequutione iuris sui desistere compellatur, & Ecclesia sua olim per ipsum Comitem thesauro, priuilegiis, necnon, & omnibus bonis aliis spoliata, vix vnquam adiiciet vt resurgat: ipsorum angustiis, & doloribus paterno compatientes affectu, salubre remedium, & vtile consilium apponere dignaremur. Cum igitur tantã Dei, & Ecclesiæ iniuriam, ac ipsius Prioris grauamen conuenientibus oculis pertransire aliquatenus non possimus, ne facilitas veniæ incentiuum tribuat delinquendi; discretioni vestræ per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus præmissam sententiam definitiuam, sicut est iusta, excommunicationis verò, sicut rationabiliter sunt prolatæ, faciatis authoritate nostra sub Apostolica obedientia, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Nullis litteris obstantibus plenam de iis omnibus non facientibus mentionem. Datum Perusij III. Nonas Augusti, anno IX. Ita quem Archiepiscopi & Episcopi 12.

pi coërcere non poterant, quem Rex, quamtumuis sanctus, omittebat, fortè vt incorrigibilem, etsi vrgeretur, in peiora ruiturum; Abbatem pauperem, iudicem accepit, quò minus per potentiam, eò fortassis, per consilia, & preces, & per prudentiam tandem profuturum; sed de his satis. Pergo ad alia, quę Vicarij Christi curā, grauiora adhuc, saltem difficiliora, solicitabāt.

1. *Prouisum Liuoniorum conuersioni.* 2. *per Gregorium Pontificem,* 3. *& Prior Redageshausanus illuc remissus.* 4. *Iniuncta nostris prædicatio Crucis, pro locorum Sanctorum propugnatione,* 5. *& pro Imperio Constantinopolitano* 6. *per Abbatem sancti Thomæ de Torcello.* 7. *Iraciensis, Thebaldo Regi Nauarræ,* 8. *aduersus coniuratos;* 9. *Maceriarum, Niuernensi Comiti assistunt.* 10. *Bello imminente inter Gallum, & Anglum Reges,* 11. *Abbates de Boxeleia, & de Ponte-Roberti, ab Henrico, ad Gregorium,* 12. *de Alta-cumba, à Gregorio legatur, ad Ludouicum.*

CAPVT QVARTVM.

1. VRGEBANT adhuc tres Gregorium curæ, quæ pium eius affectum solicitabant: conuertendi gentiles in Liuonia; Sarracenos, ac Græcos, in Palestina atque Constantinopoli, à fidelium ceruicibus arcendi: sed in his non minus Cistercio vsus, per illud sibi prouidendum cunctis putauit. Et quidem quod ad Liuoniorum conuersionem spectabat, cum palam esset, à discessu Prioris Redageshausani retrocessisse, eundem reuocare facile fuit. Maxime Episcopo ita supplicante, & proponente fæcunditatem Liæ, quantumuis in seipsa minus pulchræ, speciei Rachelis, quæ sterilis maneret, anteponendam. Contemplatiuæ vitæ perfectionem, in charitate maximè: & tunc nullibi ardentius exerceri, patentius demonstrari, quam si multos amare Deum faciat, quem tamen non amabunt, nisi cognoscant. Sed esto hæc vita sibi minus vtilis saltē secura, quia minus quieta: an non ex charitate sequenda est, si Christi gloriæ vtilior reperiatur? Maximus charitatis esse creditur, si vitam quis pro re amata ponat. Quo progreditur, plus vltra fortè inueniet, si non animam solam, id est vitam: si propriam etiam gratiam, gloriamque, quæ vita potiores; gloriæ Dei postponat, & illis cedat. Quod si in hoc charitas perfectius exercetur, iam eo ipso, & gloriam Dei promet, & sibi gratiæ cumulum lucratur; ad ipsius charitatis augmentum superaddendum. Hæc, & similia ad Gregorium Liuoniæ Præsul: verò ille, ad Redageshausanum Abbatem, hæc quæ sequuntur [a].

[a] Ad hunc annum.

2. *Abbati, Monasterij de Redageshausem, Cisterciensis Ordinis.*

Cum dilectus filius, Prior Monasterij tui, nullum Domino gratius possit exhibere obsequium, quàm ad agnitionem eius, animas oberrantes adducere, vt lucrifaciat sibi eas: non sine causa miramur, quod sicut Venerabilis Frater noster, Liuoniensis Episcopus, suis nobis litteris intimauit, cum eundem Priorem dudum elegerit, & assumpserit, ad Euangelizandum in partibus illis Dominum IESVM CHRISTVM, *& dante Domino Euangelizanti virtutem, multos de tenebris gentilis erroris, ad lucem reuocauerit Catholicæ veritatis, ipse reuersus ad claustrum, illectus dulcedine contemplatiuæ quietis, & Pulchræ Rachelis irretitus amplexibus, ad opus vtilitatis actiuæ, vel potius vtilissimæ actionis, tanquam Lippæ Liæ facunditate contempta, redire non curat; non attendens, quod vnigenitus Domini filius, vt multis prodesset, de sinu patris, ad publicum nostrum exiit, pro charitate nimia humanatus; & Apostolus omnibus omnia factus, vt lucrifaceret omnes, Domino cupiebat fieri pro fratribus anathema.*

Ne igitur, data prædicto Priori à Domino gratia, 3. *de iure priuetur, si eam vsque adeò sibi velit habere priuatam, quod communicare aliis pertimescat, eidem nostris dedimus litteris in mandatis, vt timens, ne torpore silentij, tot perdidisse animas Domino videatur, quot vigore prædicationis lucri facere potuisset; & præmij spe illectus, eo quod erunt tanquam stellæ perpetuo in firmamento locatæ, qui multos eruditint ad salutem; prædicationis officium resumere non postponat; ita quod credita sibi talenta Domino referens geminata, commendari ab ipso, & in gaudium eius recipi feliciter mereatur. Quo circa discretioni tuæ per Apostolicam Sedem præcipiendo mandamus, quatenus ei super hoc non solum licentiam largiaris, imò præcipias, & iniungas. Datum Perusij V. Kalendas Februarij, anno VIII.* Octauo, inquam, quippe Nonus Gregorij non incepit, vsque ad vigesimam Martij præsentis anni.

Cæterùm, vt conuertendis infidelibus, Euangelium suscipere paratis; sic impugnandis his, 4. qui resistebant virtuti Crucis; atque Christianos, siue in Palestina discordes, siue in Græcia inualidos lacessebant atroces, Cistercienſium etiam censuit vtile fore. Id quod non solum anno præcedenti, datis ad Antiochenum Patriarcham litteris, pro inclyta Militia Calatrauæ, quam illuc destinare Conuentum solicitasset: sed & hoc, etiam aliter ostendit, nisi mendum irrepsit in exemplaribus; commissa Cistercienſibus Abbatibus prædicatione Crucis, quæ illis, à Bernardo familiaris, rarò per alios, sine ipsis, vix vnquam præualuisset. Itaque Heisterbacensi, per prouinciam Treuirensem; Lucelano, per Bisunthinam, Alberstadensi quondam Episcopo, tunc Monacho, quem sæpius memorauimus, per Magdeburgensem; atque aliis per alias multas, & latas, id muneris iniunxit, eadem die, ad omnes litteris datis sub hoc initio [b]. *Cum prædicandæ Crucis officium, pro locorum nostræ salutis propugnatione, & subsidio fidelium, qui in illis partibus afflicti esse noscuntur, vobis per N. prouinciam duxerimus commendandam, &c. Datis Perusij Nonis Martij.* Litteras ipsas ad longum non adducimus, quia eædem pene sunt, quas antea ad alios datas sæpè transcripsimus. Extant & duplices ad Abbatem Maceriarum litteræ hoc anno datæ, pro Niuernensi Comite, cum Cruce & ipse signatus, obstaculis quibusdam retardaretur, vtraque Viterbij septimo, & sexto Idus Mensis Nouembris.

[b] vbi suprà.

Demum

5. Demum, nec Ioanni Brenno Ciſtercium de-
c *Hoc anno.* fuit, periclitanti in Græcia, quippe Gregorius,
10. vt ait Abraham Bzouius [c]: *Belam Vngariæ, & Theobaldum Nauarræ Reges, Balduinum Imperatorem in Gallis agentem, Comitem Campaniæ, Erardum Chatenaium Colamannum Regem Aliciæ, conſanguineos Ioannis Brenni, Archiepiſcopos Senonenſ. & Strigonienſ. & Coloſenſem, & Epiſcopum Geurienſem, admonuit, vt auxilia ſocio, vicino, agnato, cõſanguineo Catholicoque Principi ſubmitterent, ne is, & imperio, & vita excideret. Tanti autem faciebat Gregorius periculũ Ioannis, vt quadringentos equites in ſubſidia Terræ ſanctæ deſtinatos, ex Gallis detraxerit, Conſtantinopolimque eos ire præceperit: Datis litteris Fr. Guillielmo, Sedis Apoſtolicæ in Galliis Pœnitentiario.* Hæc ibi Bzouius: cæterùm dicto Guillelmo Pœnitentiario, quod ſolus non ſufficeret, inſignem virum, probatæque prudentiæ, & religionis, Abbatem ſancti Thomæ de Torcello Ordinis Ciſtercienſis, coadiutorem, ab eodem Gregorio datum; duplices aliæ litteræ conuincunt; primæ ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Prælatos, per Franciæ; ſecundæ ad eoſdem, per Vngariæ Regnum conſtitutus, atque vtroque de ipſo ſub hoc tenore.

6. *Dilecto filio Fratri VVillelmo, Pœnitentiario no-*
d *epiſt.343.* *ſtro, Apoſtolica ſcripta direximus, vt vota quadringentorum militum, Cruce ſignatorum, Regni Franciæ, quorum ad id conſenſus acceſſerit in ſubſidium Conſtantinopolitani Imperij, authoritate noſtra commutans, tam eos, quam alios, qui de nouo, in ſuccurſum ipſius aſſumpſerunt ſignum Crucis; præceptis moneat ſalutaribus, & inducat, vt ſine moræ diſpendio, ad ſuccurrendum ipſi Imperio, iter arripiant, & ad id feſtinanter, & viriliter ſe accingant; ſpe ipſis propoſita, quod idem in eodem Imperio Terræ præfatæ ſubueniunt, duplicatum remunerationis diuinæ præmium reportabunt. Verum quia idem Imperator magnum poſſet in dilatione ſuſtinere periculum niſi expectatum recipiat à Latinis, abſque moræ diſpendio ſuccurſum; dilectum filium Abbatem ſancti Thomæ de Torcello, Ciſtercienſis Ordinis, virum prouidum, & diſcretum, nobis, & fratribus noſtris acceptum ſub merito probitatis, ad præmiſſa prudenter, & celeriter exequenda, ad partes veſtras duximus deſtinandum; quo circa vniuerſitatem veſtram monemus, quatenus ſuper iis eidem Abbati ſic efficax ſtudeatis auxilium, & conſilium impertiri, quod ex hoc plenè perpendatur in opere, quanto terræ liberationem eiuſdem deſiderio cupiatis; & nihilominus Dominum vobis exinde propitium, noſque reddatis fauorabiles, & benignos. Datum Viterbij III. Kalendas Ianuarij, anno nono.* Hæc ad Epiſcopos, & Prælatos vtriuſque Regni.

7. Cæterùm cum Theobaldus, Rex Nauarræ, & Niuernienſium Comes, Cruce vterque ſignatus, ab vtraque nihilominus expeditione retardarentur; alter, quod Proceres Regni ſui timeret conſpirantes in ipſum; etſi diſcederet, Regnum diuulſuros; alter, quod filiis paruulis, vxorique, velut imbelli turbæ ab ipſius abſentia moleſtandis: huic vltimo Abbatem Macerianum, priori verò Abbatem de Irancio idem Gregorius Papa, pro ſe ſubſtituit, alterum, qui iuramenta relaxaret, colligationes diſſolueret, & colligatos in officio contineret: & alterum qui relictæ, pupilliſque vigilanter inſiſteret, arceret grauamina, atque vſque ad redditum patris, vtrique, indemnes, omnes in pace conſeruaret. Referam ad vtrumque datas litteras; & primo eas, quæ pro Theobaldo, honorificas ipſi, ſed quæ non leuem etiam præſeferunt Iracienſis Abbatis cui tantum credebatur negotium æſtimationem, ſic autem habet [e].

e epiſt.350. *Abbati de Irancio, Ciſtercienſis Ordinis, & Prioribus Roſcidæ Vallis, & de Tutela, Pampilonenſis diœceſis.*

Audito nuper, quod chariſſimum in Chriſto filium noſtrum, illuſtrem Regem Nauarræ, Comitem 8.
Campaniæ, vſque adeo tetigit iniuria Crucifixi, & zelus terræ natiuitatis eius comedit; vt, poſtpoſitis ſolicitudinibus aliis, in ſubſidiũ terræ ipſius propoſuit transfretare; tanto gaudemus amplius, quanto credimus ex maiori deuotione procedere, vt in ætate adhuc tenera conſtitutus, iuuentutis ſuæ primitias offerens Domino ſuo, ac non ſolum, ſua ſed ſeipſum abnegans, propter Chriſtum tulerit Crucem eius, vt illius opprobrium, quo ei à fidei noſtræ hoſtibus exprobatur, poſſit, ſi ipſe dederit, vindicare: cum igitur, ſicut accepimus, quædam colligationes illicitæ contra eundem Regem in præiudicium ſui iuris à quibuſdam nobilibus, tum terræ ſanctæ, quam aliis ſint præſumptæ, ad quarum obſeruationem ſe colligentes, iuramenti vinculo aſtrinxerunt, mandamus quatenus ſi eſt ita, præſumptores huius mundi, vt iuramento non obſtante prædicto, eaſdem colligationes diſſoluant, monentes attentè, & efficaciter inducatis ipſos ad id, ſi neceſſe fuerit, per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, cogentes. Datum Viterbij, Nonis Decembris anno nono. Ita pro Theobaldo, Rege Nauarræ, ad Iracienſem Abbatem, & Collegas.

Verum pro Comite Niuernenſi, atque vxore, & filiis, ad Abbatem Maceriarum ſolum, hæc, quæ ſequuntur [f].

f epiſt.179. *Abbati Maceriarum Ciſtercienſis Ordinis Cabilonenſis diœceſis.*

Cùm ſicut dilectus filius, nobilis vir, Comes Niuer- 9.
nienſis, & Forenſis, aſſerit, zelo fidei, & deuotionis accenſus, ſigno Crucis aſſumpto, propoſuit in Terræ ſanctæ ſubſidium proficiſci, noſque perſonam ſuam cum vxore, filiis, familia, terra, & omnibus bonis ſuis ſub Beati Petri protectione ſuſcepimus, atque noſtra: nihilominus ſtatuentes, vt, donec de ipſius redditu, vel certiſſime cognoſcatur, & poſtquam redierit, per biennium, integra maneant, & quieta; adiecimus quoque, vt ſi fortè dictus Comes decederet in partibus tranſmarinis, filij ſui, donec ad legitimam viginti quinque annorum ætatem peruenerint, cum terræ, & aliis bonis eorum, ſub Sedis Apoſtolicæ tutela, & defenſione conſiſtant; ideoque diſcretioni tuæ per Apoſtolicam Sedem mandamus, quatenus ipſos contra protectionis, & conſtitutionis noſtræ tenorem non permittas ſuper iis ab aliquibus indebite moleſtari, moleſtatores huiuſmodi per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcens, non obſtante conſtitutione vt ſupra. Datum Viterbij VII. Idus Nouembris, anno Nono. Hactenus pro vtraque expeditione. Itaque in tot, ac tantis turbationibus, quæ euenerunt Eccleſiæ circa hunc annum, quot ac quanta vix vnquam ſimul coniecerunt; vt aliis etiam vſus Gregorius fuerit (& quidni in tota Eccleſia alios haberet, quibus tale committeret?) in quibuſdam, aut ſolum, aut præcipuum; ſed nullius tamen expers Ciſtercium fuit.

Haud tamen ideo ceſſauit ab aliis cauſis, æquè 10.
fortaſsè grauibus, certè non minus dignis recenſeri. Imminente inter Franciæ, & Angliæ Reges

Reges, super Pictauiæ comitatu, bello; ptimum pactæ induciæ, mox in arbitros causa compromissa; neutrum sine nostrorum interuentu. Quippe Anglus, vt hæc ipsa promoueret, Legatos ad Gregorium ex ipsis misit, Abbates, de Boxeleya & de Ponte-Roberti; Gregorius verò persuadendo Ludouico, Cistercienſem non minus, Abbatem Altæ-Cumbæ destinauit, de cuius efficacia, prudentiaque, & qua pollebat apud Ludouicum Regem authoritate, non dubitabat fore, vt ipsum quantumcunque auersum, aut renitentem, ne dum promptum, & facilem, ad obsequium Gregorij reuocaret vtriusque legatiæ fructus, ex euentu sequuto, id est ex bello prorsus impedito: legatiæ ipsæ ex duabus Gregorij litteris constant, eodem die datis; altera ad Henricum Angliæ Regem; altera ad Abbatem Altæ-cumbæ, quæ ex Regestis transcriptæ, ita se habent [g].

g *vbi suprà.* 11.

Henrico, Regi Anglorum illustri.

Venientes ad præsentiam nostram dilectos filios de Boxeleya, & de Ponte-Roberti, Abbates Cistercienſis Ordinis, nuntios tuos, consueta benignitate recepimus, & tam iis, quæ literæ tuæ eisdem nobis exhibitæ continebant, quam his, quæ ipsi tanquam viri prouidi, & fideles, viua voce proponere curauerunt, cum diligentia intelligentes, super negotio terræ Pictauiæ scripsi illustri Regi Francorum provt vidimus expedire: nihilominus super negotio Comitis Marchiæ litteras eidem negotio congruas destinantes. Vellemus autem, quod occasione eligendi arbitros, inter te, & Regem prædictum, super emendandis damnis hinc inde tempore Treguarum irrogatis, ipsarum Treguarum prorogatio remansisset; vnde & adhuc tuæ serenitati suggerimus, quod si videris, quod ipse Rex possit ad Treguas innouandas induci, non consideres difficultatem emendandi damna huiusmodi; cum guerra difficultatem habeat sine comparatione maiorem, sed ad Treguas ipsas habendas omni studio elabores. Datum Perusij Kalendas Iulij anno IX. Hæc ad ad Henricum, cæterum ad Abbatem Altæ-cumbæ, hæc, quæ sequuntur [h].

h *lib. 5. regest. Greg.* 12.

Abbati de Alta cumba, Cirstercienſis Ordinis.

Gerentes de tua religione fiduciam plenam, deuotioni præsentium authoritate mandamus, quatenus vnà cum Venerabili Fratre nostro Senonenſi Archiepiscopo & Episcopo Syluanectenſi quibus super scribimus, ad chariſſimum in Christo filium nostrum, Ludouicum, Francorum Regem illustrem, accedas, eique litteras Apostolicas repræsentes, quibus rogamus eumdem, & ab impugnatione terræ Pictauiæ precum nostrarum intuitu, & specialiter consideratione negotij Terræ sanctæ abstineat, & sibi subditos faciat abstinere, ac eum ad exaudiendum nostra precamina in hac parte, secundum datam tibi à Domino prudentiam, inducere studeas soliciè, & prudenter, quod inde feceris, & inueneris, nobis fideliter reſcripturus. Datum vt supra. Ita Gregorius ad Abbatem de Alta-cumba, quem exauditum à Rege Ludouico, ipse euentus sequutus demonstrauit. Hæc & alia similia satis ostendunt, qua opinione floruerit, quibus tunc viris Cistercienſium abundauerit.

---

1. *Edmundo per miracula florente*, 2. *etiam longe insolita*, 3. *Richardi Cantuarienſis morte, sedes totius Angliæ prima vacat.* 4. *suffecti tres*, 5. *sed reprobatis cunctis, electus Edmundus*, 6. *atque tractus ad sedem, licet inuitus.* 7. *virtutes eius in Episcopatu, Patris*, 8. *& iudicis*: 9. *sed præcipuè abstinentia ab omni munere.* 10. *Noua miracula, atque alia de ipso remissiue.*

CAPVT QVINTVM.

1. HOc fermè tempore in Anglia sanctus Edmundus, tum vitæ puritate, tum doctrina, tum miraculis celebris, per merita, ad Archiepiscopatum Cantuarienſem; per sacras infulas, ad Cistercium properabat: non tamen Archiepiscopale pallium, nisi renitens; solam cucullam spontaneus susceperus. De eius prædicatione & sanctitate, multa superius. De miraculis per ipsum, & ipso à Deo patratis, quædam alia adhuc breuiter dicenda [a]; *Infestum quandoque in pede apostema, vel tuber tulit, quod medici anthracem, siue carbunculum vocant. Calamum igitur arripiens, quo scriptitare solebat, tres, vel quatuor Cruces, n eius circuitu, vnam super illud depinxit, prædicens deterrimum illud vitium propè diem profligatum iri. Altero die ita malum illud omne euanuit, vt nullum eius vestigium cerneretur.* Itaque prophetiæ præditus dono, sanitatisque: quod in proximos frequens, nonnunquam etiam in seipsum

a *Apud Sur. tom. 6. c. 16.*

2. expertus fuit.

Narrantur & miracula alia in ipso à Deo facta, nec sine ipso: ne eius, quam ad omnes habebat gratiam, aut expers appareret, aut rarò vsus. Certè in cilicio, quo ad carnem vtebatur, continuum, neque exiguum erat miraculum, quo nullis vnquam immunditiis vermium patuit, cùm tamen nunquam à se illud deponere; mutare, non nisi rarò consueuisset. Adhuc tamen quid maius in illo accidit, quod author vitæ eius memoriæ prodit [b] *Quidam eius cubicularius cilicium, & femoralia cilicina, quæ vsu diuturno contriuerat, ab eo comburenda accepit, & ille quidem misit ea in ignem, sed ignis lambens ea, consumere non potuit, tanquam vereretur sacrilegij notam sibi inustum iri, si læderet ea, quæ Beati viri carnem attigissent.* Hæc & similia, quantumuis ipso inuito, diuulgata per orbem, Edmundum venerandum reddebant cunctis mortalibus.

b *vbi suprà.*

3. Cum ecce Cantuarienſi Sede vacante morte Richardi, quem Stephano Lantguetonio suffectum diximus, post varias electiones successoris, valore vacuas, tandem Edmundus à Gregorio Papa vocatus est, qui dignè post tost alios Cistercienſes, Cistercienſis & ipse subrogaretur. De morte antecessoris ita Arsfeldius. [c] *Cum rediret à Curia, iamque tridui iter confeciſſet, in morbum incidit, qui & eum ex humana vita abstulit. Sepultus est apud sanctam Gemmam, in templo Fratrum*

c *Sæcul. 13. cap. 6.*

trum Minorum. Quo humato, prædones quidam sepulchrum eius aperiunt, vt vestes, annulum, & alia Pontificia insignia (quibuscum de more Episcopi humantur,) sibi illa sacrilegi auferrent. Miraculo datum est, quod nulla ratione, aut ingenio, aliquid defuncto detrahere potuerant. Consternati igitur, manuque pectus tundentes, inde se proripiunt. Hæc de morte, & sepulchro antecessoris non omittenda.

4. Verùm de successorum electionibus (nam tres vnus, post alium, irrito omnes conatu suffecti sunt, quoadvsque tandem ad Edmundum sedes veniret) audi, quod sequitur. [d] *In eius, scilicet Richardi, locum, Monachi Cantuarienses, Radulphum Cicestrensem Episcopum (de quo postea plura) supponunt. Quam electionem cum Romanus Pontifex ratam non haberet, Ioannem Priorem (vt appellant Cantuariensem sufficiunt. Sed nec eius optio Romano Pontifici placuit, Romamque profectus, Pontificis consilio, suasuque cessit iuri, electionique suæ. Quin & Ioannem Blondum, virum doctum, & Theologiam Oxoniæ profitentem, in cuius optionem Monachorum postea suffragia concurrebant, quod contra Synodi OEcumenicæ decretum, duo beneficia, sine Pontificis Romani gratia occuparat, reiecit.* Hactenus ille.

d *vbi suprà.*

5. Ergo post tres inutiliter vocatos, tandem vtilissime Edmundus sequutus est, vt verè Arsfeldius [d] repulsas precedentium peraccommodas dicat, *vt post tot reiectiones, vix omnium dignissimus ad illud munus vocaretur.* Itaque ait Author vitæ viri sanctissimi: [e] *Cum Cantuariensis Sedes iam diu vacasset, & ad Gregorium Nonum Pontificem Maximum deuoluta esset, illi Metropoli pastorem præficiendi deliberatio, per omnem Angliam ille diligenter per fidos nuntios iussit inquiri, quis illi oneri ferendo in primis idoneus, tantoque honore affici præcipuè dignus omnium iudicio censeretur. Tandem Edmundus vnus omnium, & aptissimus, & dignissimus existimatus est, eumque canonicè electum, Cantuariensi Ecclesiæ pastorem dedit.* Hæc de electione facta per Gregorium Viri sanctissimi, quamuis Arsfeldius [f], non à solo Ecclesiæ communi patre; sed *conspirantibus Regis, aliorumque omnium suffragiis incredibili consensu*, vocatum tradat.

d *vbi suprà.*

e *Apud Sur. cap. 17.*

f *cap. 7.*

6. At qualiter Edmundus onus refugerit, nec nisi tandem obedientia compulsus consensum dederit, idem qui supra Author pergit scribere. [g] *Nisi sunt tum spectabiles viri ad Ecclesiam Salisberiensem, qui eum Cantuariam perducerent, sed inquisitum minimè repererunt. In pago autem Caluensi inuento, indicant, quid de ipso factum est. At illo consentire nolente, redeunt ad Salisberiensem Episcopum, quid Edmundus responderit? exponunt. Præcepit ille grauiter, & sæuerè, vt obediat. Nec tamen Edmundus flecti potest, donec dictum est, eum mortiferi peccati periculum minimè euasurum, si consentire nolit. Tum ille Deum offendere timens, & precibus victus, & ratione conuictus, & præcepto adactus: assensit tandem, sed ita tamen, vt protestaretur se nulla ratione electioni illi cessurum, nisi grauiter se in Deum peccaturum formidaret. Ita demum cunctis exultantibus, admodum honorificè, & multa celebritate Archiepiscopus ordinatus est.* Hactenus promotio, & sacratio Viri Dei, quæ creditur in hunc annum incidisse. At qualem se Pontificem præbuerit; audi eumdem narrantem totidem verbis [h].

g *vbi suprà.*

h *cap. 18.*

7. *Pastor igitur in populo Dei constitutus, omni virtutum genere, magis, ac magis enituit: nec de ea, quam diximus, vitæ seueritate, & duritia quam remisit, sed in dies potius quidpiam ad eam adiecit. Non induebatur purpura, & byssо, aut veste pretioso, vt solent plerique Episcopi: sed contentus erat tunica, vel candidi, vel cinericij coloris, pretij non magni. Attamen ne frons à cæteris discreparet, superiores vestes honestas habuit, non tamen studio vanitatis. Cum in esset itinere, si quis ei vel tenuissimæ sortis homo peccata sua confiteri voluisset, mox ab equo desiliit, confitentem audiuit, pium, & affabilem illi se præbuit, nec repulit eum vel ob temporis importunitatem, vel hospitium propinquum. Pauperibus ostiatim mendicantibus largas præstabat eleemosynas: male valentium domos per suos homines diligenter inuisebat, eosque fouebat beneficiis: quibusdam ex illis quotidianum victum, & congruum vestitum subministrans. Puellas inopes nuptui, collocandas curabat: quem in vsum applicare solebat mulctas, pecuniarias propter peccata quibusdam iure irrogatas.* Hæ boni patris, bonique pastoris functiones præcipuæ; vt se Deo custodiens, & Deum sibi, commissarum sibi ouium animas pascat, exemplo, verbo, opere; & nihilominus corporibus subueniat per eleemosynas.

8. At boni iudicis id in primis habuit, quod à muneribus sæuerè semper abstinuit, nempe munera captans, aut acceptans ferè necesse est, vt iniustum se præbeat, aut ingratum. Iniustum inquam, si gratus esse velit; aut ingratum, si iustus: nunquam ab altero vitio, sæpe neque ab vtroque recessurus [i].

Ab omni munere (prosequuntur eius Acta) excutiebat manus suas, & eos, qui munera acciperent, detestabatur, præsertim potestatem gerentes, quo ad faciendam iustitiam gratuitos, aiebat esse debere, non muneribus inuitari, & illici: iisque crebrò dicebat, prendere, & pendere, non nisi littera vna inter se discrepant: significare volens ad modum propinquum eum esse suspendio, qui præter fas munera libenter accipiat. Et multi, quidem, vt eius sibi beneuolentiam conciliarent, multa etiam non parui pretij offerebant, sed ille omnia respuebat, aiebatque: Nunc quando dies sum, & nullius egeo, teterrimus sathan muneribus me capere vult, quibus etiam tunc, cum pauper essem, corrumpere me non potuit. Sed Dei ego benignitate fretus, spero nunquam illum hac ratione mihi impositurum. Muneribus enim præter ius, fasque datis, & acceptis, hodie corruptus est Orbis Christianus, peribitque etiam prius quam id percipiant Christiani, nisi hanc pestem à se extirpare, & profligare conentur. Hæc apud Surium.

9. Arsfeldius hanc eamdem Viri virtutem, aliis, tum propriis, tum ipsius Sancti verbis declarat, dignis omnino, præcedentibus subiungi. [k] *Ab omni, inquit, munere, maximè post susceptum Archiepiscopatum, religiosè abstinuit, dictitare solitus, inter prendere, & pendere, vnius tantum literæ discrimen interuenire: quasi suspendio dignos, obiter notans Magistratus huiusmodi, quorum per sordes iudicia constuprarentur. Cumque multi illius iam Archiepiscopi facti, fauorem, gratiamque amplis, & prolixis donis sibi emereri enixè laborarent, nihil ille vnquam eorum, apud se hærere voluit: hæc etiam adiicere solitus. Iam, inquit, cum omnibus affluo, & abundo, hostis, qui me olim pauperem, & in angustia facultatem deprauare non potuit, circumuenire conatur.*

i *Apud Sur. cap. 17.*

k *Apud Sur. cap. 17.*

tur. Sed Deo mihi propitio, ludet operam. Ita Arsfeldius, qui plures alias virtutes, his subiungit, & tandem addit [1].

[1] *ibidem.* 9. *Has, aliasque tam egregias virtutes, magna, multaque miracula, quibus eum diuina gratia insigniter adornabat, amplificabant, & quam Deo esset gratus, tantum non voce emissa palam clamabant. Quæ ne lectori tædium ex narrationis prolixitate obiepat, prætermitto. Nec tamen mihi temperare debeo, aut possum, quin nouum illud, & fere inauditum sanandi genus, in medium lectori producam, quo ab vno discipulorum fistulæ morbum, quo brachium eius ad omnium medicorum deplorationem inuaserat, orando, in se transtulit, quo, quindecim postea circiter dies, grauiter premebatur. Sic Beatus iste vir, ad magistrum nostrum Christum, qui non solum infirmitates nostras sanauit, sed vt, Esaias ait, portauit etiam, propius accedere videretur.* Hactenus charitatis Sanctissimi Episcopi, atque vera imitatio Christi Domini. Qualiter autem in hac ipsa affluentia bonorum omnium, tempestate exorta; & primum Regi, ob Ecclesiæ immunitatem (verus Thomæ Successor) mox etiam clero, ob morum ab eo intentatam (qui tunc corrupti in multis) reformationem inuisus, ad exilium primum, deinde ad Cistercium adactus sit, fœlici morte consumandus in Pontigniaco; continuatori, si quis fortasse fuerit, Annalium, suo tempore dicendum reseruamus.

---

1. *Luthgardis vndecim ante mortem annis corporali orbata lumine,* 2. *non sine fœnore lucis spectatis.* 3. *Beatrix ad Monasterium suum reuertitur,* 4. *& sacrata ab Episcopo, Christum, Pontificis vices gerentem, videt.* 5. *Multis à Deo illustrata consolationibus,* 6. *tentari permittitur,* 7. *de tentationibus victoriam reportatura.* 8. *Pactum cum Deo, ferit, adimpletque.* 9. *De Idæ Niuellensis morte dolet.* 10. *Rapta in Ecstasim in potentias Domini intrat.* 11. *Indeque penitus à se aliena exit, neque aliam voluntatem habens, nisi diuinam.*

CAPVT SEXTVM.

1. DVM hæc per vniuersum Orbem peragerentur, Luthgardis in Belgio, corporeo amisso lumine; quo minus de terrenis, corporalibusque; eo intimius cælestia spiritualiaque clarius penetrabat. Quippe vt sol materialis (vt Philo ait) cum terram nobis, inter vmbras noctis occultat, quæ in cœlis sunt, astra reuelat; sed terra iterum nobis apparente, cœlestia tegit; & fugat à nostris oculis: sic & sol gratiæ, & Virgo id in se ipsa satis experta, exterioris lucis defectum, quem ab hoc anno passa memoratur (nempe vndecimo ante Sanctum illius obitum, qui incidit in M. CC. XLVI.) non solum patienter, constanterque, sed cum gaudio, & lætitia tolerabat: Crederem ex continuo lachrymarum imbre prouenisse læsionem; si non dudum ipsius Actis legissem quod supra memorauí; iussam à Deo à fletu vltra abstinere: atque placide cordis feruore, in oratione persistere; quod hactenus per lachrymas, deinde per colloquia dulcia, & grata, atque amoris affectus impetratura. Vtcumque fuerit, ab hoc anno amisisse potentiam visus, commutatione fœlici, Thomas de Cantiprato memoriæ prodit [a]. Sic enim ait.

[a] *alias cap. 1.*

2. *Anno ferè vndecimo ante obitum suum quoddam vitæ quietissimæ, & fœlicis mortis præludium. Nam instar Patriarcharum Isaac, & Iacob, ambobus orbata luminibus, luminis cœlestis splendoribus solito est excellentius perfusa. Dignum enim erat, vt mens radiantissima intus luce ornata, foris quodam modo luminis huius caligine obscuraretur. Quis enim dubitet, rerum corporalium formis & imaginibus, quæ per oculos forinsecus in animum influunt, spiritualem mentis aciem retundi? cæcata ergo exterius, tota mente interius in luce versabatur, hoc vnum duntaxat in hac cæcitate plorans, quod spirituales amicos suos in hac vita amplius cernere non posset. At eo rursus se consolans, quod in Cœlesti patria eos se visuram speraret. Refert frater Bernardus ab eius ore se accepisse, Dominum ei ita dixisse: cæcitatem, quam tibi accidere volui, patienter feras: polliceor enim tibi, sine purgatorij pœnis te ad me peruenturam; amicos verò, quos, ais, te in hac vita vlterius videre nõ posse, in æterna patria conspecturam.* Hæc de Lutgardi.

3. At Beatrix, quam dudum in Rameya, litteras edocendam, atque à consortio Beatæ Idæ Niuellensis, eximie proficientem supra reliquimus, ante eiusdem B. Idæ transitum, reuersa ad Vallemfloridam, continuis interim Sanctorum Angelorum, atque cœlestis sponsi visitationibus, & in se proficiebat, & apud homines supra modum illustrabatur. Nam audi quod in eius Actis dicitur [b]. *Quoties enim, aut per orationum officium, aut meditationis exercitium, ad dilecti sui præsentiam, eius fruitura solatio se transferebat; toties ab ipso se præuentam in benedictionum suarum dulcedinem sentiebat.* Et infra. *Aliquando enim, vt Magister discipulum, ita dilectam suã qualiter vixerat, aut qualiter viuendum foret de cætero, certis eam indiciis, non sono vocis extrinsecæ, sed inspirationis leniter influentis susurrio, intrinsecus instruebat. Aliquoties vt ductorem, & rectorem itineris, ambulantẽ secum in hac labilis vitæ semita, perpendebat, & quocumq; se verteret, aut quorsum incederet, præcedentem Dominum inoffensis gressibus alacriter subsequebatur. Aliquoties etiam ipsum, vt pastorem ouium, seseverò vel eius dilectam, & electam ouiculam attendebat, quam in vberrimis gratiæ suæ pascuis incedentem ipse dirigebat, & custodiebat. Interdum etiam ipsum vt patrem multiplicis gratiæ plenitudine, se velut electã filiam locupletare volentem, & omnium virtutum insigniis adornari, non sine diuina dulcedine, & suauitate sentiebat. Nonnumquam autẽ velut sponsum Dominũ, si verè velut sponsũ ipsius & perpetuæ gratiæ, & decoris annulo subarrhatã, & renuntiationis futuræ dotalitio iã dotatã, in spiritu præuideba.* Hactenus ibi.

[b] *cap. 16.*

4. Non multo post ab Episcopo sacranda, cum aliis sororculis (quod olim frequens) sed & tunc etiam in aliquibus prouinciis in vsu lego, insigni alio fauore præuenta est, quem eadem eius Acta ita describunt [c]. *Adest Dies ad hoc mysterium explendum aptissimus, dies videlicet Ascensionis Dominicæ: neque mora congregatus Virginum cætus, ante Præsulem more consueto*

[c] *cap. 17.*

consecrandus adducitur: inter quas Christi sponsa venerabilis collocatur. Ad est & Pontifex, officiumque ex more per ordinem super vnamquamque sigillatim exequitur: ac per manus impositionem omnis illa multitudo virginum annulo desponsationis aternæ, sponso Iesu Domino typice subarrhatur. Vt autem ad electam Domini ordinatim quod faciendum erat, peruentum est exequendo, mox mirum in modum intra se rapta, cælestique iubare perlustrata, vidit intellectualibus oculis omnia, quæ venerandus Pontifex legendo, benedicendo, coronam capiti, digito mysticum annulum imponendo, cæteraque ad officium huiusmodi pertinentia per ordinem exequendo, eodem tempore foris visibiliter agebat in corpore: Dominum nostrum Iesum Christum æternum, & verum Pontificem, intus, in anima sua sensibiliter exercere, nam ab ipso sponsationis annulo subarrhata non transitoriæ, sed perpetuæ fidei Sponsionem accepit, non solum propitiationis gratiam in hoc sæculo; sed & perpetuæ beatitudinis gloriam in futuro Domino sibi firmiter promittente. Quam sponsionis prærogatiuam cum accepisset electa Domini, tanta interius exultationis, & iucunditatis repleta est dulcedine, quod exterioribus sensibus quiescentibus, quid secum extrinsecus ageretur nequaquam potuisset aduertere; sed quoties ad Pontificem debuisset accedere, non nisi manibus subsequentium sustentata, suam valuisset illi præsentiam exhibere.

5. De his, quos in sacræ Eucharistiæ perceptione, sentiebat [d], affectibus; quin & de effectibus, qui in ipsa resultabant, mira leguntur: nec minus mira, de illustrationibus, quibus profundebatur, dum sacrarum scripturarum lectioni, quæ illi familiaris, operam daret [e]. *Aperuerat enim diuina gratia sensum dilectæ suæ, vt intelligeret scripturas, & propterea omnes tam actionum suarum, quam affectionum motus, intrinsecos videlicet, & extrinsecos, iuxta consilium scripturarum informare studuit.* Et paulo inferius *Vnde frequenter accidit, vt quando aliqua ex diuinis mysteriis, quæ in sacra pagina continentur, propriis ingenij viribus nullatenus intelligere valuisset; ne diutius in casum fatigaretur illius spiritus, repente gratia Spiritus Sancti illuminabat intellectum eius, & quasi fulgor de cœlo veniens, mirabiliter illustrabat eam.*

d *cap.* 18.

e *cap.* 19.

6. Cæterũ inter has consolationes, illustrationesq; graues eam exercebant tribulationes, quippe vt Apostolo, ne magnitudine reuelationum extolleretur, datus à Deo est stimulus carnis, Angelus Sathanæ, qui eum colaphizaret, ita & Beatrici: neque vllum pene tentationum genus fuit, à quo non pateretur, victoriam tandem per Christum consequutura. Legat, qui volet, capitulum trigesimum in eius vita, quam Chrysostomus Henriquez, quinque Virginum primam euulgauit; plane mirabitur adeo aspera certamina, atque adeo diuersa, multaque, quot, & qualia vix viri superarunt. Capitis Epigraphe sic habet. *De grauibus tentationum incommodis, quibus per triennium vexata fuit.* Dein post longam multorum narrationem, tandem concludit *verè laudabilem Beatricem dixerim, & per omnia labentium sæculorum tempora merito commendandam, quæ sic per tres annos dæmones, carnem, & mundum, iugi certamine dimicauit, vt non solum inuicta per tot annorum curricula, non succumberet; sed vt victrix, nec vnius quidem cicatricem vulneris de prælio reportaret.*

7. Sed vicit tamen diuina prouidente misericordia, quæ sicut tentationes, reuelationibus, consolationibusque; ne magnitudine illarum extolleretur, salubriter opposuit: ita & tentationibus tum vires, cæleſtes fauores plures opposuit à quibus confortata virgo tenera, tot hostium cum eos secura penetraret. Nam & Iesum à Dextris Dei stantem, velut Stephanus alter, lapides inter medios, videre meruit, & cum eodem fœdus mox inire, non vltra ab eius brachiis diuidenda, & primum quidem, cum medios inter tribulos, ad Dominum orantem retulisset, author vitæ ipsius his verbis narrat [f]. *At pius, & misericors Dominus, qui de sua misericordia confidentes numquam deserit, qui iuxta est his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluare non desinit, amator hominum, sponsus animarum, merces laborum, curator infirmantium, & consolatio turbatorum, Dominus Iesus Christus, oculos suæ miserationis ad electam sponsam suam in necessitatis tempore conuertit. Eamque ad portum tranquillitatis reuocauit. Si quidem cum requiescendi gratia iacens, à turbine procellarum ad tempus semet abscondere iam cœpisset, vidit in ecstasi mentis suæ, vidit, inquam, non cœnalibus, sed spiritualibus oculis, cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, ad erigendum, consolandum, eruendum à contrariarum potestatum incursibus, ad se misericorditer inclinatum; quem cum iam ignorata tribulationis præ multitudine dulcedinis suæ, virgo Domini conspexisset, duo quædam, id est, misericordiam, & dilectionem, ex illo radiari versus se intelligens, quid hæc significarent illuminata mentis intelligentia statim cognouit. Siquidem in radio misericordiæ, quem aspexit, eo quod turbata fuerit in certamine, tamque grauata timore pariter, & dolore, præsertim cum eum tum pratum ad succurrendum, tam potentem ad expiandum cerneret, à Domino reprehendi meruit. In dilectionis vero radio Dominum sibi propitium, & misericordem agnoscens, illius adiuta clementia, non se vincendam, sed potius exaltandam, erigendam, & in virtutum culmine subleuandam cognouit.* Hæc de primo. Cæterum de secundo, audi, quod sequitur [g].

f cap. 32.

g cap. 36. 8.

Alio quoque tempore cum in chore Missarum celebritati simul cum aliis interesset, & multo deuotionis affectu sursum eleuato corde, soli supernarum rerum meditationi meditando vacarent, accidit vt repentino quodam hiatu cor illius in momento, in ictu oculi, patefieret, & citissimè reclusum in situ solito se locaret. Cui per hæc eadem verba non vulgari, sed latino prolata sermone pius Dominus morespondit. Fœdus ineamus, pactum pangamus, vt de cætero non diuidamur, sed veraciter vniamur. Ad quam vocem nimis exhilarata, tale responsum Domino reddit, per quod ad obseruationem tam saluberrimi fœderis pactione voluntaria se protinus obligauit. Paratum, dixit, Domine cor meum, ad exequendum omnia quæcunque mandaueris, præsertim ad obligandum memetipsum ad obseruationem tanti fœderis, per quod in fidem integram seruaturum te stipulatione tam liberrima repromittis. Qua vix responsione peracta, visum est ei, quod ipse totius consolationis, & misericordiæ Dominus animam illius complexa suauissimo, sibimet ipsi comprimeret, & sicut impressa sigillo mollis ceræ materia, illius in se characterem repræsentat, sic ad imaginem suam illam similem spiritus rederet. In illa quoque diuini amplexus vnione rursus Dominicæ sponsionis de seruanda sibi fibi pignus accipere meruit, quam & ipsa se firmiter seruaturam, & numquam fore à se de cætero violandam, iterum repromisit. Et ne diuina

diuinæ voluntati contrarium quid appetendo, fidem, quàm se Domino seruare spoponderat, irritare præsumeret, illi totum, quod est, corpus simul, & animam loco pignoris obligauit. Nec defuit illi diuina probatio, qua eius fides, & dilectio confirmaretur. Sub eodem enim tempore, festo Sanctorum omnium imminente, graui quotidianæ, & acutæ febris infirmitate grauata, dolores importunos patienter sustinuit; quanto enim crudelius vexabatur in corpore, tanto firmius in hoc tentationis procelloso turbine gratiarum actionis & patientiæ tabulas amplexando, diuinæ gratiæ se dignam exhibuit. Et fidem, quam seruare promiserat, in necessitatis tempore, stabilitatis proposito conseruauit. Hactenus ibi. Fertur & interfuisse Choris Seraphicis [h], vbi & arcana vidit, vt in hoc etiam Paulum imitata, sectatricem profiteretur.

h cap. 37.

Hæc vsque ad annum M. CC. XXXI. nam viuente adhuc Ida Niuellensi, quam sæpe consulebat, & cuius magisterio, quamdiu vixit, vel post Rameyam relictam, semper est vsa. Illa eo anno, vt diximus, translata, nam defunctam non dicam: simul & alia Virgine deuota, quam Beatrix in Christo multum amabat, *Dei famula,* (pergunt *Acta Virginis* [i]) *magnum ex illarum temporali amissione dolorem in corde substinuit, sed reassumptis nihilominus patientiæ viribus, pro illarum fœlici vocatione Dominum collaudauit. His ergo de medio sic sublatis, cœpit intra se cogitare, ne fortè dolor hic, quem ex illarum morte substinuit, in vltionem peccatorum suorum à Domino sibi immissus esset. Quem tamen ad illorum expugnationem omnimodam, vtpote nimis leuem, & exiguam, ne quaquam sufficere putauit; & sic vt maiorem, vel in anima vindictam acciperet, instantissimè plorauit. Vix ita quartus dies aduenit, cum ecce grauissima febris, quam acutam dicunt, illius corpus inuasit, & non solum in interioribus, vt assolet, sed in qualibet sui particula, grauissimo incendio molestabat. Tunc ergo primum videres illius spiritum mirabiliter exultantem, deuotas omnipotenti Deo laudes exoluere; cum tamen adeo iaceret cruciata in corpore, quod totus conuentus Monialium nihil aliud, quàm ipsam mortem æstimaret ineuitabiliter imminere.* Et Paulo inferius. *Tanta vero fuit doloris vehementia, quod nullo temporis spatio, vel momento, requiei, vel modicum quid in aliqua corporis sui parte percepit, nisi cum impresso puluinari capiti suo, Dei beneficia meditando reuoluere licuit. Nam tunc quasi dormiens Domini Dei sui clementiam, qui deprecationem suam exaudierat, gratiarum, & laudum actionibus honorabat.* Hoc anno M. CC. XXXII. immediate sequuto post mortem Idæ.

i cap. 38.

9.

10.

Ab alio porro, ad præsentem, quem describimus, multa, & mira narrantur, quæ in præsenti referre, prolixum esset. Id vnum dicam, quia fortè sine exemplo; certè quia exemplum cunctis recolendum, & in quantum potuerint, imitandum: quippe quod continet perfectionem virtutum omnium. *Accidit,* ait Author vitæ [k], *vt post completorium lecto decumbens, cum de cognitione summi, & increati boni, fruitione simul, & assequutione per multas cogitationes apud semetipsum disputans, nec dum hac meditatione finita mente prorsus excederet; in magna tranquillitate spiritus, & cordis pace se constitutam inuenit. In quo mentis excessu, mox in iudiciorum Dei sui profundam abyssum rapta, rerum tam visibilium, quam inuisibilium Ordinem, & progressum, ipsasque rerum causas ex æternæ iustitiæ fonte manantes, terrenis quidem intellectibus incomprehensibiles, numquam tamen à iustitiæ tramite deuiantes, oculo contemplationis suæ perlustrauit.* Hæc dignatio diuinæ bonitatis erga Beatricem. Verum quæ eius ad Deum retributio, quàm præcipuè susceptimus narrandam, idem Author prosequitur, sic scribens.

k cap. 36.

In qua luce clarissima contemplationis, cum per modicum temporis ad modum delectabiliter immorata fuisset, ad se rediens, omni voluntate sua, quam semetipsam eatenus gubernare consueuerat, ex toto se expoliatam inuenit, ita vt nullam ex eodem tempore vitæ spiritualis ordinationem obseruare potuerit, sed voluntate sua in diuina voluntate transfusa, quod eius inspirante gratia sibi agnouit, hoc de cætero studuit obseruare. Permansit enim in hoc statu multis diebus, & sic voluntati diuinæ suam conformatam habuit voluntatem, vt æqualiter infirmitatem, valetudinem; prospera, vel aduersa sufferre diligeret, & nec æterna, nec temporalia iuditio voluntatis eligeret. Omnes quoque quas eodem tempore fundebat orationes ad Dominum, semper ad ipsius beneplacitum dirigebat, & si aliquid secundum necessitatis exigentiam postulabat, priusquam finiretur oratio, rursus vt eius tantum fieret voluntas, supplicabat humiliter, & infra, *per hanc quoque renuntiationem propriæ voluntatis ad tantam spiritus, cordisque stabilitatem peruenit, vt sine grandi labore beneplacitum diuinæ voluntatis expleret in omnibus: & non solum in corde feruentior, in conscientia clarior; verum etiam in corpore robustior appareret. Ex tunc etiam illud charitatis indissolubile vinculum, quo summo bono iam dudum adstricta fuerat, ita consolidatum, & confirmatum in vera dilectione permansit, vt quanto plus aliqua corporis, vel spiritus vexabatur molestia in corpore, vel in mente; tanto suauius illius summi boni refrigerata dulcedine, libentissime omnia tam dura, quam aspera supportaret, totius impatientiæ, vel mœroris penitus ignara.* Hoc Beatricis elogium, paucis concessum, in quo non huius, alteriusve virtutis, sed omnium simul summam facile videas. Atque hæc de eius actis, vsque ad hunc annum, quæ ne diuiderem consulto reseruaui. Reliqua, quæ per totam vitam gessit, fundationes, & alia, suis singula locis dicenda erunt.

f vbi supra. 11.

1. *Franciſcanorum ad noſtros frequens tranſitus*, 2. *obuiante Gregorio*, 3. *atque aliqui noſtrorum etiam ad ipſos.* 4. *Admiſſi, pro ſecandis meſsibus, redditus, non ſine ſcrupulo, & principio vitæ degeneris.* 5. *In Gallia quædam negotia noſtris commiſſa*, 6. *neque pauca in Italia*, 7. *in Auſtria Viſitatum graue Cœnobium, reformatumque*; 8. *in Germania ſedes Magdeburgenſis adminiſtrata*, 9. *atque in Vngaria graues aliæ cauſæ deciſæ.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. GRAVES hoc anno Franciſcanos inter, & noſtros ſubortæ querelæ, dum inuicem augerentur, penè vtrorumque pacem perturbarunt. Tranſeuntibus ex ipſis multis ad noſtros, ex noſtris etiam aliquibus ad ipſos, provt quemq; Liæ amor, aut Rachelis, actionis, aut quietis, ad actiuam, aut ad contemplatiuam vitam ſolicitabat. Cæterum ex his ad nos, & plures numero, & meritis potiores tranſiiſſe, argumento ſunt Gregorij Papæ litteræ, ad ipſorum inſtantiam ad noſtros honorificæ, adeò mulcentes magis, quàm comminantes, licet vtrumq; præſtent, vt quantum tunc Pontifices deferrent Ciſtercienſi familiæ ſatis oſtendant, cui vel tranſgreſſæ Apoſtolica mandata (nam id allegabatur) ram reuerentem exhibebant admonitionem. Et fuit, Gregorius cum adhuc Cardinalis, Minurum protector; & qui ex recenti memoria Sancti Franciſci, eximia charitate flagrabat in eius filios. Ergo dum eorum querelas excepiſſet, has ad Abbates Ciſtercij litteras dedit [a] quas etiam VVadingus adducit in Appendice [b].

a *Epiſt. 66.*
b *Bulla 36. tom. 1.*

2. *Gregorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis vniuerſis Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis, ad quos præſentes litteræ peruenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Quo vos in Chriſto ſynceriori charitate diligimus, eo plenius vt in cunctis prouidi ſitis, & vigiles, affectamus, turbationis non modicæ ſpiritum aſſumentes, ſi de vobis quandoq; contrarium ad nos relatum peruenerit aliquorum. Sanè mirantes accepimus, quod cum à bonæ memoriæ Honorio Papa Prædeceſſore noſtro fuerit demandatum, vt nullus de Ordine Fratrum Minorum in veſtrum, aut ex vobis aliquis in eorum Collegio ſine ſpeciali mandato Summi Pontificis admittatur: Vos, qui quanto chariores eſtis Eccleſiæ, tanto, quod ipſa prouidiſſe dignoſcitur, tenemini propenſius obſeruare, contra mandatum huiuſmodi venientes, non abſque offenſa rectitudinis, quæ in veſtris debet actibus haberi continue ſpecialis, quoſdam, ex eiſdem Fratribus, ad veſtrum Ordinem admiſiſtis. Verum cum ex hoc turbationis, & ſcandali poſſit exoriri materia, quæ ſolatium pacis æternæ quærentibus debet omnimodis conſtitui peregrina; vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus fratres eoſdem ad ſui reſumptionem habitus, ſublato cuiuſlibet difficultatis obſtaculo remittentes, de cætero nullum ex ipſis prætextu indulgentiæ alicuius, niſi prius ſedis Apoſtolicæ, vel Miniſtris Ordinis memorati petita fuerit, & obtenta licentia, recipere præſumatis: alioquin quantumcunque in his deferre vobis, quæ ſunt ad redemptoris glorium cupiamus, cogemur ſuper hoc illud ſtudium prouiſionis apponere, per quod contemptum obedientiæ pateat nobis, vel Deo potius multipliciter diſplicere. Datum Peruſij XIV. Kalend. Iunij Pontificatus noſtri anno nono. Ita Gregorius ad Abbates Ciſtercienſes.

Verum etſi pauciores; quoſdam ex noſtris, ad Franciſcanos ſimiliter tranſiiſſe; obſterque, quàm non facilè ad primam vocationem vtrique reducti, & quale ſcandalum inde ſequutum ſit, niſi obuiaretur, in maius erupturum: ſatis oſtendunt, quædam aliæ litteræ eiuſdem ad eoſdem, ſequenti anno expeditæ, in quibus, qui iam in vtriſque profeſſi eſſent, remanere iubentur; nondum profeſſis, ad propria reuerſuris, neque vllis aliis vlterius ſuſcipiendis. *Licet, inquit* [c], *quibuſdam ex fratribus veſtris ad fratrum Minorum, & aliquibus ex iis ad veſtrum Ordinem tranſeuntibus, vtroque ſuo reſtitui Ordini mandaſſemus, quia tamen prolixitas, & profeſſionis vinculum expugnare videntur, quominus abſque vtriuſque Ordinis ſcandalo poſſit mandatum Apoſtolicum adimpleri; nos & animarum ſaluti prouidere volentes, & diſſidiis obuiare, ita duximus prouidendum; vt iam profeſſi in Ordinibus memoratis, non obſtante mandato prædicto, in eis libere debeant remanere; authoritate præſentium, ne hac occaſione, inter vos, & illos ſcandalum oriatur, id de cætero fieri diſtrictim inhibentes. Multi ergo noſtræ prouiſionis &c. ſi quis autem, &c. Datum Reati II. Nonas Auguſti, anno X.* Similes litteræ ad Franciſcanos miſſæ, atque ad Prædicatores, communes tranſitus omnium manifeſtant.

c Epiſt. 112.

3.

4. Sub idem tempus acceptatas à noſtris video, in Hiſpania præcipue, Caſtellaque, aliquas donationes reddituales, pro conducendis operariis tempore meſſis, qui ab eo opere Monachos eximerent, quo laudibus diuinis, & ſacrificiis pro viuis, & defunctis vacare poſſent. Extant, leguntur que inſtrumenta ipſa apud Saltum-Noualem, & Bene-viuas, vulgo *de Benauides*, alterum menſe Februario, alterum in vigilia Annunciationis, Mariæ Virginis, Æra M. CC. LXXIII. id eſt, anno M. CC. XXXV. in quem eundem modum poſt annos aliquot, video, & in Monaſterio *do Benauides* aliam hæreditatem dono acceptam, ſub ea conditione *ne Monachi ad putandas vites exirent; neve id operis per ſe ipſos exercerent.* Ita fortaſſis per ſpeciem pietatis irrepens otium, aut deſſides effecit aut minus humiles; & qui ea opera, quæ patres exercuiſſent, Stephanus, Bernardus, cæterique, indecora putarent, ſoli filij; eademque exercere dedignarentur. Certe qui olim exhibiti merentibus fauores à Virgine, deuincire debuiſſent, noſtrorum animos, ne vnquam miniſterium abdicarent, per quod ad tantum Marianæ dignationis faſtigium promoti eſſent. Sed nec debuerunt temporali prætio redimere, quę mercedē æternam præſtolabantur. Niſi quod tamen maioris boni ſpecies facile ad noua traxit, quos ab antiquis labor retardabat; & forte recens natæ familiæ, quæ proximorum ſaluti dedicatæ, ruſtica illa exercicia aſpernabantur, eorum dē tædium ad noſtros

noſtros deriuarunt. Ita proceſſu temporis inuenio, pro pane albo, & pro lautioribus cibis, ſub nomine pictantiæ, admiſſos redditus; quaſi ea, à nobis, indigentia velut præciſa, non voluntaria abſtinentia relegaſſet; & ideò ſolum ab eis abſtineremus, quia carebamus.

Hoc item anno, præter illa grauiora, quæ ſupra dedimus, leuiora quædam alia noſtris iniuncta, quæ & ipſa veniunt breuiter perſtringenda. 5. In Gallia, Pictauienſi Eccleſiæ in partes diuiſæ ſuper noui Epiſcopi electione; Abbas Maroliæ, cũ duobus collegis, decimo ſexto Kalendas Maij, Comitiſſæ Britaniæ Margaritæ, idem qui ſupra, & Gratiæ Dei Abbas; decimo ſexto Kalendas Septembris, ſemel, & iterum pridie Idus eiuſdem menſis; de Pinu, & de Bona-Valle Pictauienſi, in aliis cauſis grauibus: decimo Kalendas Decembris; in aliis demum Abbas Trium-fontium, atque ipſius Prior ſeptimo Kalendas Auguſti, iudices dati; qui ardua, quæ occurrebant determinarent. Quin etiam id ipſe Ciſtercienſis Abbas, adiuncto ſibi Abbate Maceriarum, de viſitatione Cœnobij Flauigniacenſis ſuſcepit litteras, Datas Peruſij, ſeptimo Idus Iunij, Pontificatus anno nono, id eſt, hoc anno.

6. Sic in Italia Abbates de Locedio, & de Tileto, Sarnenſi Epiſcopo; Fontis viui, Cœnobio Sancti Thomæ in Vrbe Cremonenſi, arbitri dantur, litteris ad vtroſque datis Peruſij, decimo, ad Priores, Kalendas Iunij, ad Poſteriores decimo ſeptimo Kalendas menſis ſequentis. Sancti Pelini, & Sancti Pamphili Capitulis, in Diœceſi, de Epiſcopi electione litigantibus, Abbati Caſſænouæ Penenſis Diœceſis, Ordinis Ciſtercienſis commiſſum eſt, vt vtrique Capitulo mandaret. *Quatenus ea vice, infra certum terminum competentem, ipſis, ab eo præfigendum, ſimul ad electionem, vel poſtulationem Canonicam, coram ipſo procederent, & poſtmodum, ſi vellent, vnumquodque ius ſuum, coram Epiſcopo electo proſequerentur. Peruſij XV. Kalendas Auguſti, anno nono.* Quo etiam anno decimo ſeptimo Kalendas Auguſti, ad Archiepiſcopum Capuanum Gregorius ſcribit, referens, & commendans viſitationem, depoſitionemque Theneanenſis Epiſcopi, quam miſſi ab ipſo, Squilacenſis Præſul, & Abbas Voſci Ciſtercienſis Ordinis, præmiſſa inquiſitione, pronunciauerant.

7. In Auſtria graue, & antiquum Monaſterium, Diœceſis Patauienſis, Abbatibus Sanctæ-Crucis, & Campilliorum, aliàs de *Lilienpheld*, viſitandum committitur, præmiſſa relatione, *Quod D. Monachus eiuſdem Monaſterij, cæteris cœnantibus, quoſdam laicos conductos pretio introduxit refectorium eorundem, qui quoſdam ex fratribus euaginatis gladiis nequiter, Dei timore poſtpoſito, verberatos carcerali cuſtodiæ manciparunt, & Cameram quidam ipſorum Abbatis hoſtiliter inuadentes, eum ex illa per Capillos turpiter eiecerunt: quem tandem dictus D. cum tantam commiſiſſet nequitiam, & adiicere graviores ſibi licitum æſtimaret; ſecundo in dictum refectorium Cœnantibus Monachis, irruens vehementer in Cantorem eiuſdem Monaſterij, iniectis manibus violentis, cum quatuor Monachis alligauit, angustia cuſtodiæ carceralis ipſos affligi faciens, quaſi arbitraretur fore vitium, quod omitteret aliquid de ſæuitia tyrannorum. Adhuc Abbate iam dicto viam vniuerſæ carnis ingreſſo, præfatus D. quaſi cupidus vt multiplicatis malitiis reputetur in ſummo poſitus prauitatis, eiuſdem Monaſterij regimen, fultus potentia laicali, ſibi temere vſurpare præſumens, quoſdam ex fratribus memoratis nequitiæ ſuæ conſentire nolentes, poſt appellationem ad nos interpoſitam, à Monaſterio repulit; & quemdam ex ipſis coram altari, quaſi extra mentem poſitus, immaniter verberauit &c. Datum Peruſij quinto Idus Maij anno nono.*

In Germania, ſedi Archiepiſcopali Magdeburgenſi, graui depreſſæ ſarcina debitorum, Archiepiſcopo ipſo conſentiente, petenteque, Abbates de Lenin, & de Cinna, Ciſtercienſis Ordinis, Brandeburgenſis Diœceſis, adminiſtratores dati ſunt, facto ad vtrumque, à Gregorio Papa decreto *vt de præpoſitura Eccleſiæ Magdeburgenſis, ſingulis annis, centum marchæ puri agenti, ac prouentus beneficiorum ad Eccleſiam Magdeburgenſem ſpectantium, non habentium curam animarum annexam, quæ Archiepiſcopus ipſe tempore promotionis ſuæ habuit, in ſolutionem debitorum ipſius Eccleſiæ, per manus veſtras, vſque ad noſtrum beneplacitum conuertantur. Viterbij vndecimo Kalendas Ianuarij præſentis anni.* 8.

In Vngaria, Archiepiſcopus Strigonienſis, Regni totius primas, cum Abbate, & Conuentu Sancti Benedicti de Grama litigans, Abbatem Bellifontis, cum Præpoſito Varadienſi, eumdem, & Abbatem Pelizienſem iudices habuit, Ciſtercienſem vtrumque, alterum datum quinto decimo, alterum ſexto Kalendas menſis Octobris. Fuere & aliæ cauſæ iniunctæ aliis in Belgio, Anglia, & Scotia, quæ breuiter indulgens præteribo. 9.

---

1. *Proſperitas Henrici Barbati, per Heduuigim, 2. turbata repente; ſed nihilominus per eam etiam redacta. 3. Tyranni Principis in Polonia pauenda mors, 4. atque Henrici virtutes illi oppoſitæ. 5. Heduuigis tum victus, tum veſtitus, 6. & ſumma humilitas, 7. approbata miraculo inſignis. 8. Drogonis Claræ-Vallenſis Abbatis mors, atque Hugonis, Monachi Valcellenſis. 10. Calatrauenſium, de Priore Gallo querelæ. 11. Gregorij litteræ ad Abbatem Morimundi; 12. & in eiſdem quædam notatu digna.*

CAPVT OCTAVVM.

1. INTER hæc in Polonia Beata Heduvigis, pietatis operibus incumbens, inter Moniales, Monacha: Verum non ideo Principem oblita, Henrici viri actiones, conſiliaq; non ſolũ dirigebat, ſed proſperabat. Leſco Albo, Poloniæ Rege, defuncto, Boles-laus, cognomẽto PVDICVS, illius filius puer, & impar ſceptris, dum accipit tutorem, Regnum diuiſerat; quibuſdam in Conradum, ipſius patruum, & Leſci Albi fratrem, cõueniẽtibus; aliis (& inter ipſos pueri matre, & melioribus Regni) Henricum, quia meliorem, & quia Heduuigis virum, deſiderantibus; diffi-

dente Conrado suffragij procerum, ad arma confugerat; sed semel & iterum ab Henrico victus, pro tutela, ignominiam reportauerat. *Profligatus autem (ait Martinus Cromerus* [a]*) in syluas, & montes proximos inde verò in Massouiam ad redintegrandum exercitum se recepit. Henricus debellatum iam credens & quod hyems instabat, vt temporis agricolæ sementem facere possent, dimisit exercitum. ipse verò sine vllo metu cum paucis comitibus in Cracouiensi tractu versabatur.*

a *lib. 8. Histor. Poloniæ.*

2. Turbauit hanc Henrici fœlicitatem inopinatus euentus, non vt hactenus partas victorias perderet: sed vt vxoris constantiam, zelumque, & quantæ authoritatis ad omnes esset, clarioribus inditiis demonstraret. Namque Conradus, de exercitu ab Henrico dimisso certior factus, improuisus aduenit, Henricumque in Spitcouiensi villa, nihil tale metuentem, & diuinis vacantem, per vim capit, atque in Massouiam, ditionem suam exportat. Pergit Cromerus. [b] *Hoc postquam accepit Henrici filius, Henricus, raptim quantum potest maximum conscribit exercitum ad liberandum patrem. At Heduvigis pia, quæ ab initio futuri, vt credibile est, præscia, viri consilium illud de Principatu adipiscendo non probarat, tunc quoque dubios euentus belli secum reputans, & sanguinis Christiani atque cognati profusionem, quæ bellum consequi solent calamitates, & nefanda scelera perhorrescens, iuncto curru in Massouiam ad Conradum, expeditionem filij anteuertens, excurrit, & oriens detestandi atque parricidialis belli incendium sapientia sua restrinxit. Eius enim precibus, atque suasu motus & placatus Conradus, Henricum, & cæteros captiuos omnes dimisit: duasque neptes Henrici, ex Henrico filio, filiis suis Cazimiro, & Boleslao, vxores despondit.* Ita Cromerus. Author vitæ Heduvigis apud Surium nonnihil addit, quippe qui de Conrado loquens subdit. [c] *Qui vt eam (ideſt Sanctam Heduvigem) conspexit perinde ac si Angelum Dei vidisset, subitò pauore corripitur, ferocem animum, hactenus inflexibilem deponit, init concordiam, & Ducem Henricum dimittit.*

b *ibid. paulo infra.*

c *cap. 3. ad medium.*

3. Pergit Cromerus narrare pluta alia, quæ prospere ab Henrico gesta sunt, coniugis Sanctæ tum meritis, & precibus, tum consiliis, prudentiæque adscribenda: & subdit miserum, & infœlicem exitum Niczesconis, siue Miczeslai, Cuiauiæ Principis in eodem Poloniæ principatu, in quem sæuere Deus vindicauit hoc ipso tempore. *Cum enim, ait,* [d] *Cuiauiæ Dominatum à patre accepisset & inopum, viduarum, ac pupillorum bona diriperet, indeque quodam tempore conuiuium multis inuitatis præberet, ab ingenti multitudine murium inuasum, & fustra nauim fugientem, muribus etiam per aquas eum persequentibus miserabiliter periisse, exemplo futurum posteris, ne se rapinis, iniuriis, & sanguine miserorum hominum saginent.* Ita Cromerus, quod referens ad hunc annum Abraham Bzouius, fœlicitati, & progressibus Henrici per Heduuigem grauiter apponit, simul & eius gesta ad summam redigit, verbis, quæ nobis hic censui subiicienda. [e]

d *vbi supra*

e *an. 1235. n. 13.*

4. *Fœlicius, ait, Henricus, cognomento Barbatus, ab admonitione Diuæ Heduuigis suæ coniugis, Prouincias Cracouiensem, Sandomiriensem, & Vratislauiensem administrauit. Cum enim Boleslaum, pupillum, cognomento Pudicum, Cracouiæ, & Sandomiriæ Principem, è manibus Conradi, Ducis Massouiæ, in libertatem vindicasset, eo tempore, quo regiones illas nutu suo, (præmodestia, Ducis Cracouiæ, & Sandomiriæ abstinuit titulo) administrabat recte, vtiliterque multa de consilij sententia constituit: leges quasdam improbas, & pestilentes, quæ auxiliares, Virginales, & viduales dicebantur sustulit: meliores nonnullas sanxit: Ecclesiarum immunitates confirmauit: Magistratus bonis, & industriis viris mandauit: in maleficos, & calumniatores sæuere animaduertit: Optauiam verò oppidum cum sexdecim pagis, amotis inde Templariis, in quorum ditione fuerat, Lubessensi Episcopo assentiente Boleslao, iure sempiterno addixit, quin & in Silesia Boreum oppidum, & territorium, & in maiori Polonia postea Gasimiriam, cum quatuordecim pagis, atque decimis, eidem Episcopo donauit.* Hæc & alia Heduuigis dum agit Principem; at dum Monialem Pauperem, & humilem, ac Cistercium sitientem; audi quod vitæ ipsius Author scribit. [f]

f *apud Sur. cap. 2.*

5. *Interim tamen in Monasterio manens, in seruando silentio, aliisque Monasterij institutis, & legibus & vitæ asperitate Monachas omnes anteibat. Non est autem silentio prætereundum, quandoquidem de vestium eius humilitate iam quædam diximus, vestimentum nouum haud quaquam illam induere voluisse nisi prius alia è sociabus, eo vsa esset, atque non nihil illud detriuisset.* Hæc de vestitu; & de victu paulo inferius, *Et quia cibos religiosorum hominum, Sanctorum Angelorum escam putabat, fragmina panum à Monachorum, & Monacharum mensis collecta à mendicis, quibus ea dabantur precio redimebat, & priusquam inde ederet, multa oscula eis imprimebat. Cumque nollet diu carere huiusmodi pauperum epulis, quæ ei dulces erant, duas pauperes fœminas pretio conduxerat, vt alternis hebdomadibus ad portam Lubensis Monasterij accederent, & quicquid illi casei, & panis à mensa Monachorum pro eleemosyna accepissent, ipsi apportarent, pro deliciis illud habituræ. A mensa etiam, ad quam Monachi, ipsa interdum eos inuitantes, cibos sumpserant, præcisas panis crustas, vel particulas ab illis relictas, colligebat, & tamquam Sanctorum reliquias, admodum reuerenter pro cibo suo conseruabat.* Hactenus ibi. Quibus clarè videas, viuente adhuc viro, Monialis habitum, quem cum sororibus posset permutare: & in victus ratione, Cœnobium Lubus, præ cæteris electum, ex cuius mensæ reliquiis reficeretur.

6. Addam & aliud de ipsius humilitate, quia miraculo insigni comprobatum, atque approbatum, singulare exemplum, quod idem qui supra Author his verbis prodit. [g] *Sanctitatem, qua se destitutam putabat, in aliis, quos bonos credebat, miro quodam studio, & affectu amplecti, & feruentissima animi deuotione imitari non destitit. In spiritu enim humilitatis & animo contrito ea loca, in quibus stantes, aut precantes viderat homines religiosos, vel pro suo iudicio bonos, cum esset data opportunitas, in genua humiliter se submittens, labiis impressis exosculabatur: sororibus quoque comedentibus, in choro adibat loca, in quibus illæ stare solebant, & singulis oscula infligebat. Itemque ad dormitorium earum ascendens, omnes gradus, per quos illæ ascendebant, scabella quoque ante lectos earum posita, atque ipsas etiam Virgas, quibus dabantur eis disciplinæ, vt vocant, mira humilitate, & animi deuotione exosculabatur: quippe quæ Sanctum putaret, quicquid tetigisset illæ Sanctimoniales, & omnes Domino seruientes;* Hactenus exemplum, sed audi nunc diuinam approbationem.

g *cap. eadem.*

Quadam

7. *Quadam die Sanctimonialis quædam in Monasterio Trebnicienſi ſcire cupiens, quemadmodum Chriſti ancilla ſola remanens in Eccleſia, ſe in diuino exerceret famulatu, cæteris ſororibus ad menſam diſcumbentibus, clam intrauit chorum: ibique deliteſcens, vidit illam poſt ſingula loca, in quibus Monachæ ſtare ſolebant, exoſculata, coram altari Sanctiſſimæ matris Dei humi proſtratam, gratias agere more ſuo omnium creatori. Ei vero altari imminet Crux non exigua, expreſſam habens Crucifixi imaginem. Ibi ergo ſic proſtata, cum prolixius oraret, vti conſueuerat, Imago illa Crucifixi, à Cruce retracta manu, & brachio dextro, illi benedixit, dicens clara voce: exaudita eſt oratio tua: impetrabis ea, quæ petiiſti.* Ita in Actis. Author conſeruationem Sanctitatis Sanctimonialium Heduuigem petiiſſe ſibi perſuadet. Ego non dubito, hanc etiam poſtulaſſe, ſed & pro viro, filiis, & nepotibus, & Principatus pace, quicteque, atque id genus aliis fudiſſe preces, quas Chriſtus exaudierit, nequaquam poſſum in dubium reuocare. Hactenus de Heduvige, viuente viro, quam tres intra annos, ab ipſa diuidendum, ſuo tempore Annales declarabunt.

8. Hoc ipſo anno duo inſignes viri, ab hac migrarunt vita, deſiderium ſuis filiis relinquentes. Drogo nimirum Claræ-vallis Abbas, quem tertio Nonas Maij obiiſſe, Martyrologium prodit eiuſdem domus; ſuccedente Eurardo, ſiue Everhardo, in præfectura non diutius permanſuro. Quippe ante tres in ea annos expletos, locum daturum ſex menſium Inter-Regno, & tandem Magno Guillelmo Villarienſi, de quo nos ſupra, quem magni pro Eccleſia labores, atque inter ipſos, & carceris ſqualorem mors glorioſa, & illuſtris præſtolabatur; ſed de his ſuo loco.

9. In ſecundo minus certa ratio temporis, niſi quod tamen non longe diſtans creditur. Hugo is ex Decano, quondam Cameracenſi, dum fugit infulas, Valcellenſis Monachus, cuius ſuperius fecimus mentionem. Porrò de eius obitu glorioſo, Thomas Cantipratanus, qui tunc viuebat, hæc nobis pauca, ſed Annalibus his digna ſcripta reliquit. [h] *In huius morte Beatiſſima ex innumerabilium Angelorum præſentia, tanta dulcedo creditur reſultaſſe, vt omnibus, qui præſentes erant, ſingularis gratia videretur infundi.* Hæc tantum ille. Hugonem inter Sanctos Belgij memorat Arnaldus de Rayſſe ad vigeſimam nonam diem menſis Martij: dubium, an quia ea die obierit, an quia aliqua erat commemorandus? Eodem die Chryſoſtomus Henriquez in Menologio, vbi & Philippum Seguinum de eo loquentem refert: ſed qui dictis à Thoma Cantipratano, ex quo

10. hauſimus omnes nihil addat.

Hoc ipſo anno, cum Priores Sacri Conuentus (ſic Calatrauam vocant) ex Morimundo miſſi, vt pote moribus, linguaque diuerſi, male cum Caſtellanis, tum Militibus, tum etiam Capellanis conuenirent, indeque diſſenſiones, atque incommoda alia ſuborirentur; quos olim inſtituere ſolebant Abbates Sancti Petri prope Gumielem, deſiderati, vt omni cum inſtantia repoſcerentur, Sacram ipſam militiam ſolicitarunt. Itaque ipſa, Ferdinandum Regem, mox Ferdinandus, Pontificem Gregorium adiere, petentes, vt iterum ad Sancti Petri Abbates inſtitutio Priorum, atque Sacræ militiæ viſitatio remitteretur. Tum verò Pontifex petitione Regis audita, tales ad Guidonem Abbatem Morimundi, circa huius anni finem litteras dedit. [k] k *epiſt.* 305.

Dilecto filio Abbati Morimundi, Ciſtercienſis Ordinis Lingonenſis Diœceſis. 11.

Sua nobis chariſſimus in Chriſto filius noſter, Illuſtris Rex Caſtellæ, petitione monſtrauit, quod cum Militia Calatrauenſis, Ciſtercienſis Ordinis, Caſtra, quæ de manibus Sarracenorum, idem Rex eriperet, ſue commiſſa fidei cuſtodire, & ei ad defenſionem Chriſtianæ militare fidei teneatur, & ad ipſius, & preces eiuſdem militiæ, quæ tibi in Spiritualibus ſubeſſe dignoſcitur, Abbas Monaſterij Sancti Petri de Gomiel, tibi ſubditus, eiuſdem Ordinis, Oxomenſis Diœceſis, ſibi poteſtate conceſſa, vt ipſe aliquos Monachos ibidem inſtitueret, qui eamdem militiam informarent regularibus diſciplinis, à prædeceſſoribus tuis, perpetuo datus fuerit viſitator; tu Calatrauam accedens, dicto Abbati, qui terræ conditionem, & Ordinis conſuetudinem, bene nouit, ad ipſam militiam viſitaret more ſolito, præcepiſti; & fratres de illis partibus ibidem inſtitutos per eam, amouens alios ibidem, qui de aliena patria traxiſſe originem dignoſcuntur, ignaros conditionis terræ ipſius, & Ordinis, & ab eorum moribus penitus diſcordentes, pro tuæ inſtituiſti arbitrio voluntatis: quare inter eamdem militiam, & alios de nouo per te inſtitutos ibidem, cum nec moribus, nec vita conueniant, tanta ſcandali materia eſt exorta, quod dicta Militia in temporalibus omnino dilabitur, & dictus Rex debito ſibi ſeruitio defraudatur. Quo circa mandamus quatenus, ſi eſt ita, ſic ſuper præmiſſis ſtatuere, & ordinare procures, quod inter eos plena charitas, & ſyncera vigeat, & idem Rex debito ſibi, imò Chriſtianæ fidei, ſeruitio, non fraudetur. Alioquin Venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo Toletano; Segouienſi, & Conchenſi Epiſcopis, noſtris damus litteris in mandatis, vt accedentes ad locum, & habentes præ oculis ſolum Dominum ſuper hoc inquiſita & cognita veritate, ſuper ſtatuta eiuſdem Ordinis ſtatuant quod quieti, & ſaluti eiuſdem militiæ nouerint expedire. Datum Viterbij XIX. Kalendas Ianuarij anno IX.

Hanc epiſtolam nos, tum inter alias ad litte- 12.
ram tranſcriptas ex Vaticano, tum ſeorſim ex ipſo ad nos tranſmiſſam, & trium Notariorum ſignis probatam, habemus authenticam, quæ fidem vbicumque facere poſſit. Porrò ex ea id in primis licet colligere, ſacram Calatrauæ militiam, ex quo ſe gubernandam Ciſtercio reddidit, anno M. C. LXXXVII. numquam fuiſſe ſine Priore Monacho: quippe quinquaginta annis nondum exactis, quo tempore ſupereſſe adhuc poterant aliqui ex his, qui obedientiam admiſere, Abbas Sancti Petri, ipſo Rege aſſerente, perpetuò viſitator datus dicitur; neque aliter habuiſſe poteſtatem inſtituendi Monachos (Priorem nimirum, & ſub-Priorem) qui eamdem militiam informarent regularibus diſciplinis. Deinde noto, ne tunc quidem tentatum à Militia, ſiue à Ferdinando, Prioris Monachi iugum à ſe excutere; ſed Galli tantummodo, qui neque linguam, nec mores militum noſceret. Tertio, neque enim eligendum ab ipſo Rege, imo neque à Magiſtro, fratribuſve; ſed ab Abbate Cœnobij Sancti Petri, velut à delegato Morimundenſis; quo quid minus aut peti, aut dari potuit? Quarto neque hoc indultum à Pontifice, aut iniunctum Abbati; ſed ſolum, vt ſuper præmiſſis prouideret, quod tum ad pacem, tum ad obſequium Regis poſſet conducere. Quinto ne ipſo quidem non prouidente, mandatum aliis, id

id quod Rex petebat; sed ea tantum, quæ Abbati mandata essent. Et Demum sexto Rodericum Toletanum, nam adhuc superstes erat, collegasq; vel ipso retardante, mandatum exequi, nullatenus in causa præcessisse; tanta tum reuerentia exhibebatur Cistercienſi familiæ! sed expectasse, vt res prius in Capitulo, mox ab ipso Gregorio decideretur. Qualiter autem in Militiam Sacram & Regem, pro Abbate Morimundi decisa sit, anno sequenti, quo euenit, dicemus.

---

1. *In Capitulo celebrari iussum festum de Sancta Elisabetha.* 2. *Chronologia, & de Benifazano quædam,* 3. *tam de Regali; & de aliis subobscure.* 4. *Belli loci Regis, & Sancti Saluatoris de Monte acuto, alterius in bonis, in ædificiis alterius restauratio.* 5. *De Tifferdinge, in Treuirensi Diœcesi, Monasterio Virginum,* 7. *fundatio, dotatioque,* 8. *& de Valle Sancti Bernardi, ac de Rothemio, Cœnobiis Brabantinis.*

CAPVT NONVM.

1. IN Capitulo id vnum prouisum video, vt *Decimo Kalendas Decembris fiat commemoratio de Sancta Elisabetha (Lantgrauia Thuringiæ) per vniuersum ordinem* vt inde facile liceat coniectari, Sanctam fœminam, aut nostram professione, aut nostris coniunctissimam, quam venerandam non vnquam, cum potuerunt, dissimularunt. Quippe alios Sanctos etiam illustrissimos, Dominicum, Franciscum, aliosque post plures annos, nec nisi rogati, ne defunctorum suffragia diminuerent; Elisabetham, vt Bernardum, Robertum, Petrum, Guillelmumque, Thomam, & Malachiam, atque alios ex nostris, cum primum licuit, statim celebrarunt.

2. In Chronologia Abbatiæ quinque notantur, quæ Cistercio accessere, sequenti ordine.

Anno M. CC. XXXV. IV. Idus Ianuarij, fundata est Abbatia de Benifazano.

Eodem anno, Kalendis Augusti, Abbatia Belli loci, in Cypro.

Eodem anno, XII. Kalend. Octobris, Abbatia S. Nicolai

Eodem anno, Abbatia de Regali, in Insula Maiorica.

Eodem anno; Abbatia Sancti Sergij. Hæc Chronologia. Porrò de Benifazano, in Regno Valentiæ Monasterio, à Iacobo Rege fundato, superius dictum: neque modo quid habeo, quod superaddam. Extant in Regestis Nicolai Papæ tertij, & Nicolai Papæ quarti duæ epistolæ ad Abbatem Monasterij de Benifazano, Cistercienſis Ordinis, Dertusenſis Diœcesis, altera data Romæ apud Sanctum Petrum XII. Kalendas Iulij, Pontificatus prioris anno secundo: altera Reati, pridie Idus Septembris, eodem anno posterioris Pontificatus, vtraque pro transferenda sede Episcopali, à Carthagine, ad Murciam, ob pericula maris, hostiumque, quæ quotidie imminebant Carthaginenſibus.

3. De Belloloco in Cypro vix quid inuenio, nisi quod tamen in Nicosienſi Diœceſi, vere ne, an corrupte, non ausim dicere, filia Bellimontis, de linea Morimundi memoratur. Neque plus aliquid de Sancto Nicolao, quam tamen Abbatiam in Græcia sitam, ex aliquibus indiciis coniici datur. Iongelinus non in Græcia, sed in Sardinia, & Turritana Diœceſi, Sancti Nicolai Abbatiam per Monachos ex Padulione missos, fundatam tradit. [a] Notior ergo Abbatia de Regali, filia Populeti, de qua Bernardinus Gomezius hæc habet verba. [b] *Nunius (proles, iis Regia, & qui de multis, opimisque ditionibus, cum Iacobo Aragonenſi decertabat.) Nunius, inquam, apud Balearium maiorem, cuius expugnationi præerat, Vrbano in agro, optimo, amœnissimoque totius Insulæ loco, Cœnobium grande, amplissimo cum templo exædificauit, illudque prædiis, & magnis censibus ornauit, atque Beatissimæ Virgini dicatum, Ordini Cistercienſium addixit. quod Regiam (vulgò la Real) nuncupauit; nec immerito. Nam cum Regia stirpe Nunnius esset ortus, suisque præclarissimis, ac commemorandis factis, Regio quoque dignus esset diademate, quamcumque ipsa ædem, extrueret quid ni Regiam, siue Basilicam nuncupare poterat?* Hactenus ille. De Sancto Sergio id solum, quod dicam, habeo, quod numeratur inter filias Firmitatis in Patriarchatu Antiocheno. Porro in Regestis Vrbani Papæ Quarti inuenitur epistola ordine LVI. ad Abbatem, & Conuentum Monasterij Sancti Sergij, Cistercienſis Ordinis, Biblienſis Diœceſis, Biblienſis inquam, quæ sedis Episcopalis est, sub Metropolitano Tyrenſi, in Patriarchatu Antiocheno, vt in Geographia Miræi notatum video.

b de gestis Iacobi lib. 10

4. Hoc item anno priusquam accedam, ad Cœnobia Sanctimonialium, inueni etiam in Regestis Gregorij noni, litteras ad Abbatem, & conuentum Belliloci Regis in Anglia, aliasque ad Abbatem, & Conuentum Sancti Saluatoris de Monteacuto, illas confirmatorias donationis, quam Rex Angliæ Henricus, atque Comes Cornubiæ, frater eius, Monasterio feciſſent, eo quod *Hostilis temporis ingruente malitia, in personis, & rebus non modicum defectum passum esset. Datum Perusij tertio Kalendas Aprilis, Pontificatus anno nono.* Has, hortatorias, ad omnes Christi fideles, indulgentiis suppositis. *Vt cum Ecclesia, domus, & officinæ illius Monasterij, quod nuper ad Cistercium accessisset, præ nimia vetustate, ruinæ proxima essent, neque ad eorum reparationem illius suppeterent facultates: cum Monachi, vel eorum nuncij ad eos accederent eleemosynas petituri, grata eis irrogarent charitatis subsidia, de sua abundantia, Monachorum inopiæ subuenturi. Datis item Perusij, die sequenti.* Porrò ex his litteris, quæ incrementa acceperit supra dictum Cœnobium, qualiterque non solum reparatum; sed aliud etiam de nouo pro Monialibus in Vrbe Perusina constructum sit? & qualiter ad hæc Deus nobiles viros, etiam coniugatos, atque eorum vxores volentes traxerit? sequenti anno, ne

a *lib. 7.*

ne rem anticipemus, ex aliis litteris à nobis dicendum erit.

Quod attinet ad Cœnobia Sanctimonialium, duo hoc anno surrexisse, vel forte tria, nec plura video: alterum in Treuirensi Diœcesi, cuius tum fundationis, tum dotationis instrumentum Chrysostomus Henriquez adducit in suis liliis. [c] Sic autem habet.

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. Ego Alexander de Solubrio, omnibus in perpetuum. Quam breuis est vita hominum super terram, qui post egressum ab hac vita nihil secum reportat præter peccata, æterno incendio punienda, vel bonorum operum mercede interminabili remuneranda; fidelis quilibet dum suæ potestatis est, habens velle, & nolle, præcipuum aliquid operari debet, inspirante Domino inchoandum, & eodem adiuuante fœliciter consumandum, cuius suffragio speciali, ascribi valeat numero electorum. Notum igitur, esse volo tam præsentibus, quam futuris, quod ego de ascensu venerabilis Patris Theodorici, Treuirorum Archiepiscopi, loci Diœcesani, in quadam parte alodij mei, in loco videlicet, qui vulgariter dicitur Fons Beatæ Mariæ, sito apud Tifferdingen, villam meam, nuper fabricatam in honore Beatæ Virginis Mariæ, dedicandam nouella plantatione Sanctimonialium Ordinis Cistercienſis ibidem collocata, eiusdem loci promotioni pro viribus meis cupiens prouidere, ipsi liberaliter diuinæ remunerationis intuitu de assensu vxoris meæ Hadeuidis, de rebus à Deo mihi collatis, quæ scripta sunt, contuli, ab eodem iure proprietatis in perpetuum sine contradictione qualibet possidenda.

6. *Locum videlicet dictæ fabricæ, & ambitus ipsius. Item curiam, & bona tam in agris, quam in syluis apud Hosternbon, ad meam proprietatem pertinentia, iuxta limitationem ibidem iam factam; pro quorum emptione, Domino Iacobo de Ciuis, à quo ea prius feudali iure emeram, & Dominæ Comitissæ de Lucelbourg, à qua idem Iacobus eadem bona, eodem iure habuerat alodium meum in Euengem assignaui. Item molendinum, & viuarium in Tiffendiguen, ad meam pertinens proprietatem; ita tamen, vt viuario vti valeam, quoad viuo. Item carratam boni vini singulis annis, persoluendam in Autumno de redditibus in Reile, ad meam proprietatem pertinentibus, à me ipso, vel à quocumque hæredum, vel quouis alio mihi in eodem alodio succedente. Item molendinum meum in Tunthigen cum prato de Holdingen cum aliis proprietatibus attinentibus eidem molendino. Item duos mansos in Redinguen meæ aduocatiæ, quorum proprietatem à D. Godefrido de Pepingen, & Philippo de Monte Sancti Martini militibus comparaui, loco contuli memorato, iuri aduocatiæ, quod in eisdem habui, penitus renunciando.*

Item loco supradicto concessi, vt in syluis meis, vbicumque sitis, ligna secent ad ædificia, sine vsibus aliis, quibuscumque necessaria; & quod tam pratis meis, quam terra mea quacumque vtantur libere ad suorum animalium nutrimenta. Hæc verò, quæ prædicta sunt bona, loco præfato contuli in præsenti, & in perpetuum possidenda, quæ autem subscripta sunt, contuli eidem loco possidenda post mortem meam, si ea egestate compulsus ante mortem meam non vendidero, & ab hoc sæculo migrauero, sine prole, videlicet familiam meam, mihi seruili conditione annexam in Zelubrio, & in Par. Item omnia bona mea, ad meam proprietatem, sine alodium pertinentia, tam in Visbach, quam in Reile, & de Opignem, quæ specialiter emi à Canonicis Treuirensibus Sancti Paulini. Ne autem hæc donatio ab aliquo hæredum, vel successorum meorum aut quouis alio ausu temerario impugnari valeat, vel infringi, præsens scriptum meum confectum loco tradidi memorato, Venerabilis Patris præfati Theodorici, Treuirorum Archiepiscopi, & Treuirensis Ecclesiæ, necnon & mei sigilli munimine roboratum: Actum anno Domini M. CC. XXXV. mense Maio. 7. Hactenus instrumentum, nec nos alibi plura de hoc Cœnobio.

8. Aubertus Miræus in Chronico Cistercienſi, duo alia Cœnobia Virginum memorat: In Agro Distemienſi, in Ducatu Brabantiæ, sed quorum altero cœpto circa hunc annum, alterius initia penitus obsoluerint. *Vallis, inquit,* [d] *Sancti Bernardi, & Rothemium, Virginum Cœnobia, in agro Distemienſi apud Brabantos sita sunt. Prius quidem, anno M. CC. XXXV. ab Arnaldo Distemij Toparcha fundatum; Gregorio IX. Pontifice Maximo, & Henrico Duce nostro approbatoribus. Alterum à tenuibus, vt fit initiis, paulatim creuit, & vix conditorem suum nouit.* Hæc tantum ille. Crederem, hoc esse Monasterium illud Vallis Sancti Bernardi, cuius Ioannes Germanus in sua Gallo Brabantia meminit ad hunc annum fundatum, nisi tum sexus, tum etiam fundator aliud detegerent. Quippe illud non fœmineum sed virile; neque ab Arnaldo, sed ab Ægidio Berthout constructum dicitur: esseque idem, quod post annos decem, secundus eius Abbas Gosuinus (nam primus ex Villario missus ab Abbate Guillelmo, Laurentius fuit) ad Scaldim fluuium transtulit. Verum huius initia in Chronologia postponuntur biennio; in Chronico Villariensi, vsque ad annum sequentem M. CC. XXXVI. quare nos aliis tradenda reseruamus.

d *ad hunc ann.*

ANNVS CHRISTI M. CC. XXXVI. — ANNVS CISTERCII C. XXXIX.

1. *Vltimus annus nobis scribendus*, 2. *primitiua Bernardi tempora refert.* 3. *Conuersionem multorum coniugatorum*, 4. *Et prouiso Cœnobio pro coniugibus, filiabusque*; 5. *ad quas Gregorius scribit.* 6. *Notanda in litteris*; 7. *& collata incrementa Montisacuti primitiuo Cistercio: imo & in aliquo etiam ante lata*; 9. *quamuis prælatio in dubio relinquatur.* 10. *Fauores Christi*; 11. *& dictum de quodam Monacho, qui puerum Iesum in niue reperit.* 12. *Ratio temporis vtcumque demonstrata:* 13. *& visio alia ostensa de Beata Virgine.*

CAPVT PRIMVM.

1. HIc tandem annus, ab ortu Redemptoris milleſimus, ducenteſimus, trigeſimus ſextus, qui fuit Ciſtercio, ſupra centeſimum, nonus, & trigeſimus, huic Tomo finem, & labori noſtro imponet: ſiue oneri cedamus, ſiue ætati; ſiue impotentibus ad exitum perducere Ciſtercienſes Annales, id occurrerit; vt continuator, ſi quis fortaſſe fuerit, non ſolum ſteriles, deficienteſque Ciſtercij campos, laxamentorum arenis velut oppreſſos, & lachrymandis commendarum ſcopulis obſitos; ſed vberem vernantium florum materiam, opimos fructus pinguem adhuc glebam; & titulos inueniat glorioſos, in quibus ſpacietur: non niſi ſummo Cœlo peragrato, (vt vtramque metaphoram complectar) ad tanti ſolis occaſum peruenturus. Suppetit tribus aliis, vt minus, Tomis, geſtorum ſuppellex, quæ vel ortam familiam circa hunc annum, illuſtrem ſatis redderet; neque præ aliis celerius declinaſſe, portione ſeruata, non obſcuris indiciis comprobaret. Itaque à nobis, quæ ætatem anteuertere, ſi ita fari licet, his quatuor Tomis: ætatem integram cum ingenti gloria exactam, nempe à ſummis incipiens, quicumque proſequetur, referabit.

2. Laxauerat de Theſauris Eccleſiæ Gregorius Papa remiſſiones peccaminum his, qui ad reparationem Monaſterij Sancti Saluatoris de Monte acuto Diœceſis Peruſinæ, eleemoſynas, ſubſidiave erogarent; id quod ſub anni præcedentis initium factum, capite vltimo nos etiam adnotauimus. Porro hæ literæ lectæ per Eccleſias, ad frequentandum locum, Peruſij ciues; exempla Monachorum in loco viſa, atque mutatio dexteræ exceſſi repente facta, ex quo Ciſtercium illuc ſubintrauerat; dum in admirationem, omnes; ad deuotionem, plurimos; ad imitationem, non paucos prouocabant; Bernardi tempora innouata ante triennium, ſeu reſtitura mauis, in S. Pantaleonis, antiqui Monaſterij, reformatione, maiori adhuc compendio continuarunt. Quippe non ſolum fuere ex illis multis, & diuites, & nobiles, qui non de ſuis tantum, ſed ſua omnia, & quod maius eſt longè, ſe ipſos darent, in ea vita perpetuo permanſuros: ſed & Bernardi, ſociorumque exemplo, vxores, & filias, vt Ciſtercio adhærerent, abdicabant. Prouiſo interim (quod & Bernardum, & ſocios feciſſe diximus) Monaſterio fundando de propriis bonis, in quo & ipſæ, ſub correctione Abbatis Montisacuti, eamdem vitæ normam profiterentur. Itaque: reparandæ antiquæ fabricæ, ſufficientem pecuniam; poſſeſſiones, dotando nouo Cœnobio, pro Religioſis fœminis; & ſe in Monachos; vxores, filiaſque in Sanctimoniales, admirando exemplo, & poſt Bernardum patrem, Petrumque (nam is etiam præceſſit) conſecrarunt. Extat de his epiſtola Gregorij, ad Archipresbyterum, & Priorem fratrum Prædicatorum, Peruſinæ Vrbis, initio anni data, cuius hic tenor. [a]

a dist. 361. 3.

Archipresbytero, & Priori fratrum Prædicatorum Peruſinenſium.

Cum dilecti filij Odenſius, Aldobrandinus, Offreduvius, & quidam alij Ciues Peruſini, diuinitus inſpirati, elegerint in Monaſterio S. Saluatoris de Monteacuto, Ciſtercienſis Ordinis, quod ad nos nullo pertinet mediante, ſub regulari habitu Domino famulari; promittentes dare tot poſſeſſiones Monaſterio, nouiter conſtruendo Peruſij, ad opus vxorum, filiarum, & conſanguinearum ſuarum, ac aliarum mulierum, quæ ſimiliter elegerunt relinquere ſæculi vanitates, quod eædem, & quæ ipſis ſucceſſerint ducentos corbes frumenti, & trecentas ſauinas vini ex ipſis, ſine expenſis, percipiant annuatim: & tot redditus in pecunia, quod ad opus cuiuſlibet illarum, quæ ingreſſa fuerit nunc in principio locum illum, tres libras Monaſterium ipſum ſingulis annis pro indumentorum prouiſione percipiat. Diſcretioni veſtræ præſentium authoritate mandamus, quatenus ea vobis faciatis pro ipſo Monaſterio aſſignari; & de Conſilio bonorum virorum eadem recipere procuretis: reſcripturi nobis fideliter, quod fuerit inde factum. Datum Viterbij, VI. Kalendas Februarij, Pontificatus noſtri anno IX.

Electus erat locus prope Peruſium conſtruendo Cœnobio, Virgini matri ab olim nuncupatus; dubium an ex Eccleſia in eo exiſtente, an aliam ob cauſam? Illud compertum, coniugatas fœminas, indignas ſe cenſentes Virgineo nomine, vt Mariam ad Deum, ita ad Mariam voluiſſe interuentricem, quæ vſum matrimonij non ignoraret: atque ob hoc elegiſſe Eliſabetham: antiquam forte matrem præcurſoris, an recentem Langrauiam? Alteram, vt in Cœlis potentiorem; alteram, vt Ciſtercio familiarem; coniugatam vtramque, matremque; quarum veſtigia ſequi, cum iam Mariæ non poſſent, concederetur. Hunc verò locum, quo vndequaque Sanctior, & firmior eſſet, obtrudere Gregorio, Eccleſiæque, ab ipſis ſacratiorem reſtituendum. Extant & eiuſdem Gregorij ad ipſas litteræ eadem die datæ, commendantes conſtantiam matronarum; congratulanteſque,

non

non illis tantum, de nouo vitæ genere ; sed sibi, quod sub eius Pontificatu, in fœminis illustribus iterum Christus de mundo triumpharet. Exemplar porrò earumdem litterarum, ex Regestis fideliter transcriptum, hæc habet verba. b

b Ep. 377. 5.

Riueriæ Aldrouandinæ, Montisanæ, & aliis nobilibus mulieribus Perusinis, in Ordine Cistercienſis seruire Domino cupientibus.

Inter cætera beneficia, quæ nobis, licet indignis, ex abundantia pietatis suæ dignatur impendere misericordia Redemptoris, illud quasi potissimum reputamus si temporibus nostris ad diuini nominis gloriam, & humanæ salutis augmentum, religio propagetur, cum & plantare sacram religionem, & fouere plantatam ad nos ex officij nostri debito, non sit dubium pertinere. Quia vero Spiritus, qui vbi vult spirat, vobis sicut accepimus misericorditer inspirauit, vt vos ipsas propter Dominum abnegantes & vestra vanitatibus sæculi derelictis, sub regulari habitu in Ordine Cistercienſi velitis Domino deseruire, nobis humiliter supplicastis, vt constituendi Monasterium propè ciuitatem Perusij, in loco qui dicitur Sancta Maria, ad honorem Sanctæ Elisabethæ, quem nobis Ecclesiæ Romanæ nomine, à vobis gratis oblatum recepimus, & in quo sub eisdem habitu, & ordine perpetuis, Creatori vestro, possitis temporibus famulari, licentiam vobis concedere dignaremur. Nos igitur pium propositum vestrum dignis in Domino laudibus commendantes, ac prosequentes actionibus gratiarum, vestris supplicationibus inclinati, authoritate præsentium, vobis concedimus postulata. Nulli ergo, &c. Datum Viterbij VI. Kalendas Februarij anno IX. Hactenus ad Matronas Gregorius Nonus.

Porrò in his litteris, præter rarum illud exemplum separationis coniugum, neque horum, aut illorum, sed plurium numero, qui omnes æque Cistercio subderent colla, plura alia inuenio notatu digna. Primum est, quod condendo Monasterio, in quo Deo per vota consecrarentur, locum Pontifici ante vota donant; recipiendum ab ipso, si dare vellet : alias neque illum proprium habituræ ; siue, quam dudum vouendam concepissent, anteuertere paupertatem, siue extendere placuit : vt non solum ex tunc pauperes essent ; sed ne vbi essent haberent, nisi acciperent. Secundum est, quod præstarent hoc obsequium, non relictæ à sæculo, id est, senes, steriles, seu pauperes ; quando fugere magis, quod satis frequens, quam deserere mundum videri possent; sed abundantes fortunæ, & naturæ bonis, quibus frui liceret: vt non sæculum tantum reliquisse, sed vanitates sæculi, ideſt bona omnia, vana, caduca-que, Gregorius Papa potuerit affirmare, & tertium tandem, quod Gregorius ipse, non ex fallaci aliorum relatione, in litteris loquatur ; sed à seipso: quippe qui toto fere anno immediato, atque alios ante ipsum Perusij egerat ; primores viros eiusdem ciuitatis, atque eorum vxores, vix vllo pacto potuit ignorare.

Itaque reuocari visa Bernardi tempora ; & Monsacutus, Cistercium antiquum reddere, penuria omnium laborans; Montisacuti Abbas; Abbatem Stephanum, mendicare coactum; Bernardum, socioſque; nobiles illi, qui vtramque inopiam Cœnobij subleuarunt : demum Iuleium, vxoribus constructum, sororibus, & filiabus; nouum Cœnobium, quod hi etiam eisdem construxere, sub Sanctæ Elisabethæ aduocatione. Fuit tamen aliquid, in quo recentia ista, antiqua illa excederent ; tanta abundantia Virginum Sanctarum, aliarumque currentium in odorem vnguentorum cœlestis sponsi, vt non capiente tot habitatices primo illo Monasterio, secundum intra paucos menses fuerit prouidendum ; tanta item copia bonorum temporalium Montisacuti, vt eidem struendo, locum; & sustentando, redditus ex loco, sine sui detrimento dare potuerit; pietate non profusa, sed liberali. Constat hoc idem ex aliis Gregorij litteris, ad quasdam alias fœminas, expeditis hoc anno mense Iunio, quarum exemplar, hic etiam placet subiicere, sic autem habent. c

c epist. 92. 8.

Peræ Transmadæ, Floræ de Lambre, Palmeræ Aldrouandinæ, Boiomandæ Gisæ, Peræ de Bellofonte, Alloritæ Andiuenæ, & matrieius, mulieribus Perusinis.

Gaudemus in Domino, à quo bona cuncta procedunt, quod eo misericorditer inspirante, vos contemnentes sæculi vanitates sub Religionis habitu elegistis Domino famulari: Cum igitur dilecti filij Abbas, & Conuentus Monasterij Sancti Saluatoris de Monteacuto, Cistercienſis Ordinis, quod ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, Ecclesiam Sanctæ Iulianæ, ad ipsos pleno iure spectantem, ad construendum ibi Cœnobium eiusdem Ordinis, in quo sub eorum regimine tam in spiritualibus, quam temporalibus Deo seruire possitis, liberaliter vobis duxerint, de nostra licentia, concedendam, nos vestris precibus inclinati, quod ab eis super hoc prouide factum est, gratum, & ratum habentes, illud authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, &c. Datum Interamnæ, IV. Nonas Iunij, anno X. Ita Gregorius.

Scio, has litteras, quasi ad priores scriptas haberi posse, quæ primo loco, quia incommodo, relicto, ad secundum transierint, quem ab Abbate, & Conuentu Sancti Saluatoris impetrauerint. Cœterum non easdem, sed diuersas, multa suadent. Primum quidem, quod nomina diuersa; & ne vnum quidem ex his, quæ in priori, in posteriori epistola exprimatur. Secundum quod Gregorius congratuletur, de conuersione, fœminis, quasi tunc recens à Deo vocatæ fuerint ; quod ad Priores scribere non potuit, maxime cum iam illis sex ante menses congratulatus fuerit, cum ipsæ tunc recenter conuersæ essent. Et tandem, quod nulla in hac secunda epistola, prioris fiat mentio ; sed neque translationis, à primo loco; sed omnia, velut tunc primum inceptum commemorentur. Sed hæc ego Perusinis relinquo ciuibus, qui indagare cõmodius, & noscere penitius facile possunt. Nobis in longinquo positis, id satis, quod ex epistolis Gregorij, neque enim alium habuimus authorem licet colligere, vtcumque fuerit, à tantis conuersionibus, fœlix auspicium sumpsit initium anni, à quibus vel Cistercium potuisset sumere.

Cæterum his conuersionibus fidelium confugientium turmatim ad Cistercium, quasi ad asylum, cœlestes irrogati nostris fauores visebantur accedere ; neque hi minus primitiui Cistercij glorias, aut referebant, aut forte superabant. Certe, vt rerum ipsarum magnitudine, ita ignorantia eorum, quibus concedebantur, sæculum illud fœlix, atque ferax Sanctorum repræsentabant. Quippe vt ex hac, frequentia, & multitudo, (haud aliter occultandis viris, qui talia meruissent) ita merita, ex illa palam fiunt, quibus ea respondebant munera gratia. Puer Ieſus inuentus

in

in media niue algens simul, & eiulans;ac se amplexandum,fouendumq;permittens cuidam Monacho Sancto(cuius heu!nomen intercidit)diuinæ erga Cistercium charitatis, & gratiæ se prodentis vel in hac vita,nec leue,nec vulgare indicium fuit.Rem à venerabili, & verè Beato viro Thoma Cantipratano,eius sæculi authore,& qui se Monachum assequutum ait, quamuis an illum viderit? subdubiter, integra fide memoriæ commendatam,non aliis,quam ipsius verbis,promere libet. Is ergo in libro de bono vniuersali hæc habet verba. [d]

lib.2.cap.1. part. 23. 11.

Vtrum viderim,dubito, Monachum Cisterciensis Ordinis,virum pietate plenum de quo tale miraculũ ferebatur: Algore niuium terra Brabantiæ respersa per totum Monachus prædictus in itinere existens, præmisso in villam famulo solus in campis per deuia veniebat. Et ecce inuenit puerum elegantissimæ formæ,quasi triennem,magno fletu, & eiulatu,solum in niuis frigore residentem.Compassus igitur tali puero, equo descendit:& complexus flentem flere cœpit cum eo vt quarere, quid haberet? Tacente autem puero, iterum ingeminat,& ingemiscit,quærens, vbi est mater tua? Nunquid perdidisti matrem? Ad interrogationes igitur illius,puer fortius eiulans, tandem dixit: Heu me! heu me! quare non flerem:quare non eiularem? Ecce vides, quod egens solus & in frigore sedeo;& non est, qui colligat me, & hospitium mihi præstet. Mox Monachus surgens & puerum in brachiis eleuans osculatus est eum dicens: cessa flere dilectissime,quia ad hospitium portabo te,& faciã enutriri Hoc dicens cum puero equum ascendere voluit; sed puer de brachio tenentis exiliens, repente disparuit,quia Christus filius Virginis fuit. In terram igitur cadens Monachus,eiulare, & flere cœpit acerrime,& cum diu sic eiulans iacuisset, tandem quæsitus à seruo,inuentus est,& eleuatus in equo ad hospitium ducitur. A quo,cum quæreretur,cur fleret?nihil aliud vna nocte dicere potuit: Heu me! heu me! puer bone, puer pulcherrime,quare me dereliquisti?cur tam cito abiisti?cur te perdidisti? Post hac Monachus consolationem recipiens, cuidam rei euentum retulit, qui illis,per quos sciui, tantæ rei miraculum patefecit. Hactenus ille.

12. Porro quod ad rationem temporis attinet,quę nobis semper fixa,concernere hoc ipsum plus minusve, inde facile licet coniectari, quod Cantipratanus, ad vltimam senectam nondum perueniens,nihilominus protraxisse vitam dicitur, vsque ad annum Christi M. CC. LXXX. scripsisse autem libros miraculorum, siue de apibus, aut bono vniuersali, circa annum M. CC. LXXI. quod ipse ait lib.7.c.29. part.22. cum autem loquatur de hoc glorioso euentu, & Monacho,cui contigit tamquam de homine quem vidisse potuit,quamuis non recordetur, vtrum viderit; argumento est,non longe ab his temporibus, quæ obitum eius annos XLIV. narrationem XXXV. anteceſſere. Eadem ipsa concernere videtur (vt fauores,fauoribus respondeant, & matris æque, ac filij conuincant gratiam Cistercio adulto exhibitam)celebris illa visio,quæ in Normania insignem virum:sed heu!etiam ignotum, ad ordinem traxisse memoratur, Quippe in additis ad exordium magnum scripta,neq; vt olim,sed tunc recens ostensa,non potuit ab hoc anno longe distare.Eam re vera nostris honorificam, si tamen iidem,vt debuissent,perseueraſſent;retrocedentibus,in confusionẽ simul, & in aculeũ,vt ad priora redeant, ipsis authoris verbis pro more dabo.

13. *In partibus Nortmaniæ erat quidam Decanus magnæ opinionis, cui talis visio oranti fuit ostensa. Videbat,quod Dominus noster Iesus Christus ad iudicandum mundum sederet: cumque idem Decanus illuc cum cæteris properaret,vidit Dominum nostrum in trono suo sedentem,& Beatam Virginem matrem iuxta eum & omnes Sanctos circum quaque sedentes. Cumque ad iussionem Domini,singuli homines compellerentur intrare, dignam pro factis mercedem recepturi;ventum est ad Cistercienses,quibus coram iudice,cum magna reuerentia, & humilitate intrantibus,Beata Virgo tamquam familiaribus, & amicis suis,statim læto vultu,assurrexit, & benignissime eos suscepit,causasque singulorum, coram filio suo perorauit. Quod Sancti omnes cernentes, illico pro reuerentia Dominæ suæ,cum illa pariter surrexerunt: & Cisterciensibus, cum tenore maximo auxilium impendere studuerunt. Et quia tantum honorem, & reuerentiam eis omnes exhiberent, cœpit Decanus ille Cistercienses super omnes Beatos reputare,quod Dei matrem, & per eam omnes Sanctos in causis suis aduocatos habere, & intercessores apud summum iudicem mererentur. Tum vero tandem, visione disparente,ad se reuersus, cœpit ea,quæ viderat, mente reuoluere:& non multo post, relictis omnibus, in Monasterio Sabigniacensi,si bene recolo,habitum suscepit* Hactenus visio,& fructus visionis in vidente sequutus, qui vtinam ad omnes nos pertranseat Certè hac, & alia, quæ iidem, aliique authores scribunt,satis ostendunt secundam hanc.

---

1. *Beatæ Elisabethæ Lantgrauiæ ossa leuata,2.ingenti Principum, populorumque concursu: 3.atque aliæ eiusdem festi circumstantiæ 4. Actum de Canonizatione Beati Ioannis de Monte mirabili,5 & expeditæ litteræ,6. Parisiensi Episcopo, & Abbati S. Victoris commissa per Gregorium inquisitione. 7. Ac comprobata miracula,8.etiam in non petentes.9. Dictum de Sancta Luthgarde Aquiriana,cui Beatus Iordanus apparens in magna gloria, 10.orationes pro filiis suis iniungit;* 11. *atque obiter perpensa eius petitio.*

CAPVT SECVNDVM.

1. EVIT hic annus nostris gloriosus duplici titulo, vtroque ex Sacro Canone; altero, celebrata solemni ritu adscriptione ad Catalogum Sanctorum Elisabethæ,præcedenti anno facta,quam ibi dedimus;altero, expeditis Gregorij litteris pro inquirendis miraculis,& meritis, Illustris quondam Comitis, & Monachi, Ioannis Montismirabilis, vt & ipse consuetis ceremoniis solemnitatibusque, Catalogo eidem adscriberetur. Et quidem quod ad Elisabetham attinet, non solum celebratum illius festum, sed & ossa leuata, atque aureæ tumbæ religiosæ inclusa,authores produnt; tanto concursu Populi, & Principum, quantus vix vnquam in Germania visus: certante pene cum Sanctæ fœminæ gloria, largitate fidelium;illa in miraculis, quæ plurima patrauit;hac in donariis,quę larga manu obtulit, eiusdem Sanctæ cultui seruituris.

Ioannes

Ioannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi hæc ita scribit [a].

a Ad hunc annum.

2. *Anno Ernesti Abbatis quinti, qui fuit Dominicæ Natiuitatis M. CC. XXXVI. in die Kalendarum Maij, Sancta Elisabeth, in Marpurg, per Archiepiscopum Moguntinum, & Treuirensem, & Episcopum Hildesheimensem commissarios Apostolicos, de Tumba subterranea leuata est in præsentia Friderici Imperatoris, & multorum Principum, Episcoporum, Abbatum, Comitum, Prælatorum, nobilium, & ignobilium, quorum omnium numerus ad duodecies centena millia fuerat æstimatus. Ibi facta sunt coram omni populo infinita miracula ad Sancti nominis eius inuocationem. Imperator primum lapidem de Sarcophago leuauit, & productam ex thesauris suis coronam auream, sacro capiti Sanctæ viduæ reuerenter imposuit. Corpus autem eius ad Tumbam auream reconditum est, quia per Gregorium Papam Nonum canonizata est.* Scilicet anno præcedenti ita Trithemius.

3. Continuatur Lamberti Scaphnaburgensis, cum Moguntino, non Treuirensem, & Hildesheimensem, sed Colonien sem, & Bremensem Archiepiscopos celebrasse translationem, memoriæ prodit [b], subditque. *Ex sacris ipsis ossibus, euidentissime oleum desudasse.* Quod cunctis mox ægrotis subsidio fuit. Albertus Kranthzius, oblationum meminit, certantium cum miraculis, sic scribens [c]. *Beata Elisabeth in Marpurg extollitur, præsente Imperatore, & multis Principibus, anno M. CC. XXXVI. tanta ibi erat hominum multitudo, quantam se nemo vnquam meminerat vna conspexisse. Oblatio auri, & argenti sine fine, pro miraculis, quæ crescebant circa Dominam illam.* Adfuisse & huic solemni festiuitati, Henricum Lantgrauium, cum Fratre suo Conrado, atque matre Sophia, Sanctæ affines; & charissimos filios, Hermanum, Sophiamque, Historia Lantgrauiorum Thuringiæ testificatur [d]. Atque hæc de eleuatis ossibus Sanctissimæ matronæ, concursu celebri, & totius Germaniæ acclamatione.

b Hic anno.

c lib. 7. Metropoli c. 48.

d In Henrico cap. 47.

4. At pro instituendo Beati Ioannis Festo, cum ipsius non minus crebra miracula, & populus Christianus, maximè autem Galliæ, illud exposceret, has Gregorius, ad Episcopum Parisiensem, & Abbatem Sancti Victoris eiusdem vrbis, eodem mense Maio, litteras dedit [e].

e Reg. 93.

5. *Episcopo, & Abbati S. Victoris Parisiensibus.*

Mirabilis Deus in Sanctis suis, vt suæ virtutis potentiam mirabiliter manifestet, & salutis nostræ causam misericorditer operetur fideles suos, quos semper coronat in cœlo, in mundo etiam frequenter honorat, & ad eorum memorias signa facit, & prodigia; per quæ prauitas confundatur hæretica, & fides Catholica confirmetur. Nos ergo quantas possumus, & si non quantas debemus, omnipotenti Deo gratiarum referimus actiones, quod in diebus nostris, ad confirmationem Catholicæ fidei, & confusionem hæreticæ prauitatis, euidenter innouat signa, & mirabilia potenter immutat faciens illos coruscare miraculis, qui fidem Catholicam tam corde, quam ore, necnon & opere tenuerunt.

6. *Sicut enim dilectus filius Abbas, & Monasterium Longi-pontis, Cistercien sis Ordinis, Suessionensis Diœcesis, suis nobis litteris intimarunt, Dominus tantam piæ memoriæ Fratri Ioanni de Monte mirabili Monacho eiusdem Monasterij contulit gloriam, quod sepulchrum eius tot, & tantis dat coruscare miraculis, vt inter alios Sanctos eius non inuocari suffragia, indignum penitus videatur. Quare nobis humiliter supplicarunt, vt super miraculis, quæ per eum Dominus operatur, testimonia recipi faceremus. Verum quia in tam Sancto negotio non est nisi maturitate, & grauitate prævia procedendum, de circumspectione vestra plenam in Domino fidem obtinentes, discretioni vestræ per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus ascitis vobis Viris religiosis, & Deum timentibus, de virtute morum, & veritate signorum, operibus videlicet, & miraculis, diligentissimè inquirentes, depositiones testium receptorum tandiu sub sigillis vestris inclusas fideliter conservetis, quousque super hoc nostræ receperitis beneplacitum voluntatis. Datum Interamnæ quarto Kalendas Iunij, anno decimo.* Hæc primæ litteræ datæ de hoc negotio: nam quæ aliæ sequutæ, suo tempore dandas reseruamus.

7. Extat, & legitur processus miraculorum Beati Ioannis, in quo centum & amplius comprobantur, surdis, mutis, & cæcis, contractisque, auditus, lingua, visus, atque suorum membrorum vsus redditus, cum primum implorarent auxilium Sancti maximè autem laborantibus quartana febri, si ad ipsum confugerent, desideratam salutem donare solitum, longa multorum experientia demonstrauit. Quare & pro his febribus, frequentius inuocatus, frequentiorem tulisse miseris opem, ac præsentiorem virtutem, memorabatur. Non tamen ideo ab aliis beneficiis conferendis cessabat, qui qualecumque obsequium sibi exhibitum, etiam à non petentibus, præstita sanitate, si fortè opus habebant, remunerabat. Referam vnum tantum, quia iucundum, nec distans ab hoc tempore miraculum, quod ad illius tumbam patratum lego, dum in inquisitione, de mandato Gregorij, per eius delegatos procederetur [f].

f Hb. 3. c. 20.

8. *Per idem tempus, infantulus quidam ad tumbam Dei famuli pergebat, accensam candelam in manu deferens, ad honorem Sancti ibi eam oblaturus; sed locum minimè reperit, vbi eam collocare posset. Quo, quid ageret, ignorante; superuenit ibi Monachus quidam Sacerdos, qui puerulum intuens, compassus est ei, voluntatemque concepit, vt eidem ferret subsidium, quo ab ipso occupationem, afflictionemque, quam multum augebatur, amoueret. Sub quo, casu prospiciens, vidit non longè à loco formosum baculum; quo arrepto, prout potuit, & quale potuit candelabrum de ipso facere procurauit. In quo & Dei famulo Ioanni seruiuit, & à sollicitudine sua puerum liberauit. Sanctus vero laboris sui fructu eum priuare noluit; nam sine mora, eodem loco, operis sui remunerationem suscepit. Siquidem longo tempore in humero suo dolorem anxium perpessus fuerat, ita quod de brachio partis illius vix quippiam poterat operari, nec etiam sine difficultate magna, ipsum vel modicè mouere prævalebat. Sed dolore penitus mitigato, priusquam ab ipso discederet loco, donum integræ adeptus est sanitatis.* Hactenus ibi. Quid negaret petentibus, auxilium, qui vel nihil de illo cogitantibus, inopinatam salutem erogabat?

9. Eodem anno Beatus Iordanus, Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, in mari submersus, sed ab his aquis, ad lucem cœlestem migrans, Sanctæ Luthgardi manifestus apparuit; & cum de præmio securam reddidisset, quod suo tempore foret acceptura; interim pro

Dominicanis rogare iubet, & orationem, quam viuenti sibi promiserat, vsque ad exitum vitæ continuare. Rem totam narrat, qui Sanctæ vitam scripsit, Thomas de Cantiprato Dominicanus g, ex quo hæc ipsa verba Lector accipiat. *Non diu post Beatæ memoriæ Iordanus, Magister Ordinis Prædicatorum, cum diu magno flagrasset desiderio inuisendi terram Sanctam, inde rediens per mare, occulto Dei iudicio, cum magna hominũ multitudine, & duobus Fratribus Dominicanis, submersus est: moxque à summo cœli fastigio vsque ad nauem illam, in qua extinctus iacebat, maxima ignis columna, quinque horarum spatio, diuinitus accensa de nocte apparuit: cumque sacrum corpus litus attigisset, cœli lampas tertio super illud, & quarto super socium eius Geraldum resplenduit: atque ita lampas recedens, nube excepta est. Huius rei testes fuere Christiani Catholici, Græci, Schismatici, & Gentiles. Corpus autem eius mirificè fragrans à fidelibus curatum est.*

g *lib. 3. c. 2.*

10. *Eodem anno in Vigilia Natiuitatis Christi, à prima diei hora vsque ad sextam orans Luthgardis, cum in spiritu quasi tenebras quasdam sentiret, adeo cœpit tædio affici, vt in hæc verba prorumperet. Domine, quid est quod sentio? Quid est quod patior? Certè si quispiam amicus, vel in cœlo, vel in terra pro me oraret, talem ego duritiam minimè sentirem. Hæc illa cum lachrymis dicente, subito mentis eius oculis spiritus quidam adeo luculentus, & gloriosus apparuit, vt præ splendoris magnitudine, eum non cognosceret. Dixit autem illi: Quis es Domine? & ille: Ego sum, inquit, Frater Iordanus, quondam dictus Magister Ordinis Prædicatorum. Ego iam migraui ad Beatam vitam, & inter Apostolorum, & Prophetarum choros splendeo sublimatus. Missus autem sum ad te, vt in hac iucundissima solemnitate consoler. Tu vero de præmio secura esto: propediem à Domino coronaberis. Porrò Psalmum, Deus misereatur nostri, cum oratione de Spiritu Sancto, quæ, me viuente, & rogante, pro nostro Ordine te dicturam recipisti, vsque ad finem vitæ dicere ne omittas. His dictis, disparuit, tantamque in eius pectore consolationem reliquit, quantam nunquam persenserat in vita sua. Dilexerat ille adhuc viuus Luthgardem, haud vulgariter, & inter fœminas omnes illi vel maximè fidere consueuerat, ita vt totius Dominicani instituti, siue Ordinis, eam matrem, & nutricem constituerit.* Hactenus ille.

Itaque trium hoc anno nobis memoria incidit 11. Sanctorum illustrium, alterius eleuati ritu solemni, cum nuper inter Sanctos relatus esset: alterius præuio examini suppositi, vt mox adscriberetur; & tot, ac tantis prodigiis coruscantis, vt inquirentes, quamuis non satiare, lassare tamen possent, & reuera non pauca (nam & hoc etiam produnt) prætermiserint: & tandem tertij, qui adhuc in terris manens, promissione fœlici de cœlo facta, certitudinem velut anteuertit futuræ gloriæ: & quod illustrius, quia planè singularius, ad quem non solum mortales deuoti veniãt petituri orationes, suffragiaque; quod in omnibus frequens: sed & cœlestes, & iam glorioſi Spiritus. Quippe Iordanus, post adeptũ præmiũ certaminis illustris, cum iam facie ad faciẽ Deum videret, orationes Luthgardis pro suis postulabat; cœlicola, terrenæ; in tuto positus, eius, quæ adhuc degebat in carne lubrica; demum Victor, & ouans, pugnantis militis, quæ adhuc ne vincatur, timere debet. Certè mortales immortalium suffragia quærere, consuetum, & promptum: immortales, orationes mortalium sollicitare, rarum est, & quod non solum petentis dignationem, sed & eius commendet dignitatem, à qua non fuit indignum postulare.

---

1. *Ebrardus, Claræ-Vallis Abbas, ad Regem Galliæ,* 2. *Gregorio legatur,* 3. *pacem, aut Treguas,* 4. *cum Theobaldo Nauarræ compositurus.* 5. *Oratio eius,* 6. *& responsio Ludouici.* 7. *Idem Ebrardus iudex designatur, coram quo possit Theobaldus conueniri.* 8. *Lubensis Abbatis, ad Henricum Barbatum legatio fœlix.* 9. *Egriensis de Rege Bela querela, & litteræ Gregorij.* 10. *De Zicador, ad Colomanum, Rutenorum Regem,* 11. *semel, & iterum;* 12. *Colomani effugia,* 13. *& dubius adhuc fructus Legatiæ.*

CAPVT TERTIVM.

1. EXERCVERVNT & nostros hoc ipso anno variæ Legatiæ ad Reges, negotiaque, quæ non licet silentio pertransire. Nam S. Ludouico, Francorum Regi, canenti classicum aduersus Nauarrum, atque ferrum & arma minitanti. Ebrardus, Claræ-Vallis Abbas, velut Angelus pacis missus est, qui vna cum duobus aliis Episcopis, Parisiensi nimirum, & Lingonensi, tam Regem ipsum, quam Reginam matrem adirent, & siue ad pacem, siue ad Treguas saltem inducerent; aut si horum neutrum obtinere possent, cognitam belli causam Gregorio scriberent, per quem, aut amicabiliter componi, aut iudicialiter posset terminari; parato quippe Theobaldo Nauarræ Rege stare iudicio, & quominus à Franco infestaretur (à quo sibi, ex Campaniæ comitatu, timebat, tanquam à Domino ex Regno Nauarræ, tanquam à vicino, eoque potentiori) nihil quod iustum esset, detrectaturo. Ergo Gregorius, cum litteras ad Regem, Reginamque; has etiam ad Episcopos, & Abbatem, vt eosdem adirent, hoc anno dedit [a]. a *Epist. 110.* 2.

Parisiensi, & Lingonensi Episcopis, & Abbati Claræ-Vallis.

Si velut Cypressus in Monte Sion, & in Libano Cedrus; sic Reges, & Regnum Franciæ à Domino præ cæteris Regnis, & Principibus exaltantur; id ea ratione credimus fieri, vt ipsorum ministerio, per quos multa sine intermissione charitatis opera nouimus exerceri, sicut hactenus, sic, & perpetuo honoretur Ecclesia, & terra Sancta, quæ illorum studio, alia vice de manibus Paganorum extitit erepta, gaudeat iterum, eorundem auxilio ab Agarenorum oppressionibus liberata. Hoc autem ostendit illa eiusdem Regni numerosa turba fidelium, quæ diuinitus inspirata se Crucis assumpto signaculo, ad terræ Sanctæ succursum sollicitius præ cunctis accingit terræ Catholicis, sui vendicare desiderans iniuriam Redemptoris. Igitur Rex Francorum illustris gaudeat, &

& Cruce signatos fauore Regio protegens, in eodem Regno quicquam moueri turbationis, aut scandali non permittat, per quod bonum totius Catholicæ fidei, & terræ prædictæ liberatio valeat impediri; ne spes magni gaudij, quæ per Cruce signatos eosdem, ab orbe toto concipitur, eis ab huiusmodi proposito retardatis, in generalis doloris diffidium conuertatur.

Verum cum sicut dicitur, terram charissimi in 3. *Christo filij nostri Regis Nauarræ, Comitis Campaniæ, qui Crucis signaculo insignitus, in Crucifixi seruitium proficisci proponit, proposuerit impugnare; nosque de Fratrum nostrorum, & omnium Prædicatorum, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, consilio, duxerimus statuendum, vt pax, aut treguæ per totum orbem terrarum, saltem per quadriennium obseruentur; eis, qui contraire præsumpserint, ad id censura Ecclesiastica compellendis; Serenitatem Regiam rogamus per aspersionem sanguinis Iesu Christi, in remissionem sibi peccaminum iniungentes, quatenus, ne tantæ terræ Sanctæ iactura, quæ propter hoc, quod absit, posset contingere, de eius manibus requiratur, à præfati Regis, & aliorum Cruce signatorum impugnatione desistat pacem in suo Regno procuret taliter fieri, quod & Crucis negotium valeat promoueri, & ipse ex hoc illum mereatur habere propitium, qui pro salute vestra & totius humani generis, in ligni patibulo, proprij sustinuit corporis cruciatum.*

Ideoque vobis, de quorum prudentia, zelo, & 4. *auctoritate confidimus, per hæc Apostolica scripta mandamus, quatenus ad Regem ipsum, & Reginam matrem eius personaliter accedentes, & mala, quæ ex hoc non solum terræ Sanctæ, sed etiam toti Regno Franciæ possent contingere, prudentius exponentes eisdem, ipsos ad pacem, vel treguam, cum eodem Rege Nauarræ ineundas, efficacius inducatis: alioquin huiusmodi materiam scandali, cum idem Rex Nauarræ Domino Regi Franciæ iuxta Regni consuetudinem satisfacere sit paratus, diligentius inquirentes, quod super hoc inueneritis nobis celeriter; & sine mora dispendio rescribatis, vt super ipsis procedamus, provt secundum Deum viderimus procedendum. Datum Interamnæ XIV. Kalendas Iulij, anno decimo.*

Susceptis litteris, Episcopi, & Abbas profecti 5. ad Regem, atque ab eo benignè, reuerenterque susceptis sunt. Tum vero primum mandata Summi Pontificis, mox etiam preces addunt, rationesque, quibus ipsum à bello dissuaderent. Si arma placeant, esse quos debellet, Crucis Christi inimicos, & hostes fidei: quos vincere, in gloria, extirpare, in merito; spoliare, in vsu etiam existat. Christianum sanguinem, à Principe Christiano, non sine nota fundi, non sine damno: illa, quod præferat terram, quam expugnat, Christianorum saluti; vitæque, nec pudeat extenuare Christi peculium, vt suum augeat: hoc, quod eneruans fidelis populi vires, auxilia sibi detrahat; si à communibus hostibus petatur, nullis, aut leuibus subsidiis protegendus. Tum, proprios ciues, pro tuenda fide, pro Euangelio per orbem propagando, appetendæ, & gloriosæ morti exponi: vt ipse terræ plusculum possideat; indignè cædi. An terram pretiosiorem habeat, quam subditorum vitas; pro quibus ipse, vel suam deberet ponere? Non ciues Regibus, ab initio datos; sed Reges ciuibus: quos si pro vili acquirenda possessione perdere non grauentur meteri, vt deserantur; nec sit, qui vitam pro illis vltra ponat, quos videt, neque inania iura, pro se relinquere. Diuinæ gratiæ, leue vitas hominum; Regiæ cupidinis, nimis grande pretium fore; & Deum gratiæ gloriam retribuere: Reges, à morte, quid vltra quod donent, habent? Sed neque se per hæc cessionem Regis, aut proponere, aut velle. Repetat, si quæ ab aliis possideri, sine titulo videat; solum petere, ne ius in armis ponat, cum per arbitros possit ritè, & rectè, ac sine vllo dispendio disceptari.

Hæc, & similia differentem Sanctum Abbatem, in quem Episcopi fortè commiserunt, Rex non solum audiebat, sed acclamabat. Nec sibi in animo pacem Christiani orbis turbare, vnquam fuisse, futurumve; qui magis omnium colligere vires cupiat, ad impiorum superbiam debellandam. Si non solum à bello supersedere, quod iubebat Gregorius, sed à litigio: & nisi patrimonio Regum Franciæ, atque hæredibus suis debitor esset; cessurum facilè, atque omnia remissurum; nunc, quia non Dominum conseruatorem illius Regni agit, quod curandum accepit, non diuidendum: quod vnum potest, libenter consensurum; vt idem ipse Claræ-Vallis Abbas, aut si quem alium sibi socium eligat, de causa, sine strepitu iudicij, sine fraudibus litium, de plano iudicent: restituturi Regno, quod suum fuerit, de quo non dubitabat, & quod non fuerit, Theobaldo relicturi. Conscientiam suam non semel à se creditam Claræ-Vallis Abbati, id est iura cœlestia: cur non & temporalia credere possit? aut quando merito hæredes causari poterunt, si eandem his terrenis eorum bonis diligentiam adhibeat, quam suis adhiber, æternum permansuris? Plausere omnes Regiæ benignitati: & siue ipsius, sine Ebrardi Claræ-Vallensis, siue omnium suffragiis, Abbas S. Dionysij Parisiensis electus est, vt coram illis, siue eorum altero, totius diffidij causa tractari posset. Porrò hi iudices in tantum placuere Regi Nauarræ, vt non super hac tantum, sed super omnibus, coram eis se conuenire posse petierit, atque à Gregorio, ne posset coram aliis, litteras impetrauerit, quas Regesta conseruant, & sunt huiusmodi [b]. 6.

Illustri Regi Nauarræ, Comiti Campaniæ. 7.

Eos, qui signo viuificæ Crucis assumpto, terræ proponunt Sanctæ succurrere, debet Apostolicæ Sedis benignitas fauorem non modicum indulgere: cum non solum salutem suam prosequi dignoscantur, sed pro Christianorum omnium commodo laborare: hinc est, quod sicut accepimus, cum assurgens ad illius seruitium, qui pro generis humani salute peregrinatus in terris, Crucis patibulum subiit, Crucis assumpto signaculo, in terra prædicta succursum proposueris transfretare; attendentes, quod ex hoc diuinæ retributionis expectas præmium, & Romanam Ecclesiam, matrem Catholicæ fidei, pro qua pugnare disponis, ad tui honoris, & commodi obligas incrementum: tibi præsentium auctoritate concedimus, ne aliquis auctoritate ordinanda, seu etiam delegata, in personam tuam, & terram interdicti sententias valeat promulgare, absque mandato Sedis Apostolicæ speciali, donec de tuo reditu, vel obitu certissime cognoscatur; dum tamen coram dilectus filius, Sancti Dionysij in Francia, & Claræ Vallensi Cistercienses Ordinis, Abbatibus, Parisiensis,

b *Epist.* 156

Parisiensis, & Lingonensis Diœcesis, vel eorum altero, de te conquerentibus, per te, vel responsalem idoneum, sis paratus iustitiam exhibere. Datum Rheati II. Idus Iulij Pontificatus nostri anno decimo.

8. Hæc apud Reges Franciæ Nauarræque Claræ Vallensis Abbas: nec dissimilia Lubensis in Polonia apud Silesiæ Principem: Egriensis, apud Belam, Vngariæ Regem, etiam in causa propria. Soli Zicadorensi cum Colomano, Rutenorum Monarcha, laboriosius multo, & fructu hactenus dubio, agendum fuit. Sanè in Polonia, cum quidam ex Canonicis Vratislauiensis Ecclesiæ, acriter de Henrico Barbato conquererentur; atque nonnulla introducta ex consuetudine in maius attollentes, alia à ministris patrata, Duci imponerent, fortè & aliqua aut fingerent, aut adderent; quæ plerumque accusantium conditio est: Gregorius Papa, Abbatem de Lubes, Cisterciensis Ordinis, dato in Collegam Abbate Sancti Vincentij Præmonstratensis, ad Henricum Barbatum Legatos misit, litteris ad eos datis hoc ipso anno, in quibus post longam querelarum narrationem, tandem subiungit [c]. *Nos igitur, quamuis præmissa leuiter credere non possimus, & eadem referamus inuiti; quia tamen sub silentio præterire non possumus, ne de negligentia notabiles habeamur, &, quod absit, eadem Ecclesia grauioribus reddatur obnoxia detrimentis: Vobis, de quorum prudentia, zeloque plurimum in Domino confidimus, firmiter præcipiendo mandamus, quatenus præfato Duci suadere sollicitè studeatis, quod suo statui nullum maius patrare possit obstaculum, quam quod Domino, & Ecclesiæ se constituat indeuotum. Eundem, vt omni studio, se, reuerentiæ vtriusque conformans in prædictis, consuetudine prædecessorum suorum, quæ potius dici potest confusio, non obstante, præmissa, sublata difficultate corrigat, & tam per se, quam suos, à similibus de cætero conquiescat; sicut efficacius poteritis, moneatis; nuntiantes eidem, quod, cum nobis de vniuersis cura sit, & diligentia specialis, si tardus, aut difficilis in præmissorum correctione fuerit, nos aliud assumere prouisionis remedium oportebit. Caterum responsum, quod vobis Dux ipse dederit, vel quod super prædictis duxerit faciendum, nobis quanto citius poteritis vestris litteris fideliter intimetis. Datum Viterbij nono Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno decimo.* Ita ad Lubensem Abbatem, Collegamque quos facilem inuenisse Ducem, & obsequentem, nullum aliud remedium subsequutum, satis ostendit.

[c] Epist. 24.

9. Singularius in Bela Vngariæ Rege, quod cum nostrorum bona etiam inuaderet, nec Monasterio Egriensi, in quo pater iacebat, parcere vellet, quin multis illud spoliaret possessionibus: (adeo à Regia cupidine nihil tutum, vbi semel erumpit) nullius tamen Legati auctoritate, nullius comminationis coërtione, indigusse apparet, vt resipisceret. Simplices litteræ Gregorij satisfuere præsentatæ à partibus, vt à cœptis cessaret; & si quam hactenus iniuriam irrogasset, humiliter, sed plenè resarciret. *Grauem*, inquit Gregorius [d], *dilectorum filiorum Egriensis, & aliorum Abbatum Cisterciensis Ordinis, recepimus quæstionem; quod cum inclytæ recordationis Almericus, & Andreas pater tuus, Vngariæ, ac Sclauoniæ Reges, & alij Christi fideles, per Regnum Vngariæ, & Sclauoniam constituti, quosdam redditus terras, possessiones, & res alias, pietatis intuitu, eorum Ecclesiis, & domibus contulissent; tu illorum oblitus, recolendæ memoriæ ipsorum vestigia, non deserenda, relinquens, eos prædictis omnibus pro tuæ voluntatis arbitrio spoliasti, non absque diuinæ iniuria maiestatis, quod vni ex suis minimis fit, sibi reputans esse factum. Honoratur enim, & spernitur in ministris quibus potius non solum collata seruare, verum etiam teneris erogare de tuis, vt condigna retributione respondeas bonorum omnium largitori, pro omnibus, quæ tribuit ipse tibi, præsertim cum in compositione, quæ mediante Venerabili Fratre nostro, Episcopo Preneſtrinensi, tunc Apostolicæ Sedis Legato, inter Ecclesiam Vngaricam, & iam dictum patrem tuum, super damnis, eidem Ecclesiæ irrogatis, amicabiliter interuenerit; tu ipse promisisse diceris, iuramento præstito, quod contra Ecclesiarum priuilegia, & libertatem Ecclesiasticam de cætero non venires.* Ita Gregorius: & litteras Egriensi Abbati dedit, quem vel offensum reuereretur Rex; & eo viso, & audito, nihil omnino posset recusare.

[d] Epist. 346.

10. Non ita facilem Abbas de Zicador Colomanum inuenit, Germanum Belæ, ad quem in bona aliorum debacchantem, Templariorum præcipuè, Hospitalariorumque, etiam in plena Legati potestate; cum semel parum, aut nihil profecisset, secundo missus; neque adhuc constat, quod boni reportauerit. Extant, leguntur que secundæ litteræ ad Episcopum, & Præpositum Quinque-Ecclesiensem, & Abbatem de Zicador, Cisterciensis Ordinis, referentes priores, ac rem totam narrantes in hæc verba [e].

[e] Epist. 175.

Etsi libenter, ex multo synceritatis affectu, quo personam charissimi in Christo filij nostri, Regis Ruthenorum illustris, & Ducis Sclauoniæ, in Christi visceribus amplexamur, suæ velimus sublimati deferre; in iis tamen, quæ absque peccato dissimulari nequeunt, deferre sibi, salua conscientia, non valemus: ne, si eum, tanquam specialem Ecclesiæ filium, non retrahimus à peccato, & sibi demus perditionis materiam, & nobis etiam causam mortis, dicente nobis Domino per Prophetam [f]: Filij hominis speculatorem dedi te domui Israël: si non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur ab impia, via sua & viuat; ipse in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.

[f] Ezech. 3.

11. *Sanè dudum dilecti filij Magister, & Fratres militiæ Templi in Vngaria, & Sclauonia, nobis grauiter fuere conquesti, quod cum ipsi super quibusdam villis, domibus, possessionibus, & rebus aliis, quibus ab eodem Rege fuerant spoliati; primo ad eum monitorias, ac postmodum ad Venerabilem Fratrem nostrum, Collocensem Archiepiscopum, eiusque Collegas, executorias litteras impetrassent, demum inter partes amicabilis compositio interuenit, quam Regia celsitudo promisit firmiter obseruare; & licet compositio ipsa fuerit per Sedem Apostolicam confirmata; quia tamen eam, quod vix poteramus credere, non seruabat contra verbum regiæ veritatis, quod eum aliquatenus non decebat, vtpote saluti suæ, ac famæ contrarium indebitè veniendo; Serenitatem Regiam duximus commonendam, vt compositionem eandem firmiter obseruaret, ita quod Regalem excellentiam possemus merito commendare:*

alioquin,

alioquin, vos filij, Abbas, & Præpositi, atque Dilecte fili, Abbas VVaradienſis, quibus ſuper hoc ſcripta noſtra direximus, dictam compoſitionem, ſicut ſine partium præiudicio facta eſt, & ab vtraque parte ſponte promiſſa, faceretis per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota firmiter obſeruari: non obſtante indulgentia, qua ſibi à nobis, ſicut dicitur, eſt conceſſum, vt nullus in eum, abſque ſpeciali mandato Sedis Apoſtolicæ, ſententiam excommunicationis audeat promulgare.

Cum autem in commiſſo vobis negotio procedentes ſollicitè, monuiſſetis eundem, vt compoſitionem ipſam obſeruans, ac eiſdem Magiſtro, & Fratribus ablata in dominio ſuo reſtituens, de illatis damnis, & irrogatis iniuriis ſatisfactionem eis congruam exhiberet; idem proponens, quod non executores, ſed cognitores duntaxat eratis ad Sedem Apoſtolicam, ſi tanquam exequutores, & non vt iudices, procederetis, in figura iudicij appellando; quodque non auctoritate ſua, ſed potius chariſſimi in Chriſto filij noſtri Belæ, Illuſtris Regis Vngariæ, Fratris ſui, à quo terram ſe habere aſſerit, fuerint ſpoliati; quanquam Baliui, & officiales ſui, ablata ipſis Magiſtro, & Fratribus detineant vniuerſa; non ſolum ea reſtituere noluit, verum etiam fuit eis grauiter comminatus: propter quod vos, fili Abbas, & Præpoſite, cum dicto Abbate VVaradienſi, apud eum proficere non valentes, proceſſum veſtrum, non ſine Fratrum ipſorum præiudicio, ad Sedem duxiſtis Apoſtolicam remittendum. 12.

Cum igitur non deceat contra compoſitionem præmiſſam, inter ipſum, & iam dictos Fratres, tam ſolemniter initam, ſæpè dictum C. venire; ne irrita faciat, quod de ſuis labiis proceſſerunt; adhuc Regalem excellentiam, ſicut iterum, ſic affectuoſius rogandam duximus, & monendam, ſibi in remiſſionem peccaminum iniungentes, vt ea ablata Fratribus ſupradictis reſtituat vniuerſa, & compoſitionem eandem ſtudeat inuiolabiliter obſeruare: ita quod Dominum exinde propitium ſibi ſtatuat, non offenſum; & nos ſynceritatis ſuæ zelum poſſimus in Domino merito commendare. Si verò contra compoſitionem prædictam, iuris aliquid ſe habere confidit, poterit coram nobis; per procuratores idoneos aſſequi iuſtitiæ complementum. Ideoque in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus, ſi dictus Rex preces noſtras non adimpleuerit in hac parte, prætermiſſis exceptionibus ab eo propoſitis, & aliis friuolis non obſtantibus, cum non ſit deferendum homini contra Deum; loca ad quæ ipſe deuenerit, ſupponatis Eccleſiaſtico interdicto, tandiu arctius obſeruando, quandiu ibi fuerit, donec eis vniuerſa huiuſmodi reſtituantur ablata, & de damnis, & iniuriis fuerit congruè ſatisfactum; detentoreſque, ac inuaſores prædictarum rerum, Baliuos etiam ſubditos, & Conſiliarios ipſius Regis, quorum opere, & conſilio ablata eadem detinentur, vſque ad reſtitutionem integram eorumdem, appellatione remota, excommunicationis vinculo innodetis. Datum Rheati III. Kalendas Auguſti, anno decimo. 13. Hactenus quæ hoc anno noſtri cum Regibus, nam quæ cum aliis, dicam capite ſequenti.

---

1. *Grandimontenſibus iterum diſcordibus, 2. iterum ex Ciſtercio cenſor datus, Montisfrigidi Abbas, 3. Pictauienſi Epiſcopo adiuncto, 4. & Prouinciali Fratrum Prædicatorum; 5. ampla eis delegata iuriſdictione. 6. Nigris, per Prouinciam Rhemenſem. Monachis, Abbas Fuſniacenſis, 7. de quo & Gregorius 8. ad eorum ſcribit Capitulum. 9. Quid in Eccleſia quadam Canonicorum, Maceriarum Abbati, 10. ſuperexcedente atrocitate criminum, 11. in quæ ſeuerè inquirere iubetur, 12. delegatæ eidem poteſtatis limitationem; remiſſiuè de Abbate Ciſtercij, miſſo ad Præmonſtratum.*

CAPVT QVARTVM.

1. SEQVVNTVR itaque priuata alia negotia, neque ideo minus grauia, quæ noſtros etiam plus ſolito exercuerunt. Grandimontenſibus inter ſe denuo diuiſis, & denuo digladiantibus (adeo ſemel ſparſa diſcordiæ ſemina, ſi pullulare incipiant, facilius ſuccidas, quam eradices, facilè in noua germina eruptura) illis ergo denuo contendentibus; & Priore acriter in Clericos eorum, Clericis in Priorem, nouas inſidias, & fraudes machinantibus; cum tamen poſtremi (nam quid Prior de illis conquereretur, cum vindicare poſſet? Erant qui putant paccatiores eſſe Prælatos, quod ſubditos non deferant, à quouis alio leuius puniendos; clamare, & conqueri, illorum tantum eſt, qui non ſe aliter poſſunt vindicare.) Cum ergo Clerici Priorem detuliſſent apud Pontificem; & multa, ac grauia de illo conqueſti eſſent; Gregorius Nonus Epiſcopum Pictauiæ, & Priorem Prouincialem Fratrum Prædicatorum, iudices eis dedit, cenſoreſque; at non ſine Ciſtercio, deſignato Abbate Montisfrigidi, Ordinis Ciſtercienſis, qui ad Epiſcopi auctoritatem proximè accedens, nihil omnino de Prioris notitia, zelove, aut feruore obſeruantiæ deſideraret. Extant litteræ ad eos Gregorij Papæ, etiam cum non obſtantia exemptionis à ſimilibus cauſis, quæ pro ſolo Abbate videtur addita; in quibus tum querelæ ſatis diſtinctæ, tum plenaria poteſtas corrigendi, iudicibus conceſſa deſignantur. Sic autem habent [a]. a *Epiſt. 78. 2.*

Epiſcopo Pictauienſi, Abbati Frigidi-Montis, Ciſtercienſis Ordinis, Beluacenſis Diœceſis, & Priori Prouinciali Ordinis Fratrum Prædicatorum in Francia.

Recenſentes qualiter Grandimontenſis Ordo, quaſi plantatio dexteræ Dei excelſi, vitis fructifera, & vinea glorioſa, ſub primis Patribus Ordinis pullulauit; & palmites longè, lateque diffundens, ſuauitatis flores, & fructus protulit honeſtatis; non condolere ipſi Ordini non valemus. Sicut enim ad nos, fama, imo infamia referente, peruenit, & dilectus filius Elias Iterij, Matthias, Hugo Geraldus, & H. de Podio, Preſbyteri Fratres Grandimontenſes, pro ſe, ac ſociis ſuis, nobis exponere curauerunt, pro magna parte Sanctæ inſtitutione Ordinis deſtituta, talia in eodem Ordine, per

Eliæ Arnaldi, Prioris eorum incuriam, seu malitiam potius, committuntur, per quæ grauiter Dominus offenditur, & fama dicti Ordinis apud homines denigratur.

3. *Quare dictus Prior, quasi per quandam inquisitionem liberatus, factus promptior ad malum est, & , vt impunitis eius excessibus, per campum licentiæ discurrat effrænis, Clericos, qui aliquando à Sede Apostolica reuertuntur, priusquam ipsos recipiat, iurare compellit, vt contra ipsum aliquid non attentent, & ad eam de cætero non accedant; positis insidiis ad eam accedentibus, & reuertentibus ab eadem; & si qui eorum ab excommunicatione aliqua sint per Sedem Apostolicam absoluti, ipse pro excommunicatis nihilominus habet eos, & absolutionem suam absolutioni Sedis Apostolicæ superaddens, illam pœnitentiam iniungit eisdem, quæ super statuta Ordinis iniungere fugitiuis, & vacantibus in sæculo consueuit; ac in Generali Capitulo auctoritate, imò temeritate propria, excommunicatos omnes venientes ad Sedem Apostolicam, & fautores eorum confringens, eos propter hoc fugitiuos; & fures, qui aliqua de bonis domorum suarum, in via sibi necessaria, secum portant; cum ipsi (vtpote proprium non habentes) aliàs venire non possent, non absque nostra, & Apostolicæ Sedis iniuria, & contemptu.*

4. *Aliasque, adeo grauat multipliciter Fratres suos, quod septuaginta, & plures Clerici ab eodem Ordine, de Prioris, & omnium aliorum assensu fuerint deputati de stando ipsorum Ordinationi, Priore ac aliis præstantibus iuramentum; ipse, ne pax fieret, impediuit. Quin potius turbationis modos excogitans, & turbatores in malitia sua fouens, infames, & peruersæ vitæ homines, honestis, & Dominum timentibus in officiis, & administrationibus anteponit; & non permittens Conuentum habere sigillum, tot debitis grauat, & opprimit Monasterium Grandimontense, quod suo tempore totus Ordo extitit pluries talliatus, & redactus ad nimiam paupertatem. Et si quando domus propter paupertatem, prouisionem impositam sibi soluere nequeunt, altaris ornamenta facit pignori obligari, possiones, redditus, & alia, quæ in vltimis decedentium voluntatibus Ordini relinquuntur, ac alia bona Ordinis nepotibus suis, & consanguineis, ac aliis illicitè conferendo, aliaque multa committit enormia, per quæ Dominum, & homines grauiter scandalizat.*

5. *Cum igitur relinqui hæc non debeant indiscussa, volentes descendere, ac videre vtrum præmissa sæpè dictus Prior impleuerit actione, ac prædictos Fratres per dilectum filium Fratrem R. pœnitentiarum nostrum absolui ab excommunicationis sententia, iuxta formam Ecclesiæ facientes, mandamus, quatenus ad locum ipsum personaliter accedentes, & habentes præ oculis solum Deum, relaxatis excommunicationum sententiis, latis à iam dicto Priore in Clericos, ad cautelam, recepta prius ab ipsis sufficienti, & idonea cautione; quod si constiterit, eas esse rationabiliter promulgatas, Ecclesiæ mandato parebunt; restitutisque ipsis ad loca sua, à quibus amoti fuerant, vel electi; ac reuocato in statum debitum quicquid, post iter arreptum ad Sedem Apostolicam veniendi inueneritis in eorum præiudicium temerè attentatum; inquiratis simpliciter, & de plano, sine iurgiorum strepitu, super præmissis, & aliis sollicitè veritatem, & quod Canonicum fuerit; saluis priuilegiis, & statutis Apostolicæ Sedis, appellatione postposita statuatis, non obstante, si vobis, vel vestrum alicui sit indultum, vt inuiti non teneamini cognoscere de causis, quæ à Sede Apostolica committuntur, quod si non omnes, &c. duo vestrum, &c. Datum Viterbij, Nonis Maij, anno decimo.*

Hæc pro grauissimo, Sanctissimoque Ordine Grandimontensi, quem Deus repetitis his malis fortè permisit, exemplo cæteris, ne de se præsumant, cum vel familiam, aliàs obseruantissimam, ab illis incurrendis, nullæ cautelæ potuerint liberare. Cæterùm Nigri etiam Ordinis Monachos, per Rhemensem Prouinciam visitatos, iniuncto munere Abbati Fusniacensi cum duobus Collegis, aliæ eiusdem Gregorij litteræ probant ad vniuersos Abbates, & Priores, per eandem Prouinciam, in Prouinciali Capitulo congregatos, haud dubiè quin sub eisdem visitatoribus, aut sub aliis Cistercij, iuxta decreta Consilij Lateranensis, quæ ita habent [b]. 6.

[b] Epist. 295.

7. *Vniuersis Abbatibus, tam exemptis, quam non exemptis, & Prioribus, Abbates proprios non habentibus, Ordinis S. Benedicti Rhemensis Prouinciæ, in communi Capitulo congregatis.*

Licet olim, intellecto, quod religio vestra, sicut ager plenus, cui benedixit Dominus, flores honoris, & fructus afferre consueuerat honestatis, facta mutatione dexteræ in sinistram, spinas, & tribulos germinaret; nos enim de inuio ad viam regulis rectitudinis eam reducere cupientes, prout nobis incumbit ex officio Pastorali, quædam ediderimus, pro ipsius reformatione, statuta, ipsaque mandauerimus obseruari: Vestris tamen precibus postmodum inclinati, cum in eis quædam vobis difficilia viderentur, ipsa de benignitate Sedis Apostolicæ reparantes, de Fratrum nostrorum consilio, prout expedire vidimus, super iis duximus ordinandum.

8. *Quocirca vniuersitatem vestram per Apostolica scripta monemus, quatenus considerato prudenter, quod subterfugiendi vlterius non est locus, facientes de necessitate virtutem, circumscriptis aliis, quæ per Abbatem Fusniacensem Ordinis, & collegas suos, visitatores Monasteriorum exemptorum à Sede Apostolica deputatos, super regulari Obseruantia sunt statuta (nisi aliqua sint in eis, de quibus in ordinatione nostra mentio non habetur) prædictam Ordinationem nostram, quam vobis sub Bulla nostra mittimus inclusam, suscipiatis humiliter, & seruetis, ac faciatis à vestris subditis inuiolabiliter obseruari; personæ autem, quæ ad visitanda Monasteria Ordinis vestri in Rhemensi Prouincia fuerint in communi Capitulo deputatæ, ea similiter faciant obseruari ab Abbatibus, & Prioribus, Abbates proprios non habentibus, qui Capitulo non interfuerint memorato; mandatum nostrum taliter impleturi, quod redargui non possitis de negligentia, vel contemptu. Datum Interamnæ XI. Kalendas Ianuarij, anno decimo.* Ita Gregorius.

9. Extant & litteræ, hoc eodem anno datæ ad Abbatem Macerarium, vt principalem, & ad Decanos, Bituricensem, & Eduensem, vt Collegas illius (tanto illo tempore Abbates in pretio erant, vt Decanis Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitarum, ac Prouincialibus aliarum Religionum, quod non vidimus semel, & capite sequenti etiam videbimus, anteferrentur) quibus, quo stricta ex parte personarum, quippe ad vnam Ecclesiam, eo ex criminum parte puniendorum latior omnino, & maiori constantia egens

potestas

potestas datur, relatione præmissa, quod Abbas quidam, Canonicis præfectus, Ecclesiam ipsam honoris gratia taceo [c]) *Impudicis factis, & verbis totaliter diffluens, ausus est, ponendo in cœlum os suum, profana labia in Ecclesiæ Romanæ contumeliam relaxare, ac de consuetudine oris maledicti multa stulta proferre, quæ non immerito plurimos scandalizant.*

c) Epist. 108.

10. *Insuper apud bonos, & graues, de nece quondam Ragusini Archiepiscopi, ac familiæ suæ grauiter est, & publice diffamatus: contigit siquidem, vacante Monasterio supradicto, quod facta electione de persona eiusdem Abbatis, & quibusdam Canonicis Monasterij memorati, & quibusdam aliis, eorum Canonicis, illuc eundem Archiepiscopum adducentibus, vt loco Abbatis inibi remaneret; ipse, ac eius socij, & familia, subito quadam nocte de medio sunt sublati, ita quod postmodum nullus comparuit eorundem; sed infra paucos dies in quodam gurgite fuit quidam mortuus, & excoriatus inuentus. Super cuius sepulturam, cum capella quædam fuisset constructa, ex tunc dixerunt homines regionis, quod ibi iacet Archiepiscopus Ragusensis, pro quo maleficio dicitur Abbas persoluisse non modicam pecuniæ quantitatem.*

11. *Quasdam etiam mulieres nisus est in eodem Monasterio, vbi tutela est constituta refugij, ac mundo corde, ac corpore debet Domino deseruiri, opprimere violenter, & cum coniugatis turpiter plerumque repertus, super crimine adulterij fama publica laborauit. Propter quod quidam suas reliquerunt vxores, & idem pluries reatum suum pecunia redimens, canonicam hactenus vltionem euasit. Bonis quoque, ac discretis viris, de Monasterio ipso remotis, fatuos, pueros, & alios inutiles, vt liberius posset vacare voluptatibus, retinuit in eodem. Præterea, cum super quibusdam negotiis suis, ad quemdam Canonicum Catalaunensem à nobis litteras impetrasset, ipse simili iudicis prædicti sigillo, sub eius nomine incitando, excommunicando, & absoluendo, vti præsumpsit, qua occasione iudex ipse apud Catalaunum, eadem hebdomada, qua procurator Abbatis Parisius, pro falsis priuilegiis captus fuit, & in eundem Abbatem crimen huiusmodi falsitatis est per Franciam publicè, ac Burgundiam diuulgatum. Nos enim priuilegia ipsa, ad nostram præsentiam destinata, facientes inspici diligenter, illud, quod sub nomine Piæ memoriæ Eugenij Papæ, prædecessoris nostri, fabricatum fuit, totum falsum; & aliud, à fœlicis recordationis Alexandro Papa obtentum, comperimus esse falsatum.*

Vix atrociora crimina potuere, aut committi, aut imponi, quàm hæc, quæ memorantur, atque aliqua comprobata dicuntur in ipsis litteris. Vt vere suppleat arduitas negotij extensionis defectum: nec minus in Canonicos Cistercio, quàm in alios, hoc anno creditum fuerit: Interamnæ (nam ibi datæ litteræ) VI. Idus Iunij præsentis anni. Nec multo post Guillelmus, Cistercij Pater, ad Præmonstratum missus, Hugonem, Præmonstrati Abbatem, quia intrusum, deposuit; & VVillelmum depositum restituit, iussu Gregorij, litteris datis sub initium sequentis anni, sed intra decimum illius Pontificatus, quas ibidem tradendas reseruamus. Vt nulla fere ex grauioribus familiis exempta sit, cui non Cistercij lima vtilis fuerit. Sed transeo ad alia. 12.

---

1. *Multa nostris per Galliam*, 2. *Italiamque*, 3. *in Sabaudia, & Belgio*; 4. *in Anglia, aliqua*; 5. *Germaniaque iniuncta.* 6. *Actum de diuidendo Archiepiscopatu Treuirensi*, 7. *atque nostris commissum*; *sed impeditum per ipsorum consultationem.* 9. *Imperij Constantinopolitani periculum*, 10. *& subsidia belli, per Abbatem de sacra, distribuenda.*

CAPVT QVINTVM.

1. MIRVM est planè, quam multi in operando; in scribendo quàm nulli, nostri extiterint, peritura omnino gestorum gloria, si non aliqua in Pontificum Regestis conseruarentur. Vbi tamen non integra, & exacta; sed quasi in embrione tantum contenta, desiderium sui magis, quam notiam in animis legentium generabunt; non tamen ideò reticenda nobis, quæ aut aliunde suppleri, aut aliorum pleniorem cognitionem, vbi occurrat occasio, iuuare poterunt. In Gallia ergo, Archiepiscopo Rhemensi, cum Abbate, & Conuentu Sancti Dionysij Canonicorum Regularium S. Augustini, quibusdam super iuribus certanti, Abbates Triumfontium & Aurææ-Vallis, Catalaunensis, & Treuirensis Diœcesis, Cistercienses vterque, Iudex datus, Viterbij, VI. Idus Martij. Decano, Capituloque Bituricensi, cum quodam nobili, Roberto de Corteuajo, Domino de Magduduno, Abbas & Prior Monasterij Fontis Ioannis, Rheati, pridie Idus Augusti: Monachis Monasterij S. VValrici, Diœcesis Ambianensis, contendentibus de Abbatis electione; de Prato, & de Frigidomonte, Archimandritæ, Cistercienses similiter; Interamnæ XVI. Kalendas Decembris: demum Aurelianensi Episcopo, & Capitulo, Abbas Aquæ-Bellæ, Cisterciensis Ordinis, Tricasinæ Diœcesis, ibidem, tertio Kalendas Ianuarij, designantur; omnimoda delegata iurisdictione, qua processus conficerent, & causas, debito fine, terminarent.

2. In Italia, Viginti-Millensi Episcopo tot sceleribus implicato, vt neque Simoniæ, neque vsuris, non sacrilegiis, non (quod Episcopos plus adhuc dehonestat) concubinatui parcere diceretur; addita culpæ grauiori circunstantia, & iactato in vulgus, quod concubinam domi retineret, eaque vteretur, ex Apostolicæ Sedis concessione: cum, inquam, hæc, & alia non minus grauia, Pontifex accepisset, Abbatem de Tileto, vocatum primum, ac de cunctis instructum, illuc dixerit, in virtute obedientiæ illi iniungens [a]. *Quatenus inquirens super his & aliis diligenter veritatem, quæ inueneris, nobis tuis litteris fideliter intimare procures, vt ex tua relatione sufficienter instructi, procedamus ex inde, prout secundum Dominum viderimus procedendum: præfixo eidem Episcopo termino peremptorio competenti, quo se nostro conspectui personaliter repræsentet, pro meritis recepturus; ac interim* a Epist. 194.

omnis mutui, vel alienationis contractu, sibi penitus interdicto, ipsum, si secus actum fuerit, denuncies irritum, & inane; ac facias eis, qui huiusmodi inquisitiones prosequuntur, expensas ad hoc necessarias de bonis Vigmti-millensis Ecclesiæ ministrari, non obstante constitutione de duabus dietis; neque Apostolica indulgentia, si quam habes, ne de causis cognoscere tenearis. Datum Interamnæ, X. Kalendas Decembris, anno X.

3. In Sabaudia, inter Episcopum, & Capitulum Lausanense, & Magistrum, ac Fratres B. Mariæ Theutonicorum, graues subortæ lites; per Abbates Sancti Vrbani, & de Frinis-Burg, Cistercienseм vtrumque, & Priorem alterius, terminantur [b], litteris expeditis ad hoc Viterbij, pridie Kalendas Martij, anno nono. In Belgio item, vacante Monasterio Sancti Vedasti, Atrebatensis Diœcesis, quod inter illustriora totius Orbis, atque nulli cessurum memorabatur; cum Monachi in persona electi, non conuenirent, Abbas Fulcardi Montis Cistercienſis, cum Abbate Sancti Bertini missus est, litteris ad eos datis in hunc tenorem [c]. *Quia vero de vestræ circumspectionis prudentia plenam in Domino fiduciam obtinemus, mandamus, quatenus ad Monasterium ipsum personaliter accedentes, & habentes pra oculis solum Deum, Monasterio prouideatis eidem de persona idonea vice nostra, & faciatis ei, de quo prouidendum duxeritis, obedientiam, & reuerentiam exhiberi, ac munus benedictionis impendi; recepturi ab eo postmodum pro nobis, & Romana Ecclesia fidelitatis solitæ iuramentum, iuxta formam, quam vobis sub Bulla nostra mittimus intercluſam. Formam autem iuramenti, quod ipse præstabit nobis de verbo ad verbum, per eiusdem patentes litteras, suo sigillo signatas, per proprium nuntium, quamtocyus destinetis: talem, in prouisione huiusmodi diligentiam adhibentes, quod in die districti examinis dignam possitis reddere rationem. Quod si non omnes, &c. Datum Rheati VI. Idus Octobris, anno decimo.*

[b] *Epist.* 405.

[c] *Epist.* 236.

4. In Anglia, cum inter fundatores Monasterij de Corneburch, Erefordensis Diœcesis, & Magistrum, & Fratres Hospitalis Hierosolymitani, super eiusdem Monasterij regula, per quadriennium, & vltra pertracta lis, vtramque ferè partem exhausisset; proponentibus cœnobij fundatoribus [d]: *Se in eius negotij prosequutione, vltra sexcentas Marchas expendisse; neque sperare finem habiturum, nisi aliquo efficaci remedio terminaretur:* Asaphensis, seu Sancti Asaph Episcopus, & quidam Cistercienſis Abbas, Diœcesis Meneuensis (Dora, seu Droua ignota nobis domus, & forte nomen per incuriam corrupte legitur) electi à Gregorio, qui tandem liti prolixæ finem darent, Viterbij, pridie Idus Aprilis. Nec multo post, Monialibus oppressis potentia Hospitalariorum, & apud eundem Gregorium conquerentibus, quod neque Prioriſſam eligere, nec Capellanum prouidum haberent, qui ipsis Sacramenta ministraret, nec suis vti pacifice redditibus, à Fratribus eisdem permitterentur: iidem, qui supra, iudices sunt dati, composituri de consensu partium causam; aut processum instructum, exactumque, ad eundem Gregorium remissuri. Datum Viterbij I V. Kalendas Maij, præsentis anni.

[d] *Epist.* 40.

5. In Germania, Eistetensi Episcopo, cum potestate clauium abuteretur in Comitem Tullensem, vt reformaret, emendaretque, Gregorius scribit [e], *Alioquin, ait, dilectis filiis, de Brumbach, & de Heisterbach, Abbatibus Cistercienſis Ordinis, Herbipolensis Diœcesis, nostris damus litteris in mandatis, vt ipsi ex tunc, sufficienti ab ipso, super iis, pro quibus excommunicatus habetur, cautione recepta, iuxta formam Ecclesiæ, sententiam relaxantes eandem, & iniungentes ei, quod iure fuerit iniungendum; audiant, si quid fuerit quæstionis: & appellatione remota, definiant, decidant, & faciant, quod decreuerint auctoritate nostra firmiter obseruari, prouiso attentius, vt si pro manifesta offensa sit prolata sententia, nisi prius ab excommunicato sufficiens præstetur emenda, nullatenus relaxetur. Datum Viterbij V. Kalendas Maij, anno decimo.*

[e] *Epist.* 55.

Quo tempore, Abbatibus de Hemmenrode, & de Villario, pro erectione noui Episcopatus in Treuirensi Diœcesi, ad instantiam Archiepiscopi statuenda, idem Gregorius scripsit in hæc verba [f]. 6.

[f] *Epist.* 34.

De Hemmenrode, & de Villario Abbatibus Cistercienſis Ordinis, Treuirensis, & Metensis Diœcesis.

Venerabilis Frater noster, Treuirensis Archiepiscopus, à nobis humiliter postulauit, vt, cum eius Diœcesis sit diffusa, & vbi multa est messis, plures sint operarij opportuni; creandi nouum Episcopatum in Monasterio de Pruina eiusdem Diœcesis, quod aptum Sedi Cathedrali proponit; & ibidem instituendi Episcopum, qui noxia euellere debeat, & propagare salubria; sibi debemus concedere facultatem.

Nos igitur, super hoc cum debita procedere maturitate volentes, discretione vestræ, de qua multum in Domino confidimus, per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus diligenter, & sollicitè inquiratis, si locus Episcopali Sedi aptus existat; & ita sufficientes habeat facultates, quod nomen Episcopale ibi vilescere non contingat; & an Monachorum ipsius Monasterij, & aliorum, quorum est requirendus assensus, ad id voluntas accedat: quotam etiam partem de populo, & de redditibus eius, & quot Parochiales Ecclesias velit ad hoc præfatus Archiepiscopus assignare? & quod inueneritis, per litteras vestras, expressa in eis facultatum dictarum Parochialium Ecclesiarum, populi, & reddituum, quos habere debeat, quantitate, nobis fideliter intimetis; vt per vestram relationem instructi, sicut procedendum viderimus, procedamus. Datum Interamnæ V. Kalendas Iunij, anno X. 7.

Monasterium Sancti Saluatoris de Pruina, (sic enim vocabatur) non admodum opimum, ex libris Cameræ colligi videtur. Quippe quingentis Florenorum taxa contentum: siue autem ob hanc causam, siue ob alias: seu reuera Archiepiscopus nihil aliud, quam cœnobium supprimere, & in eo velut Titularem Episcopum habere, per quem ab ouium cura subleuaretur, intendisset: Abbates consuluerunt, non oportere. Quod responsum, Gregorius fixum habens, vt præstaret assensum, nullis precibus potuit persuaderi. Certè Archiepiscopi propositio Sancta, & laudabilis; sed nullus adeò Sanctus prætextus est, sub quo non possit latere aliquid mali: nihil tam malum, cui non possit obtendi velamen boni. 8.

In Græcia, cum Imperium Constantinopolitanum, in periculo adhuc constitutum, nutaret sub hostibus; atque fideles sumptibus exhausti, vix iam haberent, vnde bellum sustinere, comparare annonam, & militibus stipendia soluere possent: idem Gregorius Archiepiscopo Patracensi, 9.

censi, & suffraganeis eius, strictè iniunxit g: *Vt decimam partem prouentuum Ecclesiarum suarum vnius anni, omni occasione, vel difficultate postpositis, prompte conferrent: idemque ab vniuersis Clericis, Rectoribus, & Beneficiatis, eorum iurisdictioni subiectis, fieri facerent. Datum Interamnæ X. Kalendas Ianuarij, anno X.* Cæterùm, vt pecuniam hanc colligerent, & eam in belli vsus applicandam, dispensarent prudenter, & fideliter; eadem die Abbatem de Sacra, Cistercienſis Ordinis, Corinthienſis Diœceſis (ignotæ hactenus nobis Abbatiæ) cum duobus collegis præfectum lego, litteris ad eos datis, quæ ita habent h.

g Epiſt. 293.

h Epiſt. 193. 10.

Abbati de Sacra, Cistercienſis Ordinis, Corinthienſis Diœceſis, Magistro Petro Cancellario Achaiæ, Subdiacono nostro Canonico Patracenſi, & Præceptori Hospitalis S. Mariæ Theutonenſis, in Romania.

Discretioni vestræ, de qua in Domino fiduciam gerimus specialem, districtè præcipiendo mandamus, quatenus decimam partem prouentuum Ecclesiasticorum, quos à Venerabili Fratre nostro Archiepiscopo Patracenſi, & quibusdam aliis Prælatis Romaniæ, ac Beneficiatis Clericis Latinis, & Græcis, eorum iurisdictioni subiectis, sicut per alias litteras accepistis, vobis præcipimus assignari; Dominum habendo præ oculis, iuxta consilium dilecti filij, nobilis viri, Principis Achaiæ, & virorum, Dominum timentium, recipere, ac dispensare fideliter in succursum Constantinopolitani Imperij procuretis; mandatum nostrum taliter impleturi, vt constitutis in ipso, diuina misericordia fauente, solatium optatæ quietis adueniat, & fidei Catholicæ gloria, votiua suscipiat incrementa; vobisque æternæ retributionis præmium, & à nobis condigna rependatur actio gratiarum. Quod autem super hoc feceritis, nobis fideliter rescribatis. Datum Interamnæ. X. Kalendas Ianuary, anno decimo. Potuissem publicis negotium hoc adiungere, & forsan debuissem; sed reseruaui in hunc locum, quia in Græcia.

---

1. *In Calatraua intrusus Hispanus Monachus*, 2. *& querelæ ad Gregorium de Magistro*, 3. *dubio iure inter Abbates Sancti Petri, & Morimundi, visitationem extraneam extorsere.* 4. *Guidonis prouidentia, & visitatio externa primum obuiata*, 5. *mox renunciata in Capitulo Paternitas Militiæ Calatrauæ*: 6. *sed à renuntiatione magis asserta.* 7. *Obtentæ litteræ, & Prior abire iussus.* 8. *Quæ præsentata in Curia*, 9. *à Pontifice confirmata sunt.* 10. *Roderici Toletani Præsulis dolor, accelerata lis*, 11. *atque datæ ad ipsum Gregorij litteræ.*

CAPVT SEXTVM.

1. INTER hæc in Hispania, Calatrauæ, in bello, prosperæ; in pace non omnino erant pacificæ. Scripserat Gregorius Roderico, Toletano Archiepiscopo, ad supplicem instantiam Regis Castellæ, vt si Abbas Morimundi forte contemneret, ipse cum Episcopis, Segouiensi, Conchensique, Calatrauam adirent a, *ac de incommodis, ex Priore Gallo sequutis, inquisita, & cognita veritate, super statutis Ordinis statuerent, quod quieti, & saluti eiusdem Militiæ nosceret expedire*: id quod superiori anno memorauimus b: siue ergo, his freti litteris, Episcopi ad Calatrauam venerint, & Abbatem Monasterij S. Petri in petita per Regem possessione: instituendi Priorem restituerint; siue Abbas ipse, nulla alia expectata auctoritate, vt Regi complaceret, Priorem miserit, quod mihi probabilius: in Calatraua excluso, aut non admisso Monacho Gallo quem Abbas Morimundi transmisisset, præsidebat Hispanus, additis sociis, Sub-Priore, & alio Sacerdote, quos Monachos, à primo eius Priore, Didaco Velasquio, Sacra Militia habere solita erat.

a Ex Regeſt. Gregor. IX.

b cap. 8. n. 10.

2. Exclusis Gallis, non ideo maior quies, adeò animis interius laborantibus, vix exterior materia, in quam morbus erumpat, deesse potest. Quod in Priorem, qui recens aduenisset, minus poterant; in Magistrum, quem diutius sustinuissent, quamuis reuera probum, atque in Militia strenuum, debacchabantur: seu vindicare expulsos animus erat; siue totius Militiæ turbationem, quam Rex, Magistro forsan instigante, Priori Gallo; ipsi Magistro magis imputabant. Constat, hoc anno missos ad Gregorium Capellanos, & milites; neque paucos ex vtrisque, sed plures numero, qui referrent Pontifici c. *Quod, cum apud Calatrauam vigere consueuerit ab antiquo, Religionis Ordo, & obseruantia regularis, nunc per iniuriam, vel malitiam potius illius, qui pro Magistro se gerit, locum regiminis per violentiam occupatis, ad tantam dissolutionem dicitur deuenisse, quod vix in eodem Ordine Religionis aliqua vestigia remanserunt.* Porrò hanc Militiam, Capellanorumque querelam Summum Pontificem adeò commouisse, vt non dubitauerit Episcopis duobus, quod hactenus non visum, conditumve, committere Militiæ, & Conuentus visitationem, litteris ad eos datis sub hoc iudicio d.

c Epiſt. 219.

Oxomenſi, & Segouiensi Episcopis.

Ad instar illius eximij Prophetarum, quem tenebat defectio animi pro peccatoribus delinquentibus legem Dei, animus noster, in quadam quasi defectione deductus, concutitur non modium, & turbatur, cum ea de personis religiosis nostris auribus referuntur, per quæ ipsorum ministerium blasphematur, præsertim de illis, quarum fama, velut hortus delitiarum, consueuerat redolere, & quæ suæ conuersationis exemplo in vitam erat aliis odor vitæ, nunc autem odor mortis in mortem, culpis earum exigentibus, sunt effectæ. Sanè ad audientiam nostram, dilectis filiis Martino, Michaële, Ioanne Martini, I. Fernando, & H. Apparicio Clericis, Guillelmo F. Ordonij, M. Roderici, F. Ioannis Roderico, & P. Ioannis, militibus, & quibusdam aliis Ordinis Calatrauæ referentibus, noueritis peruenisse, &c. Post interpositam autem relationem, subdit Gregorius. *Quia verò hæc, si vera sunt, non demus sub dissimulatione transire, mandamus, quatenus ad locum ipsum personaliter accedentes, & habentes*

d vbi suprà. 3.

habentes præ oculis solum Dominum, impendatis eidem visitationis officium, vice nostra: corrigendo, & reformando ibidem, tam in capite, quam in membris, quæ correctionis, & reformationis officio noueritis indigere. Contradictores autem, & rebelles per Censuras Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescatis. Datum Reati XIV. Kalend. Augusti, anno X.

4. Duplici ergo Morimundi Abbas, Guido, turbatus incommodo, & quod institutione Prioris Calatrauæ, atque visitatione Sacræ Militiæ timeret destitui; (quid enim Pontifex Ferdinando Regi negaret?) & quod illustrem filiam Morimundi, Cistercij membrum, Inclytam Calatrauæ. Militiam, ipsius, & Cistercij præiudicium externæ subiacere videret visitationi, sed nihilominus animo infractus, vt vtrumque euinceret, diuidendum vtrumque fore putauit. Et primo quidem apud Ferdinandum, cui probatus Magister, acceptusque, visitationem Episcopis commissam, ad tempus suspendi, mox omninò impediri, facile fuit, siue interposita ad Gregorium supplicatione; seu cedentibus illis, ad quorum petitionem concedebatur. Maximè ipso, in quem procedendum erat, occupato apud Regem, atque in Castris ipsius strenuo Duce, penes quē, vt statim indicabo, insignis Vrbis Cordubæ expugnatæ, momentum, atque pondus hoc anno fuit. Ideò præcise eam visitationem iniunctam exteris, quia diuisis domesticis, & propriis, alteri præiuditium, quocumque designato, posset inferri. Eam diuisionem breui terminandam, insequenti Capitulo, quod quando audebit Regi contraire? indignum esse, si ob dissidium leue, communia iura pareant; & Calatraua patiatur externum iugum, quod forte numquam à ceruice possit excutere. Occurrendum initio nascenti malo: & subtrahendos, qua liceat, nouo oneri humeros, nondum suetos: ne, si semel portasse compertum sit; non possit importabile allegari. Correctionem alienam decere eos, qui non habent, à quibus corrigantur. Cistercium hactenus corrigere alios natum, suetumque numquam eo remedio indiguisse, sed nec tunc indigere, si Deo placet: & Calatrauam accessisse nostris, non vt infringerent, sed vt frueretur, atque hanc gloriam, & alias cumularet. Reuerenti Cistercium Sancto Regi, quin & ipsis Episcopis, hæc omnia persuadere facile fuit.

5. Tum vero Guido, Capitulo expectato, atque in eo comparens, proponensque, sibi non vnquam litigandi animum fuisse, pro Calatrauæ domo possidenda: quam vt plurimi faciat, quod non negat; at tot, ac tantis filiabus dilatatum per vniuersum orbem, non eius prolis Morimundum indigam esse. Acceptasse antecessores suos, non ambiuisse Paternitatem eius; vt obedirent magis quam vt acquirerent: neque in fauorem Morimundi factum, sed Calatrauæ, vt vni ex primis quatuor, Patriarchali Abbatiæ commendaretur. Tum, si de ea certandum sibi foret; at non cum filia, ne dum cum Abbatia S. Petri, nondum Cistercienſi, cum Morimundo Calatraua tradita fuit. Sed habeat tamen, si expedire ita videtur, quæ sibi vsurpat iura, se libentissime cedere Capitulo, quod à Capitulo habuit. Tradatur Calatraua, cui visum fuerit, dum modo is, qui habeat, ita regat, vt rationem illius reddere possit: nec verus Pastor pascere impediatur commissas sibi oues; aut facere cogatur alium, quod per se debet. Dixit, atque prolatis instrumentis, in quibus ius Morimundi continebatur; reddere se testatus, quæ accepisset, Paternitatis iure se abdicauit, vt Calatraua, cui magis expediret, commendaretur.

Obstupuere Patres constantiam viri, atque exarsissent in Abbatem Sancti Petri, qui se Patri opponere, atque ad eas adducere angustias ausus esset; nisi à sede resiliens, obtenta venia; se in eodem Capitulo, anno proximo, cuicumque iure, quod longa possessione acquirere potuisset, renunciasse, quod omnibus constabat, allegauisset. Igitur facta breui collatione, quia res comperta, & instrumenta per omnia contestabantur, Abbas Cistercij, cum aliis tribus primis, ne res iterùm in dubium sub quacumque occasione adduci posset, scriptum hoc ad perpetuam rei memoriam exarari fecerunt, atque suis sigillis consignatum, in triplici exemplari, alterum in Cistercio, in Morimundo alterum, & tertium reponendum iusserunt in Calatraua [d]. 6.

d Ex Archiuis Morimundi.

Nos Fr. Guido Cistercij, & Nos de Firmitate, Pontigniaco, & Clara-Valle, Cistercienſis Ordinis Abbates, notum facimus omnibus, præsentes litteras inspecturis, causam super facto de Calatraua, quæ nullo mediante est filia Morimundi, & vertebatur inter Abbatem dicti Morimundi, & filium eius, Abbatem S. Petri prope Gumielem, *anno præterito M. C C. XXXV. est autem in hunc modum. Causa inter dictos Abbates, Morimundi scilicet, & filium eius, Abbatem S Petri Gumielensis, in audientia totius Capituli Generalis late discussa, quia constitit per legitima instrumenta, iniunctam litem mouisse filium aduersum Patrem; quia similiter constat, diffinitionibus, Abbatem S. Petri anno præterito renunciasse omni iuri, quod sibi in visitatione Calatraua, atque in institutione Prioris competere, dictitauerat; cum etiam Capitulo omnino certum sit Calatrauam esse propriam filiam Morimundi, quæ nullo ad ipsam pertinet mediante: eadem filiatio, auctoritate dicti Capituli confirmatur, indicitur que perpetuum silentium Abbati S. Petri, & Conuentui eiusdem Monasterij, ita vt quicumque super hoc litem mouere tentauerit, si Abbas fuerit, sciat, se ipso facto esse depositum; si Monachus, aut conuersus, à propria expellendum domo, numquam ad eam, sine Capituli generalis licentia, reuersurus. Monachus verò, qui à dicto Abbate S. Petri, in Priorem Calatraua promotus dicitur, & socij eius, ad propriam domum sine mora redeant; aliter, si ante Natiuitatem Domini reuersi non fuerint, sciant, se excommunicationis sententiam, auctoritate Capituli incurrisse. Vt autem hoc firmum, incorruptumque permaneat, præsentes litteras dari iussimus, & eas nostris sigillis communimus. Actum Cistercij in Capitulo Generali, Anno M. C C. XXXVI.* 7.

His litteris acceptis à Guidone, quo vires viribus, & publicè priuatis adiicerentur, easdem ad Gregorium Papam misit, quasi per eas respondens, his, quæ ante annum ab ipso suscepisset; nec renuens obedire, si adhuc aliquid à Gregorio præciperetur; sed veluti resignans, quod ius habebat in Pontificis manus; nec nisi ad eius mandatum quid ausurus. Distulit aliquandiu responsum Pontifex, fortè dum Ferdinando Regi scriberet, ne quid in ipsum, sine ipso facere, in re tanti momenti videretur: maximè, cum Rodericus Toletanus hoc anno ipsum inuiserit; & credi possit, multa suggessisse, quæ promouere petitionem Regiam possent. Sed tandem sub initium anni 8.

sequentis,

sequentis, Rege haud dubie volente, & consentiente, Capituli decretum confirmauit, litteris expeditis, quæ in Calatrauæ Archiuis hodieque extant, quarum transsumptum, vel quia parum distarunt ab hoc anno, vel quia in eo nos sistimus, nequaquam ad sequentem progressuri, præcedentibus censui subiiciendum [c].

[c] Ibidem. 9.

Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis Abbati, & Conuentui Morimundi, Cisterciensis Ordinis, Lingonensis Diœcesis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Quod iudicium, concordiaque decernunt, debet firmum, & incorruptum permanere: & ne in contemptum aliquando veniat, Apostolica auctoritate fulciri. Sane petitio vestra, nobis nuper exhibita, continebat; quod, cum olim inter vos ex vna parte, & Abbatem, & Conuentum Monasterij S. Petri de Gumiel, vobis subiecti, ex alia, super subiectione Conuentus Calatrauæ, quæstio fuerit ventilata: & in præsentia Capituli Generalis, per legitima instrumenta constiterit, prædictum Calatrauæ Conuentum ad Morimundum, tanquã veram eius filiã, nullo mediãte pertinere: Diffinitores prædicti Capituli, Abbati, & Conuentui S. Petri, super prædictis silentium imposuerũt, provt in litteris desuper cõfectis plenius dicitur contineri. Quapropter pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum vt sententiam prædictorum diffinitorum Apostolico roboraremus præsidio, & nostri mandati munimine fulciremus. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, prædictam sententiam, tamquam legitimam, & iustam, nec vlla iuris appellatione suspensam, Apostolica auctoritate confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, aut ausu ei temerario contraire, &c. Datum Viterbij, Nonas Ianuarij, Pontificatus nostri anno X. Hactenus Gregorius, cuius litteris tunc cunctis obsequentibus; quis crederet post alia quatuor sæcula inconcussæ obseruantiæ, hoc nostro tandem, non solum quoad Gallum, sed quoad Monachum reiiciendas fore?

16. An Rodericus Toletanus Præsul doluerit, retractum, quod ipse fecerat? In dubio est. Constat, hoc tempore innouatam ab eo litem contra Calatrauenses, quæ ferè per decennium sopita fuerat: verum vrgenti, vt tandem terminaretur, iudices ex Cistercio designatos, Abbatem, & Priorem Vallis-Ecclesiarum, quos suspectos habuerit, & ideo litteras alias impetrauerat, cauendo præiuditio, quod ex Prioribus inferri sibi putabat. Priorum litterarum initium, est hoc [f]? *Olim Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Toletano, nobis humiliter supplicante, vt, cum causa, quam inter ipsum ex parte vna, & Magistrum, & Fratres Calatrauenses, Cistercienſis Ordinis, Toletana Diœcesis, ex altera, super obedientia, quibusdam Ecclesiis decimis Regalium reddituum in Calatraua, & locis aliis, seu Villis in eadem Diœcesi constitutis, decimis quoque Quintariorum, & molendinorum, ac libertatibus Clericorum, pedagiis etiam, & exactionibus indebitis, & quibusdam aliis articulis; coram diuersis iudicibus auctoritate Apostolica per decem annos, & amplius agitata, non solum debitum finem nondum accipere, sed nec etiam ad litis contestationem potuerit peruenire; ipsam ne immortalis existeret ad examen curaremus Apostolicum reuocare. Nos finem litibus cupientes imponi; dilecto filio Abbati, & Priori Vallis Ecclesiarum eiusdem Ordinis, nostris dedimus litteris in mandatis, vt eosdem, Magistrum, & Fratres, &c. Datum Interamnæ VI. Idus Nouembris, anno X.*

[f] *Epist.* 231.

Verùm cum Procurator Archiepiscopi (neque enim Cistercium ipse recusaret) his sese litteris constanter opposuisset, quasi in in causa aduersus Cistercienses, Cistercienſium indicium pertimesceret, idem Gregorius, eundem intra mensem, alias ad Rodericum litteras dedit, in quibus præcedentes, quantum ad ipsum (nam alios etiam plures concernebant) non reuocabat quidem, sed suspendebat; aut ita eneruabat, vt nihil quod in virtute illarum fieret, illi nocere posset, præcaueret, erant autem tales 8. 11.

Archiepiscopo Toletano.

Cum dilectis filio, Magistro, & Fratribus Calatrauenſibus, Toletana Diœcesis, super Castris, Villis, possessionibus, terris, redditibus, ac aliis bonis tuis, in communi forma litteras duxerimus concedendas, quibus à Procuratore tuo in publica audientia exiterat contradictum; nos fraternitatis tuæ supplicationibus inclinati, prædicta auctoritate statuimus, vt in omnibus terminis, & rebus aliis, super quibus est dubium, nullum iuri tuo præiudicium generetur. Datum Interamnæ IV. Kalendas Decembris, anno decimo. Ita Gregorius.

---

1. *Calatrauenses in bello fœliciores, & Corduba expugnata, 2. Lupum Fiterij Monachum, primum illius Vrbis Præsulem vident. 3. Apostolatus eius, 4. confirmatus Gregorij Noni litteris. 5. Dotatio Ecclesiæ, 6. Consecratio Episcopi, & subsequutum statim augmentum dotis. 7. Ecclesiæ eiusdem in Lupum eximia pietas. 8. De Monachatu eius dubia leuia, 9. & responsiones faciles. 10. Cessio, & successio Abbatum in Populeto. 11. Rodulphi, Lugdunensis Præsulis, mors, 12. & cœnobium fundatum à nostris Prædicatoribus.*

CAPVT SEPTIMVM.

1. HIc status rerum erat in Calatraua: in pace quidem turbidus; verum in bello fœlix, prosperque, cum Ferdinandus Beticam fere omnem, Sarracenis ab ea pulsis violenter, suo passim Imperio subiugaret; & vix quid magnum in tanto bello ageret, quod non Calatrauenſibus Militibus, atque ipsorum virtuti ferret acceptum, & erat in illius Castris Sant-Iacobæi, atque Alcantarenses: erant & Regni vtriusque inclyti Proceres, Legionis, & Castellæ: sed nescio, qua speciali prærogatiua, Calatraua fulgebat inter omnes; atque illius Magister, Fratresque, Christianis præsidio; Sarracenis timori, esse solebant. Hoc ipso anno expugnata Corduba vrbs, quæ ab olim, & ingeniis, & armis celebris, Maurici tunc Imperij caput erat; Calatrauenſium maximè virtuti, si

qua

qua fides antiquis, adscribebatur. Vndè fortasse Ferdinandus motus est, vt ad Episcopatum illius restituendum, quasi in memoriam S. Raymundi, Fiterienſis Abbatis, qui primus Calatrauæ extitit auctor, vnum è Monachis Fiterij præsentaret in Episcopum primum, Magistrum Lupum, per quem vrbs tota ad normam Euangelij, & ad Christianos ritus reduceretur.

2. De Calatrauæ Militum virtute, in ea expugnatione, multa colligit Rades in suo Chronico [a], at de eadē Cordubæ captione, expiationeque à profanis ritibus, & de Magistri Lupi præfectura, Ioānes Mariana, ex antiquis, quāuis errori suo de Fiterio ad Pisoricam adhærens, hæc habet verba [b]. *Hanc Vrbem, id est Cordubā, obsidebat Ferdinandus anno M.CC.XXXVI.* Et paulò inferius, *Iunij mensis die XXIX. qui Petri, & Pauli memoria sacer est, Vrbe capta, in Summa Templi Cordubensis Turri, vnde in omnes partes despectus erat, Crucis signum, Regiumque vexillum collocata, Templū ipsum, quod Mahometis superstitioni dicatū erat, expiatū Christiano ritu, sacratumque ab his Episcopis, qui magno numero Regem ad bellū secuti erant. Lupus, Fiterij ad Pisoricam Monachus, Vrbi datus Episcopus, ex Regis voluntate, & Roderici Toletani Præsulis auctoritate: cuius, quoniam Romam iuerat ex tempestate, Ioannes, Vxamensis Episcopus, vicarias partes obibat.* Hactenus ille, cui cæteri concordant, non solum recentiores, sed antiqui.

a *cap.* 18.

b *lib.* 12. *c.* 18.

3. Itaque facit ad insignem Cistercij gloriā, quod restitutæ Christo Cordubæ, Vrbi, totius pene orbis, nedum Hispaniæ, tot titulis gloriosis opinatissimæ, quæ inter Gentiles, Lucanos, Senecasque, inter Christianos, Osios, inter Sarracenos, Auicenas, atque id genus alios, neque minus fortes, quā doctos protulisset; primus Episcopus ex Cistercio electus sit, qui veluti secundus eius Apostolus, fidem eradicatam, reseminaret; plantaret vineā, coleret; atque constantia, industria, laboreque, ad eum statum reduceret, in quo olim floruisse palam erat, & incepisse, Apostolorum more, in magna paupertate, penuriaque, atque inter gladios hostium Christi Crucis, conueniunt litteræ Gregorij Papæ Noni, sequenti anno expeditæ, in quibus teneram adhuc plantationem, aut opprimendam timens, aut defuturam, nisi ei subueniatur à Christianis, hæc scribit verba [c].

c *Ex Archi. Cord.*

4. *Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, vniuersis Christi Fidelibus.*

Cum Ecclesia Cordubensis, vtpote nuper ad cultum fidei Christianæ, Domino fauente, conuersa, in redditibus, ad præsens sit tenuis, & ex illis, tamquam nihil obtinens extra muros (vt, quod absit, necessario destituta præsidio, quæ in Sarracenorum frontaria, immò inter ipsos Sarracenos est vndique constituta, ab inimicis Crucis, & fidei opprimatur) vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur, quatenus de bonis, à Deo de vobis collatis, pias eleemosynas, & grata charitatis subsidia erogetis, &c. Datis Viterby, V. Kalend. Octobris, Pōtificatus nostri anno XI. Ita Gregorius misertus tenellam vineam.

5. In hac paupertate electus noster fuit, fortè Gregorio nolente confirmare, quod vsque redditus Ecclesiæ prouiderentur, vsque ad sequentem annū M.CC XXXVIII. Quo Ferdinandus largitate solita, tam mensæ Episcopali, quam Ecclesiæ, de suis redditibus donauit opimos redditus. Extat, & legitur, hodieque fructificat donatio confirmata per instrumenta, sequenti anno expedita in fauorem eiusdem adhuc electi, ideſt nondum sacrati, sub hoc tenore [d]. *Tam præsentibus, quàm futuris notum sit, ac manifestum, quod Ego Ferdinandus D.G. Rex Castellæ, Toleti, & Legionis, Galleciæ, & Cordubæ, &c. Facio chartā donationis, concessionis, confirmationis, & stabilitatis Deo, & Ecclesiæ Cathedrali B. Mariæ de Corduba, vobisque Magistro Lupo, dilecto nostro, instanti eiusdem electo, & successoribus vestris, & vniuerso Canonicorum Capitulo præsentibus, & futuris, &c. Dono itaque vobis decimas Almoxarifatus mei, Alguacilatus, Quintarum, Salinarum, & apotheca mea, & omnium redditum, quos in Corduba habeo; & dono vobis duos furnos, & illas duas acenias, quæ fuerūt Ordonij Aluarij, & dono vobis quingentas arencadas vinearum, & centum arencadas hortorum, & terttā partem totius Olineti mei, &c. Facta charta apud Vallis-oletum XII. die Nouembris. Æra M.CC.LXXVII.* Hactenus instrumentum factum intra biennium, id est anno M.CC.LXXXVIII. in quem incidit Æra, quam designat. Quo item anno in aliis donationibus, siue instrumentis publicis, idem Magister Lupus subscriptus legitur *Lupus electus Cordubensis confirmat.*

d *Ex Archiuio Ecclesiæ Cordubensis.*

Hanc Regiam dotationem nouæ Ecclesiæ, seu innouatæ magis, Episcopi consecratio subsequuta est, concedente Gregorio, qui sponsalibus Lupi celebrandis, solā sponsæ dotē expectauisset. Cæterum reuerentia in nouum Præsulem, ac Regia largitate effectum est, vt primam pinguem, secunda cumularet, pinguior adhuc; donato Ecclesiæ & Lupo iam Episcopo Oppido de Lucena (cuius & Rodericus Toletanus in sua historia meminit [e], & donationis ipsius instrumenti, quod hodieque seruatur, & ita habet [f]. 6.

e *lib.* 9. *c.* 17.

f *In Archiu. Cordub.*

Tam præsentibus, quam futuris, notū sit &c. Quod Ego Ferdinandus, Dei Gratia Rex Castellæ, &c. facio chartā donationis, &c. Deo, & Ecclesiæ B. Mariæ Cordubensis, & vobis Domino Lupo, eiusdē Ecclesiæ instanti Episcopo, & successoribus vestris, totique Capitulo Canonicorū, perpetuo, & irreuocabiliter valiturā; dono itaque, & concedo vobis Villā, quæ vocatur Lucena, cum montibus, & cum fontibus, &c. Facta charta apud Burgos XXI. Iulij Æra M. CC. LXXIX. Itaque debet Cordubensis Ecclesia Lupo, non solum sua initia, gloriosa sanè, post fœces Sarracenas, sed incrementa.

Quo anno obierit Lupus? nondū constat; nisi quod tamen, anno M. CC. XLVI. quo creditur Gieniū expugnatum, iam obierat, & Gutierrus, vt alij aiunt, successerat. Obiisse dicitur mēse Iunio, quo & celebris in Ecclesia Cordubensi habetur eius memoria, Anniuersario, solennique suffragio, & Processione ad locum, in quo corpus ipsius quiescere creditur. Habet præterea singulis aliis totius anni mensibus propriam commemorationem, in libro perantiquo Sanctæ eiusdem Ecclesiæ ita scriptā. *MEMORIA DE DON LOPE ET PRIMERO, ELECTO, QVE FVE EN CORDOBA, YOBISPO EN EL CHORO.* Ita fere in cunctis anni mensibus, in Iulio vero mutatis non nihil verbis. *MEMORIA DEL OBISPO DON LOPE EL PRIMERO, QVE FVE EN CORDOBA DESPVES DE LA CONQVISTA.* Vt verè S. Ecclesia Cordubensis vix primo suo Episcopo plus debeat, quam grata per soluat: saltem vix habeat humana gratitudo, quo possit vltra progredi, si rerum cursum consuetum velis attendere. Atque hæc omnia de Episcopo Lupo licenter anteposui, & primæ eius electioni coniunxi, seu, ne diuiderem, seu, ne omnino 7.

nino tacerem, non vltra progressurus in hoc itinere.

8. Audiui quosdam in Vrbe Cordubensi, de Monachatu Lupi dubitare: quærereque argumenta, quibus probent, ipsum de sæculo, ad infulas assumptum, neque vnquam Monachalem vestem induisse: duo præcipuè; alterum, quod non FRATER appelletur in instrumentis, cum tamen alij notentur ex eo nomine: alterum, quod legatur donatus quibusdam bonis, possessionibusque, non vt Ecclesiæ cederent, sed vt ab ipso liberè, & iure hæreditario possiderentur; in quos liberet vsus distribuendis. Quin & hoc etiam ante Episcopatum, quod instrumentum videtur comprobare g. *Tam præsentibus, quam futuris notum sit, &c. Quod ego Ferdinandus Castellæ, & Toleti Rex, &c. facio chartam donationis, &c. Vobis dilecto meo Magistro Lupo, instanti electo Cordubensis Ecclesiæ, perpetuo valituram. Dono itaque vobis, & concedo in Corduba vnum furnum, & quindecim arencadas vinearum, & tres arencadas horti, & vnam ruedam acenia in illa piscaria, quam habet Episcopus Cordubensis, aliam ruedam, & domos illas, quas dedi vobis, quando Cordubam acquisini; & hæc omnia dedi vobis, antequam esses electus. Supradicta, inquam, dono vobis, vt ea semper hæreditario habeatis, & in perpetuum possideatis pacificè, & quiete ad faciendam de eis, quicquid volueritis, dando, vendendo, concamunando, impignorando, seu quodlibet aliud faciendo, &c. Facta charta apud Burgos. REX. Ex quarta die Februarij, Æra M. CC. LXXVII.* His Ferdinandi verbis conuinci putant, contra omnes Auctores, non extitisse Monachum, cui tali modo donatio facta fuit.

g. In Tabulario Cordubens.

9. Vtraque difficultas ortum habet ex minori notitia antiquitatis, in qua Monachi sæpè seipsos Fratres; sed nunquam tales ab aliis vocabantur. Ita Bernardus à nullo FRATER vnquam, à nullo Stephanus; sed nec Raymundus, aut Didacus Velasquius, quos Monachos fuisse, compertum est, Fratres à Roderico Toletano, qui eos, & qui Lupum primus scripsit, aut ab vllo alio auctore nominantur. Quod si in Catalogo Episcoporum Cordubensium Fratres alij dicuntur, illi sunt, qui assumpti ex mendicantibus; quos omnes semper Fratres appellabant. Donatio Regis contrarium mihi confirmat; & Monachatum Magistri Lupi probat. Quod enim ante adeptum Episcopatum, nisi ad vsum habere nihil potuit, indiguit postea repeti, atque ad Dominium earundem rerum extendi. Quod vero Episcopi, etiam religiosi, ex tempestate testari, de his, quæ habebant, poterant (quod in Hugone, Alano, & aliis superius vidimus) consecratus accipere illa potuit iure hæreditario, in quos liberet vsus distribuenda; quod antea illi nullatenus licuisset. Hæc in gratiam eorum, qui dubitarunt, quia aliàs nobis benefici, instrumentorum transsumpta ex Sanctæ Cordubensis Ecclesiæ Tabulario communicarunt.

10. Hoc ipso anno in Monasterio Populeti, Vitalis Abbas, post quadriennium laudabiliter exactum in præfectura, post fundatam Ecclesiam in Maiorica, quam Regalem fundator appellauit, cum multa gratia polleret apud Iacobum, atque Gregorio Nono in pretio esset, ob egregias, quibus pollebat, animi dotes; cum plures, & maiorum rerum spes alere posset; solius quietis appetens, inuito Rege, & Monachis obtinentibus, nihilominus baculum deseruit, priuatam vitam ibidem peracturus. Successit Raymundus cognomento Ciscar, cuius tempore, à Iacobo, Valentia capta, insigni Prioratui locum dedit, in ipso loco Martyrij S. Vincentij? Acceptauit Raymundus, & misit Monachos, per quos habitaretur. Nec longè post, in Episcopum Illerdensem, Rege ipso procurante, assumptus est, vt suo tempore prosequenti Annales dicendum erit.

11. Paucos ante menses, quem quondam ex Abbate Claræ-Vallis, in Episcopum Agenensem assumptum diximus, Radulphus, in Archiepiscopum Lugdunensem promotus, principium Pallij coniunxit cum fine vitæ; quippe, vt aiunt Tabulæ Archiepiscoporum Lugdunensium, vno tantum mense Sanctam Lugdunensem Ecclesiam administrauit. Obiisse dicitur in eisdem Tabulis, tertio Nonas Martij, anno M.CC.XXXVI. corpus eius, vt dixi in Appendice prioris Tomi, ad suam Claram-Vallem delatum est, atque ibidem sepultum, non longè ab Archiepiscopo Londensi Venerabili Æschillo, sine vlla inscriptione (fortè sic iussit) sed confertata in libro sepulchrorum (quod prohibere non potuit) memoria viri totidem verbis: *Sepultus est etiam ibidem Sanctæ, & dulcis memoria Dominus Radulphus, quondam Abbas Claræ-Vallis, deinde Agenensis Episcopus, & demum Archiepiscopus Lugdunensis.* Memoratur à Chrysostomo Henriquez in Menologio, ipsa, qua obiit, die; addito Epitaphio, quod tamen ad sepulchrum eius non legi, qui lustrauit, Bernardus Villalpandeus testatum habet. Et planè quod adducit Henriquez tale est vt vix mereatur sepulchro superponi Viri illustris.

12. Eodem anno, die vigesima mensis Iulij, liberalitas, simul & pietas Cisterciensis familiæ, erga nouam, sed iam satis adultam, Prædicatorum, manifestè enituit; fundato illis in Luca Monasterio, dotatoque, quod eorum Annales his verbis narrant h. *Anno M. CC. XXXVI. aliqui Patres Ordinis Prædicatorum, qui hactenus habitauerant in Monte-S. Pantaleonis, quatuor ab Vrbe Luca miliaribus, cupientes in Vrbem transferre suam habitationem, opportunam nacti sunt occasionem, quo votis satisfacere possent. Nam Ioannes, Abbas Monasterij S. Pantaleonis, Cisterciensis Ordinis, exemplo religiosæ Fratrum conuersationis permotus, de suorum Monachorum consensu, die vigesima Iulij huius anni M. CC. XXXVI. liberaliter concessit Fratri Ioanni, Ordinis Prædicatorum Priori Prouinciali, Prouinciæ Romanæ, & Ordini suo Ecclesiam S. Iuliani, cum claustro, dormitorio, & aliis officinis, pertinentibus ad dictum hospitium. Item dono dedit, aliam Ecclesiam, dictam S. Bartholomei, & Hospitale quoddam, eidem annexum; cum aliis bonis intra mœnia Vrbis; instrumentum publicum donationis conseruatur adhuc in Archiuo Lucensis Conuentus, subscriptione Notarij, & sigillo munitum.* Hactenus ex antiquis monumentis Maluenda in suis Annalibus, quibus consonat Cæsar Franciottus in Historia Lucensi; vt palam sit, quam sine æmulatione ageretur à nostris, qui eos, quos participes functionum, & in cunctis Ecclesiæ ministeriis, velut additos socios experiebantur, quod cœpimus videre; non solum non ab opere auertebant, aut retardabant; sed promouebant semper; & velut successores futuros, vel ex his, quæ sibi demebant, accumulabant.

h. Apud Maluendam.

1. *Acta Capituli*, 2. *& Chronologia accrescentium Ecclesiarum.* 3. *De Paradiso*, 4. *& de Capite Laci*, 5. *ex litteris Gregorij*, 6. *certa notitia*, 7. *vniuersam historiam continens.* 8. *Canonica S. Petri in Amalfia*, 9. *& Sancti Saluatoris de septimo in Florentia* 10. *variæ notitiæ.* 11. *Dictum de Monasteriis S. Cassiani*, 12. *atque S. Damiani, nostris vnitis.* 13. *Item de alio in suburbio VVormacienſi, quod Moniales Cistercij, Canonicis Regularibus subrogauit.*

CAPVT OCTAVVM.

1. VLTIMA ex more sequuntur Acta Capituli atque accessiones nouarum Ecclesiarum, quæ in dies crescebant, & multiplicabantur per totum orbem. In prioribus præter ea, quæ de iure Morimundi in Sacram Calatrauæ Militiam superius diximus, vix quid aliud Actum, quoad nos vsque meruerit peruenire. Iussa tamen in Kalendariis scribi per totum Ordinem commemoratio S. Francisci, Minorum Patriarchæ, atque annis singulis pridie ante festum eius, inter reliquos Sanctos enuntiari. Edita & alia lex pro Monialibus, per quam nimia licentia varietaris, aut multiplicitatis, in vestibus earum coarctaretur: relicto arbitrio inter pallium, & cucullam; sed neutrum, sine alterius exclusione; atque forma præscripta tegmini capitum; vt velaminibus, illius sexus propriis non capuciis, vt Monachi, operirẽtur. Verba legis, vt extant, ita habẽt. *Moniales habeant cucullam, sine Mantello, vel Mantellum, sine cuculla; & velaminibus nigris, semper scapularibus, temporibus laborum vtantur. Sed sint sine capuciis, tam scapularia, quam cuculla.* Itaque credibile fit, vsas antea capuciis, quo magis Monachis assimilarentur.

2. Quod attinet ad Ecclesias, additas nostris, in Chronologia quinque notatas, video. *Anno, inquit, M. CC. XXXVI. Tertio Idus Nouembris, fundata est Abbatia Paradisi.*

Eodem anno, Abbatia Fontis Clari.

Eodem anno, Abbatia de Capite Laci.

Eodem anno, Abbatia Canonica in Amalfia.

Eodem anno, mense Iulio, Abbatia S. Saluatoris de septimo in Tuscia. Porro ex his quinque, Fontis Clari Abbatia prætermissa, quia nobis incognita de reliquis nonnihil dicendum erit.

3. Et quidem Abbatia de Paradiso, in Polonia, Diœcesis Posnauiensis, Grisonius, seu Bronisius Comes condidit, atque ample dotauit, Monachis ex Lemnin cœnobio adductis, adeóque auctoris lineam Morimundi. Meminit huius non vulgaris fundationis Martinus Cromerus in sua Poloniæ historia, totidem verbis.[a] *Bronisius etiam Comes, gente Vienauius, cuius insigne est caput Bisontis, in pago suo, iure hæreditario, Goscicouo, in Posnauiensi Diœcesi iisdem Cistercienſibus Monasterium condidit, quod Paradisi nomine tunc dici cœptum, etiam nunc eam appellationem retinet.* In historia Polonica, collecta ex Bibliotheca Ioannis Pistorij, dotatio additur, atque vnde missi Monachi, & sub quo Archimandrita, declaratur. *In prænominata Villa, ait,*[b] *ex tunc Paradisus vocari cœpit Monasterium Ordinis Cistercienſis, sub honore Dominæ nostræ Mariæ fundauit. Pro dote præfatã Goscichovv, & Villas Videlzliam, Clodevvane, Gorzicham, & Polencz assignando. Fratres in hoc cœnobium de Monasterio Lemnin, de annuentia Hermanni, Abbatis Lemnenſis Monasterij, introduxit. Primus autem Abbas in huiusmodi nouiter fundato Monasterio fuit Frater Mensco.* Hactenus de initiis huius cœnobij. Nam quæ illi euenerunt plura, & singularia, continuatori, si quis fortasse fuerit, suis locis narranda reseruamus.

a *lib. 8. ante medium.*

b *lib. 3. c. 35.*

Monasterij de Capite Laci, Mediolanensis Diœcesis, Ordinis olim Nigri, reformationem sub cura Claræ-Vallis Mediolanensis Abbatis, atque illius Historiam, non aliis verbis narrare melius potero; quam si Epistolam tradam Gregorij Noni, ad Vice-Dominum Mediolanensis Ecclesiæ scriptam, vt eam firmam inconcussamque seruaret, cum Monachi à ceruice iugum excuterent. Ea autem ex Regestis transcripta, rem sic depingit[c]. 4.

c *Epist. 313.*

Vice-Domino Mediolanensi.

Dudum intellecto, quod Monasterium de Capite-Laci, Ordinis S. Benedicti, Mediolanensis Diœcesis; quod ab antiquo spiritualium, & temporalium bonorum consueuit vbertate florere, adeo erat in vtrisque collapsum, bonis ipsius dilapidatis enormiter, & consumptis, quod religionis vestigia vix remanscrant eodem; Venerabili Fratri nostro, Archiepiscopo Mediolanensi, dicimur mandauisse, vt personaliter ad Monasterium ipsum accedens, & impendens eidem visitationis officium vice nostra, corrigeret, ac reformaret ibidẽ, tam in capite, quàm in mẽbris, quæ correctionis, & reformationis officio nosceret indigere.

Cumque idem Archiepiscopus ad idem Monasterium accessisset, Abbas, & Conuentus eiusdem, asserentes ex eo indebitè se grauari, quod præfatus Archiepiscopus copiam sibi rescripti Apostolici facere denegaret, humiliter requisitus; nostram audientiam appellarunt. Quare iidem, quia propter subterfugia eorundem, plaga ipsorum non potuit foueri oleo, nec curari medicamine, neque circumligari correctionis nexibus, insolentiores effecti, addentes peccata peccatis, pejora prioribus commiserunt, se ad inuicem himis crudeliter occidendo. Verum nos attendentes, quod dictum Monasterium in Ordine suo non poterat reformari, iam dicto Archiepiscopo iterato mandauimus, vt illud in eo, quod expedire videret, Ordine reformaret. 5.

Cæterum, cum dicti Abbas, & Conuentus, innitentes appellationi præmissæ, ad Hugonem, dictum Mursum, Canonicum Nouariensem, super ipsa nostras litteras impetrassent, idemque, ne in negotio iuxta mandati nostri tenorem procederet, Archiepiscopo inhibuisset eidem: memoratus Archiepiscopus, inhibitione huiusmodi friuola reputata, prædictum Monasterium dilectis filiis Abbati, & Conuentui Claræ Vallensi, Cistercienſis Ordinis, plene concessit, de ipsorum Ordine reformandum: in recompensatione onerum, in quibus Monasterium ipsum sibi, & Ecclesiæ Mediolanensi tenebatur, quadam de possessionibus eius portione retenta, iuxta dispositionem dilecti filij Prioris S. Eustrogij, Ordinis Fratrum Prædicatorum Mediolanensium, cui super hoc direximus scripta nostra. 6.

Quare

Quare fuit ex parte ipsorum Abbatis, & Conuentus Claræ Vallis nobis humiliter supplicatum, vt concessionem huiusmodi Apostolico curaremus munimine roborare: quo circa mandamus, quatenus, non obstantibus litteris, ad eundem Canonicum à Sede Apostolica impetratis, habitoque processu per eas dem; quod ab ipso Archiepiscopo prouide factum est in hac parte, facias per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter obseruari: nominato Canonico, ne vlterius auctoritate litterarum ipsarum procedat in ipso negotio, nihilominus inhibendo. Datum Iteramnæ, III. Kalendas Ianuarij, anno X. Hactenus epistola Gregorij Summi Pontificis. Mansit ergo Monasterium de Capite-Laci Cistercio vnitum, sub filiatione Claræ-Vallis Mediolanensis, adeoque adaugens lineam Claræ-Vallis.

8. Canonica in Amalfia, alias S. Petri de Amalfia, siue Canonica S. Petri, (sic enim video promiscuè nominari) hoc anno memorata in Chronologia, antiquior domus, neque solum sub aliis institutis, sed sub Cistercio. Quippe ante quinque annos datæ leguntur Gregorij Papæ litteræ, in hunc modum scriptæ. *S. Petri de Amalfia, Cistercienſis Ordinis, & S. Petri de Ebulo, Salernitanæ Diœcesis, Abbatibus.* Quarum nos suo loco mentionem fecimus. Cæterum antiquiorem adhuc sub aliis legibus, probat textus in capite *ex litteris de officio iudicis.* In quo Honorius visitatam à quodam Fossæ-nouæ Monacho, vt apparet in integris, ex commissione Pontificis; mox cum Abbate, & Conuentu eiusdem domus, memorat litigantem, velut, quæ omnino à Cistercio extranea esset. In libris Cameræ Petri de Canonica, Amalfitanæ Diœcesis, exigua, sex, & sexaginta Florenorum, notatur taxa. Atque Abbati, & Conuentui eiusdem domus, inuenio Alexandrum Quartum scripsisse litteras, datas Neapoli, XVI. Kalendas Maij, Pontificatus ipsius anno primo. Monachi, qui Cistercium docerent antiquos dominos, ex Clara-Valle missi Lingonensi. Quare inter eius immediatas filias, in Genesibus cūctis inuenitur.

9. Vltima omnium Sancti Saluatoris de septimo Abbatia, in Italia etiam, in Florentina Diœcesi nostris accessit, septimo ab ipsa Vrbe Florentia lapide, vt in aliquibus antiquis instrumentis notatum video. In libris Cameræ pinguis apparet domus, sexcētorum Florenorum taxam adæquās. Monachi ex S. Galgano missi. Claræ-Vallis lineam propagarūt. Huius illustris Monasterij cōuersus fuit, Beatus ille Tutius, siue Lucius, qui die, & hora, qua ex hac vita transiit S. Antoninus, Florentinus Archiepiscopus, dum longe positus precibus insisteret [d], *Vidit mubeculam splendidam pyramidali forma, intraque illā infantulum liquido in aëre pendere, quæ Antoniano suburbano, vbi Sanctus Præsul obierat, adstās, paulatim ad sydera tollebatur.* Atque hūc habebat anno M.CCCC.LIX. quo Sanctus obiit, cum dissolutis obseruantiæ habenis per laxamenta, non sola Cistercienſis familia, sed recentiores etiam, à primitiuo rigore degenerauerant. Quot, quantosque habuisse, putandum est, cum disciplina integra? Ideo fortasse non aliqui notabantur, quod fere omnes similibus gauderent visitationibus.

10. Domum sub nigro habitu antiquiorem laxamenta tenebant, vt plures alias, quæ sub eodem difficile auellenda, compulere Gregorium, vt has de eius reformatione ad ritus Cistercienses, ante annum expeditas litteras daret [e].

Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Florentino salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cum, sicut accepimus, Monasterium S. Saluatoris de septimo, Ordinis S. Benedicti, tuæ Diœcesis, cui auctoritate nostra inquisitionis officium impendisti, possit in eodem Ordine reformari; Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in eodem, sicut tibi viua voce recolimus iniunxisse, sublato difficultatis, & appellationis obstaculo, Cistercienſem Ordinem, per quem ibi deuotionis thura redoleant, & decor honestatis exuberet, plantare procures eiusdem Monasterij Monachos, qui noluerint habitum Ordinis memorati suscipere in aliis Monasteriis sui Ordinis collocando: Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Viterbij XV. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno IX. Ita Gregorius; adeo breui exequente mandata eius Florentino Episcopo, vt intra annum ex cœnobio S. Galgani Monachi venerint sub Abbate Forensi de Forensibus, qui Monasterium ad Cistercium reformarent, id quod inscriptio antiqua, marmori insculpta, hodieque prodit, quæ ita habet.

ANNO DOMINI M CC. XXXVI. XV. KALENDAS IVLII INDICTIONE IX. INTRAVIT CONVENTVS IN HOC MONASTERIVM DE SEPTIMO, MISSVS A CONVENTV SANCTI GALGANI, CISTERCIENSIS ORDINIS, DE MANDATO DOMINI GREGORII PAPÆ IX.

Cœnobij huius historiam, diffusam satis, ne dicam diffluentem, Iongelinus in Notitiis suis adducit, cum serie Abbatum, & miraculis multis, quæ ad S. Quintini corpus, ibidem quiescentis, patrari solent.

Inuenio & alia duo Monasteria, quæ nostris accesserint, in Italia vtrumque, aut saltem de accessione tractatum sit, quamuis altero fortasse non prouenit. Fuit illud Monasterium S. Cassiani, Vulteranensis Diœcesis, quod similem ob causam, quam de Capite-Laci memorauimus, cum ad Abbatem, & duos Monachos tantum, redactum esset, Gregorius Rosetano commisit Episcopo, præcipiens ei, & iniungens in hæc verba [f], *Mandamus, quatenus personaliter accedens ad locum, si rem inueneris ita esse, dictis duobus Monachis, nisi velint in præfato Monasterio habitum Cistercienſem assumere, in aliis Monasteriis sui Ordinis collocatis, Monasterium ipsum, de cuius bonis præfato Abbati congruam prouisionem assignes, in Cistercienſi Ordine, reformare studeas, ac ibidem de Monachis Monasterij S. Galgani, Vulteranenſis Diœcesis, vel alterius Monasterij eiusdem Ordinis, Conuentum instituas diligentia vigilanti. Contradictores autem, &c. Datum Rheati secundo Idus Iulij, anno X.* Crediderim, frustratas euentu litteras, quod tale Monasterium inter filias S. Galgani, immo neque in cunctis Genesibus inueniam. 11.

Vnitum & Monasterio S. Pastoris, Diœcesis Rheatinæ, propter eandem causam, Monasterium S. Damiani in Terra Arnulphorum [g], *quod erat in spiritualibus, & temporalibus adeò deformatum, quod de reformatione ipsius spes penitus nulla erat; cum possessionibus, & pertinentiis suis, remotis inde pestilentibus, per quos ad huiusmodi desolationem deuenerat, eisdem Abbati, & Conuentui, intuitu pietatis concessit, vt ibidem facerent per idoneas, & honestas personas Ecclesiasticas, Domino deseruiri, reseruato de bonis ipsius Monasterij* 12.

[d] Apud Surium Maij 2.

[e] In Bibliotheca Pauli.

[f] *Epist.* 140.

[g] *Epist.* 233.

Sancti Damiani, pro sustentatione sororum inclusarum, quæ tunc erant in Monasterio Aquæ-viuæ: & nunc ad Monasterium S. Mariæ de Fulgineo, auctoritate eiusdem Domini sunt translatæ, viginti quinque saumarum frumenti, & quinque fauarum redditu; statuens, vt idem redditus in necessitates dictarum sororum inclusarum, quæ fuerint pro tempore eiusdem Monasterij S. Mariæ de Fulgineo, integro conuertatur: quod dicti Abbas, & Conuentus gratum, & acceptum habentes, pro se, ac successoribus suis promiserunt: & instrumento vnionis acceptato per Guillelmum, Abbatum S. Pastoris, & Monachos Seniores, confirmationem addidit Gregorius, litteris datis Rheati, Kalendas Octobris, anno X. Hoc illius Monasterium S. Damiani in terra Arnuphorum, & Ducatu Spoletano, quod S. Matthæi cœnobio ab eodem Gregorio ante sex annos diximus vnitum. Retardata tamen per id tempus executione, hoc tandem anno eidem aggregatur, cum Monachi cœnobij S. Matthæi dudum sese ad Sancti Pastoris Ecclesiæ transtulissent, quod ante biennium factum commemorauimus.

13. Demum, quod attinet ad Sanctimoniales, hoc anno lego in suburbio Wormacienſi, Canonicarum Regularium ascetetium, ad petitionem electi VVormacienſis, reformari ad Cistercium iussum esse, litteris à Gregorio Papa expeditis ad eundem Electum, sub hoc tenore.

h *Epist.* 231. *Electo VVormacienſi* [h].

Vigilis Pastoris, sicut credimus, gerens sollicitudinem circa gregem Dominicum, & ardenter cupiens, vt in locis diuino cultui deputatis, debita Domino honorificentia impendatur, super eo quod in Ecclesia S. Mariæ suburbij VVormacienſis sunt: vt asseris, Canonicæ Regulares, quarum conuersatio, cum viuant nimis dissolutè, honestati penitus contradicit; Apostolicum remedium implorasti: præsertim cum in prædicta Ecclesia, per enormitates ipsarum, potius blasphemari, quam laudari nomen Domini videatur. Nos autem, qui reformationem locorum Religiosorum cupimus, & commoda libenter quærimus animarum; diligentiam tuam in Domino commendantes, & gerentes de discretione tua fiduciam pleniorem; deuotionis tuæ precibus inclinati, præsentium tibi auctoritate concedimus, vt cum reformationi eiusdem, ac illarum saluti expedire proponas, quod Ordo Cistercienſis inducatur ibidem, vt in vinea Domini sit, de cæteróque fructum ei temporibus suis reddat; ipsam in prædicto Ordine auctoritate nostra studeas reformare: eisdē mulieribus, si quæ noluerint Ordinem ipsum assumere, & transire in dexteram, de sinistra, in locis sibi competentibus collocatis. Contradictores, &c. Datum Rheati XII. Kalendas Octobris, anno X. Hæc ex Regestis Gregorij præsentis anni, de effectu, aut, an hoc Monasterium idem sit, cum alio ex supradictis, nihil affirmo.

Sed sisto gradum, atque huic quarto Tomo, quin & nostro labori finem pono: impleturus omnino, quod promisi: me non integrum diem præreplurum, qui nequeam per occasum, & dubias luces, ad nostra tempora vsque peruenire. Crepusculum sub Roberto, & Alberico; sub Stephano ortum Solis Cistercij dedi: & Solē ipsum, vt potui, vsque ad meridiem per centum quadraginta annos deduxi. Habeat, qui occasum ploraturus veniet, quas præmittat illustres diei horas, clariores à meridie; nec duratione breues, aut paucas numero; sed adhuc aliam integram Centuriam subsequentium annorum prætergressuras. Non deerit materia glorioſa, si non desit stylus: & Fridericus sæuiens in Ecclesiam, atque ideo in nostros; felices illis triumphos, felicia auspicia scribenti, ministrabit, direptam Morimundum Mediolanensem per milites Papienses sequenti anno, id est, M. CC. XXXVII. nudatos Monachos, cæsos, combustas domos, ipsa sacra mysteria prophanata; mox, effuso pudore, non multo post, Cardinales, Episcopos, Abbates, ex Cistercio ferè omnes, ab ipso Friderico vinctos compedibus, atque inter vincula exhalantes fœlices, animas: & huius generis multa alia industria, quæ nouos spiritus, viresque requirant; sed quæ quantumuis ardentes explere possint. Nobis sat erit, hucvsque peruenisse; & dum hanc molem reseruamus alterius humeris, orare interim Sanctos, quos scripsimus, vt animum filialem grati suscipiant, erratis ignoscant, probanda, si quæ fuerint, remunerent; & iam senio labantem ætatem foueant, actiones dirigant, exitum custodiant; atque à Patre cœlesti precibus impetrent, ne in vltimo, & tremendo illo iudicio, vti degeneres filij, reprobemur; aut, quæ aliis sequenda proposuimus, post indaginem longam, deseruisse vestigia conuincamur. Quos non scripsimus in eo etiam promeriti, quod gesta eorum integra relinquimus, maiori tuba ab alio personanda. O! faxit Deus; atque huic vtrique voto clementer annuat.

14. *Demum Auctoris votum & excusatio.*

Finis quarti Tomi Annalium Cistercij.

APPEN

APPENDIX

Prætermissorum, corrigendorumque in duobus primis Cistercienſium Annalium Tomis.

CVM duo priores Tomi horum Annalium Lugduni in Gallia ſub prælo iam ſudarent, peruenere ad Hiſpaniam decem libri Gaſparis Iongelini, quibus notitiam Abbatiarum Ciſtercienſium per totum Orbem, qualem habere potuit, communicauit. Et quidem primus antea ad nos adductus, quamuis multis ieiunus viſus ſit, & qui minus contineat, quam proponit. (Quippe in Eccleſiis Galliæ, de quibus tractat, vulgatis dudum à Roberto Claudio; ex Camuzatio, & quibuſdam aliis, pauca; ex propria induſtria, non multa ſuperaddit) nihilominus nobis talis apparuit, cuius aliæ compartes noſtrum ſtudium, & vel ſecundas curas in his, quæ ſcripſeramus, ſi nondum prodiiſſent, promererentur. Quare etiam in tertio, & quarto Tomis quædam ex eis augere, non dubitauimus. Licet enim non raro à vero deuient, quod vitari vix potuit: quia propriis oculis cuncta perluſtrare, ſupra vires vnius, quantumuis magni, quantumuis ſui iuris; ab vno capite edoceri de cunctis membris, ſupra ſtatum præſentem rerum Ciſtercij; quod mole ſua preſſum, & velut diffluens, inter Congregationum varietates, & Commendarum fluctus, male cohæret: & precarias, à ſingulis Prouinciis, expectare notitias, impoßibile omnino, ſine plurima earum face fuit. Sed nihilominus multa in eius libris ex fide, & ex vſu; quæque, ſi cum iudicio examinentur, & conferantur, magnam, haud dubie lucem parere poſſunt. Certè homo Belga, in medio orbis Chriſtiani ferè poſitus, Galloſque, atque Germanos æque contingens, nec multo mari ab Hybernis, & Anglis diſſitus, facile potuit à ſingulis haurire, quæ mox cum fructu cunctis communicaret. Hiſpania noſtra in fine terræ poſita, vix vni Galliæ contermina inuenitur; ſed neque ad eam per bella aditus patet. Atque ignorantiam rerum, locorumque maiorem forſan ſtrepitus armorum, quam interualla terrarum facere potuit. Hinc minor nobis aliarum notitia gentium; quippe quæ ex ſolis Tabulis; & neque harum ſtudioſi admodum ſumus. Teſtamur ſerio, & notum eſſe volumus, plus nobis operæ, laboriſque inſumptum in fundationibus vniuſcuiuſque anni, quam in reliqua Hiſtoriæ contextura. Quippe in hac multum ſupputatio temporis, & iudicium auctoris facere poſſunt: in illis, vix quicquam. Quin vocabula ignota, & multiplicia, tum locorum, tum Diœceſum, atque ipſa multipliciter variata, ſiue corrupta, quò magis inculcantur, aut conferuntur, eo maiorem pariunt confuſionem. Hæſiſſent forſan Annales in hac parte, ſi non duplici luce, veluti manuducti progreſſi eſſent; domeſtica notitia rerum Hiſpaniæ, hauſta à nobis peruigili indagine, dum ex iniuncto Reformatoris munere, ſingulas eius Eccleſias viſitaremus; atque in externis, licet minus latè patenti, non minus certa face, Regeſtis Pontificum, ex Vaticano excerptis, id eſt Epiſtolis multis decretalibus, ad noſtrates directis, & earum inſcriptionibus; tum libris Cameræ, aliiſque ſimilibus, quæ lucem ſine fumo miniſtrant, & aquam puram. Verum his fontibus non ſemel deficientibus, quæſiti auctorum riuuli, & inter alios Iongelinus deſideratus, qui ex profeſſo rem iſtam pertractauit. Ergo notitiam, quam ex ipſo hauſi communicare libuit, atque ex ipſo illuſtrare, ſiue corrigere, ſi quæ in Annalibus egebant correptione. His quædam aliæ, quæ accepimus ex Gallia per Reuerendum, & nobis charum Patrem, Magiſtrum, Fratrem, Ioſephum Arnolphini Theologum Pariſienſem ſuperaddimus. Demum quæcumque poſt Tomos, euulgatos obſeruare potuimus, colligimus; atque ex his omnibus Appendicem hanc texuimus, in qua defectus, quos nouimus, corrigimus; vt de his, quas non nouimus ſimili modo ab aliis corrigamur. Tu interim, mi Lector, illa fruere; atque hoc qualecumque meum in te obſequium, ſiue in Ciſtercium mauis, gratanter accipe.

APPENDIX
PRÆTERMISSORVM, ATQVE CORRIGENDORVM IN PRIMO TOMO.

IN INTRODVCTIONE.

CAP. I. n. 2. VBI Robertum patria Normanum dico, corrige Campanum. Irrepsit enim error notatu dignus amanuensium, an librariorum culpâ; & nostra fortè incuria, aut impotentia, qui cunctis reuisendis, inter alia negotia, impares sumus.

CAP. II. n. 1. Adde. Hæc Molismi initia sub Sancto Patre occasionem, materiamque dedere celebri versui, & sæpius repetito per illud æuum.

Est quasi Baptismus, quibus est in amore Molismus.

ANNO M. XC. VIII.

CAP. III. n. 9. Ad medium, post illa verba *ætatis ageret* adde. Iuxta Gaufridi computum, quamuis nos alium ex ipsis antiquis fontibus, & vtpote veriorem sequuti sumus.

ANNO M. C.

CAP. II. n. 4. In fine, adde. Ad hunc locum ex Gallia notam accepi, Viri haud dubiè eruditi; quam nec silere debeo, nec omittere, quin illi vtrumque, si possum, satisfaciam. Atque ecce notam. *Robertus Abbas Molismensis non videtur obiisse anno M. C. cum in hac re sequendus sit Ado Monachus Molimensis, magis instructus de tempore mortis illius, quam quilibet alius. Sed neque apparet ratio, aut testimonium ob quod magis hoc anno obiisse dicendus sit, quam altero; maximè cum contrarium constet ex vita Sancti, in qua dicitur instituisse Abbatem Cistercij Sanctum Stephanum; quod post nouennium constat contigisse.* Hactenus Nota docta sanè, & grauis. Cui addi etiam potuisset Camuzatius, quem sequitur Robertus Claudius in sua Gallia; qui, vt Adonis verba constare possent, multo magis ab ipso, quam nos deuiant. Quippe Robertum produxisse vitam tradunt ad annum Christi M. C. XI. in quo integrum decennium ab eo discrepant: nempe non aliter super viuere potuisset Stephani electioni, compertum habent. Certè Adonis auctoritas in hac parte nimium vacillat: & ipse duorum errorum manifestus, ab omni fide se reddit alienum. Alberico sex annos vitę demit, aut forsan septem: de quibus nemini licet dubitare. Sed & Cistercium omnino emancipatum, & sui iuris effectum ante biennium, quod ex Apostolici Legati litteris constat, sub patria potestate Roberti retinet: atque ab ipso accepisse Abbatem Stephanum, contra vtrumque exordium comminiscitur. Itaque qui, vt Cistercium suo Molismo, atque Albericum, Stephanumque Roberto Patri subdat, talia fingit, nullam in hoc negotio meretur fidem. Potius econtra, coniectari licet; quia voluit eam Abbatis institutionem nobis obtrudere; nec alias potuit prorogare Roberti vitam ad annum electionis Beati Stephani; quippe in Molismo scribens, vbi decessit; anticipasse (quod potuit) electionem ad tempus vitæ Sancti, intra quod tamen differri vltra non valuit. Atque hæc est vera ratio propter quam hoc anno magis, quam alio obiisse puto. Verum est tamen, quod post hæc scripta, vno adhuc anno vixisse mihi persuadeo, qui coniecturæ in nullo contradicit; viso nimirum instrumento donationis quarumdam Ecclesiarum, quas à Rainardo Lingonensi tunc Episcopo, idem Sanctus Monasterio suo accepit. *Quas tamen*, inquit, *dilecte Abbas Roberti, atque tui successores, de consensu Canonicorum nostrorum, & Abbatum adstantium possideatis. Datum Molismi, anno M. C. I.* Quod instrumentum, primum Camuzatius, inde Claudius Robertus publicarunt.

CAPITE eodem num. 10. in fine: Adde. In Molismo, Roberto suffectus Guido, ad quem extat epistola Iuonis Carnotensis, quæ inter alias illius C C. XXXIV. locum obtinet.

ANNO M. C. III.

CAP. II. num. 3. in fine; adde. Antiquius multo testimonium Sanctæ Hildegardis, licet minus expressum; quia conscios alloquens (quippe quæ scribebat Bernardi tempore) minori haud dubiè indigebat declaratione. *Vestitus*, ait, *istorum* (scilicet Cistercienſium) *non de sæculo est, sed mirabiliter à Deo: quemadmodum Deus in illis ordinauit; qui hunc primum, ostendendo, & docendo protulerunt.* Hæc Hildegardis, qua nec proximior tempore, ad notitiam, & vix ad fidem Sanctior dari potuit; maximè cum & ipsa Monialis nigra, & alias nostris, præ aliis familiaris (quod epistolæ eius manifestant) vtrorumque secreta noscere posset.

ANNO M. C. XII.

CAP. II. post numerum 9. adde. Interim adnoto, Virum Dei Vitalem, vt in vita discipulos, & socios pietatis ipsius imitatores, ita in morte scriptorem obtinuisse suorum operum, miraculorumque, Virum insignem, Stephanum de Fulgeriis Redonensem Episcopum, & eximium poëtam illius æui, qui clarus pariter doctrina, & & pietate, dicitur obiisse anno M. C. LXXVIII. De eodem plura habet Ordericus, quem Lector consulat. Vltra quæ etiam, in Catalogo Abbatum Sabigniacensium, ex Gallia ad me transmisso, hæc scripta lego. *Beatus Vitalis Eremita in confinio Northmaniæ, & minoris Britaniæ ædificauit Monasterium, quod dicitur Scabigny; & Vir iste Venerabilis modernas institutiones Cistercienſibus*

similes

similes Monachis suis imposuit. Signis etiam, & virtutibus claruit: & inter alia multa, quendam Militem mortuum, præsente populo, suis Sanctis precibus resuscitauit. In hoc ipso Monasterio quod condiderat, primus Abbas fuit; & rexit Abbatiam annis decem: anno autem M. C. XXII. migrauit ad Dominum.

ANNO M. C. XIII.

CAP. I. num. 4. in fine; adde. Audio ab aliquibus Iuleium Monasterium, siue Villetum Benedictinum esse, neque vnquam hactenus Cistercium suscepisse. Quod si verum est, coniectura falsi sumus: atque ô vtinam in hoc tantum fallamur; nam quid si in mari immenso, vbi nullus est ductor, periclitemur.

ANNO M. C. XVIII.

CAP. I. n. 5. in fine, adde. Cistercienſium Abbatiarum Notitiæ recens editæ Curiæ Dei primordia magis declarant: quibus tamen, si qua præstanda fides, antiquior biennio domus, aut basilica ante aduentum Monachorum dicata est. Fundum, constructo cœnobio, dedisse, aiunt, Ioannem Episcopum, & Capitulum Ecclesiæ Aurelianenſis. Porrò anno M. C. XVI. consummatam Ecclesiam, & dedicatam à Manasse Episcopo Diœcesano, Pridie Idus Iulij, in Festo Sanctorum Basilidis Zinni, Naboris, & Nazarij eiusdem anni. Quod cum Catalogo Episcoporum Aurelianenſium, à Ioanne Chenu vulgato, egrè cohæret. Quippe inter Ioannem, & Manassem, duo Episcopi, Henricus, & Helias: nec Manasses ante annum milleſimum, centeſimum, trigeſimum sextum, conscendit sedem. Primus Abbas Albertus fuisse dicitur. Postquam alij num. 24. vsque ad commendatarios commemorantur.

CAPITE eodem, numero sequenti in fine, adde. Inter Abbates Ecclesiæ Curiæ Dei, Hugo V. in ordine, atque alius Hugo VII. nec nisi ex nomine solo designantur.

ANNO M. C. XIX.

CAP. VIII. numero 5. in fine, adde. Sunt qui hunc Pontium primum loci Abbatem fuisse tradunt, & produxisse præfecturam simul cum vita, vltra annum M. C. LV. intra quod spatium anno M. C. XLV. accepit ab Humberto Archiepiscopo Biſuntino Ecclesiam Camberniacenſem, præsentibus Godefrido Lingonenſi Episcopo (Bernardi antea Priore) Guidone Chari loci, & Lamberto Clari fontis Abbatibus. Postremo autem, M. C. LVI. ampliſſimam à Reinaldo Burgundiæ Comite suæ Ecclesiæ dotem accepit; confirmante donationem Friderico Imperatore, huius nominis primo, non multo postquam Imperator præfectus esset.

ANNO M. C. XXI.

CAP. V. num. 6. in fine, adde. Fundatam domum à Theobaldo Campaniæ Comite, recens vulgatæ Notitiæ testificantur; Viro nato ad omnem pietatem, munificentiamque, sed cui Cistercium præ aliis; neque solus Bernardus, vt quidam putant, sed Stephanus, & Hugo, quod fundationes produnt, atque vniuersa familia, curæ foret.

CAPITE eodem, n. 11. adde, in fine. Eædem Notitiæ Fusniaci fundatorem tradunt Enguerandum Dominum de Concy, secundo lapide à Veruino. Subdunt, & quasdam alias donationes à Dominis de Concy cœnobio factas, quæ facilè in illarum auctore videri possunt.

ANNO M. C. XXIII.

CAP. IV. n. 7. in fine, adde. Video Locedium Benedictinorum olim cœnobium, fundatum à Bonifacio Marchione Montis-ferrati, per insidias occiso anno M. C. XXVII. vt Carolus Sigonius testatum habet de Rebus Italiæ, lib. 8. (aut M. XXVI. vt alij volunt) qui in numerum Sanctorum adscriptus legitur à Ioanne XX. siue XIX. vt vult Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, Augusti XXX. qua die Natalis illius commemoratur. Itaque manserat Locedium sub Nigro habitu in magna religione per integram annorum Centuriam, plus minusve; cum suscepit Cistercium; quantum coniici datur, prima domus, quæ ex Benedictinis ad Nostros transitum fecit, plurimis aliis exemplum præbitura. Bononij Acta à quodam Locedienſi coæuo Monacho scripta, & nonnulla alia Locedium concernentia Laurentius Surius adducit Tom. 7. ad XXX. diem mensis Augusti.

CAPITE eodem num. 8. Vbi de *Bullio* adde. Iongelinus Bullium hoc anno natam, Dalonæ filiam eam esse arbitratur, quæ in Lemouicenſi Diœcesi sita XCIII. florenorum taxam præfixam habet in libris Cameræ.

ANNO M. C. XXIV.

CAP. IV. num. 8. in fine, adde. De Lucella hæc habet Iongelinus suarum Notitiarum libro 2. Iacet in Superiori Elsatia in Comitatu Pfirtenſi, agnoscitque fundatores Comites de Monte-falconis, quorum stemma quidem interiit: sed arx illorum adhuc visitur in Comitatu Burgundiæ, non adeo procul ab Vrbe Biſuntina.

CAPITE eodem numero 9. vbi de *Fonte-Ioannis*, adde. Hoc cœnobium insigni largitate Petri Curtiniacenſis Domini, Ludouici Regis Franciæ Fratris, sub Galduino Abbate non parum creuit, vt produnt instrumenta expedita in Monte de Argis: alterum anno milleſimo, centeſimo, septuageſimo, alterum anno M. C. LXXIX. & confirmata à Ludouico Rege Pariſiis, anno M. C. LXXX.

ANNO M. C. XXIV.

CAP. IV. num. 8. Post Chronologiam, vbi de Lucella, adde, aut corrige. Non in Burgundia sitam, sed in Heluetia, ad quam pertinet Basilienſis Episcopus.

ANNO M. C. XXVII.

CAP. I. n. 1. in fine, adde. Porrò ad quam tandem gradum pietatis homo peruenerit, Patrum sæculo ostenſum miraculosè, Robertus Claudius prodit in sua Gallia; dum corpus instaurandæ Ecclesiæ, in qua iacebat terra effoſſum, anno M. D. XV. incorruptum, at integrum inuentum

fuisse, ait, non sine ingenti populorum confinium admiratione.

Cap. VI. num. 3. in fine, adde. Nonnullas donationes factas Igniaco, & sepulchra illustriora, præcipuè Reynaldi fundatoris, & Sampsonis, ex Fratre nepotis eius, atque in Archiepiscopatu successoris, Iongelinus recenset, suarum Notitiarum lib. 1. quæ facile apud ipsum videri possunt.

ANNO M. C. XXVIII.

Cap. IV. in fine, adde sequentes numeros 8. Eisdem temporibus certe cum iam tum Hugo, tum Bernardus opinione pollerent; sed prius, quam Hugo ad Ecclesiam Ansiodorensem promoueretur, prolixa satis lis, quæ Monachos Maioris Monasterij Diœcesis Turonensis, (insignis ea Ecclesia Benedictina, nec minus religione florens, quam opibus, quæ in libris Cameræ septem millium florenorum Taxam adimplet) iam multis ab hinc annis exercuisset, dum compromissa, pacem, quietemque (quæ viris religiosis victoria potior) creditur allatura: post compromissum denuo replicata; non leuem auaritiæ, proteruiæque grauissimo cœnobio notam inussit; resilientibus nimirum à pacto Monachis, cum causa cecidissent; nec sententiæ acquiescentibus, cui se per compromissum obstrinxissent. Erat in Teritorio Carnotensi Ecclesia quædam destinata Canonicis à fundatore; sed quæ hæredum consensu, seu auaritia, & conniuentia Episcopi, qui tunc Ecclesiæ Carnotensi præerat, in Maioris Monasterij ius transierat. Inde à morte Episcopi, & hæredis, expulsi Monachi; Canonicis Ecclesiam reliquerunt. Iuo Carnotensis Episcopus auctor est, per triginta, & eis amplius annos, spoliatos nequaquam reclamasse; quovsque ait, *cum ipse Ordinem Canonicum, non dissipare, sed in melius in eadem Ecclesia; consensu clericorum intenderet promouere, diabolica inuidia moti voluerunt in alienam messem falcem mittere, &c.* Litigabatur super hac Ecclesia circa annum M. XCIX. plus minusve; nempe cum Iuo, vt ipse etiam testatur, vigesimum quintum in Episcopatu ageret: & iam Monachi non tam de Monasterio, quam de decimis eius, seu parte decimarum decertabant. Verum protracta lite vsque ad hoc tempus, cum pars vtraque exhausta ab aduocatis procuratorisque, neutra vincente, victam se sentiret; neque prius litigantes, quam lis deessent, de communi consilio compromittunt, & Magnum Theobaldum Campaniæ Comitem, atque Gaufridum Episcopum Carnutum, qui Iuoni succesSerat, Iudices eligunt, quorum Iudicio ab vtrisque standum foret. Vix in toto orbe, ne dum in tota Gallia duos alios æquales Iustitiæ zelo, vix potiores opinione Sanctimoniæ, auctoritateque potuerunt eligere: Quippe Theobaldus inter Curiæ Principes, Gaufredus inter Ecclesiæ Præsules, vterque magnus, atque hic vltimus Legatus Apostolicus, neque minus potentia præcellebat, quam pietate.

9. Pro Canonicis lata sententia est, & Monachi destituti prætenso iure: cum ecce Abbas impatiens totius æqui, & se contemptum reputans, quod non ius, eius causa, violatum foret; à compromisso resilit; quasi non teneat factum sine capitulo, cui semper liberum esset reclamare; & dum amissas retinere decimas tentat iactaturam famæ facit, & boni nominis: iniustos Monachos, qui alienis inhient; auaros, qui retineant, profanos, qui terremis sic adhæreant; leues, seu magis præuaricatores, qui à pactis resiliant; demum effrenes simul turbidosque, qui tantorum virorum iudicium non reuerentur, populus simul, & clerus proclamabat. Ita per totam Galliam lacerabantur, cum Sancti Patres Hugo, Bernarduſque, Pontigniaci Abbates, & Claræ-Vallis, charitate fraterna condolentes, neque ferentes Benedicti filios paucorum culpa (nam & in ipso Maiori Monasterio pauci retrocessionem approbauerant) hactenus claros opinione Sanctitatis, tali rumore sparso, denigrari; grauem ad eos, sed acrem, atque viuidam Epistolam scribunt: quam, quia inter alias Bernardi non continetur, aliàs ipso, & Hugone Patre dignam; nec nisi inter Epistolas Iuonis, quem tamen neque ex tempore concernit, circumfertur, hic mihi censui fore transcribendam. Sic autem habet.

Reuerendissimo Patri, & Domino O. Dei gratia 10.
Abbati Maioris Monasterij, Sanctoque & in Christi charitate iuncto Conuentui, Hugo Pontigniacensis, & Bernardus Claræ-Vallensis, spiritu ambulare, & quærere semper non pigre faciem Dei Iacob.

Charitas, Fratres, nos admonet scribere ad vos, & pro vobis; & quod longe à vobis absumus, sed locis, non animis. Porrò animos facile in eandem vestræ fraternitatis vnanimitatem conflauit, fragrans vbique odor suauissimus famosissimæ Sanctitatis. Cæterum ab heri, & nudiustertius modice intra nos turbatum dolemus tantæ serenitatis participium; subito nempe oborto nubilo famæ subtristioris, haud dubium, quin à facie Aquilonis operuit confessio facies nostras, de vobis tam insolitum, tam vestro nomini dissonum audiremus. Formidantes igitur, iam iamque graniter periclitari, & famam vestram, & nostram pro vobis gloriam, si non sermo, qui exiit velocius euanuerit flatu secundiori: Fraterna curamus sollicitudine his litteris vestram commonere reuerentiam de celeri corruptione, super malo quod in dies diuulgare non parcit fama volans. Miramur sane aliquos vestrum (absit enim, vt omnes suspicemur) tanta vel simpliciter deceptos, vel cupiditate cæcos, vt celeberrimo nomini non parcentes, vnius altaris pauculos reditus, orbis gloriæ præferant. Non oportet Fratres, non oportet vllis æstimare temporalibus lucris testimonium, quod vobis ab antiquo, immo ab initio, ab his quoque qui foris sunt conuersationis merito conquisistis. Sed forsan dicetis; nos nemini iniuriam facimus, teneamus nostra, parati, si quis ex aduerso est, subire iudicium. Recte sed quid si alius respondeRit, & dixerit, hoc ipsum delictum est in vobis, quod causas habetis. Quare non magis fraudem patimini? Quid si legerit, & alius? si quis abstulerit tua, ne repetas. Quin immo percutienti in dextram maxillam, præbe & alteram: auferenti tunicam, præbe, & pallium. Et hæc vobis, hisque similia obiiceremus, nisi quod corrigere vos, quam confundere malumus. Hoc autem diximus, tutius esse omni Christiano, & maxime Monacho possidere quippiam minus in pace, quam cum lite amplius. Sic quippe canitis: melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas.

multas. Quid, quod de altari contenditur, & hoc aduersus filios Leui, id est, aduersus Clericos? Clericorum est, altari deseruire, & de altari viuere. Nobis nostra possessio, & antiquorum Monachorum exempla victum, ex propriis præscribunt laboribus, & non ex Sanctuario Dei. Huc accedit, quod eidem Ecclesiæ de qua præsens disceptatio est, Clerici soli deseruiunt, vosque cum illis partimini beneficium, cum quibus non exhibetis obsequium. Paulus clamat pro Clericis, immo ante ipsum Moyses: non alligabis os boui trituranti. Item, quis plantat vineam, & de fructu eius non edit, aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Vos autem per contrarium conuenimus. Qua audacia ô Monachi, præsumptis, seu vinum de vinea, quam non plantastis, seu lac de grege, quem non pascitis? Quo pacto ibi exigitis, vbi nihil exhibetis? Certè si ita vultis, baptizate nascentes, sepelite morientes, visitate iacentes, copulate nubentes, instruite rudes, corripite delinquentes, absoluite resipiscentes, reconciliate pœnitentes; & in medio denique Ecclesiæ aperiat os suum Monachus, cuius officium est sedere, & tacere. Sic fortassè dignum se probabit mercenarius mercede sua. Alioquin inuidiosum admodum est, velle metere, vbi non seminaueris. Sed & colligere quod alius sparserit, etiam iniuriosum. Esto tamen; liceat & hoc ex dono Episcopi, nec vlla iam reputetur iniuria, cum Canonica excusat inuestitura. Cæterum de pacto vestro quid facitis? Siquidem Canonicis reclamantibus, & causantibus de iniuria; Placuisse tamen vobis, nisi fallimur non negabitis causam vestram poni in manu Carnotensis Episcopi simul Comitis Theobaldi, vt quicquid pari viriusque consensu pro lite dirimenda defineretur, vtraque pars irrefragabiliter teneretis. Optimè planè, & consultissimè, tales quippe electi sunt mediatores, de quorum satis, non solum probata æquitate, sed & priuata, vt bene nouimus familiaritate confiditis. Quod igitur Viri boni, & ipsi amici vestri super reformanda pace concorditer, nec dubium, quin & fideliter definierint: quare vos iuxta conditum, quod præcesserat, non tenetis? An idcirco non fideliter egisse putantur, quia videtur nec æqua communicatio quæstus vtique maioris ad minorem? Sic prorsus videtur, sed querenti, quæ sua sunt, sed ei, qui pluris æstimat nummos, quam amicos, pecuniam, quam iustitiam, ac terrenam possessionem, super fraternam dilectionem. Si de mundo fuissetis, & mundus quod suum erat diligeret, tam non mirum, quam ne insolitum videretur. Nunc vero filij lucis, & pacis, luci tenebras, paci res præferunt temporales. Tales profecto deplorat prophetica lamentatio, & qui, inquiens, nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora: merito aiunt, nolumus tenere concordiam, in qua pars nostra grauari cognoscitur. Quid si pars altera grauari videretur? tunc prorsus, tunc æqua, & iusta concordia iudicaretur. Verumtamen hoc ante pactum cautum esse debuit: vbi enim non est lex, nec præuaricatio. Nunc autem lex pacti iam commodum non considerat, sed conditum. Quid ad hæc dicitis? Qui dum nos fingitis consultores, pro dictis turbatores, tergiuersatores, præuaricatores. Aut negate pactum, aut implete. Quid enim, an non negatis quidem conuentionem, sed causamini circumuentionem, culpamque refertis in Episcopum, quasi non egerit simpliciter vobiscum, sed cum actu, & dolo vos ceperit, & induxerit in eandem cuius vos modo pœnitet pactionem. Dicere potestis, sed mirum cui persuadere, mirum si vos, vel ita suspicari. Nequaquam inquiunt: sed non debet stare, quod absque nostro consilio factum est, hoc est sine assensu totius Capituli. Quid quod Abbas statuerit cum consilio seniorum, stare non debet, si non omnes conseritis? Ita ne in regula vestra manifestam super hoc sententiam, aut non attenditis, aut contemnitis? Mandat siquidem, vt Fratres ad Concilium vocati, singuli sic respondeant, quod senserint, quatenus defendere non præsumant, quod responderint: sed Abbas auditis singulorum sententiis, quam potissimum ipse elegerit, ei omnes sine contradictione acquiescant. Si ergo non in quibuscumque disponendis præeminet auctoritas Abbatis regula item præscribente, quia in Abbatis arbitrio pendet omnis ordinatio Monasterij; patet quod inobedientes vos, ac rebelles esse probatis, qui pactum, quod Abbas firmauit, contra eius voluntatem labefactare conamini. Nisi fortè, & ipse in corde, & corde locutus est, vt, quod palam per se ædificauit, clam per suos destruat, & sui præuaricatorem se quoque constituat. Quod quidem absit, vt credamus. Nam de optimo Viro, id tantum suspicari, pessimum est. Non nos sanè latet scrupulus nonnullorum, qui plusquam oportet, iusti nondum in scripto quærebant, dum absque simonia istiusmodi commutationes inter Ecclesias posse fieri non putarent. Sed de hoc, vt arbitramur vobis vtique curiosius scisitantibus Catholicorum, & eruditorum Virorum responsionibus satisfactum est; aut si quo minus in promptu, etiam nunc ex auctoritate Canonum affirmare, quod fas sit de rebus Ecclesiasticis fieri permutationes, prout Ecclesiis videbitur expedire. Hæc aduersus illos, qui se de his, quorum sua nihil interest, præsumptuosius intromittentes, semper parati sunt iniuriam concitare.

Hactenus epistola, prout post alias Iuonis Carnotensis in lucem prodiit, quasi de eo, vel pro eo scripta fuerit. Quippe putante, qui illum publicauit, Carnotensem Episcopum, qui in ea commendatur, approbata æquitate, non alium, quam Iuonem posse intelligi. Sed reuera è contra, Iuo non potest, defunctus anno M. C. XIV. vt habent Tabulæ Ecclesiæ Carnotensis (quo Bernardus nondum Abbas Claræ-Vallis) aut ad summum M.C.XVII. vt alij auctores produnt; quo saltem nondum tantæ auctoritatis, vt posset talem epistolam scribere potenti Monasterio, & cuius se Pontifices Carnutum potentia oppressos esse, conquerebantur, sed nec Iuone, qui adeo Monachis Maioris Monasterij infensus erat, vt diceret illos dæmoniaca inuidia, iniustisque calumniis voluisse, in messem alienam falcem mittere; & in quos tot epistolas scriberet, nimium aculeatos, atque mordaces, Bernardus Pater, & Hugo vnquam dixissent, *optimè, & consultissimè feciſſe in eum compromittentes, de cuius non solum æquitate, sed familiaritate possent confidere.* Non ergo Iuo, sed Gaufridus est, in quem compromiserunt, & quem Sancti in epistola commendant; qui Iuoni succedens ab anno M. C. XIV. siue M. C. XVII. per duos, & viginti Carnotensem Ecclesiam administrauit, de quo plura adhuc in sequentibus dicemus.

Cap. VI. num.3. in fine, adde. Richardus VValleburgius in sua Lotharingiæ historia, fundatorem Caladiæ Herbæum nominat, Nobilem Lotharingum, diuitemque, qui relicta vxore, & filio, quem susceperat, in eodem cœnobio se sacrauit, sub Abbate Gunterò; qui Monachis ex Tribus Fontibus missis, à Guidone parente, præfectus fuerat.

Capite eodem, num.5. in fine, adde. In historia Lantgrauiorum Thuringiæ, ab Erphesfordensi Anonymo conscripta, & inter alios scriptores Germaniæ, ex Bibliotheca Ioannis Pistorij, Nidoni erutos, Franco-furti vulgata anno M. D. LXXXIII. VValkenrode quatuor ante annos fundata dicitur: nempe M. C. XXIV. quod tamen cum Veteris-Campi fundatione vnde Monachi misti, vix stare potest.

Capite eodem num.6. in fine, adde. Sunt, qui Abbatiam de Castellariis Regniaci filiam, non Claræ-Vallis dicant; adeoque non omissam in Genesibus, sed alteri Parenti adiudicatam; quæ tamen vix dum nata, ægrè potuit hoc anno prolem edere. Certè qui putant natam, ex Reniaco, non ante annum M. C. LVIII. ortam testificantur.

ANNO M. C. XXIX.

Cap. VI. in fine, ante illa verba: *Atque hæc in gratiam conuersorum dicta, &c.* adde numerum 4. *Conuersus quidam, qui in vna grangiarum Claræ Vallis bubulci gerebat officium, homo purus, ac magnæ simplicitatis erat, qui omnia quæ sibi à Magistris suis fuissent iniuncta, promptus, ac deuotus exequebatur; & intuitu retributionis diuinæ, quotidianos labores patientissimè tolerabat. Hic quadam vice vidit in somnis iuxta se Dominum Iesum Christum, iucundo nimirum spectaculo, illa sua dulcissima manu tenentem aculeum, atque ex alia parte temonis boues secum minantem. Cumque euigilasset, & piissimi collaborato is sui mansuetudinem, benignitatem, dulcedinemque mente reuolueret; exarsit subito in eius præcordiis ignis vehementis desiderij, ipsum suspirantis, ipsum facie ad faciem videre cupientis, quem in illa beata visione, tam socialem collaboratorem habere meruerat. Cumque dissolui vehementer cuperet, & cum Christo esse; pius Dominus, qui cum mitibus ambulat, & cuius conuersatio cum simplicibus est, desiderium pauperis sui nunquam differre voluit. Sed mox idem Frater ægritudine correptus, lecto decubuit; & die septimo, laborem, & dolorem cum morte finiuit, vitamque perpetuam, ac requiem sempiternam, quæ est Christus Dominus, fœliciter apprehendit. Ad hunc in extremis agentem, Reuerendissimus Abbas ipsius Beatus Bernardus, gratia visitationis intrauit; quatenus filio repatrianti, cuius conscientiam puram, ac simplicem nouerat, valefaceret; & iam exire parantem, contra latrunculos spirituales nequitiæ, sua benedictione muniret. Cum vero prædictam visionem, ipso infirmo referente, cognouisset, plurimum inde gratulatus est. Quo defuncto pronuntiauit de eo confidenter, quoniam cum Deo ambulauit; & verè cum ipso operatus est Deus, ideoque transtulit illum Dominus. Non enim poterat miserator omnipotens seruum suum in supremo agone deserere, cui dignatissimus comes, & cooperator fuerat in labore.* Hactenus ex Auctore Exordij Magni, Anonymi conuersi glorioſa mors; neque debitum exigens, sed soluens: quippe ad nutum obediens, non inuadens; neque corpus occidens, sed animam expediens, cum se expediri voluit, ab eius vinculis.

Cap. VII. in fine, adde. Alij Vallem-Lucentem, non ab Vrselio, sed ab Anselmo conditam affirmant; adiuuante VVarino Fratre eius, ac Theobaldo Comite Campaniæ liberaliter, ac larga manu plurima conferente, pro suo more.

Capite eodem, numero 9. in fine, adde. Fundatorem Simonem, ex Seleucia in Palæstina, vbi contra inimicos Crucis pugnans, dicitur occubuisse, ad Vrsi Campum translatum; ibidemque cum aliis quatuor Suesionensibus Episcopis, Balduino, Reynardo, Stephano, atque alio Balduino iacere, sunt qui affirmant.

Cap. VII. num.7. in fine, adde. Produxit Simon vitam post hunc annum, vsque ad millesimum, centesimum, quadragesimum octauum, quo Ludouicum Regem Galliæ sequens, contra Paganos terræ Sanctæ prophanatores, obiit Seleuciæ IV. Idus Februarij prædicti anni, vt habet Hoymoini continuator lib. 5. cap. 51. non sine lachrymis Monachorum Vrsicampensium.

ANNO M. C. XXX.

Cap. VII. num.3. in fine, adde. VVolfangus Latius, demigratione gentium lib. 6. tradit, hoc Monasterium iuxta Regale Gratzium in Stiria fundatum, ab VValdone vltimo Comite Runiæ; quippe quo, sine successione virili mortuo, Comitatum ab Henrico V. sub feudo impetrauit Leopoldus Ottacari Stiriæ Marchionis filius, primus Carintiæ Marchio; qui Monasterium nondum consummatum ex integro absoluit. Alij nihilominus Fridericum cognomento *Barbarosam* Imperatorem Runensis domus fundatorem perhibent; quod nos etiam dicemus Tomo sequenti: sed Fridericus tempore posterior, aut diuersam fundauit; aut si hanc ipsam, certè non primus condidit, sed conditam ab alio amplificauit, quod magis probo. Nam amplificatores, & dotatores olim, pro fundatoribus, frequentia nobis exempla manifestant.

Capite eodem, num.4. vbi de Begar, seu Begardo Diœcesis Trecorensis in Normania, corrige in Britania minori. Rursus num eodem, in fine, adde. Inuenio fundatorem Begar, siue Begardi, aut putridæ syluæ, fuisse Stephanum III. huius nominis, Comitem de Panthennæ, & de Auoregorix. Primum vero Abbatem, Sanctum Ioannem, cognomento *de la Grille*; alias de Craticula (eo quod sepulchrum eius Cancellis, siue Cratibus ferreis sit concluſum (inde in Episcopum Maclouiensem assumptum, de quo Tomo sequenti, annis præcipuè M. C. XLVII. & M. C. XLIX. plurimus nobis sermo habendus erit. Vitam illius scripsisse fertur Albertus Grand, inter vitas Sanctorum Britaniæ Armoricæ, quem nos alibi, ad alia diu quæsitum; non tamen hactenus potuimus inuenire. Verùm quod dicitur ibidem contineri, eundem Sanctum, ad cœnobium constituendum, à Bernardo Parente missum fuisse, de interuentione censeo intelligendum. Alias, nec domum filiam Eleemosynæ, ab Eleemosyna extraneus constituxisset; neque

que domestico Abbas Claræ-Vallis; sed Stephanus Cistercij, ad cuius pertinebat lineam, imperaret.

Capite eodem, num.7. vbi de *Tullejo*, seu *Theoloco*, adde. Mirabilem, si veram historiam primæ huius Monasterij fundationis, & occasionis eius, in quodam instrumento contentam, quod hoc anno expeditum memoratur, Iongelinus adducit, suarum Notitiarum libro 9. Vbi & primum Abbatem Nichodemum, ab VValtero missum, & successores eius; & Theoloci tum benefactores, tum sepulchra, & varias sepulchrorum inscriptiones latè recenset. Porrò instrumentum historiolam continens, in mei Lectoris gratiam, hîc transcribo. *Fuit vir quidam potens in hoc sæculo, Petrus nomine, cognomento Malus-Respectus: hic Dominus erat Trium Castellorum, videlicet Montis, Miribelli, & Aquatici; sed Aquaticus ante mortem eius à vicinis Principibus denastatus in solitudinem redactus est. Ipse verò non multo post moriens, quinque filios dereliquit; quorum hæc sunt nomina. Primus Odo, secundus Otto, tertius Gerardus, quartus Raymundus, quintus Hugo vocabatur; è quibus Gerardus, Clericus, & Ecclesiæ Lingonensis Archidiaconus, Vir honestæ vitæ, & morum probitate conspicuus; cæteri milites fuerunt. Contigit autem, vt post mortem suam, Dominus Petrus cuidam Canonico Lingonensi, nomine Galtero (qui, ei in vita sua familiarissimus extiterat) per visum appareret. Cui & ait: Magister Galtere, ite ad filios meos, & dicite eis, vt si voluerint animæ meæ succurrere, locum, qui vocatur Tulleyus, Albis Monachis tribuant. Ipse vero VValterus, nec nomen Tulley vnquam audierat. Accidit autem, vt post dies aliquot, duo maiores filij, Domini Petri, Lingonis deuenirent. Quos adiens Magister VValterus, taliter allocutus est. Domini, si Pater vester mandaret vobis aliquid, faceretis, an non? Ad hæc Dominus Odo respondit; etiam si Pater meus mandaret mihi, vt oculum ei mitterem, libenter facerem. Cui Magister Galterus: Ipse per me vobis mandat, quatenus locum, qui dicitur Tulleyus, Albis Monachis conferatis; vt per hoc, anima eius apud Dominum misericordiam consequatur. Tunc illi: & vbi sunt ipsi Albi Monachi? Tunc astitit quidam, qui diceret: Ego vidi hodie Abbatem Morimundi in hac vrbe: Quem statim requirentes, & inuenientes, donationem præfati loci in præsentia Domini Vilenchi, eiusdem Ciuitatis Episcopi fecerunt. Postea vero, cum laude, & assensu Fratrum suorum, videlicet Hugonis, Gerardi, Rainardi, & Parentum suorum, & amicorum; laudante etiam Hugone Bellimontis oppidi Domino, à quo desertum illud hæreditario iure tenebant: ipsum desertum cum omnibus appenditiis eius, terra scilicet arabili, & nemorosa, arante, & irrigua, per manum Domini VValcheri Abbatis Morimundensis impenderunt; nullo sibi vsuario iure infra prædicti terminos Tullei retento. Extra etiam terminos eiusdem loci, in omni terra sua, vbicumque iacet, & precoribus Fratrum pabula, & omnia sua vsibus eorum nemora, tam ad Domorum suarum materiam, quam ad cætera Domus vtensilia, sed ad necessitudinem ignis gratis, & absque vlla pretij commutatione, vel exactione concesserunt. In omnibus etiam suis nemoribus, ipsorum porcis recursum, & omnimodos fructus ad eorum pabulum, absque eo pretio quod vulgo Paysnaticum dicitur. Omnes etiam aquas suas ad piscandum, cæteris beneficiis addiderunt. Quam donationem prædictus Abbas gratanter suscipiens, locum ædificauit, paruoque transacto tempore Abbatiam ibi constituit, nomenque Tulley (eo quod locus) Dei esset illi imposuit.*

Cap. IX. numero 11. in fine, adde. Lego tamen Siluanesiam Vaurensis Diœcesis, ad fluuium Actum, filiam Morimundi, quam posteriorem tempore, id est, anno M. C. XLVIII. natam, sunt, qui affirment.

Capite eodem, numero 4. Vbi de *Langonio*, in fine, adde. Fundator dicitur Conanus Britaniæ dux, exemplo matris suæ Ermengardis, quæ Busaium condiderat. Initia porrò domus consecrauit Sanctus Mauritius, suscepto in loco habitu, anno vt ferunt. M. C. X L. inde in primum Abbatem Carnoeti, & loci fundatorem, atque nomenclatorem (nam & ab eo appellandum) transmittendus.

Capite, & num. eisdem, in fine, adde. Vallis Sanctæ Mariæ Parisiensis, dicitur ordinarium sepulchrum Ducum de Memoransi, vnde, & creduntur huius loci fundatores, siue saltem benefactores. Quin & Theobaldus Matthæi Ducis, ex Alina, Henrici primi Angliæ Regni filia genitus, in ho cœnobio Monasticum induisse habitum legitur, circa annum M.C.LXXXIX. alios eiusdem domus benefactores Iongelinus recenset, suarum Notitiarum lib. 1.

Capite eodem numero 7. in fine, adde. Abbatia de Rupibus, patroni, & protectores Comites Niuernenses sunt, cuius rei testimonium extare dicitur in quadam conuentione facta anno M. CC. L X X X V I I. inter Comitem Niuernensem, & Abbatem, qui tunc cœnobio præerat, de qua videndus Gaspar Iongelinus, suarum Notitiarum lib. 1.

Capite eodem, num. 8. vbi de *Accincto*, sine Aceyo (nam eadem est domus) adde. Fundator huius Abbatiæ est Reynaldus Comes Burgundiæ, cuius simulachrum hodieque maiori Ecclesiæ portæ superinciſum cernitur, cum hâc epigraphe.

REYNALDVS COMES BVRGVNDIÆ ANNO M. C. XXXVIII. FVNDAVIT COENOBIVM ACCINCTI.

Primus loci Abbas Philippus, vsque ad annum M. C. L X X. præfuisse dicitur.

Capite & numeo eisdem. Vbi de *Buefestria*, adde. Buefestriam alij Buckfastam vocant, cœnobium ad Darendum fluuium, in Deuonia Angliæ Regione situm, Monachis ex Turnesio transmissis: cuius Abbas Guillelmus Æladus insignis Philosophus memoratur à Ioanne Pitsæo, libro de Illustribus scriptoribus Angliæ, circa annum Christi M. CCC. L X X X.

Capite, & numero eisdem, vbi de *Sitich*, adde. Domum in Labacensi Diœcesi sitam, in Carniola, Iongelinus affirmat. Quod autem addit, nomen inde sumptum, quod fundator, *sit hic* (nempe Monasterium) viso loco, protulerit; vel certè à Psytaco aue sumptum sit, cum hoc cœnobium insignia gerit, Psytacum coloris prasini in parma aurea; voluntarium videtur, leueque: & potius credam insigniri sumpta à nomine, quod in pluribus aliis videre licet. Nisi fortè vbi Psytacus inuenta, fundata

domus,

domus, atque inde simul insignia, & nomen traxit.

ANNO M. C. XXXI.

CAP. VI. n.5. Vbi dicitur primum Longi-Pontis Abbatem fuisse Gerordum, adde. In serie Abbatum, ex Gallia ad me transmissa, primus Abbas dicitur Hugo; nec Gerandus secundus, tertiusve, sed quartus Abbas fuisse memoratur.

ANNO M. C. XXXII.

CAP. X. num.14. Vbi de Hedora, adde. Accepi ex Gallia Hederam Monasterium sacrarum Virginum Diœcesis Parisiensis, non esse, nec fuisse Cistercienſe; sed Benedictinum sub nigro habitu.

ANNO M. C. XXXIII.

CAP. VII. num.1. Vbi de charitate, adde. Hæc postquam scripseram, hanc notitiam accepi, benevole ad me ex Gallia, transmissam. *Duplex est Abbatia charitatis Ordinis Cisterciensis: Vna, quæ semper fuit Monachorum in Bisuntina Diœcesi; alia in Lingonensi, olim Monialium, nunc vero Monachorum, sub Abbate Regulari. Prima fundatur hoc anno, & est filia Bellæ Vallis.*

ANNO M. C. XXXVII.

CAP. VII. num.5. Vbi de Thamar, adde. Thamar, seu Thamæa in ipsa ciuitate Oxoniensi, ab Alexandro Lincolienſi Episcopo, in qua Diœcesi olim Oxonia erat, fundata dicitur.

CAPITE eodem, num.7. vbi de Sancto Albino, adde. Fundata domus ab Eduardo de Tour Domino de la *Hunaudaye*, & vxore eius Constantia, Conani Britaniæ Ducis sorore; qui in eodem cœnobio sepulti iacent.

CAPITE eodem, num.8. vbi de *Bochian*, adde. Inuenio & Bochiniacum Diœcesis Irecorensis, filiam Begar, quam hoc anno fundatam, ab Oliuerio II. Vice-Comite de Dinam, eiusque vxore Agnoria, Comitissa de Pintieure, tradit Augustinus Pazius in sua Britania. Vbi etiam addit, Primum eius Abbatem Adoniam, depositum, quia inutilem: sed loco eius Guctenosium subrogatum hominem Sanctitate insignem, atque doctrina.

ANNO M. C. XXXVIII.

CAP. XV. num.1. vbi de *Labans*, adde. Alij de Labanciis, vulgo de *Lambaux* in Diœcesi Venetensi, filiam Begar, atque ab Alano Varone de *Lambaux*, fundatam hoc anno tradunt. Sed postea anno M. CC. L. amplissime dotatam per Ioannem Britaniæ Ducem, ex bonis eiusdem Baronis de *Lambaux*, quæ fisco, ob rebellionem, adscripta fuerant.

CAPITE eodem, num.4. vbi de *Benedictione Dei*, in fine, adde. Ex dictis corrigendus venit Iongelinus, suarum Notitiarum lib.1. Abbatia, 170. vbi Benedictionem Dei Lugdunensem anno M.C.LXXXIV. fundatam tradit: quo tamen ante annos triginta Bernardus raptus non potuisset pro illa deprecari.

CAPITE eodem, num.7. vbi de *Zuvelhell*, siue de Clara-Valle Austriæ, adde. De hoc cœnobio multa satis confusè cumulat Iongelinus suarum Notitiarum lib.4.

ANNO M. C. XXXIX.

CAP. VIII. num.4. parum ante finem, post illa verba. Nisi de Sanctis, adde. Meminit Albenci Bernardus Parens in epist.13. vbi cum appellat hominem senæ fidei, doctrinæque; in diuinis pariter, & humanis prudentem. Ei etiam scribit Petrus Venerabilis lib.3. epist.27. & memoratur ab Othone Frisingensi lib.1. cap.47. inter Discipulos illustriores Anselmi Laudunensis. II.

CAP. IX. in fine, adde. Numeros sequentes XI. Per idem tempus quantum, ex Ordine epistolarum Bernardi licet coniicere, illustris Comitissa Britaniæ Ermergardis Alani IV. vidua, quæ Busajum cœnobium nostris condiderat, Monachos adducente Bernardo Patre, quod supra memorauimus; eius Sancti monitis, compuncta delicias, & gloriam mundi spernens, Cistercienſem Monialem professa est, dubium in quo cœnobio; certè extra propriam Britanicam ditionem, vt ex secunda epistola constabit, quam mox adducam. An non solum Magistrum, sed Parentem habuerit Bernardum, à quo habitu donata, atque ad vota solemnia admissa sit; quamuis recentes asserant, omissum ab antiquis, non affirmo. Vt minus tamen ipsam visitasse, dubitari non potest, fortè & affuisse solemni initiationi. Porrò cum inde rediret ad Claram-Vallem; ab ipsa media via, ei scripsisse mellitam epistolam; & quæ Bernardi spiritum eructans, vel leuem fœminam potuisset confirmare; ne dum constantem, & ætate iam prouectam. Epistolæ porrò, vt inter alias Sancti circumfertur, hoc est exemplar.

Dilectæ in Christo filiæ suæ Ermergardi, quondam eximiæ Comitissæ, nunc humili Christi Ancillæ, Bernardus Abbas Claræ-Vallis, pium Sanctæ deuotionis affectum. II.

Vtinam, sicut chartam nunc præsentem, ita & meam tibi mentem expandere possem. O! si legere posses in corde meo, quod ibi de amore tuo, suo digito, Deus scribere dignatus est? Certè agnosceres, quam nulla lingua, vel penna sufficiat exprimere, quod in intimis mihi medullis Dei Spiritus imprimere potuit. Et nunc quidem præsens Spiritu, licet corpore absens: sed nec mihi, nec tibi est, vnde appearem. Est tamen penes te, vnde possis de me vtcumque coniicere, & si nondum cognoscere, quod dico. Intra ergo cor tuum, & inspice meum: & vel tantum mihi tribue amoris erga te, quantum tibi erga me inesse senseris: ne si nos quidem minus, te vero amplius amare præsumpseris, eo te nobis præferre puteris, quo & vincere nos charitate putaueris. Cœtum tuæ modestiæ est potius id sentiri de nobis, vt qui te fecit ita me diligere, & eligere, & ad consilium tuæ salutis, æquè affecerit, & me in obsequium tuæ dilectionis. Tu ergo videris, quomodo me tecum retinueris: Ego vt verum fatear, nunquam à te, absque te recedo. Hæc tibi interim deuia breuiter in transitu scribere volui, sperans me maiori otio, maiora missurum, si Deus annuerit. Ita Bernardus per spiritua

spirituales delicias confirmans famam, quam Deo per consilia, quam & per orationes genuisset.

Illa porro, non solum firma, & constans; sed quod maioris adhuc gratiæ est, inter ipsas angustias nouæ vitæ, læta, & hilaris; dum mira hæc, & insolita gaudia, Bernardo scribit, talem aliam ab eo epistolam susceperit.

Recipe delicias cordis mei, pacem tui; lætus sum, quia tu læta nuntiaris; neque admodum animo reddit incolumen tua innotescens alacritas. Hæc nimirum lætitia nihil habet de carne, & sanguine: cum humilis, ex sublimi; ex ingenua, ignobilis; pauper, ex diuite viuas: Patris, filij, patriæque destituta solatio: sine dubio ergo quod in te alacritatis natum est, de Spiritu sancto est. Quippe iam dudum à timore Dei concipiens, parturisti iam tandem Spiritum salutis, foras vtique mittente charitate timorem. O! quam libentius præsens ista colloquerer, quam scribo absens. Crede mihi, irascor occupationibus, quibus frequenter impediri videor, ne te videam, & debitor occasionibus quibus vel interdum expediri videor, vt te videam. Rara quidem datur huiusmodi opportunitas. Sed chara mihi est, fateor, vel ipsa raritas. Et enim sane melius videre te, vel non numquam, quam numquam omnino. Spero me in proximo venturum ad te; iam nunc præsibans gaudium proxime, pleneque futurum. Ita Bernardus: ex cuius verbis vltra constantiam fœminæ, perseuerantiamque, & gratiam Dei in ipsa operantem gaudium Spiritus; coniicias facile Ermergardem extra Britaniam induisse Monialem. Quippe quæ patriæ solatio dicitur destituta; & fortasse ad Campaniam, transiisse, in qua à Bernardo posset frequentari. Quamuis eam frequentiam crebræ eius impedirent occupationes. Forte in Cœnobio Sanctæ Mariæ Frecensis, quod recens reformatum, alia Bernardi epistola, quæ epistolis Ermergardis præponi solet, satis declarat. Quin & hoc tempore multas sacras Virgines, multa Sanctimonialium Monasteria Bernardi opera ad Cistercium reformata, aliæ eius epistolæ demonstrant, quæ ad Sophiam Virginem, ad alteram Sanctimonialem, ad quandam Sanctæ Mariæ Trecensis, & similes, in operibus eius inueniuntur.

ANNO M. C. XL.

Capite X. num. 10. vbi de *Gratia Dei* Bisuntinensi, adde. Sunt qui hoc Cœnobium posterius tempore faciant; & anno M. C. LII constructum dicant. Sic etiam Gardum recentius adhuc aliis; & anno M. C. LVII. fundatum produnt; nec in Aurelianensi, sed in Ambianensi Episcopatu, per Gerardum Guarmundi primogenitum, vice-Comitem Ambianensem, ibidem sepultum anno M. C. LXXVI. sed de hoc iudicent loco proximiores.

Capite eodem, numero 11. in fine, adde. In aliquibus exemplaribus, Dublimum filiam Bildevasij, & olim Portum-Nigrum, quod Hybernis Blekehaven sonat, vocatam lego.

Capite XII. numero primo, in fine adde. Porro hanc Abbatiam eadem esse, quam ab illustri Alnadæo Sabaudiæ Comite super montem Bigeum, in Geneuensi Diœcesi fundatam tradit Aubertus Miræus in suo Chronico, & nos ex ipso infra, numero 12. Iongelinus affirmat: nec nobis aliud licet, quam adnotare.

Cap. eodem num. 3. in fine, adde. Alij non Blancam Randam; sed Blancham-landam, alias Albam-Domum, in Mencuensi Diœcesi fundatam, à Rheso, Theoderici filio, Demetriæ Principe, in Comitatu Courmatennæ.

Capite eodem, numero 5. vbi de Trapa, adde. Trapem Monasterium Diœcesis Sagiensis in Normania, idem vt puto est, cum eo quod dicitur vicinum prouinciæ Perticæ.

Capite eodem, numero decimo vbi de *Frigiado-Monte*, adde. Huius Cœnobij fundatores fuisse Dominos de Bulles, sed præcipue Aleydam, & filios eius Lancelinum, Manassem, & Beatricem, Iongelinus affirmat; confirmatque instrumento producto, quod tamen sex ante annos exoratum dicitur. Forte donatum locum ante sexennium Monachi hoc primum anno inhabitarunt.

Capite eodem, num. 12. vbi de *Egena* adde. In nonnullis Genesibus Hena non Harsubituse, sed Campi potius, siue veteris campi filia dicitur. Cuiusuis fuerit, singulare in illa, & forte sine exemplo hactenus fuit, quod Monachi infestati, à fundatoribus, ad propria remearunt; & Monasterium, desertum reliquerunt; quoad vsque infestatores resipiscentes adiere Cistercium, & firmiter pro ipsa correptione, petierunt Monachos loco restituendos: sed neque eos impetrare à matre datum, sed à veteri-Campo; nec diutius forte in loco permansuros; simili omino ex causa; si non noui flagitij nouus dolor, ac noua pœnitentia subsequuta, exitum præueniisset Sanctorum hominum, & qui cedere semper mallent, quam litigare. Vtrumque probat duplex instrumentum in eadem domo seruatum, & nouissime vulgatum à Iongelino, supressis quamuis, in gratiam fundatorum, iniuriis, quæ Cœnobio irrogauissent. Sic enim habet.

Sigefridus Dei gratia, Sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, Apostolicæ sedis legatus, &c.

Notum fore volumus præsentibus, & futuris Christi fidelibus vniuersis, quod mons in Arelisburch cum suis Appenditiis, à quodam Comite Papone de Richembach, & ipsius vxore Bertha nomine, Ordini quondam donatus Cistercienſi, & à felicis memoriæ Domino Henrico Moguntinæ Sedis Archiepiscopo susceptus, eiusque priuilegio roboratus in vinculo Banni, Dominico fuit mancipatus obsequio. Quod pietatis opus, eorundem Comitem nepos, Comes Henricus de Zigenhagen postmodum promouere gestiens, cum ad maturam peruenisset ætatem, cum quibusdam Nobilioribus suæ Prouinciæ Militibus, Godefrido de Hapsuelt, Raynaldo de Kessemberch, & Henrico de Halderhusen, Cistercium sub pœnitentis habitu adiit, coramque Abbatum Sacro Collegio, tempore Generalis Capituli ibidem congregati, præfatum locum Deo, & gloriosæ Virgini Mariæ mira deuotus obtulit fide; ab omni liberum exactione, Cistercienſi condonans Religioni. Hunc igitur locum in suam susciptens curam, quidam Abbas de Aldemberg, Gosuinus nomine, fratres illuc, de proprio transmisit Cœnobio, quorum ordinatu, moribus, è

vita aduenientes ibidem informarentur seruituri Domino fideles. Vnde numerus creuit Christi seruorum, &c. Actum apud Fritslar III. Nonis Iulij, anno Incarnationis Dominicæ M. CC. XV. præsentibus & subscriptis pro testibus Friderico electo Rege Romanorum, ac semper Augusto Rege Siciliæ, ac Duce Apuliæ, Alberto Magdebrargensi Archiepiscopo, Apostolicæ Sedis Legato, Ottone VVittzebargensi Episcopo, Conrado Abbate Sancti Iacobi in Moguntia, Ditmaro Abbate de Bredelare, &c. Hoc instrumentum priores iniurias reticens : sed nihilominus earundem pœnitentiam in ipso habitu Capitulum adeuntium ; correctionem ab eis repromissam in libertate pacta ab exactionibus, innuens non obscure.

Cæterum infestatos iterum Monachos, atque iterum abire iam paratos, ni iteratas molestias & iniurias, pœnitentia iterata aboleuisset, eiusdem instrumenti alia pars probat, quæ rem clarius enodans, ita prosequitur. *Processu temporis idem Comes Henricus, vt vniuersorum Domino, Dominique famulis in ibi degentibus reconciliaretur, pro quibusdam irrogatis eidem loco iniuriis vocato ad se Abbate VVillelmo, vna dierum apud Castrum VVildemberg, cum duobus Monachis VVigando Priore, & Theodarico, ipse cum vxore sua Berta, liberisque cunctis accessit, & coram Ministerialibus suis, & Castellanis, integra fide omni propietate, aduocatiæ renunciauit ; promittens de cætero se, suosque successores numquam in aliquo præfactam nosituros Ecclesiam, &c.* Extat, & aliud instrumentum eiusdem facti, expeditum post annos XXXIX. ex quo priores Monachos ex Campo, non ex Hersubitusse missos comprobatur.

ANNO M. C. XLI.

Capite X. num. 4. in fine, adde. Hanc, ad hunc locum notam, ex Gallia vidi. Bonus locus Lemouicensis Diœcesis, prior est bono loco Burdegalensi : & ideo Burdegalensis hoc anno cepit.

ANNO M. C. XLII.

Capite V. num. 7. immediate ante vltima illius verba : *Sed de his satis : iam ad alios euentus procedamus*, adde. Demum proximo sæculo cum morte Henrici Lusitaniæ Regis, & Cardinalis, de successione Regni, eo quod sine liberis obiisset, litigatetur ; inter collitigantes numeratur Lupinus Lemyre, huic de Mirrha Abbas Claræ-vallis XLIII. Hieronymi Sochirij Cardinalis in Abbatia successor ; eo præcipue titulo, quod Regnum feudatarium, feciisset Alphonsus Rex Bernardo, & successoribus : Alphonsus, inquam, cui liberum id fuit, vtpote Regni ipsius institutori ; & successoris legitimi defectu, fœudium reuocabatur ad fœudi Dominum. Vide Apologeticum ab erudito Domino D. Ioanne Adamo de la Parra, ad fundamenta Mascareñas, Cæsar-Augustæ vulgatum hoc ipso anno M. DC. XLII. in Responsione ad primum fundamentum.

Capite XI. num. 1. Vbi de *Victoria Cœnobio*, adde. Cœnobium hoc in Carinthiæ prouincia situm, & Diœcesi Guncensi, Iongelinus proximior loco affirmat. Fundatum porro ab Henrico Episcopo Trecensi, vno ex sociis Ottonis Frisingensis, quem supra memorauimus ; quemque Monachum primum in Morimundo, vna cum ipso Ottone, mox Villarij Metensis in Lotaringia primum Abbatem, & domus institutorem ; demum in Pontificem Trecensem promotum diximus. Consonat nota, ex Gallia, ad nos transmissa, cuius hic tenor. *Nulla est Abbatia de victoria in agro Atrebatensi, quæ Cisterciensis Ordinis sit, quidquid dicat Robertus Claudius.*

Capite XII. num. 8. ad medium, vbi dicitur anno D. CCCC. LXXX VII. corrige anno M. XVII. sui enim refert Ambrosius de Morales, lib. 17. cap. 34. & audio ita in protoypo notari, In fine vero eiusdem numeri, adde. Hactenus ex communi traditione Superatensium. Alias non desunt, qui domum recentiorem, & Hermenegildum, Paternamque, primos illius arbitrantur fundatores. Sed neque Muniam, Gutierrumque, de quibus diximus numero 11. illis anteriores ; & donationis Chartam ab ipsis factam, non Æra D. CCC. XX. vt verba sonant, quæ modo in ea leguntur, & nos retulimus ; sed M. LXXX. notatam in authographo ; quod post modum vitiauit recentior calamus ; de quo ego nihil ausim difinire. Certe munia confessa, vt ipsa loquitur, subscribit multis aliis instrumentis, Æra M. XVI. & M. XLIV. ad quam tamen, si viuebat Æra D. CCC. XX. non potuisse pertingere, fit palam. Sed & ab Æra M. XVI. qua iam Cœnobio præerant, vsque ad M. LXXX. tot intercedunt anni, vt longam nimis vitam fœminæ arguant ; vnde & diuersas, liceat suspicari. Ex Monasteriis vnitis Superado, video etiam quædam demi, sed alia addi ; nec tanti est, vt in hoc sit immorandum.

Capite XIII. numer. 5. in fine, adde. In aliis instrumenti huius exemplaribus, quæ postea ad me transmissa, non M. C. VI. sed M. C. LVI. scriptum video. Quippe corrosso L. atque ægre apparente præ vetustate, facile numerus annorum inuerti potuit. Quod si verum est, concordant satis tempora, neque opus est referre Æram ad annum.

Capite eodem, in fine, adde. Sunt, qui loquantur mitius de Segeredo ; neque Superatum ad ipsum per violentiam, sed iure deuoluto peruenisse. Quippe defunctis Monachis, nec succedentibus, qui eis sufficerentur, ad ipsum velut ad patronum loci, & successorem fundatorem, quæcumque possidebat, deuoluebantur. Ego in his traditionem domus sequutus, neque omnino alienus ab instrumentis, id tradidi, quod censui similius vero : paratus tamen, si quis aliter doceat, adhærere verioribus, & ad mitiora semper inclinare, si res sit dubia.

ANNO M. C. XLIII.

Capite VIII. num. 5. vbi de *Zedelitio*, adde. Primum Abbatem Expoldum, natione Germanum, cum annos duos, & viginti rexisset domum, nec parum promouisset, assumptum inde ad Pragensem Episcopatum ; sed ante consecrationem defunctum, anno M. C. LXIX. atque in eodem Monasterio sepultum, à Gaspa-

re

re Iongelino notatum lego, notitiarum ſuarum lib. 3.

ANNO M. CXLIV.

CAPITE VIII. num. 3. vbi de *Eſcurre*, ſiue *Eſcurreyo*, adde. Eſcurreyum filia Vallium Ornenſi, ſub Morimundo, Cœnobium dicitur, non inelegans, quo Godefridus eius nominis III. Baro Ionuillanus, in propria Baronia fundauit circa hunc annum. Godefridus ipſe in Cœmiterio Claræ-vallis ſepultus iacet, ad Valluad Eccleſiæ, Longa ſuperſcriptione vulgari lingua, quam in Gaſpare Iongelino ſuarum notitiarum libro primo videre licet.

CAPITE eodem, num 5. Vbi de *Herbiado*, ſiue *Heriuado*, adde. Hanc credo fuiſſe Eskili fundationem, iuſſu Virginis factam, cum aliis quatuor; de qua Tomo ſequenti plura dabimus, cum eius Monachatum, atque alias fundationes propalemus.

CAPITE eodem, num 12. vbi de *Redaſenhauſen*, ſiue *Ridageshauſem*, adde, De hoc Cœnobio multa Iongelinus ſuarum notitiarum lib. 3. vbi & ad annum differt; & primo Mariæ-Cellam, poſtmodum *Ridageshuſium* appellatum ex quibusdam inſtrumentis, & diplomatibus Pontificum confirmat. Primum loci Abbatem Robertum nominat, virum ſanctitate, & doctrina æque inſignem; ſed qui annos tantum quinque ſupervixerit: & proſequitur: aliorum Abbatum ſeriem, multa intermiſcens, quæ tamen ad Hiſtoriam prophanam magis, quam ad domus notitiam facere poſſunt.

IN APPENDICE
ABBATVM CISTERCII.

IN IACOBO XXI. & XXV.

COMMVTANDA ſunt diſticha, & verſus illi.

Decertat Iacobus Chriſto pietate placere,
Doctrinis valde tritus cæleſtibus ipſe.

Iacobo eius nominis primo, in ordine Abbatum XXI. ſubiici debent. E contra verò alij:

Poſt Dominus Iacobus fratres ſuſcepit alendos,
Quos cito dimiſit: ſed ad loca prima receſſit.

Iacobo II. in ordine Abbatum vigeſimo quinto conueniunt: quippe qui ob inteſtina diſſidia ceſſit, vt latius nos in eo commemorauimus.

IN BONIFACIO.

ABBATE XXIII. parum ante medium, poſt illa verba: *Octo intra quatuor menſes indulta impetrat*, adde. Dedicationi Cluniacenſis Eccleſiæ ab eodem Innocentio celebratæ cum duodecim Cardinalibus, duobus Patriarchis, Archiepiſcopis tribus, multis Epiſcopis, & pluribus ſui ordinis Abbatibus aſſiſtit, anno M. CC. XLV. in Chronico Cluniacenſi, Abbate. XXIV.

IN IOANNE III. ABBATE XXXIII. aliàs XXXII.

SVNT qui inter Guillelmum, & Ioannem de Rubeo-monte, alium numerent Ioannem, cui & hos verſus putant ſubſcribendos.

Tertius eiuſdem ſucceſſit nominis illi:
Cuius erat ſtudium Regem placare cœlorum.

Sed ſi ſucceſſit immediate poſt Guillelmum, neſcio, cur dici poſſit eiuſdem nominis.

IN IOANNE V.

ABBATE XXXV. parum ante finem, poſt illa verba: in hiſtoria Genuenſium, anno M. CCC. LXVII. adde. Ioannis tempore cœpit, deſitque (adeo breuis illi ætas!) in Hiſpania militia Sancti Bernardi, cuius vt ſibi penitus ignotæ, meminit Mariana lib. 17. de rebus Hiſpaniæ, cap. 11. Erecta ea ſub Petro Caſtellæ Rege, cognomento *Crudeli*, pro eorum oppidorum conſeruatione, quæ *Behetrias* vocabant, quaſi benefactrias; quod liberam haberent poteſtatem eligendi in Dominos, quos ſibi melius facturos fore putarent: vnde lex 3. tit. 25. partita 4. *Behetria tanto quiere decir, como Heredamiento, que es ſuyo, ò puede recibir por ſeñor à quien quiſiere, que meſor le faga.* Hæc cum ſibi errogare vellet Petrus; populatium tumultu, & Procerum quorundem authoritate, (forte eorum qui aut electi tunc erant, aut eligi ſperabant) detractus eſt: & erecta conſeruando iure, Militia, authoritate Pontificis Romani, ſub Ciſtercij obedientia, & Sancti Patris Bernardi aduocatione; quæ Regi in hoc reſiſteret; in cæteris, maximè aduerſus hoſtes fidei, vt aliæ Ciſtercienſes, obſequeretur. Sed bello ſtatim inter fratres orto, Petrum Henricumque; & Henricum ſecuta noua Militia, cum ad Anagarum victor Petrus euaderet, nouus Magiſter captus, & lege perduellionis (ait Mariana) damnatus eſt; Behetriis, vbi late dominabatur, publicatis, Fiſcoque addictis. In Petrum, quod Magiſtrum occidiſſet, vtpote Dei obſequio mancipatum, anathematis ſententiam promulgauit Vrbanus V. ſed abſolutio non multo poſt obtenta; & extincta militia, ipſa ſui inſtituti ſubtractione. Quippe ſublatis de medio Behetriis, atque iure illarum, ad cuius defenſionem inſtituebatur; defenſio ipſa ſupervacua omnino fuit. Sic melius cæteris Sebaſtianus Couarruuias in ſuo Theſauro Hiſpanico, verbo *Behetria*: vnde lux Marianæ, & & Ciſtercio ſub Ioannis præfectura hoc qualecunque incrementum afferri poteſt.

IN GERARDO.

ABBATE XXXVI. circa finem poſt illa verba: *Eccleſiæ viſcera rumpens, &c.* adde. Eius tempore anno M. D. LXXXVII. Ioannes de Noua-villa Ciſtercij Monachus, atque vnus ex primis Magiſtris Pariſienſibus Auinionem ab Academia, ad

Clementem VI. missus, vna cum duobus aliis viris insignibus, Petro de Aliaco, & Ægidio de Kempis, aduersus Ioannem de Montesono Dominicanum, pium alias, & doctum, sed qui de immaculata Conceptione Virginis Matris male non solum sentiret, sed loqueretur, missus est cum prædictus Montesonus, à Parisiensibus Magistris, ad Episcopum vrbis, deinde ab illo ad Clementem appellasset. Porro eius pertinaciam damnari fecit, ab eodem Pontifice, ipsumque renitentem licet, remitti ad Parisienses Theologos, vt coram eis palidoniam recantaret. Ita Spondanus. Hæc sub Gerardo. Reliqua, &c.

IN IOANNE IX.

Abbate XLIII. alias XLII. adde. Eius tempore, qui dudum exercuisset nostros scrupulus de permisso esu carnium certis diebus, sedati tentatus. Et quia pro locorum sterilitate, aut abundantia, aëris benignitate, aut inclementia, bellorum turbine, atque aliis occurrentiis, vix lex æqua pro cunctis stabiliri posse visa est; anno M.CCCC.LXXXI. decretum inuenio, vt singuli Abbates in suis Ecclesiis, filiationibusque, pensatis omnibus, quid facto opus esset deliberarent: ita vt neque transgressioni pateret locus, vbi regula Sancta seruari posset; neque alias Monachi, Monialesve, ad grauia, aut difficilia, supra consuetum, nedum ad impossibilia compellerentur.

IN BLASIO.

Abbate XLV. alias XLIV. adde. Alteram ex Elegiis ad me ex Gallia transmissam lector accipiat.

Ecce dolens refero, tegit hæc breuis vrna cadauer.
Conspicui (quanta sed probitate) viri.
Nam scopulo Blasius iacet Aserianus in isto
Vir bonus; at dubites, doctior, an melior.
Hic Cisterciaci fuerat Pater Ordinis: vnde
Et quibus hoc factum contigit obsequiis.
Non erexerunt fauor, aut suffragia Regis
Non data lucripetis munera præsidibus.
Hunc ob perpetuum sacræ virtutis amorem,
Fratrum Ordo voluit totus habere Patrem.
Cuius, dum vixit, semper fuit vnica cura
Spargere virtutum semina, pro viciis.
Hoc vt commodius fieret, sibi iunxit amicos
Doctrina, & morum dotibus eximios.
Sed fortunatis successibus æmula Clotho
Insidiatrices misit in arma manus.
Mortiferoque gerens imbutæ felle sagitas.
Abstulit hunc terris mors inimica virum.
Nec nisi sex tantum permisit viuere menses.
Post sumptum Abbatis nomen, & officium.
Mortuus est ternis post quintum Nestora lustris
Adiuncto mediæ tempore Olimpiadis.
Septembrisque dies decimus fuit vltimus illi
Terminus, ô nostri temporis hora fugax!
Ecce quid est, fatis virtus, quia nulla resistit.
Virtutem coluit, quem tegit iste lapis.

IN NICOLAO II.

Abbate LIII. alias LII. adde in fine. Eius tempore duæ aliæ congregationes Aragonensis in Hispania, & Romana in Italia, altera anno M. DC. XVI. sub Paulo V. altera sub Gregorio quinto decimo, anno M. DC. XXIII. initium sumpsisse, deprehenduntur.

IN SERIE
ABBATVM ECCLESIÆ FIRMITATIS.

Inter secundum, & tertium Abbatem, adde. Sunt qui inter Petrum Bartholomæumque, Opizonem scribant, quem tertio loco Firmitati præfuisse tradunt.

IN ABBATE V.

Bernardo, seu Herbeo, linea vltima, pro illis verbis: *Minime post Petrum præfuisse tradit.* Corrige. Immediate post Petrum præfuisse tradit.

IN ABBATE VIII.

Immediate post illum, adde. Qui sequuntur, in tabulis Ecclesiæ Firmitatis nonnihil variant; & qui concordant collocati dicuntur diuerso ordine. *Odo, Gerardus, Hugo, Simon, Guillelmus, Robertus, Bartholomæus, Ioannes, Gerardus, Rustinus, Petrus de Monte-Caleio, Hugo, Ioannes de Marsiliaco, Guido de Sancto Romano, Stephanus de Marsiliaco, Ioannes de Lambernois, Ioannes de Belma, Ioannes de Sancto Petro, Claudius Dintevillæ, Antonius de Vienne, Renatus, Elias, Ludouicus, Franciscus, Iuo Saubaiot electus anno milleſimo ſexcenteſimo & adhuc viuens.*

IN CATALOGO ABBATVM PONTIGNIACENSIVM.

IN ABBATE PETRO V.

AD hunc Petrum Abbatem Pontigniacenſem, poſtea Atrebatenſem Epiſcopum, ſcripſiſſe dicitur Hadrianus Papa IV. librum de Conceptione B. Mariæ Virginis, in Bibliotheca Pontificia nouiſſime vulgata per Ludouicum Iacobum à Sancto Carolo, libro illius primo littera H. Quod tamen, niſi tempora inuertamus, ægre cohæret. Quippe Hadrianus Pontificatum iniit anno M. C. LIV. Defunctus M. C LIX. Petrus verò in Abbatem Pontigniacenſem, non ante annum M. C. LXXXII. aſſumptus, & poſt triennium in Epiſcopum promotus, non potuit ſcripta Hadriani Abbatis ſuſcipere. Forte dicata illi nondum Abbati, quod tempus patitur. Quod autem aſſerit hunc eundem Petrum, ſextum in numero Abbatum Pontigniacenſium, excuſari non poteſt: quippe ex ipſa inſcriptione ſepulchrarij, quintus conuincitur.

IN ABBATE GALTERIO X.

Vbi dicitur *ex Abbate Pruliacenſi*; corrige; ex Abbate Fontis Ioannis: quod ex eius Epitaphio apud Pruliacũ, vbi ſepultus iacet, cõſtare dicitur.

IN ABBATE NICOLAO XXIV.

In fine, adde. Anno primo præfecturæ huius Abbatis, Chriſti nimirum M. CCC. LXXII. Prima die Februarij conflagrauit Eccleſia Pontigniacenſis, quæ poſtmodum paulatim reparatur, vt ſcribit Camuzatius in notis ad epiſtolam præfixam Chronologiæ Anonymi, quam anno M. DC. IX. Trecis vulgauit.

IN ABBATE IOANNE XXV.

Hunc non Ioannem, ſed Guidonem de Hedua fuiſſe, ex Abbate Caroli loci aſſumptum qui poſtmodum ad Ciſtercium promotus eſt, docuerunt me ex Gallia viri docti, quibus ego rem integram remitto. Sicut & quatuor alios Abbates eiuſdem domus. XXIX. XXXI. XXXII. & XXXIV. De quibus hæc accipi. *Non reperitur vllus Ludouicus, vel Henricus, qui fuerit Abbas Pontigniaci XXIX. Item Abbas XXXI. dicitur Petrus de Lafin Rurſus Abbas XXXII. fuit Guillelmus, non Stephanus, vel Claudius. Demum Abbas XXXIV. fuit Ludouicus de la Ferriere, non Ioannes.*

IN APPENDICE ABBATVM CLARÆ-VALLIS

IN ABBATE IOANNE.

EIVS nominis primo, in ordine Abbatum XX. adde. Henriquez in Menologio Aprilis 20. Ioannem hunc cum Ioanne Archiepiſcopo Mitilennenſi confundit qui tamen non ex Abbate, Archiepiſcopus, vt ipſe vult; ſed ex Archiepiſcopo Monachus effectus, obiit ante quinquaginta annos, quam Ioannes Abbas Stephano ſucceederet. Quippe anno M. CC. XL. quod eum ne ipſe quidem neget; mirum ex tempore non ipſos diſtinxiſſe. Epitaphium Archiepiſcopi ſic habet.

HIC IACET BONÆ MEMORIÆ DOMINVS IOANNES MITILENNENSIS ARCHIEPISCOPVS, HVMILIS MONACHVS CLARÆVALLIS. QVI OBIIT ANNO M. CC. XL. DVODECIMO KALENDAS MAII.

IN ABBATE IOANNE.

Eius nominis VII. in ordine Abbatum. XXXIX. alias XXXVIII. ad finem adde. Initia præfecturæ eius ſacrata ſanguine Martyrum, quos in Cœnobiis Nouæ-Cellæ, & Guntrain impij Huſitæ ſacrilege occiderunt, anno M. CCCC. XXIX. apud Paulum Languium in Chronico Cytizienſi, ad eundem annum.

IN ABBATE LVPINO. XLIII

In fine, adde. Vacante Luſitaniæ Regno, Henrici Regis morte, nullo legitimo relicto ſucceſſore; cum multi Principes de Regno decertarent, inter collitigantes Lupinus fuit. Quod regnum feudatarium Claræ-valli defectu ſucceſſoris, ad fœudi Dominum eſſet reuocandum. In Apologet. pro iure Luſitan. ad primum fundamentum Maſcareñas, Cæſarauguſtæ ædito, anno M. DC. XLII.

APPENDIX
PRÆTERMISSORVM IN SECVNDO CISTERCIENSIVM ANNALIVM TOMO.

ANNO M. C. XLV.

CAP. X. num. 11. VBI de Abbatia Plaunſi, adde. Plaſſum, vulgò Plas, & eius fundationem Iongelinus in ſequentem annum refert, traditque exemplar à Moderno Loci Abbate ſibi transmiſſum, quod ita habet *Anno Dominicæ Incarnationis M. C. XLVI. Vadiſlaus Bohemiæ Rex religioſiſſimus, dum oblectandi animi ergo, in ſyluam decem miliaribus à Praga diſtantem venatum iret, paruo ſtipatus famulatu; accidit, vt curſu fatigatus, in palio obdormiret; à quo excitato inclyto Rege, locique amenitate allecto, & vt credibile eſt, diuina, in animo eius, operante gratia, illico amœnam illam vallem ſyluis denſiſſimis, vndequaque circumcinctam Dei ſeruicio deſtinauit: Et quia in Palio adeo ſuauiter obdormierat, ædificandum monaſterium Plaſſum, alias* Plaſt, *quod latine* palium *ſonat placuit appellari. Nec mora quam primum Pragam rediit, accerſitis ex Lanehein Monaſterio in Franconia ſito, Religionis Ordinis Ciſtercienſis, Cœnobium Plaſſenſe à fundamentis extruit, opulenter fundauit, priuilegiiſque honorificentiſſime decorauit. Quod ita fundatum, vſque ad tempora Sigiſmundi Romanorum Vngariæ, & Bohemiæ Regis; Pontificis vero Romani Eugenij IV. integrum florentiſſimumque permanſit.* Subdit deinde ſubuerſionis illius cauſam, ſub prædictis Sigiſmundo, Eugenioque, hæreticorum, in omnia ſacra loca furentium, rabiem. Et tandem ſeriem Abbatum eiuſdem domus, à Conrado, qui primus in Bohemiam miſſus fuit, vſque ad Nicolaum Abbatem XXX. Martyrio coronatum, anno Domini M. CC. LXXX. ſequuntur alij continuata ſerie, vſque ad M. D. XXXI. quo præ iniuria temporum, & bellorum, interregnum ſequutum, redeuntibus tamen mox Abbatibus, quos ibidem recenſet, vſque ad Gregorium Baſmuſium, qui hodie præeſt.

CAPITE eodem num. 3. vbi de Ottemburgenſi Cœnobio, adde. Gaſpar Iongelinus non in VVormacenſi, ſed in Moguntina locatum Diœceſi tradit; & quædam notat de hiſtoria fundationis, quæ ad noſtram antea notitiam non peruenerat. *Ottemburgum, vulgò* Ottemburg, *Diœceſis Moguntinæ, filia Euerbaci, de linea Claræ-vallis, cuius fundator, anno M. C. XLV. octauo Kalendas Aprilis, extitit Dominus Sifridus, Bebonis Comitis Keſſelbergenſis, & Mariæ Comitiſſæ Hilla-montanæ filius, hic poſt fata ſepulti; qui caſtrum ſuum dictum Ottemburg, ſitum in Diœceſi Moguntina, cum omnibus eius attinentiis, præſente Archiepiſcopo Moguntino, aliiſque pluribus Comitibus, & Nobilibus, pleno iure Venerabili Ruthardo primo Euerbaci Abbati tradit, vt illud in ſui ordinis Monaſterium conſtrueret. Quam donationem mox ipſe Archiepiſcopus Moguntinus confirmauit, publico ab hoc confecto inſtrumento, cuius authentica copia adhuc in Euerbaco aſſeruatur. Miſſi igitur à Richardo Monachi cum Abbate, cum Ottemburgum veniſſent, vidiſſentque locum parum aptum Monaſterio ædificando, inſuperque magna rerum omnium penuria laborare inciperent, omnino vnde venerant, reuerti deliberarunt. Sed litteris Sanctæ Hildegardis, quæ tunc in Monaſterio Sancti Ruperti iuxta Bingam, Sanctitate, & Prophetiæ Spiritu celebris habebatur, animati, & confirmati, adhuc remanſerunt. Tandem difficultatibus omnibus ſuperatis, Monaſterium conſtruxerunt, quod tempore currente, paulatim in ſpiritualibus, & temporalibus ita creuit, vt meritò præcipuis per Germaniam annumeratum fuerit, priuſquam ſuperiori ſæculo Comes Palatinus, (in cuius ditione ſitum erat) ad Caluiniſmum declinans, omnia ſibi ſubiecta Monaſteria vaſtauit.*

ANNO eodem CAP. 10. num. 4. in fine. Vbi dicitur, *quam creatum Epiſcopum anno ſalutis M. L. XXVI.* corrige, M. LXVI. poſt quadraginta annos præfectura obiiſſe ferunt anno M. C. VI. ideſt nouennio à Ciſtercij inchoatione: ſed ante fundationem Cellæ XXXIX. Eandem domum, Veterum-Cellam, vulgo *Oldecell*, vocari dicunt, eſſeque tumulum omnium ferè Marchionum Miſnenſium, quorum magnifica ibidem monumenta cernuntur; eminenti præ aliis Mauſolæo Friderici Marchionis, & Lantgrauij Thuringiæ, & Mathildis vxoris eius, Ludouici Imperatoris filiæ.

CAPITE X. num. 5. vbi de *Redaggeſhauſen*, adde. Fundatorem loci ex quodam perantiquo Saxoniæ Chronico, Rudolphum quendam Pynaſtam præpotentem, ex vetuſta VVendenorum familia fuiſſe, inuenio. Porro locum prioris fundationis Alariæ-Cellam, tranſlationis, quæ eodem anno facta dicitur, *Ridageſhuſium* à nomine *Ridagi*, Rudolphi fratris, qui fundum contulit, atque fundi collati, ſumpto vocabulo. Quippe fundus *Huſem* antea dictus, vnde *Ridageshuſen*, ideſt locus Ridagij: & nomen vſque hodie perſeuerat. Primus Abbas Robertus vir litteratus, prudentiaque, & probitate mirum inſignis, Henrico Leoni Duci eximie charus; qui tamen quinquennio tantum ſupervixit, defunctus III. die Iunij anno M. C. L. ſequentium ſeriem Iongelinus adducit ſuarum Notitiarum libro 3.

CAPITE, & numero eiſdem. Vbi de *Pomuch* Cœnobio, adde. Non in Olomucenſi Diœceſi ſitum, ſed in Pragenſi ſunt qui affirment. Et forte Olomucenſis irrepſit per errorem, occaſione Roberti viri illuſtris qui ex priore Cœnobio Nepomungi ad Epiſcopatum Olomucenſem vocatus eam Eccleſiam mirifice promouit, vt & nos in ſequentibus dicemus.

CAPITE

CAPITE eodem, numero 7. Vbi de Stella, adde. Audio Abbatiam de Stella nullam esse in Cenomanensi Diœcesi, quæ sit nostræ familiæ Cistercienſis. Quare inquirendum illius territorium relinquo aliis.

ANNO M. C. XLVI.

CAPITE IX. num. 9. post illa verba, *Videre potuit*, adde. Hanc eandem Historiam, vt cognitor; sed non paucis mutatis circumstantiis, (adeò res omnes etiam inter veraces temporum, & locorum distantia inuerti solent) refert author exordij Cistercij lib. 2. cap. 19. verbis sequentibus. *Terram Hierosolymorum, tempore quodam, occupantibus Sarracenis, Beatus Bernardus (cuius animam Christianæ desolationis gladius acerbitate singulari perfoderat) circumquaque discurrens, ad vlciscendum Saluatoris iniuriam, & ad expugnationem gentis incredulæ, turbas fidelium, non verbis tantum, sed signis, & virtutibus hortabatur. Accidit autem cum in Alemaniam deueniret, & egredientem die quadam de Friburgo, oppido memorabili in partibus Brisgaudiæ constituto, à quodam Henrico viro nobili, & adhuc iuuenculo, ad quamdam mansionem ipsius, vt erat in vespera, pernoctandum deduci, copiosa multitudine præeunte, & sequente. Cum autem idem Henricus, accepto iam crucis signaculo, non equitare, sed pedes proposuisset incedere, donec expensarum apparatu collecto; propositæ peregrinationis iter arriperet: Nihilominus Abbas Sanctus ipsum, ascenso equo, secum comitari præcepit. Ascenso igitur equo sequutus est eum protinus adeuntem. Videns hæc, & inuidens quidam vir Belial, seruitor eiusdem Henrici, homo totius prauitatis amator; & totius boni incredulus, in seruum Dei cœpit grauiter blasphemare. Et Dominum suum talibus insequi maledictis. Ite modo, & Diabolum illum sequimini, & ipse Diabolus vos apprehendat. A latere vero duæ mulieres, venientes inter se tertiam deportabant, pedum, & quorundam membrorum destitutam officio, & contractam; Virumque Dei rogare volebant, vt & calamitatem infirmæ, & baiularum angustias, curationis optatæ remedio releuaret. Porro Henricus hanc intuens, & misertus ægram inquit: super collum equi mei porrigite mihi, & vos ad seruum Domini properantes, subsidium, & auxilium implorate. Præfatus vero seruitor, ad hoc etiam pietatis opus Domini sui indignans, & impatiens, vsquequaque ipsum inuectione arguit acriori, quasi ad incantatorem, & maleficium, & mentium euersorem esset miseram delaturus: cui Henricus, non (inquit) ita est, sed defero vt ad benedictionem viri Dei recuperet sospitatem. Et de certissima salutis eius fiducia, tibi policeor, quod si eam non sanauerit, equum, cui insedeo, tibi dabo. Verbum igitur hoc ille gratulanter, & gratanter accipiens, tota diffidentia faciendæ virtutis risit pariter, & irrisit; tam de curatione diffidens, quam de equi adeptione prægaudens. Illa vero dum ad Sanctum Domini delata fuisset, & desideratam illius benedictionem adepta, illico surrexit incolumis: non iam alicuius, sicut hactenus, ministerio gestanda. Viso seruitor ille, impetu spiritus maligni, quem gerebat in pectore festinauit præire parumper, vt conuersus in faciem viri Dei, quicquid nequius, vel turpius, aspirante Sathana, concepisset interius; in ipso toto conamine maledicens, & conuicians, iactaret. Verum, vltione Domini protinus occurrente, ipse retro corruit re supinus; & ceruice collisa, spiritum exhalauit. Vnde subito lamentandæ mortis eius Henricus dolore percussus, casum hunc lugubrem, & occasum nunciauit Abbati, supplicans, vt si cum paululum præcessisset, ad tam triste spectaculum remearet. Dicente quoque Henrico, hoc ei propter vos accidit, quoniam in vos blasphemus esse, & contumelioſius non timuit: heu! inquit vir Dei, nolit hoc Deus; vt propter me quispiam moriatur. Retrogressus igitur ad orationem, in qua sola in omni difficultate fidebat, se contulit; & ad longitudinem vnius* Pater noster *super eum silenter orauit, & præcepit adstantibus, vt illum erigerent. qui erectus, vtpote iam defunctus, caput carens cerucis suffragio, quaqua versum agebat miserabili circumflexu. Rursumque ait: Tenete, ei fortitur caput. Demum approprians, & saliua sua, cuius medicinali vnctione sæpius vtebatur, loca sciſuræ deliniens, & consignans; in nomine Domini, ait, surge; & iterum in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti, Deus tibi Spiritum tuum reddat. Ille vero, recepto mox spiritu, factus est in animam viuentem, vel potius rediuiuam; mirantibus cunctis, & præ gaudio in cœlum voces, ac laudes attolentibus vniuersis, qui aderant, & viderant tam manifeste, quam miraculoſe mortuum reuixisse. Interrogatus denique ab eodem Sancto Dei, quomodo iam victurus, & quid acturus esset in reliquum? Domine, ait, eo modo, quo iusseris viuam; faciamque quidquid præcipies, quidquid voles. Ab astantibus etiam requisitus, vtrum esset iam mortuus? mortuus, inquit, eram, & sententiam damnationis acceperam: ac nisi Abbas Sanctus festinasset occurrere, irreuocabiliter eram ad inferna deducendus. Ad exhortationem quoque quorundam adstantium, crucis accepit signaculum, & cum cæteris Hierosolymam est profectus. Prædictus vero Henricus in eodem itinere, Deo & Beato Bernardo se reddidit, & in Clara-Valle postmodum Monachus eius fuit. Hoc ipse miraculum, cum fidelibus oculis esset intuitus, crederetque scriptoribus vitæ Sancti Patris esse notissimum: deprehenso tandem silentio fuisse omnium, indoluit; & ad gloriam Dei; & Sancti sui, iuxta quod ipse præsens tanto miraculo fuerat, fideliter narrauit: vt in quanta gloria sit habendus, quem Deus ita glorificauit, Altissimus, audiat, & intelligat omnis generatio in sæculum sæculi sequuturæ.*

CAPITE X II. num. 3. in fin, adde. Primus Alderspachensis Abbas, ex Euerbacho transmissus, Siffridus fuit, vir magnæ religionis, prudentisque, & sub quo per sex, & triginta annos, quibus præfuit, Monasterium in vtrisque bonis promotum eximie legitur. Obiit in festo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, anno M. C. LXXXII. seriem reliquorum Abbatum eiusdem loci longelinus adducit; & facile apud ipsum videri possunt. Primus loci fundator Sanctus Otto Babembergensis Præsul, qui Canonicis dedit Monasterium sub Principis Apostolorum aduocatione. Cistercio admisso, successit Beata Virgo in patrocinio domus, sub adiunctis Sanctis Ioanne Baptista, Vrsolaque, sub quibus etiam hodie perseuerat.

CAPITE eodem, num. 5. Vbi de Lapide Sancti Michaëlis, adde. Prima fundatio domus in Monte VVolchmanni dicto, facta legitur: sed translata inde ad locum, quem modo occupat. Atque ad hanc translationem referenda subsidia, impensasque Abbatissæ, Quedelimburgensi, sunt qui scribant.

CAP. & numero eisdem, in fine, adde. Ion-

gelinus Hilariam in Austria locat: & in Patauiensi Diœcesi, traditque fundatorem eius Cholonem Comitem de VVittering, Ottonis Maglandiæ Comitis, & Pomarij Monasterij fundatoris fratrem, castro suo de *VVillering*. in Abbatiam commutato.

ANNO M. C. XLVII.

CAP. XVI. num. 1. in fine, adde. Claudius Robertus, ex Canonico eiusdem Ecclesiæ, Monachum primum; mox ex Monacho, ad Episcopatum assumptum tradit. Quippe electum ab iis, qui eum nouerant, & velante Bernardi discipulatum, ne dum post ipsum, Episcopatu dignum non dubitabant.

CAP. XVIII. num. 4. in fine, adde. Ex dictis corrigendus venit Gaspar Iongelinus, qui præ distantia locorum forte deceptus, in fundationes spinæ longe aberrat. *Spina (ait) celeberrimum totius Hispaniæ Cœnobium, à spina coronæ Domini ibidem asseruata, ita vocatum, fundatur anno M. C. XLIII. sub primo Abbate B. Niuardo Beati Bernardi Fratre natu minimo.* Hæc ille bona fide, vt par est credere: sed re vera vna penè linea quater aberrat. Quippe neque Spina funtata ante hunc annum, vt ex ipso instrumento plane constat, neque dicta à spina coronæ Domini, cum fundus ante spinæ Sanctæ aduentum, & fundationem domus sic vocaretur: neque primum Abbatem Niuardum habuit, imo neque Abbatem, vt ex eorum serie, quæ ex antiquo Martyrologio constat, planum apparet: neque demum, & si celebre satis cœnobium sit, celeberrimum totius Hispaniæ est, Alcobacia, & Populeto longe inferiust Sed & ex reliquis in Castella, & Gallæcia, non pauca sunt, quæ neque fundatorum magnitudine, nec reditibus annuis, neque ædificiis, neque reliquis, quæ ad excellentiam Domus faciunt, Spinæ, quamuis excellenti, cedere possunt.

CAP. XIX. eiusdem anni, num. 3. Vbi de Monasterio in Argona, Catalauensi, adde. Iongelinus antiquiorem triennio domum facit, & testatur fundatam à quodam Sancto viro, nomine Eustachio, cuius meminit Richardus VVassebergius in Historia sua Lotharingica.

Ibidem. Vbi de Valle-Richerij, adde. De fundatore Domus, nihil inuenio. Titulo tamen fundatoris gaudere dicitur Philippus de Harcour, qui Abbatiam ex sterili salatriæ agro, vbi nunc est, transtulit, Sancto Patre Bernardo, adhuc viuente; adeoque intra sexennium, aut forte antea. Abbati Vallis-Richerij scribit Innocentius Papa III. & causam Abbatiæ de Conchis illi committit, quod suo loco nos fortè memorabimus.

CAPITE eodem, numero 8. Vbi de Abbatia de Fascia, siue de Faia, adde. Hanc domum recentiorem sub Cistercio, facile mihi probat Innocentij III. Epistola, ad Episcopum Petragoricensem, & Collegas, quæ libro 1. Epistolarum eiusdem circumfertur: Datum Romæ apud S. Petrum VIII. Idus Maij Pontificatus ipsius anno primo; qui incidit in annum Christi M. C. XCVIII. in qua Faiæ seu Faciæ Abbas intrusus in Cadumiensi Ecclesia; cum legitimum violenter eiecisset, quod Monasterium ad Cistercij mores reformare tentasset, sub quo olim militauerat; amoueri iubetur; & verus Abbas iterum restitui, quoad vsque causa illius decideretur. Verba epistolæ Innocentij Papæ sic habent. *Dilectus filius A. Abbas Cadumiensis in nostra præsentia constitutus nobis diligenter exposuit, quod cum Cadumiensit cœnobij commissum sibi regnum assumpsisset, ne aliqua de commissis ouibus, antiqui hostis versutia periret, iuxta vocem Dominicam, ad fratres suos sæpius hortabatur, vt Domino in sanctitate conscientiæ, & iustitia coram ipso seruire studentes, sectatores esse bonorum operum, & ad Cistercienſem ordinem, de quo primum priorem acceperunt, voluntate vnanimi se transferrent &c.* Ergo hoc tempore, id est anno M. C. XCVIII. Caduino, siue Cudumio, iam dudum à Cistercio degenerante, Faia, siue Fascia, Cistercium nondum acceperat; nisi forte susceptum repudiauerat, vt vel in hoc sequeretur matris vestigia. Vnde obiter licet coniectari, Magnum illum Abbatem Cistercienſem nomine Eustachium, de quo Tomo sequenti, quemque Abbatem Monasterij de Flai authores Angli vocant, corrupto vocabulo, non huius Faiæ, aut Fasciæ Patrem fuisse, vt Iongelinus tradit, sed Floresiæ, aut alterius, quod iam antea Cistercium suscepisset. Quippe Eustachius eodem anno M. C. XCVIII. missus in Angliam, non vnquam alieni, atque extranei iuris inuasor, sed magis diuinæ legis assertor, & mirabilium operum patrator, ab authoribus cunctis perhibetur.

CAPITE eodem, num. 9. Vbi de *Bullione paupere*, adde. Hanc domum paulo antiquiorem alij faciunt, atque tradunt fundatam à Sancto Patre ad instantiam Buchardi Balernensis. Ad eius fundationem contulerunt Nobiles viri Arnaldus, Hugo, & Stephanus, ex illustri familia de Cherancey; & propter eos Guido Flament, Petrus de Scey Dominus de Chantonay, Guillelmus de Cheuuis, & Ogerius de Castillon. Primus Abbas Bullionis, Vlricus fuit, sub quo Gofridus prior, cum quibus missi dicuntur, ex Clara-Valle, Monachi secundum carnem nobiles, Philippus, & Petrus de Nanz, & Bernardus de Corcelles. sic Iongelinus.

ANNO M. C. XLVIII.

CAP. VII. num. 7. in fine, adde. In Catalogo Abbatum Sabigniacensium, ex Gallia ad me transmisso, Tertius Sabigni Abbas, non Guillelmus, sed Euanus fuisse memoratur, vir religiosus, sed non qui Sanctis meruerit adscribi. Porro Guillelmum, quem tertium Abbatem dicunt Menardus & alij, eiusdem temporis Nouitium stitisse, tam Sanctæ vitæ, & tantæ perfectionis, vt viris Sanctis meruerit coæquari.

CAPITE eodem num. 10. in fine, adde. Discrepat Syllabus Ecclesiarum Sabigniacensium ex Gallia ad me transmissa, sed in paucis; nec tanti est vt mereatur hic transcribi, id vnum addo inter Filias Sabigniaci, tres Abbatias Monialium, inter Neptes septem numerari, quarum alios non video meminisse.

CAP. VIII. num. vltimo, in fine, adde. *Si tamen prius breuiter notemus*, Raynaldum Patrem ab Eugenio diuisum, Eduam mox ab Episcopo vocatum, vt interesset solemni consecrationi Ecclesiæ Sancti Lazari, & visitationi capsæ sacrorum o um, quas celebrauit in die Sanctæ Luciæ, quæ est XIV. mensis Decembris, *Præsenti-*

bus

bus Galtero Cabilonensi, Petro Matisconensi, Godefrido Lingonensi Episcopis, & Raynardo Cistercienſi Abbate &c. Ita Robertus Claudius in Episcopo Eduensi LIII.

Cap. XIII. post numerum vltimum, adde num. 11. Hoc ipso anno, nam & hoc interseram, quantum ex serie Episcoporum Nouiodunensium licet colligere, IV. Idus Februarij, in Seleucia obiit Venerabilis Simon fundator Monasterij Vrsi-Campensis, cum annos quinque & viginti (diuortio illo excepto, ob quod cum aliis duobus suspensus est) laudabiliter & Sancte administrasset; Corpus ad Vrsi-Campum translatum (sic quidam volunt) atque ibidem honorifice sepultũ quatuor in eadem sede successores, Balduinum II. & Balduinum III. Reginaldum, & Stephanum in sepulcro non minus sequaces habuit. Quippe vsque ad Gerardum cognomento de Basochiis, Episcopum LIX. omnes, quos Simon habuit successores, relicta sua Ecclesia, Vrsi-Campi elegerunt; quod in eorundem Episcoporum Catalogo apud Ioannem Cherui videre licet. Quod quia insolitum, & fere sine exemplo, nequaquam libuit silentio praeterire.

Cap. XV. num. 8. Vbi de Bildeuasio cœnobio, corrige. Fundator Rogerius cognomento Clinton Episcopus Conuentunsis, Crucesignus Antiochiæ obiisse dicitur anno M. C. XLVIII. XVI. Aprilis, id est hoc ipso: paucos ante menses quam Bildeuasium suscepissent Cistercij leges.

Capite, & num. eisdem, vbi de *Cogeshalen*, adde. Vt hoc cœnobium ad Cistercium reformarent, Monachi ex Meilrosia venisse creduntur; & inter eos Simon Meilrosensis, qui cum Cogeshalensi domui praefuisset per annos aliquot, ad Morauiensem, in Scotia, Episcopatum promotus legitur, anno M. C. LXXI. & produxisse vitam, vsque ad M. C. LXXXIV. vt Tomo sequenti suo loco dicendum erit.

Capite eodem, num. 12. Vbi de Barbereio, adde. In Notitiis Abbatiarum Cistercij nuper editis, à Gaspare Iongelino, Barbereium non filia Sabigniaci, sed Oratorij; adeoque nec de linea Claræ-Vallis, sed Cistercij esse notatur.

Capite eodem, num. 13. Vbi de *Brioſtel*, adde. Binomia domus, atque aliter Alnetum, in Diœcesi Belluacensi in Picardia; fundaturque anno M. C. XXXVII. per Dominum Aychardum de Humex Connestabilem Franciæ, qui in ea, dum vixit, Monachus; mortuus sepulturæ locum accepit. Memorantur plures alij benefactores, ex Nobilibus Franciæ, ex quibus, aliisque de prima eiusdem Regni nobilitate, non paucos memorat Gaspar Iongelinus, libro 1. suarum Notitiarum.

Ibidem, vbi de Brolio-Benedicti, adde. Prima huius loci fundatio dicitur incidisse in annum Christi M. C. XXXVII. à quo vsque ad praesentem M. C. XLVIII. sub nigro habitu mansit Cistercium decem annis, nempe M. C. LVIII. magnifica dotatio sequuta est, per Robertum & Agnetem vxorem eius, Comites Procenses; cuius dotationis instrumentum idem, qui supra vulgauit Iongelinus, in suis Abbatiarum Notitiis nuper in lucem editis.

Capite, & numero eisdem, Vbi de Trappa, adde. In eisdem Notitiis cepisse dicitur anno M. C. XL. in Diœcesi Sagiensi? sed anno M. CC. XII. non tenuem accepisse dotem à Roberot Comite Drocarum, Ludouici Pij, Franciæ Regis ex Patre Nepote, atque Iolanda Comitissa vxore eius. Vtrum autem hoc idem Monasterium de Trappa sit, in quo Abbas Adam floruit, cuius Cæsarius, atque alij meminere, aliorum iudicio discernendum.

Capite, & numero eisdem, vbi de Mamma, seu Manueli, adde. Iongelinus in Cathanesiensi Scotiæ Diœcesi locat, atque eius fundatorem circa annum M. C. XL. fuisse perhibet Sanctum Macolmum, quem Virginem appellarunt, Scotiæ Regem.

Capite eodem, num. 13. Vbi de Valle-Sanctæ Mariæ, adde. Idem qui supra Gaspar Iongelinus Vallem-Sanctæ Mariæ Parisiensis, vulgò *Nostræ Damæ Dubal*, non filiam Alneti, sed Curiæ Dei, adeoque ad lineam Cistercij pertinentem, notat; in eaque esse ordinarium sepulchrum Ducum de Memoransi, qui huius loci praecipue extitere benefactores.

Cap. XVI. num. 10. Vbi de Mira-Valle, adde. Fundator dicitur Nobilis quidam Anglus, Robertus, cognomento Ferrarius, qui in Comitatu VVaruichiæ domum construxerit.

Capite eodem, num. 11, in fine, adde. Primam Sorani cœnobij fundationem Gaspar Iongelinus refert ad annum M. C. LXI. suarum Notitiarum lib. 8. vbi & de Ioanne Isaacio Pontano in Chronographica descriptione Daniæ, ista scribit. *Sora, inquit, non tam Arx, quam Regium cœnobium, loco amaniſſimo, haud procul Rinſtadio, inter ſiluas, lucoſque poſitum, & lacum inſuper dulcis aquæ proxime alluentem habens, piſcoſi varij generis abundantem. Cuius pulcherrimi Monaſterij Abſalon Archiepiſcopus Lundenſis; nec nec non frater eius Eſbernus Celer, vulgo Snareus cognomento, ante quinque propemodum ſacula, fundatores fuerunt. Praeter Abſalonem, eiuſque in locum hunc munificentiam, quæ ſuo ſunt loco memorata, contuliſſe ei reperio Eſbernum, pagos quatuordecim, ac variis aedificiis Monaſterio additis, area quoque, & aliis operibus id ipſum ampliaſſe. Vtriuſque hic oſſa condita iacent; è quibus Snareus vita exceſſit anno Chriſti M. CC. II. cum Abſalon anno iam ante mortalitatem compleuiſſet.* Hactenus ille. Huius loci Abbati Iofrido, confrido, confirmat Innocentius Papa III. omnia priuilegia, & donationes Monasterio factas, recensens Grangeas, Villas, atque alias possessiones pingues, & vberes, litteris datis, Laterani, Nono Kalendas Decembris, anno M. C. XCVIII. sepulchra Principum Soræ sepultorum idem, qui supra recenset Iongelinus inter quos Daniæ Reges duo, & quatuor eorum filij commemorantur.

ANNO M. C. XLIX.

Cap. III. post numerum IV. adde. De hoc Bartholomæo, Claudius Robertus quædam alia collegit, quæ quoniam annum mortis certum non habet, hic inserenda censui; sic autem ait. *Anno M. C. XVI. dedicat Eccleſiam à ſe inſtauratam, VIII. Idus Decembris; praeſente Radulpho Remenſi, Galtero Catalaunenſi, Liſardo Sueſſionenſi, Gaufredo Ambianenſi, Huberto Siluanectenſi Epiſcopis, & pluſquam ducentis millibus hominum anno M. C. XX. locum dedit Sancto Notberto, ad primum Monaſterium ſui Ordinis. Excepit Innocentium ſecundum poſt Concilium Remenſe, cui ipſe interfuerat. Fuit filius Fulconis à Burgundia Principis; Electus ex Theſaurario Remenſi, & Canonico*

Laudunensi;

Laudunensi; & à Radulpho Metropolitano consecratus. In supplemento Sigeberti dicitur nobilitate, & probitate famosissimus: Avunculum habuit Manassem Archiepiscopum Remensem.

Cap. IX. num. 4. Vbi de *Stuetuna*, adde. Domum in Noruicensi Diœcesi si tam idem, qui supra longelinus author existit.

Capite eodem, num. 9. vbi de *Andræouio*, in fine, adde. Primus Abbas illius, Nicolaus ex Morimundo missus, quem inter viros sanctitate celebres, quos protulit Cistercium, memorauit Henriquez in suo Menologio, Iunij XIII.

Anno eodem, Capite XI. num. 5. linea VI. post illa verba, *Nisi quod tamen*; loco nouem linearum sequentium, subroga. Si standum Chronologiæ, cui in Abbatiis Galliæ maior fides, Scala Dei, eo anno nondum nata, nec Bernardum Abbatem, neque conuentum, nedum Oliuam filiam habere potuit. Quippe ibidem cepisse perhiberur anno M. C. XXXVII. id est, post triennium; neque aliunde contrarium constare potest, vt nos etiam in tempore dicemus. Itaque si ad tempus attendemus, huius etiam instrumenti vacillat fides. Accedit quod hoc anno, quem nunc describimus, id est, quindenio post, alia donatio loci facta legitur Abbati Scalæ Dei, à Comite Raymundo Barchinonensi, quam statim dabimus. Vt inter tot, tam variaque instrumenta, arduum omnino sit de vera fundatione iudicare. Crediderim donationem Garciæ Regis, decennio posteriorem, id est, expeditam anno Christi M.C.XXXXIV. sed per incuriam omissum vnũ X. (quod facile contingit in ipso numero) hanc nobis peperisse confusionem. Tum locum positum in confinio regnorum duorum Principum, de quo vterque certaret, & si donatum à vero illius domino, recusatum à Monachis; saltem non aditum, quod vsque ab alio obtinuere confirmationem; quam hoc anno expediuit, vt iam videmus. Certè Oliuam Regum Nauarræ opus, constans traditio est, cui monumenta domus, atque multi scriptores fidem faciunt; Neque aliud instrumentum producunt, quam præcedens; quod expeditum, vt dicebam, coniector ante quinquennium. Verum dilatum conuentum Monachorum, vsque ad præsentem annum, in quo Raymundus locum confirmauit. Porro hanc dilationem inde deduco, quod confirmatio ipsa, vt mox patebit, non Abbati Bertrando, Monachis qui in Oliua degentibus, vt fieri deberet, si iam veniissent: sed Bernardo, & conuentui Scalæ Dei legitur facta, velut illuc conuentum transmissuris. Atque ecce instrumentum confirmationis.

In Dei nomine &c.

ANNO M. C. L.

Cap. IV. num. 4. in fine, adde. Sunt qui hanc Epistolam, non occasione creationis Cardinalium, ad Eugenium scripram; sed magis occasione legum confirmatarum ab eodem Pontifice, quas Gozeuinus illi præsentasset; quod viderentur rigidæ, nec sine aliqua quorumdam obnitentia latæ fuissent: quod indicare videntur verba illa. *Qui in nobis, quantulamcumque esuriebant iustitiam, refecti sunt; qui minus, compuncti sunt; qui minimè, confusi sunt. Ita iugiter faciatis.* Item illa alia, quæ antecesserant *spiritus vitæ aspirabat in litteris vestris; spiritus vehemens intonans, & increpans, & æmulans nos Dei æmulatione &c.* Porrò has litteras, non ad conuentum, Capitulum Claræ Vallis, sed ad Capitulum generale Cistercij fuisse directas. Ego non dubito, ab Eugenio potuisse scribi, atque de facto scriptas, paterna pro vniuerso Cistercio solicitudine, ex qua si quid occurrebat emendandum, seuerè corrigeret; & cunctis, quæ imminebant, ex maiori notitia, domesticus exemplator prouideret. Tamen non expectasse legum à Gozeuino latarum confirmationem, argumento est; quod præcessit Hugonis creationem publicatio legum, vt ex toto tenore huius Historiæ, atque ipsis litteris datis videre licet. Crediderim, neutra ex his causis expeditas Eugenij litteras, sed ex aliis priuatis, occultisque; neque hoc anno, cum Hugo, Henricusque, & Bernardus ad apicem dignitatis promoti sunt; sed præcedenti, quod Hugonem ad se vocauit, per quem Bernardus scribit, viram à se auelli, non parum dolens; obsecransque, vt vel cito remittatur, vel loco eius subrogetur dignus successor.

Cap. XI. num. 2. in fine, adde. Consonant, quæ adducit longelinus libro 8. vbi de *Vernhen*, qui fundationem Suercheri Regis tradit; dotante eius filio Carolo Rege, sed tandem munificentissimè absoluente, amplificanteque Canuto, promotam ait.

Capite eodem, num. 3. in fine, adde. Tertiam aliam Cassam nouam in Vngaria Strigonensis Diœcesis, Iongelinus distinguit; & eam putat natam ad hunc annum. Quin etiam Taurinensem in Pedemontio, filiam Tileti; productis litteris Innocentij Papæ III. omnium Abbatiæ possessionum confirmatoriis. Datis Laterani XVI. Kalendas Aprilis, anno M. C. XCVIII.

Capite eodem, num. 4. Vbi de *Cumba*, adde. Iongelinus in Comitatu Leicestriæ, & Lincolnensi Diœcesi domum fundatam, ait, à Dominis Ceambilli, & Moabrai; non tamen filiam Landesiæ, sed VVauerleiæ. Stanleiam, idem, in VVigornensi Diœcesi, & comitatu VVarruichiæ, insignem domum, quam suis sumptibus, construxit Henricus Angliæ Rex, Monachis ex Quarreria adductis, perhibet: sed fundationem quadriennio integro differt.

Capite, & numero eisdem, vbi de Custodia Dei, adde. Reperi hanc domum non Gratiam sed Guardam Dei, alio nomine dici: vulgò *Le guarde Dieu*, retenta eadem significatione; & subrogato, pro nomine Latrino, vulgari vocabulo, quod Gallis, & Hispanis custodiam sonat.

Ibidem, num. 4. adde. *Iora-Vallem*, Bellæ-Landæ filiam, alij, fundatore Stephano Comite Richmondiæ, in eodem Comitatu, ad fluuium Vrum notant; cum antea in pago Fois structa fuisset.

ANNO M. C. LI.

Cap. V. num. 3. in fin. adde. Illud mihi compertum post hæc scripta, Cœnobium dirutum à Gigniacensibus, Miratorium fuisse, illis vicinum: id quod ex litteris Eugenij Papæ III. ad Petrum Mauricium, Abbatem Cluniacensem, & ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum, non obscure constat: Quas ad maiorem totius rei notitiam, ex Bibliotheca Monasterij Vallis Lucentis, ad nos transmissas, non pigebit ad littera transcribire.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filiis Petro Abbati, & vniuerso conuentui Cluniacensi, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Inebriati (sicut ait Ieremias) absynthio, & amaritudine, ac felle circundati, talia cogimus vobis scripta transmittere, qualia ministrat affectus, & doloris magnitudo suadet. Tristia siquidem, & luctuosa materia, in tristem sonum Nos compellit erumpere; & dolores, qui se in corde nostro non capiunt, licet sero, in manifestum cogit exire. Cluniacensis Ecclesia, tam in capite, quam in membris, quantum à sua fundationis tempore vsque nunc, à sede Apostolica sit dilecta, quantum in necessitatibus suis adiuta, & semper ad maiora prouecta, licet in obliuionem vos duxeritis, à notitia tamen nostra non excidit; & tota fere Occidentalis Ecclesia recognoscit. Et quod sine graui mœrore non dicimus, ita preces, exhortationes, & præcepta nostra videmus à plerisque vestrum in contemptum deducta, vt possimus dicere cum Propheta: Filios enutriuimus, & exaltauimus; ipsi autem spreuerunt nos. *Quanta tyranide fratres vestri de Gigniaco, in viscera, nostra, fratres de Miratorio, permulta iam sint annorum curricula debachati, notitiæ vestræ, nisi fortè dissimulatis, euidenter innotuit. Ad eorum vero cohibendam insaniam, qualiter solicitudo nostra intenderit, his qui recte sapiunt, in aggrauatione mali, apertissimè demonstratur. Postquam enim deprædantes pupillos, pauperes spoliarunt, non tam est satiatus venter eorum; sed de ipsis grangiis directa substantia, & famulis Christi feritate Barbarica trucidatis, vt nihil reliqui fieret eis, nunc eandem ipsam Domunculam, in qua membra Christi, ad seruitium sui capitis, victitabant, desertum solitudinis conuerterunt: conbusserunt enim mœnia, diripuerunt spolia, ipsosque habitatores in gladiis, & fustibus à suis finibus expoluerunt. Proh dolor! pauperrimo famulo in hoc mundo, iuxta sui Regis conceditur habitare Palatium; & Iumentum sub vno tecto cum suo domino requiescit. Visceribus verò nostris non licuit iuxta fratres vestros suum imponere domicilium; & nedum in eadem Villa, sed neque etiam in eadem Diœcesi diuinis obsequiis imminere. Porro si à priscis temporibus, ad eorum cohibitionem vestra diligentia intendisset, & patientia nostra tam diu non fuisset abusa; nec tantum emendatio licuisset differri, nec membra nostra potuissent, vsque adeo lacerari. Quia verò, & vestrorum excessus, & nostrorum miserias, dissimulanti, vel potius subsananti oculo respexistis, opus factum est in diebus nostris, quod nemo credet, cum narrabitur; & cuius simile nondum contigit in Israël. Quoniam igitur nec Mater obliuiscitur filiorum, nec Nos possumus nostrorum viscerum non sentire dolorem quia tantis malis contempsistis obuiare, nunc saltem de ipsorum emendatione solicitos vos monemus existere. Quia enim Nos tanto piaculo non possumus condignam pœnam imponere, oportet saltem quæ dilapsa sunt in statum debitum restaurare. Quo circa vobis authoritate præsentium Mandamus, quatenus de nostra, & sedis Apostolicæ subuentione in vestris causis confiditis, ita iam dictis filiis nostris de Miratorio ablata omnia restitui, damna irrogata pleniter resarciri, & de tantis malis faciatis taliter satisfieri, vs non tantum verbo, sed opere, & veritate probemini de contemptu sedis Apostolicæ, Nostrorumque afflictione tristari. Alioquin in vos noueritis grauissime vindicandum, vt saltem inuiti cogamini obedientiam promptam Nostris exhibere mandatis; ac de illorum refrenatione, qui inter vos inquiete ambulant solicitius cogitare. Datum Signiæ pridie Idus Martij.* Hæc ad Petrum Mauricium pro fratribus de Miratorio Ecclesiæ Pastor: Cæterum ad Hugonem Archiepiscopum, hæc quæ sequuntur.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Hugoni Lugdunensi Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

Nequitia illorum, qui apud Gigniacum vitam Monasticam, nomine tenus profitentur, operis vero execratione blasphemant, & quanta vesania in dilectos filios Nostros de Miratorio, & bona eorum, per multa sint annorum curricula debachati, eo plenius ad notitiam fraternitatis tuæ deuenit, quo loca ipsa propinquiora tibi consistant. Sanè tam à nobis, quam à fœlicis memoriæ Papa Innocentio prædecessore nostro, multa diligentia est adhibita, vt redirent, ad cor, & ad prædictorum filiorum nostrorum molestatione cessarent. Ipsi vero pleni sordibus, tanquam subcineri eius panis, qui non reuersatur, fas & nefas pariter confundentes, nec periculum animarum suarum, nec oprobrium Ordinis, nec reuerentiam hominum, nec timorem Dei, ante mentis oculos reuocauerunt: (sed conuersi in arcum prauum, & transeuntes in affectum cordis, post factam etiam inter eos, per charissimum filium nostrum Bernardum Claræ-Vallensem, & Petrum Cluniacensem Abbates, concordiam, solito furore arrepti, addiderunt deteriora prioribus; & in præfatos filios nostros, Barbaricam rabiem exercentes, tam per se, quam per quosdam ministros Diaboli, quorum suffragia mendicarunt, personas eorum peruertere, bona diripere, domos subuertere, aliaque Barbarici furoris indicia in eos, non dubitauerunt, ausu Diabolico, exercere. Cum vero ab Ecclesiæ corpore iam diu meruissent, Apostolica securi, præscindi; vsque modo substinuimus, credentes eos aliquando reuersuros ad cor, & à prædictorum filiorum nostrorum persecutionibus cessaturos. Quia vero iam ita putauerunt in stercore suo, vt nisi Iesus magnam vocem emittat, non credantur de fœtore sepulchri aliquatenus extrahendi; fraternitati tuæ per præsentia scripta mandamus, quatenus eos cum omni districtione commoneas, vt prædictis filiis nostris omnia ablata restituant, irrogata damna resarciant, de iniuriis plenam satisfactionem exhibeant, & ab ipsorum de cætero infestatione desistant. Si vero infra viginti dies, post commonitionem tuam, hæc omnia effectui mancipare contempserint, Nos, in loco ipso, & in omnibus cellis, & Ecclesiis eius diuina ex tunc officia interdicimus; VVillelmum Priorem, Ricardum Hospitalarium, Poncium Decanum, Hugonem, Guillelmum, Cotarellum, & alios, qui caput sunt huius nequitiæ, atque omnes qui in hoc maleficio consentiunt, excommunicationis subiicimus; adiicientes, vt illi, & qui consilium aut auxilium eis ministrare præsumpserint, eadem sententia teneantur &c. Sanè pro hac denuncianda sententia, cum à dilecto filio nostro Abbate de Miratorio fueris requisitus, cum venerabili fratre nostro Hugone Archiepiscopo Bisuntino conuenias, & congregato cætu Ecclesiæ, candelis accensis, sententiam istam publicè nunciare, & irrefragabiliter ab omnibus obseruari præcipiatis. Hactenus litteræ Eugenij ad Hugonem, nam cætera in Vallislucentis exemplari desiderantur.

CAPITE eodem, num. 6. in fine, adde. Hieronymus Plati libro 2. de Bono statu religiosi, capite 32. Decretum non solum ab Eugenio compilatum, sed etiam approbatum ab ipso tradit;

tradit, quod tamen alibi non potui inuenire.

CAPITE VII. post numerum 1. adde. Nullum non mouit lapidem Henricus, quo electio de se facta frustrari posset, admonens electores, vt desisterent, contestansque se numquam adducendum, vt consentiret. Extat epistola eius ad Sugerium Sancti Dominij Abbatem, cuius authoritate, velut summa post Regem in toto regno, efficacius censuit coërcendos quæ ita habet.

Amantissimo Patri, ac Domino Sugerio, Dei gratia Abbati Sancti Dionysij, Henricus indignus Monachus Claræ-Vallis, æternam in Christo salutem.

Molestum mihi, quod occasione mei; Belluacensis fatigatur Ecclesia. Vnde & ab initio denunciaueram Clericis; ne inutilem laborem assumerent; aut Ecclesiam ipsam de nostra dilatione grauarent. Vtinam autem, vel nunc ipsa vexatio eis dederit consilium, aut intellectum; vt omni frustratoria actione præcisa, Ecclesiæ Christi prouidere festinent; personam aliam idoneam tanto ministerio eligentes; quod vt celeriter fieri iubeatis; & deinceps laborare, vt si id forsan facere noluerint, omnino impediatis, & prohibeatis, dilectam mihi in Christo paternitatem vestram obnixius, & affectuosius rogo. Hoc enim indubitanter vos credere volo, quia quanto amplius super hoc laboris assumeretur, tanto amplius amitteretur. Valete in Domino semper. Hoc fuit primum propositum Henrici, hæc eius resistentia contra honores.

CAPITE eodem, num. 11. in fine, adde. In Catalogo Episcoporum Placentinentium, quem Iongelinus adducit, lib. 7. dicitur obiisse anno M. C. LIII. nempe eo ipso, quo Eugenius, Bernardusque, vt maior esset gloria Patris in filiis: sed vt filij patri conregnarent, per quem profecerant.

CAPITE IX. in fine, adde. Hoc item anno ad superos migrasse fertur Venerabilis Berno, Veteris montis, cœnobij primus Abbas, ex Morimundo missus, cum annos XVIII. Sanctissimè Abbatiam administrasset. Construxit ille duo Monasteria, alterum in Monte, quod quatuordecim annis habitauit: in Valle alterum, ad quod tandem transtulisse Conuentum legitur. XIV. anno sui regiminis, Christi M. C. XLVII. Deo æque hominibusque charus, *sepultus, ait, Gaspar Iongelinus, in præfati Monasterij Oratorio, cuius sepulchrum etiam nunc integrum visitur.* Et subiungit, *Cum non multis ab hinc annis, amoto lapide sacra eius exuuiæ detegerentur, tam suauis, ex aperto sepulchro odor exiuit, vt totum sacellum fragantia sua repleuerit.*

CAP. X. numero 4. in fine, adde. Hæc postquam scripsimus, notauimus antiquum lapidem supra ostium horrei, in quo annus primus fundationis Hortæ non nihil anteuertitur, vt non immerito, adiuncta coniectura Abbatis, & conuentus, quos iam ad Cantarios commorantes, Alphonsus ait, credere debeamus, ab annis aliquot ibidem existentes; hoc tandem primum ab Imperatore donatos loco; adeoque fidem constare Chronologiæ, quæ Hortæ initia refert in annum M. C. XLIV. vt ibidem notatum relinquimus.

ANNO M. C. LII.

CAP. V. numero 8. in fine, adde. Hic item annus, si qua Tabulis fides, vt, cœlitibus lætus, sic nostris in Germania, Montensibus præcipue, tristis, fuit, morte duorum illustrium secundum carnem, sed illustriorum fratrum secundum spiritum, Euchardi, & Vdolphi Montensium Comitum, sed humilium pro Christo Monachorum; alterius iam Conuersi à multis annis, vt supra vidimus; sed alterius recente conuersione. Sed qui licet nouissima hora venerit, par tamen ei, qui portauit pondus diei, & æstus, communi acclamatione creditus est. Ergo primus post longum Monachatum Sancti Geogij Abbas, vt supra vidimus mox resignata Abbatia (fortè vt fratri Dux simul, & socius esset) non multo ante ad Montensem domum reuersus: secundus vero post amissam coniugem, relicto comitatu, diuisisque inter filios possessionibus, atque amplo dominio; exemplum tandem fratris imitatus, in eodem cœnobio Monachum induit, Sancte ibidem vterque consumandus. Quod contigisse ferunt intra hunc annum; imo intra paucos menses, altero consumato mense Maio; alrero mense Octobri, atque vtroque honorifice sepulto in Capella Sancti Marci, vnde postea ad sepulchra suorum translati sunt; sed seorsim ab ipsis collocati, sub vno lapide notato hac inscriptione.

ANNO DOMINI M. C. LII. QVARTO IDVS OCTOBRIS OBIIT ADOLPHVS EX COMITE MONACHVS, ET FVNDATOR HVIVS COENOBII.

VNDECIMO KALENDAS IVNII OBIIT EVERHARDVS OLIM COMES DE ALTENA.

Ex quibus inscriptionibus corrigendus venit Henriquez in Menologio, qui obitum Ebrardi, siue Euerhardi memorat ad XX. diem Martij.

CAP. VI. numero 9. vbi de Claromonte, adde, aut corrige. Primus Clari montis Abbas Philippus fuit, teste Roberto Claudio, qui cum ex primo Abbate prædictæ domus Episcopum Redonensem XXX. creatum tradit, circa annum Christi M. C. LXXIX. à susceptæ Abbatiæ XXVII. Cum Stephanus de Fulgeriis ipsius antecessor, qui Sancti Vitalis primi Sabigniacensis Abbatis vitam scripsit, die XXIII. Decembris anno M. C. LXXVIII. defunctus fuisset. Quod si verum est, de eo liquido constat ex Clara-Valle missum dubiumque solum de Herberto relinquetur.

CAPITE, & numero eisdem, vbi de *Candelio*, adde. Sunt qui affirmant Cardalium, non Candelium vocari, in Diœcesi Albiensi, quòd ego aliis relinquo discutiendum.

ANNO M. C. LIII.

CAP. V. num. 1. adde. Epistolam Hugonis Cardinalis Episcopi Ostiensis Eugenij Papæ in Monachatu socij, sed in Pontificatu coadiutoris, atq; in vita, & in morte Confessarij, ad Gozeuinum Patrem, Bernardumque, atque ad totum Capitulum Cistercij, eodem anno congregandum, scriptam, de morte Eugenij Papæ, quam in Bibliotheca Morimundi Mediolanensis in peruetusto Codice repertam, à Ferdinando Vgello Abbate Italo, atque ex additis ad Pontifices Ciaconij sat orbe noto, ad nos non peruenisse antea doluimus: nouissime Iongelinus luce donauit, lib. 7. suarum

ſuarum Notitiarum, quem tot titulis concernentem hos Annales, nempe ex ſcriptore, ex his, ad quos ſcripta, & ex materia; quibus nihil forſan grauius poſſit occurrere, ne Lector alibi quærere cogatur, placuit in hac Appendice ad verbum reddere. Sic autem habet.

Amantiſſimis in Chriſto Patribus Gozeuino Ciſtercienſi, Bernardo Claræ-Vallenſi, Abbatibus, totique Capitulo Ciſtercienſi, ad honorem Dei congregato: Hugo Dei gratia Hoſtienſis Epiſcopus, vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.

Sicut ſacra docet auctoritas, omnis caro fœnum, & omnis dies eius tanquam flos fœni; breues dies hominis ſunt. Tranſit homo velut vmbra, nunquam permanet in eodem ſtatu, deficit vt fumus, cadit vt folium, quod à vento rapitur. Deus Eccleſiæ, Pater iuſtitiæ, amator Religionis, & Patronus, qui ſuperborum, & humilium colla, propria virtute calcauerat, qui ſuper ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius ſedebat, vt Eccleſiam ſibi commiſſam, quam ad ſublimem ſtatum reduxerat, confirmaret, & corroboraret: Pater inquam noſter, ac defenſor, fœlicis memoriæ Papa Eugenius trabea carnis exutus VIII. Idus Iulij, carne immaculatus migrauit ad Chriſtum. Exiuit Chriſto obuiam in aëra, & ſic ſemper cum Domino erit, cuius exequiæ præter ſpem omnium (iam enim ferè ſenatum anihilauerat) præter morem conſuetum ita per biduum ſunt à Clero, & populo celebratæ, vt iam crederetis regnantem in cœlis, qui mortuus ita colebatur in terris. O quantus erat luctus omnium! quanta præcipuè lamenta pupillorum, & viduarum; iam diceretis eſſe cum Deo, qui ita lamentabatur à populo. Proculdubio raptus eſt à laqueo venantium; contritus eſt laqueus, & ipſe liberatus eſt. Raptus eſt, vt credimus nos, qui eius conſcientiam nouimus, vſque ad tertium cœlum; non relinquens nos orphanos, vt quidam autumant. Rogauit enim Deum Patrem, & vnigenitum cum Spiritu Sancto, qui eſt Deus benedictus in ſæcula, cum quo, & pro nobis..... Vos autem, de quorum Collegio ipſe eſt electus, vt ſederet ſuper Principes, & ſolium gloriæ teneret, orate pro eo; conſtituite æterna beneficia, vt Deus ſibi indulgeat, & coronam gloriæ (accidentalis) ſibi augeat. Pro M. B. Patre noſtro, orate ſimiliter; pro nobis vero, qui hac valle miſeriæ, in hac regione diſſimilitudinis, & in medio pranæ nationis remanſimus, & pro Eccleſia Romana, quæ ex tam alto gradu tam breui ſpatio, vſque ad profundum Abyſſi cecidit. Nihilominus rogamus, oretis, ne demergamur in profundum huius magni maris, in quo ſunt reptiliæ, quorum non eſt numerus. Præterea rogamus obnixè, quatenus ſi paruitas noſtra quicquam in oculis veſtris poteſt, petitiones, quas latores præſentium, pro Sancti Anaſtaſij, & pro domo Foſſæ-Nouæ, & pro domo Caſæmariæ vobis facient, benignè, & efficaciter exaudiatis: alioquin ſciatis, quod inde magnum ſentitur ſcandalum. Hactenus Epiſtola, quæ Bernardum, heu! aſſequi non potuit, ante tempus Capituli rapiendum. Porrò quod petit orare pro M. B. ad Balduinum Cardinalem, eorum omnium ſocium, referendum exiſtimo; cuius gloria, ob viſiones præcedentes retardata, vt putabant, Viros Sanctos haud dubiè, per preces, & ſuffragia maturanda, fraterna charitate, ſollicitabant. De negotiis trium illarum Abbatiarum Italiæ, quas exaudiri petit, nulla notitia, & credibile, grauia, quæ prætermiſſa ſcandalo eſſe poſſent.

ADDENDVM Item laudibus EVGENII, quod in eadem Epiſtola notatur, ipſum nimirum, quod tot alij anteceſſores eius, omnino non potuiſſent; ferè ad nihilum redigiſſe Senatum Vrbis; atque eius potentiam, pro qua tantopere vrbs tota laboraſſet. Sed nihilominus adeo cunctis charum, & Reuerendum, vt eius mortem inceſſanter flerent, ipſi etiam, qui ab Imperio cecidiſſent. Vt apparet verè diuina manus operans in vtriſque; in Eugenio, vt ſuperbiam coërceret Romani populi; in populo, vt Eugenium, quamuis ab ipſo humiliatus lamentaretur.

Anno eodem Capite VI. in fine, adde. Extant Eugenij Papæ plures Epiſtolæ in Regeſtis, & alibi, ſed inter alias, quædam ad Ioſlenum Sueſionenſem Epiſcopum, quæ circumfertur cum Epiſtolis Sugerij, & eſt inter eas ordine 50.

Anno eodem, Capite X. poſt numerum XIII. adde. Extant in Breuiariis antiquis, Salmantino, Conchenſi, & Palentino, tum ſermo, tum proſa de Virgine Maria, Bernardi nomine; quæ & ſi nonnihil ab ſtylo Sancti deuient; tamen propter auctoritatem, antiquitatemque tantarum Eccleſiarum, hic ſubiicienda cenſui. Porrò ſermo diſtributus eſt in lectiones, pro officio Virginis decantando ſingulis Sabbathis, ſub hoc titulo.

SERMO B. BERNARDI ABBATIS
De Laude Virginis Mariæ.

O ALMA Virgo Maria! tanto cunctis Angelorum ſpiritibus, omnibus Electorum animabus, in conſpectu filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, affectis glorioſior, quanto ab illo meruiſti fieri beatior: Obſecramus te lachrymoſis ſuſpiriis, vt ad gemitum noſtri mœroris aurem inclines, Tuæ magnificæ pietatis. Nos quidem pro innumerabilibus delictis, inferni ſupplicium meruimus, vbi nullatenus pœnitentiæ datur locus. Quoniam quidem aliquando in Baptiſmate fidem Domino noſtro Ieſu Chriſto promiſimus, quam malè viuendo hactenus mentiti ſumus. Ideo ad te confugimus, quia nec meliorem, nec aptiorem ad placandam iram venturi Iudicis inuenire poſſumus. Surgemus ergo ô Sancta Virgo: miſericorditer actura pro nobis; Surge & amplectere miſericordiam noſtri Redemptoris. Da preces pro nobis, quos cernis offenſos ante oculos noſtri conditoris; cæcos cordium noſtrorum oculos terge, atque ſemitas iuſtitiæ nobis oſtende: Orando à nobis vitia ſubtrahe, & Sancta plantaria virtutum infero. Impetra curſum, quo conſequamur ſupernum brauium. Tale certamen piiſſima Domina, tuis orationibus nobis de cœlis obtine, vt deleas quidquid deliquimus in terris; nam non eſt aliquid tam prauum in nobis, quod ſi tibi placet, orando abolere non poſſis. O ſacratiſſima Virgo, nos, qui hoc credimus, quod Virgo & mater Dei ſis, credendo ſentiamus, quid pro nobis depreceris, & iuxta petentium vota impetrata aſſequaris, & qui confitemur, te genuiſſe Deum & hominem, gaudeamus per te nobis aduenisse ſalutem; & qui non dubitamus, cunctis te eſſe meliorem; per te multimodam ſentiamus adeſſe nobis pacis fœlicitatem. Et ſi quando proceſſerit ad nos diuina miſeratio tua; ne ſuperbiamus, aſſiſtat tuitio; aut ſi ſuperuexit tribulatio, ne labamur, ſit præſens tua Sancta protectio. Facque orando ô Domina,

ô Domina, vt serui filij tui Domini nostri Iesu Christi effici mereamur. Hucvsque Palentinum Breuiarium atque Conchense. Quod sequitur habetur solum in Salmantino.

BEATA DEI GENITRIX VIRGO MARIA, TEMPLVM DOMINI AVLA REGIS æterni, sacrarium Spiritus Sancti, Tu Virga de radice Iesse, Tu oliua speciosa in agro Dauid, Tu Cypressus in Monte-Sion, Tu Cedrus in Libano, Tu rosa purpurea in Hierico, quæ singulari priuilegio meritorum, sicut nescis in hominibus comparem, ita nihilominus, & Angelicam superas dignitatem; cui nouo & inaudito miraculo datum est, vt Verbum, quod ante sæcula Deus genuit, fieret filius tuus, & homo; quem in fine sæculorum genuisti, verus atque perfectus esset filius Dei. O glorioſa Puerpera, in qua sola reperitur fœcunda dignitas; quæ sic ex in temeritatis viscеribus, filium protulisti, vt eleuatæ pudicitiæ integritas crescceret; nec libido, Virginalis clausulæ signaculum violarer. In te Spiritus Sanctus, dum conciperes, obumbrauit; non quod ipse (quod absit) in sacratissimo vtero tuo fieret pro semine sobolis; sed vsus est potius virtute, atque potentia Creatoris, De te Summus Pontifex sui corporis hostiam sumpsit, quam in ara Crucis pro totius mundi salute, sacrificium obtulit. Tu lux oriens Nazareth, tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israël, tu nobilitas populi Christiani, ô Regina mundi, scala cœli, Thronus Dei, Ianua Paradisi, audi preces pauperum, ne despicias gemitus miserorum. Inferantur à te vota nostra, atque suspiria conspectui Redemptoris; vt quæ nostris excludantur demeritis, per te locum apud aures obtineant pietatis. Dele peccata, relaxa facinora, erige lapsos, solue compeditos; per te succidantur vepres, & gemina vitiorum: præbeantur flores, & ornamenta virtutum. Placa nobis iudicem, quem genuisti, singulari puerperio, Saluatorem, vt qui per te particeps est factus humanitatis nostræ, per te quoque nos consortes faciat Diuinitatis suæ.

SEQVITVR PROSA.

Quæ in eisdem Breuiariis continetur.

Aue Dei Mater Alma, certa spes fidelium,
Porta cœli, stella maris, recti cursus brauium.
Forma legis, summa pacis, salutis exordium
Aue Virgo, aue Fœta, aue plena gratia.
Aue Sponsa, aue Mater, aue Dei filia
(Quam diuersa facis vnum, ô omnipotentia!)
Fons signatus, Sacramenti Summi conceptaculum
Scala Iob, domus Dauid, Salomonis ferculum
A Leonis ore salua Christianum populum.
Theothocos, Virga Iesse, Oliua fructifera,
Templum Dei, arca Noë, columba pacifera:
Ab inferni nos Charibdi in æternum libera.
Turris, ex qua pendet omnis armatura fortium,
Rosa florens, sacra vitis, lilium conuallium;
Medicina peccatorum, virtutum donarium.
Vua dulcis, flos suauis, nardus odorifera,
Virgo semper glorioſa, salubris puerpera,
Præbe nobis adoptiuis pietatis vbera.
Orientis porta clausa, quam vidit Ezechiel:
Mensa Regis, ad quam dapes tulit ipse Gabriel,
Quarum opem in Leonum lacu sensit Daniel.
O sigillum libri vitæ solidum in sæcula,
Cuius potest solus agnus soluere signacula,
In hac nostra precum, stylo, conscribe vocabula
Ad hoc, omnes Sancti, vestrum petimus auxilium,
Vt pars nostra sit vobiscum in terra viuentium.
AMEN.

Hæc vel fragmenta operum Bernardi, vel eius nomine in Ecclesiis his seruata, nequaquam censui in præsenti prætermittenda.

Anno eodem, capite XIV. num.4. in fine, adde. Claudius Robertus protraxisse vitam vltra annum M. C. LVI. testatum habet, breui eius memoria, quæ & aliqua gesta comprehendit, his paucis verbis. *Transtulit Sedem Episcopalem Aletha, in locum, vbi nunc est Sancti Macrobij nomine, qui locus antea dicebatur Insula Aaron. Nominatur anno M. C. XLIX. in chartis Sancti Nicolai Andegauensis; & consecrauit maius altare Abbatiæ Monfortensis recens structæ anno M. C. LVI.*

CAP. XV. num.8. in fine, adde. Fortè Serlonis successor Richardus fuit, cuius auctor exordij cum laude meminit, lib.5. cap.6. *Venerabilis etiam Pater Richardus, quondam Abbas Sabigniaci, &c.* Consonat Syllabus Abbatum Sabigniacensium, quartum Abbatem assignans Ricardum de Coruejo, eiusdem domus Priorem sub Serlone, Virum prudentem, modestum, & magnæ honestatis, qui totos annos quinque, quibus præfuit, iura Sabigniacensis Ecclesiæ constanter defendit.

Cæterum notatione dignum est, neque in præsenti à nobis prætereundum, Sabigniacenses qui Fratribus de Benedictione Dei infensi memorantur, nequaquam fuisse eos, de quibus loquimur in Diœcesi Abrincensi, magno interuallo à Benedictione Dei dissitos, & nostris adhærentes à quinque annis: sed alios in Lugdunensi Diœcesi sitos, eiusdem nominis, Sectæ Cluniacensis, vicinos Monasterio Benedictionis, qui super decimis cum ipso disceptabant. Porrò de vtroque cœnobio Sabigniaco Robertus Claudius meminit, atque vtrumque distinguit in sua Gallia.

CAPITE eodem, num.10. immediatè ante illa verba. *Sed iam nos alia vocant præsentis anni,* adde. Addendus etiam Sanctis Serlonis filij, fœlix, haud dubiè, & Deo dilectus Abbas, de quo in exordio Magno scriptum legimus. *Venerabilis etiam Pater Richardus, quondam Abbas Sabigniaci, de quodam Religioso, & Sancto Abbate, qui in vna domorum Sabigniacensium Abbatizabat, mirabilem quandam, ac pauciſſimis (vt reor) expertam gratiam nobis innotuit; quam ipsi ob meritum deuotionis suæ largitas diuina pietatis prærogare dignata est. Nam cum non solum carnalibus artibus, verum cogitationibus penitus à corde suo eliminatis, in puritate, & deuotione mentis vigilaret, & psalleret, & oraret: superna denique aspirante gratia solebat sentire naribus suis influentem cuiusdam odoris nectar suauitatem cinnamomi, thuris, & balsami, omniumque odoramentorum fragrantiam incomparabiliter exuperantem. Faucibus etiam suis, quasi cœlestis Manna dulcedinem infundi sentiebat, omnem in se saporem, & omne delectamentum suauitatis habentem. Quod veluti fanus in ore eius scaturiens; indeque, ad interiora*

interiora corporis, & anima defluens, vtrumque ipsius hominem dulcore mirabili perfundebat, & afficiebat; ita vt etiam cum Propheta dicere posset: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Tales Viros Cistercium adoptauit, interuentu Serlonis; nec dubium, quin & alios, quos ignoramus.

CAP. XVII. n.6. vbi de Castellione, adde. Castellionis nonnullas possessiones, sepulchraque quorumdam Virdunensium Episcoporum; Iongelinus vulgauit, suarum Notitiarum lib.2. & facilè apud ipsum videri possunt.

ANNO M. C. LIV.

CAP. I. post num.12. adde numerum 13. Addam tamen duo adhuc ex Exordio, quæ curam Sancti in filios, siue veriùs pro filiis, satis ostendunt, neque vllis aliis melius, quam eius verbis, lib.4. cap.21. *Post transitum Reuerendissimi Patris Bernardi, fuit in Clara-Valle quidam Frater, qui in primordio conuersionis suæ, tanquam nouus miles, crebros hostium insultus tolerabat; crebra tentationum iacula scuto patientiæ viriliter expiabat. Super omnia vero spiritum fornicationis adeo infestum sentiebat, vt phantasias miseræ carnis, quas malignus ille cordi eius ingerere continuè nitebatur, manu sacræ compunctionis, & orationis vix abigere valeret: Et in hoc fixorio confixus, tota die contristatus incederet. Augebatur in dies molestissimi conflictus molestia, nec erat rudi tyrunculo tanta patientia, vt violentiam passionis duræ se vlterius ferre posse confideret. Vnde etiam deliberauit animo cedere tentatori, & proiecto Religionis habitu, ad sæculum reuerti. Cumque iam sollicitè recedendi opportunitatem obseruaret, astitit ei per visum Beatus Bernardus paulò ante defunctus, increpans ipsius socordiam; & arguens eum super iniquitate, quam mente conceperat, & actu perficere satagebat. Cui cum ille respondisset, se diu iam reluctatum fuisse, & iam tentationis violentiam ferre non posse; ait Sanctus ad illum: Scito prænoscens, quoniam multa te adhuc certamina manent; sed age viriliter, & noli deficere, quia Dominus aderit tibi, tanquam adiutor in opportunitatibus, vt eruat te. Vnde tibi polliceor, quia si in Ordine vsque ad finem perseueraueris, saluus eris. Quod si forsan aliquis tibi nocere tentauerit in die nouissimo, ego respondebo pro te, & animam meam ponam pro anima tua. O verè amicum fidelem. Pium Patrem! auxiliarium fortem! qui post mortem carnis in vita Beata magis se fidelem probans, ouiculam nutantem, iam iamque in barathrum apostasiæ ruentem, tam dignanter visitauit, & blandis consolationibus fouit, & exhortationibus roborauit; & per Dei gratiam de præcipitio mortis, ad vias vitæ reduxit. Tali namque pollicitatione tanti Patris, prædictus Frater animatus spiritum pusillanimitatis & diffidentiæ penitus à corde suo eliminauit; & ad agonem certaminis incredibiliter roboratus deinceps, à stabilitate sua nullis maligni spiritus machinamentis, seu tentationum violentiis moueri potuit: sed sicut ei prædictum fuerat, multorum certaminum agonibus desudatis, de cunctis per Dei gratiam victoria triumphum reportare meruit; atque in Ordine Sancto vsque in finem vitæ suæ in optima conuersione perseuerans, salutem æternam secundum sponsionem dilecti Patris sui fœliciter consequutus est.* Hæc de primo. Sed audi de secundo, quem Sanctus Pater, simul & eius intimus amicus Pontifex Malachias corripuere.

Alius quidam de Fratribus eiusdem cœnobij, cum instinctu Diabolico ita mente correptus esset, vt iam Apostatare à Deo, & pactum cum inferno facere, id est, ad sæculum redire disponeret; vidit in visu noctis Beatum Bernardum, Sanctumque Malachiam, Reuerendissimos ipsius loci Patronos, in dormitorio deambulantes; & Fratres in lectis suis pausantes sigillatim visitando benedicentes. Qui cum in Ordine visitationis, ad lectulum videntis hæc deuenissent, nec tam benignè eum respicere, nec benedictione, qua cæteros firmauerant, voluerunt roborare; sed magis quasi indignantes aduersus eum stabant. Sicque B. Malachias ad B. Bernardum loquutus est. Homo iste prauus est, & inquietus, nihil omninò boni agens in animo; non timet iniquitatem meditari in cubili cordis sui; iamque prona voluntate Diabolicæ suasioni assensum dedit, vt ad vomitum sæculi, quam citius poterit reuertatur. Quo audito, B. Bernardus dixit ei. Tu de Monasterio meo fugere quæris? Et quo fugies miser, à facie Domini? Crede mihi, quia malo tuo talia cogitasti. Scio, scio sola vexatio intellectum dabit auditui. Et quia per timorem Dei corrigere te neglexisti, dignis verberibus castigatus: vlterius fugere non tentabis: & his dictis, cœpit eum crebris ictibus tundere baculo, quem tenebat, & ait: Ecce stipendia, quæ mereris: surge nunc, & fuge, si poteris: euigilans autem Frater ille inuenit se tunsionibus illis totum conquassatum, atque confractum; ita vt in Infirmitorium ductus lecto detineretur. Tremens itaque & pauens, Fratres, qui sibi assistebant, rogat, vt Priorem quantocyus ad se venire faciant. Quo accersito, cum multa contritione cordis confessus est malitiam, quam mente conceperat, & opere perficere intendebat; pœnam quoque, quam inde pertulerat. Priore vero desidiam, & socordiam eius (sicut erat dignum) corripiente, & pro reatu instabilitatis pœnitentiam iniungente, Frater iisdem perfectè respuit; & non apprehendit eum vltra desiderium fugiendi. Cum enim salubriter didicisset durum sibi fore contra stimulum per vrgentis gratiæ recalcitrare: studuit de cætero eidem gratiæ salutem suam misericorditer in se operanti, cum timore, & tremore cooperari. Talis erat Bernardus erga suos, etiam cum ipsi se orphanos putabant; arguens, obsecrans, increpans, nec minus quicquam præsens, quam adhuc viuens.

ANNO M. C. LV.

CAP. III. n.6. in fine, adde. Cæterum huic eidem visioni congruit, & suffragatur quædam alia, quam auctor magni speculi exemplorum, dist.9. exemplo 103. eleganter describit in hæc verba: *Ante aliquot annos, in quodam cœnobio Cistercienſis Ordinis in Francia, res gesta est celebris; & ab omnibus credita quia vir magni testimonij testis eius est, à quo visa est. Messis erat, Monachi messuerunt, & sub pondere diei, & æstus fortiter desudarunt. Venit vespera, itum est ad domum, cœnatum, dormitum, & dormitorium clausum. Cellerarius, vir sapiens & maturus, talis denique cui soli hoc liceret, mercenariis responsurus foris mansit. Expeditis his venit & ipse ad dormitorium, sed clausa est ianua. Quid faceret? pulsaret? sed turbare noluit requiem Monachorum, Desisteret? Sed requiem non haberet. Malens autem inquietari se, quam alios, Capitulum intrat, in scamno se ponit, & de iunco*

capitale instituit sibi. Nec dum obdormierat, & ecce Virgo omni specie pulchrior, obsequentibus, & lumina præferentibus aliis duabus, ingreditur. Aggreditur Monachum: an dormiat, scisciatur: vigilare se dicit. Quin & ipse quid ibi facere vellet? & cur contra morem, maximè in nocte, intrauerit? Securus, inquiunt esto. Et illa, Ego sum (inquit) Maria, cuius es & tu, & domus ista, & omnia, quæ sunt in domo ista, & in ordine isto. Portabat autem vas vitreum ad nares suas, tanquam odorem captans ex eo; dixitque: visitaui hodie Monachos meos in agro, sudoremque eorum colligi in vase isto: & hic odor optimus coram me; & filio meo, dignè vtique remunerandus est, præmio opportuno: Tunc ille, O pia Domina, Quid tibi tanti est labor noster, qui fit non tam deuotione humilitatis, quam necessitate inopiæ? At illa (inquit) Tu ne audisti, quia voluntas habet pœnam, & necessitas parit coronam? & si necessitas parit coronam, sed iam partem accipit voluntas. Siue ergo necessitate, siue voluntate, quidquid agitis, meum est; omnia vestra mihi vendico, ego suscipio, ego remunero. His dictis, disparuerunt, & ille obdormuit suauiter. Mane facto refert hæc lætus, & compunctus Abbati. Abbas & Conuentus lætati sunt omnes, crediderunt omnes, & præ grauitate personæ nemo dubitabat. Hactenus ibi.

ANNO M. C. LVII.

CAP. V. num. 9. vbi de *Vilillhusen*, & Speciosa-Valle, adde. *Vilillhusen*, aliàs, & fortè melius *Vilthausium*, vulgo *Bilthausen*, Fundatorem habuit Hermanum Comitem Palatinum Rheni, & liberalissimum dotatorem Gebardum Episcopum Herbipolensem, ex Comitibus de Henemberg. Speciosam-Vallem, vulgo *Schoental*, in eadem Herbipolensi Diœcesi fundauit VVolframus Dominus de Bemburg, inibi sepulrus, vt tradit Martinus Crucius in Annalibus Sueuiæ, libro 5. part. 2. Alij tamen fundatam volunt per Nobiles de *Perlichingen*, quorum tumuli ibidem etiam spectantur.

ANNO M. C. LVIII.

CAP. V. num. 11. in principio, adde. Portam-Cœli biennio anteriorem faciunt Tabulæ, quas sequutus Iongelinus, qui de eius fundatione hæc habet verba: *Porta-Cœli, vulgo* Tennebach, *propè Friburgum Brisgoiæ, fundatur anno Domini M. C. LVI. in Nigra sylua, per Lantgrauios de* Stulingen, & Bar, *à quibus Comites de* Frustemberg, *& de* Friburg, *defluxere; quique in hoc cœnobio sua habent reconditoria, & inter alios superbo iacet tumulo Egon Tertius Comes Fustembergius, ac Lantgrauius Stutingensis, cum vxore Adelcide Comitissa in* Niffen, *eorumque filius Conradus Comes, qui obiit anno M. C. XL.*

ANNO M. C. LX.

CAP. X. n. 9. post illa verba: *In annis lubricis*, adde. Quod dicitur de mixto ad id alludit, quod Sanctus Pater in sua Regula præcepit c. 37. *Cum senibus & infantibus non obseruetur districtio Regulæ, maximè in alimentis; sed circa eos pia habeatur consideratio, vt præueniant horas Canonicas.* Porrò hæc præuentio, siue anticipatio non erat prandiis, quod cum aliis sumebant horis consuetis; sed ientaculi, vt aiunt, id est bucelæ panis, atque modicæ vini quantitatis, quas etiam mensæ Lector, & coquinæ Hebdomadarius permittebantur sumere, *ne fortè graue esset ieiunium sustinere; & vt hora refectionis sine murmuratione, & graui labore seruirent Fratribus suis*, c. 35. & 38. hanc refectiunculam alibi *bibere*, alibi vero *mixtum* Sanctus appellat; atque hoc vltimum nomen hodieque durat, & in vsibus antiquis inuenitur, cap 73. *Admixtum percutiatur signum in Ecclesia tribus ictibus, ante sextum, &c.* Dicitur autem mixtum, id est temperatum: siue aqua dilutum. Vnde etiam mixtarius, seu mistarius, apud Ambrosium Calepinum & alios *vas quo vinum aqua miscetur.* Qua significatione vsurpauit nomen Lucretius.

Vrceus, aut gemina longus mixtarius ansa

Ergo Henricus, ferè sine exemplo, iuuenis in Abbatem promotus est, atque adeo non robustus, vt legibus adhus pueritiæ metiendum esset.

CAPITE eodem, post num. 10. adde. Hoc item anno Cistercij obiisse dicitur Henricus Eduensis Episcopus LIV. filius Hugonis Secundi Burgundiæ Ducis, de quo Claudius Robertus hæc habet verba: *Henon, vel Henoinus, velut ego legendum puto, Henricus, filius Hugonis Secundi Ducis Burgundiæ, ex Matilde, Fratre, Galterij Episcopi Lingonensis LVII. Accepit palium ab Eugenio III. anno M. C. XLIX. Dedit Ecclesiam de Beligniaco, & de Marcilejo Canonicis Belmensibus, anno M. C. XL. præsente Lamberto Abbate Cistercij, vbi obiit. Kalendis Martij*, ibique habet hoc epitaphium appensum ad parietem, qua itur ad dormitorium.

Hic duo Pontifices serui veri Salomonis
Pausant, Henricus Eduæ, Petrus Cabilonis.

CAP. VI. n. 3. post illa verba, *Virginum Colonienſium*, adde. Adeoque esse eum, de quo Baronius in suis ad Martyrologium Romanum Notis, quorum nos Tomo primo etiam meminimus.

ANNO M. C. LI.

CAP. IV. post num. X. adde. Sequentes num. 11. Sub idem tempus, quantum ex serie historiæ coniici potest, florebat inter alios in Clara-Valle Venerabilis, & Deo dignus Ansulphus, ab ipso tyrocinio talis, cui sua Deus secreta, & sociis euentura communicaret. De eo cum scribebat, iam defuncto, Auctor Exordij Magni hæc habet verba lib. 4. c. 9. *Magnæ deuotionis Vir Ansulphus, & magna præditus gratia, cum adhuc esset in Clara Valle Nouitius, vidit in visione apparentem sibi Dominum Iesum Christum, tanquam in Cruce pendentem. Erant autem (vt sibi videbatur) ibidem alij duo Nouitij, qui secum erant in probatione. Cum ergo suppliciter Dominum adoraſſet, & vt sui, sociorumque suorum misereretur humillima prece rogaret: misericordia motus Pius Dominus respexit, ac benedixit alterum dictorum Nouitiorum. Cernens vero Nouitius, qui hæc videbat, tertium illum Dominica benedictione minimè roboratum, fraterna pietate commotus, cœpit attentius rogare Dominum, ne ipsum à largitate benedictionis illius excluderet. Respondit autem ei Dominus, nequaquam esse benedicendum, sed magis ad massam pertinere maledictorum. In his verbis cuigilans Nouitius ille de benedictione, qua cum socio suo à Domino benedici meruerat, oppido gratulatus est. Sed quidnam de illo, de quo tam tristem sententiam audierat, futurum fortè, dubius expectabat. Post diem itaque tertium, tertius ille Neophitus, Trinitatis vinculum*

rumpens,

rumpens, vt triſtem ſui nominis etymologiam malè gerendo exprimeret (Malgerus ſiquidem vocabatur) Ordine derelicto, reuerſus eſt ad vomitum vitæ ſæcularis, & factus eſt Apoſtata vilis. Reliqui autem duo, qui benedictione Domini firmati fuerant, ipſo miſerante, benedictionem hæreditate poſſederunt. Et quoniam ad ſortem benedictorum Domini pertinerent, in propoſito ſuo iuſtè, & piè vſque in finem vitæ perſeuerando, declararunt. Hæc ille, ex digito Gigantem, vbi alia membra pingere non poſſet, demonſtraturus.

Nec multum erit, ſi idem concernant tempus, qui immediatè ſequuntur alij duo, de quibus idem Auctor ita proſequitur cap. 10. *Frater quidam eiuſdem cœnobij, cum ſe ad quærendum Deum magno deſiderio conuertiſſet, & pij Saluatoris noſtri Domini noſtri Ieſu Chriſti memoriam, dulci meditatione continuè ruminaret, vidit illum, quadam vice in viſione ſibi apparentem. Sollicitus autem de ſua ſalute, flagitabat obnixè ſalutiferam eius benedictionem, dicens: Domine, Obſecro te, benedic mihi, vt ſaluus fiam. Pius vero Dominus, qui propterea pauperi ſuo apparere dignatus fuerat, vt aliquam ſtillam dulcedinis ſuæ ipſi miſericorditer impenderet, elenata Sancta ſua dextera, benedixit eum; qui protinus, vt ſibi in eadem viſione videbatur, inenarrabili gaudio repletus, pia præſumptione, apprehendens beatiſſimam dexteram, à qua benedici meruerat, eam ingenti deuotione deoſculabatur, atque dicebat: Gratias ago tibi Domine Ieſu Chriſte: Fili Dei viui, quia benedixiſti mihi, & ſaluus ero.* Et rurſus de alio. *Alteri cuidam Fratri Religioſo, atque deuoto datum eſt in ſpiritu videre Beatam Mariam Magdalenam ſplendidiſſimo vultu, & habitu, ante altare ſtantem. Qua viſa, repletus eſt Frater ille lætitia magna. Cumque cogitaret animo optando, atque ſupplicando, & magno æſtu ſacri deſiderij ſuſpirando, quatenus ei Beata Maria Dei genitrix, cui deuotiſſimè die, noctuque ſeruiebat, ſimiliter monſtraretur; facta eſt vox ad eum in ipſa viſione, dicens: Noſſe te conuenit, quia nec dum idoneus es ad ſublimiſſimam, immaculatæ, Dei genitricis, & Virginis Mariæ claritatem intuendam. Satagè ergo, & creſce, & profice, quantum poteris: vt eam quandoque videre mereari.* His fruebantur deliciis Viri Sancti, his cœleſtibus viſitationibus, conſolationibuſque, ad culmen perfectionis promouebantur. Anſulphus Menologio adſcriptus legitur, ad VII. diem menſis Auguſti.

Cap. VI. num. 1. ad medium, poſt illa verba: *Repromiſſam manifeſtauit*, adde. Hinc corrigendus venit Iongelinus, qui hoc cœnobium recentius longè facit; quippe referens eius fundationem ad annum Chriſti M. CC. LXXV. quo dudum Amalricus de viuis raptus, non potuit, aut viſione cœlesti frui, aut eam Abbati Richero manifeſtare.

Ibidem, vbi de Sancto Saluatore de Monteacuto, adde. Crediderim, eandem eſſe domum, de qua Tomo quarto longior à nobis ſermo habendus erit; & ſiue per errorem repetitam, in Chronologia, ſiue bis deſignatam, ſemel ex Ordine indultæ antiquitatis, quod aliis euenit: & iterum & anno Reformationis, quod longè eſſe recentius, ibidem oſtendam.

ANNO M. C. LXII.

Cap. VI. n. 7. vbi de Tuta-Valle, adde. Alij non in Norùegia, ſed in Dania, & Diœceſi Ripenſi locatam tradunt. *Rifeſten, Rifeſtein* alij vocant, quæ domus in Germania, & Diœceſi Moguntina fundata dicitur.

Capite eodem, numero 10. in fine, adde. Inuenio in Menologio Ciſtercienſi B. Petrum Abbatem Armentariæ, cuius & fundationis Eccleſiæ per ipſum factæ, memoriæ in Preſbyterio eiuſdem domus dicitur conſeruari, hac inſcriptione.

FVNDATA EST HÆC ECCLESIA ERA M. CC. V. ET ABBAS D. PETRVS FECIT IN MEMORIAM SANCTÆ MARIÆ.

Cæterum id, qualiter cohærere poſſit, cum inſtrumentis eiuſdem Monaſterij, quæ tum vitam Euonis, tum præfecturam producunt vſque ad Eram M.CC.XIX. id eſt annum Chriſti M.C.LXXXI. niſi fortè Era ad annum referatur in inſcriptione, non mihi hactenus licuit inuenire.

ANNO M. C. LXIII.

Cap. IV. in fine, adde. Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus, cuius anno M. C. LVIII. c. 5. n. 3. mentionem fecimus, in Italia Imperatorem ſequens, hoc ipſo anno Papiæ mortuus eſt, & funus eius ad Veterem-Montem deductum; vbi hodieque ſepulchrum eius viſitur, epitaphio impoſito pro more temporis.

Hoc iacet in Tumulo Fridericus Vir generoſus,
Virtutum cumulo prædiues, ac animoſus,
Laudibus immenſis, qui crebro fuit dominatus,
Agripinenſis poſſeſſor Pontificatus,
Cuius honorificè ducuntur ab Alpibus oſſa,
Atque hac ponuntur, pompoſo ſchemmate, foſſa.

Dicitur Fridericus oriundus ex familia Comitum Montenſium, adeoque illi patuiſſe ſepulturam in Monte-Veteri.

Cap. V. num. 7. in fine, adde. De hac Petri Alphonſi vocatione, per Bernardum Parentem, & prophetia, quæ de eius, & aliorum Monachatu, ab ipſo Sancto facta memoratur; videndæ ſunt, quæ in primo Tomo diximus, atque ex illis hæc ipſa regulanda.

ANNO M. C. LXIV.

Cap. VIII. poſt numerum 11. adde 12. Hoc ipſo anno, cum Monaſterium de Recluſo, ad extremam inopiam peruenisſet, atque in arido loco conſtitutum, multa incommoda, & grauia toleraret; clariſſimus Henricus Campaniæ Comes Theobaldi Magni filius, patris magnificentiam imitatus, locum in quem ſe commodè transferrent, atque opimas donauit poſſeſſiones, expedito diplomate, quod Nicolaus Camuzatius in ſuis Miſcellaneis publicauit, in hunc tenorem. *Omni-Creator, & omni-ſciens Dominus cæcitatis noſtræ ignorantiam doctrinæ ſuæ radiis, diligenter dignatus eſt inſtruere. Agnoſce, inquit, ô Chriſtiane dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, cuius capitis, & cuius corporis ſis membrum, reminiſcere; vt imitator diuinæ dilectionis, quæ in opere conſiſtit, ereptus de poteſtate tenebrarum, tranſlatus ſis in Dei lumen, & regnum, ſpe promiſſionis huius præconis allectus. Ego Henricus Trecenſium Comes Palatinus, notum volo fieri præſentibus, & futuris, quod compaſſus nimiæ paupertati*

Ecclesia de Recluso, vt ab arido loco, & parum fertili, quo insedebat Abbatia, ad vberiorem locum, & magis commodum transferretur. In nominata Ecclesia pro timore, & amore eius summi Patris familias, qui dat salutem Regibus; ad salutem animæ meæ, & parentum meorum, dedi in Eleemosynam omne fagetum meum; dedi etiam, & quietum clamare feci, quidquid Engelmerus de Sangeio, & sui participes ibidem tenuerant. Præterea concessi duos forestarios, Robertum, scilicet, & Vlricum de Soleriis, ad custodiendum nemus. Hæc omnia ad honorem, & pacem Ordinis Cistercienſis, ita liberè & quiete dedi, & concessi Abbatiæ, quæ dicitur donum Comitis, *quod nemo infra prædictum fagetum vllam penitus consuetudinem habeat. Illud etiam addidi, & perpetuo possidendum concessi; quod Fratres iam dictæ Abbatiæ omnimodum vsurarium suum, exeruatione excepta, in nemoribus meis de VVueseio, & Passena habeant. Præterea eisdem Fratribus concessi, quod ipsi eant, & redeant per totam terram meam, ab omni iustitia, & consuetudine liberi. Et quicumque homines mei sese, vel suæ præfatæ Abbatiæ reddere voluerint, ipsos, & sua liberè, & quiete concessi: institutis tamen Cistercienſis Ordinis interminatè obseruatis. Et vt hæc omnia inconcussa, & inuiolata in æternum permaneant; hæc ita fore, sigilli mei testimonio confirmaui; testibus Radulpho Abbate Vallis-Claræ, Arnulpho Abbate de Recluso, Tecelino Abbate de Sancto-Portu, Ioanne Abbate de virtute, &c. Actum est hoc anno Incarnati Verbi M.C.LXIV. Ludouico Rege Francorum regnante, Guidone Cathalaunienſi Episcopo existente, traditum apud Trecas per manum VVillelmi Cancellarij.*

CAP. X. num. 3. in fine, adde. De *Gutualia*, alias de *Godolin*, in Gotlandia, hæc habet Iongelinus, lib. 7. *Gutualia filia Noue-Vallis in Suecia, fundatur anno M.C.LXIV. sexto Idus Septembris; cui cœnobio circa annum M. CC. XLVI. Ericus Daniæ Rex Poskildiæ confirmat, in animæ suæ solatium, omnes possessiones, & donationes, quascumque illi contulerat Dux Canutus. Primus huius loci Abbas extitit piæ memoriæ Dominus Petrus, quondam in Clara-Valle, sub Sancto Patre Bernardo, Monachus; Vir columbinæ simplicitatis, & Sanctæ conuersationis; de quo vide Menologium Cistercienſe die X. mensis Iulij. Alij fundatam volunt in Liuonia, sitam qui in Diœcesi Rieuallienſi.*

ANNO M. C. LXV.

CAP. IV. num. 4. vbi de Clara-Insula, adde. Huius cœnobij initia consecrauit Gunnerus Abbas, Vir pietate excellens, doctrinaque; inde in Archiepiscopum Lundenſem, atque Daniæ Primatem promouendus; quibus functionibus egregia cum laude præfuit, vt Tomo sequenti à nobis dicendum erit.

CAPITE eodem, num. 5. vbi de Barbello, siue Sacro-Portu, adde. Accepi ex Gallia, primum loci Abbatem, non Tescelinum fuisse, sed Martinum, Tescelino occupante tertium locum. Quod si verum est, inchoata videtur domus longè ante Philippi Augusti natiuitatem: vnde facilior aditus patebit ad Papirij Maseni traditionem.

ANNO M. C. LVI.

CAP. VI. num. 7. in fine, post illa verba: *Per Clericos plerumque administratur:* adde. Quamuis nostra ætate, dubium, quo iure, an sola conniuentia Marchionis, per Monachos Hortenses procuratam longo tempore vidi; nec satis mihi constat, quam ob causam non multis ab hinc annis relicta sit, per Clericos denuo administranda.

ANNO M. C. LXVI.

CAP. I. n. 5. in fine, adde. Extat Epistola Alexandri III. ad Abbatem, & Conuentum Pontigniacenſes, gratulans de constantia, qua præcelluissent; atque ad perseuerantiam illos exhortans, quæ ita habet.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, Abbati, & Fratribus Pontigniacenſis Monasterij: salutem & Apostolicam benedictionem.

Fidei, & deuotionis vestræ feruorem, quem circa nos, & Ecclesiam Romanam multipliciter geritis, in eo quod Venerabilem Fratrem nostrum Cantuarienſem Archiepiscopum tam benignè, tam humanè, & honestè tractatis, nec ad alicuius minas, aut blanditias in hoc respicere voluistis; exhibitione operis abundè demonstrastis. Quod vtique gratum nobis omnimodis, & acceptum, tanquam si personæ nostræ fuisset exhibitum, reputantes; quantas possumus charitati vestræ super hoc gratiarum referimus actiones: & affectionem vestram innumeris exinde laudibus in Domino commendamus. Verum quoniam boni operis finis magis, quam principium solet attendi; discretionem vestram per Apostolica scripta rogamus, monemus, & hortamur in Domino, quatenus iam dicto Archiepiscopo, sicut hactenus laudabiliter feciſſe noscimini, fraternæ liberalitatis subsidia ita honestè, ita honorificè ministratis, vt fraternam in vobis charitatem feruentiorem semper inueniat, neque eam vnquam minis aut terroribus tepuisse cognoscat. Hactenus litteræ.

ANNO M. C. LXVII.

CAP. IX. num. 1. vbi de Charmeia, adde. Accepimus ex Gallia, Charmeiam Abbatiam, non esse filiam Recluſi, sed sororem, vtramque filiam Vallis-Claræ, quod ego Gallis relinquo discutiendum.

ANNO M. C. LXVIII.

CAP. IX. n. 6. vbi de Monasterio Dulcis-Vallis, adde. Vallem-Dulcem in Lingonenſi Diœcesi fundatam à Manasse Decano Lingonenſi, in Decanatu Petræ-fictæ, alij ad hunc annum referunt; alij XVI. anteriorem esse affirmant.

ANNO M. C. LXIX.

CAP. V. n. 4. in fine, Claudius Robertus annum mortis sub dubio differt, breui eius memoria, quæ ita habet: *Bernardus, ex Canonico, Monachus Claræ-Vallis, & ex Monacho Episcopus, interest translationi Sancti Florentini Salmurienſis, sexto Nonas Maij, anno M. C. LIX. obiit M. C. LXIX. vel M. C. LXXI. in supplemento Sigeberti.*

Anno eodem capite V. num. 3. in fine adde. Inter maiores eius glorias est, quod eleemosynarium habuit insignem virum, Petrum Comestorem, Auctorem Historiæ Scholasticæ; quod à Roberto Claudio, & aliis notatum video.

Anno eodem, capite VII. num. 1. vbi de S. Ioanne,

S.Ioanne, adde. S. Ioannem in Nemore appellant, domumque in Famauguſtana Diœceſi ſitam, Iongelinus affirmat, ſuarum Notitiarum *lib.* 8.

ANNO M. C. LXX.

Cap. VIII. num.11. vbi de *Hilda*, Abbatia Ciſtercienſi, adde. Video, & *Hildam*, ſiue *Hirdar*, notatam in Saxonia, in Diœceſi Brehemenſi, filiam Hebrarci; quam Iongelinus hoc anno fundatam tradit, per Farinarum Rugiæ Principem, qui primus in ea Prouincia fidem Chriſtianam, Baptiſmaque ſuſcepit: exindeque Monaſterium fundauit, vna cum vxore ſua Ildegarde, Canuti Regis Daniæ filia. Sed hoc cœnobium longe poſterius puto, ſicut & Ruſciæ per noſtros conuerſionem.

Capite eodem, num. 3. vbi de Dobano cœnobio, adde. Iongelinus in ſuis Notitiis notat, Priuiſlaum fundatorem, quam Regem vltimum Herulorum ad oram maris Balthici, & Dynaſtam Magnipolenſem appellat, obiiſſe anno Chriſti M. C. LXXIX. atque in eodem Dobanenſi cœnobio ſepultum eſſe, tali inſcriptione ſepulchro ſuperpoſita.

HIC IACET PRIVISLAVS, DEI GRATIA HERVLORVM, VVAGRIORVM, SISCIPENORVM, PALAMBORVM, OBRODITARVM, KASSINORVM, VANDALORVMQVE REX, &c.

Eodem vero Tumulo, duas illius vxores ſepultas eſſe, Mathildem Volellay, Criſpi Poloniæ Ducis, & Voyſclauam Bureuini Noruegiæ Regis filias. Habet & alia monumenta Ducum Magnopolenſium, continuata ferè ſerie ibidem ſepultorum, vſque ad hæc tempora.

Capite eodem, num.4. vbi de Victoria, adde. Victoriam in Corinthia, Gurcenſis Diœceſis, Gaſpar Iongelinus fundatam tradit, ab Henrico Epiſcopo Trecenſi; qui ante conuerſionem valde Nobilis, atque vnus ex Comitibus Ottonis, in Morimundo cum ipſo habitum induit: inde Abbas Villarienſis effectus in Lotharingia; ad vltimum in Epiſcopum promotus, patriam ſuam illuſtrauit eo cœnobio. Cæterum dum fundationem nimium anticipat, nempe ad annum M. C. XLIV. ſuſpecta reddit cætera. Quippe eo anno Henricus nondum Epiſcopus; biennio poſt promotus, vt habent tabulæ Trecenſium Epiſcoporum. Sed & defunctus ante hunc annum dicitur, præcedenti nimirum, vt notauimus, potuit domus incepta, ipſo viuente, ab eius morte conſummari.

ANNO M. C. LXXI.

Capite VIII. num.9. in fine, adde. Iongelinus Abbatiam quandam commemorat, nomine *Oliuetum*, Bituricenſis Diœceſis, quam filiam Curiæ Dei ſub Ciſtercio, ad fluuium Corum, in Archipreſbyteratu Virzionis, circa annum M. C. XLIV. fundatam tradit. Conſonat Ioannes Cherui in ſuis Notitiis Bituricenſis Diœceſis tam in Abbatia, quam in anno fundationis.

ANNO M. C. LXXII.

Capite VI. num. 2. vbi de *Bona-Requie*, adde. Fundatam domum ad Alario Vicomite de Rohan, eiuſque vxore Conſtantia, Alphonſi Caſtellæ Regis filia, lego in Notitiis Abbatiarum Ciſtercienſium nuper vulgatis, neque hactenus vacauit examinare.

Ibidem, vbi de *Dargon* cœnobio, adde. *Dargon*, vulgo *Dargum*, in Pomerania Zuuerinenſis Diœceſis, ſi Iongelino credimus, Abbatia eſt filia Dobedani, ſiue Dobani; quam alij hoc anno, alij poſt XXXVIII. fundatam ſcribunt.

Capite, & numero eiſdem, in fine, adde. De Inſula-Dei, vulgo *Gottesholme*, Abbatiam eſſe in Diœceſi Ottonienſi, filiam Heriuadi, de linea Ciſtercij, idem qui ſupra Iongelinus notatum habet, in ſuis Notitiis Abbatiarum Regni Daniæ.

ANNO M. C. LXXIII.

Capite VII. num. 8. ad medium, vbi de *Loco-Dei*, adde. Conflagraſſe legitur poſt centum plus, minus annos, nempe M. CC. LXVIII. Sed reſtitutum poſtea Monaſterium, Monachorum induſtria, & fidelium confinium eleemoſynis.

Capite eodem, num. 9. in fine, adde. Sanctum hunc Eremitam nequaquam Petrum, ſed Raymundum vocatum, alij tradunt, ex Monumentis domus; inter quæ & eius ſcripta legitur miraculis referta, in libro perantiquo M.S. quam quia non alibi vulgatam hactenus vidi, hic opportune cenſui ſubiiciendam; ſic autem habet.

In partibus Hiſpaniæ, à tempore Raymundi Berengarij Comitis Barchinoniæ, Patris Regis Ildelphenſi, quidam iuuenis nomine Raymundi de Angularia oriundus, cum prius in ſæculi tempeſtatibus fluctuaſſet, vocatione Dei, quæ ſæpius ſibi euenit, relictis omnino mundi illecebris, vitam Sanctæ Conuerſationis adeptus eſt; nam cum de mundanis exercitationibus ſæpiſſimè cogitaret, & nocte, dieque in huiuſmodi cogitationibus perſiſteret, vox ab eo audita eſt, dicēs. Quid in talibus exercitationibus moraris? Vigilantiam tuam potius in Dei ſeruitio adhibere nitaris; & cum labore ei ſtude deſeruire, qui mercedem Sanctis ſuis, omni theſauro incomparabilem, impertiri conſueuit. His ſæpius auditis, relictis omnibus, & eorum, quæ retro ſunt, oblitus, ad anteriora prorſus extenſus, & quærens, quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram; ad locum confugit Eremi, ſcilicet, vallem quandam, quæ nunc vocatur Vallis bona; quæ nulli peruia, ſed ſolis feris patuit habitanda. Ibi, parentibus inuitis, Vir Dei habitans, abſque humano edulio diu vixit: Tantummodo herbas, & glandes, ſibi cibos præparans. Vinum, nec cicerum non bibens, aquam habebat in potum; veſtigia Beatiſſimi Ioannis Præcurſoris in victu, & veſtitu ſequens. Taliter viuenti non modicæ perturbationes euenerunt: cum Dæmones, quam plurimis illuſionibus ipſum à bono propoſito eliminare, niterentur; tam horribilibus aſpectibus, quam aëris immutationibus. Sed Vir Dei ſemper fortis, in operibus bonis conſtans permanebat: attendens illud Euangelicum; nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei: *& illud ſimiliter:* Quicumque perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. *Cum autem in Eremo diu permanſiſſet, confluebat ad eum vniuerſa multitudo languentium diuerſis languoribus; quos inuocata Chriſti virtute, ex manuum appoſitione diuinitus curabat; & Dæmones à corporibus fugabat, adeo vt pluſquam duo millia huiuſmodi morbo laborantes, ab eo curarentur. Tribus diebus diebus in hebdomada omnino victu care-*

bat, nullum cibum, vel potum sumens : omnia membra ferreis ligamentis perstringebat ; ne aliquod illorum à Dei seruicio, obsequiove cessaret. Hæc eo operante, quadam die ad ipsum locum Sarraceni peruenerunt, Christicolis insidias parantes; quia locus ille propter arborum densitatem, & saxorum eminentiam, transeuntibus pergendi liberum prohibebat incessum. Inuenerunt igitur Sanctum Virum, quem deprehensum inter fruteta latitantem, & orantem, acceperunt eum secum trahentes, ligatis manibus; & duxerunt eum ad oppidum Suiranæ. Cumque illuc peruenissent, illico ferreis catenis ipsum mancipare decreuerunt. Sed qui eum corrumpere voluit, subito visum amisit. Perspicientes igitur, quod Vir Dei esset, blandis allocutionibus tentare cœperunt, vt Christi fide relicta, ad eorum ignorantiam, & culturam veniret. Sed Vir Dei Sanctæ Trinitatis non immemor, & terreni timoris immunis, eorum blandimenta respuit. Quod videntes Sarraceni, crudeliter ira commoti, duxerunt illum ad montis supercilium, vt ipsum præcipitarent. Qui respondens eis, dixit : si Deus hoc facere permiserit, facite: ipsi autem eum apprehendere nequiuerunt ; & videntes, quia Deus ipsum protegebat, dimiserunt eum ; at ille abiens peruenit ad locum suum : & sic ei multoties euenit. Quadam die, cum Sarraceni ad locum dictum peruenissent, scientes ipsum esse virum Sanctum, nec vlterius eum apprehendentes, petebant ab eo, vt sibi daret aliquid ad manducandum. At ille dicens, se nihil alimenti habere, præter parum leguminis, demonstrauit eis, vbi legumina pendebant ; illi autem ira frementes, acceperunt crucem, quam Vir Dei adorare consueuerat, & in strue lignorum, igne accenso velocius proiecerunt : ipsam siquidem struem lignorum Vir Sanctus pro labore quotidiano sibi collegerat, vt si quis transiens, vel ad ipsum veniens algoris pateretur horrorem, igne accenso de lignis ipsis, frigus releuaret. Lignis itaque consumptis, Vir Sanctus dolens de amissione crucis, perstitit in orationibus ; & dum orasset, crucem conspexit in cineribus incontaminatam, & omnino labe carentem ; quam eleuans cum gaudio gratias egit Deo. Quadam die, cum limpham hauriret à fonte, dum aqua in vas funditur, subito in vinum transmutatur. Quod videns Sanctus, proiecit vinum, nolens recedere à proposito, nec vinum potare, aliam hausit aquam. Similiter cum sederet sub rupe in spelunca, aduenit ad ostium spelunca quidam serpens, corpore magno, aspectu terribili, cui Vir Sanctus intrepidus, pedes nudos offerens (viam semper nudis pedibus, absque calceamentis incedebat) dixit ei ; Bestia, quid quæris ? Nihil mali mihi inferre valebis ; & inclinato capite, viro Dei intacto, velociter abscessit. Famulus quidam veniebat ad Sanctum Virum, & petiit ab eo, vt bestias aratorias, quas cultura aptas nouerat, sibi transmitteret. Dixit ei Vir Sanctus, Accipe vacas duas, & taurum, quem nutriuimus, vade, & perfice, sicut noueris. At ille recedens, sicut Dominus præceperat, accipit vacas duas cum boue, & ad dictum locum profectus est. Cumque ad viam mediam peruenisset, Taurus retro flexit gressus suos, & immoderate currens, magno impetu, venit ad Cellam Domini sui : & stabat à longe, genibus curuatis, & capite inclinato, quasi peteret veniam à Domino suo. Quod cum Vir Sanctus percepisset, gratias egit Deo, qui in multis animalibus, è terra nascentibus, mirabilia quotidie operaretur: & manu eleuata licentiam animali tribuit eundi; & statim cursu immoderato, recto tramite ad famulum peruenit ; & sic pariter profecti sunt. Quadam die cum Frater Viri Sancti ad hanc Vallem peruenisset, ducens secum asellum, commendauit asellum puero, vt eius custodiam haberet. Qui puer surgens de nocte, vidit totam Vallem lumine fulgentem, & Angelis plenam ; quos nesciens cucurrit ad Cellam Sancti Viri clamans, vt sibi adiuuaret, timuit enim, ne homines illi asellum raperent, & extraherent. Sanctus autem Vir intra cellam similiter cum Angelorum exercitibus commorans, vt puer abiret, dedit signum. At ille magis pulsans, ianuam Cellulæ aperiens, introspexit, & vidit cum magno coruscamine, Angelorum multitudinem, quasi ad Missæ officium præparatam ; sed statim euanuit ab oculis eius visionis fulgentia. Vnde Vir Sanctus diu permansit tristis, & gemibundus nolens, vt aliquis ad locum ipsius accederet. Explicit de vita & miraculis B. Raymundi Confessoris. Hactenus ibi. Vixit Raymundus post Conuentum adductum ad Vallem-bonam annos fermè tres ; & tandem multis meritis glorioſus ad potiora transiuit, anno M. C. LXXVI. testamento confecto, quod legitur ibidem in hunc tenorem.

Testamentum B. Raymundi.

Notum sit cunctis hominibus, quod ego Raymundus de Valle-bona relinquo corpus meum ad ipsam Ecclesiam B. Mariæ de Valle-bona ; nullus enim exitum mortis potest euadere. Quapropter dispono, & ordino pro dicto loco B. Mariæ in perpetuum. Similiter relinquo Conuentum, & Sanctimoniales, quæ manent in Ecclesia de Valle-bona, vel quæ manere voluerint in obedientia Abbatissæ de Tolobris in tali pacto, quod ipsa Abbatissa non trahat eas de prædicto loco, nec abstrahat aliquid de rebus illius loci, quod mutet in alium locum ; si vero ipsa Abbatissa de Tolobris manere voluerit in prædicta Ecclesia de Valle-bona, Sanctimoniales, & Conuentus eiusdem loci sint ei obedientes. Si autem prædicta Abbatissa noluerit manere in prædicta Ecclesia, Conuentus Ecclesiæ de Valle-bona eligat Priorissam ad suam voluntatem, & sine vlla contradictione. Actum est hoc quinto Idus Aprilis, anno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto. Signum †. Raymundi de Valle-bona, qui hæc firmauit, testibusque firmare rogauit. Iterum ego Raymundus de Valle bona dono, & concedo Germano meo Pocululo, vt semper habeat victum, & vestitum in Ecclesia de Valle-bona ; & vt semper maneat in illo loco, sive sit laicus, sive Frater.

IN APPENDICE ABBATVM HORTÆ.

IN ARMENIO.

ABBATE IV. linea antepenultima, post numerum 1189. adde. Concilium item Hortæ celebratum quatuor Episcoporum, & octo Abbatum, ad instantiam Alphonsi Castellæ Regis, pro stabilienda Huelguensi Monarchia. Porrò quod ibi Patres congregarentur, delatum Martino, qui paulo ante ab eodem Alphonso Rege ad Capitulum generale Cistercij missus, annua capitula visitationesque, atque id genus alia, quæ Huelguense cœnobium supra alia illustrant, reportauisset.

IN BERNARDO.

ABBATE IX. adde. In scriniis vtriusque Monasterij, Hortæ, atque Bonifontis, visuntur donationes illi factæ, atque Abbati eius Petro, de hoc secundo. Vtraque à Sanctia Molinæ Comitissa; altera mense Augusto, anno M. CC. XL. altera post triennium mense Septembri. *Do*, inquit, *Deo, & Beatæ Mariæ Virgini, & vobis Domino Petro Abbati, & Conuentui de Horta Cistercienſis Ordinis, Seguntinæ Diœceſis, veſtriſque ſucceſſoribus Monaſterium, quod ego habeo in Bono-fonte, &c.* Visitur etiam aliud instrumentum Martini Episcopi, & totius Capituli Ecclesiæ Seguntinæ, quo superioritatem, atque administrationem Monasterij de Bono-fonte Hortæ concedit, atque eius tunc Abbati nomine Petro. *Notum ſit omnibus, inquit, quod nos Martinus Dei gratia Epiſcopus Seguntinus, cum noſtro Capitulo, noſtra libera, & ſpontanea voluntate, Monaſterium Boni-fontis, quod antea erat Canonicorum Regularium Diui Auguſtini, nunc autem de nouo Monialium Ordinis Ciſtercienſis, illud deinceps perpetuo, à iuriſdictione ordinarij exemptum volumus; vt Moniales ibi ſecundum ſtatutum ſui Ordinis liberius, & deuotius Deo Omnipotenti poſſint ſeruire: & Domino Petro Abbati de Horta, & eius ſucceſſoribus Monaſterium Boni-fontis gubernandum in ſpiritualibus, & temporalibus, ſecundum regulam, & ſtatuta ſui Ordinis, quantum in nobis eſt committimus. Datum Seguntiæ, anno ab Incarnatione Domini M. CC. XXXVIII. Kalendas Octobris.* Hactenus instrumentum Capitulare. Quæ mihi omnino conuincere videntur hos quadraginta annos, qui vni Bernardo tribuuntur, non vnum tantum insumpsisse, sed tres Abbates: duos Bernardos, alterum ab anno M. CC. XXVII. de quo tamen non constat quandiu sederit, nisi quod tamen non excessit annos X. plus, minusve: alterum, qui ad M. CC. LXVII. perrigerit, ignoto licet initio præfecturæ. Et tertium Patrum medium inter vtrumque, qui vt minimum ab anno Christi M. CC. XLIII. Monasterio præfuerit, qui Boni-fontis donationes acceptauit, & sub quo Horta incrementum illud accepit.

IN ALVARO.

ABBATE XXVI. in fine, adde. Post hæc scripta, comperi triennales Abbates cœpisse Hortæ ante annum M. CCCC. XCIV. quippe quo Monasterium iam regebat Sebastianus Padilla, vt palam fit ex litteris vnionis insignis Monasterij de Superato. Porrò Sebastianus ex Abbate de Horta in Reformatorem assumptus est nouæ Congregationis, anno Domini M. CCCC. XCVI. à quo vsque ad M. D. II. duo triennia integra, & duo alij triennales Abbates interceſſere; quos tamen hactenus non potui inuenire: illud compertum, maiorem temporis partem insumptam litibus; Aluaro prius Abbatiam abdicante, mox resiliente, & nouos semper appellante iudices, aduersus triennales, Conuentumque, atque Reformatores; quos aliquando irretitos censuris habuit, (adeò fraudes prævalere iustitiæ solent) quo vsque tandem anno M. D. II. interueniente Blasio Tagle, tunc Abbate Spinæ, postea Reformatore Congregationis, vterque eorum compromisit in duos viros eximiæ auctoritatis. DD. D. Alphonsum de Herrera Complutensem Abbatem, & D. Rodericum de Azebedo Canonicum Compostellanum; si discordarent, eo prævalituro, cuius sententiam Archiepiscopus Toletanus ratam haberet. Legi compromissum Toleti factum, & acceptatum eadem die; nempe Septembris decima: atque intra biduum sententiam pronunciatam, consentientibus partibus; quibus prolixa nimium lite exhaustis, non vltra litigare (vel condemnatis) absolui, atque obtinere in causa fuit.

IN DIDACO.

ABBATE Triennali VI. adde. Hic puto in numero annorum subesse mendum, sed quod vnde corrigerem, non habui. Quippe Didacus de Saluatierra anno M. D. XXV. in Generalem Reformatorem electus, quod constat ex libro Actorum Capitularium, atque id munus per triennium integrum implens, non potuit anno M. D. XXVI. in Antistitem Hortæ promoueri. Forte anno M. D. XXVIII. ex quo communes Ordinis deseruit, cœpit res Hortæ priuatas administrare: & eo anno inuentus in instrumentis, ex serie triennium anticipatur, quæ tamen ante ipsum infringi potuit.

IN IGNATIO.

ABBATE Triennali IX. adde. Is Generalis Reformator Congregationis electus fuerat anno M. D. XXII. atque id munus per integrum triennium, non sine egregia laude administrauerat.

IN BERNARDO III.

ABBATE Triennali XV. adde. Aduersus Augustobrigenses Duces, puteum Salinarum, vulgo de *Alandete* iniustè retinentes, sub modicissima, iniquaque pensione, litem constanter mouit; quæ cum per eius successorem Ludouicum de Estrada, neque adhuc ad æqualitatem, componeretur: concordia, quæ ineunda proponebatur, ad Conuentum relata; & cunctis ferè in illam consentientibus, vnus Frater Michaël dictus de Bellamazan, zelans pro sua domo, sese opposuit, & linteolo, quod ad emungendas nares, portabat, in pauimentum Capituli proiecto, protestatus coram tabellione est, numquam se illi concordiæ, vt nociuæ conuentui, consensurum. Quod tunc proteruiæ, & præsumptioni datum: mox cum concordia non æqua cognosceretur, in laudem cessit, ac demum vt ab ea liceret retrocedere, atque aliam inire, vtile fuit.

APPENDIX
AD QVARTVM
ANNALIVM
CISTERCIENSIVM
TOMVM.

HVIC etiam Tomo Appendicem ſuam ſubiungo, duplicem Præfectorum Seriem, alteram Militarem, aliam Monaſticam; vtramque Hiſpanam: ſiue quia nobis vtriuſque maior notitia, ſiue quia minor exteteris: adeoque nobis eas facilius promere, illis legere gratius, certè vtilius: quippe dignas vulgari, ſcirique & non aliunde facile hauriendas. Vulgauit prima Sant-Iulianæos Magiſtros, Noruam-Cæſaream, Alcantaram nos dicimus, in hoc Tomo tranſlatos, atque inde auſpicantes nomen ſuæ Militiæ; ſecunda Abbates Eccleſiæ Palaciolenſis, qui dudum Obſeruantiæ Hiſpanæ præſunt. Vt ex eis facilè huius Congregationis, quæ in Ciſtercio prima, initia, atque progreſſus ſtatuſque, & mutationes vtcumque dignoſci valeant. Ergo quod attinet ad Alcantaræ Magiſtros, ſiue Noruæ-Cæſareæ, hoc nobis ordine veniunt referendi.

SERIES
PRÆFECTORVM SANCTÆ IVLIANEÆ MILITIÆ.

Quæ postea ex NORVA-CÆSAREA, *de Alcantara Hispanè, est appellata.*

I.

SVERVS PRIOR.

GENERE nobilis, patria Salmantinus, zelo præcipuus, & militari peritia strenuus vnà cum Fratre Gomezio anno M. C. LVI. cuiusdam Eremitæ senis consilio, arcem construit, in finibus Castellæ, qua parte Sarracenos Durij extrema habitantes posset offendere: Constructam sancto Iuliano Confessori, & Pontifici dicat (cui antiquior ibi Ara) ex quo, & vicinis piris, dat nomen Arci, *San-Iuliam del Pereyro*; & milites vltroneos in ea suscipit defendendis Christianis, atque Sarracenus vicinis infestandis. Biennio post, anno M. C. LVIII. Ordonium, ex Monacho Cistercienſi, Præsulem Salmantinum deuotus adit, & sibi & suis, normam vitæ, & leges, quas seruarent impetraturus. Feruente tunc Calatrauæ institutione per B. Reymundum, & conuersis ad gerenda bella admissis, sub Cistercij institutis militaturis; Cistercienſe institutum, tum Episcopo, vtpote Cistercienſi tum viris ipsis placuit: & quia nomen Abbatis, dignitasque non conueniebat laïco, neque adhuc erant Magistri, in Calatraua, nomen *Prioris* Suero inditum est, sub quo tam ipse, quam qui ei succederent res militiæ, & Conuentus administrarent. Reliqua vitæ Sueri ignota hactenus, quin ipse Suerus paucos ante annos ignorabatur, latuissetque, si non ex Bibliotheca Alcobacienſi, & perantiquo libro M. S. per Doctorem Bernardum Britum Lusitanum, & Regium Lusitani Regni Chronographum erutus esset. Sepultus creditur iuxta Ecclesiam sancti Iuliani, vbi multa hodiéque sepulchra visuntur nec sine inscriptionibus: sed quæ iam legi nequeant præ corrosione.

II.

GOMESIVS PRIOR II. MAGISTER I.

Successit Suerio, Gomezius ipsius Frater, & in Militia socius, qui anno M. C. LXXIV. cum titulo Prioris administrabat, quo & à Ferdinando Lègionenſi donationem acceptat Grangiæ de *Reygudas* (sic loco nomen) ad Ripas fluuij Chora, in qua & Prior sancti Iuliani, del Pereyro, Ordinis fundator nuncupatur. Fundator inquam cum Fratre suo Suerio, qui tamen ante ipsum Prior fuit. Triennio post M. CC. LXXVII. cum adhuc Prior esset, confirmationem loci sui, & Ordinis, ab Alexandro Papa III. impetrat, litteris expeditis Beneuenti per manum Gratiani S. R. E. Subdiaconi, & Notarij IV. Kalendas Ianuarij, Indictione X. Incarnationis Dominicæ anno M. C. LXXVII. Pontificatus ipsius anno XVIII. addita clausula, vt obeunte Gomezio, vel quocum-

que ex illius successoribus, & electio Prioris in decedentis locum subrogandi, per nullum alium, quam per Fratres sancti Iuliani, & saniorem partem eorum tractari possit. Cæterùm cum videret in Calatraua, post mortem Radulphi, res iam, pulsis Abbatibus, per laïcos, titulo Magistrorum administratori; Gomezius sibi & ipse non multo post, certe ante sexennium, Magistri nomen imposuit, quod Lucius Papa III. ratum habuit, dum eidem rescripsit, sub hoc titulo *Dilectis filiis Gomezio Magistro, & fratribus sancti Iuliani del Pereyro, tam præsentibus, quam futuris, &c. Datis Romæ per manum Alberti S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Cancellarij, pridie Nonas Aprilis, Incarnationis Dominicæ anno M. C. LXXXIII. Pontificatus ipsius anno II.* In eadem Bulla confirmat idem Pontifex san-Iulianeæ Militiæ, quas tunc habebat, plures possessiones; quas intra hoc sexennium acquisitas, inde colligitur, quod Alexander, qui easdem confirmauerat, præter arcem & domum san-Iulianæam, nullas alias inuenit, quas confirmaret. Non multo post, Ferdinando Legionensi, in Alfonsum Lusitaniæ Regem pugnanti, Gomezius affuit, quod Alfonsus Sarracenos auxiliares secum adduceret: aliàs nec proprio Regi, contra Christi fideles affuturus. Vnde ad Pacem-Augustam pugnaturo contra eundem Alfonsum Maurorum iam auxiliis destitutum, adesse non tam voluit, quam fas non fuit. *Apud Rades Historiæ Alcant. cap. 2.* Mortuo Ferdinando anno M. C. XC. Alfonsum filium recens Regno potitum, iuuenem adhuc, venientem ad Castellam comitatus est, vt ab Alfonso Castellano Rege, veterem circa morem, baltheo militari, vnà cum Conrado Rege, veterem iuxta morem, Conrado Imperatoris Friderici filio accingeretur, *apud Rodericum Toletanum lib. 7. cap. 24.* Quinquennio post, ab eodem Alfonso Castellæ Rege, qui Gomezij virtutem venerabatur, arce simul, & oppido Scalabis, Iulium Præsidium alij, nos *Truxillo* vocamus, donatus est, anno M. C. XCV. instituendo ibidem nouo Conuentui, propter quod, in quibusdam instrumentis, ab eo anno, & deinceps Magister Truxillensis nominatur. Obiisse creditur iuxta annum M. CC. plus minusve, ante hos quinquaginta annos ab omnibus putatus author Militiæ, & vt talis notatus *apud Rades Historiæ Alcant. cap. 2.* & in diffinitionibus vulgatis Matriti anno M. D. LXIX. & anno M. D. LXXVI. & aliis. De sepultura illius nihil constat, nisi quod iuxta Ecclesiam Iuliani, inter alias ignotam, coniici magis licet, quam affirmari.

III.

BENEDICTVS MAGISTER II.

Tertio loco San-Iulianeis præfuit Benedictus cognomento *Suarij*, natione Gallecus, filius Suerij Froylæ, cui in Gallecia parebant aliquot castra, electus anno M. CC. plus minusve. Intra biennium M. CC. II. Calatrauensibus qui sibi coniunctiores, ex instituto, sub alio Rege positis, cum Magistro, & militia sancti Iacobi, quæ in Regno Legionis, continebatur, pro se, & pro sua militia concordiam iniit, fraterno pacto fœdere, vt mutua sibi auxilia, communia spolia, vincere daretur, nec diuisa pericula manerent, quoties foret cum hoste confligendum. Facta charta Zamoræ V. die Martij Æra M. CC. XL. intra triennium anno M. CC. V. cum Innocentius III. claues, & clauum Ecclesiæ administraret, tertiam ab eo obtinuit confirmationem, sub hac inscriptione. *Dilectis filiis Benedicto Magistro, & fratribus sancti Iuliani del Pereyro, regularem vitam professis, &c.* in ea porrò, exemptione ampla concessa, Pontifex subdit, haud dubiè quin, annuente ipso Magistro. *Ad inditium autem perceptæ huius, à Romana Ecclesia, libertatis, Marapetinum vnum singulis annis, nobis, nostrisque successoribus persoluetis, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, per manum Ioannis sanctæ Mariæ in Via-lata Diaconi Cardinalis XVI. Kalendas Iulij Indictione VIII. Incarnationis Dominicæ anno M. CC. V. Pontificatus ipsius anno VIII.* Quo item titulo idem Innocentius intra biennium nouum aliud priuilegium illi indulget. Datum Laterani pridie Kalendas Aprilis, Pontificatus sui anno X. obiisse dicitur anno sequenti M. CC. VIII. ignota sepultura, sed quæ inter alias, ad sancti Iuliani arcem esse putatur.

IV.

NVNIVS MAGISTER III.

Cognomento *Ferdinandi*, electus anno M. CC. VIII. cuius tempore Alfonſus Caſtellæ Rex inſignem illam victoriam reportauit ad Nauas Toloſæ, & Calatrauam receptam de Sarracenis exuli diu reſtituit Militiæ Sacræ. Diſſidiis Regum, an quia Legionenſis alia parte irruebat in Sarracenos, Sant-Iulianæi expertes illius gloriæ, concordiam primum, dein nouas in hoſtes irruptiones, nouos de illis triumphos, ſolicitarunt. Vterque Alfonſus mutuò ſibi fidens Sarracenos inuaſit anno Chriſti nimirum M CC. XIII. & Caſtellano, per Calatrauenſes irruente in Beaciam, Legionenſis cum Sant-Iulianeis, Noruam Cæſaream potenter expugnauit. Haud tamen illam ſuis tradendam cenſuit, quamuis optime meritis: ſed magis Caſtellanis Calatrauenſibus, vt nouum ſibi Conuentum fabricarent; ſeu largitate Alfonſum Caſtellæ Regem arctius ſibi aſſerere, ſeu vere voluit Militiam Calatrauæ, in ſuo Regno inſtituere, quo Sant-Iulianeæ, & Sant-Iacobeæ, quas ab olim habuiſſet, ſuperaddita, hoſtium vires infringeret facilius, arces, & oppida potentius expugnaret. Vtcumque fuerit, Magiſter Calatrauæ, ne viribus diuiſis, debilior eſſet; Alcantaram, conſulto vtroque Alfonſo, Sant-Iulianeis tradidit; non vt nouum Conuentum ibidem ponerent, ſed transferendo antiquo, & mutandis in melius priſtinis ſedibus. Pactum inter vtramque militiam eſt, vt Sant-Iulianei leges Calatrauæ ſeruarent per omnia, quod Ciſtercienſi aliàs Militiæ facile fuit; excepere tamen, quod ad Priorem Conuentus attinet, ne Monachum, vt habebant Calatrauenſes, ſuſcipere ſi nollent, compellerentur; vt Calatrauæ Magiſter Sant-Iulianeam Militiam viſitaret, iuxta ritus Ciſtercij, atque electionibus præeſſet noui Magiſtri: è contra verò Magiſter Sant-Iulianæus ſuffragium ferret in electionibus Magiſtrorum Calatrauenſium facta charta apud ciuitatem Roderici, XVI. die menſis Iulij, Æra M. CC. LVI. Eodem anno, *Nunius Ferdinandi* Noruæ-Cæſareæ acclamatus Dominus primum; dein ad ſuos reuerſus, cum eis ſtatuit, vt ad Alcantaram, inde tranſmigrarent. Quam tamen tranſlationem ipſe, aut non vidit, aut viſa ſaltem diu frui non potuit, mortuus, vt dicitur ſequenti anno M. CC. XIX. nec conſtat, quo in loco ſepultus fuit.

V.

DIDACVS, ALIIS GARZIAS, MAGISTER IV.

Cognomento *Sanctij*, Roderici Toletani Præſulis, vt ferebant, cognatus, electus anno M. CC. XIX. ſub quo conuentus tranſlatus creditur ad Noruam-Cæſaream in locum, qui hodieque, quamuis maiori ex parte ruinoſus, & dirutus, Conuentus vetus dicitur, & oſtenduntur recinæ ipſius domus venerabiles, ab ipſa antiquitate. Ex tunc Didacus ipſe, & ſucceſſores duplici titulo, & nouo ab arce Alcantaræ obtento, nec dimiſſo antiquo, Pereynenſes, & Alcantarenſes Magiſtri appellabantur. Confirmationem, & protectionem ſuæ Militiæ ab Honorio III. inſerta Bulla Innocentij prædeceſſoris, impetraſſe inuenitur, atque denuo vectigal conſtituiſſe Marapetinum aureum per annos ſingulos, *inter priuileg. Alcantaræ fol.* 15. ab Alfonſo Legionenſi Montes, & paſcua, Nauasfrias vocant, dono accepit, & priuilegium, vt quæcumque oppida, arces, caſtrave à Sarracenis caperet, ſibi & Ordini ſuo, ſaluo Regio iure, retineret: quo & fretus expugnaſſe aliqua dicitur, quo vſque ad Montagium (*Montanches* nos vocamus) victoria ſuis parta, atque arce potitus, ipſe tamen occubuit ipſo in prælio anno M. CC. XXVII. *apud Rades de Andreade cap.* 5.

VI.

ARIAS MAGISTER V.

Cognomento *Perecius* patria Gallecus, ex nobili Monteroſorum familia, electus anno M. CC. XXVII. quo & Alfonſo Legionenſi Pacem, & Emeritam-Auguſtam expugnaturo, vulgo *Badajoz*, *y Merida*, cum ſua Militia affluit, & vtrobique poſſeſſiones pingues accepit, pretium nauatæ operæ, quo Milites ad virtutem accendebantur. Eodem Legionenſi Rege defuncto, cum Regni proceres inter filias eius, Sanctiam Dulciamque

(Tharasiæ, primæ illius vxoris filias) & Ferdinandum cognomento *Sanctum* ex Berengaria natum diuiderentur, Magister primum sororum partes sequutus, ex testamento patris; mox Ferdinandi, tum iure, tum potentia prævalentibus, in ipsius sponte verba iurauit; atque in bellis, quæ continua gessit in Sarracenos, opportunus affixit. Quin etiam solus, id est sine Rege, aut exercitu eius, Magazelam, illius tractus insigne oppidum, atque dudum amissum *Iulium Præsidium*, quod nos *Truxillo* dicimus suo stipatus milite expugnauit, atque iterum Conuentum illuc transmissit, non tamen ibi diutius permansurum. Magazella hodieque Militiæ manet, titulo Prioratus, vtraque in eo retenta iurisdictione. Rescripta multa à Gregorio L X. obtinuit, ad Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, &c. in Regno Legionensi, *Vt dilectos filios Magistrum, & fratres Militiæ del Pereyro Cisterciensis Ordinis, ab infestantibus defendant. Datum Anagniæ pridie Kalendas Iunÿ anno M. CC. XXVII. Pontificatus ipsius anno primo.* Ad eumdem Magistrum, Militesque sub titulo de Alcantara, *Vt omnia illis indulta forma consistant. Lugduni Nonis Nouembris, anno M. CC. XXX. Pontificatus ipsius anno tertio.* Rursus; *Vt Pacis - Augustæ tum Ecclesiam, tum alia bona inconcussa, & rata habeant. Agnaniæ VIII. Kalendas Octobris anno M. CC. XXXIII. Pontificatus ipsius anno VI.* His, & aliis obtentis prævigiliis, & castris acquisitis, cum Militiam septennio administrasset, defunctus est, anno M. CC. XXXIV. sepultus ad Alcantaram, forte primus Magister, qui ibi quieuit.

VII.

PETRVS MAGISTER V.

Cognomento *Iañez*, siue *Ioannis*, electus anno M. CC. XXXIV. quo & multa oppida in ea parte prouinciæ, quam Serenam appellant, & Castra Viceliana, vulgo *Medellin* expugnauit à Sarracenis; quæ & à Ferdinando Rege accepta, altera proprio, ipsius altera nomine, ab Alcantaræ Militia possidenda, ingens illi incrementum attulere, quod magna ex parte hodie etiam perseuerat. Intra triennium, anno M. CC. XXXVI. insigne priuilegium confirmationis, protectionis, & exemptionis à Gregorio IX. impetrat inscriptum, vt apparet, hoc adhuc anno, *Magistro, & Fratribus Sancti Iuliani del Pereyro Cisterciensis Ordinis, &c. & infra. Statuentes, vt ordo Monasticus, qui secundum Deum, & Beati Benedicti Regulam, atque institutionem Cistercienſium Fratrum, à vobis ante Concilium Generale susceptum, in eodem loco institutus esse dignoscitur*, &c. Deinde numerat Militiæ possessiones, inter quas prima Alcantara, tum Ecclesias dispersas per totum Regnum numero XXVI. Villas, & Castra XXII. Grangias XVIII. Hospitale vnum, atque id genus alia satis opima, vt liqueat facile, quantum breui creuerit, virtute propria, & Regum largitione. Confirmatur ibidem annua pensio vnius Marapetini, quam reuera de facto persolutam, iterata concessio persuadet. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum XVI. Kalendas Iunÿ anno M CC. XXXVI. Pontificatus Gregorÿ, anno IX.* Biennio post M. CC. XXXVIII. duplices alias ab eodem Gregorio litteras obtinet, alteras, ad Decanum, Magistrum Scholarum, & Thesaurarium Ciuitatensis Ecclesiæ, *Vt infestantes Pereyrenses Milites Cistercienſis Ordinis, & eorum familiares per censuras compescant*: alteras ad Ferdinandum Castellæ Regem, *quatenus Magistrum, & Fratres domus del Pereyro Cisterciensis Ordinis, quæ ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, pro diuina, & ipsius reuerentia, taliter habere charos demonstret, vt preces eius sibi sentiant fructuosas; & ipse Pontifex deuotionem Regis posset merito commendare. Datum Laterani VII. Kalend. Aprilis, Pontificatus anno XI.* Sequenti anno M. CC. XXXIX. duplici alio priuilegio, ab eodem Gregorio Papa auctus, militibus, qui in prælio decedebat, vt plenam suorum peccatorum indulgentiam consequerentur; religiosus obtinuit; sed nihilominus superstitibus, venturisque prouidit, *vt omnia bona Militiæ del Pereyro, à Militia de Calatraua collata, iuxta contractum inter vtramque initum, firma semper manerent, & inconcussa. Datum Laterani pridie Kalend. Aprilis anno XII.* Hæc & alia eodem Papa Gregorio, & successore eius Innocentio: abs Rege Ferdinando, non pauciora Militiæ suæ impetrauit, quippe cui tum virtute, tum obsequiis charus, vel inter paucos semper fuit. Cum Episcopo Caurienſi primus composuit, super immunitate, & præeminentiis, de quibus inter eum, & Alcantaræ Militiam litigabatur; admisit tamen Cistercienſium Abbatum visitationem, quam sæpius repetitam eius tempore, ipsius Militiæ tradunt diffinitiones. Demùm cum annos XX. plus minusve Alcantaræ præfuisset, vacante in Calatraua sede, obitu Ferdinandi Magistri XII. in eius locum subrogatus est, fauore Regis, nec sine Calatrauen-

sium

sium acclamatione. Reliqua vitæ eius in Appendice, quam tertio Tomo subiecimus notata, non est opus repetere in præsenti.

VIII.

GARSIAS FERDINANDI MAGISTER VII.

Cognomento *Barrantes* electus anno M. CC. LIV. cum Ferdinando Sancto Rege mortuo, Alfonsus *sapiens* rerum potitus esset: à quo & ipse electionis suæ anno, omnium præuilegiorum, quæ à Ferdinando, Alfonsoque obtinuerat Alcantaræ Militiæ, amplissimam impetrauit confirmationem. Sed & à Summis Ecclesiæ Pontificibus, maxime ab Alexandro IV. interuentu Ioannis dicti de Franceogia, tituli Sancti Laurentij in Lucina Presbyteri Cardinalis ex Cistercio assumpti, cui fuit inter charos, multa obtinuit, anno M. CC. LVII. & M. CC. LVII. addita cunctis clausula. *Cum autem prout dilectus filius noster Ioannes Tituli Sancti Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis exposuit coram nobis, in Monasterio vestro, ab initio suæ fundationis, Cisterciensis Ordo institutus fuerit, & semper obseruatus; vosque sub obedientia, & visitatione Generalis Capituli Cistercensis maneatis: Nos intuitu Cardinalis ipsius*, &c. *Datis Agnaniæ III. Kalendas, & Kalendis ipsis Decembris anno M. CC. LVII. pridie Kalendas Februarij, & XV. Kalendas Aprilis & III. Kalendas Decembris, & V. Kalendas Ianuarij, anno M. CC. LVIII.* Secundam cum Episcopo Caurensi concordiam iniit, neque minus in prælo hostibus formidabilis, Alfonso cognomento Sapienti in ipsos, & in suos, à quibus multa passus, vtilis fuit. Expugnauit ipsi Arcos, Lebricoxa, Niebla: quin & Turdetanorum, quos vocant *Veteres*, nos *Algarue* dicimus, prouinciam; quæ postea in Regnum Lusitanis Regibus cessit. In Philippum eiusdem Alfonsi Fratrem, & in Sanctium filium, qui in Fratrem, & Patrem rebellauerant, non iustitiæ & fidelitatis, tantum zelo; sed quod sibi Sarracenos confæderassent, nec multo post in Petrum, Sanctij Fratrem eisdem titulis, magnanimus, & acer; sed quoties sese Mauri subtrahebant, si occurrebant Christiani, vel in ipsa acie media clemens fuit. In antiquioribus Sant-Iulianeæ Militiæ constitutionibus promotus legitur in Magistrum Sancti Iacobi circa annum Christi M. CC. LXXXIV. quod tamen veritati non cohærere, probat optime Rades cap. 8. Institutus ab Alfonso Rege per illud tempus vltimæ suæ voluntatis executor, non multo post decessit, propria, & Regis mandata relinquens aliis: cum Alcantaræ eo pacis, & belli res per triginta annos, eximia cum laude administrasset.

IX.

FERDINANDVS MAGISTER VIII.

Cognomento *Paez*, aliis *Perez*, natione Lusitanus, electu anno M. CC. LXXXIV. quo & à Sanctio, cognomento *Forti*, vulgò *el brauo*, qui iam tunc post Alfonsum Patrem regnabat, confirmationem priuilegiorum suæ militiæ accepit. Pereyrum totius Ordinis initium caputque, atque hactenus Magistrorum omnium titulum (nam *del Pereyro*, & de *Alcantara* dicebantur) separatum à mensa Magistrali; in Commendam erexit, cui Milites prout emeriti essent, sicut omnibus aliis præficerentur. Cætera strenuus Dux, & fortunatus, quod maximè conducit: sed in eo infœlix, quod nunc in Lusitania, nunc in Castellæ Regnis, Legionisque, dum intestinis bellis digladiantur, & fratres fratribus, auunculò nepotes bellum inferunt, numquam in hostes Crucis fœlix fuit. Præfuisse dicitur annos ferme octo plus minusve, extinctus circa annum Christi Domini M. CC. XCII.

X.

FERDINANDVS II. MAGISTER IX.

Cognomento *Perezius*, natione Gallecus, electus anno M. CC. XCII. tertiam concordiam cum Caurensi Episcopo iniit. Iure regnandi inter Infantes *Cerdas*, ac Sanctium, & Ferdinandum Patrem, & Filium (*Cerdarum* illum patruum, hunc consobrinum) in dubio, & armis posito, in hoc etiam infœlix, quod cum Christianis pugnandum non semel fuit: sed debellauit etiam Sarracenos, atque Cartejam, *Tarifa* nos vocamus, alij *Tarteſſum*, diu ab eis possessam Regi restituit, obtentis ab eo, premio suæ virtutis, annuis

redditibus, quæ Alcantaræ ſoluerentur ex fiſco Regio. Eius tempore, quam in commendam Prædeceſſor erexiſſet, Sant-Iulianea Arx, Ordinis caput, cum locis adiacentibus, à Rege Luſitaniæ Dionyſio, dum *Cerdis* fauet, capta eſt; non vltra iam ad Caſtellæ ditionem, nec ad Alcantaræ Militiam redditura. Ceſſiſſe dicitur Auiſienſibus Militibus qui & ipſi Ciſtercienſes, atque Abbatiæ Sanctæ Mariæ de Aguiar, Ciſtercienſi non minus; quo ſemel acquiſitum Ciſtercio ius, quamuis mutaret Dominos, nihilominus in Ciſtercio conſeruaretur. Adminiſtrauit Ferdinandus Alcantaræ Militiam ad annos quatuor, quibus expletis obiit, in veteri Cœnobio ſepultus vt tradit Rades, anno M. CC. XCVI.

XI.

GVNDISAVVS MAGISTER X.

Cognomentn *Perezius*, prædeceſſoris nepos ex ſorore, electus anno M. CC. XCVI. quod & virtuti eius, iam tunc eximiæ, & patrui meritis delatum fuiſſe credo; quippe eo charioris orphanis filiis, quo minus illo fruiti, & pace & bello ſtrenuiorem experti fuerant. Dum Gundiſaluus Ferdinandi IV. Regis curiam ſequitur, Norua-Cæſarea inuaſa à Luſitanis, & pons, atque eius turres captæ ſunt. Sed eo veniente ſuis in auxilium, repulſi hoſtes; & qui admiſerat, vt vitam conſeruaret, eques Alcantaræ iugulo enſem hauriens, quem declinaſſet, puſillanimitatis ſuæ pœnas luit. Multa in obſequium Regis feciſſe legitur, ob quæ & ab ipſo accepit caſtra, & oppida, quin & cum Rex exhauſtus continuis bellis ad vltimum inopiæ perueniſſet, ad tria millia duplicium aureorum, *doblas* nos apellamus, mutua dedit accepta in pignus arce *Trugillenſi*. quæ cederet Magiſtris, vt vere ceſſit quamdiu non receperunt collatam ſummam. Nouis diſſidiis in Regno Caſtellæ ortis ſuper Alfonſi XI. tutela, cum puer à Ferdinando relictus eſſet Infantis Petri partes ſequutus eſt, & non exiguas illis vires dedit. Tandem cum annis XVI. præfuiſſet plus minuſve obiit anno M. CCC. XII. & inter alios quos habuit prædeceſſores in veteri cœnobio ſepultus creditur.

XII.

RODERICVS MAGISTER XI.

Cognomento *Vaſquez*, aliis *Velaſquez*, electus anno M. CCC. XII. quo & à Petro Infante, procuratore Regni, & XI. Alfonſi Regis tutore, auri ſumma, quam Ferdinandus Rex, Alfonſi pater, mutuam ab anteceſſore accepiſſet, ad integrum recepta, reddidit pignus, atque *Iulio Præſidio* ſe abdicauit, vt iterum ad Reges reuerteretur. Infanti eidem Illiberitanos fines inuadenti, & populanti, quæ aut capere difficile, aut difficilius putabat retinere, non ſolum cum Militia ſua affuit, ſed etiam victoriarum eius magna pars fuit. Nec multo poſt, ſed infœlicius longè, eumdem, & Infantem Ioannem præcedens, iterum vaſtaturos eoſdem fines, dum nimium properat, longiuſque diſcedit, vtrumque amiſit: neutro quamuis cedente hoſtili gladio, ſed ſuorum inertia, ſeu diuina vindicta, quæ tale vtrique excidium deſtinauerat. Mærore animi, an innata fœuitia, dubium: conſtat, cum ſuis exoſus laberetur, quoſdam ex eis adiiſſe Calatrauam ad Garziam Lupezium Padillæum, Calatrauæ Magiſtrum, qui iuxta pacta inter vtramque Militiam inita, Alcantaram viſitaret, & Rodericum, ſi demerita conſtarent, deponeret, in cuius locum dignior ſubrogaretur. Ille, duobus Abbatibus Ciſtercij, Vallis-Paradyſi, & Vallis-Eccleſiarum ſecum aſſumptis, Noruam-Cæſaream adit: & Rodericum, nequicquam allegantem, ſe ſui iuris eſſe, neque vlli alij, quam Generali Capitulo Ciſtercij, aut Romano Pontifici parere: Calatrauenſibus, aut nihil poteſtatis, aut penitus amiſſam, tum per non vſum annorum quinquaginta, pluriumve; tum quod primi ipſi pactis non ſtetiſſent; neque vocaſſent Alcantaræ Magiſtros, ad electiones Magiſtrorum Calatrauæ: hæc inquam & ſimilia fruſtra allegantem Garzius obſedit; & multo licet ſanguine, arce capta celebrauit capitulum, in quo accuſatus Rodericus à ſuis æmulis, & cauſa illius, & quorumdam complicium cognita, omnes de conſilio Abbatum depoſiti ſunt. Tunc fugientibus, qui partes eius fauebant, æmulis ſubrogare alium facile fuit Rodericus. ſponte ne, an coactus, ſiue maiora timens, depoſitioni ſuæ conſenſum præbuit, præmiſſis tamen quibuſdam proteſtationibus, appellationibuſque, quæ cauſam eius in ius denuò vocarent. Certe conſenſu præſtito demiſſus, anno M. CCC. XVIII. quo depoſitus legitur, dum fugitiuos ad Valentiam oppidum congregat, & ab illis habetur, pro non depoſito ſchiſmatis, licet breuis, occaſio fuit.

XIII.

XIII.

SVERIVS PEREZIVS MAGISTER XII.

Cognomento *Maldonado*, natione Gallecus, Roderico depoſito ſubrogatus anno M. CCC. XVIII. quo & eundem Valentiæ commorantem, & ſe pro vero Magiſtro adhuc gerentem, cum aliter non poſſet, ibidem obſidere coactus eſt. Et cepiſſet haud dubiè, ſi non obſeſſus ante deditionem clam aufugiſſet; & Generale Capitulum Ciſtercij, quod tunc celebrabatur, adiiſſet, coram eo, tanquam vero iudice, ſuæ depoſitionis cauſam proſequuturus. Remiſſa ea ad Abbatem Morimundi, vt ad legitimum, & immediatum ſuperiorem Magiſtri Calatrauæ, à quo, coram vocatis, & auditis accuſatoribus, diſcuſſiſque, quæ vtrimque obiiciebantur, reſpondebanturque, prima ſententia firmata eſt, & depoſitio ritè, & rectè facta; adeoque & ſubrogatio declaratur. Conſenſit tandem ſuæ depoſitioni, & reuerſus Hiſpaniam *Suerio Perecio* ſponte ſubmiſit: à quo benignè exceptus, & *Magacellæ* commendæ, vt vulgò vocant præfectus eſt, in qua & vitam in pace conſumauit. Hæc omnia intra annum M. CCC. XVIII. quo & Suerius Alcantaræ Magiſter, cum duplici Garcia, altero Ferdinandi Sant-Iacobæo, altero Padillæo Calatrauenſi vtroque Magiſtro fraternitatem deuinxit vinculo nouo, vt mutuo ſibi in omnibus fauerent in quoſcumque inimicos, ſatius sẽper & Rege, & religione. Suerius deinde Alfonſo nouo Regi (cum iam pupillares annos egreſſus eſſet) vel inter paucos charus, multa in obſequium eius feciſſe legitur: ſtrenuus bello, qui Sarracenos Illiberitanos vltimos omnium qui Hiſpaniam occupabant, acriter impugnauit: Nec minus ideo pace in multis vtilis, & cuius fidei magna, & ardua quæque intra vel extra Regnum committerentur. Confirmationem priuilegiorum & annuas nundinas immunes atrributis Noruæ-Cæſareæ, ab eodem Rege obtinuit; quin etiam oppida, & Arces de Almoret, de Pliego, & de Cañete, cum aliis, quæ Militiam locupletarunt. Præfuiſſe dicitur annis XVI. obiiſſeque anno M. CCC. XXXIV. vix omnium laude dignus, pariterque dilectus ſuis, & exteris.

XIV.

RODERICVS II. MAGISTER XIII.

Cognomento *Maldonado*, Suerij Perezij anteceſſoris frater, electus anno M. CCC. XXXVIV. quo & à Rege Alfonſo, Pacem Auguſtam miſſus, cum à militibus Luſitanis obſideretur, metu magis, quam obſidione liberauit, non ſine hoſtium ſtrage, quos tamen ſpoliare maluit, quam vincere; etſi hoc etiam conſequi potuiſſet, creditus eſſet. Hinc ira Regis, odiumque in ipſum: & viſitante per Hiſpaniam anno ſequenti Abbate Morimundi Armando, ſiue Arnoldo, vt à militibus, coram ipſo accuſaretur, zelus, an aſſentatio breui obtinuit; Quin &, prævalente accuſatione, fortè & ſtimulante propria conſcientia, dum deponi timeret, vltro ſe Magiſterio ipſe abdicaret; quod conſilio Abbatis, & ſpe nouæ electionis, ab eo factum; Rades Andradius prodit: cui tamen Rex Alfonſus ſe oppoſuerit, atque alium iuſſerit pro ipſo ſubrogari, ad vrbem *Trugillo*, vbi hæc omnia facta eſſe dicuntur. Inde diuiſio, & ſchiſma, quod biennio plus minus omnia turbauit.

XXV.

FERDINANDVS III. PSEVDO-MAGISTER XIV.

Cognomento *Lupecius*, Alcantaræ à paucis Pſeudo-electus anno M. CCC. XXXV. cum primum Roderici ceſſio innotuit. Interim tamen ad *Trugillo* vrbem nouus alius Magiſter, ad Alfonſi Regis inſtantiam electus eſt: neque is magis Canonicè: quippe, non ex *Alcantaræis* militibus, ſed ex ſæculo aſſumptus; & ideo tantum tunc habitu donatus, vt ſtatim in Magiſtrum promoueretur. Atque hæ electiones caſſæ, & irritæ animum Roderici ſolicitarunt, vt quam feciſſet, ceſſione non obſtante, ſe pro Magiſtro gereret; quippe deceptum, nec ceſſurum vnquam, niſi illi Magiſtro reſtituendo. Ergo hoc tempore, dum caret vero capite, triceps Alcantarenſis Militia fuit. Nec Ferdinando extincto intra tres menſes decreuit diuiſio; ſubſtituto Suerio eius nepote: qui, ſicut Patruus ordine XIV. (quamuis titulo iuſto vterque caruit) quintus decimus Magiſter ab Authoribus ſolet numerari.

XVI.

SVERIVS II. PSEVDO-MAGISTER. XV.

Cognomento *Lupecius*, Ferdinandi anteceſſoris nepos, atque eius morte, ab eadem parte Militiæ, quæ Alcantaram tenebat, electus eodem anno: ſequenti, à Roderico Perezio, qui ſe pro vero Magiſtro adhuc gerebat, ibidem obſeſſus, compulſuſque cedere Magiſterio, ſimul & arce, & Conuentu Militiæ, cum quinque tamen menſes nomen Magiſtri vacuum obtinuiſſet. Sic Rodericus potitus iterum rerum priſtinæ ſe reſtituit dignitati, quamuis non ſine æmulo. Quippe eo, quem Regia authoritate, ad *Trugillum* elegerant, qui Regi obſequebantur, diuidente Militiam, & ſe prævaliturum ſperante potentia Regis. Ergo Alfonſus, vt ſchiſmati obuiaret, ſimulque ſuum Magiſtrum manu teneret, vocato iterum Abbate Morimundi, atque aſſociato Magiſtro Calatrauæ, (quo mutuo ſibi iura quæ vterque habebat, ſuffragarentur) viſitationem adoriri iubet, miſſo eis exercitu copioſo, per quem haberent ſæcularis brachij auxilium, ſi forte Rodericus, partialeſque, obedire mandatis, recuſarent. Rodericus, dum ſe inferiorem videt, ad Regem mittit: & ſe, ipſo inuito, nihil velle: quin potius, ſi quid adhuc iuris habet ad Magiſterium, abdicare libenter, vt quem Rex vellet, pro eo ſubrogaretur. Ita lenita Regis ira eſt, atque ſchiſma extinctum, quod vtile Militiæ, verum electo perniciosum omnino fuit.

XXVII.

GVNDISALVVS II. MAGISTER XVI.

Qui & *Nunius* dictus, aliis *Martinez* cognomento de *Ouiedo*, ante biennium ad *Trugillum* Pſeudo-electus, ex familiari Regis qui non ante Militiam profeſſus eſſet: ſed tumultibus Ordinis paccatis, cum iam biennium in ipſa peregiſſet, electus Alcantaræ an. M. CCC. XXXVII. electus autem per compromiſſum omnium, in tredecim electores deſignatos ex cunctis, à cunctiſque; quo ita electio quietius perageretur. Eodem anno adiudicaſſe legitur Roderico Perecio Maldonado redditus annuos, vnde congruè, pro qualitate dignitatis, ſe abdicauiſſet, ſuſtentaretur. Bello deinde in Luſitanos primum, mox in Bethicæ Mauros, contra quos etiam vices Regis tenuit, inſignis Dux, neque minus fortunam comitem habens, quam ducem virtutem; & ſe apud Regem, & Regem apud omnes, expectatione, quam dudum concepiſſent, cumulatiſſime, haud dubiè liberauit. Sed qui violenter, quis enim id neget? Magiſterium capeſſiuerat, violentius, infæliciuſque reliquit, ſequenti anno M. CCC. XXXVIII. proditionis in eundem Regem reus, atque ab ipſo, poſt manifeſtam rebellionem damnatus capitis, in ipſo oppido ſui Magiſterij, cui Valencia nomen; cum adhuc viuens, tum ſententia Regis, tum aliquorum ex ſuis defectione, quod rebellem viderent, ſucceſſorem Alcantaræ accepiſſet, de quo ſtatim. Corpus capite truncum igni aſſumptum, & redactum in cineres, ſeu ea pœna proditioni debita, præcipuè ingentis hominis, & quem Rex deuinxiſſet tot beneficiis, ſeu Reges neſciant temperare iræ, vbi gratiæ ſuccedit; neque vnquam ab amore declinent, niſi ad odium. Periiſſe Gundiſaluum non ſine culpa, ferebat opinio; ſed nihilominus accuſatum falſo in multis; & delatores, Eleonoram Guzmaniam ſcortum Regis, & Alfonſum Cornelium, viſibiles impoſturæ luiſſe pœnas, gladio vtrumque occumbentem; illam Petri, ſucceſſoris Alfonſi iuſſu, hunc Alfonſi ipſius quin, & cum ad ſupplicium duceretur, confeſſum fuiſſe debere corpus ſuum ignibus tradi, quod Gundiſaluum Alcantaræum Magiſtrum falſo ab ipſo accuſatum, contra ius, faſque igni comburi fecerit.

XVIII.

NVNIVS II. MAGISTER XVII.

Cognomento *Chamizo*, electus adhuc viuente anteceſſore, cum proditionis in Regem damnatus eſſet anno M. CCC. XXXVIII. electio celebrata per compromiſſum

in

in electores tredecim, ex his, qui ad Gundiſaluum declinauerant. Interfuit decantatæ illi victoriæ ad fluuium *Sallado*, alij ad *Bella-marinum*, quam Rex Alfonſus, de Mauritaniæ Tangitanæ Rege Abbatem, cum filium in Hiſpania victum, occiſumque, audax vltum veniret, reportauit. In eo prælio, ex præcipuis Nunius fuit; in quo ad ducenta millia Sarracenorum condiſſe, qui eo tempore ſcribebant, Authores produnt. Multis deinde aliis interfuit Nunius, Alfonſo Regi charus, vtiliſque, & qui vel inter eius gratiam meruit aliorum inuidiam declinare. Firmauit priuilegia ſuæ militiæ, & noua alia obtinuit. Domum cum *Algeziram* obſideret ſimul cum Rege, cum Chriſtianis, qui turrim occupabant trans fluuium Guadarranque, opem tuliſſet, in redditu cum aliis ſubmerſus eſt, tanto Regis mœrore, vt ſtatim turrim deſerendam iuſſerit, quæ tantam attuliſſet ſibi iacturam. Quinquennio rei militiæ adminiſtrauit, nempe vſque ad annum M. CC. XLIII. nec conſtat adhuc quid factum de eius corpore.

XIX.

PETRVS II. MAGISTER XVIII.

Defuncto Nunio, qui ex ſuis remanſerunt, Ioanni Nuñez Pradeſio traditi ſunt, Calatrauæ Magiſtro, ſub cuius ſignis, proprium eligebant, vt non omnino alienis, militarent. Et dicitur præfuiſſe per duos menſes vtrique Militiæ, quoadvſque, qui reſidui erant venientes ad caſtra, in eis ſibi Magiſtrum ſubrogarunt Petrum Alfonſum, cognomento *Pantoxa*, anno M. CCC. XLIII. Electio in Caſtris, fatalis viro fuit, quippe non vnquam ab eo deſerendis, atque breui intra ipſa morituro. Triennio, quo electione ſuperuixit, in obſidione eadem multa geſſit Alcantaræ Militiæ Magiſtro digna: & tandem ipſe cum quibuſdam aliis, victoria inſigni ad *Palmenes* fluuium obtenta, capiendæ vrbis, & arcis occaſio fuit: ſed victoria infelici: quippe ex qua cum ſaucius exiiſſet, neque curaſſet; exulcerato malè ſano vulnere, intra bimeſtre obiit, cum lachrymis ſuorum, ſepeliendus.

XX.

FERDINANDVS III. MAGISTER XIX.

Cognomento *Ponze de Leon*, Dominorum Marchenæ, qui poſtea Duces de Arcos, filius, electus anno M. CCC. XLVI. victoria ab anteceſſore parta ad Algeziram vrbem potitus eſt, nec gratia Regis caruit, cui & in aliis bellis vtilis fuit. Poſt triennium anno M. CCC. XLIX. Montem-Calpium, ſeu Calpem, vulgo *Gibralta* cum eodem Rege obſidet; in qua obſidione, abſumpto per peſtem Rege, anno M. CC. L. illius funus, cum aliis deducit Hiſpalim; quamuis eo non peruenerit, Primogeniti filij metu, Hiſpali commorantis, qui Eleonoram Guzmaniam Patris pellicem, & propter eam Guzmanorum totam familiam, ex qua mater Magiſtri, habebat inuiſam; neque odium in eam conceptum diſſimulabat. Tum verò Petrus, cum rerum potitus eſſet Ferdinandum Magiſtrum ad ſe vocatum, & renuentem venire, Magiſterio abdicauit, in quantum potuit; ſequeſtris Magiſterij cunctis redditibus; & deſignato Magiſtro Calatrauæ Ioanne Pradeſio, cui Milites *Alcantaræ*, quandiu alium non haberent, obtemperarent. Tum Ferdinandus ad Regem, Hiſpalim veniens, & ſe, ac ſua in ipſius clementia ponens, tandem obtinuit, vt ſalua ſibi eſſent Magiſterium, & Magiſterij redditus; ita tamen vt Petro Homagium faceret, & ſe non vnquam filiis Eleonoræ, quantumuis conſanguineis (nam hi iam tunc ad Regnum aſpirabant) adhæſurum in ipſum, Sacramento firmaret: quin omnes Arces *Alcantaræ* militiæ (quid enim vnquam ambitio recuſauit?) Alcantarenſi excepta, Regi traderet, per ſæculares deinceps cuſtodiẽdas. Adhæſit ergo Ferdinandus Petro, ex tunc adeo fidus, vt breui ab eo Arces, quamuis non omnes, quaſdam tamen receperit, atque Regiæ militiæ præfectus fuerit, velut quo nullus alius fidelior foret. Nouennio dicitur Alcantaram rexiſſe, & anno M. CCC. LV. deceſſiſſe ex morbo, priuſquam Henrico ad Regnum aſpirante, multis fauentibus, aut fides eius in Petrum vacillare, aut ſi non vacillaſſet, pœnitere, non immerito poſſet, cum rerum, Petro occiſo, potitus eſſet.

XXI.

DIDACVS GVTIERREZ MAGISTER XX.

Cognomento *de Zeballos*, ex aulico sæculari, pseudo electus in castris anno M. CCC. LV. cum Petrus Rex ad oppidum Morales, Taurum Vrbem, quæ fratribus fauebat, obsessurus, antecessoris mortem cognouisset: electoribus frustra recusantibus, nec resistere audentibus voluntati, & præceptis furentis principis. Inde ab eodem Rege cum suis missus ad Palenucelam oppidum, vt quosdam nobiles, qui in eo morabantur Petro assereret: cum proditionis accusatus esset, quæ gratia semper immoderatis beneficiis repandi solet, *reinfecta* vocatus, & in arctam custodiam detrusus est, sola fuga euasurus supplicium imminens. Præfuit Militiæ dies LVIII. nondum illam professus, seu vltro Pontifex dispensare noluit: seu Petrum Regem, qua præcipitatione eligi fecerat, electionis pœnituit, atque ne dispensaret, solicitauit.

XXII.

SVERIVS III. MAGISTER XXI.

Cognomento *Martini*, natione Astur, Gundisalui Perezij, dicti de Ouiedo XVI. olim Magistri nepos, electus in discordia, cum electores partim ipsi Suerio partim Petro Manueli, clauigero Militiæ suffragarentur. Madente Hispania sanguine fraterno, & diuidente Europam, dum alij Petro, Friderico alij fauent, ostentandæ virtutis in Sarracenos, vix vllus Suerio locus: in Infantes, & Regem Aragoniæ, quos Petrus debellabat, strenuus fuit. Pugnauit tamen aduersus Granatenses fœlici marte, & sexennio, quo præfuit suæ Militiæ, permansit inuictus, neque vnquam aduersam fortunam expertus est. Obiit Numantiæ (*Soriam* nos vocamus) cum Regem super Regni negotiis consulturus, seu ab eo consulendus comitaretur, anno M. CCC. LXI. Sepultus in Ecclesia Sancti Saluatoris extra muros, quæ tunc ad Calatrauam pertinebat, inde ad Alcantaram breui transferendus.

XXIII.

GVTIERRIVS GOMEZ MAGISTER XXII.

Cognomento *de Toledo* electus anno M. CCC. LXI. cum ex Alcantareo Milite, Prior Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani; sed ea dignitate, velut extraneus, à Magistro Hospitalis deiectus, & primæ suæ vocationi redditus esset. Petro Castellæ Regi semper charus, & semper fidus; à quo & Muxaeræ Præfectus creatus est, vulgo *de Murcia*: eo in munere nulla strenuè gessit: maximè aduersus Petrum Munizium dictum *de Godoy*, Calatrauæ in Regno Aragoniæ Pseudo-Magistrum: à quo tamen ad oppidum Alcobillas in Regno Valentiæ tandem victus, & occisus cum multis est, anno M CCC. LXIV. cum triennio Militiam administrasset.

XXIV.

MATINVS LVPEZIVS MAGISTER XXIII.

Dictus *de Cordoba*, ex Milite Calatrauensi, ad Regis instantiam electus anno M. CCC. LXIV. Quo ab eodem legatus ad Regem Angliæ, auxilia aduersus Fratres Fridericum, & Henricum imploraturus. Interim, vt Hispania tota & orbe, diuisis equitibus; & quibusdam Henrico, quamuis notho, quibusdam vero, etsi immiti, Regi fauentibus, coronatus Henricus, viuente Petro, partiales suos (congregato pseudo-capitulo) Martinum deponere, & loco eius subrogare Petrum Munizium fecit, qui se pro Magistro Calatrauæ gerebat in Aragonia. Vnde in aliquibus instrumentis, ab hoc anno, & deinceps, Alcantaræ, & Calatrauæ Magister appellabatur; & fecit qualicumque hac electione, vt velut in re dubia, Magisterium (neutri adiudicatum) quamdiu de vero per sententiam constabat, per tertium à Pontifice designatum, Melensuario illi nomen, gubernaretur. Verum, cum perditis illis temporibus, res armis magis peragenda esset, quam legibus, Henrico intra breue tempus victo Anagarum, Martinus præualuit: & Magisterio pacifice potitus (quis victori resisteret?) non multo post in Magistrum Calatrauæ promotus est; destituto Munizio vtroque titulo, quem antea simul, coniungere voluisset, & sibi per violentiam vsurpare.

XXV.

XXV.

MELEN-SVARIVS MAGISTER XXIV.

Qui Magisterium in dubio administrauerat, post promotionem Martini anteceſſoris, electus anno M. CCC. LXIX. fauore Petri Regis, sed quo foret in breui destituendus. Quippe Henrico à præterita clade resumptis viribus, & repetente bellum, Petrus victus, & occisus in prælio est; & qui eum sequebantur, profugi omnes, viuere ex tunc vbicumque possent, curarunt, non dominari. Ergo & Melensuarius in eo prælio victus, primo ad Noruam-Cæsaream, siue *Alcantaram*, mox inde pulsus per Didacum Martini, Alcantaræ Clauarium Henrici inssu, ad Lusitaniam fugit; vbi à Rege exceptus, qui sibi asserere Castellam procurabat, sanguinis iure, debitam, aliquot arces suæ Militiæ primum, Lusitanis conterminas, dein eis amissis, vacuum nomen Magistri conseruauit.

XXVI.

RODERICVS DIACIVS MAGISTER XXV.

Dictus *de la Vega*, ex Commendatore maiore, vt vocant, Ordinis; electus anno M. CCC. LXXI. cum prius in anteceſſorem eius, depositionis sententia lata fuisset. Erat tunc Rodericus in Aragonia, ab Henrico legatus, ad Regem, cuius auxilio Regnum capesiuisset. Reuersus illico sublimatus in sede est; mox contra Regem Lusitaniæ missus, de cuius manibus eripuit arces, & Castra; tam quæ anteceſſor eius tradidisset, quam quæ ex aliis, quia Petro Regi adhæserant, ab æmulo victore declinauerant. Dein *Alcantaram* inuadenti Lusitano, vicem illi si possent reddituro, constanter restitit; & fusas in prælio acies fecit reducere, gaudentes quod redire, laceræ quamuis, & sauciæ permitterentur. Demum ipse longiori vita dignus, quadriennio expleto, tandem occubuit, anno M. CCC. LXXV.

XXVII.

DIDACVS MARTINI MAGISTER XXVI.

Ex Clauario Militiæ, qui olim Melen-suarium Magistrum XXIV. qui in Henricum pro Petro pugnasset, Alcantara eiecerat, & in Lusitania fecerat exulare; electus anno M. CCC. LXXV. cuius tempore, alternante fortuna vices, pro suo more, Alcantaræa Valentia per Lusitanos capta, seu verius tradita ab eo, qui illi præerat, nullis tunc armis potuit recuperari. Henrico ante & post Regnum semper fidus, vel cum absentem præferri sibi vidit Rodericum Diacium, & præfici Militiæ, quam ipse à Melen-suario liberauerat; superuixit eidem Henrico Regi, atque à Ioanne filio eius, & succeſſore, confirmationem priuilegiorum obtinuit suæ Militiæ, addita clausula satis honorifica, *Que los confirma, por muy grandes y señalados seruicios, que el Maestre Don Diego Martinez Hizoael Rey Don Henrique su Padre, è por quanta lealtad enelhallo de muchas finezas, que del hizo.* Præfuit Alcantaræ annos fermè octo, deceſſitque M. CCC. LXXXIII. cum rerum potiretur Ioannes Primus.

XXVIII.

DIDACVS GOMEZIVS MAGISTER XXVII.

Cognomento *Barroso*, patria Toletanus, electus anno M CCC LXXXIII. ad breue licet tempus, quippe eo ipso, Ferdinando Lusitano Rege sine liberis mortuo, cum inter Beatricem sororem eius ex legitimo thoro, Ioannis primi Castellæ Regis coniugem, & Ioannem Fratrem nothum, Auisiensis Militiæ tunc Magistrum, de Regni succeſſione contenderetur; dum Lusitani legitimam fastidiunt, quia Castellano nuptam, & Auisiensi adhærent, quantumuis notho; ingentia vtrimque bella; atque ipso euentu compertum est, fortunam sæpe iustitiæ præualere. Inuadentibus Castellam Lusitanis, quasi ea etiam Auisiensi Magistro cessura foret, dum Didacus resistit, in prælio cadit, anno M CCC. LXXXIV. cum vix integrum vnum expleuisset in Magisterio. Atque hæc prima victoria Lusitanis, quo insperatior, iucundior, fœlix totius negotij auspicium fuit.

XXIX.

XXIX.

GVNDISALVVS NVNIVS MAGISTER XXVIII.

Cognomento *Guzmanius*, electus anno M. CCC. LXXXIV. cum ante habitum Alcantaræ susceptum, Elisabethæ, Henrici Regis nothæ, clandestino matrimonio coniunctus esset. Sed separati ante susceptam prolem, & ipse Alcantaream Militiam, Elisabetha Clarissarum Regulam in Toletano Monasterio professi fuerant. Breuis & ipse temporis Magister, sed fœliciori exitu: nec inferendus sepulchro, vt anteceſſor, sed in maius fastigium promouendus. Perseuerante adhuc contentione inter vtrumque Ioannem, qui Auisienſi fauebant, Lusitani celebrem illam, neque vnquam satis ab ipsis decantatam, quam ad *Aljubarotam* dicunt, reportarunt victoriam de Castellanis. Eo in prælio Calatrauæ Magister Petrus *Pereyra* cum multis occubuit, & Gundisaluus, etsi simul victus, superstes tamen, strenui Ducis munia cum expleuisset, in Magistrum Calatrauæ promotus est, anno M. CCC. LXXXV. vt in serie Magistrorum Calatrauæ, vbi & reliqua eius habentur, videre licet.

XXX.

MARTINVS IANES MAGISTER XXIX.

Cognomento *de la Barbuda*, natione Lusitanus, ex Milite Auisienſi, cum mortuo Ferdinando Lusitano, Beatricem iustiorem hæredem sequutus esset, Alcantarensis in Castella primum Miles, dein in Magistrum electus anno M. CCC. LXXXV. Alcantaream Valenciam à Lusitanis, Militiæ suæ ablatam, possessamque potenter obsedit, atque obsessam adegit ad deditionem; & firmauit præsidio; quod tamen Lusitanis repetentibus resistere vix posset: & nisi pace inter Principes firmata, Valencia, alias inter conditiones, Alcantaræ Militiæ reddita esset; forsan à Lusitanis ad nostra tempora vsque possessa foret. Conuersa deinde fidelium Principum arma aduersus Sarracenos, & Martinus Ianes multa cum Rege, plura per se, & per suos Milites fecit in Regno Granatensi, à quo glorioſus, atque spoliis onustus redire potuit: sed proprio corde ad ardua semper prono, an cuiusdam Eremitæ pseudo-oraculo, dum ipsam vrbem obsidere tentat, quam ab eo capiendam prædixisset, victus, & spoliatus, nec constat an occisus, an captus fuerit? Qui vinctum tradunt, vixisse diu dicunt, atque ex nobili quadam Sarracena genuisse filium, qui postea in Soldanum Babyloniæ promotus fuit: corpus eius vndecumque decesserit, Alcantaram deductum, atque in Ecclesia Maiori Vrbis sepultum, superpoſito Titulo, qui Lusitanum Ducem satis demonstrat.

AQVI IAZ AQVELE, QVE POR NIVNA COVSA NVNCA OVVE PAVOR EN SEV CORAZAON.

XXXI.

FERDINANDVS RODERICI MAGISTER XXX.

Dictus de *Villalobos* Patria Legionensis, ex Clauigero Alcantaræ, electus anno M. CCC. XCIV. prouectæ iam ætatis, sed qui diutius, quam anteceſſores, sub Henrico III & Ioanne II. suæ Militiæ res administrauit; vtrique vtilis, sed in bellis contra fideles, multo minor victoriæ gloria fuit. Præfuit annis XIV. deceſſitque anno M. CDVIII. in oppido Villa-nueua de la Serena, vbi & sepultus iacet Marmoreo tumulo.

XXXII.

SANCTIVS INFANS MAGISTER XXXI.

Ferdinandi Infantis Castellæ, sed postea Aragonensis Regis filius, Ioannis huius nominis primi Regis nepos, cum adhuc puer designatus Alcantaræ, ad instantiam patris, anno M. CDVIII. deinde, obtenta à Benedicto XIII. dispensatione, Vallisoleti canonice electus anno sequenti. Commissa tamen administratione, de consensu eiusdem, Commendatori maximo Ioanni cognomento *Soto-Maior*, qui Militum suffragia ad se inclinata, Infanti Sanctio sponte confirmauerat. Eodem anno M. CCCC. X. à Benedicto eodem

Pseudo

pseudo Pontifice indultum legitur, Priori Alcantarensi, vt Magistrum, & milites absoluat, ab excommunicationibus, quibusque, etiam à reseruatis; & cum Clericis ab irregularitate omni dispenset, Barchinone VII. Kalendas Martij Pontificatus eius anno XVI. & sequenti, Christi nimirum M. CCCC. X. ab eodem obtinuit, vt Scapulare breue, cum Capucio, quod erat religionis insigne militibus, in Crucem Viridem vestibus assutam commutarent. Barchinone IX. Kalend. Aprilis Pontificatus anno XVII. anno M.CCCC. XIV. coronationi Ferdinandi Patris assistit, Cæsar-Augustæ, suorum militum stipatus copioso agmine; nec multò post anno M. CCCC. XVI. immatura morte moritur Metymnæ à Campo, sepultus in Conuentu Patrum Prædicatorum, vbi hodieque sepulchrum illius cernitur.

XXXIII.

IOANNES MAGISTER XXXII.

Cognomento *Soto-Maior*, qui Sanctio Infanti Magisterium antea cessisset, militiamque sub ipso administrasset, post eius mortem, concorditer electus anno M. CCCC. XVI. non tamen sine æmulo, nimirum procurante Regina matre, atque tutrice Ioannis secundi Regis, & Gomezius Carrillo nutricius pueri, in Sanctij Infantis locum subrogaretur. Infestantibus bellis intestinis vniuersam Hispaniam, & Regibus Aragonij, Nauarræque nunc inter se de tutela Ioannis Regis, nunc in ipsum acrius decertantibus, Magistri fides in vtramque partem vacillans, & neutri tuta, post varios casus, eo tandem illum adduxit, vt congregato Alcantaræ Capitulo, proditionis, periurij accusatus, velut vtriusque Maiestatis reus deponeretur; frustra appellans Pontificem, à quo non impetrauit restitutionem: extant tamen nonnullæ eius memoriæ, nec parum honorificæ, quæ hodieque in Conuentu perseuer ant. Ei scribit Martinus Papa V. atque omnia priuilegia, immunitatesque Ordini suo indultas illi confirmat, Constantiæ VI. Kalend. Februarij, Pontificatus ipsius anno primo, qui incidit in annum Christi Domini M. CCCC. XVII. & specialiter exemptionem decimarum. Datum Genezani, VII. Kalendas Septembris Pontificatus anno IX. Christi M. CCCC. XXV. idem etiam de nouo illi indulget, vt Religiosos suæ militiæ fratres, seu sæculares Clericos prout expedire cerneret, ad Beneficia Ecclesiarum præsentaret, Romæ apud Sanctos Apostolos, VIII. Kalend. Decembris, anno M. CCCC. VI. Pontificatus ipsius X. Construxit nouam Ecclesiam, Conuentumque pro habitatione Fratrum, quod ipse eidem Martino Papæ scripsit, atque pro dote fabricæ, & Conuentus, nouos redditus annuos assignauit, ex Magistrali mensa, quorum aggregationem, à Pontifice obtinuit confirmari, Ferentini VIII. Idus Septembris, anno M. CCCC. XXVIII.

XXXIV.

GVTIERRIVS II. MAGISTER XXXIII.

Cognomento *Soto-Maior*, Ioannis anteceſſoris nepos, & pro eo subrogatus ipso in Conuentu Alcantaræ, anno M. CCCC. XXXII. Inde ad Regem profectus, qui tunc Miro Brigæ, vulgò *Ciudad-Rodrigo* demorabatur ac Magisterio militiæ susceptо de eius manu, ante omnia Ioannis veniam à Ioanne impetrat, Patrui à Rege; mox depositо scribit, ac quatuor millia florenorum annua, de quibus congrue sustentari possit pius, & largus offert, de mensa Magisterij persoluenda: demum ab eodem Rege alia impetrauit, tam sibi, quam militiæ, atque oppido Alcantaræ, quod extunc liberum, atque à Regio vectigali, quod nos *pecho* vocamus, immune fuit. Eodem anno, quo tristia, vt solet, lætis altercaret fortuna, Augustam firmam, siue Astigitanam Colinam, vulgò *Ecixa*, ab eodem Rege missus, & in Sarracenos Regni Granatensis prodire iussus, dum per abrupta montium, quò secretior iret, suos ducit, concluſus magis, quam interceptus est, atque multis militibus amissis, cum paucis rediit; non ab hostibus victus, sed à fortuna. In intestinis bellis fœlicior fuit. Quippe Hispalim ab Infante Henrico in arcto positam, obsidione soluit, anno M. CCCC. XLIV. sequentique M. CCCC. XLV. Regi ad *Olmedum* manum conserturo, cum sexcentis equitibus ex suis, opportunus affuit, & magnæ illius victoriæ, de *Olmedo*, à loco dictæ, magna pars fuit. Ob quæ & alia obsequia in ipsum præstita, multis ab eodem donatus villis, & oppidis, quæ filios, quos reliquit nothos, (quis sine culpa viuit?) locupletarunt. Restitutionem Castrorum suæ militiæ, quæ occasione schismatis; quod his temporibus vniuersam Ecclesiam, sed multo magis Hispaniam diuidebat, ad Regnum

Lusitaniæ declinauerant, cum armis posset, censuris prius tentauit; promulgatis in Concilio Basilienſi pridie Idus Martij, anno M. CCCC. XXXVIII. Quæ inter alia priuilegia circumferentur. Præfuit Alcantaræ annos XXIV. & tandem appositus est ad Patres suos anno M. CCCC. LVI.

XXXV.

GOMEZIVS II. MAGISTER XXXIV.

Patria *de Cazeres*, vnde illi cognomen pro more temporis, addito tamen gentilitio agnomine, *de Solis*, quo non paucæ familiæ decorantur. Ex præfecto domus Henrici IV. Regis, & qui summa apud eum gratia polleret, ad instantiam illius electus anno M. CCCC. LVII. Initio Magisterij sui gratus, fideliſque: processu temporis, ab obsequio eius declinans, aut remissius agens, cum se suspectum, inuisumque accepisset ab aliis aulicis, qui id Regi imponebant; palam defuit, atque ad æmulum Regni pertransiuit. Inde varie consilio fortunaque & nunc in defectione confirmatus, nunc resipiscens; iterum gratiæ Regis redditus est, in qua forsan mansisset, si non maleuolorum interuentu, quòd in aulis sat frequens, iterum odia; & Alfonsus Monroyus militiæ clauiger occasione arrepta, cum Gomezius abesset Arce Alcantaræ anno M. CCCC. LXXI. congregasset Capitulum; & proditionis reum, damnatumque deponi fecisset; & pro deposito, seipsum subrogari, fauente Rege. Et præualuit intrusio nixa fauori, inter varios euentus; alternante fortuna inter vtrumque. nam milites diuisi; neque vlli ius, aut æquum, nisi in armis, quoad vsque Gomezius senio fractus, ex hac vita decessit, anno M. CCCC. LXXIII. priusquam Alcantaræ arce, & sede Magisterij potiri posset. Eius tempore, cum intestina bella, schismataque militum obseruantiam eneruassent, neque Alcantara tantum, sed cæteris militiis Cistercien sibus, huic malo subiacentibus, difficile esset reformare corruptos mores, maxime dubio iure Calatrauæ, neque comperto, satis inquam; nam ex Abbatibus Cistercij paterna illorum cura, & visitatio, vt vocant, subrogaretur: proprio motu, an ad ipsarum militiarum instantiam, in dubio est. Certum Pium II. prouidisse, vt Ioannes tunc Moribundensis Abbas, & eius successores, visitatores, & reformatores militiarum, Magistrorum, & Commendatariorum Alcantaræ, Montesiæ, de Auis, & Iesu Christi, cum simili potestate, quam super Magistro, & militia de Calatraua habebant, constituerentur. *In priuilegijs Alcantaræ fol.* 79. *num.* 1. Quod tamen tunc omissum, seu prætermissum, postea Alexander VI. atque Iulius secundus innouarunt, vt mox ostendam.

XXXVI.

ALFONSVS MAGISTER XXXV.

Cognomento *de Monroy* intrusus anno M. CCCC. LXXI. viuente antecessore, nec legitime depositio: mox ipso mortuo, canonice electus anno M. CCCC. LXXIII. sed non pacifice; quippe Franciscus Solisius, Gomezij nepos, qui Magacellam Commendæ iure tenebat, hanc etiam electionem, accusabat. Alfonsus statim vt cuncta sibi assereret, Magacellam adit, Franciscum obsidet: verum pactis quibusdam conditionibus, quas Franciscus in dolo pepigisset, Magazellam ingressus, captus, atque arctæ custodiæ traditus est, vocatis interim aliquibus equitibus, Clericisque, ex militia Alcantaræ, qui Alfonsi electionem irritam dicerent (sic res ferebant) & Franciscum in Magistrum sublimarent. Et gessit se Franciscus pro Magistro, (custodito Alfonso, & ideò tantum, vt ferunt, non occiso, quo fautores timentes vitæ eius, ab infestando Francisco deterrerentur) quoad vsque cadens sub equo, quò vehebatur, dum auxilium implorat cuiusdam hominis, qui forte pertransibat, ab eo agnitus, & in vindictam, & liberationem Magistri iugulatus est circa annum Christi M.CCCC.LXXV. Alfonsus inde de custodia liber, & suis redditus, quandiu vixit Hēricus, cum illo fuit: sed bello postea de Regni successione, inter fœminas orto, nempe inter Ioannam vxoris eius filiam (nam eius non constabat, & oppositum certius credebatur) & sororem haud dubiam Elisabetham; hanc Ferdinando Aragoniæ Principe nuptam, illam sponsam Regi Lusitano; partes filiæ sequutus Alfonsus, ac Lusitano fauens; Elisabethæ, cui tandem Regnum cessit, indignationem incurrit; quæ ægrè potuit omnino mitigari. Quippe pace inter Reges confirmata, & venia vtrimque sequacibus indulta quod Lusitanus, pro Magistro præcipuè cauit; at Magisterium, quod per violentiam, & fraudem capessiuerat, nunquam quiete possedit; præoccupatum à puero, Ioanne de Zuniga filio Ducis de Arebalo, per indultum Pontificis, quod Mater eius, fauente Elisabetha, dum res erant

turbatæ,

turbatæ, obtinuisses. Et repetitum cum aliis, quæ possidebat à Regibus Catholicis: sed responsum ab illis semel, & iterum; *Reliqua omnia, quæ sui iuris erant, restituta statim: Magisterium indultum à Pontifice, ab ipso solo venire restituendum.* Tandem, vel tœdio prolixæ, & grauis litis, seu de euentu desperans, sponte cessit anno M CCCC. LXXIX. vt ait Rades: & post biennium defunctus est, anno M. CCCC. LXXXI. & corpus eius, quod viuens non potuerat, Alcantarum delatum, ibidem sepulturæ locum obtinuit.

XXXIII.

IOANNES MAGISTER XXXVI.

Vltimus Magistrorum Ioannes sequitur cognomento *de Zuñiga* filius Ducum Arebali, cum res Alcantaræ, à Gomezio, ad Alfonsum, ab Alfonso, ad Franciscum, fraude & potentia, quam legibus, & iustitia peragerentur, puer adhuc Magister designatus à Sixto IV. anno M. CCCC. LXXIII. si qua Radio fides: dein admissus pacifice, & quiete post cessionem Alfonsi, anno M. CCCC. LXXIX. gubernante militiam Duce Arebali, eiusdem Ioannis patre, quandiu ipse adhuc puer, & nondum rebus gerendis idoneus erat. Celebrauit eiusdem militiæ Synodum in Vrbe Placentia, & quasdam constitutiones edidit, inter quas prima, vel inter primas fuit, ne deinceps quisquam in fratrem admitti posset, militem, siue Clericum, nisi de antiquo Christianorum genere, ex vtroque Parente, natus esset; quod & à Sixto IV. firmari fecit, Romæ apud Sanctum Petrum, VI. Kalend. Iulij, Pontificatus ipsius anno XII. Christi M. CCCC. LXXXIII. limitauit, & militum portionem (siue alimenta voces) quamdiu Præceptoriis non donarentur, ad viginti millia Marabitinos modernæ monetæ, qui quinquaginta plus minusve ducatos faciunt. Capitula frequentius celebranda, atque id genus alia etiam præcepit, quæ ab eodem Pontifice firmata, inter alia priuilegia Ordinis extant, VI. Kalend. & VI. Idus Iunij eiusdem anni. Multa præterea ab Innocentio VIII. obtinuit, quædam minus vtilia, certe reformationi minus conformia; vt quod Commendæ, seu Præceptoriæ sæcularibus dari, dum modo habitum intra annum susciperent, idem Magister posset: quod Commenda Valentiæ Mensæ Magistrali in perpetuum aggregaretur. Quod Magister, & Fratres lineis ad carnem vestibus, cum antea tantum laneis, & carnibus, vt cæteri fideles, ad victum, & vestitum vti possent. Quin statuto sanciuit, quod magis mirum, si non postea extensum priorem extenuauerat admirationem, vt Religiosi de mobilibus cunctis, & semouentibus liberè & licitè in morte testari possent. In Bellis, Ferdinando semper fidus, & opportunus, ad Malacam, ad Velaz-Malacam, ad Illiberim; nec ablata Placentia suo nepoti, quod tamen ægrè tulit, ab obsequio illius auulsus est. Cum Rex Catholicus ab Innocentio VIII. primum, mox ab Alexandro VI. Magisterium in administrationem obtinuisset, quandocumque vacare illud contingeret, quod anno M. CCCC. XCII. indultum legitur, Ioannes, ne sua militia obseruantiæ iacturam paretur sub sæculari ferula, innouationem litterarum Pij II. quibus Abbatem Moribundi Ioannem, & successores eius, visitatores, reformatoresque Ordinarios Alcantaræ constituit, innouari ab Alexandro curat sequenti anno; super quo litteras eius impetrauit, datas Romæ, VI. Idus Ianuarij, anno M. CCCC. XCIII. ipse deinde, congruis redditibus sibi reseruatis, atque aliis prouidè satis dispositis, sponte cessit; secessitque ad oppidum Villa-nueua de la Serena, vbi & sui Ordinis Conuentum fabricauit, in quo ipse Religiosus inter suos Religiosos viuere posset, immediatus Pontifici, neque vlli præter ipsum subiiciendus. Non multo post Hispalensis Archiepiscopus, & Cardinalis S. E. R. Titulo Sanctorum Xeræi, & Achilæi, à Iulio secundo Papa anno M. D. III. creatus est. Tandemque ad Guadalupe Monasterium, cum ibidem excubias celebraret ad Deiparæ iconem, defunctus, vbi & sepultus expectat supremum diem. Obiit XIV. die mensis Augusti anno M. D. IV.

FERDINANDVS REX COGNOMENTO CATHOLICVS ADMINISTRATOR PRIMVS.

Designatus ab Alexandro VI. per cessionem Magistri Ioannis à *Stunica*, concessa Palentino Episcopo facultate, vt cessionem admittat, & cedenti designet annuos redditus, & quam elegerit in Prouincia de la Serena Ecclesiam Ordinis in Prioratum erigat, ab omni prorsus iurisdictione liberum, atque Sedi Apostolicæ immediatè subiectum, in quo prædictus Ioannes viuere possit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum duodecimo Kalendas

Iulij, Pontificatus illius anno secundo, Christi M. CCCC. XCIV. Nouennio post cum Rex vere *Catholicus*, regularem disciplinam eneruari videret, nec se præsumeret reformandis moribus inueniri idoneum; aut Religiosos institui congruenter per sæculares, quod Pius II. & Alexander VI. statuissent, Abbatem Morimundi visitatorem ordinarium fore militiæ de Alcantara, à Iulio Papa II. firmari fecit, litteris datis Romæ apud Sanctum Petrum VI. Kalendas Decembris anno M. D. III. & reclamante militia Calatrauæ, quasi id iuris sibi, ad quam dicebat ex pacto pertinere, subtraheretur; nihilominus iteratas litteras impetrat, in quibus post auditam Calatrauam, idem præcipitur, Romæ apud Sanctum Petrum III. Kalend. Septembris anno M. D. V. celebrauit Capitula frequentia Granatæ anno M D Metinæ à Campo M. D. IV. Hispali M. D. XI. & Vallisoleti incerto anno; è quibus quod Valli oleti coactum est, constat ex litteris Leonis Papæ X. datis Romæ apud Sanctum Petrum XIV. Kalend. Nouembris, anno M. D. XIII. quod Hispali, ex aliis eiusdem Papæ, Romæ item datis V. Kalendas Februarij anno M. D. XIII. in hoc porro Thesaurum institui iussit, erigive, in Conuentu Alcantaræ, ex quo communes Ordinis expensæ fieri possent: & priuilegia, atque immunitates illius defenderentur. In alio vero, cum militia de Alcantara nullas hactenus speciales habuisset constitutiones à Cistercio præfixas, aut Pontifice; sed Monasticas solas, quas sibi temperabant pro suo modo: statutum est, vt quas olim Generale Capitulum Cistercij Calatrauæ sub Guidone Abbate tradiderat, easdem obseruandas sibi proponerent, & præscribendas à Leone X. tunc Romano Pontifice, quod & ipse indulsit, præcepitque litteris datis Romæ apud Sanctum Petrum pridie Kalendas Februarij, anno M. D. XIV. Pontificatus eius II. Quare inter priuilegia Alcantarensia, non ea Bulla solum, sed & leges præscriptæ Calatrauæ, postquam ad obedientiam Cistercij rediit, litteris Gregorij VIII. atque Innocentij III. insertæ, atque ab eis confirmatæ circumferuntur. Nec multo post ab eodem Papa impetrat, vt omnia & singula indulta, & priuilegia indulta Cistercien sibus, sed specialiter ab Honorio III. Martino V. Sixto IV. & Innocentio VIII. Alcantarensibus indulta esse censeantur: Addita clausula. *Quod Magister, atque omnes & singuli Priores, Præceptores, & fratres militiæ huiusmodi, eiusdem Ordinis professores existant. Romæ apud Sanctum Petrum XVIII. Kalendas Iulij, anno M. D. XXI. Pontificatus ipsius IX.* Instituit Ferdinandus specialem senatum constantem sex militibus, Sant-Iacobæis, Calatrauensibus, Alcantarensibusque, duobus ex singulis, eisque iurisperitis, per quos res omnes, quæ ad Magistros spectabant prouido, & maturo consilio disponerentur.

CAROLVS V. IMPERATOR ADMINISTRATOR II.

Ferdinando in administratione succeſſit *Carolus* eius ex filia nepos: qui anno salutis M. D. XXIII. quo Capitulum Burgis celebrauit, cum vidisset insignes tres militias, Calatrauam, Alcantaramque, & Sant-Iacobæam, mortuo Ferdinando, Magistros sibi eligere voluisse; nec electuros de facto dubitaret, nisi ab Adriano Louanien si olim Decano, tunc S. R. E. Cardinali, Regni Procuratore, præuentæ essent; mox ipso Hadriano in Pontificem assumpto, vt prædictorum militarium Magistratus in perpetuam administrationem Castellæ, atque Legionis Regibus cederent, obtinuit, litteris ab eodem Papa datis Romæ apud Sanctum Petrum, IV. Nonas Maij anno M. D. XXIII. Pontificatus ipsius primo. A Clemente VII. conseruatores, pro defendendis bonis, & priuilegiis militiæ Alcantarensis, cum amplissima potestate accipit, anno M. D. XXX. quo ipso anno, innouari ab eodem impetrat facultatem Capitulis concessam, statuta condendi, quæ sacris Canonibus non contrariarentur; nec non prioribus Conuentuum Alcantaræ, & Villæ-Nouæ de la Serena, vt in diuinis officiis celebrandis Pontificalibus vti, in omnibus Ecclesiis suæ ditioni subiectis licitè possent, Romæ apud Sanctum Petrum VI. Kalendas Maij, Pontificatus eius anno VII. Celebrato Capitulo Hispali, neque constat, quo anno, cum horæ ab antiquo militibus iniunctæ, longæ, atque adeò onerosæ viderentur, ad Capitulum Generale Cistercij misit, & specialiter ad Abbatem Morimundensem, vt eis recitandi modum præscriptum ab eodem Clemente confirmari procurat, atque extendi, Romæ apud Sanctum Marcum III. Idus Iunij anno M. D. XXXV. Pontificatus ipsius primo. Quo & idem Carolus V. Administrator Capitulum celebrasse Matriti legitur: Sequentique cum beneficia militiæ per Collectores, & distributores subsidiorum communium, vltra quem ferre possent prægrauarentur, ab eodem Paulo III. statui fecit: *Procuratorem Generalem Alcantaræ, interesse debere omnibus congregationibus Ecclesiarum factis ad distributionem subsidiorum, & aliarum collectarum:* Cum clausula annullante si non assisteret, Romæ apud

Sanctum

Sanctum Marcum XIII. Kalendas Iulij anno M. D. XXXVI. Extinxit tamen (zelo licet pio, sic par est credere) Cistercienses militias, dum ad eodem Pontifice impetrant, vt milites absolutæ castitatis voto omisso, ad Sant-Iacobæorum instar, coniugalem, non aliam profiterentur. Quippe dum singuli vxoribus, & filiis pro iuris naturalis debito seruiunt, vitam communem, obseruantias Ordinis, quin & militiam ipsam, & eius incrementa non attendunt. Commendæ in beneficia sæcularia pœnè transierunt; & habitus, in insigne nobilitatis: neque est, qui illum, vt militet, suscipiat, sed vt ostentet. Indultum tamen à Paulo III. fuit, & potestas testandi de quibus cumque bonis, simul concessa; commissaque executio litterarum tribus Cardinalibus Hispanis, Ioanni nimirum ante Portam-Latinam, Garsiæ Lociscæ Sanctæ Susannæ, & Petro Manrique, quem alij Enecum vocant, Sanctorum Ioannis & Pauli Titulorum Presbyteris, Romæ apud Sanctum Marcum tertio Nonas Augusti, anno M. D. XL. Post duodennium anno M. D LII. congregato Capitulo Matriti, multa instituit, quæ hodieque obseruantur, & inter alia, quod eximie laudandum fuit, Salmanticæ Collegium, construi iussit, in quo Clerici milititiæ Professores Sacræ Theologiæ, iurique Canonico nauarent operam priusquam ad beneficia promouerentur.

Carolo V. militiam administrante Abbatis Morimundi iurisdictio integra adeo & illæsa semper fuit, vt nihil vnquam inuertere, aut mutare etiam cum magna causa, & rationabili Imperator auderet, nisi ipsius præcedente dispensatione. Extant Epistolæ Caroli ad eundem supplices satis, & dignæ Christiano Principe, petentis vt cum ipsius cubicularo Domino de Laxau milite Alcantaræ, vt annum probationis extra Conuentum, ne iuncto sibi deesset ministerio, & probationem in Curia præstare posset: quas indices omnimodæ obedientiæ; & superioritatem Abbatis Morimundi in vniuersam militiam confitentes ex ipsismet prototypis transumptas, atque à Reuerendissimo Domino Claudio Breffautio Morimundi Abbate, & sub eius sigillo ad me transmissas, non pigebit ad litteram transcribere. Sic autem habent:

CAROLVS Diuina fauente Clementia Imperator semper Augustus, Rex Hispaniarum, & Ordinis Militiæ de Alcantara, authoritate Apostolica, perpetuus Administrator Venerabili, Religioso, deuoto, fideli, & sincere nobis dilecto Abbati Morimundi.

VENERABILIS, Religiose, Deuote, sincere nobis dilecte. Nouerit deuotio vestra, quod Dominus de Laxau primus, & secretus Cubicularius noster, Miles Ordinis Militiæ de Alcantara, cuius tu Pater, & Caput ex antiquis institutis, eiusdem militiæ & ordinis esse dignosceris, pia deuotione, regularem professionem eiusdem militiæ facere, ac in ea Domino militari desiderat, ac cum idem Dominus de Laxau ob cubiculariatus ministerium, quod nobis impendit, assistere nostræ præsentiæ soleat; & sua sit assistentia nobis grata & cum ex diffinitionibus, & actibus capitularibus eiusdē ordinis, nullus possit ad professionem regularem per milites dictæ militiæ emitti solitam, recipi, nisi per annum integrū probationis in Conuentu dicti ordinis resideat, ac in regula & modo recitādi horas, & in cæteris cæremonijs eiusdem ordinis instructus fuerit, & cum dictus de Lazau noster primus Cubicularius sine magno incommodo ministerij nostri, per annum integrum in prædicto Conuentu manere non possit, deuotionem vestram rogamus, secum dispensare dignetur. Quatenus non obstante, quod per annum integrum probationis in conuentu dicti ordinis non manserit, possit intra annum expressum facere prædictæ militiæ professionem per milites dictæ militiæ fieri solitam, non obstantibus, pro hac vice dumtaxat, prædictis diffinitionibus, & actibus Capitularibus deinceps, vt valent, in perpetuum valituris, & in eo deuotio vestra faciet nobis rem gratam, erga vos & ordinem vestrum omni gratia, & clementia nostra rependendam. Datum Toleti XI. Februarij anno M. D. XXVI. Hactenus epistola prima Caroli V. humilis sane pro tanta maiestate, quæ petitionem, ne nimia appareat, diuidat; atque obedientiam ab vniuersa militia præstari debitam Abbati Morimundi non solùm fateatur, verum exhibeat.

Porrò cum iustæ satis petitioni prædictus Abbas, vt par erat, annuisset; sex infra menses, alia sequuta est, & gratiam pro dispensatione accepta reddens, & reseruatam secundæ petitioni de professione emittenda in Curia poscens, cuius hic tenor.

CAROLVS, Diuina fauente clementia Imperator semper Augustus, Hispaniarum Rex, Archidux Austriæ, &c. Venerabili, Religioso, deuoto, nobis dilecto Abbati Morimundi.

VENERABILIS, & Religiose Pater, deuote, nobis dilecte. Binis tuis litteris accepimus

Paternitatem intuitu, ac precibus nostris dispensare cum Carolo de Popeto nostro primo Cubiculario, nunc ordinis militiæ de Alcantara milite & Commendatore maiore, vt quanquam probationis annum in Conuentu dictæ militiæ non compleuerit, nihilominus, ac si alias instructus fuisset in his, quæ milites dictæ militiæ scire debent, professionem regularem per milites eiusdem militiæ emitti solitam facere possit; in quo nobis rem gratissimam fecisti: Verum, quia dictus Carolus, diu noctuque nostri corporis seruitio continuo assistit, vt per aliquod tempus à Palatio nostro discedere sine incommodo seruitij nostri non possit; ideoque grauis & molesta nobis esset absentia illius, deuotionem tuam rogamus, vt & solita pietate tua in hunc ordinem, cuius supremum caput existis, cum dicto nostro primo Cubiculario dispensare digneris, vt si alias instructus in regula & modo recitandi professionem regularem in forma consueta facere possit in Curia nostra, si ad id accesserit, vti Administratoris perpetui eiusdem militiæ authoritate Apostolica nostra voluntas, & ipsius clamore, & instans postulatio, quanquam in Conuentu dicti ordinis nunquam fuerit, nec probationis annum in ordine dictæ militiæ compleuerit, non obstantibus diffinitionibus, statutis, & actibus Capitularibus, & stabilimentis dictæ militiæ; illis specialiter, quibus cauetur, vt nullus in dicta militia professionem regularem facere possit, nisi in Conuentu eiusdem, & tunc cum probationis annum integrè in eodem conuentu compleuisset; In quo clementia, & deuotio tua nobis rem gratam factura est, erga personam, & ordinem tuum omni pietate & clementia à nobis recompensandam. Datum in ciuitate nostra Granatæ die XVIII. Iunij, Anno Domini M. D. XVI. Ira Imperator. Nunc qui Senatum ordinum constituunt, ne ipsi quidem Conuentum agnoscentes, aut regularem vitam faciliùs sibi omnia licere putant; atque iugo obedientiæ prætermisso, (nam excussum non dicam) in omnibus dispensant: quod vtrum liceat, discere ab illis mallem, quàm iudicare.

PHILIPPVS II. ADMINISTRATOR III.

Cum Carolus Imperio, & Regno Hispaniæ, simul, & administratione militiarum se abdicasset, celebrauit Capitulum Toleti, anno M. D. L X. quod X I V. die Augusti cœptum, deinde Matriti est continuatum; atque hoc, vt credo, primum fuit, typis vulgari iussum, saltem non aliud antiquius nanciscì potui, vulgatumque Matriti post nouem annos, Christi nimirum M. D L X I X post quadriennium M. D. L X X I I I. congregasse aliud legitur Matriti, quod per triennium ibidem continuatum, tandem prodiit, anno M. D. L X X V I. & in vtroque statuta multa sunt, ad statum militiæ promouendum Modum seruandum in appellationibus à sententiis senatus, quem vocant *Ordinum*, (nam ab his etiam tunc appellabatur) præscripsit, atque præscriptum confirmari impetrauit à Pio V. semel, anno M. D. L X V I. & iterum M. D. L X V I I & ex senioribus adiungi iudices iussit, *Ancianos*, vocant litteræ; quo causæ Religiosorum, religioso, plus quam forensi modo; neque tam iudiciali, quam Paterno peragerentur. Quominus idem Pius Papa V. facultatem testandi, à Leone X militibus indultam, reuocaret in irritum, impetrare non potuit: quippe arbitrante Sanctissimo Pastore, eam voto paupertatis magis adhuc, quam matrimonium castitati contrariari. Sed Pio V ad superos translato, qui ei successit, Gregorius X I I I. iterùm innouauit, concessitque, præmissa narratione, *prædictos milites, post aliquot indulta, quibus gaudebant,* Religiosorum imaginem referre. *Romæ apud Sanctum Petrum, die VI. Octobris anno M. D. XXVI. Pontificatus ipsius Gregorij IV.* Per idem tempus Franciscus Rades de Andrade ex Sacra Calatrauæ militia, Philippi secundi Capellanus, cum Calatrauæ Chronicon texuisset, Sant-Iacobeæ, atque Alcantarensis militiarum, duas alias historias superaddidit, & vulgauit Toleti in folio, apud Ioannem de Ayala, anno Domini M. D. L X X I I.

PHILIPPVS III. ADMINISTRATOR IV.

In ipso suæ administrationis ingressu celebrauit Capitulum, vltimum (heu!) in militia Alcantarensi; post quod non hactenus aliud coactum fuit. Congregatum illud in Curia Matritensi, incœptumque in Ecclesia S. Hieronymi, simul cum synodo militiæ Calatrauæ, Rege ipso assistente. Inde seorsim vtrumque continuatum, Benedicti, Bernardique Parentum, iuxta præscriptum, cœnobia frequentarunt. Alcantara vtilia multa decreuit, quæ mox vulgata, zelum diffinitorum prudentiamque, non obscuris indiciis manifestarunt.

SERIES

ABBATVM ECCLESIÆ PALACIOLENSIS IN VETERI CASTELLA A CENTVM FERE ANNIS continuæ sedis Reformatorum Obseruantiæ Hispaniæ: cuius initia progressusque, & status per CC. XX. annos perstringuntur.

PROOEMIVM

PALACIOLA olim antiquior domus, tempore & loco distãs, aduocatione neque neq; omnino cõformis professione, cum ea, quæ nunc cernitur, & est sedes continua Reformatorum Obseruantiæ Hispaniæ. Quippe cœpisse constat ante Cistercium duabus leucis dissita in valle quadam, cui Begna nomẽ, sub patrocinio S. Andreæ Apostoli, atque habitu nigro, qui Monachis communis per illa tempora. De fundatoribus, aut anno fundationis nihil certum habemus, quare neque de primo Abbate domus. Reliquos perstringemus leui calamo per annos quadringentos plus minusve: ducentis altius, id est ab initio Congregationis, paululum diffusiore, vtpote qui tenuia eius initia, progressusque, & statum duplici titulo, tum prima Cistercium reformauit, tum quia nobis domestica, quantum sufficiat ad Historiæ cognitionem. Igitur ex Abbatibus antiquis, quorum subest notitia, primus omnium.

I.
BELLICO ABBAS.

Bellico fuit, cui iam Abbati Monasterij S. Andreæ de Val-beni, seu de Valle-benigna viri nobiles Ferdinandus Petri, atque Gelbira Nunes cum suis filiis quasdam non contemnendas possessiones, & inter eas Monasterium integrum donant dictum S. Martini, *ad honorem*, inquiunt, *S. Andreæ Apostoli, & ad vsum Abbatis Bellici eiusdem Monasterij, & ad posteros suos, qui ibidem regimen tenuerint, &c. Facta charta Era M. C. I.* id est anno M. LXIII.

II.
IOANNES I.

Immediatus, mediatusve successor Abbatis Bellici, certè inter quos nõ alius memoratur, Ioannes fuit, huius nominis primus cui anno M. XCV. id est post XXXII. à præcedenti sed eius ante Cistercij inchoationem viri alij nobiles Ferdinandus Hermegildez, & Toda vxor tertio pinguem aliam fecere donationem in oppido de Villacastin, facta charta mense Nouembri Era M. C. XXXIII & donationem acceptauit Ioannes Abbas S. Andreæ Apostoli de Valle-benigna pro se & pro cunctis suis successoribus.

III.
OSMVNDVS.

Tertius, cuius notitia subest Abbas Osmundus est circa annum Christi M. C. XXVII. quo Monasterium S. Martini ante LXIV. annos Bellico donatum pro Ecclesia & Villa-dicta *de los Sanctos*, cum quodam Garcia Petro cognomento Vincentij commutauit, facta charta IV. Kalendas Martij Era M. C. LXV. Neque vlla alia eius notitia subest.

IV.

IV.

DIDACVS I.

Osmundo successisse creditur Didacus huius nominis primus cognomento *Martinez*, vt statim dicam. Huic siue Abbati alterius Monasterij; quod pro Regis obsequio perdidisset, siue in eodem de ipso benemerito, Alphonsus Rex cognomento Bonus Sanctij desiderati filius, Monasterium aut dedit, aut confirmauit instrumento expedito sub hoc initio. *Decet Regiam maiestatem quemlibet sibi fideliter seruientem remunerare. Eapropter ego Rex Alphonsus Dei gratia Rex Castellæ & Extrematuræ do vobis Domino Didaco Martinez, atque successoribus vestris illud Monasterium, quod vocatur S. Andreas de Vallebenigna cum suis Ecclesiis, terminis vineis, molendinis, &c. Facta charta secunda die Februarij Era M.C.C.III. id est anno M. C. LXV.* Sequenti M.C.LXVI. sub hoc eodem Didaco, vt coniector, aut fortè ipso defuncto S. Andreæ Monasterium ab eodem Alphonso Castellæ Rege Guillelmo Vallisbonæ Abbatæ traditum est, ad Cistercij institutum reformandum cuius rei instrumentum hodieque extat in tabulario domus sub hoc tenore. *Dono*, inquit, *Ordini Cistercienſi & vobis Domino VVillelmo Abbati Vallisbonæ, & fratribus eiusdem loci præsentibus atque futuris Monasterium quod dicitur sancti Andreæ de Valli-benigna in perpetuum, &c. Facta chartæ apud Abulam in palatio, quod est contiguum Ecclesiæ sancti Saluatoris, Kalendis Martij Era M. C C. IV.* Ita Alphonsus Cistercium semper ardens, propagans, promouens.

Cistercij initium.

V.

GARCIAS CISTER. I.

Monasterio donato Vallisbonæ, dubium an Abbatia in eo supressa, neque acceptata vt filia, sed vt membrum an Cistercium in ipsa retardatum? illud compertum Regem post nouem annos iterum tradidisse cœnobium Magistro ordinis, addita tamen expressa conditione, vt in eo Abbatia Cistercienſis cum omni disciplina, atque obseruantia vitæ regularis institueretur. *Dono*, inquit, *Monasterium meum Ecclesiam scilicet S. Andreæ Apostoli, quæ sita est in Vallebenigna Ordini Cistercienſi, & vobis Domino Ioanni Abbati vice Christi eiusdem ordinis Magistro Præsidenti, & Monachis eius, & eorum successoribus iure hæreditario in perpetuũ possidendam. Tali tamen conditione & tenore, vt Cistercienſis Ordo Domino auxiliante illibatus, & integer in eo custodiatur, & in sæculorum sæcula fiat Abbatia, &c. Facta charta Vallisoleti VII. Kalẽdas Octobris Era M.CC.XIII.* Id est anno M.C.LXXV. Porrò quam pingue tunc cœnobium fuerit, ex eodem instrumento facile constat, quippe in quo referuntur illius bona *Villa eiusdem Monasterij de Palaciolis, villa de Munio Rubio, Ecclesia S. Petri de Quiñones Ecclesia S. Iacobi del Monte, Ecclesia S. Mariæ de Mædra, castrum & villa S. Martini del Fonte Talla, Ecclesia S. Mariæ de Velloſillo, Ecclesia S. Vincentij de Arreza, Ecclesia S. Emiliani in Dorio, cum riuis, pratis, pascuis, vineis, molendinis, & terminis illarum, &c. vt præfatum Monasteriũ S. Andreæ omnia ab antiquo noscitur possedisse.* Hæc de pingui cœnobij dotatione cum Cistercio accessit. Cæterùm quod de Ioanne Magistro Ordinis in eodem instrumẽto dicitur, censeo ad Abbatem Ecclesię Vallisbonæ, qui Guillelmo successit, non ad Abbatem Cistercij referendum. Quippe hic non Ioannes, sed Guillelmus, Alexandri successor ordine decimus: ille vero Ioannes appellabatur. Dicitur ibidem Magister ordinis intellige stabiliendi in Palaciolis, idque iuxta phrasin chartæ charitatis. *Abbas, ait, de cuius Monasterio domus exit, omnem curam habeat ordinationis illius, donec in illa Abbas instituatur.* Itaque Garcias Abbas primus creditur, qui Palaciolis Cistercium stabiliuit.

Abbatiæ restitutio seu confirmatio.

VI.

IOANNES II. CISTERC. II.

Garciæ Ioannem statim subrogatum, ex quodam instrumento coniici potest intra eumdem annum expedito post duos menses, in quo idem Ioannes Abbas commemoratur. Quid si anteceſſor Ioannes Garcias dictus, quod nostris commune, & nunc vno, nunc alio nomine gaudet? Cætera ignotus, & cuius nulla alia notitia subest.

VII.

MARTINVS I. CISTERC. III.

Martinus præerat anno M. C. LXXXIX. Quo ab Alphonso illustri Castellæ Rege impetrat priuilegium suo cœnobio, *quod de omnibus rebus, victualibus, & mercatis, quæ in ipsius regnis*

regnis emeret, venderet ve, aut aliunde deferret, nullum deberet soluere portagium: sed ab omni infestatione tam in eundo, quam in redeundo tuti deambulent. Facta charta apud Belforatum VII. Kalendas Maij Era M.CC.XXVII. id est anno M. CC.LXXXIX. *Quo inquit, Alphonsus Rex Legionis cingulo militari accinctus est ab eodem Rege Castellæ, atque eius manum osculatus est. Et consequenter eodem anno paucis diebus elapsis, supradictus Alphonsus Rex Castellæ Romani Imperatoris filium Conradum nomine in nouum militem armauit, & filiam suam ei tradidit vxorem.* Tempore huius Martini Abbatis S. Andreæ, & de ipso vt apparet, talis in Regestis Cistercij ad annum M. C. LXXXVII. mentio habetur, nisi forte ad antecessorem referatur. *De centum aureis Reginæ Hispaniæ iniunctum est duobus Abbatibus, S. Andreæ, minimum de Vallebenigna, & Bonæ vallis Toletanæ, vt inquirant veritatem, & sequenti Capitulo renuncient.*

VIII.

DOMINICVS I. CISTERC. IV.

Sequitur Dominicus ante annum M. C. XCIX. quo eius nomen instrumento subscriptum cernitur. Hic interfuit Concilio Episcoporum & Abbatum celebrato apud Hortam coram Martino Segundino iam ex Episcopo, ad instantiam Alphonsi Castellæ Regis, pro stabilienda Huelguensi Monarchia. Quippe in eiusdem actis nominantur. *Martinus Toletanus Archiepiscopus, Martinus Burgensis Episcopus, Ildericus Palentinus Episcopus, Martinus Oxomensis Episcopus, Guido Morimundi Abbas, Ioannes Vallisbonæ Abbas, Armenius Fiterij Abbas, Dominicus S. Andreæ Abbas, Antonius Abbas S. Cypriani, Peregrinus Abbas de Iranzu, Hispanus Abbas de Buxeto, Gundisaluus Abbas S. Petri de Gumiele.* Hæc apud Hortã.

IX.

GODEFRIDVS CISTERC. V.

Inuenitur ad annum M. CC. quo cum continua instituisset sacrificia, supplicationesque pro Rege & regno in S. Andrea quotidie peragendas; remunerationem ab eodem Rege accepit sub hoc tenore. *Quoniam pro remedio animæ meæ, & salute nostra, & pro fœlici incremento totius regni in Monasterio vestro, vnaquaque die diuina officia perenniter celebrari, ex sola vestra deuotione instituistis, facio chartã concessionis, & donationis Deo, & Monasterio S. Andreæ Apostoli, & vobis Domino Godefrido eius Abbati, &c. Facta charta in S Stephano Era M. CC. XXXVIII.* Eiusdem Godefridi plures aliæ, nec leues memoriæ suppetunt: sed ntra breue tempus, quippe anno M CC. III. iam subrogatus erat ipsius loco.

X.

DOMINICVS II. CISTERC. VI.

Breuioris adhuc præfecturæ Abbas, vtpote cuius successor inuenitur sequenti anno. Neque vlla eius notitia superfuisset, nisi ex vulgari quodam instrumento, cui anno M. CC. III. Era M. CC. XLI. subscriptus legitur.

XI.

VVILLELMVS CISTERC. VII.

VVillelmus præfuisse comprobatur Anno M. CC. IV. ex subscriptione alterius instrumenti, sed & sequenti M CC. V. à Rege Alphonso priuilegium impetrat quo Monasterium, atque eius possessiones, eas præcipuè, quas habebat Vallisoleti, ab omni Regio iure reddit immunes. Facta charta Vallisoleti Era M. CC. XLIII.

XII.

DOMINICVS III. CISTERC. VIII.

Guillielmo successit alius Dominicus huius nominis tertius circa annum M.CC.VIII. quo Rex Alphonsus insigni ad Nauas victoria recens potitus, villam de Palaciolis diœcesis Palentinæ, secundo lapide ab vrbe Vallesoleto, atque item secundo à S. ad Pisorici ripas, illustri viro Alphonso Tello cognomento Meneses, premium nauatæ operæ in bello contra Mauros dono dedit, instrumento Palentiæ confecto desuper die 28. Iulij Era M. CC. LI. Non stat adhuc an eo fine dederit vt Palaciola Monasterij S Andræ Alphonso Tello, donante, deseruirent. Illud compertum, eundem Alphonsum Tellum, annuente Alphonso cum

vxore,

vxore, atque vtriusque filio Henrico, necnon Episcopo, Capituloque Ecclesiæ Palentinæ fecisse illi chartam donationis. *Deo, & S. Andreæ de Valle-benigna, & vobis Domino Dominico instanti eius Abbati, & fratribus, sub Cisterciensi ordine ibidem Deo seruientibus, de Villa, quæ dicitur Palacuelos, quam obtinuimus à Serenissimo Rege Alphonso pro seruitio sufficienti & congruo, quod et in bello fecimus. Damus inquam, & concedimus vobis prædictam villam cum terminis suis, & c tali conditione, quod Monasterium illud, quod nunc est in loco, qui dicitur S. Andreas de Valle-benigna totaliter commutetis in locum prædictum, quam dicunt Palacuelos, vt Monasterium Cistercienſis Ordinis semper in eo vigeat, & ordo idem, scilicet Cistercienſis in perpetuum ibidem obseruetur. Facta charta Palentiæ prima die mensis Augusti Era M. CC LI.* Itaque permanserat S. Andreas sub Cistercio in loco primæ suæ fundationis, annos ferme XLVII. nempe ab anno M C LXVI. primam attendamus donationem: sed si secundam, in qua expresse cauetur Abbatiæ constructio, & tenor disciplinæ regularis, annos XXXVIII. Post quos de translatione statim actum, quamuis diu dilatum, ex his, quæ subiiciemus, facile constat Sequenti anno M. C C. XIV. Berengeria Regina Alphonsi filia, & Ferdinandi cognomento Sancti mater, dimidiam partem Villæ de Quiñones, Monasterio restituit, dubium qua occasione antea vsurpatam. Reliqua huius Abbatis ignota sunt, nisi quod anno M CC. XVI. inuenitur habere successorem.

XIII.

IOANNES III. CISTERC. IX.

Ioannes huius nominis tertius subscribit instrumento ab anno M. CC. XVI. Ei scribit Henricus Castellæ Rex, Alphonsi supranominati filius, atque exemptionem tributorum omnium indulget. *Facio chartam absolutionis & liberationis Deo, Monasterio S. Andreæ de Valle-benigna, & vobis Domino Ioanni Abbati, & vestris successoribus, atque vniuerso Conuentui Monachorum ibidem Deo seruientium, &c. Facta charta Era M. C C. L IV.* Eidem etiam inuenitur scribere Rex Ferdinandus cognomento Sanctus prædicti Henrici nepos, successorque. *vobis Domino Ioanni Abbati Monasterij S: Andreæ totique Monachorum Conuentui, &c. Facta charta Era M.CC LVI.* Extant & litteræ Honorij Papæ III. ad Archiepiscopos & Episcopos Castellæ, pro Fratribus Monasterij Palaciolensis, (sic enim nominantur in spe futuræ & instantis translationis) honorificæ satis & illustres, ab hoc Ioanne impetratæ, atque ab ipso expeditæ Laterani I V. Nonas Ianuarij Pontificatus ipsius anno I I I.

XIV.

EMILIANVS CISTERC. X.

Ioanni III. successor Emilianus circa annnum Christi M CC. XXX I V. quo ei scribit Gregorius Papa IX. magna cum, tum eiusdem Monasterij tum Cistercij totius commendatione. Datum Perusij I V. Nonas Iunij Pontificatus ipsius anno I X. Post quadriennium à Ferdinando Rege litteras suscipit multa ei indulgentes, & Monasterio, datas Vallisoleti, Era M. CC. L X X V I. id est, anno M. C C. XXXVIII. Cætera obscura, nisi quod præfecturam longe producit, aut inter ipsum successoremque alius mediauit, cuius ad nos notitia non peruenit.

XV.

ÆGIDIVS CISTERC. XI.

Post Emilianum sequitur Ægidius, cuius tempore, cum diu multumque laborassent Antecessores, cunctis dispositis, Monasterium translatum creditur: relicto in S. Andrea Prioratu, qui adhuc supereſt, sed sine vllis vestigiis Monasterij Ægidius ipse, atque eius Monasterium de Innocentio I V. commendantur litteris honorificis datis Lugduni V. idus. Septembris Pontificatus ipsius anno V I I I. Nec non & aliis paulo anterioribus datis ibidem pridie idus Iunij, Pontificatus ipsius anno V I I. Inuenitur etiam nominatus in instrumento anni M. C C. L I V. Eræ M. CC. X C I I. & aliquibus aliis subsequentium. Eius tempore Socrus sanctij Regis Domina Maior cognomento Alphonsi Molinæ infans, atque Mariæ Reginæ Castellæ Mater in Palaciolis sepulturæ locum accepit, vbi hodieque sepulchrum eius visitur.

XVI.

ALVARVS I. CISTERC. XII.

Cuius per instrumenta notitia subest ab anno M.CC.LXXVII.vsque ad annum M CC. XCVIII. Ei scribit Rex Sanctius cognomento Fortis, anno M. CC. LXXXIV. & anno M. CC.LXXXVIII multa neq;vulgaria priuilegia Monasterio,& vasallis eius indulgens,dupliciti titulo. *Por ruego de la Reyna Dona Maria mi muger, por que su madre iace enterrada en este Monasterio; è por facer bien y merced à fray Aluaro Abbad del Conuento desse mismo lugar*, &c. Extant & litteræ eiusdem Regis Sanctij ad omnes eius Præfectos ministrosque, Monasterium eximiè commendantes, & præcipientes illæsum conseruari; quæ expeditæ leguntur sub hoc Abbate Vallisoti die VIII. Maij, Era M. CCC. XXXII. Demum legitur adhuc priuilegium Sereniſſimi Ferdinandi I V. Castellæ Regis, ab Aluaro impetratum constat ex tempore, quamuis non exprimat Abbatis petentis nomen.

XVII.

RAMOS CISTERC. XIII.

Memoratur in quodam instrumento anni M. CCC. VIII. Neque vlla alia eius notitia nobis,nisi quod forsan notatur ex cognomine,quod potuit esse antecessoris,aut successoris.

XVIII.

GARCIAS II. CISTERC. XIV.

Cuius tempore anno M. CCC. XIII. tumultuante Regno sub Rege puero, Conuentus Procerum celebratus in Palaciolis sub Maria Regina Regis auia, pacem turbatam instaurauit. Extat Regis Alphonsi priuilegium eodem anno indultum Palaciolis cum hac clausula. *Por el amor y singular lealtad, quel Abbad y Conuento de Sancta Maria de Palaculos mostraron à la Reyna Dona Maria mi Abuela, y mi tutora: con qui en esta mi Chancilleria agora eneste ayuntamiẽto, qui ficieron en Palaʒuellos ella y el infante D. Iuan mio tio sobre el assossegnamiento de la mi tierra, &c. Dado en Valladolio à 22. de Deciembre Era M. CCC. LI.* Sequenti anno M. CCC. XIV. idem Garsias Palaciolensis Abbas donationem acceptat pinguem satis factã à quadam fœmina Illustri *Dona Maior Nuñez*, quæ se inscribit Vasallam Monasterij: viuebat adhuc Garzias post Ramos X V. & anno CCC. XXIX. à Rege Alphonso priuilegium aliud impetrat, datum Matriti die X. Iunij. Era M.CCC.LXVII.

XIX.

ANDREAS I. CIST. XV.

Cuius ab anno M. CCC. XXXII. inuenitur memoria, quæ per viginti ferme perseuerat. Ei scribit Alphonsus Castellæ Rex semel, & iterum; non tamen priuilegia nota indulgens, quam antiqua confirmans, & rata habens.

XX.

MARTINVS II. CIST. XVI.

Cui reuerenter scribit Petrus Castellę Rex cognomento Crudelis,eximiam tam in ipsum, quàm in Monachos præferens ipso indulto commendationem, Vallisoleti I V. Kalendas Maij anno M. CCC. LI.

XXI.

ALPHONSVS I. CIST. XVII.

Cuius exigua nobis notitia subest ex subscriptione vulgaris instrumenti, quod anno M. CCC. LIII. confectum legitur.

XXII.

MARTINVS III. CISTERC. XVIII.

Cui Rex Henricus Petri Crudelis frater successorque anno M. CCC. LXIII. scripsisse legitur,atque ob eius amorem concessisse, vt omnia,& singula tributa sibi debita, à Vasallis cœnobij, cœnobio ipsi,& Abbati illius cederent,nulla in eis sibi parte reseruata.

XXIII.

XXIII.

ALFONSVS II. CISTERC. XIX.

Ex Priore Monasterij Vallis-bonæ, creatus Abbas Ecclesiæ Palaciolensis circa annum M. CCC. LXXI. quo & confirmationem omnium priuilegiorum hactenus obtentorum ab Henrico Castellæ Rege impetrat. Nec multo post anno M CCC. LXXVI. à viro nobili Garcia Alphonsi cognomento Noreña, medietatem oppidi de Villa Velasco cum multis possessionibus, atque alia ab aliis dono accepit.

XXIV.

EMILIANVS II. CIST. XX.

Cuius temporis notitia certa nulla: nisi quod instrumentum sine data inter alia inuenitur sub eius nomine: alio loco commodius inserendus, quam hoc apparuit texenti seriem Abbatum. Ei aut quicunque fuit per illud tempus indulsit Ioannes I. Castellæ Rex, vt quinque, quos maluisset vasallos exemptos faceret ab omnibus tributis, datum Burgis I V. die Iunij anno M CCC. LXXXIX. Quo ab ipso eodem Ioanne Rege priuilegiorum impetrauit confirmationem.

XXV.

MARTINVS IV. CIST. XXI.

Extat legiturque memoria eius cum expressione nominis Martini in litteris Henrici Regis Castellæ datis Vallisoleti anno M. CCCC. I. neque creditur diu superuixisse nam sequenti anno M. CCCC. II.

XXVI.

PETRVS I. CIST. XXII.

Extat memoria Petri de Valdeuiesso Abbatis Palaciolensis repetita ad annum M. CCCC. VI. breuis non minus temporis præfecti, saltem, qui ad annum M.CCC.VIII. non peruenit. Hic, an successor, (neque enim vter constat) cum quatuor Episcopis & Abbate Hortæ legatus à Regina Castellæ Cæsar-augustam, coronationi Ferdinandi Regis Ioannis I I. 2 part. cap. 2 8. vt nos etiam alibi tradidimus.

XXVII.

IOANNES IV. CISTER XXIII.

Sequitur Ioannes Quartus huius nominis, cuius memoria supereſt in priuilegio Ioannis II. Regis Palaciola eximie commendantis, quod anno M. CCCC. VIII. legitur expeditum Vallisoleti. Supersunt & tria alia priuilegia eiusdem Regis Ioannis, alterum expeditum anno M.CCCC.XII. alterum M. CCCC.XVII alterum tandem M. CCCC. XX. noua semper indulta continentia, quæ impetrata creduntur ab hoc Abbate: addita in illis ab ipso Rege clausula. *Por que los Monges sean tenudos de roger à Dios por las almas del Rey, Don Henrique nuestro Padre que Dios perdone. è de los Reyes, on de nos venimos, è por la nuestra vida, è por la nuestra salud, è de la Reyna Dona Leonor mi muger*, &c. Crediderim manere adhuc vestigia primitiui Cistercij in illis Monachis, quorum se Reges muniendos orationibus, donis, & priuilegiis solicitabant.

XXVIII.

PETRVS II. CISTERC. XXIV.

Et eius tempore initia Congregationis.

Reformationis Hispanæ prima semina. Author.

Sequitur Petrus huius nominis secundus electus circa annum M. CCCC. [XXIII. plus minusve, cuius tempore disciplina monastica in Hispania, vt in aliis prouinciis, tepescente ne dicam dissoluta, suscitauit Dominus venerabilem, & vere magnũ virum Martinum cognomento de Vargas, sacræ Theologiæ Magistrum, atque in Decretis non leuiter instructum, & Bacchalaureum, cum aliquibus sociis, per quos, (non secus atque olim per Robertum, & Albericum, Stephanumque) in Cistercio primum, mox ad eius exemplar in cæteris familiis, ad pristinum nitorem, & primitiuam obseruantiam reuocaretur. Is nobili in Bætica prouincia, oppido natus, quod antiqui Asſidonam, recentiores *Xeres de la frontera* vulgo nominant, ac litteris, tum sacris, tum prophanis supra mediocritatẽ imbutus, Geronymianam, vt Benedictus Pena tradit c. 11. professus regulam (in Italia, vt opinor, nam qui in Hispania eandem

prosi

profitentur, vix dum mundo exorti per ea tempora) cum multa apud Martinum V. qui tunc Romanæ Ecclesiæ præsidebat, polleret gratia, (cui à sacris tum concionibus, tum confessionibus, fuisse, Petrus Alcocerius, integræ fidei author, in sua Toletana Historia lib. 2 cap. 18. testificatur) honoris forsan, qui ei exhibebatur humiliter pertæsus, an alia occulta causa, latere cupiens ad Hispaniam reuersus, in Aragonia (prouincia longè dissita à natali eius solo, nec constituta sub eodem Rege) & perillustri Petræ Monasterio Tirasonensis Diœcesis, nouo feruore, de Pontificis licentia, Cistercienſe institutum æmulabatur. Transierit ad nostros arctioris vitæ zelo, in dubio est, & vix audebo concedere, aut negare; quamuis Petræ cœnobium, si quid aliud, religione florebat, per id tempus. Illud compertum, ex quo Cistercium induit, perfectionem Cistercij suspirasse: nec quidquam aliud altiùs doluisse, quam quod primitiuum illum feruorem, rigorémque legere, & admirari posset, non imitari. Et erant in eadem domo Monachi, Martinus de Logroño, Petrus de Bertauillo, Gregorius de Medina, Robertus, & Didacus vterque de Valencia, Benedictus Orozco, Didacus de Ouiedo, & alter Didacus dictus de Monreal, Gundisaluus de Tortoza, atque Michaël de Quenca, quos idem perfectionis zelus solicitabat. *Socij.*

II. Communicato cum omnibus consilio, (vt in Molismo olim, qui primi Patres Cisterciũ fundauere) sed vno tantum socio secum assumpto, Michaële de Quenca, profectus Romam, atque in Sanctæ Cæciliæ Monasterio primùm occultus, & solum Deum precibus solicitans; mox in publicum prodiens, ac propositum pandens, quod sibi curæ, ab Antonio Cardinali Bononiensi (Episcopus erat Portuensis) reliquisque, sed maximè à Martino Papa V. gratanter susceptus, pro erigendis duobus Monasteriis siue, vt ipse vocabat, eremitoriis, quæ primitiuũ Cistercium orbi redderent, litteras impetrauit die 24. mensis Octob. Pontificatus ipsius anno VIII. qui fuit Christi M CCCC. XXV Extant Tom. 3. Priuilegiorum, priuilegio 1. Summa illarum, vt duo illa eremitoria, seu monasteria in regni Castellæ, aut legionis (dubium cur non Aragoniam etiam incluserint?) posset construere, in quibus regula P. Benedicti, atque leges Cistercij ad vnguem obseruarentur. Vt Prælati Priores, non Abbates; neque perpetui essent, sed triennales: vt Monasteria ipsa à Capituli Generalis, atque Abbatum tum Petræ, tum Cistercij immediata coarctione eximerentur; vni tantum subiecta Reformatori, ex ipsis, & ab ipsis eligendo. A quo tamen si fortè deuiaret, ad Populeti Abbatem (is Pater Monasterij Petræ est) recursus pateret. Martinum ipsum quandiu in viuis foret, quod sic poscerent alij, Reformatoris officiis præstiturum. Ipso defuncto, qui subrogarentur, ad quinquennium dumtaxat eligendos. Demum quod Monachi cæterorum monasteriorum ad dicta eremitoria, petita, licet non obtenta licentia, transire, & omnibus ac singulis indultis, quibus in suis cœnobiis potiebantur, potiri possent. *Annus Christi* M. CCCC. XXV.

III. Hæc summa petitionis omnium fuit, cui Pontifex Martinus benignè annuit, causam duobus Abbatibus committens, alteri de Salas Burgensis Diœcesis (quam dignitatem tunc illustrissimus Ioannes Presbyter Cardinalis, tituli S. Petri ad vincula Archiepiscopus Hispalensis, vulgo *el Cardenal de Seuilla* dictus, administrabat) alteri Vallesoletano, qui nunc Episcopus, tunc intra Diœcesim Palentinam continebatur; per quos, aut etiam per quemlibet illorum totum negocium ad effectum perduceretur. Ergo ad prædictum Cardinalem Hispalensem delatis litteris, cum omnia vera, & certa cognouisset, amplam Martino concessit facultatem, quæ extat Tom. 3. Priuilegiorum, eadem erigendi eremitoria, & cætera faciendi, quæ in litteris Pontificiis continebantur; Romæ in ædibus propriæ habitationis die 7. Iunij sequentis anni, qui fuit nonus Pontificatus Martini V. Christi, M. CCCC. XXVI. M. CCCC. XXVI.

IV. His porrò litteris ab vtroque impetratis, eodem anno M. CCCC. XXVI. ad Hispaniã reuersi Martinus & Michaël, ac socios primum Petræ cõsolati, quorumq; precibus prospere reuersos gratulabãtur: mox inde egressi, dum Castellã peragrant reformationis iacturi prima fundamina in loco opportuniori, qui se offerret, Toleti, à piæ memoriæ viro Ildefonso Martinez Canonico & Thesaurario S. Ecclesiæ susceptí hospicio, quamuis à multis parcus, ab aliis etiam auarus reputaretur: audito eorũ proposito, profusus, certe magnificè liberalis inuentus est, multa vltro promittens ad preciũ fundi, si quis fortasse placeat, multa ad cœnobij, si quod construeretur, fabricationẽ. Cum ergo varia loca peragrarẽt ad ripas Tagi fluminis dimidio ab Imperiali Vrbe lapide inuenere locum dictum de *Venhalaia*, aliàs *la Vega de San Roman*, iuxta rupem, quæ vulgo *Peña ventosa*, peramænum omninò, atque reconditum; de quo cum ab Alphonso quòd aptus appareret, Magister Martinus de Vargas requireretur; dicitur respondisse Psalmistæ verbis, *Hæc requies mea in sæculum sæculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam.* Pecunia Alphonsi fundus emptus est, & dispositus locus ad opus fabricæ. Missum deinde ad Archiepiscopum Toletanum, tunc Tauri commorantem, ne quid ipso inconsulto, intra eius ditionem perageretur. Haud aliter Cistercij Patres olim Cistercium fundaturi, nihil prætermisserunt, quo eorum possit factum roborari. Ille gratulans sibi simul & vrbi tam *Initium.*

Sancti operis tempus, locumque, Toletanis Decano atque Capitulo has pro expediendo negocio, litteras dedit, quas quia non video alibi vulgatas, operæ pretium duxi, si hic subiungerẽ.

V. *Don Iuan per la gracia de Dios Arçobiſpo de Toledo, Primado de las Eſpañas, Chanciller Major de Caſtilla, &c. à vos el Deam y Cabildo de la nueſtra Yglesia ſalud y bendicion.*

Sepades, que Fray Martin de Xerez, y Fray Michel de Quenca Monges de la orden de S. Bernardo vinieron à nos, è nos dixeron en como ellos, querian fazar vn Eremitorio entre eſſa ciudad, y el Monaſterio de Corral-rubio à la mano y zquierda encima de los batanos, enel qual lugar dizque ellos è otros Monges querian eſtar è morar, è ſeruir à Dios ſo la regla è habito de San Bernardo. E pidieronnos, que les dieſſe mos nueſtra licencia è conſentimiento, para poder fazer, è edificar de nuouo el dho Eremitorio. E por quanto nos non podemos aca plenariamente ſer informador de los ſobre dicho, porende confiando de la vueſtra buena ſatiduria è fidelidad por la preſente vos cometemos, è encomendamos, que vos informades cerca de todas las coſas, que enel preſente negocio ſe vos entendiere, que requieren informacion. E ſi conſideradas, è acatadas las coſas, que ſe deben conſiderar è acatar, fallaredes, que en conſtruir el dicho Eremitorio, ò Monaſterio enel dicho lugar es ſeruicio de Dios, ſin perjuicio de ninguna Yglesia, ò de otra perſona, ò de las nueſtras rentas è derechor, è que el dicho Eremitorio es dotado ſufficientemente para ſubſtentacion è manteminiento de los Religioſos, que enel ouieren de eſtar (ſobre lo qual todo eneargamos vueſtras conciencias) les dedes por nos & por nueſtra autoridad nuoſtro conſentimiente por alo poder aſsi fazer. Para todo lo qual por la preſente vos cometemos nueſtras vezes, è damos nueſtro poder cumplido. En teſtimonio de lo qual mandamos dar eſta nueſtra carta a bierta firmada de nueſtro nombre, è ſellada con nueſtro ſello en las eſpaldas. Dada en Toro à veinte y tres dias del mes de Diciembre del año de mill quatro cientos y veinte y ſeis. Ioannes Archiepiſcopus Toletanus. Hæc illo anno.

Et fundatio primi cœnobij. M. CCCC. XXVII.

VI. Sequenti M.CCCC.XXVII. Capitulum Eccleſiæ Toletanæ, cum omnia inueſtigaſſet, & perpendiſſet, die V. Februarij, conſenſum præbuit Cum tamen prius de eius conhibentia XXI. die menſis Ianuarij, vt tradit Alcocerius vbi ſupra, quæ dies Virgini Agneti ſacra eſt, primus ædificio lapis ſolemni ritu & pompa ſubiectus fuerit: conſeruata memoria ſolemnitatis anniuerſaria die, quæ ſemper Monachis celebris habetur, vſque ad hæc tẽpora.

VII. Idem, qui ſupra Petrus Alcocerius author eſt magnum illud oſtentum ſortis humanæ, & fortunæ ludibrium D. Aluarum de Luna ſumptuoſo ædificio tentaſſe Monachos, quod ſibi deſignaret in ſepulturam. Sed ſpretam ſuperbiam à viris Sanctis, & potentiam calcatam, deſiliiſſe, indéque in primaria vrbis Eccleſia conſtruxiſſe ſacellum, quod hodiéque præſefert Regium faſtum, atque opulentiam inſignem fundatoris. Monaſterio à Monte-Sion inditum nomen, quod inde lex Reformationis nouæ, auſpice Deo proditura ſperaretur: præmiſſa tamen communi ſemper noſtris, neque vnquam omittenda S. Mariæ glorioſa aduocatione.

Martinus de Vargas primus Reformator.

VIII. Tum vero ibidem, relicto Michaële, qui paruam ædem, quæ hodiè perſeuerat in collis vertice cum Virginis icone miraculoſa, & cellulas contiguas, quandiù ſurgebat opus inhabitandas, properanter inſtrueret, Martinus Aragoniam profectus eſt, & Petram viſitans, ac vale dicẽs fratribus in ipſa remanſuris; quos ſui propoſiti ſocios habuiſſet, (iunctis duobus aliis, quorum nomina heu! intercidere) Toletum duxit, in noua domo Ciſtercium redituros. Ipſe tunc Prior ſimul & Reformator exigui monaſterij, cætera per Caſtellam & Legionem, Galæciamque, quæ ad Montis-Sion imitationem reformanda ſperabat, in Deo ſemper confidens, & Virginem aduocatam implorans, præſtolabatur. Hoc obſeruantiæ Hiſpaniæ (primæ vt credo inter omnes, quæ ex Ciſtercio prodierunt) initium fuit.

M. CCCC. XXIX.

IX. Anno M.CCCC.XXIX. plus minúſve deceſſit Petrus Palaciolenſis Abbas XXVIII. nulla alia memoria ſui relicta.

XXIX.

MARTINVS V. CIST. XXV.

I. Succeſſit Martinus huius nominis quintus cognomento *de Angues*, ſiue *de Clanguas*, neque ipſe alia re inſignis, niſi quod obſeruantiam, cuius tamen regimini cœnobium cui præerat deſtinabatur, ignarus rerum, an diſciplinæ timidus, auerſatus eſt, vt ſuo loco inferius declarabimus.

M. CCCC. XXX. *Vallis-bonæ acceſſio.*

II. Sequenti anno M.CCCC.XXX die IV. menſis Martij, ſiue vt alij volũt die 16. menſ. Aug. cum Monaſterium S. Mariæ de Valle-bona Palentinæ Diœceſis Monaſticæ diſciplinæ habenas vltra modum laxaſſet, & proprio patre Ioãne de Medina per vim eiecto, à quodam Ferdinando de Moreruela, aliàs de S. Colomba intruſo detineretur: viſitante ad clamorem vicinorum, atque Regis mandatum, Palentino Epiſcopo; atque vero Abbate ſuum conſenſum,

sum, Ioanne II. Rege suum auxilium libenter & potenter impendentibus, dispersi per diuersa loca Monachi, atque Abbas intrusus eiectus est; vt Monasterium cum nouis habitatoribus in Montis-Sion obseruantiam pertransiret. Tunc vocatus Martinus domum accepit de manu Episcopi, subrogans eam pro secundo eremitorio, quod sibi fabricare, renouando Cistercio; concessum fuerat; adductis interim de Monte-Sion Monachis, atque inter alios Petro de Bertauillo, & Ioanne de Tortosa, qui in eodem Monasterio vsque ad vltimum vitæ perseuerarunt, (nam reliquos ad Montem-Sion rediisse, firma iam obseruantia, traditio est) & suppressa Abbatiali dignitate, Prioratum instituit, cui ipse, velut opulentiori, præesse voluit. Subrogato in Monasterio Monte-Sion Priore Martino de Logroño, viro Sancto; & qui ægrè ad acceptandum, nec nisi obedientia cogente, adduci potuit.

III. Anno M. CCCC. XXXII. Martinus de Vargas, misso ad Romanam Curiam Gregorio de Medina (altero è sociis, quos de Petra secum adduxerat, qui & interfuit Concilio Basilienſi) cum litteris Ioannis II. Castellæ Regis, constructionem cœnobij Montis-Sion, nec non & aggregationem Vallis-bonæ ad nouam obseruantiam, consensu eiusdem, & veri Abbatis factam, ab Eugenio III. confirmari petiuit, obtinuitque, litteris expeditis Romæ apud S. Petrum, VIII. Kalendas Februarij, Pontificatus ipsius anno II. quæ extant Tomo 3. priuilegiorum. Porro de hoc indulto, quod inter priuilegia obseruantiæ tertium est Martinus Vargas, gratiam referens, Ioanni II. scripsit in hæc verba. M. CCCC. XXXII.

IV *Muy poderoso, esclarecido, è inuictissimo Principe, Rey y Senor.*

Las gracias qne el Sancto Padre Apostolico, per contemplacion de vuestra Real Alteza, otorgo à perpetua memoria en fauor de la obseruancia regular de la orden de San Bernardo, como la que el Spiritu Sancto en vuestros tiempos, qui so que se commenzasse cerca de la muy famosa, noble, è Imperial Ciudad de Toledo, è despues se ha propagado en vuestro Monasterio de Valbuena, como se espera dilatar per otros lugares de vuestros Reynos, cooperante la su gracia, è interueniente la vuestra proteccion son los siguientes. Et prosequitur summam priuilegij, atque indultorum in ipso contentorum; quæ tamen in eodem priuilegio videri possunt.

V. Biennio post pro sex aliis Eremitoriis de nouo construendis, seu sex aliis constructis acceptandis, atque nouæ vniendis congregationi, indultum adipiscitur: conseruata in Abbate Populeti, per modum recursus, si iurgia, aut lites emergant, iurisdictione: & repetito, quod Martino de Vargas vita functo, Monachi Montis-Sion, & Vallis bonæ, cum Monachis aliorum Monasteriorum deinceps vniendorum, Reformatorem eligant, cui in omnibus, & per omnia subiecti maneant. Hæc & alia concessit Eugenius IV. nouæ obseruantiæ Monachis duplici instrumento, dato vtroque Florentiæ VII. Kalendas Decembris Pontificatus ipsius anno IV. qui fuit Christi M. CCCC. XXXIV. quæ cuncta creditur impetrasse Gregorius de Medina, qui eumdem Pontificem ab anno M. CCCC. XXXII. in partibus diuersis sequutus dicitur. M. CCCC. XXXIV.

VI. Anno M. CCCC. XXXVII. generalis remissio peccatorum obtenta est pro viris, siue fœminis; illis, si Ecclesiam Monasterij Montis-Sion; his, si capellam extra clausuram positam (neque enim fœminas Ecclesias Cistercienſium licebat ingredi) deuote visitarent, & manus adiutrices simul porrigerent, promouendo ædificio, quod ægrè Monachi valebant continuare. Eodem item, reclamante Ferdinando de Sancta Colomba, Vallis-bonæ Abbate olim intruso sed mox deposito, rès ad Eugenium iterum delata, iterumque tum eius depositio, tum reformatio cœnobij Vallis-bonæ confirmata ab ipso, & Monasterio ab obedientia Abbatis Berdonarum, cui iure patermitatis suberat, exemptum est, ac soli Reformatori subesse iussum. Ita tamen vt dignitas Abbatialis in eo & si non perpetua; tamen de triennio ad triennium innouanda restitueretur. Et Monasteria, quæ Valli-bonæ suberant, si nollent reformari, ab ipsa exempta, atque aliis pro arbitrio subesse iussa. Qua occasione, Martinus Palaciolensis, cum nec Reformationem admittere, nec patri reformato subesse vellet; Abbatem Superadi in Gallæcia Compostellanæ Diœcesis elegit in Patrem, cui deinceps, filiationis iure, vt hactenus Abbati Vallis-bonæ, subiiceretur. M. CCCC. XXXVII.

VII. Eodem anno *Monasterium Vallis-Ecclesiarum* (*ait Author vnionum*) *Toletanæ Diœcesis vacans per obitum cuiusdam Petri Abbatis, Eugenius IV. motu proprio, & non ad alicuius partis instantiam, ab omni superioritate, & visitatione Monasterij de Espina Diœcesis Palentinæ, cui subesse dignoscebatur, segregauit, atque Abbatiali dignitate perpetua in eo extincta, illud cum omnibus suis iuribus, & pertinentiis vniuit regulari obseruātiæ Monasterij Montis Sion Toletanæ Diœcesis regendū & gubernandū in spiritualibus, & tēporalibus per Abbatem triennalē per Monachos eiusdē Monasterij singulis triennijs eligendum iuxta ritus, ceremonias, & regularia instituta dicti Monasterij Montis-Sion.* Hactenus autor in illo Tomo 3. Sed latuit ipsum post expeditas litteras vnionis, defraudatas effectu per longū tempus, nē- *Et Vallis-Ecclesiarum diu dilata.*

pe vsque ad annum M. CCCC.LXXXV. impetrata ab eodem Pontifice Abbatia per Ioannem cognomento *Bernal*, qui illam occupauit, quandiu vixit: atque ipso defuncto, subrogato Alphonso Matatoros, cui tertius alius successit Bartholomæus, quo tandem mortuo circa annum M. CCCC. LXXXV. non in vi prædictarum litterarum, quæ iam inoleuissent; sed aliarum, quæ sex alia Monasteria, & aliarum, quæ octo vniri, concedebant, Vallis-Ecclesiarum cœnobium vnitum est, vt suis loco, ex tempore dicemus.

VIII. Eodem anno reuocatur priuilegium Martini V. in quantum statuit, Monacho obseruantiæ Abbati Populeti immediate post Reformatorem subesse, ac eundem Reformatorem per eum confirmari debere. Præcipiturque, vt solus Abbas Cistercij, gradatim post Reformatorem, causas determinet, & personaliter Monasteria obseruantiæ visitet; ita tamen vt in nullo casu cuiquam alteri eadem visitandi, aut corrigendi potestatem valeat delegare. Addito, quod si ad prosequendas appellationes idem Abbas Cistercij, vtpote in alio Regno constitutus, adesse nequiuerit. Prior S. Benedicti Vallisoleti, (neque enim tunc per Abbates gubernabatur) vice Abbatis Cistercij designatur, qui velut eius substitutus, & commissarius, authoritate ipsius causas determinet. Bononiæ VII. Kalendas Octobris anno M. CCCC. XXXVI.

IX. Quo item anno cum nouæ spes aliorum cœnobium reformandorum, Eugenij IV. gratia, atque Regum Castellæ fauore quotidie crescerent, visum est, regimen futuræ congregationis legibus præuenire, vt in Cistercio per chartam charitatis olim factum; atque ex pluribus; quas præstolabantur Ecclesiis, vnum corpus efficere, in quo vinculis iustitiæ & charitatis, quæ dissolui non possent, coniungerentur. Iniuncta tunc celebranda capitula de triennio in triennium, ad quæ omnes Abbates conuenirent; & nomine conuentuum Procuratores à Monachis ipsorum eligendi. Porro vtrorumque suffragiis designandum, qui Capitulo præesset, ne Reformator, qui tunc Perpetuus erat (Magister Martinus) pondere authoritatis alios traheret, aut ipsi affectu filiali, sed cæco, inconsulto post eum irent. Adiuncti Præsidi sex Diffinitores, quorum primus Reformator esse deberet; reliqui quinque, vnus ab ipso Præside, quatuor ab vniuerso cætu designarentur. His septem viris indulta potestas plena corrigendi, emendandi, & cætera faciendi, quæ in Capitulis Cistercij generalibus fieri consueuere. Quin condenti statuta, legesque, atque eadem abrogandi, provt ex vsu esse censerent. Ab his eligi iussi Visitatores, qui vniuersa cœnobia visitarent, idque in plenaria potestate Ordinis, sicut & Reformator: nisi quod tamen Abbates, Abbatissasve, si culpæ exigerent, vtrique eorum suspendere valerent, neutri deponere, quoad vsque per Capitulum prouinciale, si ita opus esset, deponerentur; medio tempore designata potestas singulis, & Reformator quædam cum vno tantum, præses alia cum duobus deputatis ex eisdem eligendis Diffinitoribus; Diffinitores ipsi alia præstarent, nec quisquam transiliret terminos suos. Hæc & similia per anticipationem, & bona fide, in spe Monasteriorum vniendorum constituta videntur, & confirmata ab eodem Eugenio Papa, non sine graui nouæ tunc obseruantiæ commendatione. Extat de hoc priuilegium octauum numero, Tomo illorum 3. Datum Bononiæ VII. Kalendas Nouembris hoc ipso anno. Qua etiam die multa alia indulta Reformatori, & cæteris Abbatibus, quæ facile in priuilegio 9. videri possunt.

X. Eadem die declarata quædam dubia, atque alia concessa extensaque ad cœnobia Aragoniæ Petram, & Sanctam fidem (nec de hoc vltimo constat ob quam causam) sed dependenter à Reformatore pro tempore existente, qui cuncta interpretetur & declaret. Iussus & tunc eleuari calix in Missa post eleuatam Hostiam; & prohibiti ministri (quod antea consueuissent) sub vtraque specie communicare. Atque hæc omnia præcepta indultaue viuæ vocis oraculo, cui fidem facit Ludouicus Episcopus Triuicenus olim primus Abbas obseruantiæ regularis Monasterij S. Iustinæ de Padua. Datum Bononiæ in Palatio Apostolico dum præfatus Eugenius in præfatam ciuitatem curiam teneret die 10. mensis Nouembris anno M. CCCC. XXXVII. Crediderim Venerabilem Magistrum Martinum de Vargas adiisse Pontificem, atque exauditum pro sua reuerentia impetrasse hæc omnia, quibus, & suæ potentiæ modum poneret, (quod ô vtinam omnes alij, qui præsunt, imitarentur!) & nouæ plantationis incrementa (quæ tamen nunquam vidit) stabiliret.

XI. Porro vt ea grauius maturiusque debitæ executioni mandari possent, & maius obtinerent pondus authoritatis idem Eugenius Toletano Præsuli Hispaniarum Primati in mandatis dedit, vt primum illud pusillæ adhuc familiæ congregaret Capitulum, cui interesset simul, præesset que, formam præscribens cæteris, quæ deinceps celebranda præcipiebantur. Cuius tunc prouidentiæ singularis, tum grati in nostros animi extant hodieque litteræ ipsius eodem anno, mense que expeditæ, quamuis non dum vulgatæ, quæ ita habent.

Eugenius

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Admonet nos suscepti curæ regiminis, & authoritas Pontificalis inducit, vt pro fidelium, præsertim Religionum statu salubriter diligendo paternæ considerationis acie solicitè meditantes, eorum occurramus dispendiis, atque indemnitatibus consulamus, vt nostræ prouisionis ope prosperis iugiter proficiant incrementis. Cum itaque nos nuper per alias nostras litteras, motu proprio & Apostolicæ authoritate statuerimus, quod in Castellæ & Legionis regnis in singulis triennijs per dilectos filios Abbates, Monachos & Religiosos Monasteriorum Ordinis Cistercienſis in dictis regnis consistentium pro salubri ipsorum Monasteriorum directione celebretur Capitulum generale. Cupientes igitur, vt celebratio huiusmodi sine aliqua difficultate, & omnino salubriter succedat, motu proprio, non ad ipsorum Abbatum, aut Religiosorum instantiam, Venerabili Patri nostro Ioanni Archiepiscopo Toletano, hac prima vice dumtaxat, quoscumque dicti Ordinis Abbates, Monachos & Religiosos, de quibus sibi videbitur, ad aliquod dicti Ordinis Monasterium, vel alium congruum locum, pro huiusmodi celebrando capitulo conuocandi, plenariam fecimus potestatem. Nec non Abbatibus, Monachis & Religiosis prædictis, vt ad huiusmodi Capitulum personali impedimento cessante legitimo, alioquin per Procuratores suos idoneos cum pleno & sufficiente mandato, & quod dictum capitulum celebretur secundum formam per nos traditam, & statutum per censuram Ecclesiasticam, & alia opportuna iuris remedia compellendi, & coercendi eandem plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem. Non obstantibus &c. Datum Bononiæ VII. Kalendas Nouembris, Pontificatus nostri anno 7. Hatenus litteræ, & contenta in eis authoritas primi illius Capituli, ad quod duo tantum, (neque enim plures erant) nouæ obseruantiæ Abbates conuenere.

XIII. Porrò ne quid in eo contra Cistercium agi, aut deliberari præsumi posset; neve Cistercium impedire tentaret, quæ adeò prouide & mature disponebant; sequenti anno M. CCCC. XXXVIII. idem Eugenius Papa nihil omittens, requisitus ab Abbate Montis-Sion, quem Magister Martinus ad hoc miserat, Cistercienſi Abbati, atque vniuerso capitulo scripsit paternalem epistolam, quam quia neque ipsa alibi vulgata est, præcedenti subiungam. Sic autem habet. M. CCCC. XXXVIII.

XIV. *Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Abbati Cistercij, ac cæteris eius Ordinis Abbatibus in Generali Capitulo apud Cistercium congregatis, salutem & Apostolicam benedictionem.*

Cum ad nostram notitiam dudum peruenisset, tam ex significatione nobis sæpenumero facta pro parte charissimi in Christo filij nostri Regis Castellæ & Legionis, quam fama dietim crebrescente, ordinem Cistercienſem in partibus Hispaniæ plurimum à primeua Patrum institutione declinasse, adeo vt qui miraculis, virtutibus, & Sanctis operibus antea claresceret; nunc in spiritualibus, & temporalibus destitutus, non religio, sed quædam sæcularium minus composite viuentium dissolutio videretur: appareretque prout nobis quotidie nuntiabatur, ordinem ipsum nisi celeriter occurreretur, in totum miserabiliter ruiturum. Facta diligenti inquisitione conspeximus, ea omnia & similia ideo euenisse, quia in ipso regno prædicti Ordinis professores neque Capitula celebrant, neque visitationes cum debito rigore, ac zelo Dei & Ordinis exercent. Quare cupientes, prout ex debito pastoralis officij desuper nobis iniuncti tenetur, ne ordo ipse corruat, manum apponere; & vt conseruetur, reparetur, dilatetur, & fœlicibus successibus propagetur; sperantesque prædictum Regem, qui eidem ordini eximie afficitur, prouisiones nostras, & remedia faceret adimpleri: ordinauimus certam formam perpetuis temporibus duraturam, quam ex litteris Apostolis desuper confectis diffusius intelligetis. Hortamur itaque in Domino deuotionem vestram, vt (quod sponte vestra & solo Religionis zelo facere deberetis) ad nostram, & dicti Regis complacentiam, imo pro celeberrimi Ordinis vestri conseruatione, & ampliatione nostras huiusmodi ordinationes accipere, amplecti, & obseruare velitis; & non solum difficultates quascumque & obstacula separare, sed ipsas ordinationes, si quo potestis modo strictioris normæ obseruantia stabilire. Cæteras, quam primum apud vos lectæ, & registratæ fuerint, Latori præsentium, Montis-Sion Abbati eiusdem Ordinis, volumus assignari. Datis Ferrariæ anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. XXXVIII 9 Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno VIII. Ita Eugenius. Cuius litteræ ab Abbate Montis-Sion ad Capitulum generale delatæ, & in eo lectæ, perlectæque, indignationem conceptam in nouitatem, vt non extinxerint, saltem temperarunt.

XV. Eodem anno adiisse Ferrariam constat Magistrum Martinum, cum Monachis duobus, Gregorio de Medina, vt puto, Philippoq;, atque interfuisse generali synodo Latinorum, & Græcorum, quam Eugenius ibidem celebrauit. Indeq; eum sequutum ad Florentiam, atque vtrobique ab eo multa impetrasse viuæ vocis oraculo, quibus Christophorus Episcopus

Ariminensis, & Ioannes cognomento de Mella Legionensis elactus fidem faciunt. Extant in perantiquo M. S. cœnobij Vallisbonæ digna, quæ typis cum aliis cussa in lucem prodeant. Demum iam ad Hispaniam reuersuro, quam multa concessa, pro se & vtroque socio, & pro vniuersa suorum congregatione, idemmet M. S. supradictorum signis testata habet.

XVI. Reuersus porro ad suos alia adiecit confirmanda à Pontifice, quæ expedire putauit nouæ obseruantiæ. Inter quæ, vt resignatio Reformatoris, siduplo maiori parti Capituli placuisset, acceptari valeret: quin & si eidem parti visum esset, atque res ita exigerent, Reformator vt sponte renuntiaret, requiri posset. Quod si renuerit, biduo à requisitione omni iurisdictione priuatus maneat, atque alius subrogetur ipsius loco. Confirmatum triennium pro Abbatibus, atque quinquennium pro Reformatore post obitum Martini: grauissimis, censuris & pœnis latis in eos, quicumq; procurarent prorogationem. Atque hæc omnia confirmata Ferreriæ sunt IV. Kalendas Iulij anno M. CCC.XXXVIII. Quo ipso mense, & si non eadem die duo alia priuilegia obtenta sunt XII. & XIII. adeo nihil denegabat Eugenius nouæ familiæ.

XVII. Eodem anno in Monasterio Montis-Sion cum insigni opinione sanctitatis obiit Venerabilis, & Deo dignus Pr. Martinus de Logroni, cum pro paucis, quo dudum accepisset viginti & qnatuor Monachos in diuino seruitio feruentissimos, atque sibi superstites futuros in eodem cœnobio congregasset. Sepultus est ab ab eis in medio Choro, vt quem viuum non possent, mortuum saltem præsentem intuerentur in loco, in quo frequentius congregabantur. Reliquis memoratur in Menologio ad tertiam decimam diem mensis Augusti. Porro quo anno vir pius viuere desiit, Habitum in eadem domo induit Martinus alius cognomento de Cubas, (quòd in eo oppido pastoris animarum exercuisset) laudabili tum zelo, tum prudentia, quæ virum alias doctum piumque redderent admirandum vicinis populis, quæ tanti Patris iacturam compensaret.

M. CCCC. XL. XVIII. Anno M. CD. XL. crescente in dies opinione sanctitatis Monachorum Monasterij Montis-Sion, Ioannes II. Castellæ Rex, deuotione in ipsos, atque in Martinum de Vargas fundatorem, non contemnendam summam, tum pecuniæ, tum tritici, & ordei cœnobio dedit, ex vectigalibus vrbis Toletanæ percipiendam per annos singulos. Quam postea Ferdinandus Castellæ & Aragoniæ Rex, cognomento Catholicus, adauxit, & perseuerat cœnobio vsque ad hanc diem.

XIX. Multa post hac Martinum passum fuisse à suis, an ab extraneis, traditio est; carceri mancipatum semel & iterum, tum Ferdinando agente in Valle-bona, qui Monasterium, absente ipso, inuaserat; nec nisi Regia potentia (adeo omnia pessum ibant) aut educi de carcere, aut inuasor à domo expelli potuit: tum incerta alia causa, authoreq;, sed validis haud dubie; quippe quibus vrgentibus, ad Montem-Sion ductus, atque ibidem indigne detentus est, quo ad vsque ad potiora transiturus, carceri finem fecit simul & vitæ. Obiisse dicitur in dicto Monasterio, quod ante annos viginti ædificauerat, igne tribulationum defœcatus, vt pax est credere, atq; opinione sanctitatis clarus die II Iunij anno M CCCC.XLVI. Non adsunt tamen qui in Monasterio Vallis Ecclesiarum obiisse tradant, nescio quibus indiciis, aut coniecturis. Forte ab Abbate eiusdē Monasterij Ioanne Bernal, dum alter pro se, pro vnione alius litigat violenter captus, atque in suum Monasterium adductus est: quasi non aliter speraret causa potiri. Quod si ita fuit, vir arcano cœlesti caruisse credam, quod ex tribus Ecclesiis, quas reformauit, aut reformare voluit, vt Mons-Sion, authore tanto Patre, Vallis-bona Abbate quandiu vixit, sic Vallis-Ecclesiarum eius exuuiis gloriaretur in morte & possessionem, qua viuus fraudatus fuerat insignis Monasterij mortuus caperet, aut ipsa sepultura designaret, tandem per eius filios capescendam. Vbicumque decesserit, sepulchrum eius obscurum relictum est, atque incognitum nobis: adeo orphanos filios occupauit, aut incuria, aut dolor. Nisi forte nouarum rerum cupidos, & longæ dominationis iam pertæsos, quæ plerumque conditio hominum est, velut absorbuit electio successoris. Eugenius IV. cum primum defunctum nouit, virum, eximiè laudat priuilegio 14. dum ita ait: *Consideratis grandium virtutum meritis, quibus altissimus personam eius insigniuerat, & seruitiis, quæ nobis, & Apostolicæ sedi impenderat &c.* Henriquez Menologio suo inseruit, dubia, vt cæteros, fide, quippe ad diem 6. mensis Aprilis; tamen obiisse secunda die Iunij in antiquis Schedis notatum video: & consonat Ludouicus Estrada Vallis-bonensis, atque Congregationis Reformator, de quo inferius in notis, quas reliquit de initio obseruantiæ, quibus in hac appendice frequenter vtimur.

M. CCCC. XLVI.

XVI. Euerso capite, soluta cætera membra; & nec compages legum harmoniaque, infirma adhuc radice, constare poterant. Tentata à filiis politia noua est non quia melior, sed

quia

ignotior: & semel passi nauseam primitiuæ, eam solum appetebant, quam ignorabant. Reformator, in visitatorem transire iussus; neque ad quinquennium vt prius sancitum fuisset, sed ad triennium tantum eligendus. Siue infirmo palato nihil sapidum, & cibos prius exhorret, quam apprehendat; siue tunc se prudentes, atque cautos arbitrarentur, si Patrum leges antea reuocarent, quam possent transgredi: certè quinquennium quod prius elegissent, non dum adhuc experti reprobarunt. Atque hæc & similia tentata sunt zelo, vt putamus, bono, sed præcipiti, & forsan vestiente proprios affectus. Certè tot conuenientiis fulcita, tot innixa rationibus (quid non aliquas habeat, si sit qui quærat?) vt Pontifici Eugenio præsentata non multo post, maturè ab ipso meruerint confirmari, Romæ apud S. Petrum XV. Kalendas Decembris, Pontificatus ipsius anno 16.

XXI. Interim pro Martino de Vargas mortuo, alius Martinus sub rogatus est, cognomento de *Cubas*, Monachus Monasterij Montis-Sion, quem ante annos octo ad habitum admissum commemorauimus. Sed neque electio concors, firmave; & potestas electi incerta fuit. Quippe de Abbatia non constabat: & Vallis-bona vix mortuo antecessori subrogauit Abbatem fratrem Placidum cognomento de Santander, libera, vt cunctis patebat, electione. Reformatoris nomen, vt permaneret, innane penè & vacuum, limitata in Martino I. potentia, seu subditi petierint, siue ipse sic voluerit limitari. Visitatoris authoritas exigua, duobus tantum cœnobiis visitandis: neque vlla certa sedes, locusve, in quo reliquum tempus agere posset. Nec constabat de annis, ad quos electus, an tres essent, aut quinque? atque id genus alia dubitabantur. Voluit electus Valli-bonæ præsidere, nouo Abbate deposito, aut ejecto: sed dum pro vtraque dignitate pugnat, neutram retinet. Quippe causa ad Pontificem delata, Vallis-bonensibus proprius mansit Abbas ab ipsis electus: sed & electio ipsius Reformatoris, Visitatorisve, de cuius iam valore dubitabatur, Archiepiscopo Toletano discutienda commissa, atque tandem ab eo cassata est, non electi demeritis, sed electionis vitio, quæ vix inter tot nouitates constare potuit. 2. *Martinus de Cubas.*

XXII. Biennium integrum consumpsit prolixa lis, & discussio electionis legumque (nam & hæ in controuersiam, vt nimis properanter latæ reuocabantur) & pronunciatus tandem Martinus dignus, sed minimè electus, quia inualide: neque tunc eligendus, cum alias posset; ne hi qui contra ipsum litigauissent, aut suspectum haberent, aut grauem sibi & molestum experirentur. Leges bono fortassis zelo latæ, sed tunc non expedientes visæ sunt, nec primitiuas reuocandas fore, quam diu nondum constaret esse nociuas. M. CCCC. XLVIII.

XXIII. Itaque anno M. CCCC. XLVIII. redacto ad ordinem Martino de Cubas, iuxta priores leges, quas Martinus de Vargas instituisset, tertius alius Martinus suffectus est cognomento Montaluo Monachus Monasterij Vallis-bonæ, quem per quinquennium protraxisse officium constat, ex variis instrumentis eiusdem domus. Haud tamen in maiore pace quam antecessor: quippe Eugenio IV. per mortem rapto, qui ei succesit Nicolaus V. siue litium pertæsus, quæ simplicem familiam exagitabant; siue ignorantiæ Monachorum timidus, sub qua adhuc gemebant, & à qua nihil fructuosum sperabatur; seu tandem ad instantiam Abbatis Cistercij, qui ab ipsa exemptione à Patribus Abbatibus, quibus ex præscripto chartæ charitatis parere debuissent, tum à Populetano, cui se subdiderant, futuram discessionem etiam ab ipso, non leuibus indiciis suspicabatur: tum etiam tædio Abbatiarum triennalium, quæ hactenus non visæ, auditæve, & monstruosæ in Ecclesia, vt ait author de prospero, & aduerso statu Ordinis, qui tunc scribebat, à grauissimis viris reputabantur; Monasteria ad antiquam formam reducere, Abbatias perpetuas, iura paternitatis conseruare, nec visitandi potestatem penes aliquem esse, qui non aut proprius Pater cuiusque domus, aut à Capitulo generali deputaretur: Demum omnia ad antiquum reduci iussit, litteris datis Romæ apud S. Petrum XVII. Kalendas Aprilis, anno M. CCCC. L. 3. *Martinus de Montaluo.*

XXIV. Dum his angustiis premeretur pusillus grex, & iam iam expectaret dissolutionem, creditur obiisse Martinus V. Palaciolensis Abbas ordine XXIX. voti, vt putabat compos, vtpote cui iam suo Monasterio, vt tunc senes habebant, nihil à reformatione timendum fore. M. CCCC. L.

XXX.

IOANNES V. CIST. XXVI.

I. Successit Ioannes huius nominis V. dictus *de S. Prudentio*, forte quod Monachus esset illius domus. Eius tempore anno M. CCCC. LIV. illustrantur Palaciola insigni priuilegio, quod Ioannes II. Castellæ Rex morti iam proximus, Monachis indulsit. *Considerando, inquit, la grande deuocion, que yo è y tengo à los Monges del Monasterio de Sancta*

Maria de Palazuelos, quam pietatem imitatus Henricus hæres, post biennium ad eiusdem Ioannis instantiam, Palaciolis, priuilegia omnia confirmat Vallisoleti anno M. CCCC. LVI. Sed redeo ad Reformatores obseruantiæ, atque obseruantiam ipsam in arcto positos.

II. Non latuit Martinum de Montaluo Reformatorem, neque duos Abbates, sed præcipue Vallis bonensem, quæ domus in litteris Pontificiis specialiter, & expresse continebatur; non latuit, inquam, Nicolai Papæ decretum. Sed diligenti custodia, siue cautela, (quæ aliquando pro iure) effectum est ne illis, aut conuentibus ipsorum intimarentur. Interim patrem Pacificum de Liano Monachum Vallis-bonæ, virum vtique industrium Romam mittunt, cum litteris tum Regis, tum omnium Procerum Episcoporumque, oraturum Pontificem, & multa præcum instantia nouæ familiæ teneram adhuc infantiam si daretur, ab imminenti excidio præseruaturum.

III. Quadriennio integro frustra laborauit; nisi quod tamen impediisse creditur, ne Nicolai litteræ interim ad effectum perducerentur. In his angustiis quinquennium suum explicuit Martinus de Montaluo, nunquam non timens, nunquam non solicitus; & satis se superque feciſſe putans, si quæ suis imminebat dissolutionem, distulisset ad tempus successoris.

M. CCCC. LIII.

4. *Martinus de Curiel.*

IV. Anno M CCCC. LIII. pro eo subrogatur Martinus alius (adeò hoc nomen in illis primis angustiis fatale fuit!) dictus de Curiel, Monachus Vallis-bonæ, qui Quartus Reformator designatus, id vnum sibi timendum existimauit, ne solum, vt deponeretur electus esset. Quippe Nicolaus Papa in sententia constans, nullis precibus ab ea dimouebatur; & vt aliquid indulgere videretur, decretū suspendebat, non reuocabat. Nec reuocauit vnquam quandiu vixit, quo vsque tandem ascendente sedem Petri post eius obitum Calixto Papa III. in ipso Pontificatus sui ingressu ad instantiam Henrici Castellæ Regis reuocauit Edictum, & litteras Martini Papæ V. atque Eugenij IV. reualidauit; promulgatis censuris aduersus eos, qui Sanctam, sed nouellam plantationem, quouis quæsito colore exagitarent. Atque hoc est priuilegium XV. in ordine, datum Romæ apud S. Petrum XVII. Kalendas Iunij anno M. CCCC. LV. Ergo Martinus Curiel biennio integro spem inter & metum positus vixit: tres annos reliquos aliquali pace potitus, fœlicitati non modicæ adscripsit, quod sub ipso obseruantia sibi commissa, esto non crescerent, saltem permaneret.

M. CCCC. LV.

5. *Martinus de Cubas 2.*

IV. Anno M. CCCC. LVIII. iterum subrogatur Martinus alius, cognomento de Cubas Monachus Monasterij Montis-Sion; ille nimirum, quem in prima electione Magistro Martino de Vargas suffectum, sed ab Archiepiscopo Toletano post biennium depositum anno M. CCCC. XLVIII. commemorauimus. Atque hæc longa Martinorum series, & repetitio vlterius adhuc, vt dicam, continuanda, occasio fuit, vt aliqui putarent hunc Martinum à prima sua electione, vsque ad annum M. CCCC. LXII. quo eius nomen instrumentis subscriptum legunt, per annos XVII. tenuisse clauum: quippe quem inueniunt suffectum per electionem Martino de Vargas anno M. CCCC. XLVI. & rursus anno M. CCCC. LXII. exercentem idem munus, sine vlla nominis Martini per totum illud tempus intermissione. Quin & eadem occasione video, quosdam alios, eandem præfecturam extendentes ad annos XXII. aut XXIII. ideſt, ad M. CCCC. LXIX. Martini alterius, qui huic adhuc successit tempus illi tribuentes; atque vnum tantum ex pluribus Martinis, post Martinum de Vargas, huius nominis secundum, velut conflantes. Cæterum tres fuisse, atque duos ex eis repetitos, & secundo electos, compertum est; tum ex libris rationum Vallis-bonæ, tum ex quibusdam aliis instrumentis, quæ & eos distingunt ex agnominibus, & aliis circunstantiis, & tempus vnicuiq; suum designāt, provt hactenus à nobis descriptum manet.

M. CCCC. LVIII.

M. CCCC. LXII.

6. *Martinus de Montaluo. 2.*

VI. Fueritne hæc secunda præfectura Martini de Cubas tranquillior quam prima in dubio est. Constat neque hoc quinquennium expleuisse; sed anno M. CCCC. LXII. per vltroneam cessionem renunciasse; subrogato Martino de Montaluo Vallis-bonæ, qui idem munus obiisset ante nouennium. Cætera obscurus, neque vllo euentu illustris, quem sciamus: siue fatale nouæ familiæ fuit vt crescere non posset sub hoc nomine; siue re vera in arcto constituta satis superque ei prouidebatur, si non deflueret.

VII. Anno M. CCCC. LXVIII. creditur decessisse Ioannes V. Palaciolensis Abbas, cuius nulla alia nobis notitia subest.

M. CCCC. LXVIII.

XXXI.

ALPHONSVS III. CISTER. XXVII.

I. Successit Alphonsus cognomento *de Dueñas*, qui siue zelo conseruandæ antiquitatis, Siue odio, in nouum illud vitæ genus, cum superadum sub dominio Regum Legionis ad eorum instantiam reformandum, quantumuis tunc differret, suspicaretur: ne Palaciola simul

simul reformarentur, aut reformatis Patribus subessent, impetrauit à Iulio Papa II. vt ab Abbate Superati exempta soli Abbati Cistercij tanquam Patri immediato subiicerentur. Adeò plerumque sectamur, quæ nocitura, quæ profutura fugimus, & nobis ipsi contraria procuramus. Nihil magis inuisum Palaciolis, quam noua congregatio: in cuius tamen caput, atque ordinariam Reformatorum sedem, (quis id tunc cogitaret?) reseruabantur.

II. Non multo post, cum idemmet Alphonsus non minus à Commendis, quam à reformatione Palaciolis timendum arbitraretur; vt illud malum etiam præcaueret in quantum posset, impetrata sibi Abbatia Matæplanæ Diœcesis Palentinæ aliquanto pinguiori, priori suo, nomine Ioanni, quam ipse habebat Abbatiam Palaciolensem resignare curauit, viro vt dicitur pio & Religioso, & cui tuto maiora committi possent. Extant litteræ à Pontifice expeditæ, & per Abbatem S. Facundi Ordinis S. P. Benedicti executioni mandatæ anno M. CCCC. LXVI.

XXXII.

IOANNES VI. CIST. XXVIII.

I. Sequitur Ioannes cognomento *de Hoyon* ex Priore Conuentuali eiusdem domus, cui longo tempore dicitur præfuisse nempe vsque ad annum M. D. quo plura iam Monasteria vnita videns nouæ Congregationi ac sub ipsa florentia bonis vtrisque, anteceſſoris timorem temperauit; & Monachos in eo statu reliquit, vt iam non exhorrerent reformationem. Ipse vt in prædito illo statu rerum nihil potuerit Monasterio suo acquirere, studuit acquisita conseruare: & priuilegia, immunitatesque à regibus concessas confirmari curauit anno M. CCCC. LXXVI. sed ad Reformatores redeamus.

7. Baptista de Ocaña.

II. Martini de Montaluo præfectura æque ac aliorum sterilis, neque ipse alia re insignis fuit, nisi quod omnium vltimus prolixæ Martinorum lineæ finem dedit: quos penes ab initio congregationis, per duos & quadraginta annos imperium mansit; arctumomnino & tenue, quippe à duabus Ecclesiis in quibus cœpit, tamlongo spacio temporis, ne ad vnam aliam potuit dilatare. Pace ipsius turbata bellis dome-sticis, mox per externas lites dissoluta, quod plerumque contingit, quandiu non reformatur, nullis vltra incrementis patere potest.

M. CCCC. LXIX. *Horta accessio licet incõpleta.*

III. Anno M. CCCC. LXVIII. subrogatur in Reformatorem frater Baptista cognomento de Ocaña Monachus Vallis-bonæ, vir pius æque & doctus pro illo æuo. Sequenti vero M. CCCC. LXIX. cum Abbatia S. Mariæ de Horta Diœcesis Seguntinæ, per resignationem Episcopi Calagurritani D. Petri Gonzalez de Mendoza, cui non multo ante in commendam data fuerat, vacaret; Hortenses Monachi primi omnium (cum effectu) vocauere Baptistam, vt Hortam atque ipsos reformaret. Ille vero retardatæ diu extensionis cupidus, assumpto secum Abbate Vallis-bonæ fratre Petro Pinel, Hortam aduenies, virtute priuilegij Eugenij IV. tertiam Ecclesiam adiunxit suæ familiæ. Extant, leguntur que libri rationum, & in eis impensæ factæ in hoc itinere, neque omnino superfluè, vt quidam putant, quippe & si aduenientenouo Abbate Garcia Legionensi ex Cubiculario Iulij II. à quo Abbatiam ipsam impetrauerat, plenum vnio effectum non obtinuit: At Reformatio morum, & obseruantia legum admissa est, sub certis conditionibus, quandiu viueret Garcias obseruandis. Admissa item frequentatio capitulorum, visitationes, contributionesque in sumptus communes, atque, id genus alia quæ per Garciam fideliter impleta, ingentem illi laudem peperere; nisi mox denigrata indigna in quendam nepotem resignatione, memoriam eius non nihil obscurauerint, vt suis loco & tempore dicemus.

IV. Sub hoc eodem Baptista Reformatore anno M. CCCC. LXXI. illustrauit Ecclesiam Montis-Sion corpus S. Raymundi Confessoris, Fiteriensis Abbatis, & fundatoris militiæ Calatrauæ; cuius thesauri, vir planè illustris Ludouicus Nuñez cognomento de Toledo, Archidiaconus Matritensis, ante triennium, à Paulo Papa II. translationem, à Ciruelos, ad ipsam Ecclesiam impetrauisset. Porrò hoc anno, annuente Alphonso Carrillo Toletano Archiepiscopo die XXVI. mensis Augusti, celebrata translatio per fratrem Alphonsum alias Bernardum de Madrid Abbatem Montis-Sion, cum decenti Monachorum commitatu, atque interuentu Vicarij Toletani, & Ministrorum Regis, qui corpus Sancti reuerenter effossum, atque integrum inuentum, in capsa alnea, ad nouum Monasterium, & capellam prædicti Ludouici, deduxerunt solemniter, & sub altari deuote collocarunt; vnde tamen secundo translatum est, vt suo etiam tempore dicemus.

M. CCCC. LXXI.

V. Hæc incrementa sub Baptista de Ocaña ingentia haud dubie, & quæuis alia abunde cumulatura; sed creuere quia prima, quia retardata, & quia alterum cæteras Ecclias Cistercienses exemplo post se traxit, alterum patrocinio Sancti cunctas promouit, atque speramus

in

in dies promoturum. Verum præcipua sub Baptista laus, animorum vnio, & pax, quæ filios sibi, atque etiam inter se, tum & se ipsum eisdem ingerebat. De quo ob quam causam quinquennium non impleuerit, in dubio est, forsan ob infra à nobis refererendam.

M. CCCC. LXXII.

8. *Bernardinus de Madrid.*

VI. Constat, rebus, qua potuit, bene compositis, anno M. CCCC. LXXII. accepisse successorem, virum æque prudentem, piumque, Bernardum de Madrid, Monachum & Abbatem Montis Sion, quem diximus, transtulisse corpus S. Raymundi. Hic incrementis suæ Congregationis intentus prouide, quæ semel mota ad obseruantiam vidit, Castellæ Monasteria, vt tandem consentirent, reformarenturque, per se, per alios, per ipsos Castellæ Reges, quibus potuit modis, solicitauit. Non expectandos obitus Abbatum, qui plerumque improuisi: & impetrabili Romæ dignitate, quæ interim tentata retractabantur. In Valle-Ecclesiarum nihil obtentum, quia cuncta quæsita: vnionem Hortæ, dum cedit in aliquibus, multa breui in melius reformasse. Semel incipere medietatem maiorem facti; postquam facilem aliam & expeditam: assequi vtramque simul paucis concessum; & sæpe dum posterior expectatur, elabi priorem, quæ non de facili valeat reuocari. Nouitates plerumque suspectas esse: sed nunquam tutiores quam cum antiqua eo peruenerunt, vt vix deteriora timeri possint. Hæc & similia persuadebant fortasse Monachos, sed Abbates non ita; & vt vel his initiis consentirent ægre, aut ne ægre quidem adducebantur. Sine fructu, quem percipere ipse posset, peregit quinquennium Bernardus de Madrid, tristis haud dubie, quod spe propagationis, quam dudum concepisset, defraudabatur: sed nihilominus congaudens sibi, & suis; sibi, quia conseruauit, quos accepit; suis, quia fruituros incrementis, quæ ipse seminasset, non dubitabat.

M. CCCC. LXXVII.

9. *Ioannes de Cifuentes.*

VII. Anno M. CCCC. LXXVII. successorem accepit, fratrem Ioannem oppido & cognomento de Cifuentes, Monachum Vallis-bonæ, qui vt steriles etiam annos egerit, (adeo serotini plerumque solent esse fructus opimi!) vltimam tamen manum operi posuit, disposuitque, vt inde breui, & pingues prouenirent. Horrebant adhuc antiqua Monasteria nouam reformationem; nec satis Hortæ exemplo, cuius iam tunc profectum agnoscebant, ad illud imitandum protrahebantur. Quippe sub Abbate perpetuo, fragiles leges, & pene etiam inermes visitationes; nec transgressionum pœnæ, aut premia meritorum, quibus excitarentur, inconcussa, vt par erat videri poterant. Rex Ferdinandus zelo Dei acensus, atque consilio cum Patribus obseruantiæ communicato, visitationem Cistercienſium Ecclesiarum, à Pontifice obtinuit Archiepiscopo Granatensi commissam, plenario iure. Exinde eam subdelegari fecit nouo Reformatori, & Baptistæ de Ocaña, quem eo munere functum primum omnium, post quatuor Martinos asserebamus. Hæc porro visitatio dum aliis spem, & metum aliis incutit, atque vtrisque obseruantiæ Patres obtrudit, reformationi omnium viam stratuit. Quippe cognito, quos antea verebantur velut nimis seueros, homines esse pios mansuetosque; & quæ alij errarent, si pœniterent, paratos misereri magis, quam castigare: facile vel durioribus persuasum est, non esse recusandam eorum vitam; nec detrectandas leges suetas semper mederi, & vix secare.

VIII. In hac visitatione, quantum ex tempore, & aliis circunstantiis licet colligere, Moniales S. Michaëlis Dominarum, secundo à Ponteferrato, Asturicensis Diœcesis, cum viderent liberius, neque alias facile possent reformari, eo quod ad nimiam deueniſſent paupertatem, quæ in Monialibus inimica reformationi; per alia Monasteria dispersæ sunt: & prioratus virilis in loco positus, cui frater Petrus de Riuas Delsil, Monachus Carraceti præfectus legitur. Reclamante Abbatissa, Domina Elisabetha de Frigueroa, fœmina nobili, quæ cum non audiretur in Hispania, profecta Romam, sui Monasterij causam, suamque, & suarum Monialium viriliter & constantes est persecuta,

IX. Tunc vero omnes & singuli conuentus diligere cœperunt, quia cognitos, quos hactenus ignotos aduersabantur. Abbates vero dum se non reformatos, nihilominus reformatis subesse vident, ne loco pellerentur, aut alias pœnas admissarum culparum luerent, mitius omnino agebant, neque in reformationem, quæ cæteris placebat, & à qua dependebant, inuehebantur.

X. Longa, atq; laboriosa visitatione (nam maior pars peragranda Hispaniæ fuit) & negotiorum, quæ plurima occurrerunt, difficultate fractus vterque senex, cum semina iecissent nouæ vitæ, quæ altius radicassent multorum cordibus, laborasse contenti, fructum laboris aliis permiserunt. Et Baptista ad pristinam quietem reuersus est; Bernardus eam sibi facile fuit, abdicato officio Reformatoris, vno ante tempus anno, qui quod in eo forte defecit, egregie factis abunde compensasset. Et erat cautè sancitum in primis legibus, vt Prouinciale Capitulum de triennio in triennium celebrandum, atque noui electio Reformatoris, quoties commode possent, conuenirent. Porrò, vt hoc facilius, regulariusque contingeret, statutum

erat

erat *vt Reformator cum Abbatis Montis Sion & aliorum Abbatum consilio, præuenire, aut differre tempus posset, atque ita mensurare, vt vacatio in Capitulo eueniret* Atque hæc puto est ratio, propter quam plures Reformatores non expleuere tempus sui quinquennij: quippe promptiores breuiare, quam extendere, ex quatuor,& quinque duorum annis, conflabant nouennium, quod triennalibus Capitulis respondet. Sed redeo ad Bernardum, cuius tempore, anno M.CCCC.LXXX. Magister Sacræ militiæ Calatrauæ Rodericus Xiron religione in S.Raymundum suę militiæ authorem, cuius corpus ad Montem Sion ante nouenniũ translatum, supra diximus, monasterio donauit copiosam summam tritici, à Monachis ex mẽsa Magistrali, vt vocãt, percipiendã, per annos singulos, quæ hodieq; cœnobio perseuerat. M. CCCC. LXXX.

XI. Sequenti anno M. CCCC.LXXXI. resignatione per Bernardũ facta, succesſor designatur Didacus de Frias, Monachus item cœnobij Vallisbonæ, illico percepturus maturos fructus sanctæ Reformationis, quam anteceſſor,& socius seminauissent. Nempe cum monasterium sacrorum mænium, diœcesis Segouiensis, Ioanni de Acebes Abbati sæculari S.Marthæ de Riua de Tera in Ecclesia Astoricensi, in commendam cessisset, pro more temporis; ipso (quod satis mirum) procurante, atque adiuuantibus Regibus Catholicis, nouæ Congregationi vnitum est maiori ea, quam Horta tunc habebat, sed nondum plena, & omnimoda vnione. Permanẽte ipso Abbate Commendatario, qui temporalibus præesset, quandiù viueret: sed designando Abbate regulari de triennio in triennium, cuius spiritualia curæ committerentur. Atque hæc omnia latiùs distinctiusque author vnionum tradit: nisi quod tamen Ioannem Commendatarium, non *de Acebes*, sed *de Cuebas*, vitiose nominat. M. CCCC. LXXX. I. IO. *Didacus de Frias. Incompleta accessio Sacrorum-mœnium.*

XII. *Sixtus, ait, Papa IV. præmittens, quod suus prædecessor Eugenius IV. dignitatem Abbatialem perpetuam in Monasterio Vallisbonæ suppressérat, & in triennalem commutauerat, subdens illud Reformatori Montis Sion; eidemque Reformatori concessisse facultatem, erigẽdi de nouo sex alia monasteria in regnis Castellæ, & Legionis, & aggregandi ea iam erectis, vsque ad octo, dummodo maior pars conuentus consentiret: & quod ex relatione fide digna acceperat, monasterium de Sacra-mœnia eiusdem ordinis, Segouiensis Diœcesis, quod Ioannes de Cuebas Abbas S. Marthæ de Riua de Tera in Ecclesia Astoricensi, fundatum, & decenter dotatum per Reges Castellæ & Legionis, copioso Religiosorum numero, laudabili & exemplari vita floruerat; iam propter malitiam temporum, & Abbatum incuriam, plurimum deformatum existere adeò, vt in eo nulla vigeret Religionis honestas: ipse Pontifex, cõtemplatione Regum Ferdinandi, & Elisabethæ, quos sciebat, ad regularem obseruantiam dicti ordinis, eximium gerere deuotionis affectum, atque etiam contemplatione præfati Ioannis Commendatarij summo opere cupientis ipsum monasterium ad regularem obseruantiam reduci. Motu proprio, non ad alicuius instantiam præfatum monasterium in perpetuum aggregauit Monasterijs Montis Sion, & Vallisbonæ, aliisque reformatis, cum omnibus membris, & locis ab eo dependentibus, & soli Reformatori obseruantiæ, & nulli alteri pleno iure subiecit; dans facultatem dicto Reformatori amouendi à prædicto Monasterio Religiosos, qui sub regulari obseruãtia permanere nollent; impertiendo eis licentiam se transferendi ad alia monasteria eiusdem ordinis, & vt suppressa dignitate Abbatiali perpetua, per Abbatem triennalem, per eundem Ioannem Commendatarium, quandiu viueret, eligendum, in spiritualibus dumtaxat; & post eius discessum, vel aliam dimissionem, per Monachos ipsius monasterij singulis triennijs assumendum, vt iuxta ritus, & instituta Montis Sion & Vallisbonæ, & aliorum monasteriorum reformatorum in spiritualibus, & temporalibus, in perpetuum gubernaretur. Decernens autem per dictam aggregationem, nullum præiudicium prædicto Ioanni Commẽdatario posse afferri: sed quod præmissis non obstantibus, ipse quandiù viueret, dictum monasterium in commẽdam retineret; gubernando illud in spiritualibus, per Abbatem triennalem, per eum eligendum, & in temporalibus per se, & officiales per ipsum similiter deputandos, disponendo, vt prius de illius fructibus, & prouentibus, &c. Romæ VIII. Idus Ianuarij anno M. CCCC. LXXXI.* Hactenus ibi. Vixit Ioannes de Acebes post hanc vnionem annos decem, & vltra; nempe anno M. CCCC.XC I superstes adhuc, atque instrumentis subscribens inuenitur. Porrò in his res cœnobij ita promouit, vt non sacramœnienſibus tantummodo, sed & toti obseruantiæ merito de eius morte dolendum fuit.

XIII. Anno M.CCCC.LXXXII quanto ex quodã publico instrumento Regum Catholicorum Ferdinandi, Elisabethæq; colligitur, sancta Maria Regalis de las Huelgas, Virginum Monasterium apud Vallisoletum, primum omnium se subdit Congregationi sub Abbatissa Elisabetha de Herrera, insigni Viragine, quæ cum annis duodecim præfuisset lactiori disciplina pro illo æuo, visitata ante annum, meliora probans, vltrò nouam admisit reformationẽ. Certè Regium diploma, cui adhæremus, expeditum anno M D. mense Septembri, ante annos XVIII. reformatum cœnobium inter alia, quæ habet, testificatur.

XIV.

XIV. Anno M.CCCC.LXXXV. Didaco eodem res administrãte, duo alia cœnobia, arquevtrumq; illustre, reformantur, nec dimidiata incompletave, se plenaria, & totali reformatione: de Spina Palentinæ diœcesis vnũ, aliud de Valleparadisi, Zamorensis: illud cum vacauisset per decessum Ildefonsi de Vrueña Abbatis perpetui vltimi: impetrata Abbatia per Patrem Martinum de Curiel olim Reformatorem, de quo superius. Qui cum res Monasterij composuisset, hoc anno domum Obseruantiæ tradidit per triennales Abbates administrandam. Hoc industria, quam iure magis obtentum, quod negari non potest, (quamuis & iura commendas auersantia, facto non nihil fauere videri possent.) Nempe absente Abbate Commendatario, Reformator à Conuentu vocatus est: tunc Ferdinandus de Leon à Didaco missus, atque continuò à Monachis electus Abbatiam aut obtinuit, aut vsurpauit. Mox cum Commendatorio reclamante, manutentionis mandatum prodiisset, Ferdinandus noua adhuc arte vtens, antequam litteras audiret manutentionis, resignata Abbatia, alium Abbatem Monachorum suffragiis elicit, in quem nouæ impetrandæ litteræ forent. Sic factum est, vt Commendatarius tandem pertæsus litium, atque nouæ familiæ, qua apud Reges pollebat, potentiam timens, cum Monachis & Conuentu paciscereturs & congrua sibi pensione designata, semel admissæ obseruantiæ locum daret. Atque hæ duæ Ecclesiæ, sicut & Horta, sine speciali aut noua concessione, virtute litterarum Eugenij vnitæ sunt: vnde ab authore vnionum, qui solas speciales Bullas attendit, prætermittuntur.

Vallis-Ecclesiarum.

XV. ipso anno illustris Monasterij Vallis Ecclesiarũ diœcesis Toletanæ vnio diu dilata, suũ tandem effectum sortita est, cum tres Abbates interim perpetui, vnus post alium in ipso successissent, Ioannes Bernal, Alphonsus Matatoros, atque Bartholomæus, quorum superius fecimus mentionem: atque eorum tempore, sed præcipuè primi, grauem bonorum iacturam incurrisset, alienato S. Martini oppido, siue vsurpato ab Aluaro de Luna Regis Ioannis II. si ita fari licet, Dominatore. Cuius violentiam apud Regem conquestus Abbas in Historia eiusdem Ioannis II. cap 2[illegible]1. nihil omninò potuit obtinere.

XVI. An mortuis tum Ioanne, tum Alphonso, Monachi vnionem iterum tentauerint, in dubio est. Fortè nouis præuenti impetrationibus, nec tentare potuerunt, quod optabant. Bartholomæo defuncto, compotes voti, atq; vocato Didaco de Frias Reformatore, vltro se tradiderunt, atque aggregauerunt eius familię. Tum triennalis per suffragia Abbas suffectus. Id quod virtute litterarum Eugenij, quæ nondum numerum contentum explicuissent, exequi potuit. Itaque intra quinquennium Didaci de Frias quatuor illustria cœnobia auxerunt. numerum Ecclesiarum reformatarum, atque à tribus ad septem perduxerunt.

XVII. In Monte Sion hoc eodem anno Magister Calatrauæ Garzias Lopez, cognomento Padilla, cum supra modum pinguem possessionem Monasterio obtulisset, pro corpore S. Raymundi transferendo, vt volebat ad Calatrauam: neque impetrare posset; tandem desperans, in ipsa Ecclesia dicti Monasterij monumentum erexit Abbati Sancto, icone eius marmorea collocata è regione altaris, sub cuius ara sacrum pignus continebatur.

M. CCCC. LXXXVI. II. *Bernardus de Madrid 2. Saltus-nonalis vnio.*

XVIII. Anno M.CCCC.LXXXVI. cum Didacus quinquennium absoluisset, in quo, quæ acceperat tria Monasteria, vsque ad septem, vt diximus, perduxerat, successit in officio Reformatoris, qui iam iterũ eo functus fuisset, Bernardus de Madrid: & septem his octauum superaddit, Saltus noualis, in Regno Legionensi, diœcesique, ad petitionem Andreæ de Leon eius Abbatis, qui se, & Conuentum suum sponte tradidit, per supradictum Patrem reformandos. Missus ad hoc frater Ioannes de Cifuentes, tunc Abbas Vallis-bonæ, olim Reformatoris officio functus: & nouo Abbate ad triennium designato, anteceſſori, qui sponte sua cesserat, congruam assignauit, iuxta Pontificis Benedicti III. dudum ad nostros factam, constitutionem. Quæ omnia post modum firma, & rata habuit Innocentius VIII. litteris datis III. Idus Maij, Pontificatus ipsius anno 7. vt tomo 3. Priuilegiorum videre licet.

XIX. Per idem tempus vocata miraculose Beatrice de Sylua, claro sanguine fœmina, neque minus insigni pulchritudine, vt virginum sacrarum congregationem instituret sub titulo immaculatæ Conceptionis: cum Cistercij obseruantia prope Toletum, vbi ipsa manebat, florere conspiceret; atque aliquibus Monachis cum ipsa frequentia de diuinis rebus colloquia forent, charitate in ipsos, & reuerentia, elegit Cistercium, sub cuius legibus Deo famularentur. Petita obtentaque confirmatione, (quamuis postea ad Minores declinauerint) quam à Romano Pontifice indultam, nouo Deus miraculo approbauit, anno M. CCCC. LXXXIX. vt alibi à nobis est relatum.

M. CCCC. LXXXIX. *Atq; Hortæ incrementum in Obseruantia.*

XX. Eodem anno Garcias Legionensis defunctus Hortæ plenariæ atque totalis reformationis, & triennalitatis, quas semper commendasset, spem dedisset, si non præuentus Pontificiis litteris quendam nepotem suum nomine Aluarum Abbatiæ impetrasset successorem. Is professione Monachus, habitu Benedictinus, quem vsque ad finem vitæ, quasi statim

statim cessurus, conseruauit; dignitatem vt ab ipso accepit primum; mox abdicata cura spiritualium, quibus administrandis triennalem Abbatem passus est, (quod nos olim latebat, dum Hortensium Abbatum seriem in lucem dedimus) temporalibus præfuit, neque indignè. Demum vtrisque cedens, secessit ad Bliecos reliquum vitæ priuatus peracturus, vt infra etiam à nobis dicendum erit.

XXI. Sub hoc eodem Reformatore anno M.CCCC.XC. celebrata est vltima translatio corporis S. Raymundi Confessoris, è sacello priuato, in quo iacebat ad Maximum Ecclesiæ Montis Sion; impositumque aræ ad latus Epistolæ cum decenti ornatu vbi hodieque perseuerat, & veneratur. M. cccc. xc. i. 12.

XXII. Sequenti M.CCCC.XC.I. Bernardi de Madrid quinquennio expleto, iterũ in Reformatorem electus est, idem qui supra, Ioannes de Cifuentes, quem virum æquè pium industriumque, Patres, qui eligebant, in multis iam negociis experti essent. Eodem porro à Palentino Episcopo, D. Alphonsõ de Burgos, Hæreticæ prauitatis generali in his regnis Inquisitore, & Confessario Ferdinandi Regis Catholici, inquirendi pro ipso contra hæreticos potestatem accepit, munusque, quod multo tempore strenue administrauit. Cuius rei testes extant adhuc litteræ Episcopi ad ipsum, datæ Vallisoleti IV. Kalendas Iunij anno M.CCCC. XC. I. *Ioannes de Cifuentes* 2.

XXIII. Florebant iam opinione pietatis, & religionis congregata cœnobia, atque Monasticæ rigor disciplinæ, pridem per Laxamenta resolutus, ad pristinum nitorem, versus, diuulgabatur. Sed & Monachi exempti à grauaminibus prælationis perpetuæ, quamuis ad Obseruantiam constringerentur, memores oppressionum, quas pati consueuissent, spirituali gaudio dilatabantur. Vnum hæc incrementa progressusque Cistercienſem Abbatem, insignem virum Ioannem de Cireio, etiam si delectarent, solicitabant. Quippe videbat, sub prætextu reformationis, defectionem induci; & quæ Cistercio inuisa semper fuisset, legum, & morum dissimilitudo, non vltra iam ad concordiam redigendam. Periturum Cistercium in Hispania ni reformetur, quod experientia Magistra, non ignorabat: & vt iam in cœnobio S. Isidori (Abbatia insigni prope Hispalim) atque alio in Valentia ante non multos annos, Hieronymianis Monachis inductis supressum fuisset, suprimendum in aliis, si non in omnibus: quod, culpis Monachorum exigentibus, quis auderet, aut posset impedire. Sed reformandum ad antiquas leges, non deformandum nobis, quæ primitiuis omnino contrairent. Nihil Cistercio antiquius, nihil sanctius, quam chartam charitatis, in qua Abbates perpetui iura paternitatum, & filiationum, visitationes, annuaque Capitula, Cistercij congreganda, atque id genus alia, stabiliuntur. Quæ si nunc reuocentur, & auferantur, vt re vera auferebant, & reuocabant recentes obseruantes, vt se vocabant, multo certius Cistercium periturum. Quid enim si sub hoc, aut alio nomine nouum viuendi modum, nouos ritus, & leges superinducant? Congregationem in Hispania cœptam à Hieronymianis, ad quos dicta cœnobia transiisse dolens, vix nisi nomine solo discrepare à Cistercienſibus, re ipsa adeo differre, vt nihil præter nomen commune habeat. Quid enim Abbatibus perpetuis cum triennalibus? Quid lineis, cum prouinciis? Quid iuri Patrum quasi hæreditario, cum libera electione Reformatoris? Quid commune habet regimen Cistercij, regimini Ecclesiæ per omnia simile, cum noua mendicantium Patrum gubernatione? Demum quid Prouincialis, paucorum synodus, cum magna illa, generalique, ad quam Episcopi, Archiepiscopique, ne dum Abbates & Cardinales confluebant ex toto orbe? Discrimen hoc potuisse tolerari, quandiù in duobus tantum; nunc octo numero, atque opibus potentes Abbatias, ne alias post se trahant, debere reprimi. Initiis adhibenda remedia morbis, his præcipuè, quæ serpunt; ne si prævaleant, membraque inficiant, gladium magis exposcant, quam medicinam.

XXIV. Hæc & similia, in Capitulo relata, anno M. CCCC. XC. II. solicitos reddiderunt Cistercij Patres. Porro cum in eadem ipsa Synodo, litteræ Ferdinandi Regis Catholici præsentatæ fuissent, quibus sacris militiis Cistercienſibus, Calatrauæ, & Alcantaræ, (quarum Administrator perpetuus erat) debitam exposcebat visitationem: communi omnium consilio decretum est, vt Petrus, cognomento de Vireio, tunc Claræ vallis Abbas, cum plena, tam Abbatum Cistercij, & Morimundi, quam Capituli totius, authoritate, ad Hispaniam veniret, visitaturus, non Militias tantum vt Rex petebat, verùm Ecclesias omnes Cistercienſes, saltem non reformatas; & cum reformatis de nouo vitæ genere, & cunctis, quæ instituissent, collaturus: vt si posset, componeret cum eis, & pro aliis caueret; sin minus, aut compesceret censuris, aut ad Romanam Curiam prouocaret. M. cccc. xc. ii.

XXV. Sequenti anno M.CCCC.XC.III idem qui supra Petrus Claræ-Vallensis ad Hispaniam profectus, Vallisoletum venit de rebus Obseruantiæ, ante omnia alia negocia tra- M.cccc. xc. iii.

ctaturus. Quæsierit existentem ibi Reformatorem, an alibi monẽtem ad se vocauerit, in dubio est. Constat vtrumq; cõueniſſe Valiſſoleti in Virginũ Huelguenſiũ monaſterio, quod ante vndecim annos reformatum, propria, an Abbatis Ciſtercij authoritate, à Didaco de Frias ſuperius diximus. Porrò Ioannes ab Abbatibus, Conuentibuſq; ſuæ Cõgregationis ſimiles eis, quas à Capitulo Generali Ciſtercij Petrus habebat, litteras impetrauerat; vt annis æqualibus vtrimq; decertaretur. Tunc Claræ-vallis Abbas, quas adducebat pro Eccleſiis Hiſpaniæ viſitãdis: Reformator Apoſtolica indulta, ne ab alio, quam à ſolo Abbate Ciſtercij per ſe ipſum viſitari vnquam poſſent, protulere. Multa deinde vtrimque obiecta ſunt, multa vtrimque reſponſa; quæ recenſere longum, examinare ſuperfluum ad præſens foret. Demum cum omnia exactè contuliſſent, ad concordiam venere, cuius adhuc inſtrumentum publicum extat non alibi vulgatum, ideoque merito à nobis tranſcribendum.

XXVI. *In Dei nomine, Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum omnibus notum fiat, & manifeſtum, quod anno Domini M.CCCC. XC. III. die vero IV. menſis Februarij, & Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri Alexandri Papæ Sexti anno II. & in mei Notarij, & teſtium infra ſcriptorum & ad hoc vocatorũ præſentia in inſigni loco Valliſoleti, &c. Conſtituti Reuerendus in Chriſto Pater & Dominus Domnus Petrus Abbas Monaſterij Claræ Vallis Ciſtercienſis ordinis Lingonenſis diœceſis ſacræ Theologiæ Profeſſor, viſitator, & Reformator diſputatus per Reuerendum in Chriſto Patrem & Dominum Abbatem Ciſterij & Diffinitores Capituli generalis in Hiſpaniarum partibus videlicet exiſtentia monaſteria & loca dicti ordinis, nec non etiam eorumdem Reuerendiſſimi Domini Ciſtercij & Capituli generalis ad infra ſcripta, & alia quælibet, quæ contingere poſſent in dictis partibus, nominatus Procurator, pro vt in dictis litteris commiſſionis, & procurationis latius dicebat contineri, ex vna; & etiam Reuerendus Pater Dominus Ioannes Reformator congregationis monaſteriorũ quorumdam ſub quadam ſocietate, & confœderatione in regnis Caſtellæ & Legionis exiſtentia Reformatorum, & vulgariter de obſeruantia vocatorum, ſuo & omnium dictorum monaſteriorum, & Abbatum Priorum, & conuentum, tunc abſentium, nomine, provt in dictis litteris procuratoriis, ſibi à prædictis ſuis coAbbatibus, Prioribus, & conuentibus datis, vt dicebat, latius continebantur. Deſiderantes pacem, & concordiam inuenire ſuper differentiis proceſsibus, & litibus quondam habitis, & quæ in poſterum haberi, & moueri formidabantur inter dictos Reuerendiſſimum Dominum Ciſtercij, & capitulum generale dicti ordinis ex vna, & dictos Abbatem, Reformatorem, & ſuos co-Abbates, Priores, & conuentus partibus ex altera, pro eo quod vt dicebant dicti Reuerendiſsimus Dominus Abbas Ciſtercij, & Capitulum generale, ipſi Abbas Reformator & ſui coAbbates, Priores & conuentus, ſiue eorum prædeceſſores, nonnulla priuilegia, & indulta Papalia impetrauerant, per quæ contra ipſius ordinis formam, ſtatuta, & maximam in eodem ordine à ſua fundatione vſque nunc ſeruatam Paternitatem, concordiam, vniformitatem, & connexionem omninm, & ſingulorum locorum, & membrorum ad inuicem, & ad vnum ſolum Caput, videlicet ipſum Reuerendiſsimum Dominum Ciſtercienſem, & Capitulum generale, quandam, vt videtur, formam nouam, & ritus nouos, quantum ad electionem Abbatum & eorum durationem inducere, congregationem Abbatum facere, Capitulum celebrare, ſtatuta condere, Viſitatoribus ab ipſo Reuerendiſsimo Domino Ciſtercienſi, vel Capitulo generali, ad Hiſpaniarum partes deſtinatis, non obedire præſumebant: contendentibus dicto Reuerendiſsimo Abbate Ciſtercij, & Capitulo Generali huiuſmodi, tanquam præſumpta, & ſanctæ religionis & reformationis ſimplicitati, humilitati, & obedientiæ (ſine qua omnis religio mortua eſt) contraria, & oppoſita non deberi tolerari. Oppoſitum aſſerentibus præfato Abbate Reformatore, coAbbatibus, Prioribus, & conuentibus prædictis: dicentibuſque omnia per ſe, vel per ſuos prædeceſſores impetrata fuiſſe à ſede Apoſtolica, pro manutentione regularis obſeruantiæ in dictis locis, & ad obuiandam Commendis, & aliis damnis, ex malo regimine Abbatum perpetuorum, ipſis monaſteriis quotidie aduenientibus.*

XXVII. *Tandem poſt longam & variam diſceptationem prius, vt dictæ partes aſſerebant, tam ſcripto, quam verbo ſuper his habitam; partes ipſæ propter bonum pacis inſequentem pactionem, conuentionem, & concordiam deuenerunt.*

Quod videlicet Reuerendo Patri Abbati Reformatori, ſuiſque co-Abbatibus, Prioribus & conuentibus quantum ad triennalitatem Abbatum, quantum ad Congregationem ſui Capituli, quantum ad facultatem ibidem definiendi, & ordinandi, diſponendi, & faciendi ea, quæ ſibi neceſſaria, vel opportuna videantur pro ampliatione, & conſeruatione S. Religionis, ſuaque congregationis iuxta indulta ſibi priuilegia, & conſuetudinem, liberum, & integrum permaneat: nec non etiam quantum ad electionem ſui Reformatoris, & authoritatem illius, provt hactenus per longiſſima tempora, ad quancumque circa hæc præſcriptionem, vt dicebant obtinendam ſufficientia fuerunt.

XXVIII.

XXVIII. *Præfatus vero Abbas Reformator suo & Co-Abbatum Priorum, & conuentuum suorum suique Capituli nominibus, se ad sequentia submittebat. Scilicet, quod quamuis, vt dicebat, iuxta sua priuilegia, & longissimam consuetudinem nullus dicti Ordinis posset, aut potuerit dictos Abbatem, Reformatorem, & eius Co-Abbates & Conuentus visitare, aut in eos aliquam iurisdictionem exercere, nisi Reuerendissimus Dominus Cistercienſis in propria persona ad eos transierit, cui soli per Apostolicam sedem hæc potestas est reseruata. Et tamen pro supradicto bono pacis consentiebant, quod de cætero, si per præfatum Reuerendissimum Dominum Cistercienſem, & Capitulum generale coniunctim destinaretur aliquis de quatuor primis Abbatibus, videlicet, de Firmitate, de Pontinico, de Clara-Valle, & de Morimundo, eandem habeant authoritatem & facultatem dictos Reformatorem, Co-Abbates, & Conuentus, visitandi, corrigendi, puniendi, & in dictis Monasteriis reformatis, & reformandis statuendi, definiendi, & ordinandi omnia, & singula, prout, & quemadmodum dictus Reuerendissimus Dominus Cistercienſis statuere, ordinare, & diffinire potest, & posset: ac etiam dictos Abbatem Reformatorem, Abbates, Priores, & alios Officiales à suis dignitatibus, & officijs amouendi, & alios instituendi; & generaliter plenariè, & integrè visitationes, correctiones, & reformationis officium exercendi per eundem modum & formam, & cum eadem authoritate, & potestate, cum qua ipse Reuerendissimus Dominus Cistercienſis omnia præmissa facere posset, & posset, si personaliter ad ea facienda præsens esset.*

XXIX. *Item, quod ipsi bonos mores dicti Ordinis, quantum fragilitas humana permittat, semper seruabunt, & tam in habitus sui forma, quam etiam in seruitio diuino, in cantu, & ceremonijs omnibus Ecclesiæ Cistercienſi, & alijs eiusdem Ordinis bene regulatis se in omnibus, & per omnia conformabunt. Item similiter, quamuis iuxta longissimam consuetudinem, ac etiam iuxta indulta sibi priuilegia, vt asserebat dictus Abbas Reformator, ipse, suique Abbates & Conuentus sint absoluti, & exempti à solutione contributionum, & subsidiorum communium totius Ordinis: ipsi tamen pro bono pacis de cætero, ac etiamsi quas contigerit domos alias reformari, & dictæ Congregationi sociari, exceptis domibus de Monte-Sion, & de Valle-bona, soluent annualiter contributiones, & subsidia, quæ pro communis boni defensione, tuitione, profectu, vtilitate, & augmento per Ordinem ipsum imponentur. Item quod adimpleto numero Monasteriorum, quæ ex Apostolica dispensatione possunt suæ societati vnire, videlicet numero octo Monasteriorum, exclusis Monasterijs de Monte-Sion, & de Valle-bona, nullas alias domos per se recipi, vel suæ congregationi vniri posse per se, neque per alium directè, vel indirectè procurabunt: neque etiam vltra dicta iam priuilegia, eis quantum ad hoc concessa, sine licentia Capituli generalis vlla vnquam priuilegia per se, vel per interpositam personam directè, vel indirectè impetrari, vel eis concedi quomodolibet procurabunt. Quæ omnia singula superius sic exposita, & declarata præfatus Reuerendus Pater Abbas Reformator, pro nomine suo, & suorum Co-Abbatum, Priorum, & Conuentuum, ac sui eorumdémque successorum nomine promisit, & in verbo Prælati & Sacerdotis, appositis manibus ad pectus suum, solemniter iurauit.*

XXX. *Deinceps illibata seruare, & nullo vnquam tempore contrauenire, aliaque ratione, causa in re, vel facto, neque per se, neque per interpositam personam directè, vel indirectè, quouis quæsito colore; cum protestatione tamen quod hæc pactio & conuentio dictæ obseruantiæ priuilegijs, indultis, statutis, consuetudinibus alias non præiudicarent, sed exceptis his, quæ in præmissa pactione secundum dictorum priuilegiorum, indultorum, statutorum, consuetudinum tenorem, formam, & modum pro bono pacis tolerantur, ipsa omnia illibata, & in suo pleno robore permaneant. Et ad ampliorem omnium, & singulorum præmissorum firmitatem præfatus Reuerendus Pater Abbas Reformator, quibus super nominibus de facto renunciauit omnibus, & singulis clausulis priuilegiorum suorum impetratorum, vel impetrandorum contra præmissam pactionem, & submissionem facientibus promittens, & vt supra iurans solemniter, & nominibus, quibus supra se, & suos successores obligatos ad nihil vnquam impetrandum, per se, vel per aliam personam; neque vt quomodolibet solicitandum, Regias maiestates, vel alios quoscumque potentes, vt in præiudicium præmissorum quæcumque à Summo Pontifice, vel eius Legatis concedantur: neque vllo modo contra præmissæ pactionis tenorem vnquam deuenient sub pœna refusionis, & restitutionis omnium, & singularum expensarum, & damnorum, & interesse litis, quæ ex hinc fortassis oriri posset. Quibus omnibus sic narratis, dictis, factis, & præmissis per præfatum Abbatem Reformatorem, præfatus Reuerendus Pater & Dominus Abbas Claræ-Vallis pro se & nomine Reuerendissimi Domini Abbatis Cistercij, & Capituli generalis, & successorum eorumdem dixit, & simili modo in forma iurauit, quod cum his conditionibus, omnibus litibus, processibus, quæstionibus occa-*

sione præmissorum inter dictas partes motis, & mouendis, omnibusque litis priuilegijs, indultis, statutis & consuetudinibus dicti Ordinis impetratis, & impetrandis, conditis, seu condendis, & cuiusque temporis fuerint dictæ consuetudines oppositæ in quantum præmissæ pactioni, conuentioni, tollerationi contrarientur, de facto renunciant; cum protestatione tamen, quod hæc pactio & conuentio dicti Ordinis priuilegijs, indultis, statutis, & consuetudinibus alias non præiudicaret: sed exceptis quæ in præmissa pactione secundum dictorum priuilegiorum, & indultorum, statutorum consuetudinum tenorem, formam, & modum pro bono pacis benigne tolerantur ipsa omnia illibata, & in suo pleno robore permaneant, promittens, & nominibus, quibus supra solemniter iurans pro se & suis, atque eorum nomine, quorum aiebat successoribus, dictos Abbatum, Reformatorem, & suos co-Abbates, & eorum congregationes, loca & membra præsentia & futura nunquam quomodolibet directè, vel indirectè, vel per se, vel per alios, seu per interpositam personam per processus, vel lites, vel alio quocumque modo, vel quouis quæsito colore turbare, vel inquietare, modo & forma, quibus supra iurans, & promittens dictus Abbas Claræ-Vallis, & sequentibus supra nominibus obligans ad non contraueniendum vllo modo præsenti pactioni; quinimò si & pro quanto forte potestas super hoc data ipsi Abbati Claræ-Vallis sufficiens non esset, ipse vltra præmissa iurauit solemniter & promisit, quod omnibus sibi possibilibus modis procurabit, quod præmissa omnia pro firmiori eorum subsistentia ab ipso Reuerendissimo Domino Cistercij, & Capitulo generali, confirmentur, approbentur, roborentur, & per litteras in tali forma factas, quod in omni iudicio recipi debeant: Similiter etiam dictus Pater Abbas Reformator iurauit, & solemniter promisit, quod hæc omnia modis omnibus possibilibus, secluſa omni fraude procurabit per suum Capitulum approbari, & confirmari, consentientes tam dictus Reuerendus Pater Abbas Claræ-Vallis, quam etiam dictus Reuerendus Pater Abbas Reformator, quod hæc pactio, & conuentio nullam partem obliget donec & quousque hinc inde, scilicet à Capitulo generali Cistercienſis Ordinis, & à Capitulo prouinciali dictorum Abbatis Reformatoris, & suorum co-Abbatum fuerit confirmata: vt autem ipsæ confirmationes hinc inde subsequantur, ad ea, quæ sequuntur ipse Abbas Claræ-Vallis, & Abbas Reformator se submittunt, quòd videlicet ipse Abbas Reformator fideliter procurabit à suo Capitulo prouinciali omnium supradictorum haberi confirmationem: quod si eam obtinere nequierit, tenebitur, sicut iuramento mediante se astringit, & promittit intimari dicto Reuerendo Abbati Claræ-Vallis in Monasterio de Petra in fine proximi mensis Maij ante suum discessum ab his partibus: Si vero nihil tale significauerit dictus Reuerendus Pater Abbas Reformator, ipse Reuerendus Pater Abbas Claræ-Vallis tenebitur, vt supra dicebatur, & se facturum, mediante iuramento promittit, & promisit procurare à Reuerendissimo Domino Cistercij, & Capitulo generali dictam confirmationem, quam si obtinuerit, & dicto Reuerendo Patri Abbati Reformatori miserit; dictus Abbas Reformator iurat, & promittit, & se obligat ad illico quod infra tres dies soluendum omnes expensas ipsius itinerarij, qui dictam confirmationem apportabit: Similiterque dare ei litteras ex parte sui, & suorum Co-Aabbatum, & sui Capituli omnium prædictorum confirmationem, & approbationem continentes, tales, quæ in omni iudicio recipi debeant.

XXXI. Hac inita concordia verbis quàm sensu, vt postmodum apparuit, specioſioti; Claræ-Vallensis Abbas, dum Reformator, intrante mense Maio Congregationis suæ Abbates congregat, atque omnes pariter gratam & ratam habent eius pactionem, cætera, ad quæ veniebat breui peregit. Inde ad Gallias reuersus, concordiam ipsam Reuerendiſſimo Cistercienſi primum, mox Generali Capitulo, Cistercij congregato, præsentauit, vt vtriusque obtineret confirmationem. Porrò tam idem Abbas, quam Capitulum gratam habuere, & ratam, litteris expeditis in hunc tenorem.

XXXII. *Nos frater Ioannes, Abbas Cistercij, Cabilonenſis diœcesis, cæteriſque Diffinitores Capituli Generalis Ordinis Cistercienſis notum facimus, per præsentes vniuersis, quod in eodem Capitulo generalis, anno Domini M.CCCC.XCIII. die 14. mensis Septembris, apud Cistercium celebrato, facta est quædam diffinitio, cuius tenor sequitur, & est talis. Tractatum pacis & concordiæ per Venerabilem Dominum Abbatem Claræ-Vallis, sacræ Theologiæ profeſſorem, authoritate generalis Capituli Commiſſarium ad visitationem, & reformationem omnium, & singulorum locorum, & personarum Ordinis in regnis & partibus Hiſpaniarum consistentium passatum & ..... super certis differentijs pendentibus inter Abbatem Reformatorem Congregationis nonnullorum Monasteriorum Ordinis, in regnis Castellæ & Legionis sub quadam societate viuentium, & vulgariter de obseruantia nuncupatorum, tam suo, quam aliorum Abbatum, Priorum, & Conuentuum dictæ Congregationis nomine, &*

dictum

dictum Dominum Claræ-Vallensem, nomine totius Ordinis, & Capituli generalis, partes ex altera: prout in quodam instrumento super hoc confecto latius continetur, cuius tenor sequitur, & est talis. Deinde sequitur instrumentum concordiæ supra positum; & tandem post ipsius finem additur. *Præsens generale Capitulum matura deliberatione præhabita, attento quod huiusmodi tractatum pacis & concordiæ præfati Abbas Reformator, Abbates & Diffinitores sui Capituli prouincialis confirmauerunt, & ratificauerunt eundem, prout & quemadmodum præmittitur, & in præfato instrumento plenius continetur, pro bono, vnione, & vtilitate totius Ordinis, etiam laudat, approbat, ratificat, & confirmat. Datum sub appensione sigilli dictorum Diffinitorum anno, mense, die & loco supra dictis.* Et infra. *Guillelmus Abbas Longæ-Vallis Secretarius*

Dixi verbis, quam sensu speciosiorem supra dictam concordiam, dum enim nullum suis priuilegiis consuetudinibusque præiudicium inferri in cunctis aliis protestantur vtrique facile ei resilire à pactis fuit. Quippe allegato vndecumque præiudicio, quod deesse non poterat, omnis pactio concordiæ dissoluebatur. Adde quod priuilegiis non solum impetratis, sed impetrandis maxime à Christi Vicario renunciare indigna profusio & forte etiam inualida: Reformationem amantes non admittere, quod est arcere ab obseruantia regulæ, atque idem impedire, forte vt turpis conditio reijci poterat. Constat ab ipso Ioanne de Cisuentes, & eius successore seruata omnia: post ipsos dubitatum de aliquibus; mox etiam declaratum: Demùm plures Concordiæ conditiones vt nociuas reiectas; reliquas, vt potuerint admitti per dessuetudinem tandem obsoleuisse.

XXXIII. Anno M. CCCC. XCIV. (quamuis non desint qui quadriennio differant) perantiquum Morerolæ Monasterium diœcesis Zamorensis nouæ Congregationi vnitum est, virtute priuilegij, atque concordiæ, quibus vltra Montem-Sion & Vallem-bonam, octo alia Monasteria aggregari obseruantiæ permittebantur. Author vnionum de eo hæc habet verba. *Ex scripturis monasterij de Moreruela constat, vltimum Abbatem Commendatarium illius fuisse Cardinalem Archiepiscopum Toletanum D. D. Petrum de Mendoza, per Bullam Xisti IV. expeditam anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. LXXXII. & fecisse cessionem Abbatiæ in fauorem Fratris Francisci de Seuilla, anno M. CCCC. XCIV. & hunc Fratrem Franciscum de Seuilla fuisse primum Abbatem triennalem Obseruantiæ dicti Monasterij, vt eius traditio habet.* Hactenus ibi: nam alia, quæ subiungit, dubia sunt, nec eis in præsenti nobis est opus.

M. CCCC. XCIV. *Vnio Monasterij de Morerola.*

XXXIV. Per idem tempus triennales incepisse Abbates lego in Monasterio Hortæ, qui spiritualibus præessent; volente Aluaro, concedenteque, vt dudum vidimus factum in Sacris mœnibus. Tum etiam vt si forte Abbatia vacaret Aluari morte, impetrari non posset, existente Abbate triennali, in quo dignitas illa conseruaretur. Primus quem ad triennium electum scimus in Monasterio Hortæ Sebastianus Padilla fuit insignis pietate & doctrina pro illo æuo, quem nos in serie Abbatum prætermisimus: sed negari non posse, ex his, quæ de vnione Superati statim dicam, constabit apertè.

Hortæ triennales Abbates.

XXXV. Non multo post sub eodem Ioanne Cisuentes (cui vt Martino de Vargas, initia, sic deberi incrementa Congregationis nequaquam potest in dubium reuocari) illustre Monasterium de Superato in Gallæcia, Compostellanæ diœcesis cum sibi annexo Monasterio S. Iusti, primum in eo regno vnitum est licet sub graui nimis conditione, quæ vnionem non nihil retardauit: nempe quod medietate suorum fructuum Apostolicæ Cameræ soluere tenetur per annos singulos. Vnionem ipsam, ex litteris Alexandri VI. decerptam eorum author narrat in hæc verba. *Monasterium de Superato vacans per cessionem, quam fecit in manibus Alexandri Papæ VI. Antoniotus tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis, cui datum fuerat in commendam, cum sibi vnito Monasterio S. Iusti, attendens Monasteriorum Reformatorum incrementa, quæ in spiritualibus, & temporalibus in dies suscipiebant, idem Pontifex habita deliberatione cum Cardinalibus, & de eorum Consilio, atque exposcentibus votis Catholicorum Regum Ferdinandi & Elisabethæ, vniuit perpetuo, simul cum Monasterio S. Iusti, alijsque annexis iuribus, & pertinentijs, Congregationi regularis obseruantiæ, per Abbatem triennalem regendum, & prima vice eligendum à Reformatore de consensu Sebastiani Abbatis Monasterij Vallis-bonæ, diœcesis Palentinæ; & deinceps eligendum iuxta ritus, mores, & priuilegia concessa Reformatori, & alijs Monasterijs. Cum hoc, inquit, quod prædicta congregatio singulis annis medietatem fructuum, & redituum Superati & S. Iusti, & aliorum annexorum Cameræ Apostolicæ soluere teneatur. Romæ VIII. Kalendis Septembris, Pontificatus ipsius anno 3. Christi M. CCCC. XCIV.* Hactenus ibi. Sed hæc conditio adeo grauis visa est, vt etiam ante vnionem rescinderetur.

Vnio Superati.

XXXVI. Hinc constat primo, Hortam per hoc tempus, Abbatē iam triennalem adeptam fuisse, siue ad spiritualia, siue in titulū; esto Aluaro in aliis subdita foret. Constat secundo, falli

Antonium Clepium, qui Sebastianum in officio Reformatoris ante biennium, atque ex Abbate Spinæ assumptum tradit; quod etiam ex dicendis patebit amplius. Constat tertiò, turpius adhuc falli Benedictum à Peña, qui Buxetum & Villanouam de Oscos numerat inter octo Monasteria aggregata per Bullam Eugenij IV. omissis Superato, & sacris mœnibus; quæ tamen longè ante reformata expleuisse prædictum numerum manifestius est, quam in dubium valeat reuocari.

M. CCCC. XCVI. 13. *Sebastianus de Padilla.*

XXXVII. Anno M.CCCC XC.VI. cum Ioannes de Cifuentes sui quinquennij tempus peregisset, atque in eo aggregasset Monasteria ex Castella, Legione, Gallæciaque, vsque ad decem, selecta & opulenta qui numerus tam in priuilegio, quam in concordia determinatus fuerat quasi nihil iam agendū supereſſet, dimisso pede, accepit succesſorē Sebastianum Padilla Vallisbonensem, quem modo primū triennalem Abbatem Hortæ, ex litteris Alexandri VI. demonstrabamus. Quippe is erat vnus ex duobus, quorum consilio primus Superati Abbas sub reformatione erat eligendus. Ergo quo minus dilatari poterat ad alia Monasteria, tanto magis quæ accepit, in omnibus studuit promouere. Præcipuè autem doctrina & pietę, quas neruos religionis esse non dubitabat. Porro vt vtramque exactius stabiliret.

M. CCCC. XXVII. M. CCCC. XCVIII.

XXXVIII. Sequenti anno M. CCCC. XCVII. dum visitat Ecclesias sibi cōmissas, quis status omniū, qui mores, qui defectus, prudēter considerat; & qualiter eisdem mederi posset. Inde alio immediatè subsequēti M. CCCC. XCVIII. Capitulū prouinciale Hortæ congregat; in quo pro omnibus, quæ indigere remedio, seu promoueri in melius posse considerauerat, sanctissimas, prudentissimasque leges promulgat, quæ hodieque leguntur sub hoc initio. *Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo, indictione prima die vero mēsis Martij sexta celebratum fuit Prouinciale Capitulum in Monasterio de Horta in quo diffinita, & statuta sunt hæc, quæ sequuntur.* Sequuntur autem multa satis vtilia, maturoque consilio deliberata, quæ hodie perseuerant non sine fructu. Imo primum lego, taxatam annuam summam, quæ in continuos sumptus visitationis Reformatori cederet, separatam ab ea quæ distribui ab initio consueuisset ad communia negocia procuranda. Vtramque porro satis moderatam, & à qua nulla prorsus Ecclesiarum etiam Montission, pro quantitate redituum eximeretur. *Vt Patri Reformatori quolibet anno pro indumentorū sumptu, ac duorum famulorum mercede detur summa XXXII. ducatorum à Monasteriis de Morerola & Superato æqualiter annuatim soluendorum. Cætera vero Monasteria, vt consuetum est pro continuis ordinis tam in Romana Curia, quā in aliis, necessitatibus Obseruantiæ occurrentibus, persoluant: Monasterium de Spina XVI. ducatos, de Horta, totidem, de Valleparadisi totidē, de Valle Ecclesiarum X. & Florenū, de Valle-bona VI. & Florenū de Monte-Sion IV. de Saltunouali V. cum dimidio, de Sacramœnia, & de Sotos albos II. & Florenum, de Carraceto X. cum dimidio. Quam summam ducatorum, florenorumque omni cum diligentia annuatim ad Monasterium Vallis-bonæ sub dispositione Abbatum per dimidium annum, in die S. Andreæ deferri faciant, signata in arca ibidem reponendam.* Hactenus ibi. Porro ex totius huius summæ distributione, manifestum habemus, Carracetum hoc anno, licet non plenam, aliqualem subiisse reformationem; fortè quod numerus Ecclesiarum completus esset. At post septennium admisisse integram, resignante Abbate, petentéque, suo loco inferius declarabimus. In hoc Capitulo præceptum item est, fortè in honorem Virginis Mariæ, cui ferimus acceptos singulos illos, quos vulgo *Sobrecintas* appellamus; seu mauis in aliqualem Monachorum huius congregationis ab aliis intra Cistercienſium distinctionem, *vt Scapulariorum cingulis laneis, atque rotundis, colorisque albi omnes vniformiter vterentur.* Cum tamen antea nigris, latisque, atque sericis, vt mos est aliarum Ecclesiarum, vti solerent.

Carrazeti aliqualis vnio.

XXXIX. Multa alia instituta in hoc Capitulo: sed inter omnia præcipuum illud fuit, vt quia prioribus Reformationis legibus expresè cauebatur, ne Monachi obseruantiæ ad studia litterarum extra claustra, vllo quæsito colore mitti possent; atque in hac parte omnino derogabatur constitutioni Benedicti XII. quæ nostris studia strictè præcipiebat: ne vel legem quam primi illi Parentes Congregationis pervtilē putarunt, atque vnicum obseruantiæ fulcrum esse dixerunt, transgrederentur filij, vel, quod magis nociuum reputabant, ignorantiæ perpetuæ subiacerent; & neque ignaris, ad ordinē venientibus, pateret vbi discerent, & litterati ob studiorum desuetudinē, breui obliuiscerētur, quæ didicissent: Sebastiano Padillæ iniunctum est, vt suo, & Coabbatum suorum nomine, impetraret indultum, quatenus in Salmanticensi Academia, aut Vallisoletana, vnum aut plura Collegia struere posset, & competentibus dotare, in quibus, & ex quibus iuniores Monachi discerent intra claustra, quæ senes postea alios docere possent. Cui petitioni Alexander Papa respondit, hoc ipso anno, *quod in Salmanticensi, seu Valisoletana, aut aliis Vniuersitatibus studiorum generalium aliqua Collegia, siue loca honesta, prout eis videbitur, ad quæ Monachi Monasteriorum dictæ obseruantiæ sub visitatione, & correctione dicti Abbatis Reformatoris nunc, & pro tempore existentis etiam*

etiam extra dicta Regna Castellæ, & Legionis consistentium, ad studium transmitti possent, constituendi & deputandi. Ac eius Collegiis siue locis aliquos fructus, seu reditus annuos, seu etiam bona immobilia assignandi, vt alia vnica præmissa necessaria, seu quomodolibet opportuna per se vel per alios facienda, &c.

XL. Petita etiam ex parte huius Capituli ab eodem Alexandro Papa est, declaratio authentica, an Monachi obseruantiæ virtute Bullæ, confessoribus approbatis alias, sed non à propriis Prælatis absolui possent? & responsum, non posse; addita clausula, *vt statuto & ordinationi huiusmodi, per quascumque alias litteras Apostolicas etiam quasuis clausulas, etiam derogatoriarium derogatorias, fortioresq; & insolitas se continentes, derogari nequeat, nec derogatum esse censeatur: nisi statuti & ordinationis huiusmodi, & desuper confectarum litterarum, de verbo ad verbum inserto tenore, & nihil de huiusmodi tenore omisso, specialiter & expresse derogatũfuerit, dicta authoritate decernimus, & declaramus.* Porrò huius clausulæ in Bulla Cruciatæ, quæ siue expeditur, siue prorogatur per annos singulos, cum nulla mentio fiat, ne dum de verbo ab verbum inseratur, quidquid contra eam contigerit attentari, nequaquam credam ab scrupulo alienum. Nam generales clausulas, non solum consuetas, sed insolitas, quales non habet Bulla, video per hoc decretum irritas reddi. Et aliàs verbum illud *declaramus*, non solum non videtur reuocari per clausulas Bullarum subsequentium, sed magis declarare mentem Pontificis, quæ nunquam in hac parte ad nostros se extendat. Quod summe vellem aduertere Confessarios, qui Moniales absoluunt virtute Bullæ: quippe quæ obseruantiæ vnitæ sunt eisdem prorsus in omnibus & per omnia, quibus Monachi parent, subduntur legibus. Sed iam post Sanctissimi Domini nostri Vrbani Papæ VIII. nouissimam de hac re declarationem, non solum nostris sed ne vllis religiosis prodesse Bullam, ad liberam Confessoris electionem, nullus qui benè sentiat dubitauit.

XLI. Hoc ipso anno VIII. Idus Februarij, vnitum lego monasteriũ Beatæ Mariæ de Sotos Albos Diœcesis Segouiensis, Monasterio S. Mariæ de sacris mœnibus, ad instantiam Reformatoris & Abbatum Obseruantiæ Hispaniæ; quod vtrumque cœnobium tenue esset, nec sufficientem Monachorum numerum ad Monasticam disciplinam conseruandam, alere posset. Suppressa ergo dignitas Abbatialis in illo est, vt transiret in membrum sacrorum mœnium, quibus hodie etiam vnitum perseuerat. M. cccc. xcix.

XLII. Anno M. CCCC. XCIX. idem qui supra Sebastianus de Padilla Patri Michaeli de S. Pelago Morerolæ Abbate; atque toti Conuentui licentiam dat, vt Prioratum, quem Hispali habebat dictum *de San Bernardo*, quemque ob distantiam loci commode administrare non valebant, sponte resignarent Abbati & Monachis Monasterij Montis Sion, à quibus proximioribus loco gubernaretur. Cæterum, cum ne illi quidem sine maiori sumptu; quam prouentu id possint exequi; sequenti anno M. D. eundem prioratum concesserunt in feudum illustri fœminæ Dominæ Menciæ de Guzman, sub annua pensione quandiu viueret; ab eius obitu erigendum in Monasterium Sanctimonialium, quod Abbati eiusdem Monasterij & Reformatori Obseruantiæ subditum foret. Porrò tam cessionis, quam transactionis, feudique instrumenta perseuerant: sed an ibidem Monasterium constructum sit, quidve de illo prioratu factum, non potui hactenus plenè examinare.

XLIII. Non potuit Sebastianus de Padilla erigere Collegium, vt optabat; potuit tamen vtcumque res disponere, quibus erectio pateret successori. Quinquennij fine decessit Palaciolis Ioannes de Hoyon Abbas XXXIII. cum annos totidem plus minusve res eius domus egregiè administrasset. Quippe eo tempore, vel qui magis timebant Reformationem, ne ad eam cogerentur, reformabantur, atque in vtrisque bonis promouere curabant Ecclesias, quas accepissent.

XXXIII.

IOANNES VII. CISTERC. XXIX. COMMENDATARIVS I.

I. Eius morte Abbatia Palaciolensis alteri Ioanni in commendam cessisse, dicitur Clerico sæculari, circa annum Domini M. D. sed breui tempore ab ipso detinenda. Quippe intra biennium, vt mox dicam, legitur accepisse successorem. Medio tempore, cum quinquennium expleuisset Sebastianus Padilla, onus deposuit; subrogato Pacifico de Liaño, Monacho Vallisbonæ, anno M. D. L. illo nimirum, quem dudum Romam missum, multa impetrasse nostris, memorauimus. Fuit vir vere spiritum habens reformatoris, & qui terminos hactenus præfixos, multo zelo, & industria dilatauit. M. D. 14. *Pacificus de Liaño.*

XXXIV.

ANTONIANVS CARDIN. COMMENDATARIVS II.

I. Eius, id est *Pacifici de Liaño* anno secundo, Ioannes VII. Palaciolensis Abbas Com-

mendatarius,aut deceſſit,aut ceſſit; ſubrogato Antonioto Cardinali, de quo ſuperiùs: compenſaturo ſecunda hac Abbatia, primam, quam reſignaſſet; ſiue hac non minus ſponte reſignanda, paternalem affectum erga noſtros, atque reformationem oſtenſuro. Illud compertum ceſſiſſe ante biennium, vt Palaciola vnitentur congregationi.

M. D. II. II. Anno M. D. II. illuſtres coniuges Didacus Lopez de Haro & Maria de Luna in donatos admittuntur (ſic vulgo dici ſolent) nouæ familiæ. Nec multo poſt ad potiora tranſituri, Montem Sion hæredem inſtituerunt, in quo & ſepulti iacent. Mox orta lite, Monaſterium inter,& Marchiones de Moya,conuenere, vt hæreditas pinguis, opimaque Marchionibus cederet: Monaſterio moderata tantum penſio viginti millium Marapetinorum aſſignaretur,quam hodieque conſeruat,& percipit per annos ſingulos Quo item anno Franciſcus Buſleiden Archiepiſcopus Biſuntinus, qui cum Philippo cognomento Pulchro, ex Burgundia ad Hiſpaniam tranſmigrauerat, moritur, & in eodem cœnobio ſepelitur.

M. D. III. Sequenti M. D. III. quem habuit vitæ vltimum, Reuerendiſſimus Abbas Ciſtercienſis Ioannes de Cireio, in Hiſpaniam adueniens dicitur viſitaſſe congregationem; idque ad inſtantiam Reformatoris eius Pacifici de Liaño,qui per Procuratores, ad Capitulum generale miſſos,eundem,vt veniret, ſolicitauit. Et dicuntur, extare chartæ viſitationum, in Archiuis Ciſtercij, quas ſe vidiſſe Reuerendiſſimus Edmundus à Cruce, in ſua ad Abbates noſtros Apologia teſtificatur Hoc ipſo anno M. D. III. quantum ex quibuſdam inſtrumentis coniici poteſt Monaſterium S. Prudentij in Rinogia,inuito & repugnante eius Abbate, Martino de Ciruena, Congregationi vnitur;deputato in Abbatem triennalem Didaco Saluetierra, qui, dum Martinum propria domo pellit,atque Romam abire,aut permittit,aut cogit;ſuccedit in regimine,& partim titulo Abbatis,partim præſidis,res eius Monaſterij adminiſtrauit, quamuis lite pendente, & repellendus.

M. D. IV. *Fundatio primi Collegij Salmantini.* IV. Anno M. D. IV. Pacificus de Liaño, Capitulo ad Morerolam celebrato,multa ſanciuit;atque inter alia(quod nobis valde vtile) vt omnia,& ſinguła acta Capitularia, quæ hactenus periiſſent,deinceps ad perpetuam memoriam ſcriberentur;deputato ad hoc libro,qui nulli alteri vſui deſeruiret. Vt qui eatenus ſex eſſe conſueuiſſent,creſcerent vſque ad octo diffinitores:& Abbatibus Montis Sion & Vallis-bonæ,quibus id munus erat quaſi annexũ,tres alij Abbates,& tres Procuratores per ſuffragia eligendi coniungerentur; qui ſimul cum Reformatore,ardua quæque negocia determinarent;& penes quos poteſtas tota Capituli,quandiu celebrabatur,reſideret. Vt procurãdis negociis Congregationis,& Eccleſiarum eius,Monachus vnus Pinciæ,quo temporalia maiori ex parte confluunt;alter in Curia Romana reſideret. Vt quod ipſius anteceſſor Sebaſtianus Collegium erigendum impetraſſet, Salmanticæ in primaria Academia Hiſpaniæ,& iam tunc etiam orbis,erigeretur; Electa Eccleſia S. Saluatoris eiuſdem vrbis,quæ erat membrum Monaſterij Valliſparadiſi, ad fabricæ opus inciendum. Cæterum,quia ſupradictæ Eccleſiæ fructus inſufficientes erant ad onera Collegij ſuſtentanda; quæ tunc ad reformationem aſpirabant Monaſteria Acebeyri, atque Pennæ maiori in Gallecia,itemque Monaſterium S. Michaëlis olim Monialium, tunc vero Monachorum in regno Legionenſi,quæ maiori ex parte tenuia eſſent, ideoque numeroſum Conuentum diſciplinæ obſeruandæ non admitterent(& alias tum indulti,tum concordiæ numerum excedebant) ſupradicto Collegio aggregarentur. Porrò ad hæc omnia,& alia ſtabilienda, itemque ad extendendam Congregationem ad alia Monaſteria, quæ reformari vellent, & ſupplendos defectus in reformatis, ſi qui interceſſiſſent, Romam miſit Fratrem Blaſium de Tagle Abbatem Spinæ(Sebaſtiani de Padilla is Frater erat)cum litteris Ferdinandi Regis Catholici,qui amplam omnium,tum confirmationem,tum extenſionem, & gratiam,impetrauit, vt mox oſtendam.

V. Interim ignorantiæ pellendis tenebris, quibus Monachi adhuc implicabantur,ſimulque erudiendis illis Monachis, per quos Collegium poſſet inchoari, Grammaticam in cœnobio Morerolæ,Philoſophiam in Valleparadiſi,doceri iuſſit, conductis ſæcularibus Magiſtris, (id tunc ferebant tempora) qui minus id exactius exequi poſſunt.

M. D. V. *Vnio Acebeyri, & annexorũ Collegio Salmantino.* VI. Sequenti anno M. D. V. Fratre Blaſio de Tagle Romæ agente, apud Iulium II obtentum primò, vt quia fructus Eccleſiæ S. Saluatoris pro Collegio erigendo tenues eſſent, *Monaſterium de Acebeyro,cuius fructus erant centum Floreni de Camera,& de Pennamaior, cuius fructus erant octoginta, & S. Michaëlis,cuius fructus erant quadraginta,eo quod eſſent campeſtria,& à locis populatis remota,ac ferè deſtructa,perpetuo vnirentur,cum ſuis iuribus & pertinentiis,dicto Collegio,ſuppreſſis, & extinctis dignitatibus Abbatialibus,dum tamẽ in Acebeyro,& in Pennamaior,duo ad minus; in S. Michaële vnus Presbyteri ſæculares, vel regulares deputarentur,ad nutum Reformatoris amouibiles. Romæ XVI. Decembr. anno M. D. V.*

VII. *Deinde anno ſequenti M. D. VI. die 18. menſis Iulij, Pontificatus ipſius anno III. conceſſit Præfato Collegio, vt Monachi in eo reſidentes, & ipſum, gauderent eiſdem priuilegiis*

&,

& gratiis, quibus alia Collegia Vniuersitatis Salmanticenses, & Sæculares in dictis Collegiis studente potiuntur, & gaudent: possentque ad Cathedras suæ facultatis, se opponere, & quoscumque gradus in eadem facultate suscipere, & sicut aliis studentes in cathedris suffragium ferre. Dedit etiam facultatem Capituli Congregationis ordinandi quæcumque statuta pro regimine eiusdem Collegij, quæ post quam facta fuissent, authoritate Apostolica censerentur esse confirmata Hactenus Author: cuius hæc verba vltima per anticipationem continuauimus, cum adhuc restent alia quæ M. D. V. concernant annum.

VIII. Inter quæ tamen primũ locum obtinet aggregatio Monasterij Palaciolensis, cuius Abbatum Series à nostris texitur, hactenus perpetuorum, sedex nunc continuanda per triennales. Porro de hac vnione, hæc scripta lego. *Vacans Monasterium de Palaçuelos Ordinis Cisterciensis Palentinæ diœcesis per cessionem, quam fecit in manibus Iulij Papæ II. Antoniotus Cardinalis Episcopus Prenestinus, cui fuerat datum in Commendam ad petitionem, & instantiam Reformatoris, & Abbatum, in conuentuum Monasteriorum Congregationis regularis Obseruantiæ dicti ordinis in regnis Castellæ, & Legionis, Præfatus Pontifex perpetuo vniuit, cum omnibus suis iuribus & pertinentiis dictæ Congregationi per Abbatum triennalem iuxta laudabiles ritus, ac regularia instituta eiusdem Congregationis Kalendis Iulij anno M.D V.* Hoc primum Monasterium fuit, quod vltra octo ab Eugenio Papa concessa, & cum Petro Claræ-Vallensi Abbate pacta, Blasij de Tagle industria, reformationi aliorum viam strauit. *Palaciola vniuntur Congregationi.*

XXXV.

Bartholomæus, triennalis I.

I. Primum triennalem Abbatem Palaciolensem Batholomæum fuisse oppido, & cognomento *de San Martin*, Vallis-Ecclesiarum Monachum, in sacra Theologia præsentatum, quodam M. S. antiquo notatum lego, cui etiam consonat liber Capitularis quamuis eius memoria non extet in Palaciolis: vbi etiam dicitur impetratam à Blasio Tagle extensionem amplissimam ad quæuis alia cœnobia reformanda in vtraque Castella, Legioneque, atque in Regno Galleciæ, nec dubium quin relatione facta concordiæ initæ cum Cistercio, ne litteræ de obreptione notari possent. Illud compertum, quod hoc eodem anno, quod antea affectauisse aggregationem nec consequi potuisset, saltem plenam, Carraceti cœnobium, vt supra vidimus, vocato ad se Abbate Reformatore, plenissimam vnionem adeptum est, præmissa relatione, quod authoritate Apostolica licebat quibuscumque Monasteriis in regnis Castellæ & Legionis constitutis, quorum maioris partis ad id accederet assensus, propria authoritate, licentia alicuius minimè requisita, reformationi dictæ obseruantiæ subiicere. Porro hanc vnionem author earum scribit in hæc verba. *Carraceti plenario vnio.*

II. *Anno M. D V die XV Septembris, Pontificatus sanctissimi Patris Iulij Papæ II. Frater Gabriel de Ossuna, Abbas perpetuus Monasterij B. Mariæ de Carrazedo, Ordinis Cisterciensis, Astoricensis Diœcesis, & omnes eius Monasterij Monachi professi, & conuentuales considerantes, quam quietè & deuotè diuinis obsequiis, ac si Contemplationi insisterent Abbates Monachi in Monasterijs reformatis regularis obseruantiæ dicti ordinis, omnes vnanimes, nemine dissentiente seu repugnante, congregati in Capitulo coram Domino Fratre Pacifico de Liaño dictæ Obseruantiæ Reformatore generali, humiliter ab eo petierunt, vt dictum Monasterium, & eos, ac eorum quemlibet ad regularem obseruantiam Montis-Sion, & aliorum Monasteriorum reformatorum, & ad eorum priuilegia, concessiones, & viuendi modum recipere, & admittere dignaretur, tam virtute priuilegij, quod eis constabat concessum dictæ Obseruantiæ & eius Abbati Reformatori, per felicis recordationis Eugenium Papam IV. quam etiam virtute facultatis, & commissionis sibi adhoc per prouinciale Capitulum dictæ obseruantiæ, aut alias quomodocumque sibi attributæ, Dicentes, quod ipsi, & eorum quilibet liberè ac spontanea voluntate, omni vi, & dolo semotis, omni meliori modo, quo de iure poterant, ex tunc, & in perpetuum se, ac Monasterium, cum omnibus suis bonis, iuribus, & pertinentiis subijciebat dictæ obseruantiæ, accipi Reformatoris. Postquam communem petitionẽ, & vlterius Fr. Gabriel de Ossuna dicti Monasterij Abbas, adiecit, dicens, specialiter quod ipse ex tunc merè liberè, gratis, & spontaneè, omni metu & dolo cessantibus, cedebat in manibus præfati Generalis Reformatoris, dicto Monasterio, ac eius Abbatiæ omnique iuri sibi ad illud, & eam sibi quomodolibet competenti, adhuc videlicet finem & effectum, quod dictum Monasterium de Carrazedo ad regularem obseruantiam, & eius habitum, ac modum viuendi reduceretur, & non alias: consentiebatque, vt ex tunc, ac de cætero, perpetuis, futuris temporibus, prouideretur dicto Monasterio singulis triennijs, de Abbate idoneo, electione præuia iuxta dictæ obseruantiæ laudabiles constitutiones: & humiliter, ac cum instantia omni petiebat huiusmodi*

cessionem

ceſsionem, ac renunciationem, ad præfatum finem & effectum, & non aliàs acceptare dignaretur, iurauitque more Prælatorum, in dicta renunciatione non interuenisse fraudem, dolum, ſymoniam, vllamvè illicitam pactionem, ſeu corruptelam. Quibus præmiſſis, præfatus generalis Reformator dixit, quod conſiderans ipſius Abbatis, ac Monachorum omnium humiles & deuotas intentiones, volens quantum in Deo poterat eorum petitionibus annuere, quia authoritate Apoſtolica licebat, quibuſcumque monaſteriis in Regnis Caſtellæ, & Legionis conſtitutis, ac Abbatibus, & religioſis eiuſdem ordinis Ciſtercienſis, quorum maioris partis ad id accederet aſſenſus propria authoritate, licentia alicuius minimè requiſita reformationi dictæ obſeruantiæ ſe ſubiicere prout tunc Abbas, & Monachi ſe ſubiicerent, omnium expreſſo accedente conſenſu, authoritate, qua fungebatur, virtute litterarum Apoſtolicæ ſedis, & authoritate ordinis, ac prædictæ obſeruantiæ ſibi in hac parte commiſſa, acceptabat, & admittebat prædictam ſubiectionem per Abbatem, & Conuentum factam, & ipſos Abbatem, ac Monachos, vna cum dicto Monaſterio, & in eo ſucceſſoribus, ac bonis præſentibus, & futuris, ex tunc & in perpetuum aggregabat prædictæ obſeruantiæ regulari, ita quod deinceps Monaſterium, Abbates, Monachi, perſonæ, res, & bona dicti Monaſterij vti, frui, & gaudere poſſent in omnibus, & per omnia vniuerſis priuilegiis gratiis, & immunitatibus Montis Sion, & aliorum Reformatorum Monaſteriorum, vlteriuſque ſubiungit, ceſsionem dicti Monaſterij, ac eius Abbatiæ in ſuis manibus factam per D. Fr. Gabrielem, eiſdem authoritatibus admittere, ad ſupradictum finem & effectum: ac proinde perpetuam dignitatem Abbatialem ſupprimere, eamque de perpetua, in triennalem conuertere, iuxta dictæ obſeruantiæ conſtitutiones. Et illicò inſtituit in Priorem, ſeu Præſidentem Monaſterij eundem fratrem Gabrielem de Oſſuna, donec fieret noui Abbatis electio. Poſt quæ, facto nonnullo interuallo, congregati rurſus in Capitulo coram præfato generali Reformatore, proceſſerunt ad electionem noui Abbatis triennalis, modo & forma conſueta dicta obſeruantiæ regularis, ac elegerunt denuo eundem fratrem Gabrielem de Oſſuna, quam electionem confirmauit ipſe generalis reformator, eiſdem die, Menſe, & Anno, quibus ſupra, &c. Hæc ad hunc annum, nec adhuc exhauſta ſeges.

M. D. VI. *Meloniſque.*

III. Sequenti M.D.VI. Monaſterium de Melone in Gallecia, Tudenſis diœceſis, Congregationi acceſſit, non ſine lite, ſed quæ facilem habuit compoſitionem. Abbatia vacante, & conuentu volente reformari, petenteque; frater Benedictus de Fuenſalida Monachus Montis Sion in Abbatem conceſſus, atque in Lapidem primum reformationis. Inde inter ipſum & quendam Lupum de Vita Clericum ſæcularem Compoſtellanæ Diœceſis allegantem Abbatiam ſibi deberi, lis conteſtata: *Ea pendente, (ait author vnionum) & Lupo per ſe ipſum, Benedicto per fratrem Blaſium de Tagle Abbatem S. Petri de Spina Procuratorem ſuum, ad hoc ſpecialiter conſtitutum, liberè cedentibus in manibus Iulij Papæ II. præfatus Pontifex ad petitionem, & inſtantiam Reformatoris, & aliorum Abbatum Congregationis, illud perpetuo vniuit, cum omnibus iuribus, & pertinentiis ſuis, eidem Congregationi, anno M. D. VI. pridie Kalendas Aprilis, Pontificatus ſui anno III. regendum per Abbatem triennalem iuxta ritus, & regularia inſtituta dictæ Congregationis.* Credibile eſt, fauentibus tum Regibus Catholicis, tum Pontifice Summo, fœlicibus initiis Congregationis, non recuſaſſe Lupum cedere iuri, quod ſibi aliàs compenſandum ſperaret.

Atque Mœtiſferi.

IV. Eodem anno, proſequitur ibidem author vnionum. *Ex parte Reformatoris, (nempe Pacifici) Abbatum, & conuentuum, Monaſteriorum regularis obſeruantiæ ordinis Ciſtercienſis, fuit propoſitum Iulio Papæ II. propter nonnullas differentias inter duos vltimos Abbates Commendatarios Monaſterij de Monfero dicti ordinis, Compoſtellanæ diœceſis, & quoſdam laicos exortas, prædictos Abbates atrociter fuiſſe interfectos ab eiſdem, vel aliis laicis; & vero ſimiliter præſumi huiuſmodi diſcordias non ceſſaturas, dum Commendatarius perpetuus in dicto Monaſterio reſideret. At vero, ſi Congregationi præfatæ incorporaretur, abſque dubio laicos ab huiuſmodi inſolentiis reprimendo; attendentes deinceps, non iam cum ſolo Abbate, ſed cum tota Congregatione litem ſibi eſſe futuram. Tum etiam propter contiguitatem terminorum eiuſdem Monaſterij, ac Superati, eorumdemque Monaſteriorum propinquitatem, facile poſſe ſe adinuicem iuuari. Quibus motus prædictus Pontifex anno M.D.VI. pridie Kalendas Aprilis præfatum Monaſterium, ſuppreſſa Abbatia perpetua, & in triennalem conuerſa, perpetuo vniuit, cum omnibus ſuis iuribus, & pertinentiis, dictæ Congregationi, accedente conſenſu expreſſo conuentus dicti Monaſterij: ita vt quamprimùm per ceſſum, vel deceſſum obtinentis tunc Monaſterium in titulum, ſeu commendam, vel quouis alio modo vacare contigerit, liceret Abbati Reformatori propria authoritate poſſeſſionem eiuſdem Monaſterij, & omnium ad ipſum pertinentium apprehendere, vt perpetuo reſeretur per Abbatem triennalem iuxta mores & ritus dictæ obſeruantiæ.* Ceſſiſſe creditur, qui tunc præerat Abbas, & Monaſterium acceſſiſſe ſtatim noſtris, ſeu

seu metus mortis, seu affectus pietatis possessorem induxerint, ne vltra inuitum conuentum detineret.

V. His Galleciæ cœnobiis accessit aliud in Regno Toletano nẽpe de Ouila diœcesis Seguntinæ, cuius vnionem Hortensis in Hispania suasione, & exemplo, quippe loco vicini & & familiares Romæ Blasius de Tagle, nomine Abbatis, & Monachorum eius solicitarunt. Quippe, *Propositum fuit Iulio Papæ II. Monasterium hoc propter malum regimen obtinentium illud in commendam dirutum esse, & officinis, atque Ecclesia carere, taliter vt in Refectorio diuinum Officium celebraretur: si autem vniretur Congregationi facilius restaurandum. Quibus motus Pontifex cessione facta in ipsius manibus ab Ignatio de Collantes commendatario per Blasium de Tagle Abbatem S. Petri de Spina, & accedente petitione Refomatoris, & aliorum Abbatum, & conuentuum dictæ Congregationis, illud perpetuo vniuit cum suis iuribus Congregationi dictæ anno M D.VI. Sexto Idus Augusti Pontificatus ipsius anno III.* Ita per sacrilegia, cædes, ruinasq; clementissimus Dominus incrementa obseruãtiæ præparabat. *Et Ouilæ.*

VI. Hactenus Blasius Tagle Romæ existens, atque in Hispania insignis Reformator Pacificus Liano, cui breui tempore quinquennij nondum expleti, si Abbatias numeremus, quas aggregauit Collegio Salmantino, atque ipsum Collegium seminarium progressuum huius familiæ; plus proculdubio debuit, quam tot antecessoribus, qui per tres & septuaginta annos continuos illius clauum tenuissent, cura peruigili. Sed heu, quinquennio, vt dixi, nondum expleto, ex hac vita migrauit vir sanè dignus æuo longiori.

VII. Porro cum tunc, fœliciter peractis cunctis negotiis pro quibus missus fuerat, Blasius Tagle de Curia reuersus esset, communibus suffragiis illi sufficitur, celebrato Capitulo, vt coniector apud Montem-Sion, neque enim in actis extat eius electio. Id solum constat electum post Pacificum, mox vt à Curia rediit, neque degenerem fuisse successorem 15. *Blasius Tagle.*

VIII. Vix Blasius Tagle sedem occupauerat, cum eodem anno M. D. VI Bartholomæo Abbate Palaciolensi secum assumpto, ad Matam planam properat diœcesis Palentinæ vicinam domum eam ad petitionem Monachorum, si Abbas consentiret, reformaturus. Verum Abbate nequaquam consentiente, nisi sub exquisitis conditionibus, quibus nostris stare iniquum foret; frustrata pro tunc vnio, siue dilata, post annos aliquot cõmodiùs exequenda. Constat ex Monumento M. S. eiusdem præsentati (nam sic subscribit) Bartholomæi Abbatis, subiuncto tomo 1. Glossæ ordinariæ, quæ in cœnobio Vallis-Ecclesiarum, cuius Monachus erat hodieque extat.

IX. Sequenti anno M.D.VII. Synodo prouinciali celebrata ad 21 diem mensis Ianuarij, pro maiori incremento congregationis sancitum lego: vt in Monte-Sion scrinia publica, siue archiuum, vt vocant, constrúeretur, reponendis communibus indultis & instrumentis, quæ ibidem seruantur vsque ad hanc diem. Tres porro claues instrumenta claudunt; altera quæ Abbati Montis-Sion, alia quæ Vallis-bonæ, & tertia tandem, quæ Reformatori in custodiam committi solent. In eodem Capitulo decretum, sed effectu frustratum, reclamantibus Abbatibus & Conuentu de Superato, vt reditus Monasterij S. Iusti, quod membrum erat, Collegio S. Saluatoris Salamantini, quod tunc erigebatur, aggregarentur. M. D. VII.

X. Sancita & aliæ duæ leges pervtiles, quæ vtinam mansissent: altera vt Reformator diebus singulis, Capitulo durante, diffinitorio abesset per horam integram; in qua Diffinitores, de eius actibus, & modo gubernandi expeditius inquirerẽt, conferrentque; & quæ emendanda inuenirent liberius & commodius tractare possent. Altera, vt litigante quacumque domo, si lis esset prolixa, cæteræ omnes ad expensas contribuerent: ne vel exhausta desisteret à lite, vel defectu expensarum causa caderet. Iniunctum etiam Blasio Reformatori, vt iuxta indultum, quod ipse impetrauisset, (nam & hoc Romæ obtinuit) omnes & singulas Abbatias vtriusque sexus non reformatas, assumpto secum socio, visitaret: si fortè hac via, quæ in multis ex vsu fuit, reliquæ ad Obseruantiam pertraherentur. Et sperabantur haud dubiè pertrahendæ, si visitatio ad effectum perducta esset. Demum in eodem Capitulo inter Obseruantiæ Monachos, & Huelguenses Moniales prope Burgos, mutua pro decedentibus suffragia instituta sunt. sed quæ non satis constat, quandiu manserint.

XI. Eodem anno, cedente, aut decedente, siue ad aliam Ecclesiam postulato Barthomæo Palaciolensi Abbate (neque enim liquet, cur triennium non impleuerit) designatur successor.

XXXVI.

Augustinus triennalis II.

I. Augustinus cognoment *Monte-mayor*, ab initio Reformationis secundus Abbas, qui tamen ab aliquibus ob Bartholomæi, ignorantiam primus dicitur. M. D. VII.

II. Sequenti anno M.D.VIII. biennio in officio nondum expleto, immatura morte præ- 16.

uentus

16. *Laurẽtius de Peña-fiel.*

uentus Blasius Tagle,ingens sui desiderium reliquit filiis.Eodem anno in Monasterio Montis-Sion celebrato Capitulo ad XVIII. dies mensis Decembris, in Reformatorem eligitur Frater Laurentius de Peña-fiel, Monachus Vallis-paradisi, primus, vt ferunt, ex Ecclesiis aggregatis,cum cæteri ante ipsum, omnes ex duabus primis, & tanto tempore vnicis,Monte-Sion, & Valle-bona assumpti essent.

III. Noua quædam tentata in hoc Capitulo etiam si bono zelo, quorundam animos, vt solent,exacerbarunt. Relegata quinquennia Reformatorum, decretumque, vt ab eo anno, & deinceps ad triennium duntaxat eligerentur.Sed præfuturi Capitulo sequenti,in quo post nouarum legum,(si quæ fortè ferrentur)promulgationem,(quæ vltima Capituli cessio semper est)abdicato officio,successorem acciperet,à quo Synodus statim dissolueretur. Delatum experientia anteceſſoris,vt negotia tractaret: indultúmque modestiæ successorem,seu fortè verecundiæ,ne pondere cunctorum,velut repentè, ipso in ingressu officij opprimerentur.

IV. Iussum præterea,vt Capitula deinceps obseruantiæ, in Monte-Sion omnia, vt Cistercij, in Cistercio, neque vnquam alibi possent celebrari. Et quo corpori membrum simile lius esset,vt sicut Cistercienſem quatuor primi,ita Reformatorem duo saltem,Montis-Sion nimirum, & Vallis-bonæ Abbates,vt primi, visitarent congregationes. Atque hæc & similia firmari iussa Pontificis Romani authoritate.

Aggreganntur Moniales de Bethleen.

V. In hoc Capitulo Moniales Bethlehemiticæ apud Vallis-Oletum reformandæ, vltro se subdiderunt Congregationi. Huelguensibus prope Burgos recalcitrantibus, nec visitari passis; quos hactenus audiendis confessionibus, ex Obseruantia habuissent, Monachi reuocari iussi, nisi consentiant.

M. D. IX. *& Abbatia Monachorũ Bona-Vallis.*

VI. Anno M. D. IX. legitur reformata Bona-Vallis Diœcesis Toletanæ, spontanea cessione Episcopi Bisuntini, cui per perpetuo commissa regenda fuerat. Porrò Laurentius, cum posset eam adquirere, & sibi & Obseruantia,maluit aggregari Monti-Sion;& suppressa Abbatiali dignitate,in eius prioratum pertransire: apprehendente illius possessione Montis-Sion Abbate, viij. die Augusti, quod à Benedicto Peña notatum video. Porrò hæc omnia superueniente approbatione Iulij Papæ II. eodem anno firmata reperiuntur. Sunt qui affirmant, aggregationem factam, pro expensis Capituli, quod ibidem perpetuo celebrandum sancitum esset: quare hac causa cessante, dissoluendam. Negantibus è contra Monti-Sionensibus; atque adstruentibus vnionem absolutam, neque ab huiusmodi expensis dependentem. Mihi respectum ad eas habitum fuisse,duæ, nec leues,probant coniecturæ; altera indictio omnium Capitulorum in eodem Monasterio cum vnione coincidens: altera, & grauior,eius reuocatio post annos quadraginta,plus minúsve,addita conditione,*Ne ratione expensarum, à quibus liberatur ob non celebrationem Capitulorum, amittat prioratum Bonæ-Vallis,qui eidem Monasterio vnitus existit.* Quam præcautionem,quando ipsi adhiberent, si non eam causam vnionis præcognouissent? Sed nihilominus nulla in litteris, eius

M. D. X. mentione facta, non magis operatur, quam si non esset. Hæc vsque ad annum M. D. X. quo Augustinus triennium suum expleuit in Palaciolis.

XXXVII.

IOANNES VIII. TRIENNALIS III.

M. D. XI. I. Anno M. D. XI. Augustino subrogatur Ioannes VIII. cognomento *de Cuellar*, cuius tempore Laurentius de Peña-fiel duo Capitula prouincialia celebrauit, alterum Superati in Gallecia, intrante mense Iunij eiusdem anni; alterum in Castella, Morerolæ, die xi. Iunij anni sequentis. In primo porrò designari iussus Monachus in Gallecia, qui quandiu reformatur Castellæ ageret, absentis vices ibidem exequeretur. Cautum præterea, ne sanguine infecti admittantur ad habitum; & statutum rigidum examen, quod prius singuli essent subituri. Abbates Montis-Sion & Vallis-bonæ, de nondum visitato Reformatore causas obtenduntmaxime quod lex ea vt iubebatur,nondum Apostolicam accepisse confirmationem. Quod vtrum casu an industria contigisset, dubitabatur. Erant qui dicerent, ideo non petitam, vt triennium ad quinquennium prorogaretur. Hæc & alia similia Superati.

II. Morerolæ alia quædam sequenti anno stabilita lego, pro negotiorum, seu rerum occurrentium necessitate. Cum Abbates, quantumuis triennales, per relectiones in eisdem Abbatiis de triennio in triennium prorogarentur; & perpetuitas subditis prægrauis, atque obtegendis Prælatorum vitiis, (quæ quis sub ipsis prodat?) aptior,quam corrigendis inueniretur: zelo, an cupidine subeundi dignitates, & vt is siue honor, siue onus pertransiret ad omnes; delata Regibus Abbatum perpetuitas, sub specie triennalium; & collata in Supremo Senatu Regio, atque vtrinque discussa, longe plurium suffragij damnata est; litteris

destinatis

destinatis ad hoc Capitulum, quibus ea releganda consulebatur. Tum vero Patres, quamuis si quibus suberant incommodis, prædictæ reelectiones, vtilitatibus, quæ ex ipsis sequebantur abunde compensari, non dubitabant: tamen vt Regibus, & eorum consiliariis morem gererent (hoc enim verba sonant ipsius legis) & ne de ambitu, aut cupidine imperandi notari possent, promulgarunt decretum, ne deinceps quis Abbas post triennium reelegi in eodem cœnobio posset: sed vel prorsus vacaret à præfectura, si supperterent digni; vel ipse dignior ab aliis eligeretur, quibus neque suspectus, neque ipsi in illius electione alicui suspicioni subesse possent. Additumque, vt cuicumque priorem domum obæratam relinquerent in certa quantitate, iuxta cuiusque redituum proportionem; ad triennium vt minus ineligibilis, vocem passiuam penitus amitteret, quod hodieque videmus permanere

III. Decreta iterum Visitatio passiua Reformatoris: at non vt prius per duos primos Abbates, Montis Sion nimirum, & Vallisbonæ; sed per alterum tantum Montis Sion; subrogatis pro secundo aliis duobus per suffragia eligendis: & designatis pro hac prima vice Patre Ferdinando de Baltanas, & fratre Stephano de Estrada Abbatibus Vallis Ecclesiarum, & Morerolæ. Hoc fuit initium Visitatorum, quos vulgo dicimus *De las siete casas*, qui ad calcem triennij destinantur, vt inquirant de gestis Reformatoris.

IV. In eodem Capitulo sancitum est, vt solus Abbas Montis Sion Diffinitor perpetuus haberetur, reliquis per suffragia designandis Quo factum est, vt Vallisbona breui, & antiquo iure eligendi Diffinitorem, atque diffinitione perpetua sui Abbatis, & recentiori visitandi Reformatorem (incertum quibus causis) destitueretur. Nec mansit illi locus sublimior cæteris, promulgata alia lege in hoc Capitulo vt omnes, vno excepto Abbate Montis Sion, vbicumque sederent, aut starent, seruarent ordinem fundationum Monasteriorum.

V. Inter hæc duo nostris cœnobia vnita inuenio, alterum de Villa-noua de Oscos in Asturibus, in veteri Castella aliud de Riuosico; illud prospero euentu, fœlici anno M.D.XI. per liberam cessionem fratris Andreæ de Moram, cum annos XIX. Abbas perpetuus res Monasterij eximiè administrasset. Quam vnionem quietam & pacificam ex parte Abbatis, licet ex parte Monachorum turbida (quippe vno dempto, omnes ad alias Ecclesias, transmigrarunt) video ab autore omnino prætermissam. Icte secundum in vereri Castella Burgensis diœcesis conatu pro tunc irrito: quippe vacante Abbatia per obitum vltimi Abbatis perpetui Martini de Arges, cum conuentus pro illo subrogasset fratrem Ioannem de Ocina, superuenere ex Vallebona Monachi cum litteris Ferdinandi Regis Catholici, velut Patroni loci; atque Reformatoris, qui pulso Ioanne, Monasterium regerent, velut ex tunc vnitum Congregationi. Ille neque audens contraire mandatis Principis, neque acquiescens dimittere Abbatiam, quam legitimo iure possidebat, Romam aufugit; vbi intra sesquiannum lite peracta, suæ dignitati restitutus est, quam per annos quadraginta administrauit, quo vsque tandem senex, sponte cessit in fauorem Congregationis, vt infra dicam.

Et Villa-noua.

Riuisici frustra tentata.

VI. Cæterum quæ decreta de nouo fuerant commotos semel animos, facile ad alios tumultus præcipitarunt: & querelis ex querelis emergentibus, cum inuicem concordare non possent, ad tribunalia extranea proruperunt. Delatum ad Catholicos Reges est, Reformatorem, simul & Abbates potestate abuti; & multa in obseruantia contra obseruantiam, quæ remedio indigerent externæ manus. Illi vt erant in nostros propenso animo, ne vel Cistercium ab alio quam à seipso, vel obseruantia in Hispania stabilita, alienæ subiaceret iurisdictioni cum virum doctum pariter ac pium, Patrem Richerium Cistercienſem Monachum, atque eleemosynis aulæ suæ præfectum, huic muneri opportunum esse cognoscerent, Capitulum congregare iusserunt in Vallebona initio anni sequentis, vt accepta ab eo authoritate, Abbatias reformatas visitaret; & alte examinatis culpis propositis, emendaret sapienter, atque corrigeret, quod inueniret dignum correctione. Hæc illis cura famæ Monachorum, hoc honoris Ecclesiæ studium fuit.

VII. Languebat interim in Valle-paradisi Laurentius Reformator, nec promptum illi Vallem bonam adire fuit. Non tamen ideo distulit negotium; quin potius censuit, qua ipsum concernebat, melius in eius absentia pertractandum. Itaque quamuis impeditus febribus Capitulum indixit ad XXVI. diem mensis Februarij: tum vero designato insigni Viro fratre Valeriano de Oliuença Monacho Monasterij Montis Sion, tunc Carrazeti Abbate, qui Synodo pro ipso præsideret, congregati Abbates, Procuratoresque, Diffinitores primum elegere pro more ordinis: mox lectis Regiis litteris, quas dictus frater Richerius attulisset, atque laudato zelo sanctorum Principum, ad visitandam nouem intra menses, (quod tempus satis esse videbatur) vniuersam eorum congregationem Abbatias, & personas illius singulas, totius Capituli transtulerunt in ipsum authoritatem, patentibus litteris, quarum tenorem hic censui transcribendum. Est autem talis.

VIII. *Frater Valerianus de Oliuencia Abbas Monasterij Beatæ Mariæ de Carrazedo ordinis Cistercienſis, regularis obſeruantiæ, Aſturicenſis diœceſis, Præſidens & locum Reuerendi Patris Fratris Laurentij de Peña-fiel Abbatis Reformatoris, & generalis Viſitatoris omnium, & ſingulorum monaſteriorum dicti Ordinis ſub regulari obſeruantia reformatorum, in Caſtellæ & Legionis Regnis conſiſtentium tenens, propter ipſius infirmitatem, & ſiniſtram corporis valetudinem; ac Diffinitores & Capitulum dicti ſacri ordinis, quorum nomina inferius exprimentur Reuerendo Patri Fratri Richerio dicti ordinis Profeſſori, Regio Eleemoſynario, ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus, Ieſus Chriſtus Dominus noſter.*

IX. *Ad ea ſtudioſè, & libenter non immerito intendimus, per quæ ſacer ordo noſter præditus in honore ſuo, & puritate conſeruetur, ne calumniis malignorum impugnari poſſit, atque Regiis mandatis pareatur. Cum itaque Regis Catholici maieſtati per nonnullos iniquitatis miniſtros falsè ſuggeſtum ſit, quod miniſteria dicti ordinis noſtri & Regularis obſeruantiæ ob Reformatorum, Viſitatorum & Prælatorum eorundem culpam deſidiam, & negligentiam minus benè in ſpiritualibus, & temporalibus regerentur, & aliqua in eis facerent, quæ viſitatione, & correctione, punitioneque indigerent, eadem Catholica maieſtas cupiens, vt ſemper optauit, quod monaſteria dicti ordinis noſtri in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſciperent incrementum, vt perſonæ in eis degentes merito Religioſi, ac Deo ſeruientes dici poſſint, & ſi quæ in eodem ordine correctione, punitione, & emendatione digna reperirentur iuxta eiuſdem ordinis & obſeruantiæ priuilegia, ac regularia inſtituta corrigerentur, punirentur, emmendarenturque vocato ſuper hoc Abbate Reformatore dicti ordinis, habitaque deſuper cum clariſſimis viris conſiliariis ſuis matura deliberatione, dignum duxit, voluit, & decreuit, quod monaſteria eiuſdem noſtri ſacri ordinis, & obſeruantiæ dictorum Regnorum per aliquam eiuſdem noſtri ordinis & profeſſionis per ſuam Regiam celſitudinem nominandam perſonam, hac vice in capite & in membris viſitarentur, correctioneque & punitione digna punirentur, & corrigerentur; noſque eidem ſic nominandæ perſonæ ad præmiſſa, vices, authoritatem, & facultatem noſtras conſideremus, & impertiremur, & ad id faciendum infra certum tempus, & expreſſum terminum Capitulum Prouinciale celebraremus. Nos itaque cupientes innocentiam noſtram & puritatem ſuper prædictis eidem Catholicæ maieſtati enodare, & notam facere, atque honorem ordinis noſtri prædicti indemnem conſeruare, Regiæque voluntati, ordinationi, mandatis reuerenter morem gerere, obtemperare, ac vt tenemur obedire ſuper prædictis intra dicti noſtri ordinis monaſterium Beatæ Mariæ de Val-buena Palentinæ diœceſis conuenientes & capitulariter congregati, ac Prouinciale Capitulum celebrantes, intelleximus, quod præfata Catholica maieſtas vos Præfatum Reuerendum Patrem fratrem Richerium, ad præfatam viſitationem faciendam nominauerit & deputauerit, & quia de Zelo, vitæ puritate, & morum grauitate, litterarum ſcientia, & aliis multiplicibus virtutum meritis, quibus altiſſimus perſonam veſtram decorare dignatus eſt, ſumus ad plenum informati, ſperamuſque, quod ea, quæ vobis committenda duximus, ritè, & rectè exequemini, ac ſalubri ſtudio gubernabitis: idcirco nos Præſidens, Diffinitores, & Capitulum nomine noſtro, & iure, & nomine aliorum Abbatum dicti ordinis de obſeruantia abſentium, pro quibus quatenus opus ſit coram Notario infra ſcripto de ratihabitione in forma iuris fideiuſſimus, & fide iubemus; vobis præfato Fratri Richerio vt ad omnia, & ſingula dictorum Regnorum noſtri ordinis monaſteria ſub regulari obſeruãtia reformata, perſonaliter accedere, & ſolum Deum, ac animarum ſalutem præ oculis habentes, illa tam in Capitibus, quam in membris, ac in ſpiritualibus, & temporalibus, & tam dictum Reuerendum Patrem Abbatem Reformatorem, quam cæteros Prælatos, & Religioſos, & Religioſas dicti ordinis, & obſeruantiæ, iuxta priuilegia, & regularia inſtituta, & Diffinitiones viſitare, ac de ſtatu monaſteriorum, vita quoque & moribus Abbatum, Priorum, & aliorum dicti ordinis Religioſorum inquirere, & qui ex eis ſtudioſi, aut criminoſi reperti fuerint, iuxta priuilegia, & regularia inſtituta prædicta, ac diffinitiones, & exceſſuum qualitatem & exigentiam, pœnis debitis, ſeruato tamen debito diſciplinæ, incarcerare, corrigere, punire & caſtigare, & ſententiis per vos latis abſoluere, & male geſta emmendare, pœnitentias iniungere, & iniunctas moderare, ac contradictores, & quoſlibet inobedientes, & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia remedia opportuna, compellere liberè, ac licitè, poſitis & valeatis, facultatem, poteſtatemque concedimus, ac vobis ſupra promiſſis, & ea tangentibus, ſeu quomodolibet concernentibus annexis, & connexis, vices noſtras plenariè committimus, præſentium tenore mandantes, in virtute ſalutaris obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, dicto Reuerendo Patri Abbati Reformatori ac omnibus & ſingulis Abbatibus, Prioribus, Monachis, & conuerſis dicti ordinis noſtri de obſeruantia, ad quorum monaſteria, & conuentus vos accedere, & declinare contigerit, quatenus vos reuerenter accipiant, & in præmiſſis vobis integrè pareant, intendant,*

dant, & obediant, & insuper præsentium tenore, & sub prædicta excommunicationis pœna, præfato Reuerendo Patri Abbati Reformatori inhibemus, nè vobis supra præmissis, visitatione, correctione, & punitione, impedimentum quomodolibet præstet; prouiso tamen, quod per præsentes quo ad reliqua eidem Patri Reformatori, ratione dignitatis, & officij sui incumbentia onera, nullatenus derogare, seu præiudicare intendimus, quominus ipse ad ea omnia, & singula, quæ ex officio tenetur, libere procedere possit, & valeat, seruata tamen præfata nostra inhibitione. Taliter ergo, Reuerende Pater, in præmissis vos exhibete, vt de vera ad dictum nostrum ordinem dilectione ac zelo, & deuotione, merito vbique commendari valeatis: Præsentibus post nouem menses immediatè sequentes à die datæ præsentium computandos, minimè valituris.

X. *Nomina autem Præsidentis, & Diffinitorum & aliorum Officialium dicti Capituli, ac Abbatum, & Procuratorum in eodem existentium & prædicta concedentium hæc sunt, videlicet Frater Valerianus de Oliuencia, &c. Ad quorum omnium & singulorum fidem, robur, & testimonium præsentes nostras litteras exinde fieri, & per Notarium infra scriptum subscribi & publicari sigillique nostri, quo in similibus vtimur iussimus & fecimus communiri. Datis & actis in dicto Monasterio nostro, seu dicti ordinis Beatæ Mariæ de Valbuena nobis intibi post Missarum solemnia in loco Diffinitorij dicti Monasterij Capitulariter congregatis, & ad hoc specialiter vocatis, anno à natiuitate Domini millesimo quingentesimo tertio decimo, indictione prima, die verò vicesimo octauo mensis Februarij, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris* M.D.XIII. *ac Domini Iulij diuina miseratione & prouidentia Papæ II. anno decimo. Præsentibus ibidem Venerabilibus viris Dominis, Ioanne Sanctij Peña-fiel, & Ferdinando Sanctij Rectoribus perpetuis beneficiatis in parochiali Ecclesia dicti oppidi de Oliuares dictæ Palentinæ diœcesis, ac Ioanne de Villalta Rectore Parrochialis Ecclesiæ loci* de la Puebla *Segouiensis diœcesis in Decretis Bachalaureo, testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis: Et ego frater Michaël de Onate ad hæc omnia præsens fui, & ea scribi feci mandato Præsidentis de Deffinitorum, & totius prædicti Capituli, & in fidem & testimonium, hoc præsens instrumentum feci, vt Notarius Capituli. Frater Michaël de Onate Abbas Saltus noualis & Notarius.*

XI. His litteris susceptis Pater Richerius, atque operi accinctus, omnem monasteriorum visitationem aggressus est, quæ deformia inueniret, quanto posset studio reformaturus. Porrò cum sibi iniunctum munus peregisset, infra terminum in litteris præfixum capitulum secundo congregauit, in quo & noui electio Reformatoris (nam iam Laurentius tempus suum expleuerat) ex more celebraretur, & processus ab ipso fulminati legesque, atque sententiæ, si quas fulminauisset, promulgarentur. Constat hanc Synodum congregatam fuisse apud Montem Sion; vbi & idem Richerius quibusdam ratiociniis exigendis, quo omnia exactius posset indagare præfectus legitur. Cæterùm nihil dignum correctione, aut punitione inuenisse, inde magis coniector, quam affirmo: quod inter antecedentia, & subsequentia nullum aliud Capitulum inuenio, in quo pauciores pœnæ culpis iniunctæ, pauciores leges latæ reperiantur. Nisi quod tamen Abbati Vallisbonæ legitur restitutus secundus locus post Abbatem Montis Sion & quædam alia prouidè instituta, per quæ obseruantia ad alia monasteria, quæ nondum reformata erant extenderetur.

XII. Eodem anno, in eodemque Capitulo ad vigesimam octauam diem mensis Decembris, examinatis causis Reformatoris fratris Laurentij de Peña-fiel, atque ipso indemni comprobato, laudatoque, qui eius vices in Vallebona gesserat, frater Valerianus de Oliuencia communibus suffragiis subrogatus, fœlicibus auspiciis conscendit sedem: quippe post iam sedatam tempestatem, tranquillum mare, & portum sibi tutum expertus est; in quo & noua incrementa congregationis accessione aliarum Ecclesiarum, quas Laurentius non potuit, comparauit. 17. *Valerianus de Oliuencia.*

XIII. Sequenti anno M.D.XIV. quæ dudum tentata non successerat reformatio Monasterij de Meyra in Regno Gallæciæ, tandem optatum effectum sortita est, radios licet post casus, atque discrimina, de quibus author vnionum hæc habet verba. M.D XIV.

XIV. *Hoc monasterium (scilicet de Meyra Lucensis Diœcesis) per cessionem, quam fecerat in manibus Iulij Papæ secundi quidam Arias Commendatarius, prouidit dictus Pontifex, cum consilio Cardinalium cuidam Fulgentio etiam in commendam, Pontificatus sui anno secundo. Qui Fulgentius, litteris nondum confectis, cessit in manibus Leonis Papæ X. cui cessioni accessit etiam alia cuiusdam Francisci, tituli sanctorum Ioannis & Pauli Presbyteri Cardinalis, asserentis sibi alias dictum Monasterium concessum fuisse, Sede Apostolica in commendam. Quas cessiones Leo Papa admittens ad petitionem & instantiam Reformatoris, & aliorum Abbatum, & Monachorum regularis obseruantiæ, prædictum monasterium de Meyra, cuius fructus, & prouentus ad centum & quinquaginta quinque florenos auri in libris Camaræ* *Vnio monasterij de Meyra.*

Apostolicæ taxati reperiebantur, perpetuo vniuit, cum omnibus iuribus & pertinentiis suis, eidem congregationi, anno M.D.XIV. quinto Idus Ianuarij Pontificatus sui anno II. Hactenus ibi. Porro ex Archiuis eiusdem domus constat, Ariam Abbatem vltimum perpetuum, cognomento Mexide, tribus, aut quatuor aliis successisse auunculis ipsius & consobrinis. Adeo hæc Ecclesia velut iure sanguinis, à multis annis, quasi à patribus ad filios, ad cognatos transibat antecessorum.

XV. Fine anni idem Leo Papa X. atque ad instantiam eiusdem Reformatoris, nostris indulsit, vt Monachi regularis obseruantiæ in regnis Castellæ, & Legionis consistentes, quatenus omnia eorum monasteria, pro diuinis officiis celebrandis, Sacerdotibus semper abundarent, cum primùm vigesimum secundum annum attigerint à quocumque Episcopo Catholico, quarta & sexta feriis, & Sabatho cuiuslibet Septimanæ quatuor temporum, ad omnes sacros ordines, etiam Presbyteratus, promoueantur. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M.D.XIV 15. Kalendas Decembris, Pontificatus ipsius anno secundo. Quo tempore triennium suum expleuit in Palaciolis Frater Ioannes de Cuellar, quem anno M.D. XI. electum diximus.

XXXVIII.

ROBERTVS, TRIENNALIS IV.

I. Succesſit Robertus cognomento *de Auila*, cuius memoria, vt aliorum, obliterata, reliquis Valeriani gestis locum dabit.

M. D. XV. II. Sequens annus M D XV. accessione quatuor nobilium Ecclesiarum, Valeriano, atque nostris illustris fuit: reformatis Valle-Dei in Asturibus, in Riuogia, Ferraria & Sancto Prudentio & in Veteri Castella, Mataplana; omnia industria, & solerti diligentia Fratris Franciſci de Monte-maior Procuratoris Curiæ, qui ad hoc specialiter Romam missus fuerat Singularum Reformationis historiam, seriemque, verbis authoris, qui eas compillauit, additis paucis, ex more prosequemur.

Et Vallis Dei. III. De Valle Dei in Asturibus hæc habet: *Monasterium hoc ordinis Cisterciensis, Oueten-sis Diœcesis, vacans per obitum cuiusdem Ioannis, datum fuit in commendã Petro, tituli sancti Eusebij Presbytero Cardinali à Leone Papa X. tertio Kalendas Decembris, Pontificatus sui anno II Cui concessioni dictus Petrus cessit in manibus eiusdem Pontificis, litteris super ea nondum confectis. Per quam cessionem præfatus Pontifex dictum monasterium de Valde Dios commendauit cuidam Arias Correas, Clerico Ouetensi, cum opportuna tamen habitus susceptione, & professionis emissione post annum à die per eum habitæ pacificæ possessionis computandum. Ipse vero Arias, litteris concessionis similiter nondum confectis, liberè etiam cessit. Quam cessionem Pontifex Leo admittens, prædictum Monasterium, cuius redditus & prouentus ad triginta tres florenos auri in libris Cameræ Apostolicæ taxati reperiebantur, ad petitionem & instantiam Reformatoris, & aliorum Abbatum congregationis, perpetuo vniuit anno M.D.XV. 18. Kalendas Maÿ regendum per Abbates triennales sicut & cætera.* Hactenus ibi. Retardabantur per nouas concessiones, Ecclesiarum vniones: neque id forsan vt denegarentur, (sic credere par est?) sed vt succederent tandem gratiores.

Ferrariaque. IV, Compendiosius Ferraria & Mataplana; illa quod magis de facto, quam de iure, quod vnicum in arduis refugium est; hæc, quod in re iam dudum intentata, & magna ex parte victa processerunt. De Ferraria hæc habet author vnionum *Per obitum Patris Fratris Ioannis de Cenicero, Monachi Professi istius Monasterij de Herrera, Calagurritanæ diœcesis ipse conuentus de facto Papæ Leone X. inconsulta, elegit in Abbatem fratrem Bernardum de Temaris Monachum etiam eiusdem Monasterij qui postea denuo fuit institutus per quendam Ægidium Priorem Monasterij de la Merced Vallisoletani Commissarium specialiter ad hoc deputatum ab ipso Pontifice, per Bullam expeditam anno M. D. XII. Postea vero prædictus Bernardus liberè cessit in manibus eiusdem Pontificis, per Franciscum de Monte-maior Monachum dicti ordinis Procuratorem suum, per quam cessionem præfatus Pontifex, dictum Monasterium, cuius redditus & prouentus ad ducentos & viginti duos Florenos auri de Camera taxati reperiebantur, ad petitionem & instantiam Reformatoris, perpetuo vniuit dictæ congregationi anno M.D.XV. quarto Idus Septembris, Pontificatus sui anno tertio.* Ita Ferraria.

Mataplana. V. At Mata plana facilior adhuc fuit, quippe *Monasterium hoc (ait) ordinis Cisterciensis, Palentinæ diœcesis, vacans per cessionem, quam in manibus Leonis Papæ X. fecerat Ioannes Episcopus Algerensis, cui fuerat datum in commendam, præfatus Pontifex ad instantiam Reformatoris, dictum Monasterium, cuius reditus & prouentus ad sexaginta florenos auri in libris Cameræ reperiebantur taxati, perpetuo vniuit dictæ congregationi anno M. D. XV. tertio Kalendas Octobris, Pontificatus ipsius anno III.* Hactenus ibi.

Et S. Prudentij. VI. Sancti Prudentij vnio difficilior, atque eò nostris fortasse gratior fuit, quippe quæ plures lites excitauit, quas tandem vicit. *Hoc Monasterium (ait) Sancti Prudentij Cisterciensis ordinis,*

ordinis Calagurritanæ diœcesis fuerat prouisum in Abbatiam perpetuam cuidam Martino, contra quem nonnulli Abbates congregationis, & quidam Didacus de Saluatierra, Monachus eiusdem ordinis, alyque litem in Curia mouerunt: quos omnes diuersis sententijs condemnauit, cum fructibus & expensis coram diuersis causarum Auditoribus. Postea vacans per obitum dicti Martini, possessione nondum adepta, Leo Papa X. dedit illud in Commendam Iulio Sanctæ Mariæ in Dominica Diacono Cardinali, Pontificatus sui anno II. Cui commendæ, litteris super ea nondum confectis, sponte Iulius cedens, datum est in commendam ad certum tempus Magistro Balthazari del Rio Clerico Palentino, & Notario Apostolico. Et isto Balthazare etiam cedente, concessum fuit iterum prædicto Cardinali Iulio liberum habere accessum ad dictum Monasterium. Cedentes vero in manibus Pontificis, Iulius iuri accedendi, & Balthazar commendæ sibi factæ, tandem ipse Pontifex anno M.D.XV. Kalendis Octobris, Pontificatus sui anno III. eadem die, qua cessiones admisit, non ad Abbatis Reformatoris, aut alterius instantiam, sed motu proprio, & de sua mera liberalitate, prædictum Monasterium, cuius fructus ad septuaginta florenos in libris Camaræ taxati reperiebantur, perpetuo vniuit dictæ congregationi, per triennales Abbates gubernandum, quorum primus à Generali Reformatore deputaretur, reliquis eligendis iuxta congregationis constitutiones. Hactenus ibi, cæterum monumenta eiusdem domus antiquiorem vnionem præseferunt: aliquali obtenta possessione, ab anno M.D.IV. sub Reformatore Pacifico de Liaño; atque præfecto ab ipso Monasterio, Didaco Saluatierra, quem infra inter illius successores XXI. loco commemorabimus. Atque hic Didacus de Saluatierra est, quem autor quondam vocat, ignarus dignitatis, quam postea habuit. Hæc incrementa hunc annum illustrarunt, agente Romæ Patre Francisco de Montemaior, & in Hispania Patre Valeriano de Oliuencia Reformatore, vtroque Monacho Monasterij Montis Sion, quibus haud dubiè primitiua illa sterilitas, licet per interualla, satis tamen abundè compensabatur.

VII. Hoc ipso anno, cum Capitulum generale totius ordinis apud Cistercium celebrandum indictū esset, frater Paulus de Esquibel Ouilæ, & frater Bernardus Corneso Vallis Ecclesiarum Abbates nomine totius congregationis missi sunt, qui interessent Capitulo, & cuncta in eo disposita referrent iuxta pacta conuenta recipienda. His porro adiunctus Pater Franciscus de Monte maior Curiæ Procurator (ait Reuerendissimus Edmundus à Cruce Cistercij Abbas) in eadem Synodo eadem pacta conuenta inter Congregationem & Cistercium, ac Cistercij Abbatem, confirmauit. Quæ tamen qualia fuerint, non tradit, neque an antiqua firmata Vallisoleti, an recentiora alia: sed neque extant in libris Capitularibus.

VIII. Eodem porrò, aut parum distanti tempore, quo generalis in Cistercio Synodus, Prouincialis à nostris celebrata in recens reformato cœnobio de Mataplena, vltima die Nouembris, nouæ œconomiæ leges promulgauit. Vt electiones Abbatum proximè ad electionem Reformatoris, (quandiù iam omnes ad triennium eligebantur in singulis Ecclesiis celebrarentur: ita tamen vt clausæ & sigillatè venirent ad Capitulum, in cuius reseratæ Diffinitorio, regularentur, & siue confirmandæ, siue infirmandæ Diffinitorum suffragiis subiacerent. Addito, quod si electio discors esset, & plures in ea electi reperirentur, Capitulum, quem vellet, nominaret, etiam si pauciora suffragia pro se haberet. Vt hæc Abbatum electio seu nominatio promulgaretur vltima die Synodi immediatè post electionem Reformatoris. Cæterum quia suffragia, quantumuis clausa per rimulas chartarum, aut alias malas artes oculis indagantium patere poterant; per præcepta, & censuras reseruatas, prouisum est, ne vllus introspiceret, aut quomodolibet characteres scrutaretur. Abbati Monasterij Vallisbonæ diffinitio perpetua reddita est, atque tam ipsi, quam Abbati Montis Sion credita electio cæterorum Diffinitorum. Erant, qui dicerent reintegratam Vallem-bonam in iuribus antiquis, vt minori calumnia Monti Sion id quod erat detractum restitueretur. In hoc capitulo institutus Abbas, qui in refectorio & choro, Reformatore absentè, cæteris aliis præesset Capitularibus: quod ex vsu compertum, obseruari videmus vsque in præsens. Decretum etiam, vt qui munus subiissent Reformatorum, omnes alios præcederent, atque id genus alia, sed leuiora. Inter quæ tamen notatione dignum occurrit, quod hoc ipso anno in Actis inueniuntur contributiones ad Cistercium missæ iuxta pacta cum Abbate Petræ conuenta; & stipendium solutum portitori.

IX. Anno M.D.XVI. procurante Valeriano de Oliuençia, quæ in Capitulo statuta fuerant à Leone X. Papa confirmantur, Romæ apud S. Petrum III. Nonas Maij, anno M.D.XVI. & habetur Tom. III. priuilegiorum. Quo ipso anno idem Valerianus triennio expleto, congregauit Capitulum apud Montem Sion ad vigesimam nonam diem mensis Septembris, in quo onere & honore simul depositis, primus omnium triennium stabiliuit, dum obseruauit. M.D.XVI. *Priuilegio* 33.

18. *Laurentius de Peña-fiel.* 2.

X Successorem accepit Valerianus eundem, quem habuisset antecessorem, Fratrem Laurentium de Peña-fiel, accepti beneficij, rependens vicem, an sperãs collatis & sperans duumviratum alternis vicibus. In hoc Capitulo colligi iubentur diffinitiones, atque emendatis, si quæ emendandæ essent intexi illis, quas Magister Martinus, (nam sic Acta loquuntur) promulgauerat, nec quidquã aliud definitum in eo video, quod memoriã mereatur posteritatis.

XI. Sequenti anno M.D.XVII. ad instantiam Laurentij Reformatoris, reuocatæ leguntur quædam leges, atque nonnullæ aliæ de nouo additæ, vt officiũ Reformatoris, non in fine Capituli, vt hactenus, sed principio vacaret immediatè post electos diffinitores. Vt quĩ vacaret in eo ipso Capitulo vnus esset ex tribus diffinitoribus, qui de numero Procuratorum eligebantur. Item vt semel functus eo munere, nisi triennio integro elapso, nequaquam iterum in illum assumi posset. Quæ omnia confirmauit Leo Papa, Romæ apud S. Petrum VII. Idus Augusti, Pontificatus ipsius anno V. & est priuilegium vigesimum primum tomi 2. in quo Laurentius, non Abbas Reformator, vt hactenus consuetum, sed Generalis Reformator à Pontifice nominatur.

XXXIX.

Benedictus triennalis V.

M. D. XVII. I. Eodem anno M.D.XVII. Roberto ab onere Abbati absoluto, per lapsum triennij, in Palaciolis successit Benedictus, cognomento de Guzman, de quo nihil præterea scire licuit.

M. D. XVIII. II. Sequenti anno M. D. XVIII. sub Generali Reformatore Fratre Laurentio de Peña-Fiel, (neque enim illi nomen inuidebimus, quod à Christi Vicario semel habitum in cunctis priuilegiis perseuerat) Mons-rami seu ramorum, cœnobium in Gallæcia Aurienſis diœcesis non leue fuit incrementum Congregationis. De eo author vnionum hæc pauca habet *Vnio Mõtis-rami.* *Monasterium hoc de Monte-Ramo Cistercienſis Ordinis, Aurienſis diœceſis vacans per ceſſionem Petri Fituli S. Euſebij Presbyteri Cardinalis in manibus Leonis Papæ factam, ac etiam vacans per ſimilem ceſſionem Magiſtri Bernardi de Pulſionarijs Clerici Murinẽſis Notarij & Familiaris Papæ, cui certo modo fuerat commendatum: ad petitionem & inſtantiam Reformatoris, & vniuerſorum Abbatum de Obſeruantia, idẽ Pontifex anno M.D.XVIII. Kalendis Septembris, & ſui Pontificatus anno 6. perpetuo vniuit prædictæ congregationi, regendum & gubernandum per Abbates triennales,* &c. Taxa eius in litteris exprimitur, & quidem pro redituum quantitate satis exigua, nempe ad quinquaginta tres florenos & vnum tertium. Hæc sub secundo Laurentij Generalatu.

M. D. XIX. 19. *Froylanus de Salazar.* III. Sequenti anno M. D. XIX. celebrato apud Montem-Sion Capitulo, ad vigesimam primam diem mensis Septembris, successorem accepit, siue acciuit Fratrem Froylanum de Salazar, Monachũ Monasterij Saltus-noualis, omisso Valeriano de Oliuencia, quem iterum creasset, & à quo ipse vice versa creatus esset; quique tot, ac tales Ecclesias, Deo auspice, addidisset Congregationi. Siue id plerumque humana conditio fuerat, vt raro, aut nunquam conueniat imperantibus, nec mutua & vera amicitia coïre possint. Siue re vera Valeriani Imperium fælicius, quam Sanctiùs culpam admisit, ob quam merito debuerit reprobari.

IV. Ab hoc Capitulo describuntur in Actis diffinitores, etsi omissis aliquibus, neque eos qui extant pigebit nominare Renunciati leguntur ad hoc munus Frater Franciscus de Monte-Mayor Abbas Mõtis-Sion, Frater Fulgentius de Cuellar Abbas Vallis-bonæ, Frater Gabriel de Parraga Abbas de Molon, Frater Ferdinandus de Valtanas Abbas de Spina, Frater Didacus de Saluatierra Abbas Saltus-noualis, Frater Laurentius de Piña-Fiel tunc vacans ab officio Reformatoris, Frater Bernardus de Espinosa Prior & Procurator Buxeti, Frater Baptista Carillo Prior & Procurator Hortæ.

V. In hoc Capitulo nihil nouum, aut magnum decretum video; nisi quod tamen modus electionum præfixus anno M. D.XV. cum exequi cœpisset adeo alienus à fine inuentus est, vt non dum adinuento conuenientiori, fuerit reuocatus; iussumque serio de alio deliberari, atque ad Capitulum proximum referri quem quisque excogitaret; vt ex cibus, qui conuenientior esset, aut talis appareret, eligeretur.

XL.

Ambrosius triennalis VI.

M. D. XX. I. Anno M D. XX. Benedicto Guzmanio in Palaciolis, per lapsum triennij, successit Ambrosius, cui simile cognomentum inditum erat. Sequenti vero M D. XXI. illustre Monasterium de Nucalibus in Regno Legionensi nostris accedens, præfecturam Froylani nobilitauit. Eius vnionem sic narrat earum author. *Monasterium de Nogales Cistercienſis Ordinis, Aſturicenſis*

Et Nucalenſis.

Asturicensis Diœcesis, vacans (per obitum vel cessionem cuiusdam Ioannis de sancto Martino Ordinis Fratrum Prædicatorum cui fuerat in commendam datum anno M. D.XXIX.) iterum commendatum fuit Iulio tituli S.Laurentij in Damaso Presbytero Cardinali, S Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario sub certo modo & forma: ita scilicet, quod debita, & consueta Monasterio portaret & quarta, si Abbatialis separata à Conuentu, si vero communis mensa esset, tertia pars omnium fructuum & reddituum in restaurationem fabricæ eiusdem Monasterij, seu commentorum emptionem, aut pauperum eleemosinam, pro vt maior exigeret necessitas, omnibus aliis deductis oneribus annis singulis impertiretur. Ipse autem Iulius Commendatarius, possessione Monasterij nondum adepta, cessit sponte eius regimini in manibus eiusdem Pontificis, octauo Idus Septembris, anno M. D. XXI. quam cessionem Pontifex admittens, & similiter aliam, quam in eisdem manibus eadem die sponte fecit Ioannes Lazarus Serapica Clericus, cubicularius & familiaris Pontificis, asserens sibi ad dictum Monasterium ius competere, possessione etiam nondum adepta, Præfatus Pontifex, ad petitionem & instantiam Reformatoris, & aliorum Abbatum asserentium fructus eiusdem Monasterij in libris Cameræ Apostolicæ ad quadraginta ducatos Auri taxatos reperiri, præfatum Monasterium cum omnibus sibi annexis perpetuo vniuit dictæ congregationi. Hactenus vnio Monasterij Nucalensis. M.D.XXI.

II Quo ipso anno idem Leo Papa X decimo septimo Kalendas Septembris, Monasterium de la Franquera in Gallæcia, Tudensis diœcesis, perpetuo vniuit Collegio S.Saluatoris, per cessionem, quam fecit Ildephonsus de Pisa familiaris Papæ, *suppressa dignitate Abbatiali, eo quod redditus dicti Monasterij non excederent triginta & tres Ducatos cum vno tertio, qui insufficientes erant ad supportanda onera Monasterij consueta, & substentationem Abbatis, & Conuentus, qui in eo deberent residere. Ita tamen quod in dicto Monasterio de la Franquera maneret aliquis Monachus Ordinis Prior nuncupandus, ad nutum vero Reformatoris promouendus, vel amouendus, qui diuinis faceret deseruire, & quod propter dictam vnionem non defraudaretur Monasterium debitis obsequiis, nec minueretur in eo solitus numerus Monachorum.* Hactenus ibi *Franquera-que.*

III. Eodem anno, & sub eodem Froylano & de Salazar, atque ipsius industria, reformatur Monasterium, S.Guillelmi, aliàs de Villa-bona ad ripas Guæ, atque ædificio ruinam minitante inundatione fluminis, Moniales ad S. Michaëlem transferuntur; vnitis bonis vtriusque Monasterij; & pro vnione S. Machaëlis in fauorem Collegij dudum indulta, subrogatur pensio viginti millium Marabitinorum, in eisdem bonis soluenda per annos singulos. Atque hac ratione effectum est, vt suppressa Abbatia S. Guillelmi, & translatis Monialibus, antiquius S.Michaëlis Monasterium primæ suæ fundationi restitueretur. *Et Monialium sancti Guillelmi.*

IV. Sequenti anno M. D. XXII. Froylanus conferendo optimo modo, quo electiones Abbatum fieri possent, atq; id genus alia, quæ in Capitulo anni M D.XIX. altius considerari iussa sunt, in Monasterio de la Spina congregauit Capitulum ad XXIV. diem mensis Martij, id est dimidio ante finem triennij anno; vt confirmandis Pontificia authoritate, quæcumque probarentur, locus esset. In eo Capitulo rerũ renunciati diffinitores Frater Gregorius de Prado Abbas Montis-Sion, Frater Ferdinandus de Leon Abbas Vallis-bonæ, Frater Martinus de Oñade Abbas Carrazeti, Frater Gabriel de Parraga Abbas Superati, Frater Laurẽtius de Peña fiel Abbas Vallis-paradisi Frater Petrus de N. Prior, & Procurator Palaciolẽsis Frater Petrus de la Spina Prior & Procurator Morerolæ, Frater Andræas de N. Procurator Hortæ. M. D. XXII.

V. Rebus maturo consilio cõsideratis, an tædio nouitatem, quas ex Authoribus plerumque fastidimus, post longam deliberationem sancitum est, vt electiones Abbatum pro illa vice intra tres vltimos menses trinnij fierent, assistente, vt solebat Reformatore, vel eius Cõmissario: exinde provt contingeret vacare iuxta antiquas Magistri Martini leges, vt antea consueuissent, eligerentur. Vt Capitulum valeret ordinare, quod officium Generalis Reformatoris ad primitiuum quinquenniũ redire posset. Vt tam prædicta, quam quæcumque alia exequenda venirent, nunquam in præiudicium Monasterij Montis-Sion, & priuilegium eius exequerentur. Demum vt hæc omnia Froylanus, quo firmiora manerent, quantocius posset Apostolica fulciret authoritate. Sancitũ etiam pro voto paupertatis ne vlli, exceptis Abbate, & Cellerario, cella obserata claubus aut arca, scrinium ve, seu quidpiam aliud clausum permitteretur. Iussæque iterum compilari diffinitiones omnium Capitulorum ab Hortensi vsq; ad præsens; & Magistri Martini, id est primis Obseruantiæ legibus inseri. Demum cum constitisset diffinitorio, etsi non iudicialiter; quosdam Procuratores, siue Abbates, (quæ curiosa conditio hominum est) incurrisse censuras, quas in rimantes suffragia, quæ ad Capitulum clausa & sigillata deferri iussa erant, idem Capitulum ante sexennium plus minus promulgauisset: nec tamen quemquam petiisse absolutionẽ, quod sese prodere præcipuè in causa graui

ius naturale minimè permittat:ne vel præcepti scrupulus maneret penes eos,qui regem promulgarunt,vel penes violatores transgressionis; indultam lego cunctis Confessariis hactenus reseruatam ab illis absoluendi iurisdictionem. Quod ne nostris iterum contingat in præsenti obseruandum iudicauit.

VI. In hoc Capitulo Valerianus de Oliuencia antecessor Froylani delatus legitur de quibusdam excessibus, pro quibus in cœnobio Ouilæ reclusus agere iniunctam sibi pœnitentiam non recusauit. Fœlix haud dubiè,si quas meruit pœnas in hac vita persoluit;verum longè fælicior,si quas non meruit. Nec minus fælix sæculum, in quo nulla potentia supra leges erat. Sed infælix omnino,si fortè contigit,quod non rarò contingit supplicia non tam mentis patientium, quam inferentium liuori respondere. Et solent sæpè qui iustius imperarunt odia maiora pati,nec credam facilè grauia eius errata, qui triennium admisit, qui nouit modum potentiæ suæ imponere.

20. *Ignatius de Collantes.*

VII. Eodem anno, cum nondum nouæ leges Apostolicam accepissent confirmationem, celebrato apud Montem-Sion Capitulo, ad vigesimam primam diem mensis Septembris, Froylanus baculum, curamque deposuit, subrogato Ignatio de Collantes Monacho Vallisbonæ,qui munus & onus suscepit Reformatoris. Diffinitores renunciati sunt Frater Gregorius de Prado Abbas Mõtis-Sion,& pro absente Abbate Vallis-bonæ Frater Paulus de Tordehumos Abbas Mayræ, Frater Gabriel de Parraga Abbas Superati, Frater Laurentius de Peña-fiel Abbas Vallis-paradisi,Frater Michaël de Seuilla Abbas Vallis-Eccleſiarum,Frater Froilanus de Salazar, qui recens exuisset Reformatorẽ, Frater Ioannes de Cuellar Prior & Procurator Matæ-planæ, & Frater Petrus de Salas Prior & Procurator Palaciolensis.

VIII. Non aliud morbi indiciũ manifestius,quam frequens inquietudo. An per hæc tempora morbũ pateremur,in dubio est: nullis nos legibus quiescere potuisse, compertũ habeo; & vix ab aliis audiuisse aliquam latam, quam non statim experiri animos foret. Decretũ est, Generalẽ Reformatorẽ,qui nulli hactenus Abbatiæ addictus fuisset, ad dicendũ alicui,intra quam integrum ageret triennium,cõmissa potestate visitandi duobus aliis quos per suffragia designarent Capitulares. Et destinata Ecclesia Vallis-bonæ,cui Ignatius præesset;qui cæteras pro ipso visitarẽt,Fr.Gregorius de Prado,& Fr.Paulus de Tordehumos Mõtis-Sion,& Meyræ Abbates electi sunt:ita tamen vt munus visitandi sequeretur personas,non dignitates.

IX. Decretum item, ne Capitula deinceps,in quibus Generales Reformatores eligendi venirent,mense Septembri,vt hactenus,sed mense Maio semper celebrarentur: iussumque ad hoc breuiari triennium instans,& sex mensibus antea terminari.

X. In hoc Capitulo,qui ex Burgundia venisset Monachus grauis,doctus,& religiosus Monasteria Cistercij non reformata,authoritate Abbatis Cistercienſis,& Capituli generalis visitaturus;socium sibi petiuit ex reformatis,accepitque,Fratrem Simonem de Ciudad-real hominem religiosum,prudentemque; sub hac tamen expressa conditione,vt vterque ex æquo, atque indiuisa vteretur authoritate. Tunc Huelgæ ad Burgos, atque eius filiationes,nec non & plura alia monasteria, quæ agnoscebant Cistercium,(vix enim aliquod suberat Episcopis) salubrem acceperunt visitationem.

M. D. XXII.

XI. Anno M.D XXIII. quam non impetrauisset Froylanus à Romano Pontifice,propria omissione,seu Romanæ curiæ, quæ nihil facile indulget, difficultate; reuocationem legum modernarum,atque electionem ad antiquas restitutionem,impetrauit Ignatius & litteras adduxit Leonis Papæ,datas Romę apud S.Petrum Nonis Decembris anno M. D.XXIII.Pontificatus ipsius octauo Extat priuilegium ordine XXIII inter ea,quæ tom. 2.circunferuntur. Extat & aliud eiusdem paulo antiquius ordine XXII in quo tamen pro anno XXIII. annum vigesimum quintum per errorem librarij,notatum video.

Vnio Hoiæ tentata.

XII. In monumentis quarundam Ecclesiarum scriptum lego,Ignatium, & si nulla reformata,ac claustralia cœnobia visitasse(sic vulgo vocabantur)idq;ex delegatione Summi Pontificis,quam ad Caroli V.Imperatoris instantiam illi transmiserit. Porro quibusdam ex Abbatibus perpetuis,maximè in Gallæcia repugnantibus, neque admittentibus illius visitationem iudicibus ad Brigantium,(vulgo de la Coruña(fuisse commissum, vt per auxilium brachij sæcularis, cunctos compescerent,& facercent subesse correctioni. Tunc Abbas Noiæ, Frater Gregorius Nieto,inter alios,absolutus ab eo est,exigentibus culpis; & loco ipsius alius subrogatus Frater Laurentius de Orozeo, de quo infra. Sed laboriosa nimium præfectura: quippe Gregorius Lusitaniam primùm in Grangia de la Silua,deinde Romam adiens,prolixam satis litem excitauit. Et percipiebat maiorem redituum partem,quam vltro ei offerebant, quicumque recusabant reformationem.

XLI.

IOANNES IX. TRIENNALIS VIII.

I. In Palaciolis circa hoc idem tempus,plus minusve,Ambrosio Guzmanio Abbati XL.

Ioannes

Ioanne de Cuellar denuo subrogatur, qui anno M. D. XIV. semel iam expleuisset Abbatis munus.

II. M. D XXIV. decima die Martij in Monasterio Vallis-Ecclesiarum celebratur Capitulum intermedium, in quo leuiora quędam sancita video. Vt Moniales Huelguenses Vallis-soleti mutua suffragia perciperent in morte, soluerentque cum Monachis totius congregationis. Vt Reformator triennium suum expleret, neque sex mensibus, vt iussum antea fuerat, vltimis sui officij renunciaret. Quo tamen priuilegio vsum non video quippe persuasus Capitula commodius inter vtrumque Pascha celebrari, communi vtilitati postposuit propriam; nec cum iactura, & si leui, suæ familiæ, permisit sibi imperium prorogari. Quinquennio, licet à Pontifice concesso, impositio silentium: & iussum impetrari, si posset, cœnobium Martyrum Ordinis Cistercienses in vrbe Corduba, Fratri Francisco de Monte-maior, qui obtentum continuo resignaret reformandum, & vniendum congregationi.

III. Demum cum crebræ variationes legũ, quæ perpetuæ & constantes esse debent, etiam ipsos tæderet, qui variabant; dum nouas leges vnanimes abhorent, & relegare cupiunt; nouam, atque inauditam legem promulgant. Ne successoribus vllatenus liceret aliquam condere, & quod mireris constitutis grauibus pœnis in eos, qui aliquid nouum statuerent.

IV. Eadẽ anno Clem. Papa VII. qui Leoni successit, Ignatio Generali Reformatori regularis obseruantiæ Ordinis Cistercienses in regnis Hispaniæ scribit epistolã, Romæ apud S. Petr. octauo Idus Iulij anno M D. XXIV. Pontificatus ipsius primo, quæ est priuilegiũ. 24 2. tom.

V. Anno M. D. XXV. initio mensis Maij celebrato apud Montem-Sion Capitulo, sex illis, mensibus, quos potuit imperare, cessit Ignatius; & loco eius subrogatus legitur Didacus Saluatierra Monachus Monasterij Vallis-bonæ, cui id vnum pro ingenti laude fuit: nihil omnino immutatum ipsius tempore. Sed neque extant in Actis diffinitores, qui in hoc Capitulo renunciati sunt. Erant qui dicerent omissos à consilio, aut eligi, aut scribi; vt vel non possent quidquam diffinire, si nulli essent; vel scirent saltem, si essent ad alia munera, at non ad diffiniendum, seu leges constituendas fuisse electos. Ad hoc Capitulum venisse comperio D D. Fratrem Sebastianum de Valladolid Hipponensem Episcopum Vrsariæ tunc Abbatem, sed litigiosum, (quippe viuente Abbate Commendatario Angelo de ..... Cardinalis Farnesij Nepote & successore) & promissa obedientia Reformatori, confirmatum ab eo in Abbatem fuisse, reseruata pensione Commendatario, quo eius assensus facilius obtineretur. Verum quàm frustra hæc omnia tentata sint, in sequentibus, nobis dicendum erit.

M D.XXV. 21. *Didacus de Saluatierra.*

Vrsariæque.

XLII. XLIII. XLIV.

PETRVS, GREGORIVS, LAVRENTIVS.

I. Hi tres Abbates, nec constat qua occasione in Palaciolis breui successerunt atque vltimus cognomento de Molerete, ad annum XXXI. mansisse creditur.

II. Anno M. D. XXVIII. Didacus Saluatierra in tanta rerum, & legum varietate, nulla alia re illustrior, quàm quod ignotus, triennio suo pacificè expleto, apud Montem-Sion, vt moris erat, congregauit Capitulum die 3. mensis Maij, in quo pro ipso Generalis Reformator, Frater Pacificus de Oualle, Monachus Morerolæ, diffinitores renũciati sunt, Frater Ambrosius Guerra Montis-Sion, Frater Ignatius Collantes Vallis-bonæ, Frater Laurentius Peña-fiel Vallis-paradisi, Frater Antonius Palomero Montis-rami, & Frater Bernardus Cornejo Sagramœniæ, omnes isti Abbates; Frater Didacus Saluatierra recens ex Reformatore, Frater Paschasius Longares Superati, & Frater Alphonsus de Sagramœnia conuentus Matæ-planæ Procuratores.

M. D. XXVIII. 22. *Pacificus de Oualle.*

III. Iterum contra leges lata lex, & ne quæ noua fieret prohibitori: sed vt antiquæ, quæ Magistri Martini vocabantur, intertextis quibusdam additamentis, quæ Abbates Vallis paradisi, & Nucalensis, ex Actis colligerent, & suis quæque locis insererent, typis mandatæ, pro canone haberentur. Cæterum quoniam pro varietate morborum, temporumque, remedia etiam non raro variari petunt; indultum est, vt per modum instructionis (*Memorial* nos vocamus) aliqua velut præsentanea, nec nisi ad tempus tantum duratura decerni possent. Hac autem præcautione effectum est, vt nomina mutato, sed morbo integro, nec pauciora statuta, nec minus grauia in hoc ipso Capitulo, quàm in quolibet alio promulgarentur. Vt octo, quot hactenus eligi solerent, diffinitoribus, duo alij adderentur; quorum alter è numero Abbatum alter Procuratorum assumerentur. Vt tam promotor causarum, quam Notarius, quem secretarium communiter vocamus, in omnibus, & singulis negotiis, quæ diffinitorium concernunt, vocem haberent. Hac ratione reddituros numerum Collegij Apostolici Cistercio à suis initiis familiaris: si duodenis suffragiis constaret, tertiodecimo adiuncto Reformatore.

IV. Decretum item, ne ab aliqua Abbatia, in qua non octo vt minus Monachi forent,

Procurator

Procurator Capitulum adiret. Neve Monachus aliquis inuitus, nisi ad nouum cœnobium reformandũ seu constituendũ, vel pro culpis notoriis, proprio ad aliud Monasteriũ eiici posset. Cautum præterea vt visitatores, qui vices subituri essent Reformatoris, visitationem ab illius domo inciperent, adiuncto secum Abbate Montis Sion; qui tres ex æquo non solum Monasterium, sed & personam ipsius visitarent. Permissæ senibus debilibusque stamineæ cucullæ quæ hactenus ex panno tantum permittebantur: Concesse etiam in cellis Monachorum vectes, & claues; sed tradita Abbati claue communi, qua singulas, cum vellet ingredi posset. Iussum & celebrari tertiis feriis de Parente Bernardo; atque demum tot alia sancita sunt, vt lex de non ferendis nouis legibus, nisi antiquior existeret in ipso sui ortu violata, quàm concepta, certè quam promulgata antea apparuisset.

V. Designatum residentiæ Reformatoris Morerolæ cœnobium ipsius proprium, quod quia minus salubre tempore Autumni, per tres menses permissum permutari, in Valle-paradisi peragendos, siue in Spina. Consiliari præterea illi assignati, cum quibus ardua quæque conferret, atque perageret; vtriusque Vallis-bonæ, & paradisi, Spinæque & Saltus-noualis Abbates. Tũ qui tam ipsum, quàm pro ipso visitarent, designati alij duo, Montis-Sion nimirum, & Montis-rami. Quippe illo tempore, cum plura penè subeunda munera essent, quam personæ idoneæ reperirentur, qui iudicio & prudentia præcellebant, ad plures etiam functiones deputabantur. Demum, quod tandiu boni desiderassent, Rector noui Collegij electus est Frater Bernardus Barrantes, ex Abbate Monasterij de la Vega, qui studia litterarum remissa hactenus, nouo deinceps colore, nouo zelo, fælicibus auspiciis inchoaret Hactenus sub Pacifico de Oualle: nec plura eius Acta rimari licuit. Nam nec Capitulum vllum intermedium celebratum sub ipso; nec quidquam aliud in Triennio toto eguerit, per media insueta reparari.

XLV.

IOANNES X. ALIAS VIII.

M. D. XXXI.

I. Anno M.D.XXXI. in Palaciolis tertiò electus legitur Frater Ioannes de Cuellar, qui eandem domum egregiè administrasset semel & iterum.

23. *Laurentius de Peña-fiel.* 3.

II Eodem anno vltima die Aprilis Capitulo in Valle paradisi celebrato, tertiò item in Reformatorem suffectus est Frater Laurentius de Peña-fiel, felix, si meritis eius exigentibus, toties expetebatur; infælix, si per vim dominationis potentiæque animos repugnantes conciliauit. Nulli in actis Capituli istius renuntiati leguntur diffinitores, iniuria Notarij, vt par est credere, qui multa alia obtexit silentij tenebris.

III. In hoc Capitulo, vix dum stabilito Salmantino Collegio, cum recens atque adhuc informis Academia Complutensis, iure ciuili penitus excluso, solam sacram Theologiam, quasi ex proprio instituto profiteretur, siue quia noua gratiora sæpè apparent, de eius translatione tractatum est, quæ vt statim effectum non habuerit, animos tamen mouit, dispositque, vt non multo post effectui emanciparetur. Vigiliæ & laudes quintæ & sextæ feriæ, atque Sabbathi hebdomadę pœnosæ, quæ hactenus, vt cæteris diebus, post mediam noctem sine vlla differentia celebrabantur, tunc primum anteponi iussæ Romano more: & candelabrum cum tredecim candelis in Ecclesia accendi, quæ per singulos Psalmos in vigiliis, vltima post capitulum laudem extinguerentur.

IV. Decretum demum vt officium Reformatoris triennis singulis in vigilia sancti Ioannis ante portam Latinam, quod hodieque seruatur, semper vacaret: vt obediẽtiæ & censuræ diffinitionũ non ligent in conscientia, sed transgressores puniantur quasi ligarent. Vt Priores cõuentuum cæterorum ab eo, in quo Capitulum celebratur, nisi Abbas impeditus domi remaneat, non valeant eligi in Procuratores: videlicet absente vtroque Præside, languescere contingat rigor disciplinæ. Hæc tunc decreta à Patribus leguntur. Porro pro reliquo tempore triennij, cum quibus ad negotia ardua procederet consiliarios accepit Reformator quatuor Abbates, Vallis-bonæ nimirum, Spinæque, Saltus-noualis, atque Neucalium. De domo residentiæ, nihil constat, nec de visitatoribus; & fortè omissa designatio vtraque quo maior libertas Reformatori.

V. Anno M. D.XXXII. cui cum rerum potiretur Laurentius de Peña-fiel, Reuerendissimus Abbas Claræ-Vallis Edmundus de Sedeloco, Cistercienſis Abbatis, & totius Capituli generalis authoritate, iuxta pacta conuenta olim cum Petro illius antecessore, omnia & singula cœnobia visitauit Congregationis: gratulantibus nostris, Gallisque; his de fælici statu Monasteriorum, quæ velut perdita olim deplorassent; illis de pietate, atque insigni doctrina visitatoris, cui tunc subesse, quãcumque libertate glorioſius fuit. Huius visitationis memoria venerabilis posteris, & eò semper charior, quò hactenus in Hispania vltima fuit.

XLVI.

XLVI.

LAVRENTIVS II.

I. Anno M.D. XXXIV in Palaciolis Laurentius Alderete iterùm subrogatur Ioanni de Cuellar. Quo item anno ad instantiam Reformatoris mense Aprili expeditur indultũ, quod inter Obseruantiæ priuilegia Tom. 2. vigesimo quinto loco commemoratur. Deinde die XIII mensis Maij, congregato Capitulo apud Montem-Sion, Laurentio de Peña-fiel Reformatori subrogatur Bartholomæus Henriquez Spinæ Monachus, Amiratum Castellæ fausta proles, qui dignitatem illustrauit sanguine Regio. Diffinitores in libro non notantur: Visitatores nulli electi sunt, sed ipse Reformator prodire iussus, cœnobia singula, vt olim, visitaturus. Reliquum tempus in Spinæ cœnobio agere, cuius Abbas electus, tam Monachorum, quam Capitularium suffragiis fuit. In hoc Capitulo de sanguine illorum, qui ad habitum admittendi essent inquiri iussum: Decretúmque, ne quisquam admittatur, nisi cum onere, vt quandocumque infectus reperiatur, etiam post professionem eijci possit. Prouisum item religiosæ humilitati, ne Abbates equitantibus vnquam seruis, sed pedestribus tantum vterentur. Consiliarij non vlli electi sunt, sed designati Abbates propinquiores loco, in quo foret de negotiis deliberandum.

M. D. XXX. IV. 24. *Bartholomæus Henriquez.*

II. Eodem anno, quòd cœperat tractari de translatione Collegij Salmantini ad nouam Complutensem Academiam Reformatore instante, decretum est, & ne retractaretur citò, peractum. Atque id genus alia exequuta leguntur, quæ hominis ingenium indicabant.

translatio Collegij Salmantini ad Complutensem Academiam.

III. Eo tenente clauum cœnobia quædam congregationi vnita incrementum dedere non contemnendum. S. Claudij cœnobium in Gallæcia, ad ripas Auiæ fluminis, Diœcesis Aurien sis, reformatur anno M. D. XXXVI. de eius porrò reformatione & vnione, hæc scripta lego *Cum super hoc Monasterio S. Claudij de Rua dauia Ordinis Cisterciensis, Auriensis Diœcesis, quod de iure patronatus Caroli Imperatoris, & Regis Castellæ ac Legionis esse dignoscebatur, lis esset exorta in Romana Curia, inter Sebastianum de Ponte, Clericum Palentinæ Diœcesis, Scutiferum, & familiarem Papæ Pauli III. & Reformatorem Congregationis regularis Obseruantiæ dicti Ordinis; & quia Sebastianus cessit, lite pendente, ac omnium sibi ad Monasterium competenti, in manibus eiusdem Pontificis anno M. D. XXXVI. decimo octauo Kal. Februarij, Pontifex, ad petitionem, vel instantiam Reformatoris dictum Monasterium, cuius fructus ad centum florum auri in libris Cameræ Apostolicæ taxati reperiebantur, perpetuo vniuit, præfatæ Congregationi, dummodo Caroli Imperatoris ad hoc accederet consensus; regendum, & gubernandum per Abbatem triennalem nominandum à Reformatore pro primo triennio, & deinceps per Religiosos Conuentus eligendum, & per Reformatorem confirmandum iuxta ritus prædictæ Congregationis.*

M. D. XXX. VI. *Vnio sancti Claudij*

IV. Eodem anno, ni fortè mendum subest, quod ex Pontifice non leuiter coniector, vnitur Monasterium de Armentaria, de quo in eodem libro ista habentur. *Monasterium de Armentera Ordinis Cistercienſis Compostellanæ Diœcesis, cum omnibus ad se pertinentibus, quorum emolumenta ad centum florenos auri reperiebantur taxata in libris Cameræ, vacans per cessionem, quam in manibus Clementis Papæ VII. liberè & sponte fecerat Gundisaluus de Saiauedra Abbas dicti Monasterij ad petitionem Generalis Reformatoris, & aliorum Abbatum Obseruantiæ, præfatus Pontifex anno M.D. XXXVI. pridiè Kalendas Decembris, perpetuo vniuit dictæ Congregationi, vt per Abbates triennales regeretur.* Hactenus ibi, nec priuilegium ipsum videre potui; & aliàs Clemens VII. ante annum M D XXXVI. defunctus erat. Forte hæc vnio paulo antiquior est, & anno M. D. XXVI. facta notanda veniti nam & designat annum quartum Pontificatus Clementis Papæ VII. qui in eum, quo coniector expeditum, potuit incidere.

& Armentaria.

XLVII.

EVGENIVS.

I. Anno M. D. XXXVII. in Palaciolis Eugenius subrogatur, de quo nihil præter nomen, quod dicam habeo. Quod autem attinet ad reformatores, eodem anno Congregata Synodo apud Montem-Sion ad diem 6. Maij Bartholomæus Henriquez Reformator antecessori suo vicem rependit, atque fratrem Laurentium de Peña-fiel quartò iam electum, sibi suffragiis omnium subrogauit. Non vllus alius toties ante ipsum, sed nec post ipsum expetitus in Patrem fuit: nec credam facilè violentam dominationem, quamuis non leuia in contrarium indicia subsint, quæ tanto tempore potuit prorogari. Nullam in Actis aliarum functionum inuenimus memoriam: cauta tantum per leges hæc quæ sequuntur. Ne Priores in eisdem Ecclesiis immediatè promoueri in Abbates, aut deberent, aut possent: & ne Nouitij pro votorum emissionem, à potestate suorum Magistrorum, vsque ad tres saltem annos eximerentur,

M. D. XXX. VII. 25. *Laurẽtius de Peña-fiel IV.*

merentur,ne qui Compluti Theologiæ operam dabant,clauſtra Collegij,niſi ad tres tantum menſes,valerent egredi ; ſed neque illos vbiuis,ſiue ſeorſim;ſed omnes ſimul cum vno præceptore in Monaſterio Bonæ-Vallis agere poſſent. Relatum iterum de Monaſterio Martyrũ in vrbe Corduba;decretũque,vt reſtitui noſtris,ſi poſſet,& ſubiici obſeruãtiæ,procuraretur.

M. D. XXX. VIII. *& de Bena-vides.*

II. Sequenti anno M.D.XXXVIII. Abbatia de Bene-viuas, ſiue de Valle-viridi, vulgò *de Bena-vides*, Diœceſis Palentinæ hoc ordine vnitur Congregationi. *Vacante Abbatia Monaſterij de Bena-vides, Palentinæ Diœceſis, per liberam ceſſionem, quam fecit in manibus Pauli Papæ III. Ferdinandus de Arlanzon Clericus Burgenſis, præfatus Pontifex dictum Monaſterium,quod de iure patronatus Caroli Imperatoris,ac Regis Caſtellæ,& Legionis eſſe dignoſcebatur,& cuius fructus, & prouentus ad quinquaginta florenos aureos in libris Cameræ Apoſtolicæ reperti ſunt taxati;ad inſtantiam Generalis Reformatoris Congregationis regularis obſeruantiæ in dictis regnis, perpetuo vniuit dictæ Congregationi dummodo Caroli Imperatoris patroni accederet aſſenſus, litteris datis Idibus Octobris, anno M. D. XXXVIII. Primo triennali Abbati nominando à Generali Reformatore ; cæteris eligendis per Conuentum, & per Reformatorem confirmandis.* Hoc Monaſterium acquiſiuit Congregationi Laurentius Peña-fiel: & potuit illud diligere teneriùs,vel quia fere ſolùm,vel quod in ſenectute ipſius genitum eſſet. Fuit tamen illi non parum laborandum,cum Hipponenſi Epiſcopo Sebaſtiano de Valla-dolid, quem eius anteceſſor in Abbatem Vrſariæ conſtituiſſet. Quippe cedente Abbate Commendatario ſub annua penſione mille ducatorum præſentationem ab Imperatore Carolo V. impetrauerat, quaſi obſeruantiæ ſtatim reſignaturis. Fefellit tamen fidem inclyto Principi ; & impetrata Abbatia à Clemente VIII. vt reſignaret,& obſeruantiæ liberam relinqueret, nullis admonitionibus multo tempore potuit perſuaderi.

XLVIII.

MANCIVS.

M.D. XL.

I. Anno M. D. XL. Palaciolis,abſoluto Eugenio,Mancius præficitur. Quod etiam Laurentius præfecturam depoſiturus,Capitulum apud Montem-Sion indixit,ad XI. diem menſis Maij,cui tamen ipſe præpeditus infirmitate,adeſſe nequaquam potuit. Itaque cum in Valle-paradiſi grauiter ægrotaret,Ambroſium de Gueuara pro ſe ſubſtituit,Monachum,& Abbatem Matæ-planæ, qui præeſſet Capitulo , vſque ad noui electionem Reformatoris. Tanta vero apud omnes Abbates fuit delegantis authoritas , ſeu delegati dignitas , vt quem breuis temporis Præſidem accepiſſent,vnius tantum Laurentij deſignatione,ſuffragiis omnium eligere in Patrẽ,atque ipſi ſubrogare non dubitauerint. Ambroſius ergo de Gueuara electus eſt, qui rerũ ad triennium potiretur. Acta Capituli Diffinitores tacent,neque quid aliud decretũ produnt in hoc Capitulo,niſi quod Reformator, cum viſitaret, non ſolum vitia inquirat, ſed virtutes & merita:non minus neceſſaria horũ notitia pro diſtribuẽdis præmiis,quã illorũ ad pœnas infligẽdas.& ne indigni aſſumãtur ad factiones,quas nõ poſſunt ex vſu adminiſtrare.

26. *Ambroſius de Gueuara.*

II. Actum præterea de reuocando Collegio, à Compluto Salmanticam ; ſiue res ipſa minor fama viſa , quod ſæpè contingit ; ſiue emergentes lites, (nam emerſerunt aliquot) animos auerterunt à litigantibus. Seu tandem gnaris Salmantinæ magnitudinis, omnia infra ipſam viſa, & nouiſſimi in ea eſſe malebant , quàm primi alibi. Hæc diſcuſſa , & collata ibi leguntur, non tamen ad effectum perducta video.

III. In hoc Capitulo celebrari iuſſum feſtum S.Martini primi Vallis-paradiſi Abbatis per totam Obſeruantiam, quod hactenus , neque id à multis annis ſolùm in propria Eccleſia celebrabatur. Iniunctum etiam Generali Reformatori pro tempore exiſtenti,vt ſingulis Capituli diebus, qui manè verbum Dei inter Miſſarum ſolemnia prædicerent, qui veſpere,propoſitis theſibus Theologicis , aliorum argumenta retunderet , prouideret in tempore , quod hodiéque ſeruatur , & perſeuerat.

IV. Florebat per hoc tempus in Morerola , & iam trigeſimum à ſuſcepto habitu annum attigiſſe videtur inſignis ille pietate Monachus Benedictus , re & nomine , cognomento de Salamanea,cuius glorioſi & admirandi tranſitus meminit Athanaſius Lobera Regius Hiſtoricus in vita S. Froylani cap. 28. atque ex ipſo Chryſoſtomus Henriquez in Menologio.

Mons-ſalutis intentus.

V. Sub eodem Ambroſio Reformatore tentata vnio Abbatiæ Montis-ſalutis in regno Toletano,cum ea per mortem Bernardi de Alcocer vltimi Abbatis perpetui vacauiſſet.Sed retardata,reſiſtentia Monachorum, qui ſe iam Reformatos, neque ad hoc vnione aliqua indigere multis propoſitis inſtantiis diſceptabant.Et manſit ſine Abbate conuentus per annos decem,dum nec reformatos patiebantur,& qui Romæ impetrabant dignitatem,nec in congregationem , ſed maximè in Imperatorem Carolum V qui eius partes agebat, litigare cogerentur, litteras aut non expediebant, aut occultabant.

VI. Vix

VI. Vix octo menses egit in præfectura Ambrosius de Gueuara,& ecce immatura morte sublatus dignitatem amisit simul cum vita. Congregata pro electione successoris synodus est apud Montem-Sion ad vigesimam diem mensis Februarij anno M D. XLI. In qua vix religiosus prudensque Frater Stephanus de Morerola, eiusdem domus Monachus eligitur in Generalem Reformatorem: designata illi domo Palaciolensi, in qua Abbas resideret. Quod tamen vtrùm executioni mandatum sit, ex Actis non constat; & aliàs video dictum Reformatorem, nequaquam recensèri in Catalogo Abbatum illius domus. In hoc Capitulo (vt par est credere longæ & penè continuæ dominationis Laurentij de Peña-fiel) communi omnium consensu, & quadam veluti fatali conspiratione, decretum est, vt nullus in Generalem Reformatorem, si semel eo officio functus fuisset, nisi expleto sexennio, eligi posset. Vt consiliarij non quos Reformator sibi elegerit nec loco proximiores, sed per Capitularium suffragia designarentur; & ne liberum esset alios assumere, siue quenquam illorum præterire, quoties ardua occurrant pertractanda. M.D.XLI. 27. *Stephanus de Morerola.*

VII. Decretum etiam, vt hi visitatores eligant, qui siue requisiti per triennium, siue in fine ex officio, contra Reformatorem inquirere habeant; si deliquerit in Capitulo puniendum. Atque hæc omnia iuramento firmari iussa, atque subscribi in libro omnium nominibus neque vnquam procedendum ad electionem noui Reformatoris, nisi horum omnium iuramento preuio, quod etiam perseuerat vsque ad hanc diem; nisi quòd tamen pro quatuor Conciliariis, sex nunc diffinitores subrogantur, vt infra dicam. Hoc fuit initium earum diffinitionum, quas iuratas vocamus; omnium aduersus potentium Reformatorum, ne imperium, quod ad triennium acceperunt, per violentiam continuent, & malas artes; quo nullum malum nocentius Patres putarunt.

VIII. Decretũ etiam, ne à solo Reformatore Rector collegij, vt antea, sed à diffinitoribus eligeretur. Demum quia multæ de sessionibus Abbatum, & eorum præcedentiis emergebant quæstiones; iussa inquiri instrumenta fundationum, atque ad sequens Capitulum adduci: vt causa cognita, & partibus auditis, de iure singularum donorum iudicaretur.

IX. Interim pro obseruantia latarum legum, quatuor consiliarij delecti sunt, Frater Ioannes de Osuna Vallis-bonæ, Frater Bartholomæus Henriquez Spinæ, Frater Antonius Palomero Carrazeti, & Frater Michaël de Seuilla Nucalensis Abbates, quibus, siue Abbatias retinerent, siue dimitterent, siue ad alias transirent officium hoc censeretur fore iniunctum.

IX. Eodem anno, & ferè eodem mense, nempe die sequentis tertiadecima, obseruantiæ vnitur antiquum Monasterium sancti Martini vulgò de Castañeda Asturicensis diœcesis; & suæ matris, nempe Carrazeti imitatum exemplum, nouæ reformationis iugum admisit, quod author vnionum narrat totidem verbis. *Monasterium sancti Martini de Castañeda Asturicensis diœcesis, quod de iure patronatus Caroli Imperatoris & Regis Castellæ, & Legionis esse dignoscebatur, cessione facta à Ioanne Diez Episcopo Hipponensi, qui illud habebat in commendam Pauli Papæ III. per Franciscum de Ouiedo Canonicum Palentinum, Procuratorem suum ad hoc specialiter deputatum: Præfatus Pontifex ad instantiam Caroli Imperatoris nec non Reformatoris, & Abbatum Congregationis, dictum Monasterium, cuius fructus ad triginta quatuor florenos auri in libris cameræ taxati reperiebantur, perpetuò vniuit dictæ Congregationi anno M. D. XLI. tertio Idus Martij.* *Vnio sancti Martini de Castañeda.*

XLIX.

FERDINANDVS.

I. Anno M.D.XLIII. in Palaciolis successisse legitur Ferdinandus Daza. Sequenti verò M. D. XLIV. Synodo congregata in Monte-Sion, cum Stephanus de Morerola absoluisset triennium, in locum eius Laurentius subrogatur, cognomento de Orozco, Spinæ Monachus, qui vniuersæ præesset congregationi. In hoc Capitulo diffinita quædã pro grauitate Abbatum, atque item pro clausura Monachorum, eorum præcipuè, qui sacris litteris Compluti operam dabant. Capitulum reuocari iussum ad mensem Maium, & prorogatum ad illud triennij tempus. Reliqua omnia, permissa pristinis legibus, quæ compillari iussæ, vulgarique quod antea neque semel imperatum, nunquam executioni mandatum fuerat. Consiliarij repetiti pene iidem, Ioannes de Ossuna, Antonius Palomero, & Michaël de Seuilla, Vallis-bonæ, Carrazeti, & Nucalium Archimandritæ. Addito pro Bartholomæo Henriquez, Stephano de Morerola, qui tunc exuebat munus Reformatoris. M. D. XLIV. 28. *Laurentius de Orozco.* M.D.XLIV.

II. Eodem anno concessa nostris fuit ampliſſima conseruatoria, vt vulgò vocant priuilegia illa, quibus manutenemur, & conseruamur. Porrò quæ hoc anno nobis concessa est primum in tertio tomo occupat locum.

M. D. XLV. *Vrsariæque.*

III. Anno M.D.XLV. opulentissimum Vrsariæ Monasterium in Gallæcia, diœcesis Auriēsis, reformatur, post longam satis litem, quæ multo tempore grauauit congregationem. In libro vnionum hæc tantùm de ea lego. *Monasterium sanctæ Mariæ de Ossera Cistercienſis Ordinis, Aurienſis diœceſis, quod de iure patronatus Caroli Magni Imperatoris, & Regis Castellæ, ac Legionis esse dignoscebatur, vacans per ceßionem, quam liberè in manibus Pauli Papæ III. fecit Ioannes tituli S Sixti Presbyter Cardinalis, Burgenſis nuncupatus, ipſamque ceßionem Pontifex admittens, ad petitionem & inſtantiam Reformatoris, & aliorum Abbatum, dictum Monasterium, cuius fructus, & prouentus, (ſuper quibus penſio annua mille ducatorum auri de Camera, Alexandro S. Laurentij in Damaſo Diacono Cardinali Farneſio nuncupato, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellario, authoritate Apoſtolica reſeruabatur) ad ducentos viginti duos florenos auri in libris Cameræ Apoſtolicæ reperiebantur taxati, perpetuo vniuit prædictæ Cōgregationi anno M.D.XLV. nono Kalendas Decembris, Pontificatus ſui anno XII.* Hactenus ibi. Constat, quandiu vixit Commendatarius, Cardinalis Alexandri Farneſij nepos, nihil omnino peragi potuisse: quoad ipso defuncto, & Episcopo Hipponensi, Cardinalis Burgensis, vt dictum est, non serius resignauit, quam obtinuit. Cæterum multis millibus grauatam ex annua illa pensione, quam à pluribus annis non soluisset, omnino subleuare necesse fuit: & cum domus soluendo non staret, congregatio pro ipsa subiuit debitum atque de facto soluit. Vnde emanare cœpit consuetudo vt Vrsaria in continuis contributionibus, supra alia cœnobia, proportione seruata, grauari soleat: non solùm quia opulentior, pinguiorque; sed quia deuinctior vniuersæ Congregationi, & velut reditus solui illius summæ. Primus Vrsariæ triennalis Abbas fuit Ferdinandus cognomento de Salenas, quem tamen ferunt vix annum integrum mansisse in dignitate. Ei successit Iulianus Martini Montis Salutis Monachus, qui nondum reformato suo cœnobio ad reformata venerat, velut qui vitam omnino perfectiorem, & conformiorem regulæ, neque quid aliud vltra desideraret.

M. D. XLVI. *Et Riuisici.*

VI. Sequenti anno duæ aliæ Ecclesiæ Cōgregationi vniūtur, de Riuosico in veteri Castella, & de Iunceria in Gallæcia, Burgensis diœcesis illa, hæc Aurienſis. De prima hæc pauca habet vnionum liber *Monasterium de Riuosco Burgenſis diœceſis, quod de iure patronatus Caroli Imperatoris esse dignoscebatur, ceßione facta, per Ioannem de Oliua ipsius Abbatem, per Franciscum Robuster Archiuij Romanæ Curiæ Correctorem, Procuratorem suum, ad petitionem Abbatis Generalis, & aliorum Abbatum de Obseruantia, Paulus Papa III. quarto Idus Aprilis anno M. D. XLVI. cum omnibus suis iuribus, quorum fructus & prouentus ad triginta tres florenos auri cum vno tertio in libris Cameræ taxati reperiebantur, perpetuo vniuit præfatæ congregationi, &c.* Hæc de prima Ecclesia. Cæterum de secunda, hæc quæ sequuntur.

Atque Iuncariæ.

V. *Monasterium sanctæ Mariæ de Iunquera de Espadañedo Aurienſis diœceſis, quod de iure patronatus Regij esse dignoscebatur ceßione facta ab Andrea de Zuazo ipsius Abbate, in manibus Pauli Papæ III. per Ioannem de Monroy Clericum Zamorenſem Procuratorem suum, Præfatus Pontifex ad inſtantiam Imperatoris ſuplicantis, nec non & Abbatis Generalis Congregationis, dictum Monasterium, cuius reditus & prouentus dedit pro expreßis, perpetuò vniuit ſupradictæ Congregationi, anno M. D. XLVI. octauo Idus Maij, Pontificatus anno XIII.*

L.

AVGVSTINVS.

M. D. XLVII.

I. Anno M. D. XLVI. in Palaciolis subrogatur Augustinus, cuius tamen neque proprium cognomen, neque vlla alia memoria, quam sciam, extat.

29. *Christophorus de Orozco.*

II Sequenti M. D. XLVII. Laurentius de Orozco Reformator, cum absoluisset triennium, & duos menses, synodum congregauit in Monte-Sion ad diem sextam Maij, in qua fratrem suum subrogauit Christophorum de Orozco Monachum & Abbatem Vallis bonæ: siue re vera dignior habebatur inter alios Abbates, seu gratia fratris, nam ambitum non credam, digniorem effecit, quod non raro videmus contigisse. In hoc Capitulo confirmatas lego, quas vocamus iuratas diffinitiones. Præceptum item, vt Officium Mariæ Virginis in vigiliis & Laudibus quintæ & sextæ feriarum, Sabathique hebdomadæ pœnosæ, quandiu iam dicebantur more Romano non in choro, vt solebat recitaretur, sed extra chorum: Decretum item, vt in singulis Capitulis Missa vna pro defunctis præcedentis triennij cantaretur solemniter, reliquæ de Spiritu sancto celebrarentur. In eodem compilatæ leguntur diffinitiones in ipso libro Capitulari; & pro Monialibus quædam satis prolixæ, quas non video cum aliis publicatas. Iussum & impetrari indultum aduersus Bullam, quam vocant Cruciatæ ne quis

eius

eius prætextu Confessorem eligere, aut à casibus reseruatis absolui posset. Demum in ipso notantur consiliarij designati à Capitulo, Abbates Spinæ, Matæplanæ, Carrazeti, atque Saltusnoualis, etiamsi in tempore Abbates esse desinerent.

III. Hoc ipso anno, ait liber vnionũ, *Vacante Abbatia Monasterij de Hoya diœcesis Tudensis, quæ de iure patronatus Regij esse dignoscebatur, per cessionem Magistri Alphonsi Moram clerici Hispalensis, scriptoris & familiaris Pauli Papæ III. idem Pontifex, ad instantiam Imperatoris, & petitionem Generalis Reformatoris & aliorum Abbatum, prædictum Monasterium, cuius fructus & prouentus centum florenos auri in libris Cameræ taxati reperiebantur, perpetuò vniuit dictæ Congregationi, accedente expresso consensu ipsius Caroli V. Imperatoris, anno M. D. XLVII. Nonis Octobris, Pontificatus sui anno XIII.* Hactenus vnio Monasterij de Hoya. Ex cuius monumentis etiam constat, vsque ad hoc tempus litem perdurasse, cuius supra meminimus: indulta interim Abbatia aliis duobus Didaco, Ioannique vtrique Sarmiento: atque hoc vltimo per sententiam victo, neque adhuc pacta pace, quoad vsque à tertio vltro est resignata. *Reformatur Hoya.*

IV. Biennio post anno M. D XLIX. quæ dudum restitisset reformationi Abbatiæ Montis salutis tandem consensit, dispersa licet Monachorum maiori parte per alia Monasteria, vt habent antiquæ memoriæ eiusdem domus. In libro vnionum hæc tantum scripta reperi. *Cessione facta regiminis Monasterij B. Mariæ de Monte-salutis Ordinis Cisterciensis Conchensis diœcesis in manibus Pauli Papæ III. à Bernardo Barrantes olim ipsius Abbate per Bartholomæum Vtacamp. Clericum Illerdensem Procuratorem suum, præfatus Pontifex dictum Monasterium, quod de iure patronatus, Regũ Castellæ esse dignoscebatur, & fructus, ac prouentus ducentorum ducatorum auri de Camera secundum communem æstimationem non excedebant, vt Carolus Imperator, & Reformator Congregationis, atque alij eius Abbates asserebant, ad petitionem & instantiam ipsius Imperatoris perpetuò vniuit eidem Congregationi. Sed quia superueniente obitu Pauli Papæ III. litteræ Apostolicæ super gratia istius vnionis confectæ non fuerant; ne Reformator & Abbates Congregationis illarum frustrarentur effectum, Iulius Papa III. Octauo Kalendas Martij, Pontificatus sui anno primo, qui fuit Christi M. D XLIX. voluit, & decreuit, quod dicta vnio à prædecessore suo concessa, perinde suum sortiretur effectum, ac si super illa dictæ prædecessoris litteræ emanassent.* Hactenus ibi Erat Bernardus Barrantes Montis-salutis Monachus, atque impetrauerat prædictam Abbatiam, non à se possidendam, quod nunquam voluit, sed resignandam in fauorem Congregationis. Fuit autem post vnionem institutus in triennalem Abbatẽ semel & iterum, quo tempore domum multo ære alieno pressam, oppressamq; atque annua pensione soluenda Romæ dicitur liberasse; quin & plura acquisiisse, quæ vsque hodie cœnobio perseuerant. Ferunt cum Romam ex Hispania nauigaret, ad hæc & alia negotia peragenda, tempestatẽ subortam sedasse, precibus fusis ad Virginem Mariam Montis-salutis; quòd miraculo datum, inter alia eiusdem Virginis sacræ commemoratur. Hæc de vnione ad decenniũ retardata Montis-salutis. M. D. XL X. *Et Montis salutis.*

LI.

PAVLVS.

I. Eodem anno M. D. XLIX in Palaciolis, Augustino succesit Paulus cognomento *Nuñez*, cui tamen quidam Augustinum alium substituunt, sed vtrumque absolutum intra biennium. Quo nempe tempore domus Palaciolensis legitur mancipata in sedem ordinariam Reformatorum. M. D. XLIX.

II. Annus M. D. L. fatalis obseruantiæ & nostris fuit celebrato Capitulo apud Montem-Sion ad diem VI. Maij electoque in Generalem Reformatorem Fratrem Iulianum Martinez ex Abbate Vrsariæ; illo nimirum, quem non dum reformata Abbatia Montis-salutis, quasi maioris perfectionis zelo, deseruisse eandem, atque ad nos transiisse, commemorauimus. Hic opinione religionis celebris, (veræ an fictæ, quis nosset?) quo sanctior cæteris esse credebatur, eò etiam præferendus, vt præsideret, facile omnium suffragiis mereri potuit. Continuasse fictionem in Capitulo in comperto est, multis legibus editis, quæ nihil aliud, quàm pietatem præseferebant. Vt quinta feria quoties non impedita esset, Missa de Venerabili Eucharistia celebraretur, vt in confessione, quæ in Missarum initio proferri solet, sanctus Bernardus Parens post B. Virginem immediatè inuocaretur. *Confiteor Deo, Beatæ Mariæ, & Beato Bernardo*, &c. Vt Monasteriis nondum reformatis facilior deinceps ad reformationem pateret aditus. Tum ne vllibi Nouitij admitterentur, nisi vbi Monasteria disciplina strictè, per quindecim, vt minus, professos seruari posset. Vt Collegio Compluti permanẽte, aliud adderetur, quod Vallisoleti, in Xenodochio Monialium de las Huelgas surgere iussit. Vt fugitiuis, si qui fortè caperentur, aggrauarentur pœnæ; & vt grauioribus delictis puniendis, M. D. L. 30. *Iulianus Martinez.*

puniendis, stricti carceres, compedesque, & catenæ, quibus vinciri possent, disponerentur. Demum vt contra Bullam cruciatæ impetraretur Bulla, siue in dultum, ne vllis aliis quam designatis ab Abbatibus peccata sua vnquam confiteri, aut à reseruatis absolui Monachi possent. Hæc & similia promulgata in hoc Capitulo zelum igneum Iuliani demonstrabant.

III. Sed nihilominus quædam alia mixta, quæ minus iusta, quædam quæ factum hominis, & nimiam arrogantiam detegebant; præceptum est, vt Moniales, quæ iure filiationis Abbatibus subessent, vt Hortæ, Morerolæ, Meyræque ab eisdem exemptæ (dubium quo iure) soli Reformatori subiicerentur. Vt congregatio Cistercij iugum excuteret; nec post Reformatorem, alteri quam Vicario Christi subiecta maneat. Vt quoties Abbatias medio triennio contingeret vacare, nequaquam libera pateret electio Monachis, vt hactenus patuisset; sed restricta ad personas, quas Reformator illis designaret. His, & similibus erumpebat superbiæ virus; & quantumuis latescens inter honesta, non leuibus indiciis detegebatur.

IV. In hoc Capitulo insignis ille Doctor, Hispaniæ phœnix Cyprianus de la Huerga Nucalensis, Rector Complutensis Collegij designatur, indulta facultate, vt gradum Magisterij in sacra Theologia, cum primùm Cathedram adipisceretur, sortiri posset. Atque hic primus Obseruantiæ Magister fuit post Martinum de Bargas, obtenta breui sacrorum Bibliorum Cathedra, quam etiam primus rexit; sed post quem multi alij sunt sequuti.

V. An Moniales de Olmedo per hoc tempus Obseruantiæ subessent, in dubio est. Illud compertum, designatum illis Confessarium vt vocant in hoc Capitulo, qui ne eas in aliquo grauaret, alij iubetur expensis Congregationis Constaret præterea ex actis Capitularibus, hoc item anno approbatam fuisse à Patribus reformationem Monialium sancti Guillelmi, atque vnionem cum sancto Michaële, quæ nos paulo ante admissa memorauimus.

VI. Consiliarij assignati Reformatori vterque Frater Laurentius & Christophorus Orozco, alter Vallis-bonæ Abbas, alter Spinæ, Frater Antonius Palomero Carrazeti, & Frater Gabriel de Herrera Nucalensis.

VII. Ex eisdem non minus actibus constat insignis sanè Poëtæ pro illo æuo, nec minus in præsenti memorabilis Christophori de Castilleso in hunc annum incidisse mortem; cum ex Monacho Vallis-Ecclesiarum ad Secretiora Ferdinandi Regis consilia Caroli V Fratris, assumptus esset. Et extant hodie monumenta non contemnenda, id est opera, quæ ex bonis illius facta leguntur, cum velut Monachi Monasterio suo cessissent: paucis exceptis, quæ legauit suis, Summi Pontificis impetrata dispensatione. Catalogum operum illius texuit Henriquez in Fœnice, neque vllus Hispanorum Authorum est, qui non ipsius cum laude inter illustres Poëtas, mentionem faciat. Cætera huius anni, infausta, & turbida; quippe quæ noui electi Reformatoris omnino detexerunt indignitatem Quæ vtilia in eo præcipuè prominuerint in dubio est. Constat, cum ea depositionem peterent, voluisse Patres verecundiæ hominis parcere; & detecto defectu minus deformi, quod professus non esset (quippe à Monte-Salutis, febre correptus, dum adhuc esset tyro, in habitu professi missus ad suos procurãdæ saluti: inde cum à morbo conualuisset, ad obseruantiã veniens, atque ex habitu creditus professus, omnes professi exercuerat functiones.) Itaque, dum hic titulus, vt mitior, tollẽdo scandalo de regno Dei quæritur (quod hactenus inauditum fortasse fuit) relictis ouibus, fugit degener pastor; & qui, ceu non professus liberè egredi, vel professus imperium retinere, oblata purgatione, fortassis posset; vtrumque neglexit; & libertatem, fuga maculauit; imperium, metu, & pusillanimitate prorsus indigna.

VIII. Fuga pastoris turbatus (nec mirum) grex; & licet non dispersus, diuisus tamen. Nam dum nonnulli pro Iuliano certant, alij in ipsum insurgunt, quassatam cymbam reficere non curant, sed scissuris scissuras superaddunt. Nec iam soli defectus pastoris profugi, sed ouium relictarum expenduntur, vulganturque; quasi compensatione minuerentur, qui sine illa enormes censendi forent. Tum vero Carolus V. Imperator desolatæ, sed nobili, atque Ecclesiæ, & Hispaniæ quondam pervtilis, compassus familiæ, qui minantem ruinam repararent, & ad nitorem pristinum reducerent, duos de latere suo delegauit, totius Regni primores, & administros, vtrumque Præsidem, alterum supremi Senatus Regij, Dominum D. Ferdinandum Niño de Gueuarra noui Orbis Patriarcham, Episcopum Seguntinum; alterum Vallisoletanæ Cancellariæ, Dominum D. Michaëlem Muños Episcopum Conchensem, qui congregato Capitulo apud Huelgas Vallisoleti, & præsiderent, & cuncta in eo dirigerent; quin si quæ dubia essent, reuocarent. Hi porrò vtraque fulti, Pontificia, & Regia, quo maius rebus gerendis pondus darent duos alios eligere sibi accessores, vtrumque à Secretiori consilio, quod vocant Cameræ, licentiatum Bertrandum de Galerza, & Ferdinandum Martinez de Montaluo, viros prudentes, & pios, vel inter paucos.

IX. Vigesima die mensis Augusti Synodus congregata in Ecclesia S. Mariæ Huelguensis est, in qua magnus Castellæ Præses primùm declamauit pro nostris, neque minorem pro

Cistercij honore zelum præ se tulit, quam pietatem. Quomodo obscuratum aurum sacræ obseruantiæ, & color optimus mutuæ charitatis in aduersa mutatus, vniuersam denigrasset congregationem? Qui Angeli ab extraneis putabantur, homines apparuisse; & detexisse; dum inuicem accusant, quam reuera non essent, qui debuissent quorum culpam, nam verè ita putabat, redundare in omnes, dum complices creduntur, qui non compescunt. Nec credi tantùm sed re vera esse, quotquot non exhibent, cum possent, atque deberent. Diuisionem, ex propriis affectibus, non ex amore Dei ortum habere. Adnitendum proinde omnibus esse, vt quæ sunt Dei sapiant, in quibus solis nequeant discordare. Hæc & similia ardenti zelo dicta, dum ruborem incutiunt lachrymas, (nam cunctos penè palam lachrymatos, traditio est) post designatum communibus suffragiis, qui cunctis fidem faceret, Fratrem Laurentium dictum de Salamanca Abbatem de Hoya, vnum omnium animum, atque vnam omnium vocem esse fecerunt; vt tam pro eligendi diffinitoribus, quàm pro Reformatore, & consiliariis, visitatoribusque in duos Præsides vltrò compromitterent, qui iuxta merita, functiones distribuerent, nulla siue potentiæ, siue gratiæ, siue alterius affectus ratione habita.

X. Sequenti die quæ fuit vigesima prima mensis Augusti, compromisso acceptato per duos Præsides. Diffinitores ab eis electi sunt Frater Laurentius de Orozco Spinæ, Frater Andreas de Zuaro Ferrariæ, Frater Nicolaus de Ayllon, Matæplanæ, & Frater Paulus Suarez Hortæ Abbates; iunctis Fratre Bernardo de Laio Nucalensi, Fratre Ferdinando Xabata Montisferi, Fratre Barnardo Vasquez Saltus-noualis, & Fratre N. de Fuente-encalada Sagramœniæ Procuratoribus. Non vllum grauius diffinitorium viderat, ex quo cœpit. Congretio. Quid si nec postea vidit? designatis ex octo, quinque viris, quos dignitas suprema Reformatoris, aut decorasset dudum, aut mox pecoratura prestolabatur. Diffinitoribus promotorem addidere Fratrē Alphonsum de Granada tunc temporis Abbatis Montis-salutis. Mox consiliarios sanctos, doctosque, si quos sæculum illud habere potuit, Fratrem Franciscum de Villanueua Morerolæ Abbatem, Fratrem Hieronymum Hurtado, Vallis-Ecclesiarum; quem cum insigni opinione pietatis post multas functiones decessisse, inferius dicam; Fratrem Alphonsum Nieto, de quo supra; & qui tunc recens emergere incipiebat Fratrem Ludouicum Aluarez de Solis, quam nostri Generalem semel & iterum; Fiterienses, Abbatem suum perpetuum; & inclyta militia Calatrauæ sacri Conuentus Priorem expectabant.

XI. Die XXIV. eiusdem mensis, celebrata de Spiritu sancto Missa solemni, prædicti Præsides tres viros proposuere, è quibus vnum in Reformatorem, quem mallent eligerē; reliqui duo, remanerent visitatores. Hi fuere Frater Didacus Ossorio Vallis-paradisi, Frater Ferdinandus de Valtanas, Vallis-bonę, & Frater Marcus del Barrio Abbas sancti Prudentij, Spinæ Monachus, duas ex tribus suffragium partibus, vno vel alio minus Marcus habuit, vir plane sanctus; & cuius crebra; maximè post mortem, referuntur miracula, de quibus nos in tempore dicemus. Hunc tantum virum Deus nostris prouiderat, per quem perditis rebus subueniretur. Sed perditis tantum: quippe cum postea ad triginta fermè annos superuixisset, non vltra assumptus in Reformatorem legitur. Fortè quia sancti tunc solum eliguntur, cum nulli ambiunt.

XII. Sequenti die XXV. eiusdem mensis, qui à secretis esset Reformatori, per eosdem Præsides designatus est, Frater Stephanus Guerra Monachus Vallis-paradisi, qui postea multis annis sacrum Calatrauæ Conuentum vices gerens Prioris administrauit.

XIII. In hoc Capitulo noua politia legitur instituta, quæ magna ex parte vsque hodie perseuerat. Obtinuit inter alia primum locum, vt Reformator eo ipso existat, & declaretur Abbas Palaciolensis. Itaque primus, qui vtramque dignitatem simul iunxit non vltra diuidendam, Marcus fuit.

LII.

MARCVS REFORMATOR. I.

I. Electus die & modo, quos iam descripsimus. Vt Abbatiæ omnes simul vacent, & vacaturis à diffinitoribus duo ex magis idoneis proponantur, ex quibus solis electio fieri debeat. Vt hi duo mittantur ad domos singulas sub sigillo totius congregationis: & nec qui tulerit ante inceptam Missam de Spiritu sancto ingredi domum, nec charta referari, nisi in Capitulo post Missam dictam possit, atque electione statim subsequenda. Vt concilia & electiones Reformatorum liberè celebrentur in domo, in qua tum eidem Reformatori, tum consiliariis videatur expedire. Vt Reformator, expleto suo triennio, domum, in qua Capitulum celebratur, ingredi nequeat, vel ingressus, prius egrediatur, quam eam Capitulares ingredi possent; nisi post omnia officia designata, successorem acceptum, non reuersurus. Vt interim

præsideat Abbas Montis-Sion, cui hoc indultum pro aliis subrogaretur. Vt in Capitulis octo diffinitores, quatuor ex Abbatibus sine vlla restrictione, totidem ex Procuratoribus; prolixis scrutiniis eligerentur. Vt hi congregationi duos viros, sicut & totidem singulis Ecclesiis proponere deberent; ex quibus Congregatio Reformatorem, sicut Ecclesiæ singulæ Abbates sibi deligerent; neque extra per suffragia vagari posset. Vt annis singulis Capitula intermedia, siue Consiliariorum; Generalia, & electio Reformatoris Abbatumque de triennio in triennium celebrarentur. Demum vt Reformator semel omnes Ecclesias; Visitatores iterum; nec nisi grauis ingrueret necessitas aliæ visitationes fieri possent. Quæ atque alia ibidem statuta præsentari Pontifici quantocius confirmanda, præceptum legimus.

II. Prouisa & alia mores concernentia: & quarta horæ pars manè post laudes, altera quarta post Completorium Vesperè orationi mentali adiudicatæ: quod sanctus Parens in regula præceperit, breuem semper in Conuentu esse orationem. Bibliothecas pro cœnobiis singulis instrui; vltra quas libros, sed præcipuè morales Monachis dari. Professentes Theologiam apud Complutum contineri in Claustris; neque vllo titulo inde posse exire, ante absolutum tempus præfixum studiis. Leges, quod sæpe iussum, sed nunquam factum ordine suo digestas, & librum item vsuum publicari: Reformatorem, à regimine Ecclesiarum extra visitationem abstinere; atque id genus alia præcepta sunt, quæ bonis moribus consentanea iudicabantur. Abbatissæ Huelguensi iniunctum est, quia obedientiam Cisterciensi Abbati vouerat, vt impetraret relaxationem voti, aut si renueret absoluenda veniret à subiectione Generalis Reformatoris. Monales Guensen in Asturibus, quæ se inconsulte transtulissent ad S Michaëlem, restitui loco iussæ: inde si possent, Ouetum transferendæ Complutensi Collegio iterum in Rectorem datur Magister Cyprianus, iam sacrorum Bibliorum interpres publicus; & Capitulis designatæ singulæ domus; nimirum Generali, Palaciola; intermediis, Nucales, Morerola, Spinaque; certis diebus in ipsis celebrandis. Hactenus in eo celebri Capitulo

M. D. XLII. III. Anno M. D. LII leges Congregationis, quæ toties typis mandari iussæ fuerant, tandem correctæ, atque ad ordinem redactæ, vulgatæ, sunt Toleti in quarto apud Ioannem de Ayala, industria & opera Abbatis Nucalensis, cui id munus iniunctum à Capitulo

IV. Eodem anno prima die maij Synodus intermedia celebratur apud Montem-Sion: nec quid in ea tractatum memoria dignum, nisi quod de transferenda Abbatia Bonifontis sanctimonialium, ad oppidum Molinam, deliberatum est; inconsulto, vt apparet Abbate Hortæ, cui Bonus-fons filiationis iure subesset, quod tamen postea, (sed neque deerant aliæ difficultates) impediuit effectum, Bonus-fons permansit in suo loco.

M. D. XLIII. V. Sequenti anno M. D. LIII. duo Capitula intermedia celebrata sunt, alterum Spinæ XIII. die Februarij, alterum Morerolæ. 1. Nouembris. In primo video prouisum efficaciter, vt decreta Capituli apud Huelgas ante biennium celebrati, authoritate Cardinalis Pogij, Iulij III Legati confirmarentur. Confirmationes porrò circumferuntur cum aliis eiusdem Legati indultis initio tertij tomi priuilegiorum. Decretum item, vt pro celebrandis Capitulis electionum, quæ generalia incipiebant iam vocari. Palaciolensis Abbatia, siue quod sedes cessit Reformatoris, siue quod posita in medio Congregationis quo vndequaque commodius confluerent Abbates, disputaretur. Quin in Capitulo proximè sequenti Morerolæ coacto decretum est, vt ea domus expensis Congregationis pro suscipiendis cunctis Capitularibus, atque ad Capituli vsum construeretur. In eodem designati visitatores, qui in Reformatorem, si fortè quid errasset, possent inquirere. Hi fuere Abbates S. Claudij atq; Melonis.

VI. Eodem anno Cardinalis Legatus Ioannes Pogius, dum omnia acta Capituli confirmat pridie Kalendas Maij; eadem die, duo alia priuilegia nostris indulget, alterum pro componendis sacrificiis, dotationi busque, quarum stipendia ad nimiam tenuitatem peruenissent: alterum, vt quas ter tantum in Hebdomada, & semel in die licebat extra claustrum carnes comedere, etiam in Refectorio conuentuali fratribus intra Claustrum apponi possent; ne videlicet mensæ separatæ, diuersaque minori obseruantiæ ansam præberent.

VII. Quo item anno, quod ad Ouetum transferri iussum fuerat Monasterium de Gua, cum in oppido de Auiles opportuniorem locum inuenisset, illuc translatum legitur: atque translatio ipsa & reformatio, obedientiaque Reformatori præstita, eiusdem Cardinalis Legati authoritate confirmata est, vt priuilegio 6. videre licet.

M. D. XLIV. VIII. Anno M. D. LIV. Capitulo congregato in Palaciolis die 5. mensis Maij, primi omnium eliguntur Visitatores, Frater Franciscus de Villanueua, & Frater Hieronymus de Lalo. Exinde Consiliarij designantur Frater Laurētius de Orozco Spinæ, Frater Didacus Osserio, Valis-paradisi, Frater Nicolaus de Ayllon Matæplanæ, & Frater Andreas de Zuazo Ferrariæ Abbates. Neque vltra ad alia officia processum video.

IX. Se

IX. Sequenti die electi diffinitores prolixo indagine. Quippe pro designandis quatuor Abbatibus sexdecim prius, mox ex sexdecim, octo; dein ex octo, quatuor electi sunt, qui tãdem in officio permansere. Eodem modo designati Procuratores præmisso semper solemni iuramento de eligendis dignioribus. Tantæ tunc molis esse putabatur designare hos viros, qui Patres darent vniuersæ Congregationi. Ex Abbatibus, post hæc omnia scrutinia delecti sunt Frater Alphonsus Nieto Vrsariæ, Frater Didacus Ossorio Vallis-paradisi, Frater Paulus Suarez Hortæ, & Frater Ludouicus Aluarez de Solis Superati Abbates: ex Procuratoribus totidem prodiere, de Spina, de Nucalibus, de Ferraria, & de Monte-salutis.

LIII.

DIDACVS OSSORIO REF. II.

I. His constitutis, octaua die Maij (nam tres dies insumpti in electionibus) ex quibus Generalem sibi deligeret, propositi Congregationi sunt insignes duo viri, Frater Nicolaus de Ayllon Abbas Matæplanæ, & Frater Didacus Ossorio Vallis-paradisi. Porrò hoc vltimo designato per suffragia, qui Consiliarius, atque diffinitor electus fuerat, duo alij pro ipso subrogantur. Frater Ferdinãdus Valtanas, tunc Abbas Vallis-bonæ, in Consiliarium; in diffinitorem vero Frater Nicolaus de Ayllon, qui in Reformatorem paulo ante fuisset propositus.

II. In hoc Capitulo nihil nouum tenratum video; nisi quod Capitula intermedia duo tantum in singulis triennijs celebrarentur, vtrumque prima die mensis Maij; & tertium superfluere visum, instanti tempore Synodi Generalis, cuius defectum intermedia supplere solent. In eodem indultũ primò est, vt Monachi in æstate sine cucullis ingredi refectorium & conuentualiter prandium sumere possent. Cum quidam Monachi externis occupati vt ab Officio Beatæ Mariæ Virginis cotidie recitando eximerentur, Romanum officium extra chorum recitarent; quod id sibi licere per Bullam Pij V. persuaderentur: declaratum est, nihilominus ligari ad Mariani pensi recitationem. Præceptumque virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis congregationis Monachis, ne quis illud omittat sub eo titulo.

III Eodem anno, cum Carolus V. Imperator Apostolica fultus authoritate, Ecclesiarum vasallos vendere vellet; obuiando imminenti nostris malo, quod graue censebatur, Synodus intermedia in monasterio Spinæ de mandato eiusdem Imperatoris die X. Iulij coacta est; atque item alia die XV. Februarij sequentis anni: nempe vt de modo, quo id fieri posset; cum minori Ecclesiarum dispendio consultaretur. Rara profecto pietate Principis, qui inter graues angustias, quod Pontificis dono obtinuisset, non extorquebat atrox, sed supplex magis petebat & exorabat; & super sibi indultis villis oppidisque in Ecclesiarum fauorem, quod clarè exactis constat, paciscebatur.

IV. Neutrum Capitulum obfuit ordinario, quod mense Maio intrante Valle-paradisi coactum legitur. Quin & secunda die mensis Octobris Spinæ aliud, pro grauibus negociis, quæ occurrerunt, nec vacat in præsenti examinare. In hoc secundo frater Michaël Angelus, Spinæ Monachus eximiæ industriæ homo præficitur negociis obseruantiæ Vallis-soleti. Et Virginibus Monasterij de Bethleem eiusdem vrbis multò ære alieno dudum oppressis ingens subsidium datur expensis totius Congregationis.

V. Hoc ipso anno duo alia monasteria, alterum de la Vega Legionensis, alterum sancti Petri de Gumiel militum Calatrauæ donum, & sedes olim Oxomensis Diæcesis, accessere obseruantiæ, cum eius iugum dudum recusauissent. Primi cœnobij vnio ita describitur. *Monasterium sanctæ Mariæ de la Vega diœcesis Legionensis, quod de iure patronatus Regum Castellæ esse dignoscebatur, cessione facta ab Andrea de Fuensalida Episcopo Tripolensi, & similiter ab Antonio Manrique Clerico Burgensi, qui asserebat, certo quodam modo indultum sibi fuisse ab Apostolica sede accessum ad dictum monasterium, vtroque in manibus Iulij Papæ III præfatus Pontifex ad instantiam Caroli V. Imperateris, dictum Monasterium, cuius redditus ad triginta tres florenos auri cum vno tertio in libris Cameræ taxati reperiebantur, perpetuo vniuit, cum omnibus suis iuribus Congregationi Regularis Obseruantiæ duodecimo Kalendas Decembris Pontificatus sui anno IV. Ne autem de vnione pro eo quod litteræ confectæ non fuerunt, posset aliquomodo dubitare, & Carolus Imperator, & Reformator ac Abbates Cõgregationis illarum frustrarentur effectu, Paulus Papa IV. anno M.D.L.V. septimo Kalendas Iunij, voluit & decreuit, quod vnio prædicta perinde suum sortiretur effectum, ac si super illa litteræ sui prædecessoris confectæ essent.* Hæc de prima Abbatia præsentis anni, atque eius vnione. Secundam author earum ita describit.

Vnio de la Vega.

M. D. L. V.

VI. *Vacante Abbatia sancti Petri de Gumiel Cistercienſis ordinis, Oxomensis diœcesis, ob cessionem*

Et sancti Petri.

ceſsionem Ioannis de Ocio, quam liberè & ſponte fecit in manibus Pauli Papæ IV. per Gregorium de Ayala Clericum Burgenſem Procuratorem ſuum, præfatus Pontifex, ad inſtantiam Caroli V. Imperatoris, Patroni Monaſterij, nec non Reformatoris & Abbatum Congregationis, prædictum monaſterium cum Prioratu de Milagros, & aliis annexis, quorum fructus ad centum florenos auri in libris Cameræ taxati reperiebantur, perpetuo vniuit dictæ Congregationi anno M. D. LV. Septimo Kalendas Nouembris. Hactenus ibi. In monumentis Eccleſiæ ſancti Petri Ioannes de Ocio poſt reſignationem, indulgentia Capituli, dicitur præfecturam continuaſſe, vſque ad annum M.D.LXIII. in quo deceſſit.

VII. Anno M. D. L. VI. vltima die Ianuarij, iterum exigentibus negotiis Reformator Conſiliarios congregauit apud Valliſoletum. Adeò prouidentiæ humanæ incertæ ſunt, vt nunquam plura Capitula contigerint, quam cum ne multa eſſent, lege cautum; & ſola duo haberi præceptum fuerat.

VIII. Hic idem annus noſtris licet nocuus, (ſic omnia monumenta antiqua probant) indecorus haud dubie, & turpis fuit: repulſam paſſo Abbate Ciſtercienſi Ioanne de Loiſier, cum ex Gallia ad Hiſpaniam pertranſiſſet, cœnobia reformata, (nam in Caſtella, Legioneque & Gallæcia, vix remanſerant alia) viſitaturus. Carolo V. Imperatori noſtro, atque Franciſco Regi poſt longa bella, quæuis ſuſpecta pax: atque animis hinc inde exulceratis, etiam tutiſſima, infida reputabantur. Ciſtercienſes Eccleſias in Hiſpania, nobilem eius partem, neque exiguam, atque militias Sacras includentem, illo æuo potentiſſimas, ſi exponerentur Gallo ſuperiori, quantum eſſet, vt alias poſt ſe traherent? Nam quid ſi Cluniacenſes tali exemplo? Quid ſi Carthuſiani, Præmonſtratenſeſq;, propriis vellent Eccleſiis dominari? Et in Ciſtercio ſpecialem rationem eſſe, ex militibus ſacris, in quibus eſſent vires totius regni. Exiit edictum à Senatu Regio, ne Superiores Galli, quandiù pax lubrica, in Monaſteriis Caſtellæ ſuſciperentur. Nec latuit hoc decretum Ioannem Loiſierium: ſed impetrauit diploma Caroli V. antequam Regno cederet, (quod ideo forſan faciliùs expediuit, quia ceſſurus) quo omnes Regni Abbates hortabatur, ad eius reuerentem ſuſceptionem. Has litteras Franciſco Regi miſit, à quo Ioannes accepit, nunquam ſine eis Caſtellam ingreſſurus. Noſtri, decreti conſcij, non litterarum, cum primùm Ciſtercienſem Abbatem in ianuis eſſe famæ vulgante, norunt, ſenatum adeunt, & quid facto ſit opus integri rogant; nec recuſantes obedientiæ ſubire iugum; nec Regi & regno, ſi quod inde ſequeretur, præiudicium rebelles illaturi. Non ſuſcipere Gallos iuſſi ſunt, quoad vſque quædam, quæ pacis concernebant conſeruationem, in pacta venirent, atque Apoſtolica authoritate confirmarentur.

IX. Hic ſtatus rerum erat in Caſtella, cum Ioannes aduenit; & Nauarræ Cœnobiis viſitatis, diuertit ad Moniales Hercianas, inde ad ſanctum Prudentium, primam Congregationis Eccleſiam perrecturus Cæterùm, quæ exinde ſequuta ſint, vt Galli narrant primum, (is honor illis debitus, quia Patribus) mox, vt à nobis comprobatum eſt per inſtrumenta, & teſtes, propalabimus. Narrat Reuerendiſſimus Edmundus à Cruce in eo, quem Barchinone vulgauit circa annum M.DC.III. Apologetico, in itinerario Anteceſſoris ſui Ioannis de Loiſier ſcriptum eſſe, *Priorem S. Prudentij veniſſe in Monaſterium Monialium de Herce, vt Reuerendiſſimum Dominum Ioannem ibi viſitantem videret; & probaret, ſi verus eſſet Ciſtercij Abbas? Quia, inquit, illi triennales Caſtellæ gloriantur, ſe gaudere priuilegio, quo nemo ab Abbate Ciſtercij eos viſitare poteſt. Tandem eo ſufficienter cognito, ſumpto prandio, antecedere voluit, vt aduenienti Domino noſtro ea præpararet, quæ conueniebant. Appulit Dominus circa ſextam ad ipſum monaſterium in cacumine montis conſtructum; ante cuius ianuam prior aderat cum Notario Regio proteſtans, ſe nolle ingreſſum Domino præbere eum ignorans, & eius poteſtatem. Quare Dominus ſigillum ſuum oſtendit, in quo Ciſtercij Abbatis nomen ſculptum erat. Prior, quia quod aliud opponeret non habebat, petiit, ſi facultatem haberet à Principe Hiſpaniarum Philippo II. Caroli V. Imperatoris filio, vt Caſtellam ingrederetur, litteras patentes Caroli V. ei oſtenſas neglexit; proteſtans ſe nihil facturum pro eis, neque ingreſſum Monaſterij permiſſurum, niſi prius ab ipſo Principe Philippo obtenta licentia. Prioris contumaciam, & ſuperbiam agnoſcens Dominus, ab eodem petiit, vt ſaltem tanquam hoſpes apud eos illa nocte degeret; proteſtans ſe ea vice viſitare nolle. Quod itidem negatum eſt. Poſtremo ab eodem Priore petiit Scyphum aquæ frigidæ; qui ei, & quibuſdam de ſua familia petentibus, quia nimius inualuerat calor, recuſatus fuit. Tanta eius monaſterij Monachorum corda indurauerat obſtinatio. Reuerſus Cæſarauguſtã Dominus, ibi reperit Hiſpaniarũ Principẽ, cuius auunculus B. Ferdinãdus de Aragonia Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus, Monaſterij de Veruela antea Abbas, & Religioſus monaſterij de Petra, apud eũ negociũ iſtud promouit, & præfati Prioris reſiſtentiam exponit. Propterea litteras acerbiſſimas Princeps conſcribi iuſſit, quibus præcipiebat triẽnalibus Caſtellæ, quatenus Domino noſtro in omnibus obſequerẽtur,*

eique

eique debitam præstarent obedientiam, cum inuocatione, si opus foret, brachij sæcularis. Nihilominus, cum intelligeret Dominus, Castellanos triennales illos eo magis commoueri, se vero à suis Religiosis pro negotiis vrgentibus Cistercium reuocari; maluit illorum violentis conatibus cedere, & horum precibus acquiescere, quam amplius cum illis contendere: præsertim cum eius valetudo hospiciorum incommoda, & itinerum asperitatem non ferret, in Galliam reuersus est. Hæc nostris nota in illo Itinerario, hæc in illa Apologia inusta est; quam vel innocuis non licet non dolere. Scilicet in his rebus sacratioribus, non solum scelus est male feciſſe, sed male audire: & vt olim Poëta decantauit, in superis (addo ego in superioribus) non sola culpa luenda, sed fortuna.

X. Certa, & recepta apud nostros historia est, Carolum V. Regno renunciaturum dediſſe litteras, quas se regnante adimpleri minimè posse; se non regnãte, valorẽ non habituras, eoq; nec obseruandas, considerauit. Nostris supremam fuisse necessitatem obediendi decreto senatus Regis, quandiu non irritato ab eo, penes quem esset summa potentia Philipum Regem requisitum Cæsarauguſtæ, ita voluisse Abbatis Cistercienſis prouidere honori, neque obedientiæ à nostris illi debitæ legibus contraire, vt nihilominus senatus sui decreta remanerent illæsa. Quare etsi litteras illi patentes dedit, omnem, quam potuit indulgentes facultatem: sed nihilominus illi consuluisse reditum ad Burgundiam, atque adhibuisse preces super hoc ipso, quæ in Regibus, vim præcepti, seu legis habere solent. Hæc de aduentu & repulsa visitatoris. *Ouidius, de Tristibus.*

XI. De hospitio difficiliùs audeam dicere: sed re vera susceptum reuerenter, quotquot tunc aderant, testatum reliquere. Quod ipse etiam Edmundus Generalis non inficiatur, quando in eadem Apologia ait. *Asseritis eundem, (scilicet Reuerendissimum Dominum Ioannem) in eo monasterio, (nempe S Prudentij) exceptum tanquam hospitem, non vt Visitatorem: ei prohibente Serenissima Imperatrice ingressum in Castellam, ne vestra Monasteria visitaret, &c.* Hæc ille quasi à nostris asseuerata, quamuis Galli resistant. Certè quod dicunt de potu aquæ petito, negatoque, admirabile magis, quam credibile, dum omnem fidem superat, aliorum eneruat authoritatem.

XII. Hoc ipso anno M. D. LVI. celebratur Capitulum intermedium die VI. mensis Maij in Monasterio Vallisbonæ; in quo præter Visitatores Reformatoris, qui in eius acta inquirerent, Abbates Vallisbonæ & Nucalensem, nihil inuenio factum memoria dignum.

XIII. Floruisse per hoc tempus in monasterio Spinæ Patrem Ambrosium Gante insignem Astrologum, atque Carolo V. & Philippo secundo eximie charum, Henriquez in Fœnice testificatur, vbi & quædam monumenta eius commemorat.

XIV. Sequenti anno M. D. L. VII. Congregato Capitulo in Valle-paradisi, quod Palaciola ædificarentur, nouum triennium auspicati sunt noui Visitatores, frater Marcus del Varrio Spinæ Abbas, qui anno M. D. LI. in celebri illo Capitulo apud Huelgas Reformator euaserat, & frater Alphonsus Ruicius Abbas Nucalium in eodem officio successurus non multo post. Tum in Reformatoris eligendi Consiliarios, frater Paulus Suarez Vallisbonæ, Pater Ludouicus Aluarez de Solis Morerolæ, frater Bernardus de Aiala Hortæ, & frater Stephanus Guerra Corrazeti Abbates, instituuntur.

XV. Sequenti die, ad Diffinitores eligendos, XVI. ex Abbatibus, inde ex XVI. octo, & tandem quatuor ex octo diliguntur; quod idem factum de Procuratoribus. Et renunciati ex illis, Paulus Suarez Vallisbonæ, vt dicebant, Alphonsus Ruicius Nucalium, seu de Nogales, Andreas de Zuazo Vallis-Viridis, siue de Benauides, atque Petrus de Heredia sancti Martini: ex his Spinæ, Hortæ, Morerolæque & Vallis-paradisi Procuratores. Hic primum memorari video insignem virum Ludouicum de Estrada Monachum Hortæ, qui Procuratorem agebat eiusdem domus.

LIV.

PAVLVS SVAREZ REFORM. III.

I. Sequenti die proposuere Diffinitores, è quibus Reformator eligeretur fratrem Paulum Suarez, & fratrem Petrum de Herodia, de quibus supra. Et confluxere suffragia in Paulum Suarez Monachum Vallisbonæ; subrogatis pro ipso in Consiliarium fratre Ferdinando de Salenas Abbate Hortæ, & in Diffinitiorem fratre Stephano Guerra Carrazeti.

II. In hoc Capitulo statuta aliqua video non omittenda. Vt Alleluia, quæ à Quadrageſima omitti consueuisset, à septuageſima deinceps; & Gloria Patri in tribus diebus vltimis Hebdomadæ pœnosæ, in Psalmis, iuxta ritum Romanum omitterentur. Vt Abbates non vacent in Capitulo quoad vsque reuersi ad proprias domos ingrediantur Ecclesiam Missam, de Spiritu Sancto, quæ electionem præcedit, celebraturi. Vt electiones officiorum

rum Capitularium aliis ordine,& modo deinceps fierent, quos Synodo sequenti referemus. Cautum item ne duo Diffinitores ex eadem Ecclesia,quamuis translati ad dies,eligi possint. Et vt Visitatoribus,sicut Reformatori Amanuensis Monachus, cuius calamo vtantur, designetur. Hæc & alia decreta prodierunt, caduca quædam, quædam permansura.

II. Iniunctum item Ludouico de Estrada est insigni Verbi Dei concionatori, vt Commentarios in sanctam Regulam ederet, quibus Abbates in Capitulis priuatis ad illam exponendam vti possent. Collegio Complutensi Rector iterum datus Magister Cyprianus. Et designatæ celebrandis Synodis domus, intermediis Mataplana & Saltus-noualis; Generali Palaciola, si fuerint perfecta,sin minus Spina. Actum & de ædificanda noua Abbatia apud Vallisoletum, cui pingues reditus ex Vrsaria, Superato, Monte rami, atque aliis designabantur

IV. Relatum in eodem Capitulo de legibus quibusdam, quæ in vulgatis, anno M.D LII. à prototypis dicebantur discordare. Præceptumque,vt à die mensis Maij XVIII. coram Reformatore & Consiliariis conferrentur per singulas & si quæ discordarent, corrigerentur.

V. Eodem anno XXVII. die mensis Augusti Reformator Consiliarios congregauit apud Vallisoletum,vt eorum arbitrio,consilioque cum Philippo II. iam regnante, super subsidio, quod tunc exigebatur,maturiùs, atque exactiùs paciscí posset.

VI. Multa in melius promouenda sperabantur, si Paulus viueret:sed vix sex menses, aut ne vix peregit in præfectura, cum importuna satis morte præuentus, solum sui desiderium reliquit posteris. Quando aut vbi decesserit, incertum:constat mense Octobri eiusdem anni vocatos ad Spinam post eius obitum, certum tempus & locum præscripturos in quibus foret successor designandus. Die VII. Decembris indicta est vnanimi consensu;sed de loco variatum non nihil video;nondum perfecto ædificio Palociolensi;& quibus ibidem,licet incommodè; aliis in Valle paradisi Synodum congregandam,acclamantibus, iuxta Capituli præcedentis dispositionem. Prior sententia inualuit, quia plurium,& Synodus indicta Palaciolis & celebrata præfixa die est,concursu haud dubiè supra domus,nondum ædificatæ,capacitatem

VII. In hoc Capitulo electionum ordo mutatus, ad præcedentis normam;& primus omnium, qui cunctis fidem faceret, (Secretarium vocamus) electus est;inde quatuor Abbates Diffinitores, pro suffragio numero vnica electione renuntiandi. Hi fuere frater Marcus del Varrio sancti Martini, frater Ludouicus de Estrada Hortæ, frater Alphonsus Ruiz Montisrami, & frater Stephanus Guerra Riuisici. Mox in eundem modum Procuratores, Vallis-Ecclesiarum,Morerolæ,Montisferi, & Vallis-bonæ. His succesere quatuor Consiliarij totius authoritatis frater Ludouicus Aluarez de Solis Carrazeti, frater Ferdinandus Xauata Vallis-paradisi, frater Ferdinandus Valtanas Vallis-bonæ, Abbates, & frater Alphonsus Nieto vir planè magnus,& qui vel absens meruit designari.

L V.

LVDOVICVS ALVAREZ DE SOLIS REFORM. IV.

I. Electis Consiliariis, nec nouis eligendis Visitatoribus, quippe electi manebant in suo munere, ex quibus Generalem sibi deligeret, propositi Congregationi sunt primus & vltimus quatuor Consiliariorum, frater Ludouicus Aluarez de Solis, & frater Alphonsus Nieto,nec vocatus,nec præsens,sed muneri æqualis iudicio omnium. Prævaluit Ludouici Aluarez pars Monachi Morerolæ;& loco eius subrogatur in Consiliarum frater Bernardus Vasquez,qui tunc regebat Ecclesiam sancti Prudentij.

II. In hoc Capitulo, quod hactenus in vsu, vt vnusquisque nomen eius scriberet, cui suffragium præstaret,reiectum est,velut contra secretum,dum suffragia prodebant suffragatores. Tunc iussa typis cudi nomina omnium habilium ad officia, vt ex his quisque sine nota quem velit eligat. Cautum & pro iustitia distributiua,ac paucorum potentiæ relegandæ, ne duo Monachi professi eiusdem domus Congregationi simul pro Reformatore eligendo proponi possent. Iniunctum cuidam Didaco de Porras,vt librum vsuum in Hispanum verteret, & iuxta ritus Congregationis corrigeret. Demum decretum omitti vnum Capitulum ex duobus intermediis,quod quatuor intra menses,neque vltra distans, vix haberet materiam, in quo procederet Alterum celebrari in Mataplana,sicut & Generale in Palaciolis,quod hodieque videmus procurare. Hæc in Capitulo.

III. Post ipsum, Ludouicum Aluarez lego, his Consiliariis vsum intra hunc annum, semel vnione cuiusdam beneficij ad Collegium Complutense,sed quæ non ad effectum perduci potuit. Iterum mortuo Abbate Vallis-bonæ, id est vno ex quatuor, vt alter loco eius

subroga-

subrogaretur, & subrogatus est, frater Hieronymus de Lado Abbas Montis Sion, cuius non semel mentio à nobis facta.

IV. Hoc ipso anno sub Ludouico de Estrada primum Abbate celebrata Hortæ translatio sacrorum corporum Beati Martini, illius quondam Abbatis, Seguntini Episcopi & Beati, (sic enim appellatum antiquis video) Roderici Toletani Archiepiscopi; atque vtrumque odoriferum inuentum, illæsumque, eleuatum in sacello maiori solemni pompa. Porro illo primo acephalo inuento, quæ dudum inualuerat traditio, Martini caput ad Seguntiam delatum olim ministerio Angelorum, esseque illud, quod sub nomine sancti sacerdotis in Cathedrali Ecclesia celebratur ad diem V. Maij, comprobato ex euentu defectuvè, vtramque eximiè Ecclesiam lætificauit.

V. Sequenti anno M.D.L.IX. mense Maio Capitulum intermedium in Mataplana, cum omnia in pace & florentia comperisset sub tanto Patre, nihilominus qui inquirerēt in ipsum designauit Censores, fratrem Froylanum de Tordehumos Vrsariæ, & fratrem Ambrosium de Carrizales Armentariæ Abbates, ne potentibus leges obtemperare, sed legibus potentes, & qui summa tenerent, comperirentur. M. D. LIX.

VI. Non multo post hoc eodem anno vnicum monasterium quod restabat in vtroque regno dictum de Belmonte in Asturibus diœcesis Ouetensis, sub Ludouico Aluarez de Solis tandem & ipsum accessit Congregationi, post varios licet casus & longam litem, de quibus hæc scribit author vnionum. *Quidam Gundisaluus de Belmonte Abbas ipsius monasterij de Belmonte, litigando contra Christophorum de Orosa pro fratre Congregationis S Bernardi se gerente in Romana Curia, super regimine dicti monasterij, reportauit in sui fauorem litteras executoriales contra dictum Christophorum. Sed postea libere cedens in manibus Pauli Papæ IV. omni iuri sibi ad monasterium competenti, præfatus Pontifex dedit illud in commendam Petro Gomez de Villaroel Clerico. Qui Petrus etiam liberè cessit liti, & omni iuri sibi quomodolibet competenti. Tunc Papa Paulus ad petitionem Reformatoris, & totius Congregationis, dictum Monasterium cum omnibus suis iuribus, quorum fructus ad triginta tres florenos auri cum vno tertio taxati reperiebantur, perpetuo vniuit dictæ Congregationi XVI. Kalendas Iulij, Pontificatus sui anno V. ita vt ex tunc, & deinceps in perpetuum per Abbatem triennalem regeretur iuxta ritus & mores dictæ Congregationis. Et quia litteræ istius vnionis superueniente obitu Pauli Papæ IV confectæ non fuerant, ne de illis à quoquam posset dubitari, aut Congregatio illarum frustraretur effectus Pius Papa V. anno M. D. L IX. octauo Kalendas Ianuary decreuit quod prædicta vnio perinde suum sortiretur effectum, ac si super ille ipsius litteræ confectæ fuissent.* Hactenus ibi. Cæterum ex Archiuis Monasterij compertum est, Gundisaluum Belmontium, de quo supra, ante annos XVI. cum septem alios quiete, atque pacificè Abbatiam possedisset, pulsum à Monasterio, iure, an iniuria, dubium; & Præsidem ex Congregatione suffectum Christophorum de Orozco, (quem malè Orosa vocat author vnionum) Porro dum lis in Curia agitaretur, successisse huic alios alioque, quousque Gundisaluus causam obtinuit, atque obtentæ mox cessit, & cætera sequuta quæ iam tradidimus. Hæc sub Ludouico fausta, fœliciaque: sub quo tamen & illud tristè contigit nostris, vt Magister Cyprianus Hispaniæ fœlix (sic enim eum vocabant peritiores) & Complutensis Academiæ decus, obierit Compluti ingens sui desiderium cunctis delinquens. Iacet in nostro Collegio Complutensi sub hoc breui epitaphio, sed honorifico. *Bellus mos vltimus vnitur Congregationi.*

Ingens ille breui Cyprianus conditur vrna
Ille humili excelsus clauditur hospes humo,
Iudicium, labor, ars, facunda peritia rerum
Vna adiere virum, quo cum abiere simul.

De operibus eius, multa enim reliquit, infra dicam.

VII. Eodem anno M.D.LX. Synodo congregata ad Palaciolia, quinta die Maij, quatuor Diffinitores Abbates primùm, frater Nicolaus de Ayllon Matæplanæ, frater Bernardus Vasquez sancti Prudentij, frater Froilanus de Tordehumos Vrsariæ, & frater Ambrosius de Reolid de Melon; mox totidem Procuratores electi sunt, Vallis-paradisi, Ferrariæ, Vallis-Ecclesiarum, ac demum Hortæ Renunciati deinde Visitatores frater Alphonsus Niceto sancti Claudij Abbas, & frater Stephanus Guerra Riuifici. Sequuti Consiliarij Reformatoris Frater Marcus del Varrio sancti Martini, frater Ioannes de Cordillana Vallis-Ecclesiarum, frater Alphonsus Ruicius Montis-rami, & frater Ludouicus de Estrada Hortæ Abbates. M. D. LX.

LVI.

ALPHONSVS RVICIVS REFORM. V.

I. Sequenti die congregati Diffinitores, præmisso iuramento, vt moris erat, de proponendis

dis dignioribus è quibus Congregatio tota eligeret, duos viros eximios nominarunt, fratrẽ Alphonsum Ruicium,& fratrem Stephanum Guerra,de quibus supra. Alphonsus in Reformatorem electus est Monachus Nucalensis, pro quo in Consiliarium subrogatur frater Nicolaus *de Ayllon* Abbas Matæplanæ, cuius supra mentionem, nec semel,fecimus.

II. Sub hoc Reformatore,atq; in hac ipsa Synodo sancitum,ne Confessarij,quod hactenus fecissent,genibus flexis,sicut pœnitentes,confessiones exciperent,eadem corporis in vtrisque dispositione:sed solis genuflexis pœnitentibus,Confessarij sederent,audirentque,veluti iudicantes,& clauium potestatem præseferentes. Visitatoribus,qui fuerat concessus Monachus à secretis,sublatus est;iussique vti secretario Reformatoris. Decretum etiam,vt Magistri Cypriani opera,qui tunc recens obiisset,in publicam Ecclesiæ vtilitatem mandata typis, communem lucem darent, & acciperent. Et vulgata commentaria eius in Cantica, in Iob, in Naum Prophetam, in quosdam Psalmos, quædam Compluti, quædam Lugduni,& alibi,nõ sine ingenti Doctorum acclamatione;verum pari dolore,quod multa alia,quæ scripsit,delituerunt. Tunc in Collegio successor illi datus Ludouicus de Estrada Monachus Hortæ; addita exinde in Capitulis Restoratui voce actiua & passiua, qua Rectores eatenus caruissent. Porrò Collegium sub Ludouico de Estrada in tantum creuit,vt à multis habeatur pro fundatore.

III. In eodem Capitulo, cum idem Ludouicus de Estrada commentaria in regulam, quæ Capituli præcedentis iussu condiderat,Hispana lingua scripta repræsentasset,vertere in Latinam iussus est,digna,quæ legerentur per totum orbem. Tum vero leges in publicum edẽdæ iterum à Reformatore & Consiliariis imperantur reuisi, addito Ludouico Aluarez de Solis, Reformatore emerito, cuius prudentiæ & consilio multum & meritò à cunctis deferebatur. Potuit quippe vterque Ludouicus Aluarez & Estrada,quando vixit,eximia authoritate;nec quidquam sine eis magnum tentatum fuit.

IV Quæ dudum Vallisoleti expetebatur noua erigenda Ecclesia, tentata denuo; atque Vrsaria transferri illuc mandata, relicto tantum in Gallæcia Prioratu sex Monachorum, qui Monasterij possessiones, bonaque, & pauperibus subsidia administrarent. Tum eligendo & comparando loco pro noua fabrica,duo viri adiuncti Reformatori, frater Ludouicus Aluarez de Solis,& frater Nicolaus de Ayllon, qui negocium non solum promouerent, sed festinarent.

M. D. LXI. V. Sequenti anno M D LXI. Diffinitiones correctæ,atquæ ordinatæ prodierunt secundo, Salmanticæ in quarto, apud Ioannem Mariam de Terranoua etiam si breui in alias transituræ. Quo ipso anno Pius Papa V. omnia priuilegia tam à summis Pontificibus,quam à Regibus, aliisvè Principibus Obseruantiæ indulta Apostolica confirmat authoritate, Romæ apud sanctum Petrum XV. Kalendas Ianuarij,Pontificatus sui anno secundo.

VI Et eodem anno celebratur Capitulum intermedium in Saltu nouali,ad diem VI. Maij, ex cuius actis,quædam nobis constant,quæ non censui silentio prætereunda. Primum est,illum Pseudo Reformatorem Iulianum Martinez,qui ante vndecim annos electus,dein profugus fuerat; tandem ad se reuersum ante aliquod annos rediisse,& suarum culparum luentem pœnas,in hoc Capitulo imploraſſe misericordiam, quam tamen non ex integro impetrauit. Quippe aliis subleuatis,quæ plures erant,inhabilitas ad omnia officia mansit,quæ sola mente veniret expianda. Secundum est,hoc item anno missam Agnetem de Mendoza, Monialem de las Huelgas, ad Virgines Guenses in Asturibus recens translatas ad oppidum de Auiles,cum ad vrbem Ouetum non potuissent,iuxta obseruantiæ ritus reformandas. Et tertium tandem in hoc eodem Capitulo post longam licet nostrorum renitentiam, admissas fuisse Moniales de Iesus in vrbe Salmantina, quæ propria & fundatorum voluntate vltrò se subdiderunt Reformatori: adductæque Moniales Bethleemiticæ sub Abbatissa Elisabetha Guzmania,quæ in ea domo Cistercium radicarent.

VII. Inter hæc Vrsarienſis Ecclesiæ translatio ad Vallisoletum multos & varios tumultus excitauerat:adnitentibus quibusdam translationi,vt nostris honorifica; atque lucernam disciplinam regularis multorum bono, in medio tantæ vrbis velut super candelabrum ponendam disceptantibus. Aliis è contra,nec paucis asserentibus, Monachos segregatos ex instituto,veluti Nazareos,si in plateis versarentur, denigrandos. Obscurandum Religionis aurum inter tumultus vrbium,& mutandum colorem, ita vt nec à se ipsis agnosci possent satis superque à nostris mutata alia, reformationis titulo; per quæ,vt Galli obiectabant, vix speciem Cistercij retinebamus. Vrbes quo titulo habitare, nostris dabatur? aut si daretur, vbi Monachatus? Vbi Cistercium? Vbi Patrum illorum institutiones, quæ nihil altiùs nobis ingerebant, quam solitudinem? Defraudari, translato Monasterio, sepulchra fundatorum honore debito,animas ipsas continuis sacrificiis, Regnum Gallæciæ exemplis, orationibus,

&

& perenni doctrina; tum etiam paupe:es eleemoſynis frequentibus, è quibus larga manu ſubſtentabantur. Demum opimam domum in Gallæcia, ſi transferatur, tenuem; neque ad honorem noſtris profuturam.

VIII. Hæc & ſimilia in tantum inualuerunt, vt neque Reformator, neque adiuncti quantumuis cuperent quidquam in cauſa innouare auſi ſunt; ſed rem integram ad Capitulum detulerint maturiori conſilio deliberandam. Arduum erat Capitulum intermedium præceptis Generalis ſe opponere, & ſanctionibus eius contraire: ſed nihilominus periculum obuiandũ; & vt non reuocanda quæ iuſſiſſet; at differenda ex iuſta, & noua cauſa, ſi expediẽs videretur, non dubitabant. Primus qui ea in re ſentẽtiam dixit Reuerendiſſ. Fr. Marcus del Barrio fuit, tunc Vrſariæ Abbas; qui longam orationẽ validamque, quam coram aliis conſtanter declamauit, ad litteram in Actis tranſcribi petiit. Secuti inde Fr. Nicolaus de Ayllon, & Fr. Ioannes de Cudillana, atque demum vterque Ludouicus de Eſtrada, & de Solis, ille vt Conſiliarius, hic vt adiunctus; & omnes quinque vnanimi conſenſu rem fore differendam approbarunt. Integrum eſſe Capitulo generali, ſi vellet in ſententia manere; integrum etiam, ſi vellet reuocare: & multorum ſententiis auditis, collatiſque prudentiùs peragi quæcumque deliberantur. Ita quod tanto calore cœptum fuit, lentè executum cœpit refrigeſcere: neque vltra video actum de tranſlatione pinguis illius domus, ne in ipſo quidem Capitulo immediato, quamuis in dies pinguior; & vt priorem locum deſerere non probem aut nouum aliud germen aliò tranſmittere, neque indecẽs videatur, nec ſupra facultates, aut vires tanti cœnobij.

IX. In hoc Capitulo approbatos video tum librum vſuum (ſic enim nos vocamus) tum proceſſionarium; atque vulgari iuſſos; quod tamen an executioni mandatum ſit, non potui hactenus exactè examinare.

X. Sequenti anno M.D.LXII. Capitulum ſecundum intermedium in Eccleſia Nucalenſi celebratur, in quo Viſitatores, qui inquirerent in Reformatorem electi ſunt eius domus Abbates & Matæ-planæ. In eo Capitulo, cum fundationes ſingulorum Monaſteriorum obſcuræ eſſent, neque certè omninò de aliquibus earum conſtare poſſet; vt pro Capitulo generali proximo ſeſſiones diſtribueret, Reformatori commiſſum; Capitulo ipſo poſtea decreturo, quem ordinem Abbates, cæterique deinceps in ſedendo ſeruare debeant. Relatum etiam de aggregatione cœnobiorum Regni Nauarræ: quorum Abbatiæ perpetuæ, & tripartitæ, multis Epiſcopatibus æquales, ſi reditus attendas, ſolius Regis patebant præſentationi. Ingens illa incrementum allatura Congregationi, ſi ad ipſam vnirentur: ſed nihilominus, ſi ita perſeuerent, illuſtrare Ciſtercium: nam multum facere ad eius ſplendorem, ſi Epiſcopis penè æquales Abbates habeat, quos cæteri ſuſpiciant, & venerentur. Ita in pendulo res relicta eſt: & ferebantur in facto remiſſiores quicumque ad eas Abbatias ſcandere poterant. M.D.LXII.

XI. Anno M.D.LXIII. Alphonſus Ruicius triennio ſuo expleto, præfecturam dimiſit die quarto Menſis Maij ſecundum leges; vt die quinta ingreſſi Capitulares, Synodum celebrarent in Palaciolis. Hæc porrò die quatuor Diffinitores Abbates renunciantur Fr Marcus del Barrio Vrſariæ, Fr. Hieronymus de Lalo Vallis-bonæ, Fr. Ludouicus Aluarez de Solis Morerolæ, & Fr. Ioannes de Cudillana Vallis-Dei: adiunctis totidem ex Procuratoribus, Saltus-notalis, Vallis Eccleſiarum, Montis-Sion, & de Palaciolis; quod tunc munus geſſiſſe inſignem virum Fr. Athanaſium Morantem Nucalenſem, de quo multa inferius, acta docent. Viſitatores renunciati ſunt Fr. Bernardus Vazquez Nucalenſis, & Fr. Froilanus de Tordehumos Spinæ Abbates; ac demum Conſiliarij æquè inſignes Fr. Ludouicus Aluarez de Solis, Fr. Nicolaus de Ayllon, Fr. Martinus de Soria, & F. Stephanus Guerra, qui Morerolam, Sacramænia, Sanctum Martinum, & Vallem-Paradiſi adminiſtrabant. M.D.LXIII.

LVII.

HIERONYMVS DE LALO REFORM. VI.

I. Sequenti die congregati Diffinitores, & iuramento, vt moris erat, præmiſſo quos proponerent in officium Reformatoris, duos viros eximios deſignarunt, Fr. Hieronymum *de Lalo* Abbatem Vallis-bonæ, & Fr. Stephanum *Guerra* Vallis-paradiſi. Ex his porrò duobus, electus primus; & ſubrogatus in illius diffinitione, Fr. Nicolaus de Ayllon Abbas Sagrameniæ, poſt triennium ſubrogandus in Generalem.

II. In hoc Capitulo, cum pleræque electiones, ſub prætextu Conſilij, ad nutum potentiorum, (quod malum in familiis ſacris frequens) non ad dictamen cuiuſque ſuffragantium, vt leges diſponebant, efficerentur; matura deliberatione, cautum eſt ſub præcepto obedientiæ, adhuc in foro interno ligaturo, ne vllus alium ſuper his conſuleret, aut quidpiam inſinuaret, conferrétve, etiam in caſibus, circunſtantiiſque à iure permiſſis. Quod leges nunquam eum,

qui melior esset, super quo consultatio locum habet: sed eum, quem quisque meliorem iudicaret, idoniorémque (cuius non alius conscius) eligi iubeant. Quæ lex, ô vtinam semper permansisset: neque vsus alius Dux in electionibus, quam Spiritus sanctus, & proprium cuiuscumque dictamen, omnibus esset.

III. In eadem Synodo relatum de translatione Monialium Sanctæ Columbæ, & S. Michaëlis ad Beneuentum, & ad Villam-francam: fructuoso conatu quoad priores, executo per Abbatem Morerolæ, proprio earum patre, prælatoque; quoad posteriores irrito; quippe adhuc in loco perseuerant. De Virginibus Salmanticæ admissis sub nominis Iesu aduocatione, decretum ad earum instantiam est, vt fundationis reuocatio Romæ, quoad aliquas clausulas, eiusdem Monasterij expensis procuraretur. Iterum renunciatur Compluti Rector Ludouicus de Estrada; & Ludouico altero Solisio iterum liber Vsuum, Breuiariumque, & Diurnale vulganda committuntur.

M.D LXIV. M. D. LXV. IV. Reliqua huius triennij quieta, & pacifica, celebratis Capitulis intermediis anno M. D. LXIV. in Morerola, & anno M. D. LXV. in Spina, nulla alia re insignibus, nisi quod in secundo pro Ludouico Aluarez de Solis qui Consiliarij munus abdicauit, Frater Marcus del Barrio suffectus est; atque iussa intra annum consumari Palaciolensis fabrica, quo tempore Capituli aduenient, cunctis Capitularibus commodiorem præberet habitationem.

V. In hoc Capitulo, visitando Reformatori, duo pro more Abbates selecti sunt, Frater Didacus de Leon Vrsariæ, & Fr. Antonius Ferdinandi Melonensis: lege hac obseruata inuiolabiliter, vt perseuerat adhuc, sancto, vt putamus zelo, (quis dubitet?) sed paruo, aut nullo fructu, quam sciamus. Quippe nullius Reformatoris culpas, siue excessus, inuenimus delatas ad hoc tribunal. At forsan cum maiore vtilitate, si qui præsunt non peccant, ne deferantur.

M D.LXVI. VI. Sequenti anno M. D. LXVI. absoluto Hieronymo de Lalo, atque egresso Cœnobium secundum leges, Capitulum celebratur in Palaciolis quinta die Maij Diffinitores Abbates insignes dedit, Fr. Marcum del Barrio de Spina, Fr. Alphonsum Auicium de Nucalibus, Fr. Nicolaum de Ayllon de Mata-plana, omnes Reformatores, duos emeritos, alterum futurum, & Fr. Stephanum Guerra de Carrazeto, si cunctis comparetur, nulli secundum, Consiliarios eosdem, vno dempto, nempe Stephano Guerra, pro quo suffectus Didacus de Leon Abbas Vrsariæ, non inferioris, & ipse authoritatis. Visitatores renunciati sunt Fr. Angelus de Carthagena Meyræ, & Frater Antonius Ferdinandi Melonis Abbates. Hæc præsidente Abbate Montis-Sion more consueto, quippe antecessore emerito, & absente, & nondum nouo electo Reformatore.

LVIII.

NICOLAVS DE AYLLON REFORM. VII.

I. Cunctis functionibus ita distributis, Diffinitores proposuere Congregationi Fr. Nicolaum de Ayllon Monachum & Abbatem Matæ-planæ, & Fr. Martinum de Soria tunc non Abbatem, sed deputatum audiendis Confessionibus Monialium de las Huelgas Vallis-soleti. Ex his duobus electus primus est, conuenientibus in eum suffragiis Capitularium. In hac Synodo inter alia decretum video, vt ex propositis vniuersæ Congregationi, qui non electi essent in Abbates nouem aut decem digniores designati Reformatoris, Consiliariorumque suffragiis, ex quibus, neque aliis, si quæ vacarent, Abbatiis per triennium præficerentur.

II. Lata etiam lex pro puritate sanguinis admittendorum ad sacram professionem: & addita conditio satis notanda: nempe vt intimaretur profitentibus, nullatenus admitti, si minùs puri: ideoque expellendos, quandocumque constaret esse infectos.

III. Quæ pro omnimoda electionum libertate in consulentes simul & consultantes, promulgatæ censuræ ante triennium, salutares futuræ sperabantur; cum è conuerso constitisset esse nociuas, quippe laqueos parantes conscientiis timidis, nec pares compescendis audacioribus: reuocatæ leguntur in hoc Capitulo. Adeo nullum remedium in hac vita, quod vi sua non noceat, dum medetur: vt sæpe nobis in comperto sit leuiores esse morbos, quam medicinas.

M. D. LXVII. IV. Reliqua huius triennij ad pacem composita, Reformatore ingenio suo miti, suauique; & subditis conformatis ipsius moribus. Nec video in Actis duplicis Capituli, quod intermedium vocant, alterius anno M. D. LXVII. alterius, anno M. D. LXVIII. celebrati, quid, quod mereatur locum in his Annalibus. Nisi quod tamen laude dignum est, atque vtinam imitandum posteris omnibus, si nihil inueniatur reprehensibile, & quod nosci mereatur, vt euitetur.

M. D. LXVIII.

V. Cum super Abbatissarum duratione, occasione Concilij Tridentini, quid esset conducentius consultaretur; diuersæ, vt sit, sententiæ, imò omnino contrariæ sunt inuentæ. Acclamantibus

clamantibus multis perpetuitatem, tanquam, vnicum medium ad obedientiam; & ne in contemptum veniant, quæ aliis præſunt: multis è contra ad tyranidē trahentibus longam, & ſine timore dominationem, in muliebri impotentia; quæ, niſi interrumpatur, vt deſeruiat, nullis remediis valet coërceri. Præualuit tamē tunc prior opinio, non multo poſt ceſſura poſteriori.

VI. Anno M.D.LXIX. die quinta menſis Maij, cum Nicolaus triennium expleuiſſet, in Palaciolis Concilium congregatur, in quo Diffinitores ex Abbatibus Fr. Hieronymus de Lalo Vallis-bonæ, Fr. Bernardus Vazquez de Nucalibus, Fr. Stephanus Guerra S. Claudij, & Fr. Antonius Ferdinandi Montis-ramorum; Conſiliarij, Fr Marcos del Varrio Hortæ, Fr. Angelus de Cartagena Vallis-paradiſi, & Fr. Alphonſus Ruizius Vrſariæ Abbates, atque Fr. Ludouicus de Eſtrada Rector Collegij Complutenſis: demum Viſitatores generales, Fr Placidus de Lúſiriaga Bugeti, & Fr. Ioannes Guzmanius Melonis, electi ſunt. Adeo his principalibus functionibus ijdem ferè ſemper præficiebantur. Laudandum vtique, ſi ideo quia dignioribus; ſi quia potentioribus, dolendum. Et frequentiùs hoc malum, quam illud bonum, ſuſpicari licebit: ſed nō omnino licet affirmare. Certè ex his omnibus, quos electos diximus, vix vnum inueniemus, qui non officiū Generalis Reformatoris antè vel poſt, ſubierit: qui nō ad illud fuerit propoſitus, vt à Congregatione eligi poſſit, ne vnum quidē video excipi poſſe. M.D.LXIX.

LIX.

ALPHONSVS RVIZIVS REFORM. VIII.

I. Proceſſum deinde ad electionem Reformatoris, & deſignati duo, pro more ſunt, è quibus alter per ſuffragia communia præficeretur. Hi fuere Frater Alphonſus Ruizius Nucalenſis, qui iterum gemuiſſet ſub tali onere; & Fr. Didacus de Leon Abbas Superati, vir æquè pius, & doctus pro illo æuo. Sed vocales priorem iam experti, ſecundum experiri recuſauêre. Itaque Fr. Alphonſus Ruizius iterùm renunciatur Abbas Palaciolenſis, & Reformator totius Congregationis. Subrogato pro eo in Conſiliarium Fratre Michaële Buiza, qui Eccleſiæ Riui-ſicci in Veteri Caſtella Præfectus erat.

II. Nec multò poſt, die nona eiuſdem menſis, durante Capitulo in eodem Monaſterio Palaciolenſi, non ſine omnium lachrymis decedit Fr. Hieronymus de Lalo ſene emeritus, qui generalis Reformatoris officium digna cum laude abſoluiſſet ante triennium. Pro quo in Diffinitorem ſubrogatur Fr. Petrus de Mantallana, qui tunc Vallis-Dei Abbatiam moderabatur.

III. In hoc Capitulo, cum primitiuæ Eccleſiarum fundationes ægrè conſtare poſſent, diſcrepantibus non ſemel inſtrumentis à Chronologia Ordinis; neque adhuc de inſtrumentis compertò ſatis, ante, vel poſt, Conuentus intromiſſos confecta eſſent: cumque non certior haberetur vnionum ratio, reformationiſve, quæ in multis informis incœpiſſet, imò & dubia; atque ex litibus lites quotidie gliſcerent: communi tandem conſenſu ſancitum eſt, vt nullo ad antiquitatem Eccleſiarum reſpectu habito, (quod ſeruari videmus inter Epiſcopos) Abbates, qui ſeniores eſſent, præcederent, provt quiſque ad Ciſtercium adueniſſet. Seruata tantum Abbatibus Montis-Sion, & Vallis-bonæ antiqua præcedentia, quippe de quibus non ambigebatur, ab ipſis primis, & ſolis longo tempore exordium accepiſſe Congregationem.

IV. Sancitum item, vt Capitula illa, ad quæ omnes Abbates conuenirent, in quibuſque Reformator Generalis, atque reliqua officia eligerentur; generalia deinceps: reliqua intermedia; ſiue ab eiſdem, per quos celebrabantur, Conſiliariorum cœtus: demum vt Generalis Reformator, Reuerendiſſimus, (quod varium hactenus, & quaſi irregulare, inde ex præſcripto legis.) Abbates omnes, Patres, vulgò Paternidades, nuncuparentur.

V. Quæ ex propoſitis ad ſingulas Eccleſias, neque in eis electis, nouem, aut decem iuuebat ſegregari, qui in diſcurſu triennij, ſi qua Eccleſia vacaret, eligi poſſent; incertum quibus cauſis, caſſata lex: & permiſſa electoribus libertas, vt quem vellent eligerent, ex his, quos eligendos Eccleſiis ſingulis propoſuiſſent Diffinitores. Relatum de vnione ad obſeruantiam Eccleſiarum Nauarræ; ad quam, vt Monachi facilius pertraherentur noſtrorum Collegiorum communione donati ſunt: in quibus ſi ab eiſdem mitterentur, ſub certis legibus, deinceps admitti poſſint.

VI. Anno M. D. LXX. Capitulum intermedium celebratur in Abbatia Vallis-bonæ, nulla alia re inſigne, niſi quod igne abſumpto Monaſterio ſanctæ Mariæ dictæ de Renunço prope Bungos, (vna ex duodecim Huelgarum filiationibus) ad eius tranſlationem, inſtaurationémve larga ſubſidia à noſtris collata lego M. D. LXX.

VII. Sequenti anno M. D. LXXI. Frater Ludouicus Aluarez de Solis ex Monacho & Reformatore Obſeruantiæ, ſarci Conuentus Calatrauæ Prior, atque in ſpiritualibus totius M.D.LXXI.

inclytæ militiæ Administrator, visitandis reformandisque Ecclesiis Nauarræ à Cardinali, dicto de Clara-valle Hieronymo Socherio, tunc Abbate Cistercij, Præfectus, seu verius in earum Abbates missus est, qui abiecta disciplina Regulari, atque cura paterna, Monachos, non vt filios habebãt, sed vt mancipia. Extat apud me eiusdem Ludouici ad Cardinalem, ex Monasterio Oliuæ scripta Epistola, quam indicem præsentis rerum status, Lectori meo integram transcribam. Certè vbi Patres transeunt in tyrannos, filij quantumuis probi, & obseruantes, citò in discolos seruos conuertuntur.

VIII. *Illustrissimo, ac Reuerendissmo Domino D. Cardinali de Clara-valle Generali totius ordinis Cisterciensis Clementissimo. Romæ.*

Tua commissione & mandato (Princeps Illustrissime) cœptam visitationem prosequor in Nauarræ regno, vbi quædam sunt animaduersione reformationéque dignissima, tam in Prælatis, quam in Monachis, præcipuè in obseruantijs regularibus, quas video ita violatas vt meritò timeam fieri non posse, vt denuò legitimè (vt decet) seruentur. Nam linteorum vsus in camisiis & in lectis à sexaginta annis tam frequens est omnibus Monachis, vt non meminerint, neque sciant aliud aliquando in hoc regno fuisse consuetum. Omnes ab eo tempore, & ante dormierunt, & dormiunt non vestiti & cincti, vt per sanctè nostra sancta præcipit regula, sed nudi, vt viri sæculares. Nunquam abstinuerunt à carnibus ferijs secundis. Nunquam ieiunauerunt ferijs quartis. A die sancta Crucis Septembris vsque ad sanctam Quadragesimam præter ferias sextas nunquam ieiunarunt. Quæ omnia licet ego eis denuò tuo iussu imponam non possum mihi persuadere, vt ad viuum custodiantur. Iuge vero ieiunium à die sanctæ Crucis iam dicto, tuæ maximè authoritati, Pater amplissime, præcipiendum relinquam, mihi sat erit totis meis viribus id suadere conari. Quod si non persuasero, præcipiã vt saltem secundis, quartis, & sextis ferijs ieiunent, quandiù Dominatio tua Illustrissima aliud non mandauerit.

IX. *In Monasterio B. Mariæ la Blanca (vulgariter nuncupato) oppidi de Marcilla, inueni, quod Dominationi tuæ referam. Fr. Petrus Mozota dicti Monasterij Prior, cum didicisset aduentum meũ ad hanc visitationem obeundam, finxit grauem sibi incubuisse necessitatem Romam adeundi, vt visitationem eluderet. Qua occasione libros rationum & computi, omnes secum detulit, & Monachos compulit, vt eum suum Procuratorem constituerent, & mandatum præstarent, omnia agendi, quæ non solum Monasterium prædictum concernerent, sed & ipsi Priori emolumento essent. Quod & fecerunt, obligatione coram tabellione & testibus præstita. Quod cum resciuissem, vt dictum mandatum reuocaretur, continuò curaui. Mitto autem ad ad te, (Illustrissime Domine,) dictam reuocationem, quam meo nomine dicto Priori coram notario notificet Fr. Ioannes Matienzo, Monachus & Procurator Obseruantiæ Cistercienſis in Hispania constitutæ; vel Gaspar de Auila Clericus Toletanæ Diœcesis in eadem reuocatione substituti. Tuum erit, generosissime Præsul, alumnum, quempiam destinare, qui meas litteras, & dictam reuocationem supradictis assignet.*

X. *In Monasterio de la Oliua, apud quod modò consisto, tam multa sunt, quæ à Fr. Michaële de Goni Abbate aduersus sanctam regulam & laudabilia instituta Ordinis commissa comperio, vt consilium penè mihi non subsit, quonam pacto eadem corrigenda censeam. Nam in his, quæ in futurum expediat instituere, vel præcipere, Deo optimo Maximo fauente, spero, me nihil defecturum.*

Sed parùm refert iusta præcipere, & secundum legitima sacri Ordinis statuere nisi frequenti, & annua visitatione fulciantur & roborentur. Tarda namque & insperata visitatio audaces creat, & insolentes Abbates, atque regularis disciplinæ, & Monachorũ contemptores, quos non vt filios, sed vt seruos, aut mancipia, tum opere, tum verbis, viliter tractant: bona Monasteriorum emungunt, & in priuatas vtilitates conuertunt. Quæ omnia infelices Monachos veluti compellunt, vt aduersus statuta monastica confugiant ad maiestatem Regiam, vel ad eius curiam, miseram suam & afflictam vitam deplorantes, & aduersus prædictos Abbates iustum iudicium implorantes; quemadmodum hisce nunc diebus in hoc regno non sine sacri Ordinis dedecore gestum est, & geritur. Quare qua possum affectione ad pedes Illustriss. Dominationis vestræ humiliter prostatus, supplex deprecor, tantum malum longe tua prouidentia abigatur, & profligetur. Quod nullo negotio emmendabis, si nunquam permiseris, vt post præcedentem visitationem vltra annum visitatio subsequens differatur. Hac solùm via tantum hoc malum mederi potest, & non alia; & ideo celsitudinem tuam iterum, atque iterum deprecor, vt audito me, frequentiores visitatores his monasterijs mittas & destines, qui Zelo Charitatis feruidi, & Religionis amore succensi monasticam doctrinam tueantur, & in eos, qui contra fecerint rigidè animaduertant. Dominus noster Iesus Christus ad multos annos nobis incolumem Dominationem tuam seruet pro gloria Maiestatis diuini sui nominis, & huius sacri Ordinis incremento fœliciſsimo. Ex hoc tuo Cœnobio de la Oliua IV. die Augusti,

gusti, anno M. D. LXXI. Illustriss. ac Reuerendiss. D. vestræ Humilis filius, & Capellanus, & inter minimos minor subditus. Fr Ludouicus Aluarez de Solis Prior S. Conuentus Calatrauæ.

XI. Hic status Cistercienſium in Vaſconia ſub dominio Abbatum, quem tunc vt potuit correxit Ludouicus: ſed Philippus ſecundus non multò poſt per Abbates aſſumptos ex obſeruantia ad primitiuum nitorem reuocauit. Conſtitit, non per Monachos ſtetiſſe, ſi quid præuaricarunt; cum ſola Prælatorum mutatione, mutati & ipſi; nec quidquam retinuerunt, niſi laudandum.

XII. Eodem anno in Caſtella celebratur ſecunda Synodus per Patres Conſiliarios ad Matam-planam: in qua nihil Hiſtoria dignum peractum eſt. Niſi quod ipſa quies à negotiis non contemnendam ſpeciem pietatis, & pacis, ac mutuæ charitatis præſeferebat. Prouiſi tamen, qui in Reformatorem, ſi quis forte peccaſſet, poſſent inquirere: & deſignati Abbates S. Claudij, Meloniſque, Ferdinandus Xabata, & Maximus Medina, viri vel inter paucos commendandi.

XIII. Anno M. D. LXXII. Aphonſi Ruicij triennio conſumato, Synodus iterum tenet Palaciola conſueta die Maij, nimirum quinta, in qua Diffinitores renunciantur Fr. Marcus del Barrio Spinæ, Fr. Bernardus Vazquez Montis-Rami, Fr. Angelus de Cartagena Superati, & Fr. Ioannes Guzmanius Vallis-bonæ, Viſitatores, Fr. Franciſcus de Torre Vallis Dei, & Fr. Athanaſius Morante Nucalenſis: Demum Conſiliarij Fr. Antonius Hernandez Vrſariæ, Fr. Didacus de Leon Carrazeti, Fr. Michaël Velazquez Montis-feri Abbates, & Fr Ludouicus de Eſtrada iterum Rector Collegij Complutenſis. M. D. LXXII.

LX.

IOANNES GVZMANIVS REFORM. IX.

I. In officium deinde Reformatoris, duo more propoſiti, Ioannes Guzmanius, & Antonius Ferdinandi Ex quibus primus electus per ſuffragia Reformator acclamatur, lætiori planè initio, quam fauſtiori. Quippe dum minuit quotidianum penſum Virginis Matris quod Ciſtercio congenitum, atque hactenus cum ipſo perſeuerans, Pius V. tunc recens, propoſitis indulgentiis, promouiſſet: vt non omninò alienus à Deipara (nam bono vt credimus zelo cuncta peregit) at filiis de affectu in matrē ſuſpectus, quæcumque poſtea, caſu forſan, paſſus, in ſuppliciū luiſſe creditus eſt; ſeu deterrendis aliis, ne quis ſimilia tentare vnquā præſumeret.

II. Ergo in diebus feſtis Beatæ Virginis, in quibus Horæ quas Maiores vocant de ipſa dicuntur, officium paruum eius ceſſare iuſſit, quaſi in conſpectu illius ſuperfluerent. Quin & minores eiuſdem officij horæ, tertia, ſexta, & nona, quibus diebus recitandæ relinquebantur, diminutæ non nihil: & pro Pſalmis longioribus conſuetis, breuiores ex Romana ſubſtituti, qui dici hactenus Dominicis diebus, atque feriis ſecundis conſueuiſſent. Demùm in eiuſdem officij recitatione plenariè diſpenſauit cum impeditis, lectoribus nimirùm, Concionatoribuſque, atque id genus aliis: & declarauit, Reformatorem ipſum, & eius Secretarium, inter eos, qui impediti cenſendi erant.

III. Hæc tepidiora in Virginem decreta feruentioribus aliis paliauit, iuſſis ſolemni ritu celebrari quibuſdam eius feſtis, viſitatione nimirum, expectationeque, quas hactenus Ciſtercium ignoraſſet. Sed & hoc variè à quibuſdam interpretatum; & multi, vt erat, ex pietate procedens; alij ex indeuotione, & vt officium paruum, quod iuſſerat ceſſare illis diebus, ſæpiùs omitteretur, ſubmurmurabant.

IV. Religione in Parentem Benedictum ſororem eius ſanctam Scholaſticam, & diſcipulos duos, Maurum & Placidum, de quibus ſola fiebat commemoratio, cum duodecim lectionibus vt vocant, celebrari præcepit, atque id generis alia ſtabiliuit, ex quibus, niſi temerati officiij Virginis obſtetiſſet inuidia, commendandū ſe poſteris præbuiſſet, ne dum tunc filiis.

V. Quædam alia ſtatuta in hoc Capitulo ſanguinis puritatem concurrentia in Monachis, quæ ſæpius repetita, & inculcata, nunquam tamen exactè cuſtodiebatur. Ne nouitij infecti ad profeſſionem, néve profeſſi ad honores admitterentur. Sublata tamen priori conſtitutione, nempe vt cum primum conſtaret maculatos, etiam poſt profeſſionem expelli poſſe.

VI. Edita & lex de clauſura Sanctimonialium obſeruanda ſtrictè; & vt quæ hactenus ſoli Reformatori, Huelguenſes, Bethleemiticæque Vallis-ſoleti & Ieſuitæ, Salmanticæ, Viſitatoribus etiam & eorum mandatis ſubiicerentur. Quod à Ieſuitis ſtatim admiſſum, Bethleemiticæ, & Huelguenſes recuſauere.

VII. In eodem Capitulo ad inſtantiam Regulorum de Saluatierra, Sancta Maria de la Franquera in Gallæcia erigi in Abbatiam permiſſa eſt; ſi tamen priùs, quod ipſi pollicebantur, ſufficienti dote ad numerum Monachorum alendum donaretur. Qua conditione nunquam adimpleta, neque ipſa hactenus erectio effectum habuit

VIII. Hoc ipso anno cum Regium & illustre Monasterium S. Clementis in Vrbe Toletana, quod prius sub Abbate Cistercij eximiè floruisset, mox tepescente non nihil disciplina, præ locorum distantia, & Præsules Toletanæ Ecclesiæ declinauisset, reformatione ageret: Philippi cognomento Prudentis Regis iussu, atque interuentu Palentini Episcopi Regij Senatus in Vrbe Pincia Præsidis Huelguensis Abbatissa eiusdem vrbis Domina Ana de Quizada y Mendoza, ex Monialibus sui Monasterij Toletum misit illustrem Virginem Dominam Aldonçam de Nauarra cum aliis sex, quæ prædictum conuentum reformarunt. Neque abnuit Toletanus Archipræsul Moniales obseruantes, quæ disciplinam in sua domo collapsam, vt re vera fecerunt instaurarent.

M. D. LXX. III. IX. Sequenti anno M. D. LXXIII. Capitulum intermedium celebratur in domo de Nucalibus, in quo pro Fratre Antonio Ferdinandi vno ex Consiliariis, qui paulò ante obiisset, Fr. Alphonsus Ruizius subrogatur, qui iam Reformatoris Officio, vt supra memorauimus, nec sine digna laude functus fuisset.

X. Processum deinde ad aliqua statuenda, (quod erat Ioanni ingenium viuum, & acre) inter quæ primũ & præcipuũ obtinuit locum, vt Monialibus Iesuitis Salmanticensis Monachus pius & doctus, qui earum Confessiones audiret, deputaretur. Nam quantò meliùs per eum, quam per Clericum in suæ Confessionis dubiis instrui poterant? Dispares Clericorum mores & ritus Virginum Magisterio male congruere: si attendant, alienandas ab instituto; aut non instituendas, si non attendant. Posse ex Monachis, qui nostris notiores, vnum aliquem eligi muneri conuenientem, & opportunum: ex Clericis ignotis, ægrè posse; & casus magis esse, quam iudicij, quod aptus assumatur; nec facilè, si erretur, remedium fore; obscuriori nimirum notitia morbi, neque expedita medicinæ applicationi. In boue & asino arare, à Deo prohibitum, quia inæquales sub iugo malè coëunt. Quanto minus, qui iugum solus portat cum eo, qui non portat, quò ire possit? Hæc & similia Patres impellebant, vt Monachum Iesuitis destinarent. Sed oberat voluntas fundatorum, qua expressè cauebatur (dubium quo fine, & creditum exemplo Sanctæ Theresiæ, quæ tunc viuebat, & cœnobia fundabat cum hac cautela) ne Monachus id munus obire posset. Decretum est, vt negotio expediendo ipse Ioannes Giozmanius Reformator, Philippi cognomento Prudentis Curiam adiret, & nihil non tentaret, quoad vsque, aut voti compos retineret obedientiam Monialium, aut impos penitus illam abdicaret.

XI. Non satis constat, an in hoc Capitulo de restituendo officio Mariano pristinæ integritati tractatum sit. Concessas has inducias Reformatori, vt factum retractaret, erant qui dicerent; quod tunc maximè inualuit cum paulo post interiit acerbo fine.

M. D. LXX. IV. XII. Sequenti anno M. D. LXXIV. cum Reformator Matritum aduenisset, negotium hoc, & alia tractaturus, currente mense Martio, extinctus est, festinata, & acerba nimium morte, quæ vix per sacramenta muniri valuit. Quin sedes eius in Choro Palaciolensi, fulmine è cœlo tacta, & prorsus absumpta, non sine insigni ruina partis Ecclesiæ. Quæ siuè à generali prouidentia, siue ab speciali venerint; vindice numine euenisse credita sunt: quod in Mariæ cultum pensumque, vt Ozanus in Arcam, misisset manum.

XIII. Turbati omnes repentina clade Pastoris, subrogare alium continuo festinarunt. Itaque vigesima prima die mensis sequentis, id est, Aprilis, quatuor Consiliarij & duo visitatores generales, vna cum Abbate Montis-Sion in Palaciolis congregati sunt Præsidem electuri Congregationis ad residuum Triennij, iuxta præscriptum legis, quæ, si sedes vacare contigisset ante medium Triennij, Reformatorem Generalem eligi ab omnibus Abbatibus, si post Præsidem tantùm: & ab his septem, non ab aliis iubebat substituẽdum. Cæterùm, quia ægritudine impeditus Ludouicus de Estrada non conuenerat, pro ipso ad eligendum subrogatur Fr Christophorus de Luxan Abbas Vallis-bonæ: sicque, completo numero vocalium, cum diu dubitassent, & contulissent, Præsidem elegere satis illustrem Fr. Ludouicum Aluarez de Solis magnum Calatrauæ Priorem: qui paulò antè, cum malè conueniret cum nouis filiis (quippe paulò seuerior, rigidiórque; neque semel excussum à ceruicibus obedientiæ iugum, post quatuordecim annos, rursus imponere suauem admittebat dispositionem) Morerolam reuersus, Fr. Stephanum Guerra pro se miserat. Non quasi abdicato Prioratu, quod nunquam permisisset Philippus Rex: sed cohibẽtia ipsius, militiæque per substitutũ inde administrãdo.

XIV. Concors omnium vocalium electio fuit: sed an legitima, quis audeat affirmare? Nempè Priorem Militiæ Calatrauæ ab obseruantia exemptum, & soli subditum Abbati Morimundi, Obseruantiæ præesse; alienum à ratione videbatur, nec iuri consonum. Non latuit Patres obex, cunctis notus: vicit tamen in eis virtutis zelus: & ingruente, quæ à capite incœpisset in vniuersum corpus tempestate, iura omninò silere, concordarunt. Ludouicum Solisium parem rebus, & parem occurrenti necessitati: nec vllum alium facile inueniendum, cuius authoritate prudentiaque, macula, cui subessent, abstergi posset. Missi continuò legati

Morerolam,

Morerolam, qui Ludouico electionem renunciarent, atque ipſum adducerent; ſi obniteretur, ſeuerius compellendum.

XV. Tum verò ille, vt erat ſeuero animo, nec facilè in res nouas inclinaturo, hæſitare, refugere; quod promptum erat, Prioratum illis opponere, qui nec dimitti ſine noxa poſſet, neque cum Præſidentia retineri. Qui ipſis præſit, ex ipſis eligendum: ſe iam emancipatum, & ſui iuris, ineptum ad id munus: & nec præeſſe, nec prodeſſe poſſe his à quibus iam ſemel auulſus eſſet. Imparem obedientiã litigioſam animis coërcendis: & vt ſint qui vltro pareant, & ſi non debeant: at qui noluerint, qua via compeſci valeant? Eſſe in ipſa obſeruantia multos viros dotibus excellentes, quibus maiora, atque hæc ipſa tutò, & ſine controuerſia comittantur. Se iam membrum præciſum & inutile, aut ſoli Calatrauæ relinquendum, aut ſoli Deo.

XVI. His & ſimilibus, dum vltrò citróque epiſtolæ mittuntur & Legationes, conſenſum diſtulit; donec vocales pertæſi longæ moræ, latis cenſuris in non obedientem, quoad vſque conſentiret, redierunt ad propria, ſoluentes Synodum. Et congregatio (quod prorſus inauditum) acephala ab eis relicta eſt, ſi non à Ludouico ſuſcipiatur. Itaque, vt obuiaret tanto malo, quo omnia minora, inuitus licet, diſſentiénſque conſenſit; atque acceptauit nomen, quod tamen ipſe vacuum arbitrabatur. Vnde & abſtinuit à viſitatione Eccleſiarum; obtendens, quod triennij fine inſtante, ſatis, ſupérque eſſe, ſi per viſitatores viſitarentur. Abſtinuit etiam à ferendis legibus, aut reuocandis latis, atque id genus aliis, quæ certiorem omninò poteſtatem, & inconcuſſæ præfecturæ iura deſiderabant. Vnde etiam euenit præter ſpem omnium, vt ſub ipſo, nec Virginis officium, pro quo tamen electus credebatur, ad priſtinum nitorem reſtitueretur. Coëgit tamen inter mediam Synodum, & qui in ſe inquirerent, eligi paſſus eſt: deſignatis Fratre Petro Gudiel Riui-ſici, & Fratre Michaële de Toledo Bugeti Abbatibus, qui id munus obirent pro more ordinis.

XVII. Hoc ipſo anno Gregorius XIII. Reformatori, & Abbatibus Congregationis multa indulſit; quibus tamen Abbatem Ciſtercij priùs; neque ipſos, niſi in eius abſentia potiri voluit. Priuilegium extat in Tomo III. ordine vndecimo.

XVIII. Anno M.D.LXXV. iterum menſis Maius, atque iterum generalis Synodus rediit, in qua Diffinitores Fr. Alphonſus Ruicius Nucalenſis, Fr. Michaël Velazquez Montis-Sion, Fr. Ludouicus de Eſtrada Hortæ, & Fr. Angelus de Cartagena Vallis paradiſi Abbates renunciantur: Viſitatores Fr. Chriſtophorus de Luxam Vallis-bonæ, & Fr. Bernardus de Eſcobar Montis-feri. Conſiliarij Fr. Marcus de Varrio Saltus-noualis, Fr. Michaël de Toledo Bugeti, Fr. Petrus Gudiel Riui-ſicci, & Fr. Athanaſius Morante, Superati. Hæc ante generalem Reformatorem. M.D.LXXV.

XLI.

ATHANASIVS MORANTE REFORM. X.

I. Quibus præmiſſis, pro eligendo Reformatore, duo ex ipſis propoſiti, Fr. Angelus de Cartagena Vallis-paradiſi, & Fr. Athanaſius Morante Nucalenſis: è quibus hic ſecundus electus eſt, non ſine magna eligentium acclamatione; nempe Athanaſius vultu venerandus, ſtatura procerus, ingenio comis, animos ſibi cunctorum conciliabat. In eius locum Conſiliarius electus eſt, Fr. Alphonſus Ruicius, qui ſimul etiam agebat Diffinitorem.

II. Mirum eſt, cum perſuaſum omnibus eſſet Ioannem Guzmanium ſuſlatum vindice numine; ac temerati Mariani penſi acerba morte luiſſe meritam pœnam: nihilominus, nihil immutatum in re tam graui, nec reſtitutas ad antiquum morem Virginis Horas. Quin velut nihil tale timeri poſſet, officio defunctorum ſubtractum aliquid; præceptumque (quod longè mirabilius) ne penſum Marianum in cunctis feſtis, in quibus ſermo habetur in Capitulo, ab omnibus in Choro; ſed à ſingulis, vbi cuique liberet recitaretur. Creditum eſt abolendo rumori factum; ſeu nec propera ipſa reuocatione, iudicium aliàs dubium, & facile ceſſurum, confirmaretur. Seu forte innato mortalibus ſtupore, effectum eſt, vt quibus repentinis immutamur, ſi repetantur, placeant, aut ſaltem non deterreant ab aſſuetudine. Senſit tamen Athanaſius Virginis manum, ſi non in ſuo, in ſuæ familiæ corpore: quod diſſidiis domeſticis flagrauit per integrum triennium: non, niſi cunctis ad antiquum reſtitutis, ignis ſemel accenſus, extingui potuit.

III. Quæ mors in Curia, atque extra Monaſterium anteceſſoris Ioannis de Guzman Monachos deteruerat, nouæ legi ſtatuendæ cauſam præbuit; ne vnquam Reformator, Curias Regum, præterquam de totius Capituli Generalis mandato, ingredi poſſet. Quod ſæpius repetitum, atque vulgatum, vix vnquam potuit exactè cuſtodiri.

IV. Ex duabus Synodis, quas vocant intermedias, ſublata altera vt minus neceſſaria: & quæ remanſit, iuſſa celebrari menſe Septembri in ſecundo triennij anno. Abbatiſſæ perpetuæ

relegatæ, provt quæque decederet: & declaratum Huelguenses, & Bethleemiticas apud Vallis-soletum soli Reformatori subiectas fore.

V. Visitatores, vt nec spe, nec metu, peruerterent iudicium, inhabiles ad officium Reformatoris triennij subsequentis declarantur. Quod de recens electis intelligendum, an de eligendis tantum, non immerito in dubium est vocatum: decretumque, vt post totius triennij collationem, in sequenti Capitulo ante electionem Generalis decideretur. Diffinitiones in Latinum versæ atque ad meliorem ordinem redactæ per Ludouicum Aluarez de Solis, publicari iubentur. Ac demum Abbatia Palaciolensis, quæ hactenus Conuentum aluisset, in Collegium transire; quod etiam in hanc diem perseuerat.

M. D. LXX. VI. VI. Anno M.D.LXXVI. Capitulum intermedium celebratur in Palaciolis ad vigesimam primam diem mensis Septembris iuxta recens præscriptum anni præteriti. In eo Diffinitiones commendatæ Ludouico Solisio, atque eius opera industriaque digestæ; approbatæ à Patribus, & Compluti vulgari iussæ sunt, obseruandæ deinceps per totum ordinem. Relatum est de translatione Monialium Sanctæ Columbæ ad Villalpandum oppidum: Pro qua magnus Castellæ Comestabilis eiusdem Villæ Regulus, subsidia promittebat non contemnenda. Remissa ea generali Reformatori (nulla proprij Abbatis, hoc est, Morerolensis mentione facta) vt omnibus pensatis, si expedire censeret, exequeretur. Sed minus promptis expensis necessariis, impedita translatio, & conuentus in loco perseuerauit. Actum & de Vassalis Monasteriorum, quos Rex Catholicus vendi impetrauisset, continuis bellis, gerendis ex eo pretio Decretúmque, vt ipsa Monasteria tantumdem darent, quantum cuilibet emptor, & ius antiquum, si possent retinerent. Quod si non possent, saltem vnum Prætorem reseruarent, atque vnum Tabellionem propriis redditibus expeditius percipiendis. Singulis domibus valores redituales taxati sunt: & distributæ iuxta eorum proportionem contributiones, quæ in sumptus communes, & tunc impositæ, & deinceps venirent imponendæ.

VII. Cum in negotio, pro quo Ioannes Guzmanius Reformator Matritum venerat, nempe de Monacho Salmanticæ instituendo, qui Monialium audiret Confessiones, nihil omninò peractum reliquisset; & aliàs causa grauis reputaretur, & quæ non facile posset intermitti; sancitum est, vt à legato Sedis Apostolicæ, quem Nuntium appellamus; sin à Pontifice retractari procuraretur voluntas fundatoris in hac parte; vt pietati contraria, & quæ vim religionis eneruaret. Illud compertum, ab anno subsequenti Monachũ ad hoc munus deputatũ, sine vlla interruptione; neque Moniales vnquã restitisse, quoad vsque lites aliæ pullularunt.

VIII. In eodem Capitulo incertum quibus causis, Visitator generalis, simulque Abbas S. Martini de Castaneda, vtraque dignitate priuatus est; atque in Prioratu Bonæ-Vallis recludi iussus; quod aliis exemplum, Athanasio Morante Reformatori, viro aliàs nimium miti, atque mansueto; dum nihilominus zelat pro religione, atque exerit gladium; in laudem fuit: non tamen deerant, qui submurmurarent, absoluendum, si amicus: & illud grauius in eo peccatum fuisse, quod non esset acceptus Reformatori. Pro depositio in Visitatorem generalem Fr. Augustinus Arguello Ferrariensis Abbas suffectus est. Quem etiam, contra morem, designatum simul cum Fratre Francisco de Torre Abbate Melonis, ad inquirendum contra Reformatorem, si quæ fortè peccasset, memoriæ produnt.

IX. Hoc ipso anno inquieti quorumdam motus, quod supra notabamus, vniuersam turbarunt congregationem. Vltro citróque multis accusatis, atque punitis, plura ad Regem Philippum delata sunt, quæ ipsius opera egerent reformari. In quorum testimonium adducebatur, quod indignis officia traderentur, dignioribus omissis; & Fr. Ludouicus de Estrada vir planè magnus, & quem hactenus sæpius memorauimus, sine honore relictus, vitam priuatam Hortæ tunc perageret; cum quo, & alij vacabant præclari nominis. Certè Athanasius ea apud quosdam laude, apud alios infamia notatus est; quod sibi iunctos digniores semper crederet; cæteros reputaret inter indignos. Motus idem Ludouicus pro sua authoritate zelóque, atque imminentem ex ipsis tempestatem, constanter compescuit, eleganti Epistola quam ad insignem totius Castellæ Præsidem, atque Iuris vtriusque illustre iubar Didacum Couaruuias scripsit de hoc negotio: in qua inter alia hæc verba continebantur.

X. *En todo quanto se representa en los memoriales no ay cosa de importancia, saluo vna; y es, que el Capitulo General nombra à cada casa dos para Abbades, y los Conuentos escogen el vno. Y este Padre querria, que las elections se voluiessen alos Conuentos, como es de derecho comun; y para esto inuoca el braço seglar, y auxilio de su Magestad. Y no mira, que esta manera de eligir la reciuimos de la Reformacion por orden del mismo Rey nuestro Señor. Porque tambien auia muchos abusos en lo antiquo. Y miontras las cabeças no fueren muy temerosas de Dios, y los Monges, no dexaren de ser hombres, jamas faltaran inconuenientes. Y esto melor se remediare à poder de orationes à Dios, y soportandose los Religiosos vnos à otros; que no amotinandose por cada occasion, y pretendiendo meter gente de diuerso habito en la Religion,*

para

para que los Iurguen,y pongan en paz. Porque cierto,si su Magestad da lugar à esto,bien puede harer luego otro Conseso de ordener Monachales sobre el que tiene à las militares, para que cygan quesas de frayles, que nunca faltaran. Por lo qual yo dixe à esta Paoze que le conuenia alzar mano deste negocio,y boluerse con licencia de V. Illustrissima à su Monasterio, por euitar el escandalo,que podria succeder de semesante noueda,si se diuulgasse & por la mesma razon suplico à V. S. Illustrissima,que à titulo siquiera de que el General Reformador desta Congregation no esta onel Reyno,ny estara sarta passado todo el Verano, porque anda visitando el Reyno de Galicia y Principado de Asturias,V.S. Illustrissima fuesse seruido de mandar le boluer,y que no se in nouasse en cosa en la Religion, ny sablasse à su Magestad (porque me diso,que tenia intencion de hazerlo) y io entiendo, que se podria escussar la pesadumbre, que su Magestad reciuire de semesantes nouedades:pues despues de bien auenguadas, se hallara por verdad lo que yo digo,que el Padre las encarece mas de lo que son. Y si V. S. Illustrissima fuere seruido, que yo responda, declarando en particular los puntos de la relacion, que el me dio de sus papeles,yo lo hare luego con toda verdad y facilidad. Porque las menudencias de los frayles no se pueden entender mesor, que por declaracion de ellos missmos. Y tambien digo, que si entre nosotros huuiesse alguna cosa substomcial digna de remedio, que sin estruendo, ny escandalo,yo me prefiero à hazerla remediar en nuestra Religion, como me conste por vna cedula de su Magestad ò por vna carta sola y mandato de V. S. Illustrissima. Porque en fin somos sombra y donde quiera que los Hombres gouiernan hazen Humanidades, fauoreciendo las cauezas à sus amigos,y familiares. Y esto es cauo, al cauo, todo lo que en la orden de S. Bernardo puede resultar,despues de muy apuradus todas las cosas. Y pues hedado à V. S. Illustrissima noticia de lo general de mi orden,tambien es bien,que entienda,que el estudo,que yo aera tanse de recagimiento entre mis libros hasido con toba verdad escogimiento mio,y no dis fauor domi Religion. Porque entre ocho Diffinidores, que repertieron todas las Dignidados della, yo fui el segundo; y despues de mi estauan dos Abbades amicissimos, y quatro Procuradores mis subditos,que yo acauaua de oriaren Alcala De donde se entiende,que si yo gustare de ser Abbas no me faltaua fauor para ello. Sino qne atentas mis indisposicines, yo pedi a aquellos Padzes, que me derassen descansar entre mis libros; y diessen la Abbadia que yo auia de tener à vno de mis subditos,como lo hizieron. Y he dicho sto,porque se que algunos amigos con zelo indiscreto,pensando,que me Sazen fauor,culpan ami Religion por la merced,y charidad,que me hizo ami propria importunacion

XI. Hactenus ex epistola Ludouici de Estrada, quod satis est ad motus tunc surgentes cognoscendos; & perpendendum sanctum ipsius zelum, authoritatemque,qui se murum opposuit pro suis fratribus

XII. Anno M.D.LXXVII Gregorius XIII. pietate in obseruantiam, quam olim in Hispania degens,verùm Hortæ præcipuè in reditu ad Romanam Curiam, expertus esset; concessit omnibus,& singulis personis,quæ siue *Inclinæ*, vt vocant,interfuerint,quando in Capitulo legitur Kalenda;siue antiphonæ *Salue Regina*,quando post Completorium decantatur, toties, quoties præsentes illis fuerint, vnum annum de pœnitentiis iniunctis, vel aliàs quomodolibet debitis:Quam indulgentiam pro his,qui legunt,aut canunt,duplicauit Concessit etiam cunctis assistentibus absolutioni cuiuscumque defuncti ordinis, dicente conuentu Psalmum *De profundis*,orationem Dominicam,& colectam pro anima defuncti,septem annos, & septem quadragenas remissionis. Quod etiam beneficium, defunctum absolutum consequi voluit. M. D. LXX. VII

XIII. Per idem tempus virtute supra vulgarem, in sancti Prudentij Ecclesia floruisse lego fratrem Christophorum de Chrispisana,eiusdem domus Monachum, Abbatemque; quam eximia cum laude administrauit. Obiit plenus dierum,& virtutum, atque opinione sanctitatis celebris: extatque vita eius eleganti stylo scripta, ab authore Anonymo, cuius ego transumptum apud me habeo.

XIV. Triennio exacto,atque ingrediente mense Maio anno M.D.LXXVIII. quinta die eiusdem mensis Synodus generalis pro more celebratur in Palaciolis; sed assistente omninò præter morem Palentino Episcopo, Regis, & Regij senatus authoritate. Quippe clamantibus, qui ad ipsos detulissent, quæ digna iudicabant reformatione, authoritas Ludouici de Estrada potuit instantem impedire visitationem: Episcopi assistentiam in Capitulo, atque aliqualem excessuum delatorum inquisitionem;non potuit,aut non voluit;ne latentes manerent:& ne Salus constaret, nec morbi medicina procuraretur. Sensere statim Paulus causam mali & vindictam acerbam, quia extraneam;nec dubitarunt placandam sibi Virginem restitutione cultus,officiique;cuius intermissione vt videbatur, tot, atque tantis malis afflictarentur omnia ad antiquum morem restituere, vna omnium mens fuit, vnicum votum: nec dubitauit M. D. LXX. VIII.

dubitauit Virgo Clementissima tempestatem sedare, quæ longius grassatura, ipsa non compescente, timeri poterat.

XV. Congregatis vocalibus,& litteris, tum Regis, tum Senatus alta voce perlectis, Episcopus luculenter proposuit aduersus sui causam;quæsiuitque,an aliquis haberet,quid argueret, vel de quo quæreretur? Et se venisse, vt malis si quæ laterent,salutare remedium,Regis piissimi interuentu,procuraret. Neque publicè tantum auditurum,sed singulos priuatim, secretóque, quicumque vellent aliquid causari. Tunc hac propositione repetita semel, & iterum, Capitulum egreditur,vt qui vellent ad ipsum,sine aliorum notitia possent accedere. Sed cum,seu metu,vt solet,potentiorum;siue eorundem criminum conscientia,quod etiam frequens;siue quia nihil probari facile posset,aut forte nihil esset deponi dignum:nullus penitus ipsum conueniret; tertiò tandem Capitulum repetiit,similique propositione facta,ac simili silentio subsequuto; primò hæc omnia per publicum Notarium scribi iussit: deinde, vt ad electiones suas procederent, liberam copiam fecit Concilij Patribus.

XVI. Tunc cunctis fermè suffragiis concordantibus (tanta erat potentia Reformatoris, aut tantus zelus omnium pro dignioribus!) in Diffinitores Abbates electi sunt, Fr. Alfonsus Ruicius Superati, Fr.Michaël Angelus S.Martini,Fr. Michaël Vazquez Montis-feri, & Fr. Angelus de Victoria Ferrariæ: in Visitatores (& si eorum electio velut suspensa in Capitulo præcedenti relicta fuisset)Fr. Marcus de Villalua Toleti & Fr.Maximus de Medina Montisrami Demùm in Consiliarios Fr. Ioannes de Bugeto Riui-sicci,Fr.Christophorus de Luxam Vallis viridis, Fr.Gaspar Recalde Vallis-paradisi, & Fr. Augustinus de Arguello Vrsariæ, omnes Abbates.

LXII.

AVGVSTINVS DE ARGVELLO REFORM. XI.

I. His electionibus ritè celebratis, octo Diffinitores, (nam quatuor Abbatibus, quatuor alij Procuratores adiungebantur,) duos pro more viros proposuere, ex quibus Reformator eligeretur. Hi fuere Fr Angelus de Cartagena tunc Abbas Carraceti, & Fr.Augustinus de Arguello Abbas Vrsariæ, quem Morerola Cistercio & Deo genuerat. Atque hic vltimus electus per suffragia,vt venerabilis Pater Alphonsus Ruicius, in Consiliarium, pro ipso,sufficeretur, dum munus acceptat, locum dedit.

II Renunciato Augustino Reformatore, Episcopus protestatus iterum est, se à Rege Catholico ad id missum,vt si quis aliquid minus religiosè,ne dum contra iustitiam putaret fieri, liberè renuntiaret: quo morbo cognito, efficacius remedium, congruentiori quo adhiberi possit modo, ab ipsis Patribus, se solicitante, adhiberetur Sed cum neque tunc esset,qui reclamaret, in gratiarum actionem, lætus erupit: & solius Dei opus esse clamauit, in tanto hominum cœtu, tantam concordiam; maximè cum ab anno antecedenti tot, ac tantæ scissuræ timeri possent.

III. Tum vero Patres, cum tantum beneficium ad Virginem referre non dubitarent; atque ipsam propitiatam omninò crederent religioso illo voto, quod semel concepissent inter flagella: vix dum electo generali Reformatore, primum omnium decernunt, atque constituunt,vt Virginis officium Horæque,ad pristinum decorem & morem primitiuum restituerentur Hæc prima lex in actis illius Synodi: imò hæc penè vnica. Quippe sibi pacata Maria Virgine, reliqua ipsius curæ commissa esse,& prosperè cessura non dubitarunt.

IV. In hoc Capitulo disputari cœptum,an Reformator visitare posset monasteria Monialium,quæ iure filiationis subsunt Abbatibus: vt Bonumfontem,quod subest Abbati Hortæ, Sanctam Columbam, quod Abbatis Morerolæ; & Ferraxiam, siuè Ferreiram in Gallæcia, quod noscitur subesse Meyræ Abbati. Vtrinque se rationes offerebant, vtrinque priuilegia, & verba ambigua. Decretum est,vt cum totum manifestatione iurisperiti doctores consulerentur Nec quicquam aliud decissum in Capitulo, adeo metu percussis, nihil audebant, & sola, vt ferunt, Virginis Religio omnium mentes, & pectora occupabat.

V. Duplici transitu, clarus hic annus fuit, altero extero, altero domestico,vtroque illustri: illo ex palma Martyrij consequuta,si patet exulibus, vt multi authores volunt;hoc ex miraculis. Compluti obiit Venerabilis Pontifex Guillelmus Boyllius Episcopus Midensis in Iberniaqui carcerem post longum acerbumque relegatus pro fide,in exilio Martyrum consummauit; & in nostro Collegio Complutensi sepultus est egregiam sui memoriam relinquens posteris Vallisoleti inter Virgines Huelgenses clara virtutibus, & meritis gloriosa decessit Domina Catharina de Velasco, quam post mortem miraculis claruisse, quæ tunc villebant Moniales asseuerabant.

M. D. LXXIX. VI. Nec minus illustrarunt sequentem annum M.D.LXXIX. duo alia Monachorum illustrium

strium funera, Alphonsi Ruicij, quem vniuersa obseruantia semel & iterum plures illius Ecclesiæ per longum tempus, atque omnes aliæ publicæ functiones cum laude administratæ, plurimum commendabant; & communis tunc eius, & omnium Patris Augustini de Arguello Reformatoris, quem sæua mors subripuit in media via, nempe in medio vel circa sui triennij. Atque hoc vltimum amarius cunctis fuit. Quia Augustinus, florente adhuc ætate imperium tenens, non solùm rebus præsentibus tunc defuit, sed & futuris, quibus potuit in lõgum reseruari. Pro fratre Alphonso Ruicio, qui prior obiit, in Consiliarium subrogatus est frater Michaël Angelus tunc Abbas Monasterij de la Espina. Vt Reformator pro Augustino Arguello subrogaretur, dies præsentationis Mariæ Virginis vigesima Nouembris designatur, ac iubetur indici cunctis Abbatibus per Montis-Sion Præsidem, cui per legem incumbit conuocare.

VII. Condicta die conuenere omnes ad Palaciola, & cùm eisdem, quem non prestolabantur Pontifex Palentinus à Philippo secundo iterùm missus, vt si quid fortè occultatum illi fuisset in præcedenti Synodo, in qua longè præuisus ex ipsis montibus potuit silentium à potentia solicitarius, inopinato aduentu cuncta detegeret; & si quod malum latens serpebat adhuc reuelatum remedio subiiceretur. Cognouere vocales zelum prudentis Regis, & admirati sunt: dolentes interim hæc medicamenta, nunquam ab eo applicanda nisi vbi graues morbi præsumerentur. Nec recusarunt Pontificis præsentiam, reuerẽtia vtriusque Tum vt omnium concordia pax, & Charitas ad vtrumque patentium, & per vtrumque ad alios perueniret: Sed nihilominus prouidi in futurum, & ne illa assistentia repetita ad consuetudinem posset retorqueri; protestati sunt, se solos sibi ex indultis Pontificiis, & æscriptione excedente memoriam hominum in suis causis sufficere: neque vnquam admisisse alienam manum curandis propriis morbis, si qui fortè ingruerent; sed neque eam vlterius admissuros.

VIII. Ventum deinde ad celebrandas electiones, & primi omnium in Diffinitores ex Abbatibus more solito quatuor prodiere; frater Michael Angelus Spinæ, frater Velasquez, Montis Sion, frater Athanasius Morante Superati, & frater Ludouicus Estrada, Hortæ. Electos ex Procuratoribus, ne tot nominibus grauem meum lectorem, semper omitto. Visitatores iidem permanebant. In Consiliarios de nouo electi sunt frater Marcus del Varrio Saltus Noualis, frater Angelus de Cartagena Vallis-paradisi, frater Christophorus de Luxan Vallis-bonæ, hi tres Abbates; & quartus frater Ioannes de Bugeto, qui Ecclesiæ Hortensis agebat Procuratorem.

LXIII.

ANGELVS DE VICTORIA REFORM. XII.

I. E quibus Reformator eligeretur, duo ex more proposiri, frater Gaspar Recalde, Carraceti, & frater Angelus de Victoria, tunc Vallis Dei Abbas, sed Monachus Ecclesiæ Ferrariensis. Huic vltimo accessere Capitulares, sub quo pauca decreta, sed salutaria. Communicato, vt condictum erat, consilio cum viris doctis, atque iurisperitis, super filiationum visitatione; sancitum est, Reformatoribus, licere tantum inquirere, an Patres Abbates in eisdem Monasteriis aliquid deliquerint, aut alicui iniuriam irrogauerint: cætera esse extra illorum iurisdictionem. Itaque licet in illis Monasteriis Abbates visitare, Monachosque: non monasteria ipsa, nec Moniales.

II. In Abbatiis, quæ non attingunt numerum Monachorum duodecim: quibus Abbas addatur decimus tertius, prohibiti nouitij, neque immeritò: segniter educandi, molliterque vbi disciplinæ rigor teneri nequit. Iussum etiam in cunctis Monasteriis prohiberi ab Abbatibus, sub præcepto obedientiæ, ne quis alterius cellam ingredi possit. Quod Monachali silentio concessum est: & ne lectioni, & orationi dandum, vanis colloquiis tempus insumeretur. Hæc & alia decreta in hoc Capitulo solum Deum concernentia, zelum Reformatoris manifestarunt.

III. Soluta synodo, atque Abbatibus dimissis, Consiliarij mansere, quæ ad ipsos spectabant ordinaturi. Et die XXVIII. eiusdem mensis Visitatores septem Ecclesiarum vt communiter vocant, elegere, P. Placidum de Lucidiaga Abbatem Ferrariæ, & P. Franciscum Suarez Abbatem Sacrorum-Mœnium. His quædam alia minoris momenti addita, quæ non merentur locum in his Annalibus.

IV. Annus M.D.LXXX. nec minus tristis, nec minus illustris fuit morte aliorum duorum M.D.LXXX. insignium Patrum fratris Angeli de Carthagena Vallis-paradisi eo Monachi & Abbatis, & fratris Marci del Varrio Spinæ Monachi, qui tunc agebat Abbatem Saltus Noualis. Vidit vtrumque Congregatio Reformatorem, vtrumque alias functiones exercentem, non sine

eximia

eximia laude; & tunc vtriusque consiliis gubernabatur. Neque cedebat pietas prudentiæ, in Marco præcipuè, quam signis illustratum ferunt ante, & post mortem. Cælestem flammam super caput eius fulgentem, cum celebraret aliquando visam, traditio est. Quin corpus viri in oppido Magaz (natali illius solo in veteri Castella) in quo decessit religiosè ab incolis tractatur: persuaso cunctis, datum illius meritis, quod terra alias tempestatibus obnoxia, & multas pati solita; ex quo sancto cadauere protegitur, nulli penitus vltra subiacuerit; neque vllis aëris, cœlíve inclementiis quassata gemat.

V. Luxere filij decessum tantorum Patrum; sed præ cæteris luxit Reformator Angelus de Victoria charitate in vtrumque, & reuerentia: sed pro se etiam dolens, qui in ipsis præfecturæ suæ periculis talium virorum consiliis destituebatur. Curauit tamen alios subrogare, qui ipsis succederent. Et conuocatis duobus, quò supererant Vallis-soleti, die quinta Nouembris, duos alios substituit fermè æquales, Fr. Athanasium Morante, & Fr. Michaëlem Angelum tunc vtrumque Abbatem, alterum Superati, alterum Spinæ; & primùm qui Generalis Officio functus fuisset, de quo iam supra.

VI. Eodem anno transiisse ad cœlos dicitur Fr. Hieron. Hurtado auunculus alterius, de quo statim, Vallis Ecclesiarũ Monachus, & qui propriam Ecclesiam, alienasque magno cum fructu, nec minori pietate administrauit. Florebant etiã in Ecclesia Nucalensi duo alij Monachi eximiæ religionis, Fr. Athanasius de Villagomez, & Fr. Cyprianus del Castillo, quorum meminit Chrysostomus Henriquez in suo Menologio ad XVI. diem mensis Augusti.

VII. Angelo de Victoria præsidente nostræ Reformationi, cum Rex Henricus simul, & Cardinalis, atque Abbas Alcobatiæ in Lusitania, Congregationem sui Regni, atque Abbatiæ promouere, & multis illustrare priuilegiis, indultisque, à Pontifice obtinuisset Gregor. XIII. idem Gregorius Castellam memoria retinens, & quam in ea notuisset, & in qua complacuisset, Congregationem; eadem omnia indulta ad nostros extendit; illis prodesse volens, decernensque, non secus ac si eis primò concessa fuissent. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XX. Iulij, anno M.D.LXXX Atque hæc sub Angeli breui præfectura.

M.D.LXXX. VIII. Anno M.D.LXXXI. pro eligendo nouo Reformatore, & nouis Abbatibus, quinta die Maij Capitulum celebratur loco consueto. Cæterum cum Ecclesia Montis-Sion proprio Abbate destituta inueniretur, idque intra tempus, quo secundum leges liberum erat alium subrogare, vel commendare Præsidi, provt Generali placuisset Reformatori; Fr. Marco de Villalua eiusdem domus Monacho, & tunc Rectori Collegij Complutensis, commissa est; indultumque, vt retento Collegio, propriam etiam Ecclesiam administraret. Quod alij datũ authoritati viri, & grauitati generalis cœtus, cui erat præfuturus, defendebant: alij vt iuri contrariũ, rationique, nec sine priuata aliqua intentione, quasi in deterius interprætabantur: maxime eodẽ Marco iam dudũ acclamato Generali futuro, quod ipse mox euentus cõprobauit. Vtcumque fuerit, illo Præsidẽte pro Abbate Montis-Sion, Diffinitores Abbates renuntiantur Fr. Athanas. Morante Superati, Fr Christophorus de Luxã Vallis-bonæ, Fr. Placidus de Lusiriaga Ferrariæ, & Fr. Petrus Bilueſtre Montis-feri. Visitatores Gaspares duo eliguntur, Recalde, & Gutierrez, ille Carraceti Abbas, hic Melonis. Demùm Consiliarij Fr. Michaël Angelus Spinæ, Fr Maximus de Medina Iuncariæ, Fr. Ioannes de la Cruz, S. Petri ad Gumielem, omnes Abbates, & Fr. Marcus de Villalua Rector Collegij Complutensis, & tunc Præses Montis-Sion atque Capituli, qui iam Generalatui destinabatur.

LXIV.

MARCVS DE VILLALVA REFORM. XIII.

I. Propositi deinde ad officium Reformatoris idem Marcus Villalua Mons-Sionensis, & Fr. Ludouicus de Riuera Hortensis Monachus, tunc Abbas Vallis-viridis, vir totius doctrinæ, & pietatis. Verum suffragia, iudicio, siue affectu, seu tandem quia potentibus placebat inclinarunt in Marcum virum re vera magnum, prudentem, doctum, & quem sibi relicti etiam optarent, Pro ipso in Consiliarium subrogatur Nicolaus de Rueda Morerolensi æquè pius & prudens, qui tunc Abbatem agebat eiusdem domus.

II. In hoc Capitulo zelatum pro Religione, quod acta testantur: & multa in melius iussa reformatori, quæ hodie etiam cum fructu perseuerant. Fœminarum ingressus in Monasteria interdicti omnino: dempta Reformatori potestate dispensandi in hac lege; & declarato, extra Regiam Maiestatem, nullam causam censendam satis idoneam: iniunctæ preces pro fidelibus defunctis persoluendæ à nostris diebus singulis: præceptumque vt imminente nocte, postquam signum silentij datum fuerit, cymbalum maius pulsetur ictibus tribus, ad quorum sonitum oratio ipsa sequatur.

III. Cœnobia

III. Cœnobia Virginum in suis electionibus Monachorum cœnobiis conformari, sancitum lege: neque Abbatissas liberè eligendas; sed ex duabus tantum, tribusve, quas reformato, siue Pater Abbas cuiusque Monasterij proposuerit.

IV. Incommodis perpensis quæ sequuntur, ex generali Synodũ intra medium triennij celebratione dubitatum est, an expediens videretur, vt pro extraordinariis electionibus Patrũ Reformatorum, soli consiliarij, visitatoresque, & qui id munus obiissent, nempe Reformatorum, cum quatuor diffinitoribus Abbatibus præcedentis Capituli, atq; omniũ præside Montis-Sion Abbate congregarentur; & electionem celebrarent nomine omnium, sanctum hoc, & expediens multis visum. Cæterum eum, qui omnibus præsideat, eligendum ab omnibus; neque posse conuentus defraudari suffragiis, quæ committunt procuratibus, nisi ipsi consentiant, maior & sanior Capitularium pars, viuidè & eleganter proclamauit. Ergo decretum Conuentus consulendos, & nihil sine ipsis, in eorum præiudicium faciendum fore. Quare & legem ferendam, omittendamve, pro vt plures eorum determinarent.

V. Demum, cum omnes vnanimes sentirent, omnem penè decorem Congregationis ex litteris pendere, & pietatem doctrina promouendam: decretum est, vt Collegia illi dicata ad decentiorum formam, in quantum fieri possit, redigerentur. Iniunctum recenti Reformatori, ac duobus emeritis Fr. Athanasio Morante, & Fr. Angelo de Victoria vt omnem huic negotio operam darent, quod ipsos grauiter exequutos esse, ipse postea euentus declarauit.

VI. Obiit hoc anno insignis pietate æquè doctrinaque Ludouicus de Estrada Hortensis Monachus, eiusdem domus Abbas semel, & iterum, Complutensis Collegij quater Rector, & veluti fundator; Carolo Principi secundi filio, hæredi Ioanni Austriaco eiusdem Philippi Fr. atque sancto Ignatio de Loyola illustri fundatori Societatis IESV eximiè charus; quique eisdem in multis & sæpe vtilis; Beato Ignatio, atque ipsius filiis, Compluti, Cæsar-augustique, dum per vim pœnæ à vulgo pellerentur, perneccssarius etiam fuit, quod eiusdem Societatis annales amplè commemorant. Obiit Hortæ die secunda Iunij præsentis anni cum insigni opinione sanctitatis doctrinæque, quam multa monumenta eius commendant. Sepultus est in eiusdem Ecclesiæ medio, sub lapide marmoreo, cui nomen clarum viri incisum visitur: & memoratur à Chrysostomo Henriquez in Menologio ipsa qua obiit die: additis, quæ ad maiorem notitiam eius, & authorum, qui de ipso scribunt, facere possunt.

VII. Eodem anno Ludouic. alius in nullo illi inferior, Aluar nimirum de Solis magnus Calatrauæ Prior, cum Calatrauam, quod ad habitationẽ attinet, omninò deseruisset (impatiens Fratrum, quos sui etiam impatientes expertos esse) & Morerolæ degeret; ad Abbatiam Fiterienſem in Nauarra à Philippo secundo præsentatur: quasi, qui absens, Calatrauã regebat ex Morerola, ex Fiterio non minus regere posset. An idem Ludouicus recusauerit vtramq; dignitatem simul habere, an Pontifex concedere nolueriti in dubio est: & creditur negasse ad eius preces. Constat cum alterum abdicaturus esset, abdicasse Abbatiam, cuius reditus pro sola mẽsa Abbatis (nam tripartiti habebantur in illis domibus) tria millia aureorum censeri solent; retento prioratu, à quo quingentos tantum percipiebat, ex quo discessit. Causa electionis Philippus ipse fuit, quod in Ecclesia Fiterienſi præsentationem liberam; in Calatraua nullum ius haberet: & si semel vacaret Prioratus, iterum Morimundi Abbas rogandus; aut si ipse renueret, summus Ecclesiæ pastor; & neuter concessurus sperabatur, quod posset iuri Morimundi præiudicare.

VIII. Per idem Philippus Rex Fratri Marco Villaluæ Reformatori Religiosus, ac prouidus scribit, vt Dominam Philippam Lusitanam illustrem virginem Antonij Lusitani Principis filiam Cistercium iam professam in Lusitania, Huelgis ad Valli-soletum recipi faciat, & decenter tractari iuxta sanguinis Regij claritudinem. Quod & statim exequutum est: quamuis ipsa seu quietis forsan impatiens, siue vt aiebat, vrgente valetudine, non multo post Monasterium commutauerit, ad Bethleem translata Monasterium eiusdem vrbis & Ordinis vnde etiam Abulam tertio transmigrauit.

IX. Anno M. D. XXXII. tres Reformatores præsens, & præteriti, quibus cura studiorum commissa fuerat, conuenerunt Vrsaria, & multa vtilia, quæ hodie perseuerant, ordinauerunt. Vt collegia à conuentibus discreta, seorsim degerent; & nec Monasterium silentium, quiesque, disputationibus Scholasticis; nec Scholastica exercitia, prolixo cantu, atque aliis disciplinis Monastici rigoris impedirentur. Vt pro dialecticis Philosophicisq; institutionibus, quas Artes vulgo vocant duo Collegia. Pro sacris litteris totidẽ Palaciola & Complutũ, ex tunc vsque in perpetuũ deputarentur. Reliqua permittenda diffinitoribus, vt pro tempore eligerẽt, & iuxta circunstantias occurrentes, vt ducerent expediens, variarent. Vt Cursus Philosophicus in illis absumeret trienniu; quadriennium, Theologicus: atque hoc tempus sine graui causa nullus siue breuiaret siue produceret. Vt in singulis artium, Magister vnus; pro Theologis duo, vel etiam tres, si expedire videatur, designentur. Vt lectionibus, exercitationibusque, simul & litterariis certaminibus dies, & horæ; tum diuinis Officiis per soluendis atque aliis functionibus, spacia, per singula momenta, ne vllum tempus vacet constituantur. Vt Complutenſes vacationum tempore, nequa- M. D. LXXXII.

quam diuidantur per Monasteria; sed simul omnes salubriorem aërem,& mitiorem calorem quærant in Sacris-mœnibus,vbi sub sui Magistri disciplina recolant,& inculcent, quæcunque didicerunt hyberno tempore. Vt quia duo Collegia designata Professores Theologiæ non satis capiunt, tertium superaddatur, quod Vrsariæ futurum, decretum est, quandiu opportunus alius non occurrerit. Cæterùm quia Athenæ Salmantinæ toto orbe terrarũ celeberrimæ carebant Cistercio; neque illis Cistercium fruebatur, quæ vniuersam Ecclesiam illustrarent, Reformator proposuit conferendum, an expediret Salmanticam Cistercio, atque illi Cistercium restituere. Decuisse forsan quærere Complutum Academiam recentem,tenellamque, quando tenella adhuc Congregatio vix solidiores cibos capere posset. Nunc iam adultam, non esse, quod timeat, aut cur se neget Athenis adulatoribus. Non Complutum quæsitum, sed Salmanticam à Carolo V. glorioso Imperatore, erigendis Collegiis, in quibus Cistercienses Militiæ instituerentur. Quid ni & Monachos Salmantica excipiat, conseruetque pariter edocendos,atque edicturos.

X. Res grauissima cunctis visa est, neque auspicanda, nisi ab oratione; multis oblatis Deo sacrificiis, multis effusis precibus, quas omni studio & cura solicitare Reformator promisit; quin & solicitasse testatus est à tempore Capituli, & viris sanctis iniunxisse solicitandas. Interim tamen negotium conferendum inter primores Ordinis; & seriò consultandum de conuenientia, disconuenientiave, quæ ex tanto posse negotio resultaret. Hæc & alia statuerunt satis vtilia, atque ex vsu communi Congregationis, quæ pleraque hodie etiam perseuerant cum magno fructu.

XI. Eodem anno vigesima octaua die mensis Octobris Consiliariorum Synodus coacta in Palaciolis plura alia, neque minus vtilia in lucem dedit. In primis pro Gaspare de Recalde visitatore, qui paulo ante obiisset, Gaspar alter dictus de los Reyes, tunc Morerolæ Abbas, suffectus est; & Basilius Sarmiento Hortensis Monachus, qui tunc Montem-Salutis administrabat, substitutus pro ipso, qui vtriusque socij defectum, si fortè contigisset, supplere posset. Vt Abbatiæ paucorum Monachorum reformari valerent, multa sancita; laudando haud dubiè zelo; sed sine fructu. Quippe in materia, quæ semper leges petit, sed quarum obseruantiam nunquam admittit. Vna lex tantum profutura foret, si ad numerum decentem alendum crescant, vel si non crescunt ad grangias redigantur.

XII. Manebant hactenus Collegia deputata linguæ Latinæ, quæ recens professorum, vt vocamus, mores, & actus non nihil relaxabant. Iussi sunt præfici in singulis illorum nouitiorum Magistri, quorum doctrina correctioneque,quicumque exoluitarent, compescerentur.

XIII. Moniales de IESVS Salmanticenses, cum adhuc post admissum Confessarium, ab aliis institutis resilirent, titulo fundationis, quæ legibus quibusdam contrariabatur à Generali paulò ante dimissæ; cum recipi se enixè postularent, negatum est; nisi priùs cunctis fundationis suæ legibus omninò renuntiarent, quæ nostris institutis contrariarentur. Itaque admissæ sub ea conditione; sin minus sibi; & cuicumque eas vellet, aut velle posset, titulo fundationis, seu Pontificis iussu, sunt relictæ. Nec dubium est, renuntiationem ab eis factam, quandiu in obedientia retentæ sunt. Sed ea non constante per instrumentum, non paruæ lites postea exortas vidimus.

XIV. Quod à cœtu illo graui Reformatorum celebrato Vrsariæ, continuis precibus Deo commendabatur, de erectione Collegij Salmanticensis,tandem ipso inspirante concluſum est, decretumque,vt quam-primum erigeretur,& designata erigendæ nouæ fabricę viginti ducatorum aureorum millia,quæ tunc deposita in Ecclesiis Congregationis pro soluendo subsidio libera remansissent,Regia atque Pontificia concessione. Aggregata eidem Collegio fuit Abbatia Bellimontis in Asturibus,cuius Abbas Salmanticæ præesset, relicto in ea Priore, vt de eius fructibus Collegium sustentaretur. Qui nihilominus,cum tenues viderentur, pro Collegij erigendi magnitudine mille aliis ex sexcẽtis aureis dotatũ est per annos singulos ab Abbatiis aliis, sed præcipuè Gallæciæ, contribuendis. Decretum etiam, vt electio Abbatis non ad diffinitorium,& Conuentum,vt in aliis Ecclesiis,sed vt electio Rectoris Complutensis ad solum pertineret diffinitorium. Atque hæc omnia à Pontifice impetranda, vt in proximo Capitulo generali debitæ mandarentur executioni. Sed nihilominus auspicandum Collegium interim sub designando Præside, cuius & Collegarum, Magistrique (nam vnus sufficere visus pro his initiis) & omnium officialium electiones arbitrio Generalis, qui rem supra omnes alios promouebat cum cæteris, quæ facto opus esset, permittebantur.

M. D. LXXXIII. *Fundatio secũdi Collegij Salmantini.*

XV. Sequens annus M. D. LXXXIII. auspicato Collegio Salmantino celebris,& illustris nostris fuit: iacto lapide primo ad nouam fabricam,extra & contra portam ciuitatis, quæ S. Francisco hactenus dicta, inde à S. Bernardo nomen sumpsit. Atque interim conducta intra vrbem domo Regulorum de Auedillo, quæ Monachos exciperet, quandiu nouum Collegium nouos habitatores capere posset. Illuc primò qui cuncta præpararent, necessaria disponerent,

nerent; dein mense Octobri adueniente, primi habitatores missi sunt. Præses, simul & Lector sacræ Theologię Fr. Ioannes Diazius, qui mox Rector Collegij Complutensis, deinde primus Abbas, ac demum Reformator electus fuit: Cellerarius Fr. Michaël Perez de Heredia, quem postea præter suæ munus functionis, è suggestu tonãtem audiuit Castella simul & Aragonia, scripta promulgantem Orbis agnouit: tum duodecim Collegæ, inter quos Fr. Petrus de Lorca Vallis-bonensis, & Fr. Marcus de Porras de Nucalibus, doctrina ille, inter primos Orbis habitus, hic pietate insignis, meritisque; atque alij non inferioris notæ viri, de quibus multa in sequentibus dicemus.

XVI. Excipit homines plausa Academia, excipit fauore, & vix dum natos antiquis coæquauit: litteraria certamina assignans, quibus exercerentur, & proposita ab aliis impugnarent, impugnanda proponerent; neque discerent tantum, sed docerent. Non minus fouit hospites recentes Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, deputatis, (quòd paucis aliis datum) anniuersariis festis solemnioribus, in quibus è suggestu in ipsa Cathedrali concionarentur: quæ à principio indulta hodiéque perseuerant satis decora.

XVII. Anno M. D. LXXXIV. Fr. Marcus Villalua Mons-Sionensis, cum res publicas egregiè administrasset, triennio suo expleto, atque fundato (quod ardẽter optauisset) Salmantino Collegio deposuit pedem; & pro nouo eligendo Reformatore, Capitulum celebratũ ex more est in Palaciolis, quinta die Maij, Præsidente Priore Montis-Sion, quod Abbas Fr. Petrus de Vilueſtre detineretur aduersa valetudine. Diffinitores quatuor ex Abbatibus, primi omniũ electi, Fr. Angelus de Victoria, Superati; Fr. Maximus de Medina, Montis ramorum; atq; Gaspares duo alter de los Reyes, Gutierrez alter, Morerolæ Abbas, hic Spinæ. Visitatores duo renuntiantur Fr. Lupus de Leon, & Fr. Ioannes de la Cruz, ille Vallis paradisi Abbas, his Hortæ. Demum, qui essent à Consiliis Reformatoris quatuor alij prodiere iuxta præscriptum, Fr. Athanasius Morante Vrsariæ, Fr. Petrus de Coëto, Hoyæ, Fr. Ludouicus de Riuera sancti Petri ad Gumielem, & in absentia Fr. Petrus de Vilbestre Abbas Montis-Sion, quem diximus Toleti remansisse morbo impeditum. M. D. LXXXIV.

LXV.

ATHANASIVS MORANTE REFORM. XIV.

I. Sequẽti die pro eligendo Reformatore, duo, vt mos erat propositi fuere Congregationi, Fr. Athanasius Morante Nucalensis, qui iterum id munus administrasset, & Fr. Franciscus de Torre, Spinę Monachus, qui tunc pręerat Ecclesiæ Riui-sicci. Certa pro dubiis, & nota pro incognitis relinquere, aut imprudentiæ foret, aut leuitatis. Quare quem semel probum, & industrium experti fuerant, Fr. Antonium Morante, Francisco prætermisso, in Patrem omnium, omnes cooptarunt. Non tamen deerant, qui reformidarent oppressionem sub ipso. Et querelas iam iterum auditas intra, & extra obseruantiam (quasi suis solis imperium accepisset) iterum repetendas prænuntiarent. Pro eo in Consiliarium subrogatur Fr. Franciscus Vasquez, qui tunc Valli-Ecclesiarum imperitabat.

II. In hoc Capitulo eximie promotum est Salmantinum Collegium, indulta iam illius erectione à Pontifice Maximo, provt anno præcedenti petita fuerat; & vix quid diffinitum, decretumve, quod non ad incrementa eius respiceret. Qui recens tunc exuebat Reformatorem Fr. Marcus Villalua, (& cui Collegium ipsum debebatur) primus illius Abbas creatus est: addita lege, vt si ita expedire visum fuerit, iterum eligatur infra triennium. Abbatia Bellimontis, manere iussa: sed redditus distributi per Monasteria pro dote Collegij, à mille & sexcentis aureis hactenus designatis per annos singulos, ad duo millia supra quadringentos, excreuere. Addita medietate hæreditatum, seu legatorum, quæ à Nouitiis, media professione, omnibus Monasteriis contigissent. Quamuis hoc vltimum, velut inæquale, & supra modum matrices Ecclesias grauans, non potuit permanere per longum tempus. Iussa præterea procurari vnio plurimorum simplicium, quorum præsentatio ad Abbates pertinebat. Et impetrata ea non multo post, cum clausulis firmissimis; licet lites ex litibus, vt in his fieri solet, concitauerit; magna tamen ex parte impleta; vnitis beneficiis, quæ ad quingentorum aureorum pertingunt summam.

III. In eodem Capitulo aeceptantur à Philippo secundo Rege Catholico duo ducatorum millia, quæ sponte suo misit in sumptus fabricæ. Itemque Domino Bernardino de Mendoza illustri prole Ducum del Infantado præstimonia quædam Abulam prope quæ deductis oneribus, ad quadringentos aureos annuos taxari solent. Sed & multa mobilia, largus dedit, in vestibus, & vasis Deo sacratis, ac pictis imaginibus, aliisque, quæ Ecclesiam & sacrarium Collegij locupletarũt. Philippo Regi immensæ gratiæ habitæ; nec quidquam aliud fuit quod reddi possit; cum nostri omnes & Monachi & Conuentus ipsius sese esse profiteantur. Pro Domino Bernardino de Mendoza Decretum est, vt in Capella proxima maiori supradicti

Collegij nomen eius & stemma conseruarentur;& quandocumque contigeret decedere totidem sacrificia pro eo fierent,quot pro defunctis nostris offerri solent.Hæc pro Collegio : in commune etiam alia.

IV. Diffinitiones in vulgarem sermonem versæ, nimirum pro conuersis, & Monialibus, in publicum prodire iussæ sunt ; atque cudi breuiaria, diurnaque ; & libro vsuum decenter adaptari. Hic porrò liber, quem multi Authores putant, nec sine fundamento, Bernardi Patris opus, cum primum prodiit, Martino de la Fuente Hortensi Monacho, & viro eximie pio commissus est, non sine magno fructu, atque omnium communi approbatione, Stallis in choro maiori Palaciolensi, quæ à tempore Fratris Ioannis Gozmanij Reformatoris fulmine è cœlo tacta conflagauerant, reparari mandata ; & Monasteriis Ferreyræ & in Gallæcia, & sanctæ Columbæ in Regno Legionensi, cum multo ære alieno præssa gemerent, pingues sunt eleemosynæ attributæ. Atque hæc & alia decreta in hoc Capitulo zelum Reformatoris commendantia, à quibusdam in ipsum vt in authorem ; ab aliis in ipsius antecessorem Frater Marcum Villalua (qua pollebat potentia) referebantur.

M. D. LXXXV. V. Anno M. D LXXXV. decima octaua die mensis Octobris Synodus intermedia celebratur in Palaciolis : in qua nihil magnum, aut historia dignum inuenio. Præterquam quod Collegio Complutensi, quod nimia paupertate laborabat, apud omnes Salmantino, seu quia recentiori, seu quod maior ex eo fructus speraretur ; nihilominus largè subuentum est. Electi etiam, qui visitarent Reformatorem duo Abbates ex more, Vallis-bonæ nimirum & Matæ-planæ.

M. D. LXXXVI. VI. Anno M. D. LXXXVI. continuo zelo, solicitudineque Fratris Athanasij Morante Reformatoris solerti industria, authoritatéque Fratris Bernardi Gutierrez, cognomento de Naxera, & Ordinario Sedis Toletanæ in Curia Complutensi, Hortensis Monachi, qui Romæ tunc agebat Procuratorem ; multa, & quidem illustria nostris indulta, quæ non licet silentio pertransire. Martini V. & Eugenij IV. priuilegia prima Congregationis, confirmata à Sixto Papa V. & de nouo concessa. Dein communicata quæcumque alia, quascumque gratias vtcunque continentia, quæ quomodolibet quibusuis Congregationibus. Monasteriisve tam virorum, quam mulierum Ordinis Cistercienſis, in quibusvis mundi partibus consistentibus, aliquando concessa esse constaret: idque perinde ac si nostris primò, specialiter & expressè, & non ad instar, & secundo concederentur. Mox cum in hoc indulto, inter plurima alia, contineantur Pontificalium vsus, collatio ordinum, atque id genus alia, quæ Episcopi ægrè tolerabant, præceptum est Reuerendissimis Episcopis sub grauibus pœnis, ne omnino renuant, aut vllo modo excusent Monachos ordinatos à suis Abbatibus ad Ordines maiores promouere. Sequuta & quædam alia non inferiora, quæ Tom III. à priuilegio XV. vsque ad XVIII. videri possunt.

VII. Illustrauit non minus hoc triennium, qui tunc florebat in Ecclesia Morerolæ, Fr. Ignatius Monachus, quem video Menologio adscriptum à Chrysostomo Henriquez, ad secundam diem mensis Februarij. Memorat virum, & pretiosam eius mortem accuratè recenset Fr. Athanasius Lobera, Regius Chronologus, in eo quam de vita sancti Froylani libro vulgauit.

M. D. LXXXVII. VIII. Anno M. D. LXXXVII. Athanasij Morante triennio lapso, tempore & loco solitis, pro electione noui Reformatoris, & cæterarum dignitatum Ordinis, Capitulum generale coactum est, non sine graui multorum amaritudine : quod se non electuros Reformatorem, diffinitoresque, & alios officiales ; sed accepturos, quos vellet, qui tunc vacabat, conuenire in vnum, non obscuris indiciis coniectabantur. Quippe Athanasius, quod vnum semper in eo timori fuit, imperio siue vsus, siue abvsus, tot ex Capitularibus creauerat, partim Abbates per totius triennij cursum, partim Procuratores sub eius finem, vt vel de solis Nucalensis Ecclesiæ filiis, in qua ipse profess us, suffragia tredecim ; de aliis quadraginta ferè aut supra, (& vix plures vocales) numeraret, quos non iudicio acturos ; sed obedientia, eoque veriùs agendos non dubitabant. Et horum omnium vox vna pro illo fuit : ituros se quocumque demonstraret, quocumque duceret : neque opus esse præscire, quem eligerent, satis superque conscientiis suis dari, si eligant quemcunque ipse proponat. Cuius dictamen propriis anteferre, iustitiæ pariter opus, prudentiæque, & aliarum virtutum considerabant. Hæc palam cuncti : sed plures in occulto, rem planè indignam, & adiectione plenam ; hi etiam qui faciebant, auersabantur. Et oppositum vellent, ardebantque ; sed taciti, atque detegi timentes vbi minus amoris, plus obsequij, & quo animus longius aberrabat, eò se exteriùs, firmiùs adhæsuros, signis, atque promissis contestabantur

IX. Sanxit inuidiam Marcus de Villalua ; & zelo plenus, (nam ita par est credere, maxime

ximè in viro eximiè Religioso) cum recens tunc Capitulum ingressis, è publico suggestu concionaretur, electis prius, qui Ecclesiam occupabant, non paucis, neque infimæ notæ sæcularibus; adeo eleganter pro eligentium libertate, adeo pro meritis, & qualitate eligendorum; adeo pro publico bono declamauit, vt iam iamque inclinatos audientium animos, sed occultos & timidos, fecerit reuelari, prodireque; & se nullius, nisi Dei solius esse, protestari coëgerit; in eius neque alterius voluntatem, atque in publicum bonum, non in vllius alterius inclinaturos.

X. Hoc ardore Capitulum ingressi, cum Athanasium præsentem non haberent, tum vero immemores aliarum promissionum, diffinitores quatuor Abbates eligunt primos, & summos totius Congregationis; Fratr. Marcum de Villalua Salmanticensem, Fr. Maximum de Medina Vrsariæ, Fratr. Franciscum Suarez Vallis-paradisi, & Fr. Gasparum Gutierrez sancti Martini. Mox lectis totidem ex Procuratoribus, visitatores duo renuntientur, Frater Athanasius Corriero Abbas Superati, & Frater Damianus de Laurenzana Rector Collegij Complutensis. Vltimi omnium quatuor Consiliarij, Frater Nicolaus de Rueda Morerolæ, Frater Antonius de la Cuesta Matæ-planæ, Frater Petrus de Villalobos Hortæ, & Frater Augustinus Aluarez Meyræ-Abbates. Omnes ferè præter spem: certè præter ordinem, quem Athanasius præscriptum reliquisset. Quod prius ipse passus, quam timeret, adeò æquo & constanti animo tulit, vt eius nutu factum videri posset. Hinc orta fuit quorundam dubitatio satis iucunda, quæ subtiliora ingenia tunc exercuit. Vter maiori laude dignus esset, Marcus an Athanasius? ille, quod vi diuidendi, eloquentia huius potentiam penitus infregerit, cum ad summum omnino peruenisset: an huius, qui repente illa priuatus, atque solus relictus, constantiam nihilominus non exuit, non animum deposuit; nec se gessit, vt victum, sed victorem.

LXVI.

FRANCISCVS SVAREZ REFORM. XV.

I Sequenti die, pro eligendo Reformatore, diffinitores, duos proposuerunt, Fr. Franciscum Suarez Vallis-paradisi Monachum, & Abbatem, & Fratr. Antonium de la Cuesta Matæ planæ. Ex his duobus, eadem libertate primus electus: & pro eo in diffinitorem subrogatus est Fr. Lupus cognomento de Leon, Abbas Saltus-noualis, qui & ipse in Valleparadisi professus fuerat.

II. In hoc Capitulo decreta aliqua lego, quæ partim manent, partim exoleuere. Vt Reformator, visitatoresque, expletis officiis, vltima die Capituli, cum iam querelæ accusantium auditæ fuerint, prostrati ad pedes omnium veniam petant, corrigendi, si quid ab eis peccatum; sin minus publicè laudandi, & dimittendi. Quod, vt pleraque alia, quantumuis bonum, quantumuis conueniens, abvsus corrupit: & quibus subrogandi sibi, quam volunt potestas est; innocui omnes laudandique inueniuntur: quibus deest, plerumque defectuosi, & correctione digni videri solent. Sexennium in persona Reformatoris, & in Ecclesia, in qua professus fuisset, triennium designatum hactenus lego, intra quæ neque ipsa iterum eligi, neque alius quiuis eius domo poterat; ad nouennium, & sexennium extensa sunt; inuisa cunctis potentia antecessoris; neque verò quia aliis iniuriosa, sed quia nimia. Inuenta ideo triennia in Religionibus, & relegatam antiquam perpetuitatem, in multis proficuam; ne vnus semper aliis dominaretur: Si non succedat, omninò esse nociua; quippe quæ solùm animos inquietant, & pacem turbent. Sublata cunctis spe nouarum rerum, sublato metu; facilè intra metas recti contineri: secus si hæ passiones animos turbent Quid enim non vtrique tentari audeant, aut quid non exequi, dum hi imperium, quod semel iam gustarunt, conseruare procurant; illi, quod non gustarunt, adipisci? nihil magis obesse publico bono, quam si electi ad tempus, extendere ad vitam potentiam velint; nulli vnquam mansuram per bonas artes; & sola tolerantia malorum, ac bonorum repulsa conseruandam. His & similibus facilè persuasi, dum Athanasij potentiæ obuiare satagunt, suæ etiam ipsorum, quam alij postea tollant, obicem ponunt.

III. Visitatorum munus partitum est, & duplices in futurum creari iussi, (nam iam electis præiudicium illatum nullum); & alij qui Ecclesias Castellæ visitarent, Gallæciæ alij. Rectoratus Collegij Complutensis, Salmanticæ exemplo, in Abbatiam transire iussus est, obtenta facultate Summi Pontificis: interimque Rectori inter Abbatias sedes & vox passiua, ad omnia, & singula officia designatur. Itaque impetrari iussum est

à Romano Pontifice, vt ad instar Collegij Salmantini, dignitas Abbatialis, atque aliæ præeminentiæ, Complutensi in futurum concederetur. Et designatus Fr. Ioannes Diazius Morerolensis, quem primum Præsidem, Lectoremque Theologia, Salmanticæ Præfectum memorauimus Salmanticensi Collegio adhuc recenti, Fr. Marcus Villalua iterũ datur: & addita tria millia ducatorum ex publico ærario, quibus fabrica celerius perficeretur.

IV. Hoc anno dicitur ad superos migrasse in Valle Ecclesiarum Fr. Petrus, cognomento Lopez humilis conuersus, qui anno M. D. XLIX. ad habitum admissus, annos triginta & octo perfectè satis in eodem cœnobio consumauerat: Carolo V. Hispaniarum Principi charus; sed Diuis & Diuorum Reginæ charior; à qua & admonitus de multis commemoratur.

V. Fine anni impetratur electio Collegij Complutensis in Abbatiam, Fratre Bernardo Gutierrez Procuratore Curiæ solicitante, & concedente Sixto Papa V. Romæ apud S. Marcum Kalendis Nouembris, anno M. D. LXXXVII. Pontificatus ipsius anno III.

M. D. LXXXVIII. VI. Sequenti vero M. D. LXXXVIII. celebrata pro more in Palaciolis Synodo intermedia in die sancti Lucæ Euangelistæ, quæ est XVIII. mensis Octobris, atque admissa erectione; qui antea Rector, Fr. Ioannes Viazius, eiusdem Collegij Abbas renuntiatur, non sine plausu totius congregationis.

VII. Ex parte D. Mariæ Aragoniæ, fœminæ perillustris, in eodem Capitulo offertur amplum Collegium Matriti construendum, atque nostris donandum, si admittunt, & velint occupare. Curiæ habitatio, Manachatui contraria visa aliquibus: sed nihilominus commissum Reformatori, vt supra fundatione cum ipsa conferat; & expediens videatur, etiam acceptet, tam suo nomine, quam totius Congregationis. Non conueniente vtroque, repulsam passa, transtulit ad Augustinianos opus insigne, nec solis ædificiis superbum, sed etiam dote.

VIII. Qui Romæ tunc agebat Procuratorem Fr. Bernardus Gutierrez Nagerensis, cum beneficia iuris patronatus, quæ ad nostros pertinebant, impetrasset Collegio Salmanticensi, nouissimè aliud (quod in vrbe tunc vacauit oppidi de Carbajosa prope Salmanticam) petiuit, & obtinuit, tum prospero euentu, properoque, vt non prius Salmanticæ innotuisset, beneficium vacasse, quam de eius capescenda possessione, nullo contradicente, tractari potuit.

IX. Eodem anno, cum nouũ ædificium Salmanticense, consumatis duobus illius angulis, habitatores suos posset admittere; relicta intra vrbẽ conductitia domo, quam incoluissent hactenus, transierunt ad propriam: neq; ideo fabrica cessare visa est, quãuis segnius processerit: nec nisi per interualla, tardiusque (nam adhuc imperfecta) continuetur. Tum vero Collegio ibidem radicato, Vrsaria exinde libera; non solùm vt susciperet Conuentum; sed vt Nouitios ad habitum admitteret, ex quibus breui aucta creuit penè in primam, certè in ditiorem numerosioremque Ecclesiam totius in vtroque Regno Congregationis.

X. In Capitulo ex more designati, qui visitarent Generalem Reformatorem, maioris sanè, quam antea consuëuisset authoritatis, Fr. Marcus Villalua, & Fr. Didacus de los Reyes, tunc Carraceti Abbas, quem non semel inferiùs memorauimus.

XI. Hoc anno glorioso fine obiit in Morerola Fr. Benedictus egregiæ pietatis Monachus, quem refert Louera in vita S. Froylani; quemque Henriquez Menologio suo inseruit, ad XXX. diem mensis Septembris.

M. D. LXXXIX. XII. Anno M. D. LXXXIX. inter Reformatorem, visitatoresque controuersia suborta turbauit pacem, cui reformandæ, Capitulum Consiliariorum extraordinarium in Palaciolis celebratum est, octaua die Iunij. Dissidij causa ab Horta initium sumpsit formato per visitatores processu, quem Reformator petebat sibi tradi, veluti superiori: visitatores omnino recusabant; quasi qui in exercitio visitationis æqualem prorsus, atque omnino ab eo independentem, à Capitulo accepissent iurisdictionem. Nec Reformator petere ausus esset, ni præcessisset solemnis recusatio, à Fr. Basilio Sarmiento, viro aliàs generis nobilitate claro, & Religione conspicuo tentatam lego.

XIII. Prima Capituli declaratio fuit, in sui ipsius fauorem; declaratumque; etiamsi irregulariter coactum, eadem prorsus, qua Capitula intermedia potestate gaudere; neque quid minus habere iurisdictionis. Mox vbi ad controuersiam ventum est, cum rem arduam vtrimque conspexissent; atque Reformatoris summam potentiam cum iustitia pugnare visitatorum; remisere negotium, vt in proximo generali Capitulo, ante annum celebrando, decideretur. Interim absolutus à culpa, atque immunis Basilius declaratus; quod quidam verè ad ipsius innocentiam; alij in fauorem vertebant Reformatoris. Sed nihilominus reprehensus acriter est, quod medium nimis forense, & penè seculare recusationis, contra ordinis morem tentauisset: & vtilius multò constare eius supplicium, quantumcumque innocui, quàm scandalum, quod posset resultare, si alij discant, per recusationem eludere iudicia, & vel nocentes effugiant correctionem.

XIV. Nomi

XIV. Nominati in hoc cœtu duo lectores, pro duobus Collegiis sacræ Theologiæ, F. Petrus de Lorea Vallis bonæ, & F. Ludouicus Bernaldo, Spinæ Monachi, quorum alter Compluti non multo post Scholasticæ doctrinæ; alter Salmanticæ, expositiuæ, & Sacrorum Bibliorum primarias Cathedras egregia cum laude regentarunt.

XV. Hoc ipso anno Venerabilis Pater Marcus Villalua, à Philippo secundo Rege Catholico in Abbatem Fiterij præsentatur, non sine lachrymis totius Congregationis; quæ tali orphana Patre veluti desolata, lamentabantur. Pro ipso tamen subrogauit Salmanticæ in Abbatia Collegij, F. Antonium de Custa Mataplanensem; & in visitatione Reformatoris, F. Lupum cognomento *de Leon*, qui Valle-paradisi, vbi & professus erat, agebat præsulem.

XVI. Dicitur obiisse circa hoc tempus in Valle Ecclesiarum F. Martinus, multa à dæmone passus, grauiaque à quibus Virginis auxilio liber euasit. Meminit eius Henriquez in Menologia, ad decimam sextam diem mensis Nouembris; atque item in Thesauro Monasticæ perfectionis. Vbi gesta eius describit satis ad longum.

XVII. Huelgis ad Vallisoletum item obiit Venerabilis Virgo Domina Anna de Mendoza, Quixada, Abbatissa perpetua eiusdem domus: in cuius facie, cum exalaret spiritum, stellam fulgidam multis apparuisse, constans omnium Monialium traditio est, cui hodieque antiquiores fidem faciunt.

XVIII. Anno M. D. XC Synodus generalis lapsu triennij, die & loco consuetis celebrata cui Philippi secundi prouidentia, an petitione aliquorum Monachorum, constat præfuisse Episcopum Carthaginensem: non tamen video ipsius assistentiæ mentionem factam, vsque ad annum sequentem, in quo F. Attilanus de la Cruz non leuiter punitur, ob delationem coram eo factam quorumdam delictorum, quæ supposita esse probatum est, in grauiores personas totius ordinis. Diffinitores ex Abbatibus prodiere F. Lupus de Leon, Vallis-paradisi, F. Antonius de Custa, Salmanticensis, F. Gaspar Gutierrez, Spinæ & F. Ioannes Diazius, de quo supra, Collegij Complutensis primus Abbas. Hinc post alios quatuor Procuratores, Visitatores totidem iuxta Decretum triennij antecedentis: pro Castella F. Nicolaus de Rueda, & F. Fulgentius Martinez, hic Montis Sion Abbas, ille Bugeti: pro Gallæcia F. Bartholomæus de la Canal, & F. Gabriel Castellanos, Abbates Mataplanæ, & Armentariæ. Proximo loco prodierunt Consiliarij quatuor omnes Abbates, F. Maximus de Medina, Montis rami, F. Ambrosius Lopez, Montis salutis, F. Bernardus Escudeno Vallis-bonæ, & F. Ferdinandus de Andrade, sancti Martini. M. D. XC.

LXVII.

IOANNES DIAZIVS REFORM. XVI.

I. Posteà die, pro eligendo Reformatore, F. Ioannes Diazius, & F. Gaspar Gutierrez sunt propositi; ille Morerolensis, hic Spinæ Monachus. Ex illis porrò primus tunc electus, sed breui decedens secundo, vt eligeretur locum dedit. Pro Ioanne Diazio in Diffinitorem subrogatur, F. Ferdinandus de Ioban Monsionensis, qui tunc Vallis Dei Ecclesiæ præfectus erat.

II. In hoc Capitulo latissimè relatum de Visitatorum generalium recusatione: & fortè ea inhibenda omnino foret, si non ius naturale multis in casibus expedientem omnino comprobasset. Additæ tamen multæ conditiones, & multa requisita, sine quibus à nullo tentari possit.

III. Visitatores, saluo electorum iure, pro instanti triennio, in posterum ad antiquum reducuntur: & duos tantùm deinceps eligendos, eosque non Abbates, qui totam visitarent Congregationem. Et primum illud obseruatum est, secundum, etsi vtilius, exoleuit; quoad vsque muratione polytiæ, id etiam inter alia mutatum fuit.

IV. Præceptum est, vt processus per Reformatores formati in suis visitationibus, ipsis absentibus in Diffinitorio, decideretur. Et declaratum, eundem Reformatorem, nec per se solum, neque cum Consiliariis in Capitulo intermedio, posse in mandatis Capituli generalis aliquid dispensare, aut immutare. Quod vtinam aduertant Reformatores, vt non omnia licere sibi putent. Iniunctum est Fr. Ludouico Aluarez de Solis, Priori Calatrauæ, & Fr. Ambrosio Lopez, insigni viro, vt priuilegia inquirant, conferantque; quænam vtilia, quæve nociua forent; & de vtrisque Capitulum admoneant (intellige futurum) vt hæc renuntiarentur, illis admissis. Vltimo iussum, vt in Prioratu Bonæ-vallis, totius Cõgregationis expensis, construerẽtur mansiones, in quibus Complutenses Collegæ, simul cum suis Lectoribus, tempore æstatiuo, litteris sine offensa vacare possint. Verùm de Collegarum vacationibus sæpius determinatum, semper omissum, vix quidquam vnquam executioni mandatum est; & ne vix quicquam immutatum sit, si quid inceptum. Hæc & alia prouisa in hoc Capitulo, zelum Reformatoris commendabant.

V. Sed ô sortem humanam, miseriamque! nondum ad quatuor menses clauum tenuit, cum ecce vigesima die mensis Augusti huius eiusdem anni immatura, heu! nimium morte sublatus, sedem vacuam reliquit,& filios orphanos. Non vllus alius longiori præfectura dignus creditus est,aut breuiori donatus;vir verè Religiosus, piusque;seuerus facie, sed ingenio mitis;& qui ita in clementiam inclinaret, vt nihilominus non parceret rigori, quoties expediret;& plerumque vtrumque temperaret.Obiit Vallisoleti,in domibus,quos ordinis appellent etiam extranei:vnde funus deductum ad Palaciola, ab oculis filiorum extorsit lacryma, à quibus, ne alieni temperarunt.

VI.Continuo,pro eligendo successore, indictum Capitulum,ad vigesimam diem mensis Nouembris:præsidétibus interim Consiliariis, iuxta præscriptum legis;& negotia expedientibus,non secus ac si sedes non vacaret.Vnde & instante electione Abbatissæ in Monasterio de Bethleem,duos Abbates miserunt viciniores, Vallisbonæ, & Spinæ,qui celebrandæ electioni præsiderent,& Abbatissam electam confirmarent.

VII. Sede vacanre Generalis Reformatoris, in Monasterio sancti Martini de Castaneda piè obdormit tunc eius loci Abbas, P.Nicolaus de Rueda Morerolensis, non sine insigni opinione sanctitatis.Extat Epistola Prioris,& conuentus sancti Martini,ad Abbatem, Priorem, & conuentum Morerolensem simulque ad Venerabilem Patrem eiusdem domus, & totius obseruantiæ,P.Ludouicum Aluarez de Solis Priorem Calatrauæ (à quo habitu donatus Nicolaus anno M.D.LV.)de fœlici eius transitu,in qua multa haud dubia de vitæ meritis, plura de gloria mortis scripta lego.

VIII. Inter hæc,procedente paulatim tempore, dies condicta venit celebrando Capitulo; atque nouo eligendo Reformatori F. Raphaël Sarmiente Hortensis Monachus, & Verbi Dei eximius declamator Monsionensein Abbatiam administrabat. Is primus Palaciola ingressus, deinde alij, electiones ex more celebrarunt. Diffinitores, ex Abbatibus, prodiere, F.Athanasius Morante Nucalensis,F.Ambrosius Lopez Vallis paradisi,F.Petrus de Villalobos Montis-rami, & F.Barnabas de Benauides,Montis-salutis. Primus illorum, Generalis munus obierat: reliqui tres in breui successere.Adeo ad officia non eligebantur,nisi digniores. Visitatorum officium non vacabat. In Consiliarios,qui cum suo Reformatore vacare iubebantur, quos consultaret, qui successurus erat, electi sunt F. Maximus de Medina, quem nulli tunc Ecclesiæ præfectum video;F.Gaspar de los Reyes, Montis-feri, Gaspar Madruga Vrsariæ, & F. Ferdinandus de Andrade sancti Claudij, omnes Abbates.

LXVII.

GASPARD GVTTIERREZ REFORM. XVIII.

I. Sequenti die,pro eligendo Reformatore, duo propositi, F.Ludouicus de Riuera Hortensis, & F. Gaspar Gutierrez Monachus Spinæ vterque secundo;nam vterque antea discrimen id subierat;Ludouicus cum Marco de Villalua, Gaspar cum Ioanne Diazio antecessore.Ex his duobus,secundus electus est,qui tunc agebat Abbatem Superatensem;prætermisso Priore iam senio graui & qui vt viribus anima par muneri, ita corporeis impar habebatur.

II. In hoc Capitulo,pro Venerabili Patre Nicolao de Rueda,quem dum sedes vacaret defunctum diximus, in visitatorem generalem subrogatus est F. Bernardus de la Cruz Morerolensis,qui tunc Riui sicci Ecclesiam administrabat. Præfecturam totius Congregationis, sede vacante, Consiliario antiquiori deferendam, sancitum lego:ne vel ab vno quouis exerceretur,qui prior aduenirer; vel omnium aduentus requisitus, cum aliqui distarent, occurrentia negotia retardaret.His qui Theologiam docuissent per triennium,priuilegia quædam concessa;atque id genus alia decreta sunt minoris momenti,quæ sigillatim non vacat recensere.Cassata & aliqua,ex his quæ Ioannes Diazius lege sanciuerat;quæ si vixisset,per eosdem stabilienda,firmandaque,non deerant qui argutè disceptarent.

III. Cum Ludouicus Aluarez Solisius, senio iam fractus, excusaret opus priuilegiorum, F. Petrus de Villalobos Hortensis subrogatus est,non inferior doctrina, aut pietate. Audita demum petitio Marci à Villalua, quondam Reformatoris, tunc Abbatis perpetui Fiterensis, vt quoad mutua suffragia pro defunctis semper inter nostrates reputaretur; celebraturus pro cunctis,quandiu viueret,cum moreretur,sacrificia omnium,sicut ipse soluisset,repeturus.Hunc primum lego impetrasse hoc à Capitulo,quod omnes postea,qui ex Congregatione prodierunt, imitarentur.

IV. Eodem anno fratri Gaspari Gutierrez Reformatori scribit Philippus secundus Rex Catholicus,vt Regij sanguinis egregium adolescentem,Dominum Dionysium de Portugal, Domini Antonij prætensi Regis filium,atque ipsius Philippi etiam nepotem, in Vallisbonæ Ecclesia habitu donet;neque inquirat,inquirivè permittat de puritate sanguinis illius, de qua

idem

idem Rex Philippus teſtificatur. Adduxit iuuenem qui ipſum educauerat, Sebaſtianus Pererius Epiſcopus Oxomenſis, qui & poſt annum Profeſſioni eius interfuit.

V. Anno M.D.XC.I. die vndecima Iulij cœtus conſiliariorum indictus eſt Vrſariæ, coërcendæ impudentiæ cuiuſdam Monachi, qui de ſanguine puro impurove vnius ex Reformatoribus, qui præceſſerant, priuata authoritate inquiſiuiſſet. Acriter contra illum ſæuitum eſt, & perpetua reclusio illi indicta; non in propria, alienave Abbatia, quæ fortè mitior, ſed in Prioratu ſancti Iuſti, loco inculto & horrido, atque à comercio totius Congregationis omnino ſeparato; quaſi ſi inter alios conuerſaretur, timeri poſſet eoſdem infecturos. M.D.XC.I.

VI. Potuit hæc pœna compenſare malitiam culpæ: ſed reſarcire damnum tanto viro illatum certè non potuit. Quippe qui certius puritatem ſanguinis nouerant in viro venerabili, ab ipſa inquiſitione dubitauere: quod maximè animaduerſum pro illis vellem, qui facilè in hæc dubia, ſiue has inquiſitiones ſolent prorumpere. Prouidit tamen Honori Senis emeriti, & totius familiæ Philippus Rex: adeo ad omnium aures nota tranſiuit, & vacante Abbatia de la Oliua in regno Nauarræ, tripartita, & perpetua, illum donauit, non ſine omnium bonorum gratulatione.

VII. Alia quædam ſancita in hoc Capitulo, & quod inſtabat celebrandum menſe Octobri, quia nimis propinquum differri iuſſum vſque ad Dominicam: *Ego ſum Paſtor bonus*, ſequentis anni. Nempe vt per interualla fermè æqualia negotiis occurrentibus promptius, & opportunius occurreretur.

VIII. Hoc anno in Monaſterio Vallis-bonæ obiit Venerabilis Pater frater Laurentius Gonzalez, cuius Henriquez in Menologio meminit, vbi etiam de eo ſcriptum reliquit. *Quod poſt egregia, & admiranda virtutum opera, ſuam, & aliorum ſenionum trium eiuſdem Monaſterij mortem prædicens, in morbum incidit. Et cum ad vltimum vitæ deueniret, oculis manibuſque ad cælum intentis, hilari vultu erupit in hæc verba, quæ circunſtantes eximiè lætificarunt. Fratres ecce video gloriam Dei: quibus dictis ſtatim expirauit.* Hæc die IX. Decemb. qua forſan obiit. Plura in faſciculo lib. 2. diſt. 34. cap 2.

IX. Frater Bernardus Gutierrez Romæ exiſtens, & multa gratia pollens apud Pontificem, (breuis heu! vitæ) Gregorium quartum decimum, ingentia noſtris priuilegia hoc anno impetrat; atque inter ea, extenſionem illam magnam, cui nullam aliam ſe ſimilem vidiſſe, Emmanuel Rodericus grauis author atque priuilegiorum regularium indefeſſus ſcrutator, teſtificatur. Priuilegia ipſa extant Tomo tertio, à priuilegio 20. vſque ad 17. vbi facile poſſunt inueniri. Vnum ex eis, ſcapulare breue noſtris indulget, capuciatum aut mutilum, quo pro cuculla infirmi, ſiue valentes, ſemper, & vbicumque vti poſſimus: conceſſis inſuper multis indulgentiis his, qui cum eo deceſſerint. Hinc ortum habuit, vt hoc obiter dicam, quod in Cõgregatione ſemper vtamur hoc ſcapulari breui; quod ideo *Breue* ſolemus appellare, addito illi capuccio, quod capuccio cucullæ, aut ſcapularis magni ſemper ſuppoſitum, dum facilè mutatur, atque abluitur, munditiem præfert, noſtroſque diſcernit à reliquo Ciſtercio, & Monachis aliarum Congregationum.

X. Anno M.D.XC.II. duodecima die menſis Aprilis Capitulum intermedium celebratur in Palaciolis, nulla alia re inſigne, niſi quod cuidam Monacho, qui eluſurus iudicium quod timebat, dum reus ageretur, ſacrum tribunal ſanctæ Inquiſitionis appellauiſſet, quaſi in eo delaturus aliorum crimina, cognita fraude, ſpes omnis clauſa eſt effugiendi ſentẽtiam. Nempe remiſſus ad Reformatorem, caſtigandus ab eo, quod deliquiſſet: tum demùm alios accuſare, ſiue deferre, ſi quid fortè peccaſſent, permittebatur. M.D.XC.II.

XI. Philippo Regi, cum bellis premeretur, nec Regia gaza ſatis adſumptus eſſet, religiosè petenti ſubſidium aliquod, ad quatuor ducatorum millia donata ſunt; traditis ſtatim ædibus Matriti, quæ maiori adhuc pretio vænire poterant. Sic auctum munus largitione celeri, ſubleuata cœnobia, quæ alias ſub contributionis onere gemerent; & demum relegati à Curia Monachi, quibus, ablato decenti illo hoſpitio, nulla penitus ianua, ad eam frequentandam, patere poterat.

XII Hoc menſe nos ad habitum admiſſis, licet indigni, in Monaſterio Hortæ ſub Ludouico Riuera-viro ſanctiſſimo, qui in Reformatorem bis iam propoſitus, & quamuis non electus, dignus tamen à cunctis habitus fuerat: quòd cætera, quæ reſtant certiùs nouimus, eò maiori fide; & niſi affectus iudicium anteuertat (nam ſumus homines) quantum in nobis fuerit, æquali integritate propalabimus.

XIII. Menſe Auguſto in die Parentis Bernardi, Saltus noualis miſerabiliter conflagrauit, præſentibus Abbate, & maiori parte conuentus ſancti Petri de Eſlonza Benedictinis, qui venerant cum noſtris, ſancti Patris ſolemnia celebraturi. Vulgauit fama, apparuiſſe cuidam ex ipſis vtrumque Parentem, nimirum Benedictum, Bernardumque, atque flammas graſſantes compreſiſſe, ne vltra procederent; cum aëre in contrarium impellente, nihil non abſumpturæ timeri poſſent.

XIV. Eo

XIV. Eodem anno, tertia alia Synodus, seu cœtus Consiliariorum celebratur in Monasterio S. Martini de Castaneda, die XIV. Octobris, occasione cuiusdam cõtrouersiæ, quæ inter Monachos Armentariæ in Gallæcia, & eorum Abbatem triennij præcedentis fratrẽ Gabrielem de Castellanos, tunc Visitatorem Gallæciæ, suborta fuerat. Porro in hac Synodo Ecclesiæ Saltus-noualis vtcumque subuentum per relaxationem communium contributionum. Superatum à Collegio exemptum est, & permissum admittere nouitios, quod hactenus negatum multis temporibus. Ex tunc magnam in Dominum breui creuit, non secus atque Vrsaria. Vt hæ duæ Ecclesiæ satis pingues, & disciplinæ Monasticæ capaces, hodie nulli secundæ, & fortè primæ existant Congregationis.

XV. Cum res in Lusitania turbatæ essent, & dissidia intestina Monachorum ad Philippum II. peruenissent; qui suborientem sedarent tempestatem, ex nostris ab eo missi, frater Petrus de Villalobos Hortensis, & frater Lupus de Leon, Vallis paradisi; qui Apostolica & Regia authoritate illius regni Ecclesias, tam Monachorum, quam sanctimonialium, magno cum fructu, & laude visitarunt; & tunc demùm Capitulo præfuerunt, cum restituta pace, concordiaque, vna omnium voluntas & sensus fuit.

XVI. Hoc item anno industrius & solicitus F. Bernardus Gutierrez Romanæ Curiæ Præfectus, de quo supra, multa & magna priuilegia nostris impetrat, à Clemente VIII. quæ habentur Tomo III. à priuilegio 26. vsque ad 31. Inter quæ etiam transumptum solemnizauit Epistolæ Innocentij Papæ III. qua ore proprio dictauit orationes, quæ in Missa S. Patris Bernardi cantari debent; atque aggregauit Doctoribus Ecclesiæ, & nomine egregij gaudere iussit. Atque hæc illa Epistola est, quam Ioanni quondam Lugdunensi Archiepiscopo, tunc Claræ-vallis Monacho descripsit, de qua Nos Tomo III. loquuti sumus.

XVII. Pro vnione Monasteriorum Nauarræ, atque Aragoniæ, Valentiæque impetrata multa; quo magis repetita, & inculcata, eò minus effectum sortitura. Appellationum ordo lege præscriptus, & transgressoribus indictæ graues pœnæ; atque id genus alia obtenta sunt, quæ partim stabiliuit, partim obtinuit priusquam è curia ad Hispaniam regrederetur. Et fine huius anni reuersus est, cum Romæ aureum libellum, *Compendium priuilegiorum obseruantiæ*, egregiis notis auctum publicasset. Ei debetur sancti Bernardi vita in quinquaginta cartas distributa, atque laminis æneis exarata, quæ per Ecclesias nostras circumfertur.

XVII. Fiterij obiit meritorum, & famæ plenus F. Marcus de Villalua Monsionensis, quem post expletum officium Reformatoris, Salmantinum Collegium authorem habuit: vnde ad Fiterium, à Philippo Rege translatus, præ flagrantia virtutum, & pietatis, ingentem sibi conciliauit venerationem. Meminit eius cum eximia laude Chrysostomus Henriquez in fasciculo, atque item in Phœnice; demum in Menologio prima die Decembris; neque ausim dicere eadem in qua obiit, siue diuersa.

XIX. Non multò post per præsentationem Regis Catholici in eadem Ecclesia Fiterienſi subrogatur Magister frater Ignatius Firminus Iberus, natione Vasco, genere nobilis, professione Monachus Ecclesiæ Nucalensis, qui tunc Compluti publico stipendio sacram Theologiam docebat in Academia. Hic post Cyprianum, primus ex nostris fuit Theologiæ Cathedram ibidem assequutus; Nucalensis vterque, vterque clarus; alter expositiua; scholastica doctrina alter insignis: nec minor hic ingenio, laboreque, nisi quod citiùs ab scholis raptus, ad studia alia diuertit, in quibus planè non minus illustris fuit. Hic ille Fiterienſis Abbas est, qui vulgauit exordium, & notis eruditis illustrauit, quibus nos vsi sumus in his Annalibus; quas propria eius manu scriptas habemus.

M. D. XC. III. XX. Anno M.D.XC.III. absoluto triennio, pro inchoando alio, quod tunc instabat, Synodus congregatur loco, & tempore solitis; ad quam, vltrò, an ad aliquorum petitionem, constat venisse Venerandum Patrem ac Dominum, D. Hieronymum Manrique Salmanticensem Episcopum, cum litteris Philippi II. Regis, atque Nuntij Apostolici, vt vocant, omnimoda & plenaria authoritate; præfuturum Capitulo; & cuncta iuxta leges dispositurum. Inuenit tamen omnia adeo pacata, & legibus conformia; vt se non iudicem missum ad Palaciola, sed testem prædicauerit, siue verius discipulum, edocendum ab ipsis, atque eorum eximiam pietatem, quandiu viueret cunctis renuntiaturum.

XXI. Ex Abbatibus electi ex more sunt quatuor Diffinitores, F. Athanasius Corriero Superati, F. Antonius de Cuesta Matæplanæ, F. Ferdinandus de Andrade sancti Claudij, & F. Hieronymus Hurtado sancti Petri, nepos alterius, quem supra commendauimus. Visitatores F. Augustinus Aluarez Complutensis Collegij, & F. Andreas de Salinas Ferrariæ, vterque Abbas. Consiliarij, F. Athanasius Morante Nucalensis, F. Ludouicus de Riuera Hortæ, F. Barnabas de Benauide Montis-salutis, & F. Bartholomæus de la Canal Vallis-Dei omnes ex primis totis Congregationis.

LXIX.

PETRVS DE VILLALOBOS REFORM. XVIII.

I. Pro nouo eligendo Reformatore, Fr. Athanasius Corriero Superatensis, & Fr. Petrus de Villalobos Hortensis, ex Lusitania redux, sunt propositi; atque hic vltimus electus per suffragia, quod doctrina præcelleret, nec pietate & prudentia esset inferior. Ipso imperante, quæ post annum M.D.LXXXIV. leges prodierant, compilari iussæ, atque libello aliarum aggregari. Tum quod ipsi iniunctum superius diximus, renuntiata nonnulla priuilegia, ad quæ per extensionem nostris ius; partim quia credita contra grauitatem vitæ Monasticæ; partim, quia conscientiis periculosa; & tandem partim, quia deuia à primitiua Cistercij perfectione. Adeo in hac vita nullum bonum est, quod discuti non egeat; & cui non facile accedat vicinum malum. Prioris generis reputata sunt, quæ reorum torturam, atque pœnam triremium indulgebant: posterioris, quæ laxant primæuas leges, siue in ipsis dispensant; & tandem medij, quæ communibus erratis, quantumuis grauibus, censuras imponunt; si semel incurrantur, in aliquibus, facilius parituras, contemptum, quam medicinam.

II. Capitula intermedia reuocata ad antiquum, atque repeti iussa per annos singulos: si ordinariè & de lege celebrentur, prorsus sine offensione; si extraordinariè, paritura semper scandalum; nũquam creditis leuibus delictis, quibus leges communes mederi nequeunt. Vilius constare, si aliquando congregentur sine necessitate, quem si necessitas ex congregatione, anteuertat supplicium; & prius infamentur, qui accusantur, quam criminis admissi damnari possint. Synodis ordinariis multa occurrere, quæ antea commendantur, quam publicentur. Extraordinarias publicare mala antequam corrigant; & scandalum in comperto semper esse, cum peccatum in dubio, & correctio in ancipiti adhuc maneat. Ergo ex tunc restituti annui cœtus, inconcussi vtque hodie perseuerant.

III. In hoc Capitulo præsentatas lego graues litteras Clementis Papæ VIII. exhortantis Abbates Congregationis in subsidium Ecclesiæ Cisterciensis (communis matris nostræ) quæ militum tunc recens prædæ patuerat, non sine ingenti dolore bonorum omnium. Cæterùm quid responsum ad eas fuerit non constat ex actis. Debuisse Matris filias opem ferre, qualem tunc potuissent, compertum est; & credibile verè contulisse. Verùm dum nihil in Actis inuenitur, neque in libris rationum; suspecta omnia; seu conuicta incuriæ; neque enim ausim dicere impietatis.

IV. Frater Bernardus Gutierrez, è Curia redux, in Abbatem Hortensem electus est; vbi reuera Pater, alij Rector, non minus, quam Romæ Procurator egregiam sui memoriam reliquit posteris.

V. Hoc anno lego ad Superos transiisse Venerabilem Martinum de la Fuente, Hortensem item Monachum, qui librum vsuum, qui hodieque obseruatur, de Capituli generalis iussu ediderat. Obiit in Monasterio sancti Claudij, opinione sanctitatis clarus, nec sine signis gloriæ, quæ virum statim à morte præstolabatur. Rapto in extasim multa ostensa fuisse, creditum est. Mox vultu hilari, & fulgenti supra consuetum, symbolum sibi fidei petiuit cani, in eius medio, vt dicebat, decessurus. Vix ventumerat ad illa arcana verba, *Et homo factus est*; cum pius Pater, è contra, hominem exuit, apertis oculis, cæloque defixis, quasi egredienti animæ, quo ad Deum pergeret ita demonstraret. Meminit eius Chrysostomus Henriquez in Phœnice; vbi & alia non pauca de ipso narrat.

VI. Et eodem anno in Valle paradisi obiit vir æquè pius, F. Clemens Sanchez, cuius felicem transitum, qui præsens illi fuit, F. Andreas à Corduba tunc Monachus, mox Abbas eiusdem domus, scripto mandauit.

VII. Sequenti vero M.D.XCIV. Martinum de la Fuente sequutus est Ludouicus Riuera Hortensis & ipse, & tunc Consiliarius Congregationis. Obiit Hortæ vbi egerat Abbatem semel, & iterum, non sine eximia laude; quin & constructis quibusdam edificiis non contemnendis, quæ hodieque conseruant memoriam viri. M.D.XCIV.

VIII. Mense Maio Capitulum intermedium celebratur, nullo alio euentu memorandum, nisi quod pro Ludouico de Riuera recens defuncto F. Gasparem Gutierrez subrogauit, triennij præcedentis Reformatorem.

IX. Anno M.D.XCV. prima die eiusdem mensis, eadem Synodus iterum coacta zelum Reformatoris, non sine admiratione propalauit; absoluto Abbate Carracetensi, viro vtique M.D.XCV.

insigni,

insigni, grauique, atq; ipsius discipulo, Magistro F. Hieronymo Dellamas ex scriptis suis notæ; quod Abbatiale munus, & dignitatem supra monachalem modestiam (id vnum viro crimen) amplificaret. Sed nihilominus Hieronymi constantiam æquè detexit; audita ab eo sententia absolutionis, sine vlla turbationis nota, doloriſvè; hoc solum verbum edit, *præstat pati in hac vita quam in futura.*

X. In eodem Capitulo relatum video de noua fundatione oblata Matriti, quæ nostros Monachos Curiæ præsentaret: conferente ædificium, quamuis exiguum, illustri viro. . . . . de Peralta; atque ædificio Ecclesiam continuatam paulo ampliorem, sed infra Ordinis, & loci grauitatem. Demùm mediocrem dotem reditusque vnde Monachi possent sustentari.

XI Disceptatum vtrinque de conuenientia, variis hinc inde rationibus propositis: & tandem conclusum maturo omnium iudicio, nemine discrepante (nam sic Acta loquuntur) non admittendam: quod habitatio Curiæ nociua Monachis, & contra primitiuas Cistercij leges, multis & grauibus incommodis subesset.

XII. Demùm qui inquirerent in Reformatorem, duo Petri electi, Medranus, & Munozius: ille qui sancti Petri apud Gumielem agebat Abbatem, hic qui tunc præerat Ecclesiæ Morerolensi.

XIII. Eodem anno Malachias Assius Hortensis Monachus, quique ex Priore eiusdem Monasterij, & Abbate Armentariæ, ante annos aliquot, à Philippo secundo Rege Catholico ad Abbatiam Rotensem in Aragonia, quæ tunc perpetua erat, primò assumptus; mox titulo Episcopi Vticensis, seu de Biserta in Africa donatus fuerat; in Ecclesiam Iacensem præsentatur ab eodem Philippo; quem annis vndecim egregiè administrauit.

XIV. Fine anni decessit Reformator Petrus de Villalobos Valliſoleti, in ædibus Congregationis, non leue desiderium sui relinquens. In deductum funus ad Palaciola condignam muneri accepit sepulturam. Fuit Petrus statura pusillus, animo ingens doctrina & pietate commendabilis, ingenio acri, & eloquentia viuida; sed cui id vnum vitio dari poterat; quod se, ob exigui corporis defectum, aliis esse contemptui sæpè timebat; & cum timeret, rarò dissimulabat.

M.D.XCVI. XV. Intrante anno M.D.XC.VI. mortem Reformatoris cœtus Consiliariorum sequutus est; & decretum communi consilio omnium, præstolandum Capitulum generale, quod iam instabat; atque interim tradendas habenas Ordinis fratri Athanasio Morante, consiliario antiquiori, & quem cæteri Patrem reuererentur. Atque ille quidem rexit per duos menses, plus minúsve: sed post illos & ipse etiam sublatus, fratri Gaspari Gutierrez reliquit onus. Qui & ipse priusquam Capituli tempus aduenisset, à Rege Catholico, ad Abbatiam Oliuæ præsentatus quæ in Regno Nauarræ morte Franciſci Suarez tunc vacabat, nostris aufertur. Itaque intra paucorum mensium spatium quatuor Reformatores sublati sunt; tres per decessum, quartus per discessum: illi Athanasius, Franciſcus, Petrusque; alter qui bis officium peregisset, alter qui semel, tertius qui nondum trienniũ consummauerat: hic Gaspar, qui substractus nobis est, vt Ecclesiæ Oliuensi extra Congregationem præficeretur. Verùm nondum obtenta gratia Pontificis, & præsidere potuit vsque ad Capitulum, & in eo suffragari, quod legibus nihil in hac parte prouisum esset.

XVI. Die quinta Maij congregatur ex more Synodus: nisi quod tamen, qui domum egrederetur, vt suffragantes liberos relinqueret, quia neque Reformator, neque eius loco Præses electus fuerat, hoc tantum vice, quantum ex libris constat, nullus fuit. Ingressis ergo locum cunctis vocalibus, & celebrata Missa de Spiritu sancto, vt moris est, cum nullus esset, qui cæteris præiret, (nam Gasparem Gutierrez venerabantur Patrem, amabantque; tamen ab homine statim discessuro parùm sibi timebant, aut sperabant) solo Spiritu sancto, vt par est credere, suffragia omnium ducente, diffinitores Abbates electi sunt, idem Gaspar Gutierrez Montis-rami, (quippe officium finiendum cum Capitulo, præsentatio impedire nequaquam poterat) Fr. Ambrosius Lopez Montis-salutis; Fr. Athanasius Corriero Vrsariæ, & Fr. Barnabas de Benauides Montis-Sion. Vnus ex cunctis Athanasius Corriero fuit, qui positiuè quidem, neque id semel, decessit tamen sine honore Reformatoris. Visitatores eiusdem authoritatis, Fr. Hieronymus Hurtado Vallis-Ecclesiarum & Monachus, & Abbas, & Fr. Iosephus de Zuñiga Hortæ Monachus, & tunc Abbas Collegij Complutensis. Demum Consiliarij non inferiores, F. Maximus de Medina Montis-feri, Fr. Lupus de Leon, Superati, Fr. Antonius de Cuesta sancti Claudij Abbates, atque Magister tunc iuuenis ætate, sed doctrina, & prudentia longè excellens, Fr. Petrus de Lorca, qui sacram in Collegio nostro Theologiam, sed iam exteris etiam suspiciendus, in Complutensi Theatro profitebatur.

LXX.

BARNABAS DE BENAVIDES REFORM. XIX.

I. Propositi eligendo Reformatori Fr. Antonius de Cuesta, & Fr. Barnabas de Benauides; hic Vallis Ecclesiarum Monachus, ille Matæ-planæ. Et ille quidem, vt iterùm propositus, ità relictus iterum: hic integra adhuc apud omnes gratia, cunctorum ferè plausu electus est, vir plane Sanctus; & qui si signa externa non nimium fallunt, primitiuos reddebat Cistercij Patres. Adeo plerumque viri Religiosi in meliora propendent sibi relicti: neque vnquam deuiant, nisi cum dicuntur; seu verius seducuntur à potentioribus. Quippe his, ex aliorum obsequio, maior audacia; neque minor libido ostentandæ potentiæ, quam retinendæ. Et dum neutrum in bonis consequi possunt, conuertuntur ad prauos, quos vel per spem alliciunt, vel metu terrent. Nulla Synodus hactenus, conspecta, quæ digniores elegerit; nulla quæ ius & æquum magis seruauerit. Qui hactenus per gratiam dominantium contra merita proprie; promouebantur, sine honore relicti: quos inuisos fecisset iustitiæ zelus, nec seruile ingenium; rebus administrandis præfecti sunt: quod ad distributionem Ecclesiarum etiam extensum, optimos quosque eximiè lætificabat.

II. Turbabat pacem totius Congregationis Procuratorum, qui nomine Conuentum ad Capitula generalia veniebant, præmeditata electio, quæ singulis trienniis, in singulis Ecclesiis, celebrabatur. Eæ electiones nociuæ sensebantur, & bono publico, & ipsis electoribus. Illi nimirum, quia in partes diuidebant ipsos vocales; tum quia sæpius Conuentus ab Abbatibus; neque semel Abbates Conuentusque, à Reformatoribus ipsis alienabat: his, quia suffragia plerumque vertebantur, in ipsorum perniciem; dum nullum eligunt, quin plures offendant; neque solum ambientes, sed fautores. Semper Reformatorem, semper Abbates inclinare in aliquos; quibus frustrati sæuiant in electores. Vtile esse suffragium suffraganti, si pro arbitrio feratur: sed quid prodesse, si ad arbitrium alterius ferendum sit? quid si concitandæ imperantium offensiones? Cæteras ferè omnes familias sacras, ob hæc incommoda, (nam per omnes serpserant vitia magis naturæ, quam singularium) suppressisse hæc officia: nostris vt ea supprimere non audeant, moderanda venire, seu corrigenda.

III. Placuerat, retentis Procuratoribus, eorum electiones de medio tollere; & duos, vel quatuor, pro numero Conuentus designari à Capitulo intermedio, ad singulas Ecclesias, qui inter se sortirentur procurationes. Sed lege lata, atque in Actis iam scripta, subscriptaque; ante promulgationem emersit scrupulus; nominandis per Reformatorem, & Consiliarios, qui officia sortirentur; nullum influxum, remanere apud Conuentus; nullam authoritatem, nec posse facilè subdi Reformatori, in quem omninò nihil influxissent. Relinqui cuncta arbitrio dominantium; quo quid deterius? nam proximum tyrannidi inueniri, vbi nihil omninò subditis licet. An adeò parum potest Reformator in Abbatum suffragiis, vt egeat aliis, quæ ipse solus eligat? Aut Reformator vllus inuenietur, qui ex quatuor Consiliariis, non duorum obsequium acquisierit? Manere integra electionum nocumenta; electores tantummodo variari: & quæ in corporis membris sæuiebant, ad capita translata, totam familiam acerbius infestatura. Parendum cunctis Generali Reformatori, aut diuidendos inuicem; nec tollerandum iugum, si cuncti pareant; nec si non pareant scandala emersura, aut euitari posse, aut præueniri. Quæ semel scripta fuisset lex, prorsus cessauit; nec promulgata est, & testata inuenitur in ipsis libris. Adeo in illo Capitulo consultum, ne quid cum scrupulo, aut sine certo consilio innouaretur.

IV. Relatum deinde de Abbatissis Sanctimonialium, atque iussæ vacare cum Abbatibus, nec re eligi posse; & nominandas arbitrio Diffinitorum, quæ proponi deberent, pro aliarum, quæ successuræ essent subrogatione. Integra potestate Generalis, si in medio triennio vacauissent, vt ipse solus, quas vellet nominaret. Qui Prioris officium expleuissent in aliqua Ecclesia, in Abbates eiusdem immediatè proponi, lege prohibiti: ne spe, vel metu instantis electionis, disciplinam laxarent; aut potestate, ad hunc finem, abuterentur. Collegiis singulis assignari iussi Vice-Magistri, (*Magistros de Estudiantes*, vulgus appellat) qui lectorum absentium, aut infirmorum vices supplere possent: & semper assistentes certaminibus, arguentes dirigerent, difficultatesque ab eis propositas, quantum maximè possent, promouerent.

V. Hæc, & id genus alia satis vtilia promulgata in Capitulo, Reformatoris, Diffinitorumque, non mediocriter zelum commendarunt. Accessit, & Abbatum, quos renuntiarunt, grata cunctis electio, quæ cæterorum quos propositos Conuentibus, occultabat secretum; condignitatis, non leue indicium fuit. Quippe Salmantica celebrem Magistr. Ludouicum Bernal-

dum, Complutum Petrum Lorcam non minus celebrem, accepere Pastores; per quos doctrina simul, & pietate, qui in eis nutriebantur, promouerentur. Fuit etiam huic Capitulo glorioſum; quod Fr. Ioſephum Garciam Ferrarienſem creauit à ſecretis Reformatoris; virum apprimè doctum, & verſatum in vtraque Theologia; & cuius monumenta aliqua extant, de quibus, & de ipſo, qui plura volet, facile apud Henriquez in Phœnice videre poteſt. Hæc in Capitulo.

VI. Hoc ipſo anno è Collegio Meyritano, quod ſex ante annos dicatum Philoſophiæ, ſiue Artibus, vt vocant; in eiſdem ſtudiis fœliciter vſque hodiè perſeuerat; qui diſcerent Theologiam XVII. Collegæ prodierunt: è quibus hactenus (nam viuunt adhuc aliqui) tres generales Congregationis, & tres Epiſcopi, Archiepiſcopi duo, duo Abbates perpetui, duo publici profeſſores ſacræ Theologiæ in primis Cathedris Salmanticæ & Compluti; vnus qui Regi à ſacris Concionibus, & Calatrauæ Prior; alter Pro-Rex Cataloniæ prodierunt. Vix dignitatibus perſonarum numerus ſufficit, niſi quod aliqui pluribus ornati, reliquis triennales Abbatias Congregationis, atque alias illius functiones, à quibus vix immunis vnus aut alter, non ſine laude exercendas reliquerunt. Atque hoc nobis notare viſum eſt, quia verè vbique rarum; ſed in familia omninò Monachali, id eſt, omninò ſegregata à ſæculo, & deſerta habitante, forſan ſine exemplo videri poteſt.

VII. Hoc ipſo anno, graſſante per Gallæciã fame, peſtéque, quæ multa hominũ millia conſumpſere; opulentia Vrſariæ, largitaſque ſupra modũ enituit, & qui tunc illi præerat Abbatis Fr. Amdroſij Lopez eximius zelus. Ad valuas Monaſterij ſupra mille, in propriis domiciliis ſupra quingentos, expenſis Monaſterij ſuſtentari, per annum integrum Regnum illud vidit: mira erga peſte infectos ſolicitudine, ne quid illis deeſſet, quod ad vtramque ſalutem facere poſſet. Extat Epiſtola Philippi II. Regis per manum filij ſcripta, ad eundem Abbatem, quam, teſtimonium egregium totius facti, non pigebit ad litteram reſcribere:

EL REY.

Fray Ambroſio Lopez Abbas del Conuento de Oſſera, Don Luis Carrillo de Toledo mi Gouernador de eſſe Reyno, ha eſcrito el amor y charidad, con que acudis à remediar las neceßidades, que las gentes del padecen. Y aunque es muy conforme à vueſtra Religion, y a lo que ſiempre ſe entendio de vueſtro Religioſo y buen Zelo, me ha parecido muy conueniente aduertiros, que el cuydado, que eneſta buena obra haueis pueſto, le tengo en particuler ſeruicio; y lo ſera que aßi lo continueis haziendo el esfuerZo, que la neceßidad oßpidiere. Y aßi os lo encargo, y encomiendo mucho. De Madrid à diez de Marzo de M.D.XCVIII. Yo el Principe. Por mandado del Rey nueſtro Señor ſu A. in ſu nombre. Eſteban de Ybarra.

M. D. XCVII. VIII. Initium anni M. D. XCVII. funeſtum, & triſte, morte Magni Prioris Calatrauæ Ludouici Aluarez de Solis, qui quamuis ſenio & morbo dudum fractus, prudentia tamen, & zelo ſemper integer. Ingens ſui deſiderium reliquit omnibus bonis. Obiit Morerolæ, vbi & profeſſus fuerat, cum annos octo & quinquaginta egiſſet in ordine; viginti & octo in Congregatione; reliquos in Prioratu ſacri Conuentus, atque inclytæ Militiæ; quem per ſeipſum, aliquibus ex eis; reliquis per Stephanum Guerra, de quo ſupra, atque alios Monachos, quos eò ad hoc tranſmiſit, adminiſtrauit.

IX. Fuit inter nos bis domus Morerolæ, bis Superati Abbas, ſemel Rector Collegij Complutenſis. Congregationi præfuit ſemel & iterum; primò cum munere. Generalis Reformatoris, in quo per mortem Fr. Pauli Suarez, ſublati ante medium ſui triennij, ſubrogatum ſupra tradidimus: inde titulo Præſidis, cum Fr. Ioannes Guzmanius, fine ſecundi anni defunctus eſſet. Prioratui Calatrauæ (à quo cum poſt longam quatuordecim annorum vacationem, quæ laxata inuenit reformaret, exire compulſus eſt) quia neque aſſiſtere tutum iudicabat, neque abeſſe conueniens; ex quo ſemel diſceſſit, dicitur renuntiaſſe per annos ſingulos. Verum non acceptante renuntiationem Philippo II. ne ſuper noua Prioris electione, iterum contendendum eſſet cum Morimundo, dignitatem retinuit vſque ad mortem; renunciata Abbatia Fiterienſi, cuius à Rege habuiſſet præſentationem.

X. Fuit ſtatura procerus, membris conformis, facie ſubtriſti, non nihilque rigoſa, ſed veneranda; vbi flagitia gliſcerent, in zelum, quam in pietatem magis inclinans: cætera compaſſiuus, & miſericors; & cuius domus, ex quo quaſi ſui iuris eſt refertus telis ex lino, & lana ſemper referta, pauperibus tegendis, quos etiam cibo, & potu recreabat. Infirmis Monachis lautius procurandis, & ſacris veſtibus in dies inſtaurandis, reliquit Morerolæ reditus annuos, qui hodie perſeuerant; atque id genus alia monumenta, quæ longum eſſet in præſenti recenſere. Obiit ex puncticulario morbo die XXIX. Ianuarij præſentis anni, vltimus hactenus Prior Calatrauæ, qui id munus exercuit: aliàs, qui Titulares Priores fuerint, inſtitutione Abbatum

batum Morimundensium,ferè continua serie,quantum patiuntur locorum interualla,& bellorum incursus, perseuerant. Nec vero sacer Conuentus Priorem habet, ex quo non habet Monachum; (id vnum supereſt monumentum antiquitatis) sed per Administratores,vt vocant,siue Vice-Priores ex ipsis Capellanis,administratur,de triennio in triennium substituẽdos.

XI. Mense Maio Cœtus Consiliariorum congregatus, pro Fr. Antonio de Cuesta recens defuncto,Fr. Athanasium Corriero Superati Abbatem,magnæ haud dubiè authoritatis virũ subrogauit. Inde ad instantiam ..... de Peralta,& ad Monachorum,qui eremum non amabant,vt loquitur exordium, solicitudinem, relatum iterum de admittenda Abbatia in Curia Matritensi,quæ dudum repudiata ab anteceſſoribus,atque omniũ consensu damnata fuerat. Mirum est,quam diuersa plerumque sentiant, etiam qui benè sentiunt! in quam contrarias sententias distrahantur. Quæ paulo ante cunctis displicuerat, vt contraria instituto, Curiæ habitatio,cœpit aliquibus conueniens apparere. Et primo quidem veluti sub dubio, & conferendo magis,quam affirmando; mox ab ipsis quæ opponi dicebantur,quasi leuiora forent, resumptis viribus, à paucis asserta; tandem omnium iudicio est approbata.

XII. Fuisse nostris eremos in præcepto,quam non aliis in Vrbibus;nec viri religiosi,si quærerentur,nisi in desertis locis inueniebantur. Nunc post Franciscum Patrem,post Dominicũ, post Ignatium Loyola,cæteroſque,qui ad Vrbes adduxerunt familias sacras, nisi nos offeramus velut tractandos,mansuros ignotos; & deficientibus,qui vniuersi quærant,aut defuturos,si omninò nulli sint; aut si quoque admittamus sine delectu, breui à maioribus degeneraturos. Hac præcipuè de causa,licet non sola instituta Collegia in locis publicis, Salmanticæ, & Compluti, quæ egregios nobis viros conciliarunt. Quidni & admissa in Curia graui Ecclesia, & tenaci obseruantiæ, quæ in Collegiis nequit conseruari,multi plures adhæreant instituto, quod sibi proponant & in quo velint ad mortem perseuerare. Nihil magnum esse, in eremo solum viuere: facere sibi eremum in media Curia,id laude dignum fore,quod cæteri collaudent,& imitentur. Professione eremitas Augustinianos,& Carmeli cultores, vrbes incolere. Quid si nos inclinamus vnam aut aliam,non velut transfugæ,deceptoréſve; sed vt ex paucis habere valeamus, per quos deserta impleantur, & conseruentur? Tum si negotia non semel tractanda sunt, quod vitari non potest,quanto decentius, qui ea expedire venerint,intra claustra manebunt,quam in hospiciis?vbi ex conuersatione, maius periculum;& si casus contingat,maius scandalum; neque est, qui medeatur, sed qui diuulget?

XIII. Abbatia Matritensis admissa est, etiamsi locus arctus, humile ædificium, atque reditus tenues,quamuis alia inuitarent,terrere possent. Erant qui dicerent,acceptatam domũ, vt Fr. Barthol. de la Canal Mata planensis,vir aliàs pius & grauis,qui in Abbatẽ propositus, nihilominus à Conuentu relictus fuerat,illi Abbatiæ saltem præficeretur. Adeo nihil omninò tam Sanctum est,quod hominum non pateat criminationibus! Extat Bulla erectionis Abbatia expedita ante mensem, in qua approbantur facta per Reformatorem ante Capitulum, non secus ac si in eo decreta essent. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXVIII. mensis Martij, anno M. D. XCVII. Hæc Abbatia,sicut & Complutensis,Salmanticensisque, in Capitulo eligitur, in quo etiam electus confirmatur. *S. Annæ Matritẽsis fundatio.*

XIV. Cum super filiationum visitatione,quæ in Monialibus solis conseruabantur,legibus antea latis neutri acquiescerent,aspirantibus semper Reformatoribus ad ordinariã,& plenã visitationem; è contra Abbatibus,omninò recusantibus,se in illarũ regimine Reformatorũ iudicio subiacere,sed appellandã sedẽ Apostolicam,si in aliquo excessissent: Reformator petiuit à Cardinalibus Congregationi Regulariũ deputatis,quatuor dubia decidi,seu declarari. Quæ tamen in fauorem eius decisa, imò & Visitatorum, de quibus hactenus nullus dubitauerat;quia sine audientia partium extorta sunt, nullum eis præiudicium inferre visa. Quare quod attinet ad Visitatores, prætermissum omninò; cætera dubia vt antea relicta sunt: & si quid, vi eorum effectum est, cassum & irritum continuò est declaratum.

XV. Sequenti anno M.D.XCVIII pacata omnia,& quieta:neque quid video in Capitulo intermedio,quod mense Maio celebratum pro more est,his Annalibus dignum Electi visitando Reformatori, duo viri illustres, Fr. Ambrosius Lopez Vrsariæ Abbas, & Fr. Didacus de los Reyes Montis-rami; ille Vallis-paradisi, hic Spinæ Monachus. Illud etiam nec leue, nec exiguum circa hoc tempus accidit,quod non licet silentio præterire Monasterium Monialium in Gallæcia, *de Ferreyra* vocatum, quod ab initio suæ fundationis Abbati Meyræ paruit,petentibus Monialibus,atque Abbate & Conuentu Meyritanis,præstantibus consensum, ab eiusdem Abbatis potestate exemptum, atque Reformatori subiectum est: quasi à quo, quanto maiori authoritate, tanto melius regendum speraretur. Et credebatur exemplum transiturum ad alias filiationes, S. Columbam nimirum,& Bonum-fontem: quod etsi cum membrorum detrimento, Capitis dignitatem amplificaret. Sed posterior ab Hortæ M. D. XCVIII.

charitate nunquam auelli potuit: Prior in fide Matris Morerolæ nonnihil fluitauit, vt infra dicam (adeo nocent exempla) sed tandem mansit. Et Meyræ quidem ab extraneis habitatæ (id est, à Monachis aliarum Ecclesiarum, qui litteris vacabant) consensus facilis: Morerolæ, Hortæque, quas proprij filij habitant, vix, aut ne vix extorquendus sperabatur.

M.D.XCIX. XVI. Sequitur annus M.D.XCIX. in quo ex more dies V. mensis Maij Synodum generalem accepit in Palaciolis; non minus ex iudicio, quam præcedens, neque minus conformis, atque pacifica. Quippe vnico tantum Reformatore, qui cæteris præiret; eoque adeo modesto, & Religioso, vt insinuare quæ meliora putabat, satis haberet: persuadere omninò recusaret, nedum compellere. Qui præeminebant ad officia electi sunt, non fauore, aut potentia, sed solis meritis. Ex Abbatibus duo primi Diffinitores, qui Generalem paulo ante visitassent, Ambrosius Lopez, & Didacus de los Reyes. His additi duo alij non inferiores, Fr. Hieronymus Hurtado S. Claudij, & Fr. Petrus Muñozius S Martini, ille Vallis Ecclesiarum professus, hic Morerolæ. Visitatores æquales authoritate, Fr. Michaël Ximenez Abbas Hoyæ, & Fr. Vincentius Encalada Abbas Nucalium. Consiliarij per omnia cæteri similes, Fr Bartholomæus de la Canal, quam primum Matritensem Abbatem superius diximus, Magister Fr. Ludouicus Bernaldi Salmanticensis, Fr. Iosephus de Zuñiga Abbas Hortæ, & Magister Fr. Ioannes Lupus Morerolensis, qui tunc Salmanticæ docebant sacram Theologiam.

LXXI.

AMBROSIVS LOPEZ REFORM. XX.

I. Propositis pro eligendo Reformatore duobus primis, quos modo dicebamus, Diffinitoribus, Fr. Ambrosius Lopez assumptus est, in Valle-paradisi olim professus, quem morum grauitas, pietas eximia, in filios charitas, in pauperes externos munificentia supra cæteros alios commendabant. Hic cum censeret laborari legibus, forte magis, quam vitiis; & latas hactenus, si exactè obseruarentur, Monastico rigori satis esse: Soli potentiæ voluit ponere modum, quod tunc maximè potuit, cum nulla prævalebat, quæ impediret. Præceptum itaque, nec ex qualibet Ecclesia plusquam quatuor Abbates (nam nullus antea præscriptus numerus erat,) eligi possent. Reliqua omnia immutata per manserunt; atque integræ leges; si obseruentur, nunquam defectuosæ; si violentur, superfluæ; atque sæpe nociuæ, si inflectantur.

II. Nullum non bonum sperari potuit sub tali, ac tanto Patre, si diutius cum habere meruissemus: sed vix dum datum, eripuit acerba mors in Valle paradisi, propria domo, cum illuc adueniisset, natale Christi cum suis celebraturus. Obiit in die S. Ioannis Euangelistæ, vix verè pius, & Sanctus, de quo, nam corpore exiguo notabatur, merito Poëticum illud dici poterat:

Magna sub exiguo regnabat corpore virtus.

Obiit autem cum luctu bonorum omnium: & solum non dolentibus, si qui licentiosius ambulantes timebant sibi à zelo viri Sanctissimi.

M. DC. III. Anno M. DC. incipiente, in vndecimam diem mensis Maij Synodus generalis indicta est, non sine magna multorum turbatione; quod tanto Patre pene orbi ante, quam filij, vix alium similem inuenire possent, quem Patrem & Pastorem sibi deligerent. Conuenere tamen die præsignata in loco consueto; & Missa celebrata, vt moris est, electiones plausibiles satis sequutæ sunt. Diffinitores de numero Abbatum, Fr. Barnabas de Benavides Salmanticensis, Magister Fr. Ludouicus Bernaldo Spinæ, Fr. Alphonsus de la Puebla Vallisparadisi, & Fr. Vincentius de Encalada Montis-rami. Consiliarij (nam manebant Visitatores) Fr. Didacus de los Reyes S. Claudij, Fr. Batholomæus de la Canal Matæ-planæ, Fr. Hieronymus Hurtado Vallis-Ecclesiarum, & Fr. Mathæus de Naua Hortæ Abbates.

LXXII.

M. FR. LVDOVICVS BERNALDO REFORM. XXI.

I. Ventum deinde ad electionem Reformatoris; & propositi duo, Fr. Batholomæus de la Canal, & Fr. Magister Ludouicus Bernaldo de Quiros Matæ-planæ ille, & Monachus & Abbas, vt hic Spinæ. Præcellere vterque credebatur, Batholomæus eximia pietate, Ludouicus doctrina. Prælata hæc: & Fr. Ludouicus electus, primus ex nostris, qui in Academia Salmanticensi, Magisterij laurea meruit honorari: nec minus primus qui in Congregatione Magister laureatus ad Summam præfecturam promotus fuit: nam qui præcesserant, Magister Cyprianus, & Ignatius Iberus, expertes huius muneris; reliqui omnes Ludouicū sequuti sunt.

II. In hoc Capitulo multa nouata sunt, zelo Reformationis, an animi fatali facilitate? nam

vtrumque

vtrumque erant, qui interpretarentur, maximè in Ludouico; & siue ex hac, siue ex illo ortum habuerint, facile turbauerunt multorum animos. Quicumque obiissent munus Reformatoris, Consiliarij perpetui creati sunt; quasi quò maior illis notitia subest rerum Congregationis, eò possent exactius conciliari. Decreta domus Monastico rigori, in qua præ aliis antiqua disciplina & primitiuum Cistercium obseruaretur. Quæ non à multo tempore permissæ, nisi in Collegiis tantum, vltra modum creuisse videbãtur, eleemosynæ, vt vocant Monachorum, (quamuis sub manu Abbatis, nec sine eius licentia expendi possent) relegatæ omninò, nulli vltra permittendæ sub quouis titulo. Animi laxamentis modus impositus, orationi laxatus, productusque: & pro duobus quartis horæ partibus, quæ antea insumebantur, Hora integra iussa subrogari Hæc & similia promulgata in hoc Capitulo, multorum Reuerentiam, & obseruantiam; sed aliorum inuidiam concitarunt.

III. Nam reformatio, si necessaria est, cur non ab omnibus veniat amplectenda? Quod si fortè pro tempore non congruit, cur vna domus instituenda sit, quæ cæteras condemnet? & dum eas incussat remissionis, ipsa singularitatis notam incurrat? Singulorum Monachorum eleemosynas, si ipsorum arbitrio dispensentur, paupertati nociuas: cæterum dispensandas per Abbates, & de eorum licentia, nulli incommodo prorsus subiacere: Quippe quæ subleuant priuatas necessitates, sine onere communi; & quæ nihil aliud reputandas, quam bona Monasterij, singulis, provt quisque opus habuerit (vltra ea, quæ cunctis) distribuenda. Non Monachos eleemosynis priuari, sed Ecclesias, subsidiis ad hæc leuamina; quibus si careant, quando Abbates dabunt, qui vel de necessariis plerumque subtrahunt?

IV. Orationem mentalem prorogandam, vbi vocalis deficit; aut relegato cantu, breuiatur: ast vbi dies insumitur in Choro, atque diebus continuantur integræ noctes; vix esse tolerandum, si quid addatur. Non ignorasse Parentem Benedictum, quæ inconuenientia pariant ista grauamina: quibus ditandis in regula præcepit, orationem semper in Choro esse breuiandam. Tum si hæc omnia alterius inuentum essent, qui cuncta religiosè seruauisset, aut seruaturus deinceps speraretur; tollerabilia vtcumque. At Ludouici, in Collegiis educati, in Collegiis victuri, vbi maiora plerumque laxamenta, Chori occupatio nulla; atque eleemosynæ cunctis permittuntur; Ludouici, qui aut habuit, aut quæsiuit Magisterij stipendia, quæ primum daret, deinde recepturus; supra omnem patientiam inueniri. Hæc primùm furtim, & tantum in occulto: at postquam plures in eodem sensu reperti sunt, palam, & in aperto, modestissimus quoque proclamabat.

V. Neque minus displicuit prima lex, quæ semel functos officio Reformatorum, Consiliarios perpetuos constituebat. Nam quæ maior tyrannidis occasio, quam perpetua potentia? aut quid magis alienum à primis legibus, quæ vel recens vacantes, cum maior illis omnium notitia subest, ab omni officio volunt esse excluſos? Nihil magis contrarium subditis esse, quem si omnia ad potentes transferantur. Tentata ante triennium relegari Monachorum suffragia, in Procuratorum electionibus; quod quamuis intermissum, redire posse; & si semel obtineat, inde ad Abbates etiam transiturum.

VI. Prodierat tum recens ad vsum omnium Methodus curationis animorum, non contemnendum opus, quod Magister Fr. Hieronymus Dellamas, cuius memini supra, vulgauisset, cum titulo nihil honorifico, & effigie authoris; quod aliqualem vanitatem redolens, modestissimi quique condemnabant. Iussus est liber quantocius retineri, donec modestior titulus, & sine effigie authoris restitueretur. Atque hoc etiam aliquibus displicuit; quasi multa impedienda antequam fiant, quæ semel facta veniant toleranda. Dispersa iam per orbem exemplaria, reuocari non posse; quæ si permaneant, mutationem in aliis fore inutilem, quandiù quæ reprobata, quæ permissa, nullis omninò signis dignosci valeant. Et erant qui non zelo, sed inuidiæ adscriberent mandatum: Adeo semel turbatæ hominum mentes, omnia in deterius solent interpretari.

VII. Consiliariorum Synodus hoc anno velut non necessaria, cessare iussa. Nempe soluto Concilio generali sub finem Martij, quæ præcessissent, in eo tractata sunt; quæ sequerentur, videbantur commodè posse in Maium anni sequentis reseruari. Demum visitatores requisiti, an visitare vellent, an suo iure sponte renuntiarent? quando pro duobus annis, qui restabant triennij, sufficiebat visitatio Reformatoris? Vltro se abdicare professi sunt: quod aliqui ad modestiam retulerunt; alij, cum gratia noui Reformatoris vterque polleret, quasi vellet vterque illi succedere, aut statim ab impedimento se expedire, factum per ambitum interpretabantur. Et profuit Fr. Vincentius de Encalada, qui de facto successit, vt statim dicam.

VIII Fine anni, cum primaria Sacrorum Bibliorum cathedra, Magistri Ioannis Alphonsi Curielis promotione ad Vespertinam, Salmãticæ vacaret, Ludouicus Bernaldo subscribit oppositioni; tanto cum omnium plausu, acclamationéque, vt Fr. Augustinus Antolinez Augu-

ſtinianus, & tunc Auguſtinianæ in Caſtella prouinciæ caput (qui poſt eandem cathedram, mox primariam adeptus, inde in Epiſcopatum Ciuitatenſem, ac demum in Archiepiſcopatum Compoſtellanum aſſumptus fuit) cum Prior ſubſcripſiſſet, timens ſibi de euentu, vltrò deſtiterit: & virum ſatis ex ſcriptis ſuis celebrem, ſed viua ex voce longè celebriorem, Magiſtrum Fr. Ioannem Marquez ſubſtituerit, qui minori diſpendio ſuæ familiæ, imminentem repulſam toleraret. Neuter tamen potitus cathedra eſt, ſuperueniente Martino de Peraza, tunc Carmelitano, olim Monacho Hortæ, & qui ibidem profeſſus, inter noſtros nutritus, & educatus, Theologiam primò Compluti didiciſſet, mox in eodem Collegio Complutenſi Concionatoris muneri vacaſſet, non ſine plauſu, & laude. Vnde cum Hortam redire iuberetur, ad carmen declinans, & in eo, quali quali titulo admiſſus; poſt longam litem noſtris reſtitutus, continuo à Monachis Hortæ dimiſſus fuerat, vt in qua mallet approbata Religione, quod ibi non expleſſet, profiteretur. Numero ſuffragantium ſuperarunt Ludouicus, & Ioannes; ſed cum ad curſus, atque qualitates deuentum eſſet, (nam hæc omnia veniebant in ſcrutinium) excedebat Martinus; Ludouico ſecundo remanente, & Ioanne vltimo. Creditum eſt, irrepſiſſe fraudem regulationi: & conſtitere ex proceſſu, duo ſuffragia, quæ non comparuerunt in ipſa vrna; cum exceſſus Martini ad Ludouicum tam modicum extiterit, vt quouis minimo potuerit ſuperari.

IX. Per idem tempus, peruenisse ad noſtros vidimus patentes litteras Reuerendiſſimi Abbatis Ciſtercienſis, Edmundi à Cruce, conuocatorias ad generalem Synodum, quæ ſequenti anno Ciſtercij celebranda pronuntiabatur. Et præſentabat eas Monachus Gallus, qui ſe ad hoc ſolum ex Ciſtercio miſſum aiebat. Sed ſiue fides nuntij noſtris dubia, quippe imparis numeri; ſiue in curia in Abbatibus citandis (nam & hac laborauit) illi obſtiterit; ſeu demum noſtri allegarent præſcriptionem, aduerſus hæc mandata, nullus omnino in Galliam miſſus fuit.

M. DC. I. X. Anno M DC. I. prima die Maij, Conſiliarij congregati in Palaciolis, Fr. Barnabam de Benavides Reformatorem emeritum, & tunc Abbatem Collegij Salmanticenſis, iuxta legem in Capitulo generali proximo latam, ſocium & conſuffragantem admiſerunt. Itaque hæc Synodus præter aliarum morem, Conſiliarios quinque, & Caput eorum Reformatorem ſextum admiſit. Et laboratum in ea plurimum eſt in expedienda diffinitione iurata de non admitendis ad conſilium aliis, præter quatuor Monachos electos per ſuffragia congregationis. Faceſſit & Capitulo negotium domus recolectionis, nam ſic vocabant; quam deſignandam Capitulum ſtatuiſſet; non tamen hactenus eſſet deſignata. Prorogatione vtendum cenſuere Patres, in Synodum ſequentem: atque hoc conſilium, qualecumque fuit, à multis eos expediuit difficultatibus. Cætera quieta & pacifica apparuere; occultata, & latente offenſione, quam multi concepiſſent, quò tardius, eò potentius eruptura. Viſitando pro more Reformatori deſignati Abbates Spinæ & Riui-ſicci, quorum nomina in actis non exprimuntur; nec nos meminimus.

XI. In Valle paradiſi obiit hoc anno Conuerſus, ſeu Donatus, (ſic enim nominamus, quos votum obedientiæ ſimplex tantum conſtringit) nomine Didacus, multa pietate, ac religione clarus; quem quarta die Maij commemorat Henriquez in Menologio. Matriti in Monaſterio S. Annæ, adhuc recens erecto, Capitulum, vt vocant, generale Militiæ Alcantarenſis celebratur, multis, & ſatis grauibus ſeſſionibus, quæ per annum plus minus protrahuntur. Eccleſia eadem in futurum deſignatur, pro eiuſdem Militiæ congregationibus: frequentante militia Galatrauæ Eccleſiam Virginum eiuſdem inſtituti (*la Concepcion Bernarda*) quæ illuc ex oppido de *Almonazil* tranſlatæ, breui in inſigne cœnobium creuerunt, & in dies creſcunt.

M. DC. II. XII. Initio anni M. DC. II. quæ paulatim ſcripſiſſent multorum offenſiones, cœperunt erumpere, neque prius ab his qui imperitabant cognitæ ſunt, quam ſe oppreſſos ſenſerunt illarum pondere. Subuerſæ antiquæ leges Congregationis, pro inſtanti Capitulo; & ſubrogatæ à Clemente VIII. aliæ penè omninò contrariæ, quas opportunè iuſſit promulgari. An eas Pontifex ſtabiles voluerit, & perpetuo manſuras? in dubio eſt; & probabile ſolum intendiſſe, in fauorem potentium inclinantes, ad menſuram reducere. Quod conſequi vix poſſet, niſi ad oppreſſos nimium deflexiſſet. Itaque cuncta, à paucis, & potentioribus, ad populum transferre; id eſt, ad vniuerſam Congregationem, atque ad Monachos eius, procurauit. Caſſata lex, quæ electionem Reformatoris, in medio triennij celebrandam, paucis permiſerat: & reſtituta generalis Synodus eſt, in qua per Abbates, atque Procuratores omnium Eccleſiarum eligeretur. Ablata item poteſtas Diffinitoribus reſtringendi perſonas, ex quibus ſolis prodiret Reformator, & Conuentus Abbates ſibi aſſumerent: atque indulta Conuentibus è contra, congregationique. Huic vt cum plena omnino libertate, tres primum habiles:

habiles; inde ex his tribus vnum designaret, qui fungeretur officio Reformatoris: illis, vt singulis tres alios proponerent per suffragia eligendos; ex quibus, neque ex aliis, Diffinitores Ecclesiis singulis Abbates prouiderent.

XIII. Tum vt electio tam Procuratorum, quam trium, qui in Abbates proponebantur, liberior esset, iussa in Abbatum absentia celebrari; nempe intra triduum, ex quo ad Capitulum generale profecti essent. Diffinitores, Visitatoresque, in Abbates proponi prohibebantur: illi, ne viderentur dignitates sibi ipsis assumere; hi, ne aut dum visitant, desint à suis Ecclesiis; aut dum illis assistunt, visitaturi. Vtrisque simul, Consiliariisque, ne pauci cunctis honoribus onusti, cæteri omnes vacui remanerent, indicta vacatio: atque id genus alia sancita sunt, & cunctis intimata, quæ Clemens Pontifex die XXXI. mensis Iulij antecedentis anni expediuisset; sed hactenus sub silentio seruata essent. Verùm hoc anno, instante iam Capitulo, promulgari iussa, electis à Dominico Gimnario Manfredoniæ Archiepiscopo, & Sedis Apostolicæ legato, cui omnium executio comittebatur, sex Monachis senioribus, qui Castellam, Legionem, & Gallæciam sedulo peragrantes, circuirent Ecclesias; & nouam formam ab omnibus seruandam, pro Capitulo instanti, notificarent.

XIV. Varie hæc decreta, vt noua quæque solent, accepta sunt; gratulantibus Monachis gregariis, quibus suffragia in quæstu; religiosioribus altè perpendentibus, quot mala inde sequenda: demum dolentibus cunctis potentioribus, in quos omnia reciderent; atque in primos motores acrius prementibus; soli qui impetrauissent, dissimulabãt. Seruata tamen omnia vt iubebantur: & Abbatibus profectis ad Capitulum, Procuratores primi, inde qui in Patres ad futurum triennium postulabantur, electi sunt: atque nomina horum illis tradita in Cartha sigillata, quam soli possent aperire Diffinitores. Videre erat Abbates in media via socios præstolantes, quos ignorabant: nec prouidentes sibi successores; sed inquirentes magis per coniecturas (neque enim publicum quicquam habebatur) in quos aliorum suffragia conueniissent? Ita sortes inuersæ breui sunt: & vt olim Conuentus ab Abbatibus, ita in his modo Abbates à Conuentibus dependebant per omnia; & eorum gratiam, veluti trepidantes, præstolabantur.

XV. In Palaciolis congregata Synodus est, quinta pro more die mensis Maij: ingresso domum ante omnes Capitulares illustrissimo Nuncio Apostolico, Dominico Gimnario, cum ampla facultate, vt quæcumque ad statuendas nouas leges, conducere videret, exequeretur. Lectæ in Capitulo litteræ Apostolicæ, atque acceptatæ sunt; plaudentibus per graue silentium cunctis, siue quod eas putarent expedire publico bono: siue quia vbi obedire necessum est nulla maior prudentia, quam promptitudo.

XVI. Nemine publicè, aut priuatè reclamante, ventum ad officiorum electiones; quæ omnino condignæ; & tanta grauitate celebratæ sunt, vt sæpe dixerit illustris ille Princeps, eminentissimus postea Cardinalis, non vnquam sibi maiorem reuerentiam incussam hactenus, quamuis cum multis tum cœtibus, tum viris altioris dignitatis, & gradus, congressus esset. Diffinitores Abbates renuntiantur Fr. Athanasius Corriero Vrsariæ, Fr. Barnabas de Bonavides Salmanticensis, Fr. Batholomæus de la Canal Matæ-planæ, & Fr. Iosephus Garcias Complutensis. Visitatores Magister Fr. Ioannes Lupus S. Martini Abbas, & Fr. Bernardus Gutierrez Riui-sicci; illa nimirum, quem Curiæ Romanæ Procuratorem, magna cum laude supra memorauimus. Consiliarij nequaquam inferiores, Fr. Gregorius de Sanriago Monachus Hortæ, & Abbas Montis-feri, Fr. Vincentius de Encalada Nucalensis, tunc Abbas Montis-rami, Fr. Petrus Muñozius Morerolensi, qui præerat Matriti: Demum Magister Fr. Petrus Lorca, quem iam Theologiæ primarium Professorem in Scoti Cathedra Academia Complutensis venerabatur.

XVII. Tum pro duobus viris proponi solitis, eligendo futuro Reformatori, tres per congregationem electi sunt, ex quibus ipsa denuò, nisi forte à Legato præueniretur, quod non nulli timebant, quem aptiorem censeret, designaret. Placuerat Dominico Gymnario, ex Abbatibus duos; vnum ex reliquis eligi deberi. Quod aliqui in fauorem Petri de Lorca, tunc non Abbatis, in quem ipse inclinabat, arbitrabantur. Ergo in Abbatibus variatum non nihil est: etiam si maior eligentium pars Vincentium Encalada, atque Petrum Muñizium, vtrumque Consiliarium, nominauerit. In non Abbatem conuenere suffragia omnium: atque Petrum de Lorca (itidem Consiliarium) vnanimi consensu designauere. Quippe vel ipsi, qui nolebant Reformatorem, confitebantur dignum: nec facile inuenire erat ex non Abbatibus, qui posset eius merita adæquare. Hinc factum fuisse vulgo creditum est, ne Legatus, qui in Lorcam inclinabat (priuatis amicorum affectionibus, an publica, quæ pro illo stabat acclamatione) secundam electionem, ex his tribus faciendam, sibi arrogaret; sed ad congregationem totam deuolueret; quasi in illum haud

dubie propensuram, pro quo tantus excessus suffragiorum, præ cæteris duobus, fide-iussisset.

LXXIII.

VINCENTIVS DE ENCALADA REFORM. XXII.

I. Regulatis suffragiis per scrutinium, compertum est à multis Magistrum Lorcam ad hoc solum electum, vt relinquerent. Prodiit Fr. Vincentius Encalada Monachus Nucalensis, inquam, vtcumque potuit demonstrari, fauor antecessoris inclinauisset: & se deceptum legatus dissimulauit, quia non erat, cui posset imputare. Ita in hac Synodo, vtrisque partibus victis, neutræ victrices; dum turbata omnia videt, quæ prævalebat; quæ turbauerat Reformatorem accipit, quem timuerat pati, si non turbasset. Vnus tamen Ludouicus Bernaldus fuit, qui à Reformatoris electione, re vera sibi grati, temperauit mœrorem, quam ex cæteris aliis concepisset Pro Reformatore, in Consiliarium subrogatur Fr. Damianus de Lorenza, Nucalensis & ipse. Atque hæc omnia sub Dominico Gimnario, qui triduo Præsidens, cum omnium animos pacatos cognouisset, atque obedire in reliquis paratos; Abbatias, & si quæ alias supererant, Reformatoris, & Diffinitorum zelo permittens, Vallisoletum ad propria remeauit.

II. Ergo Abbatiæ distributæ inter propositos à singulis conuentibus, licet non sine scrupulo, quia quidam minus apti conspiciebantur: Præcedentis Capituli decreta, partim manere; partim reuocantur; partim seipsis paulatim exoluerunt. Quæ vni domui adstringebat recolectionem omninò reiecta: confirmata quæ orationi mentali in omnibus assignabat integram horam. De priuatis Monachorum eleemosynis, prætermissum est; atque ipsæ permissæ pristino more. In nouas leges multi perorauerunt, sed præcipuè in Abbatum postulationes, Conuentibus indultas: iniunctumque Vincentio Reformatori, vt in futuram generalem Synodum obtineret illarum, paucis tamen retentis, reuocationem. In his duarum aut plurium Dignitatum incompatibilitas admitti, & retineri iussa est: quod paucis suetis duplicia possidere, non nihil seuerum; reliquis adeo iustum visura est, vt ne qui oderunt, sint ausi reclamare. Itaque cunctis, qui ob officium incompatibile Diffinitoris, Consiliariive, siue Visitatoris, inhabiles habebantur ad Abbatias; priuilegia indulta, honoresque, per quos ipsis Abbatibus æquales, aut forte superiores haberi possent.

III. His grauioribus distracti Diffinitores, in reliquis paucissima innouarunt. Iussi tamen in singulis Ecclesiis Monachi designari studiosi, & industrij, qui præessent Archiuis, atque cuncta instrumenta ita disponerent, vt in promptu haberentur, si quando forte egerent præsentari. Institutum Concionatorum munus hactenus vagum, & indultæ exemptiones his, qui exercerent; præcipuè in locis publicis, Salmanticæ, Matriti, Complutique, atque in Monte-Sion, & Palaciolis; quod illa domus proxima Toleto, hæc à Vallisoleto non distaret. Demum cum declaratio Cardinalium pro visitandis per Reformatorem, atque Visitatoribus, Monialibus, quæ Abbatibus subessent, produceretur; neque illi consentirent Patres Abbates: velut pro bono pacis sancitum est, vt omninò reiectis Visitatoribus, filiationes à proprio Abbate semel, & iterum per Reformatorem visitarentur. Cæterum reclamantibus Abbatibus, neque hoc aliquod robur habere potuit.

M. DC. III. IV. Sequenti anno M. DC. III. sub finem mensis Maij celebratum inuenio cœtum Consiliariorum Vallisoleti, nulla alia re insignem, nisi quod mortuo Fr Francisco Bezerra Spinæ Monacho, qui erat à secretis Reformatori, Fr. Marcus del Varrio subrogatur, alterius Marci nepos, quem supra & Generalem Reformatorem, & pietate eximium memorauimus.

V. Hoc anno, à nobis, in Hiberniam profectus est, Fr. Thomas Lombardus, patria Vvatefordiensis, genere nobilis, Monachus Monasterij Superati, ingens, & validum in eo Regno subsidium cunctis Catholicis. Religionem triennio quo super vixit egregiè propagauit; vt non immerito ab incolis prouinciæ acclametur Apostolus, & inter celebres, quos habuit aliis temporibus, vltimus neque nimium inferior, commemoretur. Sunt qui eum ante annum profectum tradant, quod mihi dubium. Eodem obiit in Monasterio Montis-Sion Fr. Laurentius Sobrino, vir verè pius, atque Fr. Alphonso à Sancto Stephano apprimè familiaris, quam post biennium ad cœlos, post se traxit, vt nos etiam in tempore dicemus.

VI. Fr. Dionysius de Portugal, Antonij Lusitaniæ infantis filius, atque Philippi III. Consobrinus, cum ad Collegia Artium, vt vulgo vocant, discendæ Philosophiæ ergo, transmissus; & in examine pro more generali, quod parum in Dialectica proficeret, cum Monachis gregariis reprobaretur: ad Vallem-bonam, à Reformatore remissus est, æquitate iniqua, indignáque; quam nullis postea mediis, siue remediis, qui successerunt, satis emmendarunt.

VII. Sequenti

VII. Sequenti anno M. DC. IV. Capitulum intermedium celebratur in Palaciolis, die prima mensis Maij, in cuius item Actis parùm aut nihil est, quod his Annalibus dignum haberi possit. Qui pro Fr. Vincentio de Encalada, cum in Reformatorem promotus est, fuerat subrogatus in Consiliarium, Fr. Damianus de Lorenzana, abdicauit officium. dubium qua causa: id vnum constat, pro eo substitutum Fr. Athanasium Merino Abbatem Montis-rami, virum alias grauem; quem breui heu! defecturum quis putaret?

VIII. Solicitatus Reformator denuò, vt litterarum Clementis Summi Pontificis, quæ ante biennium publicatæ essent, in his, quæ videbantur non expedire, opportunam impetraret reuocationem; id se non hactenus perficere potuisse, testatus est: renuntiantibus Curiæ officialibus, intempestiuæ reuocationis difficultatem; nec expediendam cito, ne contraria mandata breue intra tempus, aut leuitatis, aut inconsiderantiæ argui possent. Responsum tamen, se ab illis accepisse, opportunam mittendam; & ad nos peruenturam ante Capitulum.

IX. Non multò post, visitata pro munere longe maiori parte Congregationis, in Monasterio Nucalensi obiit Fr. Bernardus Gutierrez, ex Vicario Ecclesiæ Toletanæ in Curia Complutensi, Hortensis Monachus, mox in Curia Romana Procurator perpetua laude dignus, inde Abbas, tum Hortæ, tum Riui-sicci, ac demum Visitator, ex operibus notus nostris, & exteris: sed notior adhuc futurus, illustriorque, si maius aliquid quod dudum absoluebat, de priuilegiis omnium Religionum, potuisset ante mortem prælo mandare. Memorat virum Henriquez in Phœnice, in anno mortis haud dubiè corrigendus.

X. Reuerendissimi Abbatis Cisterciensis Fr. Edmundus à Cruce aduentus in Hispaniam hoc anno contigit, cum litteris Clementis Papæ VIII continentibus totius nostræ exemptionis, ab eius obedientia, reuocationem. Datis Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XV. Ianuarij, anno M.DC. III. Ipse vero cum Cataloniæ, & Aragoniæ Monasteria hoc anno visitasset, ab ingressu Castellæ Nauarræque, per supremum Senatum interdictus, elegantem ad nostros scripsit Epistolam, seu mauis Apologiam, quam Oscæ hoc item anno publicauit, die XXV. Maij, cum iam Capitulum intermedium solutum esset: ad quod, si peruenisset haud dubiè reuerens, gratumque responsum, saluis nostris indultis, impetrasset. Verum cum Reformator, nihil facere auderet sine consilio; neque recens dispersos consiliarios, & reuersos ad propria, sine vllo interuallo reuocare; omnia Capitulum generale remittit, à quo nihil vnquam deuium, nihil non obsequiosum timeri posset. Sed interim, proh dolor! Obiit communis Pater Barchinone, longam, moram pertæsus; & supra grauem, & fragilem sanctam laborioſi itineris, & negotiorum fractis difficultatibus.

XI. Fr. Barnabas à Montaluo Montisionensis, historiam Cistercienſem hoc anno vulgat Hispano sermone: cum Fr. Bernardus Brito in Lusitania; in Italia Fr Robertus Rusca, in Belgio Fr. Ioannes de Assignies, idem ferè argumentum meditarentur; arduum singulis, & cui vel omnes simul vix satis forent.

XII. Finis anni & Triennij, casu Athanasij Merini turbidus fuit; quem in graui delicto comprehensum, Vincentius Encalada carceri primum, deinde graui pœnæ mancipauit: adempta illi vtraque Dignitate, Consiliariatus nimirum, & Abbatiæ; atque additis aliis publicis notis, quæ virum alias cupidum honoris, veluti desperatè præcipitarunt.

XIII. Erant qui culpam, integra eius fama, potuisse dilui, atque adeo debuisse, disceptabant. Nam scandalum, si ab alto descendat, impetu ferri, & quos obuios offendit, post se trahere. Minus ab imitatione deterrere timorem pœnæ, quam exemplum delicti post se trahat. Et quantò vtilius peccasse tantum virum ignoraretur? quantò efficaciùs ipsum reducendum, retento fræno honoris? Quod si semel excutiat, abiiciatve: à quo, vel qualiter valeat reuocari?

XIV. Reformatio Monialium Cistercienſium ad primitiuam normam, Vallisoleti hoc anno initium habuit, interuentu duorum Monachorum Vallis-bonensium, Gasparis de Vueda, & Augustini Lopez qui leges ad antiquum reuocarunt. Eas primum Nuncius Sedis Apostolicæ, Dominicus Gimnarius; mox Clemens Papa VIII. & Paulus Papa V. approbarunt. Constitutiones ipsæ, approbationesque, & quæ alia euenerunt reformationem ipsam concernentia, extant, & circumferuntur vulgata Vallisoleti, anno M.DC.IV. Cæterum de incremento reformationis, & Monasteriis, ad quæ extensa est in vtraque Castella, & extra Hispaniam, alibi à nobis dictum, quo nos remittimus.

XV. Romæ XIV. die mensis Decembris, expeditur indultum, partim confirmationis, partim reuocationis eius, quod ante quadriennium ab eodem Pontifice prodiisset; quibusdam aliis inter sextis legibus, neque vlla præcedentis facta mentione.

XVI. Confirmata est celebratio Capituli Generalis, etiam intra triennium, pro electione Generalis Reformatoris: Secundò, huius electio semper libera, neque restricta ad personas determinatas: Tertiò incompatibilitas officiorum cum Abbatiis; & tandem quartò vacatio ab vtrisque, quæ per triennium, vt ipsa perduraret. Reuocatur postulatio Abbatum Conuen-

tibus

tibus permissa ; & pro Reformatore, trium electio, ex quibus vnus postea, iteratis suffragiis, designaretur. Reuocata & lex, quæ præcipiebat Procuratores post discessum Abbatum eligi; quibusdam aliis additis, quæ nouam concernebant reformationem.

M. DC. V. XVII. Anno M.DC.V. cum hoc indultum ad Hispaniam peruenisset, atque acceptatum omninò à cunctis esset, Capitulum generale coactum est, quinta Maij pro more celebrandum. Affuit Palentinus Antistes missus à Rege, qui componendis animis, si quod forte dissidium emersisset, destinabatur. Verùm in mediis procellis nouitatum, cum videret pacatas omnium mentes ; frustra se missum fore testatus est, si non quam vidit modestiam & grauitatem, extolleret præconiis, atque Regi, à quo missus, notificaret. Id sanè semper nostris curæ fuit, vt si quid forsan humanum paterentur, quod animos diuideret, inter modestiæ tamen, & grauitatis cancellos concluſum, non solum exteros offendere non posset, sed ne à domesticis quidem, nisi per coniecturas, cognosceretur.

XVIII. Processum statim ad officia, & electiones, cum prius S. Prudentij Abbas, quod ante tempus præfixum lege venisset, à ferendos suffragio repulsus esset. Tunc renunciati Abbates Diffinitores, Fr. Petrus de Lorca Complutensis, Fr. Bernardus de la Cruz Morerolæ, Fr. Fulgentius Martinez S. Petri, & Fr. Thomas Salzedo Meyræ : Visitatores, Fr. Didacus Sanchez Riui-sicci, & qui in Capitulo generali antecedenti ad hoc minus electus non visitasset, Fr. Michaël Nimenez Abbas Hoyæ : Demùm Consiliarij (ac verè demum, quippe non alios congregatiò vlterius vidit, vt infra dicam) Fr. Barnabas de Benavides, & Fr. Athanasius Corriero, qui venerant suorum cœnobiorum Procuratores ; & Fr. Lupus de Leon, atque Fr. Bernardus Escudero Superati Abbatis, & Bellimontis.

LXXIV.

M. PETRVS LORCA REFORM. XXIII.

I. His electionibus ritè celebratis, pro ea, quæ iam instabat Reformatoris, indultum Apostolicum fine anni præcedentis expeditum, alta voce intimatur electoribus, præsente Episcopo Mox cum omnes vnanimi consensu, se obedire paratos pronuntiassent: datis suffragiis, atque in vrnam missis: deinde ab ea eductis, & Regulatis, Mag. Petr. de Lorca inuentus est, quẽ vnanimes omnes elegissent. Quippe Vincent. Encalada, & Ludouico Bernaldo, qui proximè antecessissent, ad id nittentibus; Barnaba Benavides non repugnante. Et vt ferebant, neutris, quia vellent : sed Barnabas, ingenio semper quieto, atque ad pacem composito, ne solus eam turbare videretur, consensit facile : Priores duo, cum dudum dissensissent, & neuter satis potẽtiæ suæ fideret: vterque, ne ab altero, si alium proposuisset, superaretur eum proposuit, à quo se non timebat posse fraudari. Ita qui ante triennium, quamuis legato Sedis Apostolicæ procurante pro ipso, repulsam tulerat: in hoc Capitulo acclamatus à cunctis est: & quod fœlicius adhuc, nulli deuinctus: quandiu nolentes ipsum elegisse, ne ipsi qui eligebant, dissimulabant. Et persuasum habebant sub Petro Lorca, nullã potentiã, nisi ab ipso emanantẽ, prævalituram.

II. Hinc in duobus, Vincentio, & Ludouico, duplex affectus inuicem contrarius, vt ferebant, subortus: Ludouico demisso ab omne obsequium, nec quicquam renuente, quod Petrus vellet : Vincentio è contra, pœnitente palam, quod Lorcã elegisset: & sibi audendum potius pro quouis alio ; aut potituro rerum, si prævaleret; aut nihil grauius passuro, si causa caderet. Inter quæ medius Barnabas, fortè quia potentiæ minus appetens, constantiam, aut habebat, aut præsentabat: eo ipso potentior apud Lorcam, qui alterius inuidiam respuebat: alterius abiectionem, aspernabatur. Ita qui res perspicacius attendebant, & taxabant liberius, singulorum affectus delineabant. De Vincentio Encalda constans fuit, siue morbo oppressum, seu variis agitatum cogitationibus, incidisse in delirium, quo vniuersum Capitulum turbauit: alienationis signis adeo parentibus, & si breui transierunt, vt ne exteris potuerint occultari.

III. In hoc Capitulo leges quædam latæ, zelo haud dubiè iustitiæ, & Religionis. Vt tam Visitatores generales, quã à secretis esset Reformatoris, abstineant à muneribus: atque abstinentiam iuramento præmisso firmentur: ne quod de obligatione dubiũ habere possint. Vt Magisterij laureæ, quæ iam frequentes, in contemptũ adibant, solus Capituli generalis gratia, nõ intermedij, neque Reformatoris concederẽtur. Vt quæ post annũ M D LXXXIV. leges prodierant, ad ordinẽ redactæ, correctæque, vulgarentur seorsim: his, quæ tunc prodierunt superaddẽdæ. M. Fr Dominico Astete Vallis-bonæ, Fr. Laurent. de Zamora Hortæ, & Fr. Dionys. Baraona Morerolæ (Fœlicis Meiritani cursus præceptori;) qui multũ in docẽdo laborauissẽt; vt in eodẽ munere, nec sine debito honore permanent, indulta priuilegia Diffinitorũ pro instanti triẽnio: quod tunc primũ inuentũ pro his tribus, pro aliis, posteri in exemplũ vsurparũt.

IV. Die XIV. mensis, antequã Synodus solueretur, Reformator proposuit Diffinitoribus, relegantes omninò Procuratores ; quorum electio, contraria paci, & quieti, in gente Monachis mala reportabat. Tollerandos fortassè hactenus fuisse, quandiu perneceſſarij vt subditis prospicerent:

proſpicerent:ne ſoli Abbates Capitulo aſſiſtentes,eorum iura in aliquo violarent. Nunc Abbatibus cunctis vocaturis,ad quid Procuratores? Quippe cuncti pro ſubditis curabunt,vt ſibi conſulant. Breuiari nimium ſuffragiorum numerum, ſi media pars tollatur. Sed hunc defectum,cumulatius poſſe ſuppleri, ſi his, qui officium Reformatoris geſſerint, Diffinitoribus, Viſitatoribuſque,ac Magiſtris emeritis, qui duodecim Lecturæ annos expleuerint, vox actiua, & paſſiua concedatur. Conſiliarios deinde ceſſaturos, ſubrogatis pro eis Diffinitoribus, qui per triennium durant:& cum hactenus illi quatuor tantum,hi vſque ad octo fuerint; facile promediari numerum poſſe;atque ſex viros eligi, qui vtrumque munus expleant; quod in aliis familiis vſu receptum, & inuentum ſalubre; ſine periculo ad noſtram transferatur. Aliud præterea bonum exinde ſequi, quod maximè conducat; ſi non tota potentia penes Abbates; ſi Abbatiæ à viris grauibus,authoritate ſalua,contemni poſſent. Si diſcant Monachi,non ſolum Prælatos, ſed etiam ſubditos reuerentia aliqua dignos: Demùm ſi Abbates, vel ipſis, quibus præſunt, cogantur obſeruantiam exhibere.

V. Dixit,& breuẽ eius propoſitionem tantus cunctorum plauſus ſequutus eſt,vt occaſione vtendũ deliberaueritatque alios viros graues conſulendos,Conſiliarios præcipuè,qui vel inconueniẽtia,ſi occurrerent,diſcutiẽda proponerent;vel ſi nulla inuenirẽt,maius põdus negotio ſuperadderent. Maximè ſupprimẽdo illo officio,in quo,niſi expediret,quãdo ipſi,qui exercebant,cõſenſum darent? Erant qui dicerent,non vt cõſulendos,ſed capiendos vocatos:& vt non poſſent poſtea contradicere decretis, quæ ipſorum Conſilio facta fuiſſent. Neque enim conſenſuros dubitabatur,iudicio,an reuerentia;quæ in initio triennij ſemper viget;in fine,ſæpe ſpe, vel metu inſtantiũ,aut tædio præcedentium,inuerti ſolet. Conſtat vocatos,poſt longã collationẽ omnibus cõſenſiſſe:& nullo penitus à tredecim ſuffragiis,qui conuenerãt,diſcrepãte,ſancitũ;vt generalia Capitula deinceps ſine Procuratoribus,per Abbates,& alios,vt propoſitũ erat,ſi Pontifex concedat,celebrarentur. Et prævaluit ſecretũ inter omnes,etiãſi multos;adeò vt reliquos penitus latuerit quæ Cõſilij materia? aut quid in cõfeſſu Decretũ fuerit?

VI. Miraculum tributum in hoc Capitulo,quod conflagrantibus domus officinis, maximè Refectorio; atque imminente incendio Clauſtro & Eccleſiæ, in quorum trabes flammæ ferebantur, impulſus aëris; ſacra Euchariſtia, è pyxide educta, & ſimul aëri, flammiſque oppoſita, repente illum repreſſit, has extinxit: integris conſeruatis ædificiis, quæ proxima incendio, velut ab eo abſumenda, deſperabantur. Refectorium reſtitutum in breui eſt,meliori forma, & maiori pulchritudine.

VII. Qui ante biennium in Monte-Sion obierat Fr. Laurentius Sobrino, intimo amico quondam & familiari Fr. Alphonſo à S. Stephano, eiuſdem domus Monacho, dicitur apparuiſſe in magna gloria; atque ab eodem fidenter interrogatus, ad quid veniret? reſpondiſſe, cum gaudio,vt eum ad cœlum,ex parte Dei,vocaret,intra dies triginta proficiſcendũ. Somniaſſe haud dubiè Alphonſus creditus eſſet, ſi non euentus viſionem confirmaſſet. Eadem die Venerabili & Religioſo viro Fr. Petro de Villanueua, (à quo iſta accepi) viſionem retulit; nec dubitans de eius veritate, quamuis diſſuaderetur, cœpit cuncta diſponere,non ſecus ac ſi morti proximus eſſet. Vigeſima tertia à vocatione die, in morbum incidit:& trigeſima conſumatus eſt,iuxta acceptũ reſponſum,cum amico in cœlis coronandus,vt pie credimus.

VIII. Obiit etiam Fr. Athanaſius Lobera Monachus Montis-rami, Regius Hiſtoricus, cum opuſcula quædam vulgauiſſet, quæ hodiéque leguntur: & maius opus (hiſtoriam Regni Gallæciæ) quod diu collegiſſet,ornaſſetque prope tempus vulgandam conſumaſſet.

IX. Anno M. DC. VI. prima die Maij, ex more, celebratur annua Synodus, in qua nihil relatum hiſtoria dignum. Menſe Septembri confirmatum eſt decretum generalis Capituli, à Paulo Papa V. pro futuri, & aliorum celebratione. Manſit tamen occulta confirmatio, vt manebat decretum: neque antequam ad impediendas electiones Procuratorum, indiguit publicari, cognoſci potuit. M.DC.VI.

X. Hoc anno dicitur ad Superos tranſiiſſe Reuerendiſſ. Malachias Aſſus, ex Monacho & Priore Hortæ, Rotæ Abbas, & Titularis Epiſcopus Vticenſis; mox Iacenſis Antiſtes in Aragonia; quam dignitatem egregiè adminiſtrauit per annos XI. Eius vitam ad Compendium redegit Vincentius Blaſco, in illius regni Eccleſiaſtica hiſtoria; vbi multa, & mira de ipſo narrat. Obiit XXVIII. die menſis Auguſti, qua & ab Henriquez memoratur in Menologio. Sepultus, ob reuerentiam Sanctitatis, ante altare maius ſuæ Eccleſiæ Cathedralis, quod nulli alij ſuorum anteceſſorum conceſſum fuit.

XI. Vrſariæ item,& in Valle-bona duo alij obiere viri Sanctiſſ. vterque Conſiliarius Congregationis; Vrſariæ Fr. Barnabas à Benauides Reformator emeritus, cum annus XLIV. egiſſet in ordine:ex quibus XX. diuerſis Eccleſiis præfuit,tres,ſummam præfecturã,& Palaciola ſimul adminiſtrauit: diſciplinæ monaſticæ ſupra modum tenax,charitatis,& pacis eximius cultor,& quem nullus turbatum vnquam vidit,niſi pro cauſa Dei,cum obſeruantiæ,ſeu

iuſtitiæ

iustitiæ zelo,si violari videret,perurgeretur.Id etiam mihi licet testificari,quatuor annorum spacio,quibus merui sub eius disciplina; & si attentè quæsierim,non vnquã virum diuersum à seipso,siue inæqualem,nunquam non occupatum religiosè,nunquam vel leuem actionem exercentem,vel verbum proferentem deprehendisse,quod à me posset ad culpam impari.

XII. In Valle-bona diem clausit extremum Bernardus Escudero, eiusdem domus Monachus, atque eius & aliarum non semel Abbas, cuius Henriquez in Phœnice meminit, itemque in Menologio, ad tertiam decimam diem mensis Octobris. Sed & inter vtrumque defunctus est, Fr. Marcus de Porras Nucalensis, vir opinione Sanctitatis celebris, & qui Montem-salutis, Nucalesque, non minori cum laude administrauerat.

M DC.VII. XIII. Anno M. DC VII. tranquillus prorsus, neque vlla insigni morte funestus fuit. Synodus celebrata magis ex ritu, quam ex necessitate,tempore & loco solitis: nam subrogatio pro his, qui decesserunt ex Consiliariis,quæ vrgere videbatur,celebrata per litteras est,iurisprudentiam præcedente consultatione; & accepto responso, fieri posse. Processus in visitationibus formati, cum legerentur, obseruantiam legum; aut si quæ fortè transgressiones essent, punitiones ex legibus, neque alicuius querelam repræsentabant. Quippe quos Petrus paterna charitate lucrari poterat,subtrahebat iudicio;erga rebelles,terrore, quam suppliciis; aut vbi vrendum,vel secandum esset,semper circa condignum,nisi scandala vrgebant,castigabat. Electi tamen, qui inquirerent in ipsum Fr.Andreas de Salitras Ferratiæ,& Fr.Gaspar Madruga Vegæ Abbates,vt in hoc etiam leges, non secus ac in aliis, obseruarentur.

M.DC.VIII. XIV. Annum prorsus fœlicem, atque tranquillum turbidus, tristisque sequutus est, qui Lorcæ famam nonnihil decolorauit. In Abbatem S.Martini de Castañeda, virum doctum, & grauem, atque integræ aliàs famæ,quæsitum est; & grauiter sæuitum, vt ferebatur. Non quod culpam excesserit damnatio: sed quod quæ vtilius latére potuisset, debuisséque; propalata per pœnam, honorem magno viro, virum gerendis rebus satis aptum, congregationi ademerit;& multo plures scandalo peruerterit,quam per supplicium potuerit cohibere. Qui Lorcæ fauebant, serpenti iam veneno, quouis dispendio obuiandum disceptabant. Alij imminens Capitulum in causa;& nouam politiam stabiliendam; cui se, nisi viro illo subuerso, imparem agnouisset, submurmurarunt. Quod ego, vt nunquam credam de tanto viro, ita neque ab aliquibus assertum tacendum putaui: exemplo posteris, vt discant in multis casibus minori iustitiæ dispendio, & boni publici, prætermitti delicta sine supplicio,quam maculari, vindictæ suspicione, siue alterius affectus ipsiusmet iustitiæ executionem.

XV. Sequuta est suppressio Procuratorum,& promulgandũ Capituli decretum,vna cum Pauli V.confirmatione.Quæ quo minus à Monachis præuisa,eò magis incautos perturbarũt Quid enim refert,si alij subrogentur,in quos nullum Conuentus influxum habeant?Diffinitores,Visitatoresque per Capitulum eligi,minori dependentia,quam Abbates:neque vt procurent negotia Monachorum,sed vt iudicent causas & leges condant; an quos sæpe oppressores patiuntur,eosdem etiam accipient Procuratores?præcepta,& iura,& pœnas ab aliis habeant?defensiones ab ipsis esse debere. Ideo electionẽ per libera suffragia,secretaque,hactenus requisitam;vt ipsi sibi assumant,quos pro se ponant In vno Adamo voluntates filiorum à Deo positas,sine eorũ cõsensu:quod quãdo hominibus liceat vsurpare? Reiectas ante paucos annos sortes, quia iaciendæ inter eos, quos non ad hoc Conuentus elegissent: quanto magis reiicienda venit electio,quæ neque à conuentu, neque è conuentu est; neque vt ei congruat contingentiæ,aut sorti relinquit locũ?Adde Diffinitores, visitatoresque paucas tantũ Ecclesias habere:reliquas omnes,si quæ negotia habẽt,quibus cõmittent?an quæ plerumque contra Abbates sunt, ipsis Abbatibus venient commendanda? Committant Monachi Abbatibus libellos, quos contra ipsos porrigant; conquærantur de ipsis, & eorum defectus per eos deferant? Demum Procuratorum abrogationem,ad quem finem conducere, nisi ad augendam potentiam Reformatorum? Qui quanto minus pendeant à conuentibus,tanto facilius cuncta sibi subiiciant;dum paucos homines,sibique deuinctos, nullo obsistere audente, manuducunt? Inuersas dudum lege Congregationis, per speciem libertatis, ad infringendam paucorum dominationem. Verum hac leges lata, iam constare,tyrannidem quæsitam; neque vt illam extinguerent pugnasse; si quæ fortè irrepsisset, sed vt transferrent.

XVI Hæc,& similia iactata per conuentus, multorum renitentiam concitarunt. Supplicatum à quibusdam Ecclesiis est,propositis motiuis non contemnendis! & supplicatio petita præsentari Summo Pontifici; neque interim exequendum aliquid fore. Antiquos namque & iustos possessores spoliari inauditos, & indefensos diuina pariter, & humana iura abhorrere; neque sacras familias, quia sanctiores, à iustitia seruantia immunes esse; quin potius obstrictiores clamitabant. Vtilitatem huius nouitatis in incerto consistere: nocumenta statim apparere: & multa alia tempore eructura, quæ magis noceant, quò minus præuisa fuerint. Liberas electiones Procuratorum aliquibus subiacere negotiationibus: sed quas

Reformatores,

Reformatores, quas Abbates, plerumque solicitant; Monachi solum ferant, & patiantur. An quia illi peccant, & alios turbant, hi qui soli non peccant, plectendi veniunt? Tum si ab his etiam non nihil peccatum sit, non tamen ideo statim relegandas. Sunt qui Ecclesiis, sunt qui Sacramentis sacrilegè abutuntur: & tamen manent, æternumque manebunt Sacramenta, & Ecclesia; nulli prorsus obnoxia relegationi Ferantur leges, quæ extirpent vitia; non quæ iura peruertant: & taliter peccatis obuietur, vt non pereant, quæ debent conseruari.

XVII. Ita ferè Hortæ, Nucalium, & Matæplanæ in Castella Ecclesia; Bellus-mons in Asturibus: in Gallæcia Vrsaria, & Superatum; præcipua Monasteria Congregationis; atque alia mediæ classis, sanctus Martinus, Iuncaria, Melon, Hoya, & si quæ alia hanc partem sunt sequuta. Nec deerant inter supplicantes viri graues, & docti, atque inter nostros totius authoritatis. In primis frater Vincentius de Encalada Reformator emeritus, Magister frater Valerianus de Espinosa olim Salmanticæ Abbas, Præceptorque; frater Bartholomæus de la Canal, frater Augustinus Lopez, aliique, quorum authoritas, quamuis tunc depressa, non leue pondus dabat supplicationi. Quin & constabat, multos, qui tacebant, cum ipsis sentire: sed alios spe, aut metu futurorum, quosdam ne litigarent; & tandem quosdam reuerentia Reformatoris, quandiu impares numero, & potentia, tenuisse silentium; si præualerent, statim erupturos.

XVIII. Vidit Lorca in ancipiti stare, quod firmum putauisset; & quod facilè forsan non tentasset, si futura prænosceret; semel tentatum, indecens putauit si non perficeret. Misso ad Romanam Curiam celeri nuntio, litteras impetrauit quibus post factam supplicantium relationem, sub pœnis mille ducatorum auri de Camera, priuationis dignitatum, & officiorum, ac vocis tum actiuæ, tum passiuæ; deinde etiam excommunicationis, suspensionis, & interdicti, atque aliis respectiuè, obedire iubebantur omnes, & singuli; audiendi, si compareant; non tamen interim retardata executione. Ita decretum prima die Martij præsentis anni.

XIX. Quibus literis intra eundem fermè mensem ad Hispaniam delatis, & missis per conuentus, quidam statim obsequuti sunt, nulla impendenti relicta supplicatione: quasi qui solo zelo ducti essent, cui satis iam fecissent; neque vltra tenerentur ad litigandum: alij se obniti cum tam grandi dispendio, neque velle, neque posse potestati; nec sponte, sed timore pœnarum cedere; appellatione denuò replicata, cessauerunt ad tempus, cum primum permittantur prosequuturi Pauci, cum causam suam, atque conuentuum, si Capitulum instans celebraretur, sine procuratoribus, vix stare posse, sibi persuaderent; pertinaciter dubium, an constanter; perstitere in inceptoneque vllis siue minis, siue terroribus, vt cederent potuerunt persuaderi. In his, præ aliis, Valerianus de Espinosa, cum excommunicatus declararetur, neque ideo desisteret; à domo propria Nucalensi pulsus, & mancipatus in Valle paradisi carceri est, abditis aliis pœnis indignioribus: quæ viro graui alias, & Religioso, authoritatem ex commiseratione: Lorcæ ex nimio rigore, vt appellabant, non modicam inuidiam conciliarunt. Ita tunc relegati Procuratores non vnquam amplius ad consuetum redituri.

XX. Quinta pro more die mensis Maij celebratur Capitulum, tot suffragantium numero imminutum, vt ab his, qui præterita vidissent, vix, aut ne vix cognosci, & potuit facilè extraneum reputari. Frater Vincentius Encalada causatus morbum, abesse maluit, quam coram intueri mancam & mutilam, vt ipse loquebatur, atque adeo deformem Congregationem Verùm qui res attentius rimabantur omnia in potentiam Lorcæ referebant: atque metum ex ipso causam quod non venissent, quasi nihil acturus, coniectabantur.

XXI. Congregatis in vnum Capitularibus, post sancti Spiritus consuetam inuocationem, litteræ Pontificiæ legi iussæ: quasi acceptandi, supplicatiuè, tunc demùm cunctis potestas concederetur. Prouisum id à Lorca cum discederet, libertati ostentandæ: quam affectabat, nunquam à se negari suis subditis, & neque tunc negandam, si vellent vti. Tunc acceptatæ communi plausu sunt: collaudantibus multis modestiam viri, qui cùm omnia posset, nihil sine omnium consensu facere vellet Aliis è contra ad ludibrium pertrahentibus, quod libertati conuentibus negata, contra quos agebatur: Diffinitorum, Abbatumque consensum, pro quibus nouæ leges omninò stabant, sedulus & curiosus scrutaretur.

XXII. Tum verò ex omnibus Diffinitores sex, iuxta nouas sanctiones eliguntur: quibus duo succedere visitatores. Priores fuere M. frater Ludouicus Bernaldo, iam tunc Sacrorum Bibliorum interpres publicus, atque Abbas Collegij Salmanticensis, frater Gaspar Madruga, Vegæ, frater, Athanasius Corriero, Superati, frater Andreas de Salinas Ferrariæ, frater Athanasius Velasquez Montis-feri, & Mr. frater Dominicus Astete Complutensis Collegij, omnes Abbates. Posteriores, iam ex suis scriptis celebris, Mag. frater Laurentius de la Mora tunc Hortæ Abbas, & frater Bernardus Granero, Morerolæ. Hæc prima die, ad nutum Reformatoris, quamuis absentis: cum nondum animis inuicem detectis, du-

bios se solos in eius fide stare singuli, qui hærebant, arbitrabantur.

XXIII. At postquam nox operuit colloquia mutua,& patuit plures,etiam ex deuinctioribus, dominationem viri, siue, quod absolutam, independentemque, siue quod diu timerent continuandam,grauiter tollerare;iugum excutere in Concilio fuit; quod integra adhuc electione Reformatoris facile arbitrabantur, si prævalerent. Sed ô ignaras futuri hominum mentes! Vincentius Encalada potentiam Lorcæ, dum timuit,auxit; & iam iamque labantem sustentauit. Quippe quos sibi habebat magis obstrictos & si præsens affuisset,adhæsuros;dum absens ipse acephalos relinquit,sequuti Lorcam, desertorum defectum compensarunt.

LXXV.

ATHANASIVS VELASQVEZ REFORM. XXIV.

I. Protulit Vrna electum per suffragia, quem Lorca proposuerat Athanasium Velasquez, Monachum & Abbatem Montis-feri in signem pietate virum prudentiaque,& dignum, qui ab omnibus sine vlla discordia eligeretur Quamuis re vera,quos alij præferebant Fr.Lupus de Leon ex Valle-paradisi,& Fr.Athanasius Corriero ex Superato, Religone, doctrina, zeloque,atque cæteris dotibus nulli secundi & merito inter primos numerabantur. Reformatori in officio Diffinitoris successit Fr. Ferdinandus de Andrade Montisionensis, qui tunc Vallis-Dei Ecclesiæ in Asturibus præerat; & postea ad Fiterienſem in Nauarra à Philippo III. est præsentatus.

II. In hoc Capitulo confirmatæ pœnæ quas Lorca in supplicantes promulgauerat,maiorem illi inuidiam, velut authori; Reformatori, quod exequeretur,nec resistere auderet, etsi minorem,non nullam concitarunt.Prouisa multa pro Capitulis futuris,quæ imminentia mala,si quæ ex legibus nouis oriri possent, prouidè præcauerent. Ne vllus socium non Capitularem secum adduceret;nec si abesset, ex quauis iusta causa,procuratorem, nisi Capitularem instituere, quacumque dignitate vigeret, permitteretur. Vt singuli Abbates petitiones suorum Monachorum gratanter susciperent, & fideliter in Diffinitorio præsentarent: Earumdem rationem, sub pœnis grauibus, ipsis reddituri Quod si renuerent, Priores tenerentur, post eorum discessum,nuntios mittere,per quos cuicumque vellent Capitulari, siue in Diffinitorio præsentarentur.

III. Vt Reformator ministeriis inferioribus,sed necessariis tamen,quæ exercere solebant Procuratores,Monachos deputare,per quos,non per Abbates, Diffinitoresvè contra decorem suarum dignitatum exercerentur. Hæc & similia in speciem, quam in vsum aptiorá multialij supplendo defectum procuratorum, necessaria, & vtilia disceptabant. Sedes permixtæ cunctis in Capitulo, provt prior quisque venisset ad Religionem: soli qui officio Reformatoris functi esset,& duo Abbates Montis-Sion,& Vallis-bonæ,cæteris superiores designantur.

IV. Soluta Synodo,cum primum recessit Lorca, & nouus Reformator sibi relictus, congregationis habenas regere cœpit; multa in melius mutare, si diù viueret, in proposito habuisse creditus est; atque excussurus à ceruice iugum, quo tunc recens electus premebatur, per speciem gratitudinis(nam Athanasius,quamuis planè dignus,nisi Lorca agente,nunquã ad rerum culmen peruenisset)& timebat ingratus reputari,non zelator iustitiæ,aut Religionis, si ab eius amicitia declinaret,à quo se sublimatum confitebatur. Ergo dissimulabat, vt ferebant;erepturus in cœlum, cum primum aptam occasionem nanciscereturr.

V. Obiere hoc anno viri illustres pietate & senecta Venerabili, F.Bernardus de Escobar, & F. Iustus Matienzo Montisionenses, qui à Chrysostomo Henriquez in Menologio; posterior etiã ab Hugone Menardo in sui Martyrologij Auctario commemorantur, alter XII. Febru.alter Maij sequentis XXIV Obiere autem in Prioratu Bonæ-Vallis,Escobar primus: deinde in splendore cœlestis luminis Matienzo apparens,præstito tantum spacio necessario, quo Sacramentis Ecclesiæ muniri posset, vocatum post se traxit, cum nullis antea febribus aut morbo, sed solis podagra,& senecta pervrgeretur.

VI. Obiit,& F.Raphaël Sarmiento Hortensis Monachus egregius Concionator, non multo antea Abbas Montis Sion, quem idemmet Henriquez in Phœnice inter Modernos Scriptores Cistercij memorat. Et extant flores ex quibusdam Patribus collecti per ipsum, non vulgare leuamen concionatoribus.

VII. Demùm hoc anno viam vniuersæ carnis ingressi sunt Venerabiles Senes F.Athanasius Corriero,& F.Lupus de Leon, quos in Capitulo acclamatos ab aliquibus diximus in officiũ Reformatorum,vterque pius,vterque Religiosus,ille præcellens comitate morum,mansuetudineque,hic sapientia,& ingenij promptitudine. Et ille quidem tunc Diffinitoris, hic suæ domus Abbatis dignitate,post multas alias vterque fungebantur. Pro Athanasio subrogatus

est,

est, Mag F. Dionysius Baraona Morerolensis, pietate, & doctrina inter præcipuos, & qui hoc solum vitio notabatur, quod nimis acre ingenium, atque viuidam mentem sortitus esset.

VIII. Sequenti anno M.DC.IX. cõgregatis, vt olim cõsiliariis, qui pro eis succesissent Diffinitoribus, initio mensis Maij, pacata omnia Nam Reformator pius, mansuetusque, charitate paterna prosequebatur. Et illos quidem, qui puniti essent, quod à Pontificiis mandatis, quæ adduxerat Lorca, reclamauissent; à pœnis absoluerat, & pristinò honori restituerat; quod pœnè autoribus in aliquam inuidiam; cœterum cunctis aliis in ingens gaudium; ipsi Athanasio, in gloriam, & laudem fuit.

IX. Procuratores obliuioni traditi sunt; siue experientia docuit, sine eis Capitula, & Monachorum, conuentuumque negotia peragi posse, seu semper prævalente potentia Lorcæ, de ipsis restituendis desperabatur; siue tandem Vincentius Encalada Reformator emeritus, qui caput reclamantium videbatur, sublatus de medio, cæterorum consilia dissipauit. Id vnum experientia compertum est, ex quo pœnæ cessarunt in reclamantes, reclamationem etiam cessauisse; neque vltra in ea processum. Vt palam fiat, multa, quæ ex resistentia vires sumunt, euanescere statim, si contemnantur.

X. Fine Iunij, visitatis Ecclesiis nouæ Castellæ, Ribogiæque, atque Burgensis tractus, cum Athanasius visitandis reliquis iam procinctu esset; Charus & Reuerendus non minus his, qui iudicem aut Patrem experti essent, quam his, qui expediri præstolabantur; eò vel maximè, quod à Lorca dissentire, atque eius infringere potentiam, aut re vera tentabat, aut sperabatur. Vallisoleti morbo correptus est, atque intra paucos dies nobis sublatus, vir vt animi viribus robustus, ita corporeis debilis; & qui longa abstinentia, vigiliisque, à multo tempore se ipsum attenuasset. Reliquit sui desiderium ingens filiis, quibusdam, quia nouissent quem amittebant; aliis, quod amittebant antequam noscerent; & se fraudatos aspectu tanti Patris, quandiu aliud non dabatur, conquerebantur.

XI. Erant qui dicerent, imparem officio succubuisse oneri, & rerum melle oppressum interiisse. Vnde cum duo viri, quos memoraui frustra in eodem Capitulo acclamatos Athanasius Corriero, & Lupus Leo, in speciem maiores, non multos ante menses defuncti essent: Prodiit in vulgus dicterium illud procax, sed non illepidum: tres viros ab officio Reformatoris planè occisos; duos priores, quod non essent assequuti; tertium, quod assequutus, sed impar fuit. Corpus ad Palaciola deductum, atque in eis tumulatum; cum vix Generalatus annum vnum, ætatis quinquagesimum explesset; quacum ducebatur, lachrymas extorquebat ab omnium oculis.

XII. Synodus statim ad primam diem Augusti condicta est, in qua etiam conuenere Capitulares; non animis diuisi, discordesvè; quamuis neque vnum aliquem haberent, quem tibi proponerent: sed pariter pendentes ab ore Lorcæ. Quippe cuius potentiam semel & iterum, iam iamque fatiscentem conspexissent: sed nihilominus per varios casus stare, augerique: non vltra deprimendam arbitrabantur. Neque erat qui se illi posset opponere: nam Ludouico Bernaldo, qui solus supererat, ex his, qui præfuissent Congregationi, obedire parato: cæteris nihil aliud quam obsequium, de quo penè certabant, relinqui poterat.

XIII. Diffinitoribus eisdem permansuris, iuxta nouæ polyciæ dispositionem, sola Reformatoris electio, quæ tunc celebraretur, expectabatur. Et videbatur Lorca anceps Consilij, vt qui re vera virum verè talem, atque dignum imperio vellet proponere: sed nihilominus, (quæ duo malè cohærent) quam tunc habebat potentiã retinere. Occurrebat Hieronymus Hurtado, Vallis Ecclesiarum: occurrebat Iosephus Stunica Hortensis, occurrebant & alij: quidã, quos dignos præesse iudicabat, sed à nullo ducendos: quidam quos faciles duci cognoscebat, sed imperes imperio non dubitabat. Quem ipse habebat Discipulum Carissimum, & de quo fortè vtrumque præsumebat, frater Dionysius Baraona Diffinitor, quod nondum munus Abbatis exercuisset, incapax habebatur: è reliquis reprobare omnes facilius, quam inuenire aliquem, cui tutò se, & Congregationem credere posset.

XIV. Frater Thomas de Salzedo præ aliis placuit, Monachus Matæplanæ, & tunc Abbas Collegij Montis-rami, absteritate vitæ, atque obseruantiæ monastici rigoris inter præcipuos: cætera adeò seuerus rigidusque, vt non tam nolle vsurpare sibi imperium, quam non posset, etsi vellet credendus foret. Alij in fauorem Dionysij Barahonæ credebant factum; quod illi familiaris: etsi succederet in eius Abbatia, quod promptum apparebat, facile & in officio successurum Reformatoris, quod Lorca optabat; interpretabantur.

LXXVI.

THOMAS DE SALZEDO REFORM. XXV.

I. Postera die, congregatis in vnum Capitularibus, F. Thom. Salzedo electus est, non amore, aut iudicio suffragantium, qui alios prætulissent, sed obsequio in Lorcam, quasi omnes

prudenter reputarent, tanti viri iudicio multo melius quam propriis fidendum esse. Recens electo iuncta visitatio vniuersæ familiæ; visitatoribus sponte concedentibus, vt Ecclesias ab antecessore visitatas solus ipse secundo; reliquas omnes ex more visitarent. Et fuit hæc cessio tunc longè facilior, quia M. F. Laurētius de Zamora, vnus ex ipsis, à Rege Catholico ad Cathaloniam missus, in visitandis Ecclesiis Populeti, atque sanctarum Crucium, nec sine insigni fructu, detinebatur.

II. In hoc Capitulo relegati primum, atque extincti sunt Commissarij, vt vocabant; quos semper hactenus Patres Reformatores, dum abessent Castella, pro leuioribus causis deputabant. Breue interuallum vtrumque regnum diuidere; & posse facilè per litteram, per nuntios, Generalem adiri; à quo omnia salubriùs, cordatiusque, cum pleniori notitia prouiderentur. Non esse Commissarium in Gallæcia: cum Reformator Castellæ detinetur; cur in Castella necessarius sit, cum occupat Gallæciam? æquam esse distantiam pro vtrisque; neq; plures Ecclesias, quibus ex aliis debeat prouidere. In hac item an in generali Synodo ante annū celebrata, decretum est, petendum à Pontifice Romano, vt *Pro electione noui Reformatoris, quoties officium vacat intra triennium, soli Abbas Montis Sion, & sex Diffinitores, & duo Visitatores, & qui officium generalis Reformatoris obierint, congregentur: & electio Reformatoris per eos facta, canonica existat, non secus, ac si in Capitulo generali facta fuisset.* Petendum insuper, *vt Prior Palaciolensis, cuius Monasterij generalis Reformator Abbas est, neque in Capitulo generali suffragium habet, pro ipso: ne dictum Monasterium suffragio destitutum maneret præ cunctis aliis. Quod Paulus V. facilè concesit ad XVII. Maij sequentis anni. Et exstat priuilegium tomo tertio, quod inter alia XL numeratus.*

III. Soluta Synodo, in Collegio Montis-rami, pro F. Thoma Salzedo Reformatore, Mag. F. Dionysius Barahona subrogatur: vnde rumor, qui hactenus occultus palam erupit; disponi hominem in triennium sequens, vt Lorca agente, Reformator renuntietur. Sed ô abyssum diuinæ prouidentiæ! ô hominum consilia prorsus inania! octauo à confirmatione sua die, in grauem febrem incidens, quinto decimo extinctus, spes omnes, rumoresque frustrauit; ætatis suæ anno quadragesimo tertio, plus minusvè; discipulorum, quam propriis dignitatibus longè fœlicior; quippe ipse fuit, è cuius magisterio, Meyræ Artium Collegio, tot Generales, Episcopi, Archiepiscopi, atque id genus alij prodierunt, quos supra diximus.

M.D.CX. IV. Sequenti anno M.DC.X. celebrato Capitulo intermedio, initio mensis Maij in Palaciolis, quæ dudum vacauisset diffinitio eiusdem Dionysij, ad Mag. F. Laurentium de Zamora Hortensem translata est. Quippe dum Cathaloniæ in Populeto longiorem moram facit, qui supplendo eius loco electus fuerat, visitationem iniit; atque ipse absolutus ab eo munere potuit diffinitor renuntiari. Visitatores septem Ecclesiarum, sic enim appellantur, electi visitando Reformatori) F. Hieronymus Hurtado Vrsariæ Abbas, & F. Melchior Lopez Melonis prodiere; hic Nucalensis, qui Lorcæ à secretis, dum esset Reformator, & charus fuit; ille quos diximus ab eo prætermissum, cum Thomam prætulit. Sed vir prudens, & plerumque per futuri prouidus, quos rebus publicis pares agnoscebat, vt non præficeret semper occupabat; vitandæ inuidiæ, simulque promouendo publico bono.

V. Residuum anni, paccatum & quietum, Reformatore nomen ferè vacuum, Mag. Lorca imperium retinēte Non quia ille, se huic vltro subiiceret; iugum, si posset, libenter excussurus; sed quia, quos zelo, vt multis videbatur, minus discreto, à se ipso auertebat, Lorcæ, ad quem confugiebant, conciliabat. Et ille velut citò transiturus, & iam iamque declinans, ferè in contemptu: Lorcam, quem penes potentiam permansuram coniectabantur, reuerentia, & metu, plures ex animo etiam suspectabant Ita suspensi magis, quam conformes silebant omnes; sed Reformator tanquam nihil volens, aut nihil audens; Lorca velut qui nullus indigeret præuiis dispositionibus, vt quicquid vellet, cum vellet, exequeretur; Ludouicus Bernaldo, quia inter alios ad omne obsequium Lorcæ paratus esset; nulla desperatione; sed nulla spe; nec quasi ab ipso eligendum successorem; sed à Lorca accipiendum præstolabantur.

M.D.CXI. VI. Anno M.D.CXI. obiit Mag F. Hieronymus Dellamas Carrecetensis, cuius supra meminimus vir positiua, & morali Theologia supra mediocrem; nec Scholastica inferior, si diutiùs in docendo perseueraſſet. Obseruantia Monastici instituti inter insignes; quemque, si leuia quædam vitia demeres, vel inter sanctos posses numerare. Reliquit Methodum Orationis animorum, opus non contemnendum, Matriti, Moguntiæ, Antuerpiæque, & alibi vulgatum, cuius Henriquez in Phœnice meminit, cum non mediocri authoris commendatione. Obiit in oppido dicto *de La Bañeza*, tempore Quadragesimæ, cum concionandi gratia, ex proprio Monasterio à Primoribus loci vocatus esset. Obiit autem antiquorum Patrum more, in cilicio & cinere, quibus se imponi fecit lecto relicto; feruens spiritu, & vel in morte agens concionatorem.

VII. Fine Aprilis, cum instaret iam Capitulum, & Reformator, (quæ illi indoles erat, totius artis expers) præstolaretur Lorcam, de successore cum ipso collaturus: ille solito tardius aduentauit,

uentauit,varias more causatus occasiones, quibus deesset non posset: sed consensuris quodcumque tempus satis:ad dissentiendum nullum breue fore In vigilia capituli, qua die Reformator Palaciola egredi tenebatur, nec Lorca poterat in eis pernoctare, cum iam de eius aduentu desperaretur,ingressus domum breue satis cum ipso colloquiū h abuit,atque vtrinque obscurum, & indecisum. Quippe Thomas spe conformitatis, dum nihil non paratus esset velle,nihil omnino fixum constansvè,vel mente conceperat:& Petrus quod conceperat, zelabat;siue renuens consortium,quo non egebat;siue reputans arduum,quod tentabat; nec nisi ex improuiso successurum. Actum tamen de Diffinitoribus, visitatoribusque, qui prius eligendi.Et in eis conuenerunt,vel quod verius dicam,non discordarunt:parato Thoma Lorcam in cunctis sequi; & neque in successore, si ei proponeretur, discordaturo.

VIII. At postquam vidit, nullo designato, loco discedere; & se absente,adeoque inconsulto, successionis negotium peragendum: tum vero angustiis temporis oppressus, consilij inops,primum,quis dignior proponi videretur,ne nullum proponeret:mox ex ipso colloquio spe concepta, in quem plura suffragia conuentura prudenter crederentur, cum paucis deliberat:& iam non tam quis dignior, aut sibi clarior, quam quis aptior in Lorcam prævalere, singulorum sequacibus discussis, præcipiti consilio disceptabat. Et designatur F. Iosephus Stunica Hortensis,genere nobilis, aspectu decorus,& venerandus,moribus comis,experientiaque prouectus: cætera minus aptus ad imperandum;sed cui vel ipsa minor aptitudo,quasi ab ipsis regendo, aliquorum suffragia conciliabat.

IX. His raptim,& ex tempore narratis magis, quam prouisis,Palaciola egreditur;non sicut alij, ne inferret violentiam Capitularibus;sed ne ipse pateretur; vel se coram contemni palam conspiceret,ab his,quos obsequentes paulò ante,vt sibi videbatur, expertus esset.

X. Sequenti die Capitulum ingressis cunctis vocalibus, & nulla de futuro Reformatore mentione facta,diffinitores propositi per Lorcam, omnium penè suffragiis electi sunt;ipsemet Lorcas dein quinque Abbates ex præcipuis totius congregationis; Fr.Iosephus Stunica Hortæ, Fr Hieronymus Hurtado, Vrsariæ, Fr.Bernardus Gomez,Ouidæ,Fr. Christophorus Martinez Matæ-planæ,& Fr.Philippus de Thasis, Complutensis.Visitatores F. Melchior Lopez Melonis Abbas, & Fr.Petrus de Orgaste Salmantinus.

XI. Hæc illa die communi acclamatione quippè propositi, pro maiore parte omnes plausibiles & nomine vtriusque proponebantur. Neque Magister Ludouicus Bernaldo, qui solus posset, dum Lorca vixit,resistere tentauit,metu, non obsequio, an fatali quadam inertia: nam multi hoc, multi illud arbitrabantur.

XII. Egressi capitulum,cum instaret electio Reformatoris proximè celebranda;& omniū ora Lorcam intuerentur,ad eius nutum, in quem vellet, inclinatura; ipse cunctis maioribus propositis, atque laudatis;sed leuiter reiectis,& vt quisque inclinabat,seu respuebat,inclinās, aut respuēs;& nihilominus nullū omninò probans;quod nullus esset,in quo omnes cōuenirēt.

XIII. Cadente nocte,nec quasi à se proposuit,sed quasi sibi ab aliis suggestus esset, Mag. F.Philippum de Tassis Ferrariensem, Comitis Villæmedianæ fratrem maiorem natu,ætate iuuenem,& qui vt vocem passiuam habere posset,Pontificia indigebat dispensatione.Proposuit,inquam laudans,extollensque,vt qui hominem nosset à multis annis. & Præfecturæ,quā egerat Compluti,testis existeret:sed defectum in eo ætatis causatus; atque ex illo desperans eligi posse. Ita non solum quid singuli sentirent, rimatus est,vix prouidus & sagax; sed multorum consensum,& plausum facilè obtinuit;quibusdam ad obsequium omne paratis,& nihil quod præcipereretur,recusaturis; quibusdam ex animo,vt alios euitarent,quos magis timebant;tandem non paucis quia incapacem censebant,ideoque quasi ex tuto iactitabant,in nullo se libentius consensuros,si capax foret.

LXXVII.

PHILIPPVS TASSIS FORM. XXVI.

I. In hoc velut suspendio transacta nox,cum ecce mane per omnes diuulgatur, Philippum Tassis, vt non obstante ætatis requisitæ manifesto defectu,eligi posset;à Pontifice habere dispensationem. Tunc ipsa nouitate velut attoniti, atque alij,quia Lorcam velle videbant,alij quia improuidi Philippum acclamassent, sub ea conditione,si capax esset; quidam gaudentes Reformatore iuuene, forma conspicuo, alloquio prompto & hilari, qualem nunquam habuissent;ac domum quidem,ne ab aliis prævenirentur;quamuis dolētes,Philippum acclamarunt.Et iam non Lorca vocales,vt acciperent,sed ipsi magis Lorcam,vt virum daret,certatim, atque ardenter solicitabant.

II. Missa de Spiritu sancto decantata,& habita pro more concione,celebratur electio; & lectis priùs Pontificiis litteris, in quibus dispensatio continebatur, Reformator eligitur frater Philippus Tassis ætatis suæ anno XXXVIII.habitus XIX.primus è Meyritano illo Col-

legio exiguo numero, sed amplo dignitatibus, cuius non semel fecimus mentionem. Habebat eiusdem nominis auunculum, tunc Palentinum Præsulem, postmodum Granatensem Archiepiscopum; habebat Fratrem claritate sanguinis, & diuitiarum copia, sed multo magis acumine ingenij, dicacitateque in Hispania celebrem, sed breui heu! plangendum, Dominum Ioannem de Tassis Villamedianæ Comitem, & Præfectum Cursorum Regis Catholici; atque alios tum affines, tum consanguineos eiusdem Claritudinis; habebat & ludibrium illud fortunæ, Rodericum Calderonium (potentia apud Philippum Tertium validum) inter paucos amicum: atque hi omnes, dum nostri intus mœrebant, quasi de grauitate Monastica triumphassent, non vulgaria iudicia suæ lætitiæ, per publicas actiones manifestabant.

III. Videres ex vtroque choro senes veneranda canitie respersos capita, maceratos vigiliis, ieiuniisque, seueros vultu, experientia maturos, moribus graues: & inter ipsos medium assidentem decorum iuuenem roseas maxillas præferentem in facie candida; aspectu hilarem, qui gratiam conciliaret magisquam reuerentiam: Regum, præcipuè ibidem gerẽdarum, longe, inexpertum, velut qui nunquam hactenus Capitulo, ne dum Diffinitorio interfuisset; & vt non seuera (nam re vera id non possumus negare) ac infra pondus dignitati debitum, quæ tot Ecclesiarum, tot sanctorum, tot senum, tot negotiorum molem complectebatur. Vidi egomet ex amicis eius charioribus, & qui se merito cum ipso imperaturos arbitrabantur, madentes lacrymis Monachos cordatos, cum ordine inuerso, in corpore totius congregationis canos in pedibus; & ima sede, vltimum & iuniorem Capitularium, in caput omnium sublimatum intuerentur.

IV. Euasit tamen Philippus supra spem; atque experientiam compensari posse iudicio prudentiam, ætate adeo breui ostendit vt etiam ante synodum solutam, cum parem conspicerent, atque vt quidam dicebant, superiorem, virum in Præfectura constitutum, vel ipsi, qui doluissent, gratularentur. Pro eo in Diffinitorem subrogatur F. Iosephus Garcia Ferrariensis, & ipse, in qua Ecclesia Philippus professus fuerat, vir æquè pius, & doctus; & cuius exstant nonnulla monumenta, licet exigua, quorum Henriquez in sua Phœnice meminit.

V. In hoc Capitulo præsentatæ litteræ Pauli Papæ V. super Reformatoris electione in discursu triennij, & suffragio Prioris Palaciolensis, quarum superius fecimus mentionem; ab vniuersa Congregatione admissæ sunt; repudiata tertia alia indulti parte, qua sex Abbates, ex his, qui iam triennium expleuissent, proponi ad alias Ecclesias concedebantur. Hæc, inquam, pars reiecta à cunctis est, quod ea Congregatio non petiuisset, & quod acceptationi personarum, atque incommodis aliis esset exposita. Cum Thomas de Salzedo visitatoresq; triennij præcedentis, in quibusdam negotiis discordassent; & Reformator suprema authoritate, ad eorum sententias retractandas, seu mandata abolenda vti voluisset; declaratum est, potestatem visitatorum, non minus immediatam omnino esse tum à Summo Pontifice, tum à Capitulo Generali; quam Reformatoris: adeoque ei in personalibus subesse, sicut cæteros Monachos; in iudicialibus omnino esse æquales.

VI. Auditæ, & variæ querelæ Capitularium contra eundem Thomam Reformatorem: maximè, quod in Ecclesiarum visitationibus præcepta in virtute sanctæ obedientiæ, & in quibusdam censuras multiplicasset. Exinde timoratis laqueos tendi: laxis conscientiis præcipitia etiam parari. Pretiosa quæque, si communia fiant, vilescere: contemni grauissima: nec remanere, si semel contemnantur, vincula in Religione, quibus Monachi valeant coërceri. Grauibus pœnis parcissimè vtendum: quanto parciùs præceptis, censurisque, quæ culpas pariunt magis, quam eliminant? nec si crebrescant, id vitari posse: pronis ad omnem licentiam humanis mentibus, & vt semel aut iterum obtemperent, si sæpiùs repetantur, declinaturis.

VII. Cassata omnia illius præcepta sunt; & substitutæ pœnæ temporales, pro materiarum, atque transgressionum diuersitate. Non tamen deerant aliqui, qui dicerent, hæc omnia aduersus Thomam pronuntiata, quod viribus inferior inueniretur: si præualuisset, absoluendas querelas omnium, vel si quæ emergerent, in querentes retorquendas.

VIII. Socius Reformatoris lege sancitus; præceptumque, vt præter Secretarium, alius Monachus illi deputaretur, qui eius curas posset subleuare. Ita quod primus, occasione negotiorum, consultationumque, quæ virum fatigabant in orbe celebrem, vsurpauerat Lorca, non sine simpliciorum offensione; à successoribus tractum in exemplum, & cognitum ex vsu, adeo inualuit, vt vel à modestissimis hominibus, atque amantissimis Monasticæ obseruantiæ hactenus venerit lege retinendum.

IX. Mag. F. Laurentius de Zamora, cum adhuc Populeti detineretur, à Capitulo absens, nihilominus Hortensibus propositus, atque ab eis in Abbatem electus est. Verùm cum diu expectatus non veniret, Abbatiam renuntiauit; subrogato per Conuentus electionem in eius

locum,

locum, fratre Vincentio de Gueuara, qui postea summam rerum adeptus est, post varias functiones, quas multo tempore egregiè administrauit.

X. Nona Iunij in Ecclesia Matæplanæ pro miraculo habitum est, quod corruente Ecclesiæ præcipua parte, quæ medium eius spacium occupabat, & comminuente Capellam Beatæ Virginis, quæ proximè substabat, ac machinæ cadentis suscepit impetum: cum omnia pene in puluerem redacta, etiam lapides ipsi contriti essent: sola imago Deiparæ, inter saxa, & calcem, atque frustra lignorum inuenta est, sine vlla læsione, intacta & integra, ac si non subiacuisset tantæ ruinæ. Fr. Thomas de Salzedo, qui post decantatas ab omnibus in Choro diuinas laudes, excubias in Ecclesia solus agebat, cum ædificium corruit; periturus fuisset inter ruinas, si non ab aëre cadentis machinæ impulsus, atque extra Ecclesiam repente proiectus esset. Idem post biduum imaginem quæsiuit, inuenitque eam in ea detegenda diu ac multum adiuuantibus aliis, laborauisset.

XI. Anno M. DC. XII. grauium virorum morte funestus fuit. Thomæ à Salzedo, quem solus zelus nimius, &, vt quidam putabant, indiscretus fecerat inferiorem antiquis Patribus: quorum tempora, si fuisset assequutus, fortè nec nimius, neque omninò indiscretus videri posset. | Deuiasse à certis prudentiæ regulis, vt vulgus ferebat, quia ipse excessit, an quia nos defecimus, optimi quique in dubium reuocabant. Certè nihil in aliis requisiuit, quod ipse non faceret, indefessus ad omnem disciplinam, & rigidus exequutor antiqui moris. M. DC. XII.

XII. Obiere & duo Iosephi, viri insignes, Garcias, & Stunica, vterque Diffinitor, vterque grauis: alter quem Thomas voluisset successorem; alter qui successori eius successit, cum munus diffiniendi reliquit vacuum. Plures vterque Ecclesias administrauerat, atque omnes cum laude; Garcias Vrsariam, Complutum, atque Gumielem; Stunica Hortam, Vegam, Complutumque, & visitauerat vniuersam Congregationem.

XIII. Rarum, & inter nostros inauditum hoc anno fuit, quod F. Ludouicus de Armendariz Valparisiensis, cum nullis hactenus in Congregatione functionibus expletis, indolis suæ speciem prætulissent, à Philipo III. Rege Catholico, ad Abbatiam Oliuensem in Nauarra, perpetuam & tripartitam, electus est, non sine magna tantæ nouitatis admiratione. Hic patria Nauarrus, genere nobilis, Marchionis de Cadereita frater, in Valleparadisi, à pueritia monachum induit: mox Philosophiam priùs in Gallæcia, in fœlici illo cursu Meyritano, (ex quo ad Superiores dignitates assumptus, secundus fuit) dein Sacram Theologiam Compluti didicit: Demùm maioris adhuc secessus appetens, propria domo relicta, in Monasterio Hoiæ, vltimo omnium, priuatam vitam agebat ab annis aliquot: dubium, quia dignitates abhorreret, an quia deessent, qui pro ipso procurarent. Vir aliàs doctus, prudens, religiosus: & qui his, atque aliis dotibus similibus, congenitam ornabat, atque hæreditariam nobilitatem. Igitur hominem nihil tale cogitantem, atque minora tantum ministeria humiliter exercentem, promotionis suæ nuntius inuenit Gratulantibus multis; qui contendebant, Ludouicum immunem ab honoribus, dedecus esse totius congregationis. Promotus, breui ostendit, quantus vir esset: neque in eo tantum munere excelluit, ad maiora vocatus, quæ simili cum laude administrauit, vt infra dicam.

XIV. Capitulum priuatum, siue intermedium ad XXVII. Maij dilatum est, quod Reformator impeditus aliis negotiis, non potuit adesse præfixo tempore. In eo pro diffinitoribus defunctis, duo alij electi; Mag. Fr. Laurentius de Zamora, ex Cathalonia redux, (cum eius in visitatione socius, Fr. Ioannes Aluarus, in Episcopum Solsonæ promotus esset,) & Fr. Ioannes Dominguez, Carracetensis, qui in eodem triennio Romam missus, breue intra tempus locum reliquit vacuum. Cætera omnia tranquilla permanebant, Reformatore, & Lorca conuenientibus, neque auso quopiam vtrique contrariari.

XV. Finem anni amariorem fecerunt tristia funera, acerbioribus lachrymis ploranda: defunctis intra ipsum duobus viris supra consuetum claris, Magistro Fr. Ignatio Firmino Ibero, Ficterensi Abbate, & Fr. Petro de Lorca Complutensi primario, penes quem, ex quo rerum peritus fuerat, pondus totius resistebat Congregationis. Eminentissimus Cardinalis Rosas Toletanus Antistes, audita vtriusque morte, lachrymatus, atque dixisse fertur: Periere heu! & defuere Hispaniæ, & orbi clarissima duo lumina, quæ non facilè abundè suppleri poterunt. Certè duos tales, saltem ex nostratibus, non vllum aliud sæculum tulisse, qui tunc videbant, apertè proclamabant.

XVI. Obiit prius, qui natus maior erat, & prouectæ ætatis, Fr. Ignatius. Is natione Vasco, genere Nobilis, cum adhuc puer esset, dederat Religioni nomen apud Nucales. Mox humaniores, atque sacras litteras in Collegiis Congregationis, & didicit, & docuit; quoad vsque

in Complutensi Academia adeptus Cathedram, inter primos, tum Patres, tum Magistros insignis illius Lycæi numeraretur. Inde à Rege Philippo præsentatus Fiterensi Ecclesiæ, in qua Marci Villalua successor fuit, vsque ad hunc annum imperium prolatauit; moribus grauis, conuersatione hilaris, ingenio promptus, est supra modum acer; quo non solum scientias ferè omnes, sed & artes hausisset, etiam mechanicas: verum omnium peritia verè inter primos; opinione se ipsum superabat. In vestigandis, eruendisque antiquis monumentis, multus, & frequens; in publicandis rarus, & difficilis, ad historiam, præcipuè Cistercienſem, multa congessit, apparatu insigni, in Libris exquisitis, in M.SS. in instrumentis publicis, quæ ex variis archiuis congregasset; missis per orbem Monachis, qui diuersas prouincias peragrarent; Demum in Typographia sumptuosa, & cunctis instrumentis artis referta, quam Fiterij instruxit, hoc tantum fecit, vt quam nihil perfecerit, constaret. Facilis ad scribendum; sed nihilominus facilior ad retractandum; eoque sibi suspectus & parum fidens; vel si quæ perfecisset, dissimulabat. Exordia Sistercienſia paruum, & magnum, nunquam hactenus cussa, mandauit prælo: verum cum notis illustrare vtrumque satagit, neutrum diuulgat; & latuissent adhuc si non à successore vulgata fuissent.

XVI. Sunt tamen multa, quæ nos illi debeamus, nullatenus tacenda: primum, quod Bibliothecam numerosam, atque omnigenæ litteraturæ libris instructam congregauit Fiterij, quæ non aliam Nauarræ, vt putamus, habet, forsan neque Castella copiosiorem. Secundò quod exordia duo, vt dixi, & si non edidit, tamen prælo mandauit, atque edenda reliquit, quod ab immediato eius successore omissum, quia prospere rapto, qui vtrique successit exequutus, ingẽtes illos thesauros qui hactenus latuissent, & paucis peruios; dum vulgauit, communes; dũ correctos vulgauit, maioris fecit, ingenti commodo totius posteritatis. Tertio quod MM. SS quæ collegerat, (& collegerat multa) nobis reliquit; ex quibus ditiores nostri Annales, exornatioresque, si per nos non stetit, prodierunt, & quartò tandem quid in ipsis notis, etsi nondum perfectis multa collegerat, quæ adhunc ipsum finem nos iuuarunt.

XVII. Obiit Fiterij, cum longam prius noxam Matriti fecisset vocatus ab Eminentissimo Cardinali D. Bernardo de Ripas, & Sandoual, Toletano Primate atque supremo in Causis sanctæ fidei, ac generali, vt vocant, Inquisitori, ad indicem Librorum prohibendorum, expurgandorumque, qui ab eius morte prodiit, conficiendum. Ipso præmortuo, dum Fiterij opus parat, disponitque (adeo fatale habuit nihil perficere.) succesſit Reuerendus & doctus Pater Ioannes de Pineda societatis Iesu, ex scriptis suis, in Iob, & Salomonem abundè notus: & quod prouectum reliquerat Ignatius, aut resumpsit, aut continuauit, absoluitque pari sinon superiori eruditione. Hæc de Ignatio.

XVIII. Petrus de Lorca sequitur, qui viribus, ætateque validior, actione promptior eo his qui amiserunt, magis dolendus. Agebat annum quinquagesimum secundum, integra valetudine, atque adeo robusta firmaque, vt nisi cani & functiones peractæ proderent, vix crederetur maior quadragenario. Ex his in seculo XVI. peregerat, in Religione reliquos; patria Bellomontanus, genere nobilis, à pueritia maturus, & pœnè senex; iudicio, & moribus ætatem anteibat. Litteras Seculares, sæcularis; mox Monachus professus in Valle-bona, nec profanas oblitus, Sacras coluit; vtrasque supra concurrentium, seu cõdiscipulorum æmulationem. Salmantinum Collegium, cum inciperet, inter primos collegas illustrauit; in quo post etiam docuit: sed Complutum, fatalem viro sedem, tandem appulsus, quo minus ibi vsque ad mortem perseueraret, nullis Salmanticensium promissionibus, nullis stipendiis potuit persuaderi.

XIX. Compluti breui Cathedram adeptus Angelici doctoris, & mox subtilis quæ in ea Academia primaria est, insignes viros Ludouicum Montesinos, atque Aluarum Villegas, alterum ex scriptis, alterum ex spretis dignitatibus par orbi notos, Magisterij socios; Gabrielem Vasquez aduersarium doctrinæ habuit. Quippe Lorca, etsi non inter Thomistas (à quibus sæpè deuiat, dum, sicut ipse ait, ignaros nomine Thomæ fallunt, & quæ nunquam docuit ille dogmata fingunt) at Sanctum ipsum eximiè veneratus, atque profundè callens, nihil penè docebat, nisi ex ipso. Hos inter viros insignis habitus est: nec quis alius oraculo proximior, cuius responso vndequaquè requirerentur. Commentaria in summam Angelici Doctoris penè absoluit: primam secundæ viuens publicauit: Secunda secundæ, & Tomus de Incarnatione posthuma sunt; reliqua manent: sed nondum prodiere.

XX. Hæc & simile Hispaniæ, Ecclesiæque; Cistercio contulit plura, atque maiora; Cõplutensi Collegio bis præfectus, Congregationis semel, quam & per octo annos, quos superuixit continuo rexit, obsequio successorum, aut impotentia: quibusdam non audentibus resistere; quibusdam, etsi auderent, non prævalentibus; vel reuerentia in virum, siue aliorum contemptu retrocessuris. Erant qui dicerent, ausurum Philippum Tassis, si Lorca mansisset; & multis longam eius dominationem dudum pertæsis, quos sibi conciliasset, prævaliturum.

Quin

Quin Lorcam ipsum insurgentium motuum gnarum, mœrentemque, valetudinem suam præcipitasse. Ego de viro magnanimo non credam succubuisse timori, mœrorive: quamuis nec dubitem Philippo in votis fuisse iugum excutere; nec defuturos, si palam id auderet, qui sequerentur; charitate in ipsum; an tædio longæ, & absolutæ, vt dicebant, dominationis; seu tandem solita, peneque congenita cunctis mortalibus; nouarum rerum libidine.

XXI. Obiit Compluti, cum dolor colicus, quo Matriti correptus fuerat, in punctulariã febrem degenerasset; obsistente nequicquam Petro Garcia (insigni illo Esculapio nostri æui) atque altè dolente, quod non daretur medicinæ regulis tantum virum saluti restituere, aut vel infirmum parumper retinere. Cùm mors instaret, protestatus est (rarum atque æterna memoria dignum) se multa forsan contra bonum publicum, ex ignorantia rerum, aut personarum; contra conscientiam in publicis negotiis nihil vnquam fecisse, quo se apud Deum timeret posse grauari. Illorum veniam petere cum Paulo. *Quia ignorans fecisset:* horum, in quantum tunc recordebatur, nisi aliqua ignorantia premerentur, iudicium desidenter subiturum. Constat, tres viros, quos præ aliis diligebat, cum minus aptos ad regendum expertus esset, non vltra ad dignitates promouisse, quamuis multis placerent: sed aliis honoribus, functionibusque, quibus pares putabat, honestasse.

XXII. Funus solemni ritu peractum est, certantibus togatis, atque Doctoribus, Proribusque, & viris Religiosis, quis maiori apparatu parentaret Magistro Lorcæ. Addita est exequiis oratio funebris; quam Mag. F. Laurentius de Zamora pro nostris declamauit, sub hac Thesi, quæ vix alteri posset adaptari: *Eminebat super omnem populum ab humero & sursum.* Et thesim plausus omnium sequutus est, quia viri merita inuidiam superabant.

XXIII. Philippum Tassis, audita morte Lorcæ, erupisse in lachrymas, multi retulerunt: alij è contra, dum quæ machinabatur tentanda cum metu, neque sine pudore consequenda; offerri sibi iam sine periculo, aut nota ingratitudinis, videret; facilè consolatum, atteſtabantur. Certè sublato Lorca, nullus reliquus, à quo sibi timeret. Nam Ludouicus Bernaldo assuetus obsequi, exuerat audaciam: reliqui inermes, & sine sequacibus; nec Duces, sed ducendi reperiebantur.

XXIV. Anno M.D.CXIII. die XXX. Aprilis obiit Ferrariæ Venerabilis Ambrosius cognomento Montezo, quem aliquibus clarum reuelationibus, per miracula etiam confirmatis, eadem die Menologio suo adscripsit Chrysostomus Henriquez: vitam & acta ad longum prosequutus in Thesauro perfectionis monasticæ, quo amandamus lectorem, qui scire volet. M.D.CXIII.

XXV. Die secunda Iunij, nam & hoc item anno dilata est, secunda Synodus interm edia celebratur in Palaciolis; nullo iam metu, ne dicam reuerentia Reformatoris, quo minus cuncta, quæ mente concepisset, exequeretur. Tum verò pro Magistro Petro de Lorca, quem à secretis habuisset duobus annis, Ludouicum de Estrada (renitentibus licet Diffinitoribus, qui hanc promotionem veluti præuiam, vt sibi in successorem cooptaret coniectabantur.) Hunc inquam, virum subrogari pro Lorca fecit, ab his, qui remanserunt; deficiente constantia penes senes; penes iuniores glisscente adulatione. Inde ex his, quos habuisset condiscipulos in supradicto Collegio Meyritano, Ioannem Dominguez, tunc diffinitorem, ad Curiam mittit, procuraturum negotia Congregationis, siue vt alij dicebant, curaturum, ne quà via turbaretur eius potentia pro eo in Diffinitione subrogauit. F. Didacum Sanchez Carracetensem, quem audiendis Sacris Confessionibus Monialium de las Huelgas, ab initio triennij præfecisset.

XXVI. Tum qui Salmanticæ, Complutique docebant, F. Angelum Manrique & F. Petrum de Ouiedo, Hortensem vtrumque, atque vtrumque ex Collegio Meyritano, vnumquemque, in ea, in qua docebat Academia, accipere Magisterij lauream iubet: datis vtique expensis necessariis ad sumptus Magisterij: Petro, ex redditibus totius congregationis; Angelo, quòd sumptuosior multo esset Laurea, atque Horta ex illo acquisiisset annuos reditus, ex quibus facilè posset prouideri; expensis propriæ domus; quod ipso anno in vtroque est exequutus.

XXVII. Dubitantibus an id facere possent; Diffinitoribus; quod ea facultas Capitulo generali, lege Congregationis, reseruaretur: idem Philippus Tassis fidenter respondit: se solùm alteri ex suis Condiscipulis, F. Gregorio Sanz Morerolensi, eandem dudum licentiam concessisse: quantò melius cum ipsis certiusq; qui idem semper constituunt Diffinitorium? Placuit responsum, aut quasi placuisset, approbatum à cunctis, Christophoro Martinez ansam dedit petendi pro se ipso, vt qui diutius docuisset, ad Magisterium etiam promoueri, Synodi illius licentia permitteretur. Neque quod aliis ipso iunioribus vltro concedebatur, potuit seniori, & petenti denegari. Ita quatuor Magistri prodiere ex hoc vno Capitulo; tum paulo ante declaratum esset, neminem ex illius licentia, Magisterij laurea donari posse. Vt palam sit, vel in ipsis familiis Sacris, rarò qui dominantur, parere legibus; quin magis leges sibi subiectas facere. Ex his quatuor Magistris, tres priores, Reformatoris coæui, & condiscipuli: quartus

tus paulò antiquior omnibus erat; sed qui à docendo non nihil diuertisset. Visitatores septem Ecclesiarum, siue Reformatoris, renuntiantur F. Raphaël Abarca sancti Petri ad Gumiel, & F. Michaël de Sada Salmanticensis Collegij vterque Abbas, atque vterque natione Aragonensi, hic Spinæ Monachus; ille Matæplanæ.

XXVIII. Soluta Synodo, cum Congregatio Lusitana, siue Alcobacensis intestina dissidia pateretur; & Monachi sibi inuicem suspecti, indigerent externa visitatione; duos ex nostris viros Philippus III. componendis tumultibus, elegit, Magistrum F. Ludouicum Bernaldo de Quiros Reformatorem emeritum, & Sacrorum Biblium Professorem primarium Salmanticensem; & F. Miachaëlem de Sales Salmantinum Abbatem, quem modo electum in Synodo intermedia memorabamus, inquirendis erratis Reformatoris. Hi porrò statim Salmãtica egressi, Lusitanas Ecclesias per annum integrum, nec sine ingenti fructu visitarunt: celebrato sub illius finem Capitulo, tanta omnium concordia, vt ferebatur vt nullum prorsus vestigium dissensionis, sed nec scrupulus leuis relinqueretur.

M.DC XIV. XXIX. Anno M. DC. XIV. dum Lusitaniæ motus componebantur, in Castella, dissidia pullulabant; quæ inter Reformatorem, visitatoresque primo suborta, vniuersam inuoluerunt congregationem. Visitabant Ecclesiam Morerolæ Diœcesis Zamorensis, cui F. Gregorius Sanz, vnus è quatuor recentibus Magistris, Abbas præerat. Cœpta visitatione, recusatis, Reformator cessare à visitando, atque processum hactenus formatum tradere iubet. Illi se in nullo, quod ad officium spectet Reformatori subdi; æquam omninò cum eo iurisdictionem: independentemque à Capitulo traditam; atque ita decretum allegabant.

XXX. Promulgatis à Reformatore censuris contra non obedientes, alter cessit, F. Melchior Lopez: vitando scandalo, & ne ardor præceps moderationis nescius, ex resistentia, in Philippo ad violentiam prouocaretur. Alter, Petrus de Orgaste constãs, aut contumax, (nam vtrumque audiebat) cum nullis penitus precibus, aut minis, vt obediret, posset persuaderi: publicè declaratus, vitatusque carcerem etiam & vincula perpessus, immobilis nihilominus permansit: quousque congregati Diffinitores prima die Martij, metu, an iudicio (& primùm inualescebat) pro Reformatore sententiam pronuntiarunt. Abfuere tamen grauiores ex eis duo, F. Hieronymus Hurtado, & Mag. F. Laurentius de Zamora: rigore hyemis, & viarum difficultatibus, vt ipsi obtendebant, cum tamen alij Reformatoris animositatem, cui impares essent, veram absentiæ causam submurmurarent.

XXXI. Erat timori cunctis in Philippo sublimis spiritus, claritate sanguinis, atque potentia sæculari nixus; cedentibus facilis, sed obsistentes, quò magis mitterentur, eò impetu maiori obruiturus. Nec mortuo Lorca, quem ipse vexaretur, relictus aliquis; maximè tunc occupatis in Lusitania duobus illis viris, Ludouico Nimirum, & Michaële; quorum alteri velut superiori, cui olim subfuisset; alteri, vt sibi amico & familiari, iam multis abhinc annis gerebat morem.

XXXII. Accidit interim, vt à Philippo III. ad Ecclesiam Fiterij, quæ à morte Ignatij Firmini adhuc vacabat, præsentaretur. Tum vero ipse, quo minus metuẽdus, vtpotè discessurus, & minus metuens; eò plus reputans sibi decorosum, si successorem, quem vellet subrogaret; atque eò audentior, Ludouicum de Estrada palam proponit. Monachum verè pium, & Religiosum, neque imparem muneri; si non illi à secretis, ipso eodem triennio datus fuisset. Nam quis exinde Reformator erit, qui non velit officij successorem, quam à secretis habuit, quem sibi fidum per triennium expertus fuit? Id munus semper iunioribus committi, quales continuus labor, & officij occupatio videntur exigere: nec subueniri satis Reformatoribus, si senes exercentur. Reformatorum è contra dignitatem prouectiores, senioresque requirere: nec posse transitum immediatum dari, sine legum alterius transgressione. Nihil antiquius his, qui imperium ponunt, quam velle retinere: nec retinendum in alio certiori spe, quam in eis, qui seruitium, & obsequium per integrum triennium iam imbiberint. Non relinqui electionem Congregationi, si succedant Ministri: nec secretarios deinceps designandos, sed Principes Imperij successores.

XXXIII. Hæc & similia cunctis murmurantibus, atque multis suadentibus Philippo, vt alium pro se quempiã substitueret, pertinaciter restitit: & se vllum alium præpositurum, atq; hunc sine æmulo eligendum, dum iactat fidenter, omnium penè suffragia illi confirmet. Et iam Diffinitores soli, visitatoresque, qui eligi deberent, consultabantur: de Reformatore nullus dubitabat. Ludouicus Bernaldo, Michaëlq; à Lusitania reduces, ex aduerso steterunt cum paucis senibus sed multis iam adhærẽtibus Philippo, id vnum cõsequuti sunt vt vincerẽtur.

XXXIV. Quinta die pro more mensis Maij, congregato Capitulo, Diffinitores per suffragia prodiere, F. Paulus de Montaluo Toleti Abbas (relicto Ludouico Bernaldo Reformatore emerito, primario interprete sacrarum litterarum in Licæo Salmantino, & tunc recenti Lusitaniæ Reformatore) F. Raphaël Aberca, sancti Petri, F. Bernardus Granero Superati,

F. Andreas

F. Andreas de Corduba, Meyræ, Magister F. Petrus de Ouiedo Complutensis Collegij omnes Abbates; & sextus tandem, qui in Reformatorem disponebatur Ludouicus de Estrada tunc Diffinitor, ante annum Secretarius Reformatoris, Visitatores F. Basilius de Lerena Spinæ Monachus, & Vallis-Dei Abbas, & F. Philippus Ramirez Saltus-noualis, qui præerat Ecclesiæ Reuisicci. Hæc prima die; neque omnino, sine formidine, quia Ludouico Bernaldo Parenti omnium, antepositum Paulum de Montaluo, vel ipsi qui fecissent, indignabantur.

LXXVIII.

LVDOVICVS DE ESTRADA REFORM. XXVII.

I. At postquam nox opperuit cunctorum vultus, & sola remanebat conscientia nauatæ operæ; atque metus ex læsis, si prævalerent; tum verò omnes obstinati animis, pro Philippo de Tassis, Ludouicum acclamant Reformatorem. Sequenti die, celebrata pro more Missa, atque habita concione, electus est, tot suffragiorum numero, vt vulgò crederetur, potuisse, si voluisset, non confirmari. Quippe electus per duas ex tribus partibus, quo casu non egebat confirmatione. Adeo plerumque, quæ cum metu incipimus, si semel succedant, cum audacia & fiducia confirmamus.

II. Estradæ loco, in Diffinitorem substituitur F. Christophorus de Mora Nucalensis, & & Monachus, & Abbas, magni illius D. Chrystophori de Mora Comitis de Castelrodrigo nepos ex fratre, qui Philippo secundo Regi Catholico, cognomento prudenti, è primis tribus ministris vnus fuit. Philippus Tassis cuncta sibi ex voto cedere videns, contentus gloria Secretarij successoris; reliqua omnia ipsi, Diffinitoribus distribuenda permisit: tum demùm se fœlicem arbitratus, si non solum quos voluit elegisset, sed & voluisset tales, qui non egerent aliena directione.

III. In hoc Capitulo statutum est, vt Reformator in singulis Ecclesiis, prima vt minimum vice, solemni pompa, & cum *Te Deum laudamus*, susciperetur. Vt is, qui à secretis erat Congregationis, cuius officium tempore Capituli hactenus permansisset; ex tunc ad totum triennium prorogaretur; addita illi in Capitulo futuro voce actiua, & passiua; iniunctoque, vt intermediis Synodis assisteret, & cunctis in eis tractandis fidem faceret. Quod Paulus V. concessit non multo post, licet cum restrictione, quæ postmodum indiguit declarari; etsi dicam, quod sentio, vel post declarationem obscura manet.

IV. Cum ædificia Collegij Salmantini tardiùs surgerent; atque ipsis celerius perficiendis sub Thoma de Salzedo, Collegis vacuum, mox restitutum sub Philippo Tassis esset; accepta tamen ad expensas fabricæ non leui summa quatuor millium ducatorum, ex quibus annui reditus dum non redimerentur, soluendi forent: præceptum est, vt tres Gallæciæ domus, quæ præ cæteris áliis abundabant, Montis-rami, Milonis, Hoyæque, integram summam penderent; aut si differrent, reditus persoluerent, quousque tãdem Collegium liberarent. Atque hoc vltro datum Salmaticensibus, cum penè soli Stradæ restitissent; pacati omnino animi; & publica priuatis anteponentis, ingens, & cunctis laudandum indicium fuit.

V. Soluta Synodo, & singulis ad propria restitutis, Philippus Tassis vltimum vale dixit Congregationi. Atque ad suum Fiterium transmeauit. Sed ô acerbam, & nulla prorsus arte, nulla potentia eludendam Humanam sortem! Vix nouæ dignitatis fastigium tenuit, cum præceps ruit. Ætatis suæ anno XLI. plùs minusvè, quando florens iuuenta, atque integra firmus valetudine, totidem fermè aut circa superuicturus; quando propinquitatibus subnixus, fauore validus, & ipse per se potens, atque hactenus fortunæ suæ Dominus, plures, & superiores dignitates adepturus, merito sperabatur; graui morbo correptus, viuere desiit; nec tam Fiterij sedem, vt putauit, accepit, quam sepulturam.

VI. Doluit Philippus Tertius Rex Catholicus, virum sibi substractum, Ecclesiæque, quo vti in multis possent, verè Magnanimum, & quem putabat dignum longiori vita. Nec dubiũ quin, si ad senectam peruenisset quæ ardorem animi, & si non omninò absumeret, recondere non nihil, & temperare: parem omnino rebus, quantumuis magnis, aut fortè supra, potuit sperare. Doluit Hispania immaturam mortem hominis, quem ad hoc tantum nouisset, vt ammitteret; & amissum maiorem reputabat, cum magnus esset. Doluere nostri, qui non nihil acerbum tulerant, nec videre maturum; & vel acerbo gratia quædam inerat, quam, etiã qui stupebant, prosequebantur. Philippum Tassis excepit Fiterij Ferdinandus de Andrade Monsionensis (præsentatione Philippi III Regis) cuius supra meminimus; & mortem eius, atque vtrumque exordium, per ipsum publicatam infra dicemus.

VII. Eundem annum, Ludouici Estradæ primum, funestauit non minus acerba mors, etsi immatura minùs, Magistri fratris Laurentij de Zamora Hortensis, quem tot volumina in communem lucem data, atque toties cussa, recusaque, celebrem reddiderunt Christiano orbi.

bi. Obiit Compluti, cum non multò ante Sacrorum Bibliorum Cathedram, vltro sibi oblatam, modestus recusasset: quasi impeditus longa valetudine, quam ex continuis studiis contraxisset non posset muneri tanto satisfacere. Obiit autem ad Bernardi Parentis similitudinem, cum in explanando Cantico Canticorum, multis ante diebus totus esset. Quod vnum opus, quia imperfectum reliquit, an quia nos incurioſi, hactenus latet: reliqua omnia per orbem circumferuntur, non sine ingenti fructu concionatorum.

VIII. Habuit Laurentius natiuam patriam Oleades, (vulgò Ocaña) parentes honestos, indolem ingenuam, mores compositos. A tenera ætate professus Monachum in Monasterio Hortæ, & poësim supra alias artes exercens, carmina Sacra plura; & inter ea, historiam Saguntì texuit, quæ mox, ipso inuito vulgata fuit, & multo plausu lecta, ac celebrata (*la Segunti̇na*) æmula Historiæ Arauci, quam Erzilla vocauit *La Araucana*. Sacras mox litteras, & didicit, & docuit: in Scholasticis facilis, & promptus; sed ad expositiuas longè propensior, quas fœliciter coluit; & fructum sui laboris opimum tulit. Neque interim immunis à Dignitatibus: in Abbatem Hortensem bis propositus, & semper electus, semel administrauit, secundo cessit: non impar oneri, aut ocio vacaturus: sed Cathaloniæ Philippi III. iussu maiora moliens, dum Populetum, sanctas Cruceſque, insignes Ecclesias, visitat, & reformat, potens opere simul, & sermone: neque minus exemplo persuadens, quam verbo docens. Diffinitoris Visitatorisque officia inter nostros, vtrumque habuit: alterum exercuit; alterius exercitium impediente Tarraconensium, quæ tunc etiam durabat, Visitatione. Magnus vbique, vbique venerandus, præeunte virum fama quocunque iret: ex scriptis præcipuè quæ vidit celebrata per totum orbem. Hinc epitaphium sepulchrò eius impositum, quamuis rude, & incomptum, pondus præseferens:

Sermones sacri, conscripta volumina dicunt:
Non latet modio, qui latet hoc tumulo.

IX. Reuixit etiam frater Augustinus Lupezius Vallisbonensis, inter insignes viros memorandus, eo vel maximo, quod Cistercienſibus Virginibus strictioris, primitiuæque obseruantiæ, ipse primus, & initium, & leges dedit: quas tunc legatus sedis Apostolicæ primum; inde Clemens VIII. approbarunt, confirmaruntque, pro Monialibus sanctæ Annæ ad Vallisoletum: Vnde per vtrumque Castellam, in diuersis vtriusque monasteriis; demum egressæ Hispaniam, gloriosè & abundanter fructificarunt.

M.DC XV. X. Annus M.DC.XV nostris Salmanticæ, & Compluti lætus fuit; obtentis intra paucos dies duabus Cathedris, Sacræ Theologiæ vtraque, Vespertina, Compluti per Mag. F. Petrum de Ouiedo, & Salmanticæ, Scoti, per Magistrum F. Angelum Manrique, Hortensem vtrumque, quos paulò ante promotos ad Magisterium, Capituli intermedij iussu, sub Philippo de Tassis commemorauimus. Et Petrus quidem destinato Consilio, cùm Cathedram minorem obtineret, à morte Lorcæ, in arenam descendit: Angelus cum subscripsit oppositioni, nihil omnino minus cogitabat. Sed poscentibus, in quorum arbitrio erat, & his, qui præcessuri videbantur, vltro cedentibus, subscribere à Ludouico Bernaldo tunc Abbate Collegij, compulsus est: Reformatore inscio, atque adeò distante, vt consensus eius non potuerit expectari. Erant qui dicerent, non fuisse necessarium, concessa his, qui docerent in Collegio, per priuilegium Iulij Papæ II. ampla licentia: nec adhuc limitata per nostras leges, ad eos, quos Reformatores designaret: & si iuri communi standum esset, solius Abbatis licentiam desiderari.

XI. Nihil in rebus humanis adeo bonum, adeo vtile est, vt non possit nociuum apparere. Celebrato Capitulo intermedio in Palaciolis decima die Maij, quominus Cathedræ in publicum prodirent, condemnarenturque, ne ipse Petrus de Ouiedo, qui tunc præsens, & Diffinitor erat, obuiare potuit. Nam alias familias ad docendum institutas, quæ id cum laude faciant: nostram, Angelicam vitam æmulatam, atque diuinas laudes, & cœlestium rerum contemplationem ab initio professam: cui ad alios docendos transitum faciat? Prodesse omnes Ecclesiæ publico bono: sed illas documentis, consiliisque: nostram, fusis ad Deum orationibus. Et vt illas culpandas, si non docerent, quamuis meditarentur, orarentque: sic nos orantes, si pariter doceamus Bernardo teste Monachi esse lugere, non docere: & nos omisso planctu, lachrymisque, aliorum institutioni operam demus.

XII. Collegia à Patribus meritò instituta, vt nobis discamus: si ad alios docendos vsurpentur, quid nisi apostasiam à Monachatu, & præuaricationem futuram fore? Iam si ad hoc munus vltra vocaremur, quia cæteris aptiores: tollerabiliùs, & sancto exemplo, fortè excusandi. At per æmulationem, ambitumque, cum aliorum inuidia, ingeri Cathedris, quando speciem honesti præseferat? Sanè vt certandum aliquando sit, de pietate, humilitateque: non de honoribus, & publicis stipendiis instituendum certamen, à viris probis: & Christo condemnante vel in laicis eos, qui ad primas Cathedras aspirent: quo pacto in Monachis possit excusari?

Demum

Demum quod magis vrgere videbatur ; esto certamen de his etiam institui posset coram iudicibus rectis , integrisque : at coram scholaribus iuuenibus,quos pecunia corrumpit,alliciunt munera, amor patriæ excæcat,induratque : & mille aliæ perturbant affectiones ; quis cordatus,non dico Religiosus,sed neque sæcularis certare audeat? Compluti obtentam à Petro Quiedo Cathedram,vt re vera his malis subiacuerit,subiacuisse rumoribus,qui non minus dedecori esse solent. Quod si,quam Angelus Salmanticæ est adeptus, ab his etiam immunis, vt verè fuit,at rarum hoc omninò,& sine exemplo,nec sperandum vlterius euenturũ.

XIII. Decretum est,ne vltra quis ex nostris ambiret Cathedram;quod tamen,an à Capitulo intermedio nisi ad summum pro residuo illius triennij,potuerit sanciri,dubitabatur. Et additum,(taxando,vt quidam murmurabant,Angeli facto)neque vltro oblatam acceptaret, sine expressa licentia Reformatoris. Porrò Mag. Fr.Dionysius Cucho Vallis-bonensis , qui Tomum de Incarnatione Mag. Lorcæ, Reformatoris iussu , publicauerat , laurea Complutensi donatus est ; id est, licentia, expensisque ad ipsam : sub ea tamen expressa conditione, ne Cathedram in ea Academia posset ambire. Quod ab aliquibus ex obseruantiæ zelo factum ; ab aliis trahebatur ad alios fines.

XIV. Soluta Synodo,cum nondum discessissent Diffinitores vrbe Vallisoleto,quæ secundo lapide distat à Palaciolis , oblata est Ludouico Reformatori abdicatio Abbatiæ Salmaticensis,à M.Ludouico Bernaldo missa(incertum,quibus causis)nam ex multis obtentis,nulla idonea ; nec veram coniectari facile erat. Quæcumque impulerit,acceptata est;& subrogatus M Fr.Nicolaus Brauo Superatensis , qui tunc Theologiam docebat in Palaciolis.

XV. Mense Augusto,(huius, an præcedentis anni,non satis memini) in die B. Virginis ad Niues, quæ ante annos duos & viginti,plus minúsve conflagrauerat igne, nobilis & antiqua Ecclesia Saltus-Noualis ; iteratum incendium passa est, proiecto lumine, incuria cuiusdam iuuenis,inter ramos arentes,qui ignem simul hauserunt, & ministrarunt. Supra viginti millia ducatorum æstimata ruina:& nisi Procerum & Patrum sepulturæ,in loco quiescentium, retinuissent ; iam de conuentu transferendo ad Vrbem Legionem tractabatur;quod populus, quod Clerus , quod potentiores vrbis desiderabant. Et transituris vltro offerebatur aula Regum Legionis , quæ commodè accipere venientes , & permansuris , in conuentum aptari facile posset.

XVI. Hoc ipso anno,Ludouicus Reformator vocatus à Philippo III Rege Catholico, Matritum adiit,vt de vnione Ecclesiarum Regni Nauarræ,quam Rex summè optabat,corã conferret. Et designati duo magni viri, D.Ioannes de Acuña, Supremi in Regnis Castellæ, Senatus Præses,& Ægidius Ramirez de Avellano,à Cameræ Consiliis Secretoribus;qui rem cum ipso exactè deliberarent. Multis pro vnione rationibus propositis , multis contra vnionem ; post longam collationem inuentum est, in vi priuilegiorum obseruantiæ,si Ecclesiarum Abbates , & maior pars conuentuum consentirent, sine alio indulto Sedis Apostolicæ, vllâve dilatione, vniri posse. Tunc expeditæ litteræ ad singulos Abbates & conuentus,quibus eorum consensus postulabatur. Annuere statim duo ex ipsis, Iranzu,atque Marcilla,obsequio prompto , neque dubij de propria vtilitate. Quin & Fiterium , cuius adhuc, à morte Philippi de Tassis vacabat sedes, dicitur consensisse, duobus tantum Monachis, ex vniuerso conuentu, contradicentibus. Et potuit statim pro iis perfici vnio : Verum Oliuæ,atque Sancti Saluatoris de Leyræ Abbatibus acriter repugnantibus, dum omnes expectantur , nullus admittitur ; atque interim alij etiam tepescunt aut retrocedunt.

XVII. Anno M. DC. XVI. Visitatorum cum Abbate Hortæ dissidium, & Reformator Abbati plus nimio fauens,Synodum intermediam traxere Hortam:& ferebatur,Ludouicus Estrada successorem optare virum aliàs grauem,neque indignum in officio illi substitui. Inde orta suspicio, non ob dissidium illuc aduentare, quod facile componere potuisset ; sed ex dissidio, occasionem arripuisse, qua Diffinitores, Visitatoresque, atque alij Abbates , Hortæ hospicio susceptis, Ioanni Maldonato (nam id Abbati nomen) conciliarentur. M.DC.XVI.

XVIII. In hoc Capitulo politia omnis Monastica tentata euerti ablatis Ecclesiarum filiationibus atque duabus tantum designatis,altera in Castella,in Gallæcia altera ; quæ Nouitiis paterent;neque in cæteris aliis admitterẽtur. Prouiso interim,quod nullus in ea domo,in qua professus esset,in Abbatẽ proponi;neque ad aliud officiũ assumi posset. Sic relegari affectiones fraternitatũ,æmulationesque,quæ inter Monachos diuersarũ Ecclesiarum,non sine graui damno gliscere solent. Sæculares affectus in Religione,hactenus non relinqui,sed cõmutari. Quid enim refert,siue eiusdẽ sanguinis,siue eiusdẽ Ecclesiæ personæ coëant;dũ omnes æquè mutuò sibi faueant, æquè in cæteros alios arma sumãt? Si numerus taxetur Ecclesiis singulis promouendorũ ad officia & dignitates,sæpè multos digniores relinquẽdos,quia numerũ excedũt;assumẽdos indignos,vt illũ impleãt. Si nõ taxetur,qui rerũ potiti fuerint,ex sua Ecclesia cũctos assũpturos. Sic si nõ possint in officio Reformatoris filij vnius Ecclesiæ sibi succedere;

facilè euenturum, vt Congregatio dignissimo fraudetur: si possint, successionem hæreditariam statim expectandam, à Patribus ad filios, siue ad fratres Porrò hæc mala, atque alia illis similia, cessatura omninò, si nulla filiationum discretio fiat.

XIX. Iam proprietatem, seu rerum temporalium solicitudinem, quam votum paupertatis prorsus abhorret; commutari non minus; atque in sola materia variari, retenta forma. Abesse namque dominium à personis; verùm penes Ecclesias conseruatum, eosdem prorsus affectus excitare, easdem curas, easdem solicitudines; & quod peius est, easdem dissensiones. Erant qui dicerent (verè, an falsò, dubium?) pro legibus condendis grauandis Monachis, suppliciis inferendis etiam grauissimis; atque id genus aliis pronuntiandis; rarò in Diffinitorio voces auditas: pro taxandis cuiuscumque Ecclesiæ contributionibus, siue aliis oneribus; contentiones frequenter; nonnunquam etiam discordias pullulasse; nempe cætera omnia communia sunt: solæ Ecclesiæ, quia propriæ, animos diuidunt. Quæ omnes tangunt, exactius peragenda, ab omnibus vnitis, quam à singulis: qui si vnusquisque propriæ domui consulat, dum in contraria tendunt, nihil efficiunt. Tum si vna domus ad inopiam redigatur, si patiatur iniuriam; si litem habeat; quanto promptiora, maioraque subsidia simul ab omnibus valeat experiri? Ideo grauissimas, recentesque familias, cum omnia contulerint, hoc vnum elegisse: haud dubiè, quia melius, vtiliusque; nec nostris in Italia displicuisse, inter quos vna Clara-vallis Mediolanensis alit nouitios totius Congregationis Hæc & similia aliquorum mouerunt animos, vt faciles in hanc partem pertraherentur.

XX. Cæterùm alij maturiori consilio vsi, & rem, vt erat, altius perpendentes, nouitatem suspectam habere primo; mox, etiam rem nociuam, quia inexpertam; demum vel si antiquã inuenissent, reiiciendã omninò disceptabant. Nam quæ omnũ sunt, nullius esse, & contemni ab omnibus; eóque longe facilius peritura: æmulationẽ in vitiis reprobari; laudari in virtutibus. Et quæ virtus glorioſior, aut laude dignior, quam eos, qui de propriis nihil curãt, seu veriùs nihil habent; de bonis Christi, & Ecclesiæ esse solicitos? Ea æmulatione Monasteria, non solum conseruari, sed augeri: si desit, fortè statim diminuẽda, si non in exterminiũ peruentura. Tenuibus Ecclesiis forsan vtile, quod omnes redigãtur in vnũ corpus: sed iniuriosum omninò opulẽtioribus; quas spoliare intẽdunt, vt alias ditent (nec aliud credi posse) qui hæc proponũt. Tum quando valeat scrupulo carere, quod fundatores Ecclesiarum pinguium, & illarũ vicini, vassallivè, defraudentur suffragiis, & eleemosynis, quibus alij fruantur prorsus immeriti?

XXI. Rerum naturam non constare æqualibus, imò neque concordibus; sed disparibus prorsus, atque contrariis: & ex illis pulchritudinem habere; ex his, vigorem. Idem omninò in mysticis corporibus: neque aliunde hæc duo certius hauriri, quã vnde ea naturæ Deus prouidit. Numerum dignitatum taxari sine incommodo; nempe versus supremum, non versus infimum. Neque vnquam præcipi, tot esse debere, & si non sint tot digni: sed prohiberi plures, & si sint; ne non digni, pro dignis substituantur. Quod si aliquis, quantumuis dignus, vacet, quod inconueniens? dummodo semper ex his, qui habiles sunt, eligantur meliores, & digniores? Idem omninò de Reformatoribus, cui certe muneri congruunt pauciores: neque leges ferendas ex his, quæ rarò; sed ex his, quæ plerumque solent contingere.

XXII. Iam si æmulationes Monasteriorum, si personarum inhabilitates intenduntur vitari, quæ nocentiores, perniciosioresvè, quam quæ vniuersam Congregationem in duas ferè æquales partes diuidunt, ex duabus Ecclesiis computandas? An quia pauciores matres, minus amabiles? aut plurium sterilitas, fœcunditati laudem, aut veris natis filialem affectum dement? Stabunt magis ex aduerso acies, insita ab ipsa pueritia æmulatione: & iam non filij plurium Ecclesiarum, quas hodiè iunxit casus, & cras diuidet: sed filij Castellæ semper sibi aduersos Gallæciæ filios; & hi è conuerso illos æmulabuntur: & vel nihil erit, quos victoribus non cedat, vel similia interstitia præscribentur; quo plures comprehendant, maiori damno; quia pluribus exclusis, etiam dignioribus.

XXIII. Quid, quod multa Ecclesiarum ministeria à Nouitiis dependent? Quid, quod ipsa monastica obseruãtia ægrè sine ipsis valet conseruari? Alias familias destinatas ad alios fines, atque diuersis institutas legibus, diuersa media eligere potuisse: nostræ, cuius expressius votum est, stabilitatem in loco promittere; vix, aut ne vix omninò congruum esse, nulli adiectos Ecclesiæ, per omnes sine differentia diuagari. Præualuit hoc Consilium, quia antiquius, quia regulæ conformius: & qui rem mouerant, vltrò destiterunt, rationibus conuicti, aut spe deiecti: nec dubitabant, si res in Capitulo generali futuro proponeretur, quacumque authoritate subnixa esset, reclamaturam vniuersam Congregationem.

XXIV. Relatum inde de exemptione Montsionensium à publicis oneribus, quam quod ipsius subsidium renuissent (quod tamen semper soluerant) Reformator tentabat labefactare. Neque omninò nolebat esse immunes: sed inspecta concordia & priuilegiis, censebat multa esse, quæ non soluerent, cum soluere deberent; sola ostitantia, aut incuria antecessorum. Nam

primò

primò quidem, quod ſoluunt ſingulæ domus Collegio Complutenſi, ab eis etiam ſoluendum iuxta concordiam, cum creuerit pro aliis ratione temporum, pro eis etiam augendum diſceptabat. Deinde cum de Collegio Salmantico eadem ratio ſit, & ſolum in concordia omiſſum fuerit, quia inita ante illius erectionem: non idem prorſus pretium illi ſolui, contra omnem iuſtitiam aſſerebat. Tertiò, in expenſis generalis Synodi, quas alij Abbates ſoluunt, aliquid eſſe, quod onera reſpicit Congregationis, à quibus Abbas Toleti ſit immunis: cæterum aliquid, quod victum ipſius concernat; à quo, quo iure indemnis reputetur? an quia liber, ab oneribus communibus, ideo ipſe ab aliis debet ſuſtentari? Longè aliud eſſe Montis-Sion Abbatem non contribuere; aliud cæteros tributarios ſibi facere. Pro alendis aliis, qui veniunt ad Capitulum, nihil imponatur: ſed neque alij grauentur, vt ipſum alant.

XXV. His plura alia addebat Ludouicus, ni conſuetudo contrarium obtinuiſſet, adeo rationi, iurique conformia, vt negari non poſſent: & vel ſibi fauente conſuetudine, Montſionenſes timuerint condemnari. Manſit tamen negotium in ſuſpenſo, vſque ad Capitulum generale proximum, in quo per diffinitorium decideretur. Erant qui dicerent, cohibendo Abbati factum, ne ſe Reformatori, dum præeſſet, auderet opponere; alij è conuerſo, Reformatoris zelum, ab omni affectu immunem, commendabant: qui non timeret alienare à ſe Abbatem, quem ſciret in electione ſucceſſoris, ipſo abſente, præfuturum Congregationi.

XXVI. De Magiſtro Fr. Angelo Manrique, duplici titulo dubitatum eſt, ſuffragium ferret in Capitulo futuro, an deberet, aut poſſet? altero, quod lauream Magiſterij, non Capituli Generalis iuſſu, ſed intermedij accepit; altero, quod ex duodecim annis lecturæ, qui neceſſarij erant, intermiſiſſet vnum, quo integro Collegio, caſu accidenti, defuiſſent, qui docerentur. Conſultis peritioribus iuris totius regni, pronuntiatur, nihil horum illi obeſſe; non primum, quia Capituli intermedij factum, à Capitulo generali poſtea approbatum fuit: & iuxta regulam iuris receptiſſimam *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.* Non ſecundum, quia ex ſimili alia regula, *Cum non ſtat per eum, per quem implenda eſt conditio, quo minus impleatur, habenda eſt perinde, ac ſi impleta fuiſſet.*

XXVII. Hic annus Nucalenſibus glorioſus, ad ſuperos tranſlatis duobus viris opinione ſanctitatis inſignibus, altero in Hibernia, in Gallæcia altero; atque vtroque hos Annales, atque vniuerſum Ciſtercium illuſtraturo. In Hibernia obiit Fr. Candidus Forlongius, natione Hibernus, patria Vvexfordenſis, genere nobilis, & dignitate, vt ſui omnes ferebant, Apoſtolis Hiberniæ ſubæqualis. Is poſtquam Angliam, Galliam, Germaniamque, atque omnem Italiam peragraſſet in iuuenili ætate, in Hiſpaniam appulit, vbi & diu moratus, in Monaſterio Nucalenſi profeſſus Monachum; inde ad Collegium Meyritanum primò, mox ad Salmanticenſe miſſus eſt; in quibus Philoſophiam, & ſacras litteras non vulgariter doctus, demum ad prædicandum Euangelium in Hiberniam remiſſus; & ſermonem confirmans ſignis ſequentibus, & ſpiritu prophetico, ipſis hæreticis etiam reuerendus, cum plurimos ad fidem conuertiſſet, tandem hoc anno mortis ſuæ præſcius, ad ſuperos migrauit Vvaterfordiæ, ſexto nonas Maij, qua die memoratur in Menologio Eius vitam, & miracula quamplura, ante, & poſt mortem facta collegit Henriquez lib. 2. Faſciculi, diſt. 33. vbi quædam epitaphia eius recenſet, & in Menologio, hymnos in eius laudem.

XXVIII. In Gallæcia obiit eiuſdem domus alumnus Venerabilis Fr. Dominicus à puero IESV; ſic enim vulgò à noſtris appellabatur, quod puer IESVS nunquam ab ore eius excideret (adeo frequenter ipſum inuocabat, atque inferebat, quoties loquebatur ſingulis verbis) Vitam eius idem Chryſoſtomus Henriquez poſteritati mandat in ſuo Monaſticæ perfectionis Theſauro; memoratque vlterius in Menologio ad diem menſis Septembris duodecimam. Obiit in Monaſterio Melonis matura iam ætate, ſed quam multis vigiliis, ieiuniiſque, & corporis continua maceratione, ſupra naturam, ad mortem præcipitaueratsinde meliorem vitam incepturus, vt pie credimus.

XXIX. Intrabat annus M.DC.XVII. & Reformator, Philippi anteceſſoris imitatione, an quia hominẽ amabat, & cæteris digniorem eſſe credebat, Andream de Truxillo Monachum Vallis-viridis, quem à ſecretis hactenus habuiſſet, optabat habere officij ſucceſſorem. Itaque quodam ex Diffinitoribus, vt credebatur, officium abdicaturo; curabat Andræam pro ipſo ſubſtituere. Inde orta ſuſpicio, rumorque, per eoſdem gradus, per quos Ludouicus, à Philippo de Taſſis ductus eſſet, Andræam à Ludouico ducendum fore: nec deſtiturum, quoad vſque illum videret ſuprema in ſede totius Congregationis. Et erant multi, qui ſucceſſioni plauderent, atque Andream optarent rebus imponi: Charitate in ipſum & reuerentia, (nam vere vtraque dignus) atque inolita parendi conſuetudine. Verum nondum coalita potentia Ludouici de Eſtrada, neque cœpta timeri; pauci reſiſtere, plures tumultuari; alij vtrumque aſpernantes, in ſpem ſucceſſionis erigebantur. M. DC. XVII.

XXX. In his Mag. Fr. Petrus de Ouiedo, discipulis subnixus, amicis validus, Magisterio, & Cathedra insignis, & qui tum Abbas, tum etiam Diffinitor specimen iustitiæ, prudentiæque, atque aliarum virtutum præsetulisset. Ab hoc timebat Andreæ Ludouicus; & creditus impleuisse Angelum fuerat, vt, an vocem haberet in Capitulo, peteret declarari: quod eiusdem cum Petro Ecclesiæ Monachus (nam Hortensis vterque) & aliàs non ingratus Capitularibus, & si non æmulus (quia incapax officij, cum nondum in Abbatem promotus esset) at restitutus illi videbatur; vt quo semel ingresso, nouennio vt minimum foret retardandus.

XXXI. Hic status rerum perturbare potuit initium anni, atque exitum Triennij; si non vtrisque ingenita modestia continuisset vtrosque & viris illis de quibus agebatur, aut ignaris omnino, aut quasi ignari essent, abstinentibus, reliqui rari, nec nisi per Epistolas, & velut consultantes rem tractarent. Intrante Maio, ex dispensatione Reformatoris (nam legibus prohibitum) grauiores conuenere Vallisoleti. Ibi collatis sententiis singulorum, & computatis suffragiis, vt potuerunt, penè æquales vtrique: & pauci indifferentes, atque neutrales, negotium decissuri comperiebantur. Atque hi præcipuè ex Angeli amicis, discipulisque; vnde spes non exigua Reformatori, fore, vt dum Petrum declinat, sequatur Andream, atque hac ratione voti compos euadat. Vocatus Angelus, cum inducias popposcisset, vt secum ipse, atque cum Ludouico Bernaldo (communi omnium Patre, sed maxime ipsius) ac reliquis amicis deliberaret; sequenti die Ludouico responsum dedit.

XXXII. Andream de Truxillo, nisi obstaret exemplum pernicioſum in Ludouico cæptum, de continuanda successione per secretarios; parem omninò muneri, neque forsan ab his, quos consuluisset omnino respuendum; quamuis reuera ætate, atque functionibus longè inferiorem multis non dubitabant. Sed successionem vel in ipso Ludouico, qui primus fuit, & potuit esse solus, nociuam reputatam à prudentioribus; si continuetur, quanto nocentiorem? Et quantò difficilius impediendam? Neminem velle minorem apparere, quam qui præcesserint; & si vel semel Abbatia tenui functum, quem habuit à secretis, ipse subroget; quando Andræas quencumque sortitus fuerit, pluribus insignitum titulis, (nam nec potest paucioribus) non volet pariter sibi subrogare? Vnde sequentium æmulatio gliscet; neque aditus ad Generalatum patebit, nisi per calamum.

XXXIII. Esse in congregatione viros illustres, ætate maturos, experientia prouectos, atque variis functionibus probatos, & fideles inuentos: & tales iure constitui supra maiora. Neque eos deesse inter eius familiares; neque enim velle se alienos proponere, quos & si non suspectos, saltem vt minus fidos timere posset) esse, inquam, inter eos insignes viros, Fr. Raphaelem Abarcam Mataplanensem, & Fr. Franciscum Nieto Saltus-noualis. Eligat ex duobus, quem malit vnum, sine vllo cunctamine eligendum. Sin Andreæ insistat, neque alteri consentiat, Petrum omninò à suis Prælatum iri: à suis, inquam, cunctis, & à seipso; qui non adeo priuatis rebus incumbat, vt non præferat publicas. Et Mag. Fr. Petrum de Ouiedo virum doctum, prudentem, Religiosum, & tum Abbatis, tum Diffinitoris officiis cum laude functum, cũctis pensatis, si Andreæ comparetur, bono publico aptiorem iudicari.

XXXIV. Timuerit euentum Ludouicus, an cesserit rationi, cui multum deferebat, in dubio est. Constat, multis ex suis contradicentibus, consensisse propositis. Mox, deliberatione cum ipsis habita, Fr. Franciscum Nieto prætulisse, tunc Compluti Abbatem, qui sibi in successorem subrogaretur. In diffinitoribus, Visitatoribusque optantibus meliores, facile conuenire vtrique fuit. Itaque quinta pro more die eiusdem mensis ingressi Palaciola, Missa de Spiritu sancto decantata, & cæteris, quæ præmittenda erant, præmissis.

XXXV. Diffinitores per suffragia prodierunt Mag. Fr. Ludouicus Bernaldo de Quiros, post quem quinque Abbates, Fr. Gaspar de Vbeda, sancti Martini de Cartaneda, Fr. Hieronymus Montoya, S. Annæ Matritensis, Fr. Christophorus Martinez Montis-feri, Fr. Raphael Sanchez sancti Claudij, atque Hoyæ F. Vincentius de Gueuara. Visitatores Fr. Raphael Astete, & Fr. Thomas de Artiaga, ille Saltus noualis, hic Vallis Ecclesiarum vterque Abbas.

LXXIX.

FRANCISCVS NIETO REFORM. XXVII.

I. Postera die, cum iam, qui fauebant Petro, ex euentu electionum præteritarum animo cecidissent, longè maiori suffragiorum numero, Reformator, & Pater Congregationis renuntiantur Fr. Franciscus Nieto Saltus-noualis Monachus, vir grauis moribus, canis venerandus, eloquio dulcis, ingenio promptus, diligentia & industria negotiis par, neque impar muneri

neri doctrina ac pietate. Nulli vnquam inuisus infensusve, ne illi quidem qui alios desiderassent. Sed neque eos, quos honoris æmulos habuit, sine honore reliquit. Andreas Truxillo Ecclesia S.Claudij, inter primas Gallæciæ, Petrus de Ouiedo Abbatia Complutensi donati sunt, disceptante Francisco satis modestè; sua interesse, qua posset promouere, & promoueri facere, quos à tot viris doctis, sanctisque sibi etiam Prælatos conspexisset.

II. In hoc Capitulo Fr. Angelus Manrique Salmanticensis Abbas creatus est, vt meritis inferior, sic fere vltimus ex condiscipulis cursus Meyritani, qui ad hanc dignitatem sunt promoti. Reliqua sine æmulatione, sine inuidia; neque quæsiti qui suffragium tulerint, aut qui laturi in futuram sperarentur; quod nonnunquam contingit: sed qui melius, vtiliusve præessent, & publica negotia administrarent, sine vlla acceptione, sine inuidia.

III. Id vnum accidit, quia rarum, memoria dignum, neque ausim dicere meritò accidisse. M. Fr. Christophorus de Mora, quem magni illius potentisque administri, eiusdem cum eo nominis, sub Philippi II. nepotem dixi; cum ab aliquibus Reformator acclamaretur, & in ipsa Capituli vigilia Vallisoleti (incertum quo errore) penè sine æmulo eligendus creditus esset: intra paucos Capituli dies, ab illa prima sede supremaque, ad Abbatiam Matritensem, vt ferebatur; mox & ab hac, ad aliam inferiorem Collegij Montis-rami; atque inde etiam ad propriam Nucalensem, quæ minus illi grata; demùm ante Capitulum solutum, nulli Ecclesiæ propositum, ab omni officio immunem euasisse. Erant qui dicerent, merito id passum, quod à Petro, ad Franciscum transiuisset sine speciali causa, nouave: alij, quia dum vtrique placere studuit, neutri placuit. Meliùs, interueniisse prouidentiam, atque dispensationem diuinæ gratiæ, vt vacaret ab omnibus externis, & soli Deo viueret, intra idem triennium moriturus.

IV. Fr. Thomas Cano Nucalensis, & Fr. Christophorus de Ouando Morerolensis Magisterij laurea insigniri permissi sunt: confirmata interim, & denuo promulgata Diffinitione, ne duodenarium numerum excederent, qui talibus insigniis decorarentur.

V. Hoc anno Vvaterfordiæ in Hibernia obiit Fr. Nicolaus Fagam Hibernus, ex Monacho Ferrariensi, & Collega Collegij Salmanticensis, ad prædicandum Euangelium in patriam missus: inde creatus Abbas Surienſis in eadem insula, demum electus Episcopus Vvaterfordiensis, sed nondum consecratus; cum multos conuertisset ad veram fidem, & Ecclesiæ Catholicæ vnitatem. Vitam eius, qui alias compilauit, Chrysostomus Henriquez, in fasciculo libro 2. dist. 34. inde memorat virum in Menologio, ad diem 8. Martij, vbi & longum epitaphium eius transcribit.

VI. Eodem moritur Mag. Fr. Ioannes Lupus Morerolensis; cum esset iuuenis, inter primos Congregationis, qui & mox Abbatis, Consiliarij, atque Visitatoris generalis munera obiuit, non sine laude: multorumque etiam ad sedem supremam destinatione. In senecta, aut fortunam, aut culpam luens, atque diù superstes, grauem damnationem, pari modestia, nec minori constantia tollerauit. Collegit tertium Tomum priuilegiorum Congregationis nostræ, atque Ecclesiarum omnium vnionem redegit ad ordinem, cuius verbis non semel vsi sumus in hoc Catalogo. Ob hæc scripta à Chrysostomo Henriquez in Phœnice, inter Doctores Hispaniæ commemoratur.

VII. Magister Ludouicus de Armendariz, qui ante quinquennium in Abbatem Oliuensem Philippi III. præsentatione assumptus, eximium prudentiæ & pietatis in eo munere specimen dedisset, eiusdem Regis iterata præsentatione in Episcopum Iacensem promouetur in Regno Aragoniæ, ne in eo munere diutius permansurus: vir planè magnus, in quo ingentes virtutes sola humilitas modestiaque celabant; sed postquam aliorum curæ præfectus est, iustitia & charitas, atque zelus detexerunt. Pro ipso in Abbatem Oliuæ subrogatur Fr. Michaël de Sada, quem dudum visitasse Lusitanos, cum Ludouico Bernardo memorauimus.

VIII. Annus M. DC. XVIII. tranquillus satis, neque vllo peculiari euentu insignis fuit. Capitulum intermedium ad XX. diem Maij dilatum est, quod Reformator aliquibus negotiis in Curia pertractandis detentus fuerit. Status Ecclesiarum pacatus obseruansque; & nihil correctione dignum, quamuis requireretur, inueniebatur. M. DC. XVIII.

IX. Finem anni funestauit propera mors Mag. Fr. Christophori de Mora, qui à sepulchro Apostoli Iacobi, ad Superatum rediens, deliquium passus, atque equo, quo vehebatur, ægrè descendens, sub arbore, quæ in via fortè se obtulit, parua mora interiecta, defunctus est; longiori vita dignus, & quem domestici, & exteri plorarunt. Non tamen potuit improuisa dici mors, quam longa infirmitate præuentus, iam à mensibus multis præstolabatur; non lecto decubans, nam eas inducias dabat, sed ex tumore, debilitateque, atque aliis accidentibus præmonitus non diù posse tardare. Vnde & Iacobi sepulchrum visitauerat, quasi ab ipso muniendus in vitæ exitu.

X. Annus M.DC. XIX. prospera aduersis in discursu miscens, in exitu supra modum acerbus fuit. Synodus intermedia celebrata consueta die, & designati septem Ecclesiarum Visitatores, Abbates Morerolæ, atque Nucalium, non quia in Reformatorem necessarij, de quo nulla querela; sed quia lex eligendos præcipiebat. Inde Matritum à Reformatore perrectum est; atque in Ecclesia Abbatiali S. Annæ, cui nullus lapis impositus fuisset, ex quo nostris accessit (tædio, an incuria dubium) ædificium tunc primum surgere iussit; amplum, & sumptuosum, neque indignum Cistercio, si perficiatur. Nempe Francisco, Monasterium illud, aut dimittendum, si alienum ab instituto; aut, si retineretur, ampliandum; curia Philippi, in cuius erat oculis, atque aliarum sacrarum familiarum exempla, persuadebant. Creuit intra annum fabrica, non parum; & sine vllo dubio ostensum est, quam si vellent, qui curant res communes, possint illas augere; & cum omittunt, oscitantiæ esse magis, quam impotentiæ.

XI. Eodem anno, quatuor Claustri ambitus Collegij Salmantini, qui per tot annos rudis, & imperfecti, nec totidem perficiendi sperabantur, consumati, & ornati decenter sunt, vt vix in tota Hispania pulchriores, siue sumptuosiores inueniantur.

XII. Hic idem annus in Valle-paradisi tristis, & lætus; sed vtrimque glorioſus, & faustus fuit; morte Fr. Ioannis Zazo, & translatione corporis S. Martini, vtriusque Abbatis magni illius Ecclesiæ, quæ paucos intra dies contigere.

XIII. Obiit Ioannes ætatis suæ anno LXXIV. habitus LV. cum officium Magistri Nouitiorum vltra viginti; Abbatis, per tres annos exercuisset, vir planè Sanctus æquè, vrbanusque; nec minus zelo pollens, quam mansuetudine. Liberalibus artibus, præcipuè Musica, Arithmetica, Astrologiaque supra doctos excellens: in sacris litteris doctus sine Magistro; & cui multi Doctores cedere possent. Mitti ad Collegia, rogatus, nunquam acquieuit; quasi qui satis se ad salutem scire; aut melius edocendum quod ignorabat, à Deo intra Claustra Conuentus planè cognosceret: quicquid vltra, superfluum, & vanum esse; fortè & periculosum, disceptaret. Officia tria à nostris pandi solita, ex quo habitum suscepit, nunquam omisit, etiam morbo grauatus: quin ipsa die; imò ipsa qua obiit hora, cum laudes matutinas recitaret cum duobus aliis Monachis, & illi initium Psalmi subsequentis naturali obliuione remorarentur, Ioannes Psalmum incœpit clarè, & distinctè, ante quem absolutum expirauit, serenus vultus, neque obuersis, aut fractis oculis; sed leuatis in cœlum, apertisque, atque adeo fulgentibus, vt nisi proderetur defectu spiritus, viuens quam mortuus posset reputari.

XIV. Quæritur hodiè & in magno pretio habetur Breuiarium Ioannis Zazo; id est, quod eius cura correctum prodiit anno M.D.XCV. & cum aliis contemptus à posterioribus; huic à duabus editionibus sequutis, maior gratia acreuit, & maius pondus. Sanctorum vitas collegit, vulgauitque, legendas in Choro, pro diuinis officiis celebrandis. Tum alia quædam omnia adeo exactè, perfectéque, vt quandiu vixit, nullus alius fuerit, cui tale aliquid in Congregatione committeretur.

XV. De translatione corporis S. Martini, primi domus Abbatis, hoc item anno celebrata solemni pompa, præstat tabellam, quæ in antiquo eius sepulchro relicta est, & rem exactè pandit, hic transcribere. Ergo in sacello (non longè ab Ecclesia) vnde sanctum corpus assumptum est, talis inscriptio hodie perseuerat: in qua quid olim, & quid hoc anno factum, breuiter, & dilucidè narratur. Sic autem habet:

XVI. *Sub hoc lapideo tumulo est lapis planus, & sub eo lapide est cauum lapideum, in quo sacrum corpus Patris nostri S. Martini Cidis, Abbatis primi huius Monasterij, (quod alibi constructum in initio dicebatur Monasterium Sanctæ Mariæ de Peleas, & huc translatum dicitur Vallis-paradisi) sepultum est, anno ab incarnatione Domini M.C.LII. in qua sepultura fuit asseruatum per LXXX. annos, videlicet vsque ad annum M.CC.XXXII. in quo anno transuectæ sunt à dicta sepultura; & præfatum sacrum corpus, ex Ecclesia prioris ædificij, ad hoc sacellum, quod ex tunc vocatur S. Martini Abbatis, vbi per CCC.II. annos mansit reconditum in prædicta sepultura lapide cooperta, & per multos annos clathro ferreo circunsperta. Postmodum ablato clathro, superpositus est hic tumulus lapidus non ruditer elaboratus anno M. D. XXXIV. quamuis à deuotis fidelibus pie fuerit deformatus. In anno autem M.DC.XIX. dictum sancti Patris nostri corpus translatum est ad Ecclesiam Monasterij, ibique in perpulchro tabernaculo iuxta altare maius glorioſissimè est collatum, per manus Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini D. Ioannis Zapata Osserio Episcopi Zamorensis, die VII. Octobris.* Hactenus tabella.

XVII. Translationi interfuere, præter Episcopũ, Dignitates, & Canonici plures Ecclesiæ Zamorensis; tum quatuor Abbates Congregationis, & Cleri, & populi infinita multitudo.

Nec

Nec multo post eadem vrbs Zamora ab Abbate, & Monachis, integro osse Sancti donata est, quod ipsa deuotissimè susceptit, atque in sacrario Ecclesiæ Cathedralis decenter collocauit non minori concursu Cleri & populi.

XVIII. Intrabat iam vltimus anni mensis, & Reformator è Curia Matritensi, Salmanticam aduenerat, Collegium, cuius alumnus erat, tum recens consumatum (excepto tamen Templo, quod nondum cœptum) filiali simul, & paterno affectu visitaturus: cum ecce ad Palaciola, propriam domum, redire in votis habens; verum cruribus, & impeditum sentiens, grauibus præ tumore, cuius causam neque ipse assequebatur, nec Medici calebant, (vt ferè solent) quæri curtũ inuentumque conduci, quo veheretur, iubet, XII. mensis egressurus, cum ne quicquam ab Angelo, qui præerat Collegio, retineretur. Inuentus, atque ad illam diem conductus est. Ast aliud illum iter longè difficiliùs, etiamsi longè breuiùs, præstolabatur. Qua die currus inuentus, & conductus, in febrem incidit; quæ inualescens paulatim, tandem prævaluit, atque hominem assumpsit, vndecima die mensis, post mediam noctem, cum duodecima instaret, cui se accinxerat. Itaque ipsa die, quam elegisset; sed feretro, non curru, deductus est; neque ad Palaciola, paucorum iam tunc mensium propriam domum, sed ad sepulchrum diutius permansuram.

XIX. Triduo ante mortem, cum nondum timeretur de eius vita, curam Angelo Abbate, Petro de Andrade, & aliis, testatus est, parietem, cui lectus adhærebat, ter media nocte validè percussum; signato loco, in quo ictus sonuere: neque cum somnium, hi qui circunstabant, aut vicinorum motuum affirmarent; quo minus crederet mortem suam instare sibique illis ictibus portendi, vllis rationibus potuit persuaderi. Contingit inter nostros, neque rarò, vt quando aliquis decessurus est, similes ictus audiat, pulsante nemine.

XX. Paulò ante mortem ad Angelum conuersus, quem charum habuisset à multis annis, & credebatur velle successorem; atque oculos illius mandentes videns: Orandi tempus, inquit, non lugendi; & abeuntis amici instantem exitum, constantia animi, & verbis confortandi. Et post breue interuallum, eum intuitus, atque in ipsius cella, & lecto decubans: hic ego, ait, cogitabam officium ponere; sed longè diuersimodè: & siue affectu moueret, siue iudicio; at aliqualem certe gratiam merui; quam à te mihi spero per suffragia, per preces rependendam. Mox ad singulos Monachos conuersus, & cunctos alloquens, vltimè omnium iconi Mariæ Virginis, quam dudum ex Gallæcia adductam, vt supra diximus, ad se deferri deuotus postulauerat, vltimum vale dicens, expirauit, inter singultus omnium, lachrymasque; vt nullus prorsus esset, qui in animæ dilecti sui Patris sueta commendatione psallere posset.

XXI. Sequenti die, in Ecclesia Collegij, tria; in quatuor Claustri recens consumati angulis; quatuor altaria erecta; & sedilia ex aduerso posita sunt, in modum Chori omnia: celebrandis solemnibus officiis, quæ ab omnibus, & singulis collegiis Sacrarum familiarum, pro anima defuncti, offerri possent. Ab ortu solis, vsque ad duodecimam, continuata suffragia; in septem his Altaribus, solemnia; in cæteris, priuata; quovsque solemnissimum incœptum, tanto concursu Procerum, Doctorum, togatorum è quatuor Collegiis maximis, nobilium vrbis, atque Ecclesiæ Cathedralis insigniorum virorum, vt vix alium æqualem; maiorem, ne vix quidem se vidisse, qui tunc aderant senes recordarentur. Quid, quod omninò rarum (si tamen aliquando visum est) in eo concursu Episcopus Ecclesiæ, Rector Academiæ, & Chancellarius, quem Magistrum Scholæ vulgus appellat, ac demum Prætor vrbis, discreti locis, sed nihilominus omnes conuenere. Missam Fr. Andreas de Cordreua, Vallis-paradisi Abbas celebrauit; neque Angelus posset, etiamsi vellet. Concionem habuit ad vrbem vniuersam Magister Fr. Christophorus de Ouando, tanto animi ardore, tanta eloquentia, vt nullus audientium, etsi tot essent, sibi à lachrymis potuerit temperare. Corpus tandem sepulturæ mandatum est in medio temporariæ Ecclesiæ, qua (dum surgit mansura) Collegium vtitur, postea in gymnasium, vt ferunt, permutanda.

XXII. Parentatum, & aliis octo diebus, simili ferè modo, in quibus specialibus nostris addicti, vel si qui prima die non potuerunt, solemniter exequias celebrarunt. Vltima dies reseruata Militiis sacris, Calatrauæ, & Alcantaræ, quæ tunc vel maximè nondum se oblitas Cistercium, dum Cistercij Parenti iusta ferunt, non vulgari indicio manifestarunt. Missam Alcantarensis Collegij Rector, concionem vnus è Calatrauæ filiis, Fr. N. Suarez, reliqui vnum corpus efficientes circumsedebant tumulum, qui per gradus assurgens, Mitram & baculum (Pastoralia insignia) suscipiebat. Medium altaris occupabat effigies S. Raymundi, Abbatis Fiterienſis, Calatrauæ Militiæ fundatoris; & rubrum crucem, cucullæ albæ impositam, casidi, & gladio gloriosè copulabat. Parietes pullatos insigniebant parmæ albicantes, alternis distinctæ crucibus, viridibus, & rubris; & inter eas Cistercij transuersæ fasciæ, inter lilia radiantia, fulgurabant. Visebantur in gremio matris filiæ, velut quæ lachrymas inuicem

miscerent, leuarentque; & toto sole penitus excluso, ferales tedæ tumulum ambientes, & gradibus impositæ, fumante flamma, obscurum alias aërem, tristem magis reddebant, quam illustrabant. Hæc facies Templi; concursus, idem, qui prima die fuit. Si funerei honores, vt multis placet, superstites respiciunt æquè, ac defunctos; potuit orphanis filiis solatio esse, paternum funus tot titulis illustre: potuit communis mœror de morte viri temperare priuatum, quantumuis grauem.

M.DC.XX. XXIII. Annus M.DC.XX. à successoris electione turbidus,& quatuor mensibus præcedentibus Capitulum, vix aliquid in eo non triste fuit. Ianuarij VII. conuenere Diffinitores, Visitatoresque,& cum eis Fr.Michaël Olleanus Monti-Sionensis Abbas, qui diem pariter, locumque præscripserat (Palaciola ex more) & singulos per Nuntium conuocauerat. Tunc prima difficultas ab ipso orta, proponente, se eos, non vt eligerent, sed vt adessent, tantum conuocasse. Quippe Congregationi præfecturam,si officium Reformatoris vacet intra triennium, pertinere ad ipsum ex litteris Clementis Papæ VIII. anni M. DC. I. & aliis anni M. DC.IV. velut indubitatum disputabat. Quippè in his litteris omninò cauebatur,quod *quoties officium Generalis intra triennium vacet, Abbas Montis-Sion caput Ordinis sit, qui Capitulum congreget, illique præsideat, &c.* Ex quibus verbis integris omninò, nec per litteras alias derogatis, manifestum haberi, ipsum solum, & non Diffinitores, quandiu non designatus qui succedat,debere præesse. Sed neque in eo casu designandum, cum Capitulum generale tunc instaret, ante quatuor menses celebrandum: quo tempore prorogari posse vacantem sancitum lege,nec multo ante obseruatum,in morte Fr.Petri de Villalobos,compertum erat: & illam diem consulto designatam, quod intra dictum spacium includeretur. Se per prædictum breue subrogatum locum Diffinitorum, vnde & eadem iura sibi competere: nec quadrimestre permissum ipsis hactenus,posse sibi negari post illas litteras.

XXIV. Terruit primo aspectu propositio,& nihil tale metuentes Diffinitores,verba Pontificis re vera conturbarunt. Sed dato spacio, facile occurrit,nihil à Clemente innouatum in illa clausula;magis morem antiquum confirmauisse. Neque enim absolutè constituit Montis-Sion Abbatem,in Caput Ordinis;sed ad eum effectum, quem statim subdit. *Qui Capitulum congreget,illique præsideat:* id est, ad eum, qui semper illi incubuit. Quod ne in dubium reuocari,aut verti posset,addidit immediate sequentia verba, *Iuxta earumdem constitutionum præscriptum:* quibus vix quicquam clariùs dici potuit.Correctionem legum in iure semper odiosam,atque ideo vitandam,etiamsi eam sonent vltima verba:quanto magis si illam prorsus excludant? Denique hic vel maximè esse veram iurisprudentium doctrinam receptissimam *De nullo Principe omninò esse credendum vno verbo,& quasi aliud agentem velle abrogare legem diu seruatam.* Diffinitorum potestatem sede vacante, præscriptum lege, & obseruatam consuetudine, non vno solo verbo auferri posse, ad vnum & priuatum transituram. Et vel si pluribus reuocatio notaretur, dum non aliud constaret, corrigendam per verba quæ sequuntur, nempe in fauorem antiquarum constitutionum.

XXV. His malè quietus,sed acquiescens tamen,Toleti Abbas,secundam grauiorem difficultatem: An Reformator ad illud quadrimestre, an Præses tantum veniret eligendus? Etenim Clemens,Generalem Reformatorem, quoties officium vacet intra triennium, eligi iubet. Sed lex antiqua,cui etiam videbatur non derogatum,partiebatur spatium; & vacante intra primum sesquiannum,Reformatorem eligi; intra secundum, non Reformatorem,sed Præsidem iubebat substituendum. Iurisperiti consulti super hoc dubio, neque in eo putarunt admittendam legum correctionem; sed antiquis omninò standum fore.

XXVI. Et iam pacificè de Præside eligendo tractabatur ab omnibus,cum esse aduenienS ab vltima Gallæcia, vbi tunc habitabat, Ludouicus de Estrada Reformator emeritus, & se admittendum,vt suffragaretur latè disceptans,suffragãtes turbauit, diuisitque,non sine graui dispendio,quod negari non potest,Congregationis. Pro Ludouico videbantur facere recẽtes litteræ Pauli Papæ V.expeditæ anno M.DC.X in quibus cauebatur, *Quod si officium Generalis Reformatoris intra trienniũ vacare cõtingeret, pro nouis Reformatoris electione, Abbas Montis-Sion cum sex Diffinitoribus, duobus Visitatoribus,& Monachis,qui officium generalis Refermatoris obierint,pro eligendo nouo Reformatore,Capitulum conficiant;& electio ab ipsis facta valida sit perinde,ac si Capitulum generale celebraretur.* Hæc pro Estrada. Sed contra ipsum faciebat,quod hæc litteræ loquũtur de electione Reformatoris,nõ de electione Præsidis;quã ab antiquo sine vlla intermissione soli Diffinitores, seu Consiliarij,atque Visitatores celebrarunt Neque vnquã de ea aut in ea mutatũ aliquid:solum vbi Capitulũ generale congregari consueuit,qui recensentur,Abbatibus amotis,atque loco eorum subrogabantur.Demum Pontificẽ numerum suffragantiũ in illis litteris,abbreuiare voluisse,non augeri.Quare vbi Reformatores emeriti nunquam fuere vocales, nec vi illarum futuros esse debere.

XXVII. Variis

XXVII. Variis vtrinque propoſitis rationibus, atque altè perpenſis, pro vt quemque zelus ducebat, ſiue affectio, Diffinitores omninò fluctuabant. Nec quia tanti momenti videretur, ad quatuor menſes præſidem eligere: ſed quia ex illa electione credebatur pendere electio futuri Reformatoris. Et Eſtradæ Fr. Andreas de Truxillo ſemper in corde: cæteri in Fr. Angelum Menrique, atque Petrum de Ouiedo fortè etiam & in alios diuidebantur. Defuncti Fr Franciſci Nieto familiares (maior pars ſuffragantium) fauebant Angelo: Eſtradenſes Ouiedanique, & ſi olim diuiſi, tunc provt ex vſu vniebantur impotentiores. Neque in tam arcto ſuffragiorum numero, partibus penè in æquilibrio poſitis, conuenientia, & concordia facilis erat. Dubio ad iuriſperitos, qui noſtris cauſis tuendis in Regio Tribunali deputabantur, per conſultationem propoſito, vnanimis cunctorum reſponſio fuit, Ludouicum Eſtrada repellendum, quod litteræ Apoſtolicæ, quæ admittunt functo officio Reformatoris, nullam illius caſus mentionem faciant. Etiam iam eligendus inſtabat Præſes, ſine ipſius ſuffragio.

XXVIII. Cum ecce repentinus rumor increbuit, alios Iuriſconſultos contra ſentire; & Eſtradam admittendum ad electionem, quamuis præſidis eſſet, multis adductis, ſeriò comprobaſſe. Non ſatis cõſtitit, verè, an per errorem hæc antinomia in vulgus iactata fuerit. Neque enim quæ Eſtradæ dicebantur reſponſa fauere in Diffinitorio lecta, aut viſa ſunt. Id vnum certum, audita illorum voce decretum eſſe, vt electio pauliſper reſponderetur. Neque enim contra partem inauditam, proferendam ſententiam; & ſatis inauditam reputandam, in qua allegatis Doctorum non attenditur. Ita induciæ conceſſæ, quantumuis breues, negotium inuerterunt, atque turbarunt. Nam interim, (incertum vnde orta) vulgauit fama, non vltra differendam electionem, neque expectandas recentes conſultationes, quibus non opus: ſed celebrandam ſtatim Eſtrada admiſſo in fauorem Fr. Gaſparis de Vbeda Diffinitoris, vnius ex his, qui Franciſco Nieto defuncto, deuinctoreſque reperiebantur.

XXIX. Erant qui pacem interpretarentur, & initam concordiam inter vtroſque; vt neque Eſtrada, qui ex longinquo venerat, indecorus abiret; nec pars aduerſa, quæ potior erat iure, cauſa caderet: ſed ex ſuis præficeret, qui ad illud breue tempus adminiſtraret: fidum omnino, & qualem ipſi vellent in hac parte; ſed de quo nihil violentum, quia inualidus; nihil iniquum, quia ſatis Religioſus reputabatur, à partibus vllo pacto timeri poſſet. Ita, qui à longè: ſed qui rem altius callebant, aliter per diſcurſum coniectabãtur. Gaſparem virum bonum, & verè ſimplicem, ſpe illius officij, ſeduci poſſe, vt Eſtradam admitteret, quod ſolo ſuo ſuffragio, ſi tranſiret ad partes, conſequebatur. Inde ſemel admiſſum, curaturum, vt non ipſe, ſed alius; aut ſi ipſe, ab eo, ſociiſque, non à defuncti amicis eligeretur: eoque munere, & ſibi & ſuis deuinctum, nihil vnquam facturum, quod ſpes eius pro Andrea & Truxillo fruſtrare poſſet.

XXX. Potuit hæc ars, ſi fortè talis fuit, ab amicis defuncti eludi, aut magna ex parte effectu defraudari: ſi Gaſparem de Vbeda ex aliorum ore rapientes Præſidem acclamaſſent; nullis ſe haud dubiè libentiùs creditum, quam his, quos ſibi fidos, etiam, cum non egebant, expertus eſſet. Sed Ludouicus Bernaldo, qui Dux omnium, ſeu virum imparem muneri putabat, vt vere videbatur; ſiue in prius ab aliis acclamato, minorem partem ſe habiturum crederet; ſeu tandem transfugam, (ſic enim appellabat, quaſi per iocum) retinere non vellet; non vllis amicorum perſuaſionibus, vt ipſi conſentiret, adduci potuit. Quin ſi Eſtradam admitteret, nihil fidei; ſi non admitteret, nihil periculi ab eo ſperari poſſe, ſiue timeri, plurib⁹ argumentis diſceptabat. Demum decretum à Diffinitoribus (nam id etiam dum varia media conferunt, & moras nectunt, in Actis ipſis ſcriptum inueniebatur) Decretum inquam, vt Nuncius Apoſtolitus ſuper ſuffragio Eſtradæ conſuleretur, & relatione ad principem decreta, nihil omnino innouare licitum eſſe. Superſeſſuros à promotione, quamuis aliud oſtentent; neque auſuros admittere aut repellere, niſi omnium conſenſus adſtipuletur Hæc ille veſpere: nec dubitabat (ſic ipſe atteſtabatur) Montis-Sion Abbatem, ſi pronuntiare vellent prohibiturum.

XXXI. Deceptum ſe, vt minus in hac parte, detexit dies ſubſequens, in quo retrocedente Michaële, metu, an ſponte, nam vtrumque erant, qui dicerent. Signo pulſato, & congregatis ad illius ſonum Diffinitoribus, imminens dubium de admittendo, aut repellendo Ludouico de Eſtrada, ab ipſo proponitur, ibidem per ſuffragia decidendum. Tunc Ludouicus Bernaldo ad ſe reuerſus, & rem vt erat in contrarium conuerſam cernens; proteſtari, appellare, contradicere; atque omnia iuris remedia interponere: demum cum his & aliis nihil proficeret, Palaciola egreſſus, Matritum ad tribunal Nuncij profectus eſt, negotium coram ipſo peracturus.

XXXII. Interim reliqui, admiſſo Ludouico de Eſtrada. Nam id primùm pro maiori parte deciſum

decisum est, quamuis non pauci in contrarium decidendum, & nullitatem facti protestarentur; mox Fr. Gasparem de Vbeda superius memoratum eligunt in Præfectum Congregationis; assignato ei Mag. Fr. Christophoro Martinez velut in socium, siue vt alij dicebant in Pedagogum; quod Gaspar, & si pius & religiosus, segnis tamen & impos, nec omninò par muneri etiam ab his, qui elegerunt reputaretur. Atque hæc paucorum dissensio, siue ambitio, (neque enim zelum dicam) multorum nostris malorum occasio fuit, sub quibus Congregatio gemuit vsque ad Capitulum.

XXXIII. Dum nouus præses, post cœtum iam solutum, paucas, quæ supererant Castellæ domus, cum socio sibi adiuncto visitabat; Ludouicus Bernaldo Matriti agens coram Nuncio Apostolico, gesta omnium, & si quæ continuarentur, nullitatis tenacissimè arguebat. Et vltra iustam causam, vt ferebatur, mouebat multum ipsa viri authoritas, qui dudum vniuersæ Congregationi, sine offensa præfecisset, & in Salmanticensi Academia, scientiarum omnium Principe, altissimæ scientiarum, id est, sacræ Scripturæ interpretandæ, in Cathedra primaria præfectus esset. Citari nouum Præsidem obtinuit paucos intra dies; exinde comparentem, & auditum, ab officio deponi, seu verius non electum declarari. Commendata, ad breuissimum tempus, quod iam restabat, Ordinis præfectura Montis-Sion Abbati; quod in Bulla illa Clementis Papæ VIII. Sede vacante, dicatur caput Ordinis, quovsque celebretur noua electio. His fluctibus iactata misera nauis, quominus inter ipsos mergeretur, sola diuina manus, & Bernardi intercessio facere potuit.

XXXIV. Prouisum tamen Capitulo futuro, quod iam instabat, satis vtiliter, si modo permansisset, vt Dominus D. Henrique Pimentel Comitum Beneuenti illustris proles, qui tunc Vallisoletanæ Ecclesiæ præerat, Apostolica & Regia authoritate, queis cunctos coërceret, si opus esset, Præses in eos futurus deputaretur: atque id genus alia obtenta sunt, quæ res futuras dubias, & ancipites ad impetrantis partes, vt multis videbatur, inclinabant. Sed dum feciisse satis putat, nec perfeciisse curat, Salmanticam reuersus ad paucos dies, indefensum negotium reliquit æmulis: qui nullo resistente, pro more curiæ facilè omnia interpretata reuocarunt. Petri de Ouiedo interuentu factum est, (qui & ipse ex Cathedra Complutensi notus, & ex dotibus aliis, quibus pollebat, non leuem obtinebat authoritatem) vt præfectura Abbatis Montis-Sion abrogaretur penitus, vt re vera abrogari digna fuit: Et pro Episcopo Vallisoletano, in Præsidem Capituli, Guadiciensis, qui tunc recens, electus ex ordine Parentis Benedicti, Matriti in Curia agebat, subrogaretur. Atque hæ nouitates, quantumuis leues, & nullius momenti, (quippe altera effectu omnino caruit, expirante officio, antequam posset reuocatio notificari; altera quasi materialis omninò fuit) nihilominus rumore inualescente, cuncta, quæ Ludouicus Bernaldo impetrauisset, in irritum omninò data esse: qui adhærebant Estradæ, Ouiedoque, firmiores animo: reliqui prius de euentu dubitantes, mox nolentes fortunam experiri (quod non semel contingit) multi se vltrò ad ipsos transtulere. Erant qui dicerent, meritò hæc pati Ludouicum Bernaldo, quod Matris, quæ verenda reputabat, discooperiens, ad sæculare iudicium retulisset.

XXXV. Die V. Maij ingressi Palaciola, atque Estrada & Ouiedo superiores, quia omninò conuenientes, ne ex diuisione periculum subirent; Diffinitores, Visitatoresque, communi consilio; Reformatorem, quod erat difficilius, suffragiis, & euentui permiserunt. Ludouicus Bernaldo, imparem se suffragiorum numero sentiens, quasi prouidens paci, quietique, à proponendis aliis prorsus abstinuit; vnum tamen & alterum opposuit, veluti, qui id solum vellet agere, ne si qui erant digniores omitterentur. Hortante Episcopo factum, increbuit rumor: qui nihil magis, quam æquam partitionem, siue distributionem desideraret; & promisisse Estradam, Ouiedumque, vt cuncta in pace, & concordia efficerentur; illos etiã ab eis fore eligẽdos.

XXXVI. His manè constitutis, siue collatis, nam nihil certum fixúmve mansisse, erant qui dicerent: Vesperè præsentatæ primùm litteræ Regis, atque Legati, & reuerenter ab omnibus susceptæ: inde cum ad officia ventum est, Diffinitores ordine prodierunt, Fr. Ludouicus de Estrada Generalis emeritus, M. Fr. Valerianus de Espinosa Montis-rami, F. Andreas Truxillo S. Claudij, Fr. Simon de Saluas Matæ-planæ, M Fr. Petrus de Ouiedo Collegij Cõplutensis, & M. Fr. Nicolaus Brauo Superati Abbates; omnes provt ab Estrada erant propositi: Atque eadem directione Visitatores Fr. Didacus de Dueñas, & Fr. Ambrosius Velazquez Montis-salutis hic Abbas, ille Hortæ.

LXXX.

ANDREAS DE TRVXILLO REFORM. XXVIII.

I. Sequenti die, diuisis iam Estrada, Ouiedoque, atque vnoquoque fortunam experturo, Estrada præualuit; & F. Andreas de Truxillo Reformator electus est, in quem plura suffragia conuenissent.

conueniſſent. Succeſſit in Diffinitione, nouo Reformatori, M.Fr.Gregorius Sanz Morerolenſis,cuius ſupra meminimus,Angeli & Petri in Meyra condiſcipulus ; & qui re vera,meritis inſpectis, vt Angelo ſuperior, ſic Petro non inferior haberi poterat.

II. Doluit Epiſcopus,ex Capitularibus functionibus, nullam omninò Bernaldiſtis contigiſſe : & timuit, niſi opportunè præcaueret, idem in Abbatiis euenturum. Sed in his tamen inuenit faciliores Eſtradam, & Truxillum, qui tunc iam ſoli rerum potiebantur : & ſelectos ex ipſis digniores, ad aliquot Eccleſias deſtinarunt. Inter hoc datus Collegio Salmantico M. Fr.Chriſtophorus de Ouando,genere nobilis,pietate & doctrina ſupra mediocres,eloquentia inter primos, & qui Angelo ab vtriuſque adoleſcentia arcto amicitiæ nexu coniunctus fuerat. Eccleſiæ S. Martini,vulgò de Caſtañeda, ſiue de lacu ,Mag.Fr.Thomas Cano, vir vt non æquè pollens eloquentia, cæteris dotibus nequaquam inæqualis : Et Spinæ Fr.Michaël de Sada,qui nondum hactenus ad Oliuæ Abbatiam Regia præſentatione promotus fuerat.

III. Laudandum,an damnandum,non audeo dicere.Certè mirandum fuit in hoc Capitulo, quod Fr.Gaſpar de Vbeda, qui quatuor ante menſes præſes Congregationis, atque adeò in ea dignior inuentus fuerat: eiſdem prorſus ille imperitantibus, à quibus acclamatus, electuſque:tunc ne proponi quidem in Abbatem tenuiſſimæ Eccleſiæ promeruerit.Quod quidam in Eſtradam conuertebant, qui ne Abbatia quidem tenui dignum,vt tunc fatebatur,in caput elegiſſet Congregationis;alij in Andream Truxillo, qui dignum præfici omnibus Eccleſiis, vt ſui antea ſenſiſſent, ne vna quidem donari poſſe permiſerit, quandiu nulli propoſuit:& plures in ipſum Vbedam,qui cupidine imperij præuaricaſſet,eoque ſe indignum reddidiſſet : demum alij in alios,ſiue pro aliis,vt cuique libitum,interpretabantur. Crediderim, Andream intendiſſe mulctare authores omnes præteriti tumultus. Vnde & Michaëlem Belcanum omiſerunt. Et duo Præſides totius Congregationis,alter duorum menſium,vnius alter, dum ſublimiora inordinatè appetunt, quaſi ad ima ruentes, exemplo cæteris, omnia repentè perdunt:quod in Michaële quidem ad breue tempus;ſed in Gaſpare ad mortem vſque fuit In Ludouicos nihil illi licuit,quamuis non dubitaret culpabiliores ; Eſtradam,dum iniuriam legibus irrogat (nam re vera irrogabat) Bernaldum dum non tollerat, & medicinam aſperiorem morbo intentat. Sed vterque euadebat eius potentiam ; alter , quod ſuis contentus,nihil vellet;alter,quod omnia poſſet:nam nec Bernaldus habebat à quo caderet,ſiue quid amitteret ; & Eſtradæ maior pars Diffinitorij etiam Andreas ipſe ſubiiciebatur.

IV. Ita cum ſuis atque Bernaldiſtis Ludouicus Eſtrada,atque Truxillo;Mag Fr.Petro de Ouiedo hactenus vſi,cum obtinuiſſent,alienum reputauere Ipſe ſeu tædio potentiæ decreſcentis , ſiue Angelo deuinctus , qui verè ipſum optaſſet Reformatorem , ſeu tandem certus, quod facere tentabat,prouenire non poſſe;diffinitioni renuntiare voluit,& ſe abſolui publicè petiuit,vt Angelus pro ipſo ſubſtitueretur.Sed renuntiatio in fauorẽ tertij in his functionibus hactenus inaudita,neque expediẽs,admittẽda nõ erat: & Angelũ Ludouicus, Truxilloq; Coadminiſtrũ nollebant,quamuis re vera in cæteris quibuſque ſupra merita etiã cohoneſtabãt.

V. In Cathedras,& earum candidatos ſancita lex, & iuſſa iuramento confirmari: exceptis tamen Angelo, atque Petro, quibus relinquere quas dudum obtinuiſſent , inutile & durum: retinere,neque ad Superiores aſpirare, ſi vacare contigerent, indecens videbatur, imò indignum Suffragium generalium emeritorum in electione Præſidis reuocatum ad trutinam;& tentatum pro ipſis declarandum. Verùm,re tunc attentius examinata, neque inſtante occaſione,quæ mentes poſt affectum trahere ſolet ; declaratio violenta pro illa parte,neque verbis conformis viſa eſt. Quare ne ſibi ipſi contrariarentur , placuit conſulendum eſſe Summum Pontificem,qui ſolus poſſet ſupplere,quod deeſſet,& in quam partem vellet interpretari. Hæc & alia decreta in hoc Capitulo,dum nihil violentum ſonant,atroxvè,neque imperantium præcipitant potentiam , animos conciliarunt etiam auerſos ; atque adeo vnioni & paci reddiderunt , vt vix veſtigium præcedentium litium, ſiue diſſenſionum relictum fuerit. Et erat Fratri Andreæ de Truxillo ingenium mite , & docile ; quodque quoties occurreret occaſio, ſi poſſet honeſtè,credere omninò mallet, quam litigare.

VI. Annus M.DC.XXI.præſentatione M.Fr.Petri de Ouiedo in Archiepiſcopum Dominicopolitanum,ſiue S.Dominici in Inſula Hiſpaniola apud Indos occidentales,ſuis & Eſtradiſtis,atque vniuerſæ familiæ lætus fuit. His,quod non vltra ab eo ſibi timendum ; illis,quod nec ſperandum quid haberent , à quo fruſtrari poſſent : reliquis , quod virum alias dignum Eccleſiæ præfici ; & lucernam re vera lucentem , ardentemque , in candelabro viderent ſublimari. Placebant incrementa viri cunctis , atque illud præcipuè , quod celebrandæ Synodo, quæ tunc inſtabat, atque illi præſidendæ electus ſit, vt qui tum zelo, tum morum probitate, tum maximè doctrina præeminebat. M.DC.XXI.

VII. Per idem tempus vita functus eſt Venerabilis Pater Fr.Gregorius Martinez. & ipſe Hortenſis,quam non vulgaris ſanctitatis ſigna illuſtraſſe dicuntur ante, & poſt mortem.

VIII. Menſe

VIII. Mense Maio, celebrato Capitulo intermedio Palaciolis, pro Petro in Archiepiscopum promoto, Petrus alter, cognomento de Ledesma Diffinitor eligitur, Monachus Vallisparadisi, qui triennio immediatè antecedenti, fuerat à secretis Francisco Nieto.

M. DC. XXII. IX. Anno M.DC.XXII. continuata tranquillitas, quam tamen quoddam Capituli Decretum, non difficilè potuit perturbare. Celebratum pro more in Palaciolis, intermedium vt vocant, lege sanciuit, vt Reformator de pinguioribus Ecclesiis, neque ære alieno oppressis, pecuniam sumeret, pro arbitrio suo statuendam, qua Pauperum occurrentes necessitates, atque debitâ instantia subleuaret. Soluendam eam, cum hæ quæ mutuo acceperint, soluendo stare poterunt: sed interim fruendam sine vsuris. Inde orta suspicio metusque, Reformatorem simul & Estradam, alterum tenuit, alterum obæratæ domus filium velle suas Ecclesias, per aliarum dispendia, reparari; & sub honesto mutui velamento, spoliare ditiores sua substantia, quam nunquam postea forent recepturæ. Quando enim Vallisbona, aut Vallis-viridis starent soluendo? aut quando, si non starent, ipsis præcipuè dominantibus, ad restitutionem compellerentur? Non esse pauperes, quia pauca bona possident, sed qui multa profundunt: & profusione suorum Monachorum, siue Abbatum, depauperatas domos, non debere de aliis reparari, quæ sola parsimonia quæsierunt, vt abundarent si spolientur, statim esurituras. Quod si his auferatur, vt illis detur; multari virtutem, & solum vitium præmia promereri. Redire hac via antiquum illud votum bonorum communium, non pro Monachis tantum eiusdem domus, sed pro Ecclesiis eiusdem Congregationis: quod semel reprobatum, tanquam nociuum, non vltra liceat refricare sine periculo.

X. Hæc & similia, seu priuatim dicta, siue publicè etiam perorata, modestum aliàs Andream Reformatorem, & potestatis parcum, continuerunt, ne modum excederet; cum aliàs non deesse quidam Abbates (adeo adulatio gliscit, serpitque) qui sese sponte offerrent, quodcumque peterentur, concessuri. Illud compertum, moderatam quantitatem, quæ tunc mutuò datam quibusdam domibus, post viginti & plus annos nondum solutam & fortè nec soluendam; per singula Capitula petita, per singula, prorogata solutione.

XI. In hoc Capitulo, cum ratio sumptuum communium conferretur, & in eis appareret quædam summa expensa ante biennium pro præsidentia Abbatis Montis-Sion, quam idem Abbas, dum Præsidis officio fungeretur, fecerat de communi pecunia solui: deleri iubetur; & repeti ab illo monasterio, in cuius Abbatis fauorem expensa fuerat. Atque hac occasione antiqua controuersia super exemptione Montis-Sion ab oneribus communibus, hactenus intermissa, & penè iam oblita, repullulauit; sæpè inculcanda, & nunquam ad finem perducendum.

XII. Cum Romæ procuratum diu fuisset, vt pro suffragiis Generalium emeritorum in electione Præsidis, quoties vacante officio Reformatoris, intra triennium veniret celebranda, declararetur: neque impetrari posset, quod contra mentem pariter & verba Apostolicarum constitutionum esse constaret: petitum saltem & impetratum est, vt officio, & nomine Præsidis abolito, quoties sedes vacaret intra triennium, etiam in eius fine, non vltra Præses, sed Reformator Generalis eligeretur, in cuius electione suffragium ferant, qui functi fuerint officio Reformatorum. Quæ declaratio admissa in hoc Capitulo, ad generale intimanda, remissa est, atque legibus aliis superaddenda.

XIII. Verum quoniam omnes electiones celebrandæ per paucos, multis solent incommodis subesse, eisdem obuiandis, relatum est, vt in singulis Capitulis generalibus, post electionem noui Reformatoris, tres alij eligi debeant; qui si officium contigerit vacare, pro suffragiorum numero per ordinem succedant, & subrogentur. Atque horum electio clausa, & sigillata, atque incognita maneat, quousque occurrat occasio succedendi. Ita à Romano Pontifice petendum, atque ita exequendum, si ipse annuat, in Capitulo proximo: quo casu declaratio superuacabit.

XIV. Visitatores septem Ecclesiarum electi pro more, Fr. Thomas de Artiaga Montisrami, & Fr. Athanasius Esparra, Vrsariæ vterque Abbas. Ille Vallis-Ecclesiarum Monachus, hic Nucalium. Sed in Andream nihil vnquam accusatum, vel ab æmulis vidimus, nisi quod multi vertebant in eius laudem: dum nimium gratus Ludouico de Estrada esse solicitat, non tam Reformatorem egisse, quam administrum.

XV. Obiit Magister Fr. Dominicus de Astete Vallis bonensis, vir eximiæ doctrinæ, constantiæque, qui cum in nostro Collegio Complutensi sacram Theologiam docuisset per plures annos, è quibus tres Abbas etiam præfuisset; à Catholico Rege præsentatus ad Abbatiam de Iranzu in Regno Nauarræ, multò eam tempore, nec sine magna laude administrauerat. Cum occasione Breuiarij Benedictini, quod Monasticum vocant, recens vulgati, non deessent, qui se à recitatione Officij Mariæ Virginis, si illo extra Chorũ vterentur, censerent immunes: Franciscus Biuarius, qui tunc Romæ agebat Procuratorẽ Greg. XV. Pontificẽ

consuluit,

consuluit, an ea exemptio, ex ipsius, aut Apostolicæ Sedis, mente paranda foret? Pontifex porrò, expeditis ad hoc literis, expresse respondit, *Cistercienses ordinis Religiosos (neque enim Monachorum nomine vtitur, vt Militares etiam comprehendat) siue vtantur Breuiario Romano, siue Monastico Benedictino, ab obligatione, quam habent recitandi cotidie officium Beatæ virginis, atque in diebus ferialibus officium defunctorum, nequaquam liberat.*

XVI. Anno M.DC.XXIII. capitulum ex ritu generale celebrandum instabat: neque erat, qui sese Reformatori & Ludouico Estradæ vellet opponere: Petro de Ouiedo egresso congregationem. Ludouico Bernaldo semper inualido, & tunc etiam grauissime ægrotante, nec potente Capitulum adire. Ex aliis, quidam siue amicis, siue sequacibus, etsi vellent, non poterant; alij, etsi possent omninò aspernabantur. Estradistis non omninò conueniebat de successore; & quidam F. Valerianum de Espinosa, alij F. Christophorum Martinez, alij fratrem Dionysium Cucho, omnes Magistros, atque omnes viros doctos grauesque, provt quisq; ardebat, acclamabant. Estrada ipse aliorum multo magis, quam sui compos; quippe cum alios facilè inclinare ad quemcumque posset; seipsum inclinare ad vnum aliquem, aut non potuit, aut noluit; dum omnes æquè proponendos à se censet, (nam Truxillo in hac parte nihil agebat) dum inquam omnes pariter proponit, nullum sibi deuincit. Inde suis ferè ex æquo diuidendis, paucis, qui nihil tale cogitabant, electionem permittit, quos rerum arbitros facit, dum non attendit. M.DCXXIII.

XVII. Quinta die Maij Capitulum ingressi cuncti vnanimes elegerunt Diffinitores, quos Estrada proposuit omninò dignos, Magistrum Fr. Christophorum Martinez sanctæ Annæ Matritensis, Mag. Fr. Dionysium Cucho Complutensis Collegij, Fr. Thomam de Artiaga Montis rami, Fr. Ioannem Maldonado Hortæ, Fr. Hieronymum de Montoya Melonis, & F. Bartholomæum Gomez Riuisicci: Visitatores Fr. Prudentium Plaza sancti Prudentij, & F. Sebastianum de la Parra Villanouæ omnes Abbates. Atque hi omnes ab omnibus electi; siue omnes eos digniores reputarent; siue paci consulerent; nec resistere auderent euentui, quæ non possent impedire; seu tandem nollent. Estradam admonere suarum virium: ne si fortè timeret, proprias colligeret, nec tres vt dixerat, sed vnicum proponeret, in quo nihil iuris omninò ipsi haberent. Sic factum est, vt Estrada potentiæ suæ fidens, & nullius prorsus resistentiæ conscius manserit in proposito trinæ propositionis; nullo vt putabat ad sedem assumendo, etiam ex illis, nisi quem ipse tandem insinuasset.

XVIII. Tum vero collatione cum suis facta, primum in neutram partem inclinaret, singulos prosequi ac de quocumque sibi omnia promittere; mox cum ab aliquibus Dionysius excluderetur, velut qui Monachus Ecclesiæ Vallis bonæ, in qua ipse professus, ipsius impediret reassumptionem ad subsequens triennium, ne propria commoda suæ Ecclesiæ vtilitatibus videretur præponere; seu quia re vera Dionysium diligebat, & erat dignus diligi inter paucos: inclinauit in ipsum, & suos pariter permisit inclinare. Ita tamen vt trina propositio integra semper, illæsaque maneret: neque enim ipsum vnquam retractaturum, quod semel proposuisset, nec defuturum viris, de se non minus, quam de Congregatione bene-meritis, quos semel exposuisset æmulationibus, quæ proximos imperio sequi plerumque solent. Ita inter Estradenses res disposita.

XIX. Cæteri primùm Christophorum Martinez repellendum censuere: siue quia minus gratum, siue quia amicis inualidum putabant, eoque pauciores post se tracturum. Mag. Valerianus de Espinosa relictus est, qui Dionysio de Cucho opponeretur, ætate maturior, aspectu venerabilior, statura procerior, opinione, ex quo Lorca illum afflixit, haud dubiè maior; & cui amici communes cum Angelo Manrique, qui partes Ludouici Bernaldo in illius absentia tunc agebat, non mediocrem potentiam conciliabant. Neque erat dubium, diuisis Estradensibus, nam non omnes Dionysio conniuebant, quamcumque in partem inclinarent Bernaldistæ, compotem euasuram, atque electuram Generalem Reformatorem.

LXXXI.

MAG. VALERIANVS DE ESPINOSA REFORM. XXIX.

I. Inter hæc Angelus discerpi, distrahique, & suam ipse potentiam execrari; cum Dionysium in paucis amicissimum, Valerianum Magistrum veneraretur. Atque erga hunc augebat non nihil gratiam, quod ipsum defendisset in quantum potuit, cum sub Petro de Lorca naufragium tulit. Itaque hoc qualecumque beneficium, quia proprium amabat: Dionysio nihil vnquam præstare potuit, quia nunquam eguit. Verùm ætatis morumque conformitas, & genius non tam similis, quam idem, longus conuictus, & arcta familiaritas eumdem altè in

corde radicauerant. Si Valerianus rerum potiretur, haud dubiè sibi imperium debiturum, neque esse inter eius amicos à quo sibi timeret: si Dionysius potiatur, per alios esse, quamuis ipse concurrat; & merito alienàdum posse timeri à conuictu amicorum fautorumq; qui semper Angelum alienum reputauissent, sed nunquid amicitia timori cedet? aut deserendus à quopiam amicus est, ne ipse prior ab illo deseratur peccare primum in leges amicitiæ, qui dubitat de amico, maximè quem fidelem sit expertus: & se Dionysio non vllum fideliorem, & vix æque fidelem inuenisse.

II. Hæc similia lacerabant animum, si ad ptiuata respiceret: si ad publica, non minus discerpebatur. Nam nec si meritis agendum inter vtrumque facilè discernebat, quem anteponeret. Vterque doctus, vterque Religiosus, vterque prudens; Valerianus præcellebat externis dotibus, internis Dionysius, aut saltem Angelus ita iudicabat. Habebat vt pro eo suffragium ferret, quod vbique receptum, Ludouici Bernaldi procurationem; quam acceptauerat, simul cum mandato præferendi Espinosam, si ab aliis videret acclamari Ergo vt neutri deesset, sibi defuit, & singulis amicorum permissis proprio dictamini; ipse Ludouici suffragium, Valeriano; proprium, Dionysio dedit; & cum Reformatorem posset eligere, vltrò se abdicauit; & suffragium suffragio velut compensans, ius eligendi inconcussum reliquit aliis.

III. Regulata electione per scrutinium, par pro vtroque suffragiorum humerus fuit, & res eò deducta vt Valerianus præcisè quia senior siue in ordine antiquior, Generalis Reformator renuntiaretur: nulla gratia in Estradam; quod statim patuit; seu tædio beneficij, quod donec excruciatur grauare silet; seu fortè plus cõcepit offensionis ex prælatione æmuli, quam charitatis ex sui propositione. Id vnum constat, Valeriani electione, repente defecisse Estradæ potentiam; propria mole oppressam, quæ nullis alias telis, nullis machinamentis questari posset. Atque hæc omnia in Andream recedebant, nullius culpæ conscium, nullius offensionem vnquam promeritum: nisi quod tamen Estradæ semper subditus; exteris tædio magis, quam odio fuit.

IV. In hoc Capitulo sancitæ quædam leges, quæ morum concernebant Reformationem, quibus, vt ferebatur, Andreæ acta, quæ recens præcessissent perstringebantur. Reuocatæ aliæ Capituli intermedij; & cum tria illa veluti supplementa Reformatoris, quæ Romanus Antistes confirmasset, eligenda venirent; supplicatum à Congregatione est, inuisa ferè cunctis nouitate, verum præcipuè nouo Reformatori, qui vix dum verum & officij compos, æquè ferret tractari de successore. Itaque reuocato Decreto Capituli intermedij, confirmatio euanuit: Vnde firma permansit declaratio anterior de eligendo quandocumque vacaret Reformatore. Præsentatæ aliæ litteræ Apostolicæ pro incorrigibilibus, atque omnium consensu admissæ sunt (adeo hominum iudicia mutari solent) vt per torturam de atrocibus delictis examinari; atque ad triremes, si culpæ promererentur; sine vlla cunctatione damnari posset. Quod nihilominus, quia periculosum, si passim liceret, in Synodo generali sequentes, per quædam requisita est limitatum.

V. Tertia ordinaria Diffinitorum synodus in hoc capitulo instituta fuit, quæ modico interuallo, nullovè ante Capitulum generale per singula triennia congregaretur; expediendis negotiis, quæ occurrentia vltimo anno triennij, Capitulum solebant retardare. Erant qui dicerent quæsitum hunc colorem congregandis amicos, & disponendis futuris dictionibus. Vix credi potest, finem hunc præuissum, ne dum intentum à Legislatoribus: sed nihilominus, medium adeo aptum ad illum consequendum, cunctis audientibus, statim sex obtulit, vt lex non prius promulgata fuerit, quam reuocanda, reiiciendaque in Capitulo futuro communi omnium iudicio præuideretur.

VI Hortæ occasione electionis turbata pax: mox ipsa electio cassata post longam litem, amoto F Chrysostomo Ruizio prius electo, & subrogato F. Dominico de Aldaue, ex Salmantino Theologiæ Professore. Illud omninò ad laudem vtriusque cessit, quod satis accurata Inquisitione compertum fuit; in re tam graui, & protracta per plures menses, neque Dominicum, vt promoueretur, neque Chrysostomum, cum amouebatur, vllum verbum ad iudices fecisse: sed eadem æqualitate, modestiaque præstolatos euentum, ac si non sua, sed aliorum causa ventilaretur.

VII. Fine huius, aut initio sequentis anni, obiit F. Ferdinandus de Andrade Montisionensis, cum ex Sacræ Theologiæ professore, mox Abbate inter nostros, Diffinitoresque, in Abbatem Fiterij præsentatus, excepisset Philippum Reformatorem, cognomento de Tassis, cuius immaturam mortem in ea præfectura commemorauimus. Fuit natione Gallæcus ex prima illius Regni nobilitate, eruditione, & doctrina supra mediocrem, cætera neque supra, neque infra fuit. Vtilis tamen nostris Ecclesiæque, quod vtrumque exordium, quod Ignatius Firminus correxisset, atque typis mandasset hactenus in occulto; in vsum publicum extraxit,

traxit,atque vulgauit.Successit illi in Fiteriensi Ecclesia Fr. Placidus del Corral, patria Cordubensis, Mataplanensis habitu,qui aliis in congregatione cœnobiis præfectus fuerat.

VIII. Anno M. DC. XXIV. Synodus intermedia celebratur pro more in Palaciolis, sed prima die Iunij; modica dilatione, quod Reformator infirma valetudine, mox quibusdam negotiis detentus esset. In Capitulo confirmata sententia est electionis Hortensis, nulla audita depositi querela,appellationevè;sed neque vlla subrogati petitione.

IX. Decreto Clementis VIII. cautum fuerat, ne quis, nisi lectoris Sacræ Theologiæ, Priorisvè,aut Magistri Nouitiorum officio, per integrum triennium functus fuisset, in Abbatem alicuius domus proponi posset. Nociuum id experientia ipsa docebat; neque vitio legis, sed per abusum. Quippe quos quisque habiles optabat, per hæc officia,quamuis minus apto, & non nunquam ineptos reddebat habiles. Laborabat sub doctoribus imperitis doctrina moralis, & non nunquam docebant, qui vix didicerant. Quin iuuenes recenter prodeuntes, ex collegiis, in Nouitiorum Magistros, vt habiles manerent, præficiebantur. Ægrè hic abusus prohiberi legibus, aut euitari poterat: quandiu nec potestatem adimi Abbatibus regula permittebat, neque eam moderari facile erat. Quis enim modus adhiberi posset, qui non easdem pateretur difficultates? Placuit reuocationem qualitatum (sic enim appellabant) à Pontifice peti: & integris antiquis constitutionibus, ab hac recenti liberam manere propositionem. Atque hoc commissum curæ Reformatoris, & effectum intra paucos menses sortitum, totius Congregationis plausus excepit.

X. Fine anni Mag. F Dionysius Cucho Vallis bonensis, qui in munere generalis Reformatoris, numero suffragiorum omninò par cesserat Valeriano, quia seniori, præcoci planè morte præuentus est,non sine lachrymis totius congregationis. Vir gestu corporis pene despicabilis, cætera summus. Non vllum alium gymnasium Complutense,cuius laurea insignitus decorabatur,subtiliorem in disputando,siue maturiorem in respondendo aut viuit aut habuit; non in vtroque munere promptiorem. Perfecerat tomum de Incarnatione, quem imperfectum reliquit Mag. Lorca, atque luce donauerat, vitæ illius epitome antepositа, in qua & ingenium acre, subtile, igneum, simulque in præfatione satis præfert. Reliqua eiusdem opera parabat perficere, & vulgare, si diù superuiueret; nulla eorum iactura, Lorcævè, quantumuis magnus fuerit acclamatus, quod hodieque fatentur qui vtrumque norunt.

XI. Sed ne in agendis quidem illi defuit prudentia, seu consilium Collegium Complutense Abbas administrauit, atque eximiè promouit; temporalia incrementa ita solicitans, vt spiritualibus semper inseruirent; aut cederent, si obessent; spiritualia semper anteponens: amari, quam timeri magis gestiens,sed quoties opus esset,satis seuerus, & ne à rigore omnino alienus fuit. Obiit Matriti, cum illuc procurandæ salutis causa venisset, ætatis suæ anno quinquagesimo,plus minusvè, ingens sui desiderium linquens omnibus.

XII. Per idem tempus, non minus dolendus nostris, & si ætate aliquanto prouectior erat, decessit F. Andreas de Truxillo, præcedentis triennij Reformator, in Prioratu Vallis-Ecclesiarum,qui dicitur de Alarza,cum illuc recreandi animi causa,à Mag. F. Chrysostomo Cabero tunc Vallis Ecclesiarum Abbate, deductus esset. Vir grauis moribus, Religione præcipuus, ingenio comis: & cui id solum vitio dari posset, quod parere paratior semper inueniretur, quam imperare. Nec multo post, cum Abbatis de Iranzu in regno Nauarræ per obitum Mag. F.Dominici de Astete adhuc vacaret; Ludouicus de Estrada renuntiatur Iranzuensis Antistes Regis Philippi IV. ad quem pertinere constat, præsentatione. Ita intra annum Valerianus de Espinosa solus relinquitur, æmulo atque officij antecessore per mortem raptis,Ludouico de Estrada egresso Congregationem; & Ludouico Bernaldo,quamuis amico,paralysi impedito,atque impedito subeundæ vllius functionis.

XIII. Sequenti anno M DC.XXV. celebrato Capitulo intermedio in Palaciolis prima die Maij, pro Mag F.Dionysio de Cucho Diffinitore, qui recens obiit, F.Athanasius Esparza Nucalensis,qui erat à secretis Congregationis, Diffinitorum suffragiis subrogatur: succedente in officio secretariæ Magistro F. Lupo de Cauanas, qui post exactam Vallis-paradisi, vbi professus fuerat, Abbatiam, atque alias functiones, Salmanticæ docebat Sacram Theologiam. M.DC.XXV.

XIV. Philippus IV. exhaustis thesauris Regis per continua bella contra rebelles, qui è sua, & Ecclesiæ obedientia desciuissent, litteras,& legatos ex Senatoribus Vallesoletanis,ad Capitulum misit,qui instantibus,& regnum oppressuris necessitatibus,nisi subueniretur opportunum subsidium postularent. Erant in arcto Ecclesiæ Congregationis, atque tot aliis debitis grauatæ, vt quocumque omne de nouo superiecto facilè ruituræ timeri possent.Placuit, quando communia non suppetebant, ad priuata recurrere: & vel vbi priuatum nihil

est, quærere quid priuatim conferretur. Instabat tempus innouandi vestes, quas cucullas vocamus, vt Monachi, veteribus abiectis, nouas reciperent. Decretum est, vt retentis quas habebant, id quod in nobis insumendum erat, integrum conferretur in fiscum Regium. Obsequium id, quo præstitum à singulis, eo Principi gratius. Quid enim maius, affectuosiusvè, quam si pallium quis exuat quandiu aliud non habet, quod Regi donet? & alias tollerando satis dispendio: quippe cucullis veteribus adhuc in vsu, etsi commodo minus; ingens Ecclesiarum grauamen euitabatur. Partitum onus quodcumque leuius esse: & quod ita Regi dari à singulis Monachis: vt fuit etiam Ecclesiis, & Deo cederet: Illis, quæ excusarentur à nouo onere: huic, quia integra Monachorum numero, qui aliàs non posset, colitur religiosiori veneratione. Non vllum aliud vtilius arbitrium, non gratius Regi, non honestius nostris eligi potuit. Sed ô humanarum rerum incertitudinem! ô certa incommoda cuiusvis nouitatis! Quod tunc sic profuit, nociuum statim fuit: nempè exactio, quæ rara, siue rarissima; nec nisi ex vrgentissima causa probari debuit; vbi semel exemplo tutari potuit, frequenter vsurpatur, etiam vel sine causa solet imponi.

XV. Qui Reformatorem sub finem triennij visitarent, designati sunt F. Benedictus de Alaron, Morerolæ, & F. Martinus Gutierez Spinæ Abbates. Verùm hæc lex, quantumuis seriò lata, iurataque in viridi obseruantia perseuerans, quod alibi notaui, in meram ceremoniam pertransiuit.

XVI. Valerianus non immemor malorum, quæ ob Procuratorum defensionem olim sub Petro de Lorca perpessus fuisset, nec satis suæ Constantiæ factum reputans, si non eos, cum posset, reuocaret: sed nihilominus timens ab electionibus; communicato cum aliquibus consilio, licet extra Capitulum, tria à Pontifice censuit postulanda. Primum, vt Procuratores more antiquo, frequentarent Capitula, vocem in eis, vt olim habituri: secundum, vt mittendi pro illa vice per electionem liberam; alij deinceps per sortes designarentur: & tandem tertium, vt Abbates si frugi essent, atque vtiles inuenti suis Ecclesiis, immediatè ad alias proponi possent; ne dum probandos tentamus experiri; relictis iam probatis, incidamus in Discolos, qui dissipent Ecclesias, neque Monachis prosint. Hæc petitionis summa, quam ego originalem apud me habeo. Ea remissa Congregationi Cardinalium negotiis regularium deputatorum, Cardinali Asculano referente, tale meruit responsum obtineri. *Concedendum esse, vt vnus Procurator perpetuò pro quolibet monasterio accedat ad Capitulum generale, in eo vocem actiuam & passiuam habiturus, à Monachis cuiusvis Monasterij eligendus. In reliquis seruandum esse Breue fœlicis recordationis Clementis Papæ VIII. & nihil innouandum. Romæ XXVIII. Nouembris anno M. DC. XXV.* Hactenus responsum. Quod sine diminutum visum est, seu non indulgens Abbatum relectiones, non facilè admittendum speraretur; prætermissum omninò, neque hactenus ostensum Congregationi.

XVII. Initium anni M.DC.XXVI. duplici funere mœstum, & triste fuit, F. Athanasij Sparza Diffinitoris, & Fr. Melchioris Gallo; quorum primus Vrsariæ, secundus Vallis Ecclesiarum Abbatem egerat; in florida vterque ætate positus; verùm adeo maturè & fructuosè, vt canos anteuertere; & quo progrederentur in senecta, vix, aut ne vix viderentur posse habere. Id Valeriano, qui vtrumque diligebat, atque omnibus bonis graue fuit.

XVIII. Instabat tempus Capituli generalis, & Valeriano pro subrogando sibi successore, inter Magistros Christophorum Martinez, atque Angelum Manrique diuidebatur: charitate in vtrumque ferè æquali; sed cum Christophoro maior illi familiaritas, & recentior conuictus; Angelum plures ex ipsius amicis desiderabant. Ipse quo magis relictus sine æmulo, eò magis solicitus, ne si vel nullo sibi resistente, non prævaleret, debilior appareret eius authoritas; occasione Capituli priuati tunc celebrari iussi, vtrumque conuocat; & cum vtroque de Diffinitoribus, Visitatoribusque, ante omnia eligendis, amicè deliberat; de successore ambiguus; & vt certus, si habere duplicem, posset, vtrumque successurum; ita de designando altero dubius, & neutrum præferens, ne alterum postponeret; per ambages agebat; & multam suspensionem, veram, an affectatam manifestabat.

XIX. Hæc illo cum vtroque seorsim tractante, & conferente, Christophorus modeste, vt par est credere: Angelus in hæc verba responsum dedit. Se neque adeo ambitiosum, vt desideret, ne dum vt petat munus, cui est impar: sed neque adeo humilem, vt fugiat; acceptaturum gratanter, si eligatur, si secùs, sine vlla querela remansurum. Quippe inferiorem se omninò agnoscens, prælationem Christophori vt iustam; suam vt fauorabilem; sed illam sine vllo suo periculo, atque adeo pacatius; hanc formidine, & metu prosequuturum.

XX. Actum deinde de subrogando Diffinitore, qui loco Athanasij de Sparza vocem haberet.

haberet. Sed iudicata inutilis electio, cum iam nihil restaret diffiniendum. Ita prouisum, ne videri posset, non tam officio personam deputari quam suffragia quæri per quæ electiones faciliùs prouenirent. Sed neque facile erat designari, qui non pro altero è duobus palam consisteret: & Valerianus, siue dubius adhuc, siue se dubium simulans, (nam multi pro Christophoro stare non dubitabant) quidquid vel leuiter posset insinuare, se pro altera esse, quanta poterat cura recusabat. Hæc tertia Maij, qua ipse Valerianus Palaciola ingressus est, egressurus sequenti: atque officium ipso in egresso depositurus.

XXI. Interim conuenientes Capitulares, alij in hunc, alij in illum, nec deerant, qui in neutrum inclinarent; Prælato vtrique Magistro Fr. Gregorio Sanz Morerolensi, & ipso Meyritani Collegij alumno, cuius supra meminimus: & qui re vera, vt nunquam electus fuerit, sic sæpius dignus iudicatus est, communi acclamatione Congregationis Tunc quarta die eggrediens Palaciola Valeriano Espinosa, ad oppidum Cabezon multi occurrunt; & quem malit habere successorem, pauci, vt sequantur, quidam vt inclinent, siue vt resistant; plures quæ hominum plerumque conditio est, vt oriturum solem ante salutent, ardenter flagitant. Ille se prius, qui prius eligendi essent diffinitores, visitatoresque, velle proponere; atque in his experiri, quantum apud cor valeat eius consilium. Inde provt docuerit euentus, per litteras, quando aliter non potest, de successore quid sentiat consulturum.

XXII. Itaque diffinitores hos proposuit, omninò graues. Fr. Basilium Corriero suum in Palaciolensi domo Priorem, Magistrum Fr. Angelum Manrique Salmanticensem, Mag. Fr. Nicolaum Bruno Matritensem, Fr. Martinum Gutierrez, Spinæ, & Fr Benedictum de Alarcon Morerolæ Abbates, addito sexto Mag. Fr. Lupo Cauenas, qui erat à secretis Congregationis. Visitatores, Fr. Chrysostomum de Salas Carracetensem, tunc Abbatem Collegij Complutensis, & Fr. Simonem de Montoya Vrsariæ Monachum, & tunc etiam eiusdem domus Præsulem. Placuit in pluribus officiorum distributio: nisi quod tamen Mag. F. Gregorium Sanz, qui ab aliquibus Reformator acclamabatur (& verè dignus erat) à diffinitorio excludi, & Basilium Corriero Nucalensem præponi Andreæ de Soto eiusdem domus, Angeli, atque Gregorij condiscipulo tunc Abbati Melonis insigni viro doctrina & pietate, Angelus, aliique ægrè ferebant. Et laborauerat cum eo Vallisoleti, vt Gregorium pro Benedicto Andream pro Basilio substitueret. Verùm cum seu iudicio, seu affectu, siue adhærentium sibi suggestionibus, immotus in sententia permaneret, re infecta, discesserant. Nec Valerianus, quod coram denegauerat; clàm siue absens voluit subrogare. Ita manentibus in oppido de Cabezon Capitularibus, ipse ad sanctum Andream pernoctauit.

LXXXII.

MAGISTER ANGELVS MANRIQVE REFORM. XXX.

I. Sequenti die, cunctis Capitularibus ingressis Palaciola, atque omnibus, quæ præmittenda erant, præmissis, cum primum ad electiones ventum est, pars Valeriani cœpit fluctuare. Etenim pro Priore Palaciolensi, Fr. Andreas de Soto Nucalensis, & ipse, pro Fr. Benedicto de Alarcon, Mag. Fr. Gregorius Sanz per suffragia electi prodiere. Inde ortus timor, infidam sibi potentiam; & in quancumque partem inclinaret, maximè si in Christophorum, facilè esse contrariam prævalere. Eadem nocte, de cunctis certior factus, scripsit epistolam, qua manè à suis lecta, & publicata, Christophorum, Angelumque ex æquo proposuit. Nam se nescire, vter dignior esset, & illum prorsus talem iudicandum, quem maior pars suffragantium talem censuerit. Exinde omnes concorditer discordes, ingressi Capitulum, Christophoriani, Gregorianique taciti quamuis, vniquique suum Ducem acclamabant. Sed ne coniuncti efficiebant maiorem partem. Reliqui Angelum concordes elegerunt sexta pro more Maij, cum iam Salmanticæ bis Abbas præfuisset, & post Cathedras Scoti & D. Thomæ, perpetuam, atque propriam, vt vocant, tertiam Philosophiæ moralis obtineret: atque hic fuit secundus Reformator ex cursu Meyritano, post quem alius restabat eligendus. Pro ipso in diffinitorem subrogatur F Dominicus de Aldaua tunc Abbas Hortæ, pro Chrysostomo Ruicio subrogatus, cuius superius fecimus mentionem. Hæc die sexta.

II. Sequenti septima, intimatæ denuo litteræ de inquirendis delictis per torturam, si occur

occurrant atrocia, & delinquentibus damnandis ad triremes, quæ tractatæ in Capitulo præterito, iterata videbantur egere retractatione similiter, quæ recens impetratæ reuocatoriæ illarum qualitatum, quæ in proponendis ad ordinis Ecclesias requirebantur. At demùm aliæ à Valeriano obtentæ pro sanctimonialibus, vt Abbatissæ non secus ac Abbates, si triennio præsederint, triennio alio inhabiles censeantur. Admissæ omnes sine vlla contradictione; nisi quod tamen Priorum vsus, iterum ad diffinitorium remissus est, vt præscriberet formam, modumque; ne iustitiæ zelus, qui finis vnicus, per aliquem abusum peruerti posset.

III. Celebratæ electiones intra triduum, atque alia dispartita, quæ requirebant assistentiam Congregationis. Tunc sexta die, quod hactenus non visum, seniores, qui assistebant, attestabantur, cunctis peractis, dimissi Capitulares. Concessa tantum Generali Reformatori, diffinitoribusque ampla facultate, quascumque leges condendi, aut reuocandi post eorum discessum, non secus ac si ante Synodum solutam, conditæ essent. Id visum expedire plures ob fines. Primum vt leges ipsæ non præcipiti, sed maturo consilio; nec properanter, sed seriò & pedetentim sanciri possent. Secundò, ne vniuersa Congregatio tanto tempore otiosa ibi maneret: cum enim pauca ad illam referantur, cum diutius detinetur, vix in quo occupetur, aliquid habet: Tertio obuiandis multorum negotiationibus, quæ cum Capitulo penè protrahuntur: & quartò tandem obtinendo secreto nominationum (sic enim appellantur) quas semel factas, difficile celaueris, nisi inquirentes separes, & diuidas, ab his qui possunt prodere; & qui siue obliuione, siue impetu, si altè examinentur, ægrè possunt, aut sciunt dissimulare. Diuisis æquè vtrisque, deesse debent, & conscijs, qui inquirant; & inquirentibus, tui respondere valeant; & quorum seu negantium, seu tacentium gestus, & ora nutent, ex quibus multa diuinant, siue rimantur. Alia, an hæc causa fuerit, non constat: illud compertum, secretum obseruatum in hoc Capitulo præter, aut supra morem; atque vix celebratam electionem in aliqua Ecclesia, in qua ante referatam cartam nominationis in singulis Capitulis, contenti venerint ad notitiam electorum. Hinc duplex fructus, vterque copiosus; alter; quod omninò cessarent negotiationes, quas licet hactenus nullus pro se ipso; at multi pro amicis facere solent: alter, quod electiones fere omnes pro dignioribus steterint, quippe nullo inuertente; nec præter vnam, aut aliam, quæ innotuerunt, vlla fuit, quæ ab scopo deuiaret.

IV. Fuit etiam singulare in hoc Capitulo, quod vacui omnes discesserint: Reformatore cuncta reseruante in euentus futuros electionum, vt pro prætermissorum qualitate cunctis functionibus, quantum in se esset, quos nosceret digniores destinaret. Ita dum pergerent, non solùm ignorabant, quos successores habituri essent, sed neque quid de ipsis futurum foret. Inde timor & spes, ac reuerentia; si quid in electionibus peccarent, plectendis facilè; aliter occupandi pro suis meritis.

V. Salmanticæ & Matriti Magistri Fr. Petrus de Andrade, & F. Thomas Cano præfecti sunt: Christophorus Martinez, data optione, elegit Complutum; propinquitate, vt aliqui putabant, natiui soli, & aeris temperie sibi propitia; an quia vix doctus in eadem palestra litteraria diu versatus, authoritatem Collegio conciliabat. Magistris fratri Alphonso Perez de Humanes Vallis Ecclesiarum Monacho, & F. Athanasio Cucho Superatensi (Dionysij Cucho fratri) vt in vtroque Collegio diù versati decentius permanerent, priuilegia diffinitorum concessa sunt; atque subsidia ad recipiendam lauream vtriusque academiæ; quam Alphonsus Salmanticæ suscepit, Athanasius Compluti recusauit. Fratri præterea Christophoro de la Zarraga, Spinæ alumno, ingentis spei iuueni qui hodie præest Ecclesiæ Carthaginensi in orbe occidentali, petendi Salmantinam lauream facultas data; atque ipse designatus in Capitulo, qui pro Reformatore in eius Cathedra, quandiu Salmantica abesset, substitueretur. Atque hæc omnia, & pauca illis similia pronuntiata sunt, priusquam Capitulares dispergerentur.

VI. Soluta Synodo, atque chartis traditis, quibus nominationes pro singulis Ecclesiis continebantur, Capitulares vnusquisque ad propriam domum, diffinitores Palaciola retinentes statuta & leges, quo minori tumultu, eò expeditiùs, & nihil aliud attendentes, consultauere. Statutum est, vt electiones functionum Capitularium, (Diffinitorum Visitatorumque, & similium) quæ hactenus à minore parte suffragantium prævalere solebant, aut saltem poterant (quoties suffragiis diuisis inter multos, erat qui plura aliis, sed non maiorem partem obtinuisset) ex tunc maiorem semper prærequirerent; neque aliter in fauorem alicuius factæ, pronuntiarentur. Quod si in primo

primo scrutinio nullus esset,qui ad eam suffragiorum summam pertingeret ; duos præcisè,qui plura obtinuissent,iterum experturos;& qui tunc prævaleret,renuntiandum antiquiori Prælato,si fortè numerus æqualis inueniretur. Atque hæc lex acceptata communi plausu(rarum in aliis) hucusque perseuerat.

VII. Sancitum etiam,obuiandæ multitudini, ex qua leges vilescunt,& qua Nostri ab initio laborauissent;vt recens latæ,in Capitulo immediato, (quando trium annorum experientia viriles,aut nociuas demonstrauerit) toti Congregationi approbandæ exponantur, aut reprobandæ, per suffragia secreta:& siuè reprobatæ, siue approbatæ, non retractari, aut mutari minimè valeant, nisi per tres, ex quatuor partibus, ipsius Cóngregationis. Ita demùm futurum aliquid firmum:& nec diffinitoribus (penes quos solos manebat propositio) adimi potestatem ; neque adeo facilem patere eius abusum quo leges in contemptum, plerumque in ignorantiam ligandorum ob transitus frequentes,præcipitantur.

VIII. De Magistris confirmata iterum lex,quæ duodenarium numerum præscribit: demptis tamen, ne numerandi veniant, Reformatoribus, quos omnes, Magisterij laurea insigniat.Sed neque Magisteria cum vacauerint, per Reformatorem, aut per diffinitorium, etiam in Capitulo generali existens ; sed electione Canonica omninò per vniuersam congregationem, atque omnium suffragia secreta conferri valeant. Demùm quod ad decorem, vtilitatemque facere videbatur:ne quis vllius vniuersitatis extraneæ laurea (exceptis Salmantina & Complutensi, in quibus florent Collegia Congregationis) sed domestica accepta in Palaciolis,in vi priuilegiorum insigniretur. Ita obuiari sumptibus superfluis : & virtute extensionis licere nostris, quidquid licet Cistercio;imò,quod cunctis aliis familiis sacris : neque vllam esse,quæ suis non laureas conferat;plures, quæ etiam ad extraneos se extendunt.

IX. Additum, vt duo viri graues,& notitiosi F. Simeon de Salas Mataplanensis,& F.Thomas de Artiaga Vallis-Ecclesiarum hactenus latas leges inter se concilient, & concordatas,Capitulo generali immediato præsentent, vt vel sic saltem correctæ in lucem prodeant;& scire valeant,ad quid teneantur Monachi; quod hactenus;ne docti sine labore;indocti, nec si æternum laborarent, assequi posse,ipsa iam experientia demonstrauisset. Inquiri interim deliberarique si quid aliud expediat : & pro Collegiis,& sanctimonialibus, quibus Reformatores penè in cunctis pro legibus fuissent, institui eas, quas vsus magis probasset, neque has vltra reuocandas, mutandasvè, nisi de assensu trium partium Congregationis.

X. Quod attinebat ad litteras texturæ, triremiumque,impositus modus:vt ad torturam,nisi in atrocibus delictis,& cum consilio & consensu Reformatoris,& quatuor Consiliariorum cuiuscumque cœnobij non procedatur:ad triremes damnare nullus possit,nisi Reformator,cum quatuor,vt minimum ex sex diffinitoribus ; Idque rarissimè,& vbi nullum aliud remedium possit apponi. Hæc tunc decreta statim publicanda diffinitores soli : dein vltro associat Valeriano ; quædam alia arcaniora grauioraque Reformator proposuit, quæ singuli per annum meditarentur, atque secum conferrent pro maiori incremento Congregationis.

XI. Non multò post solutum diffinitorium, Reformator,acceptis Regis litteris, & Præsidis Castellæ, atque Magistri Fr. Antonij de Sotomayor Dominicani ; qui erat Regi à Sacris Confessionibus, pro vnione Ecclesiarum regni Nauarræ toties tentata, neque vnquam executa, toto, vt apparebat affectu, solicitatur. Sed Abbatiis perpetuis permansuris,& tripartitis, conuenientia in ancipiti ; & res attentius, atque plurium iudicio pensanda erat. Reseruauit in Maium anni sequentis negotium integrum,diffinitoribus interim admonitis,vt quid magis ex vsu esse censerent,longa meditatione ante præmissa,in Synodo intermedia conferre, atque Regi & Ministris respondere vltimo possent. Ipse interim Regi deditas gratias pro cura quam gerebat suæ familiæ,& curaturum se,nihil omittere,quod posset rem cum fructu promouere.

XII. Hoc ipso tempore ad superos migrauit, non improuisa morte, sed immatura, quippe quinquagenarius, plus minusvè Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus F.Ludouicus de Armendariz,quem ex Monacho Vallis paradisi,atque alumno Collegij Meyritani,in Abbatem Oliuæ primò assumptum, mox in Iacensem Episcopum promotum, commemorauimus. Cum interim ad Vrgelitanam sedem priùs, inde ad Tarraconensem Archiepiscopatum,& Cathaloniæ Pro-regem,ingenti illius prouinciæ acclamatione,imò & totius regni vocatus esset.

XIII. Archiepiscopatum Tarraconensem à Rege designatus, morte præuenit;in Pro-

regnata multas & magnus fuit ; in Deum pius , in Ecclesiam deuotus , in Regem fidelis , in populum mansuetus , & compassiuus ; sed in pauperes adeo liberalis , vt nisi fratris , Marchionis Cadereytæ , atque Ecclesiæ , cui præerat impensis humatus esset , nihil prorsus reliquerit , vnde funeri posset prouideri. Quod illi in tanta dignitatum copia , & potentiæ affluentia , maiori aut dubie gloriæ , & laudi fuit.

M. DC. XXVII.

XIV. Anno M. DC. XXVII. Reformator visitatione per Ecclesias cœpta , (nam præcedenti à die sancti Lucæ , quando inchoari solet , vsque ad Natiuitatem Saluatoris , Cathedræ inseruierat) atque à Valle-Ecclesiarum , quod solus Lorca fecisset , initio sumpto ; inde ad Montem-Sion atque Matritum cursu velut retrogradu progressus , ad Vallem-bonam vsque per quatuordecim domos continuauit. Ab hac visitatione initium habent libri Capitulares in Monasteriis , in quibus electiones Abbatum , confirmationesque , atque id genus alia conscribuntur. Cum hactenus vocalia omnia essent , nec si dubium , seu bis fortè occurreret , quidquam per scripturam , sed omnia per testes probanda forent. Quin neque qui in Abbates proponebantur singulis Monasteriis scribi soliti. Vnde , si cartam contingeret amitti , siue mendose scriptam reperiri ; diuisis per conuentus diffinitoribus , & cæteris ignaris , ægrè vel dictis testium constare poterat.

XV. Prima die Maij in Palaciolis conuenere diffinitores , quæ occurrerent negotia expedituri. Cum fratre Thoma Brauo ex Monacho & Abbate Saltus-Noualis à secretis Reformatoris in Capitulo generali designato , sed nihilominus in Hoyæ Abbatem proposito , atque ibidem electo , secretariam vacuam relinquente ; de subrogando successore tractatum est ; & vocatum in dubium , an Reformator in eius electione suffragaretur ? Ideo id munus iure quasi ordinario ante Reformatorem consuetum eligi , ne ab ipso eligatur ; nevè illi deuinctus ex electione , adeo in cunctis adhæreat , vt vnus quam duo magis putari possint. Inueniat hunc Ministrum , accipiatvè , sed non creet aut faciat : tunc demùm reputandum magis idoneum , si quando possit , ab ipso dissentire. Electionem priuatiuè ad diffinitores , neque ad aliquem alium pertinere : quare cum celebratur in Capitulo , neque Abbatem Montis-Sion , etiam si in ea præsideat , suffragari. Hæc quidam pluribus. Alij verò è contrà , non decere Reformatorem carere suffragio in electione , cui assistat , disceptabant : & satis esse , si vnus ex septem sit , in quem , vel quatuor possint prævalere. Diffinitores ante ipsum etiam eligi ; non tamen ideo repelli à suffragando , cum vacant intra triennium. Quin , quod vel in his per quos venit visitandus , in vltimo Capitulo intermedio suffragari consueuit : cur à Ministri electione repellatur?

XVI. Ita Diffinitores inter se , cum Reformator vtrorumque rationibus auditis , censuit ad exemplaria recurrendum. Quippè legum interpres consuetudo ; & vt ad præscribendos plures actus , ita ad interpretandum vnum sufficere , si non aliud quod obstet , opponatur. Verum cum exemplaria aut non suppeterent , aut nulli gnara essent , neque in libris notata reperirentur ; ne vel sibi arrogare vltra quam posset , aut derogare officio videretur ; vt plures poterant in paucos compromittere , ita se in omnes , ius , si quod habebat , transferre testatus , integrum semper reliquit successoribus provt vellent experiri aut retinere. Ita suffragiis omnium electus , quem ipse sibi ante annum assumpsisset.

XVII. Relatum inde de vnione Ecclesiarum Regni Nauarræ , lectæque Epistolæ tum Regis , tum aliorum , & cum eis Ludouici de Estrada quondam Reformatoris , tunc Abbatis de Iranzu libellus supplex , pro se saltem , & pro sua domo aggregationem instanter postulabat. Sed Rex , illæso iure perpetuitatis , atque tripartitionis omnimodam in reliquis vnionem ; Ludouicus , vt omnia communia essent , renuntiabat vtrique ; vel si à renuntiatione per Regem , vel per Regnum Nauarræ prohiberetur , vt Reformator saltem visitaret , coërceret Abbates , atque Monachis leges & iura daret , pro se , & pro sua domo obedientiam spontaneam , Pontifice annuente , pollicebatur.

XVIII. Arduum statim negotium visum est , nec sine magna consultatione , & maturo consilio deliberandum. Diffinitores , Reformatorque in partes diuisi rem alias dubiam difficilius implicabant. Erant quibus placeret voluntas Regis ; neque morbo assentandi , siue obsequio , sed ratione , & indicio. Nam Ecclesias perpetuas , triennalibus longè antiquiores & grauiores esse , & accessionem membrorum , quod nobiliorum , eò fructuosiorem corpori toti , atque honorificentiorem disceptabant. Et quid glorioſius , quam si æquentur nostris , imò & subsint , Abbates annuis prouentibus citati , perpetuique , qui penè sint Episcopis æquales ? Commendari Capitula Cistercij , à Pontificibus frequentari solita , etiamsi exemptis ab eorum obedientia : quanto magis laudanda illa futura , quibus non solùm adsint , sed obtemperent ? Ex varietate augeri pulchritudinem , quam cur nos ipsi nobis inuideamus ? Hactenus triennali Reformatori triennales Abbates paruisse : ex tunc

perpetuos

perpetuos etiam parituros. Neque aliunde imperantium potentiam melius, quam ex subditis ipsis pensari posse. Accessionem cum eisdem omnino legibus, vel plurium Ecclesiarum, non tantam esse, quæ non à multis prouinciis aliarum Religionum, superetur: Cum hac diuersitate, talem futuram, cui nulla alia similis; & tanto præciosiorem, quo rariorem. Repellendos fortasse, si tot essent, qui nostris prævalere, aut nostras inuersuri leges timeri possent; sed pars vix decima, qualiscumque sit, quando non superetur ab aliis nouem?

XIX. Tum hoc subsidium in promptu semper esse, si nociua diuersitas: si semel cœperint conformari in aliquo, facilè in omnibus fore conformandos. Quot enim monasteria Congregationis, sub perpetuis Abbatibus Reformationem accipere cœperunt? Quin etiam aliqua sub commendatariis: & non longo interuallo effectum est, vt cæteris per omnia conformarentur. Idem omninò futurum in his quinque, si non magis videatur expedire, conseruari immutata: ingens haud dubiè præmium, quod magnos viros, siue Reformatores iam emeritos, siue insignes Magistros intra Congregationem manere posset.

XX. Econtra alij, præcipuè Reformator, perpetuas Abbatias, vel sine vlla redituum partitione, relegatas à Patribus, tanquam omninò contrarias Reformationi: quanto magis perpetuas, & tripartitas, quæ penè deuiant à voto paupertatis? Illarum Abbates ægrè coërceri experientia compertum: quos, si quis continere legibus velit, facilè leges ipsas irrisuros Contempturos præcepta, mandataque; vel si quando parere compellantur, ad tribunalia sæcularia statim, vbi res pretio agantur, cuncta tracturos. Hauriendum litibus patrimonium Congregationis, si causas prosequatur: si omittat, quis fructus laboris erit? Ipsam Abbatum inæqualitatem vnioni nociuam, Male inæquales iuuencos sub vno iugo: peius Prælatos dispares potentia sub legibus eisdem coire posse. Non arandum in boue simul & asino ex diuino præcepto, ne videlicet totum iugum in asinum desinat, cum sit minor. Cassura omnia in Abbates triennales, & eorum Ecclesias, si coëant vtrique. Tum verò leges futuras omninò similes, (quod dicebat Philosophus) telis aranearum, quæ triennales, velut muscas, capiat; à perpetuis rumpantur aut vltro cedant. Quid si in Capitulis officia aliqua ambiant, aut sibi, aut suis? & quid, si quos suasionibus non possent, authoritate premant, aut (quod deterius) tentent largitionibus? Nihil tale timendum de viris piis: sed prouidendum, ac si timeretur, cauendumque, ne vnquam rimeri possit. Prævaluit hæc sententia; decretumque Regi, & ministris ex ipsa respondendum.

XXI. Restabat discutienda propositio Ludouici de Estrada, qui cum rem totam, veluti domesticus, & satis religiosus percaluisset; non vnionem obnoxiam tot incommodis sibi aut suis petebat; sed id solum optabat, vt ad Reformatoris obedientiam admitterentur: visitandi per singula triennia, & per appellationem, quoties occurreret, ipsius etiam iudicium subituri: additis paucis quibusdam conditionibus, æquis, vt videbatur, neque grauia incommoda allaturis.

XXII. Hanc petitionem probauere Patres, atque integram potestatem fuere Reformatori, vt nomine totius Congregationis, & præstaret consensum, vt res ipsa à Rege, velut Patrono, atque à Christi Vicario impetraretur; & ea impetrata obedientia, eius admitteret; ac se pariter, & suos successores ad visitandum, atque alia præstanda quæ sub pactum veniebat, obligaret. Porrò, quæ in pactum venere, sunt quæ sequuntur.

XXIII. Vt quiuis Reformator intra triennium semel etiam non requisitus; si requiratur, toties quoties visitet; tum toties, quoties per appellationem grauatos quosque audiat, & causas terminet. Vt domus nostræ pateant Irantiensibus, & Irantium Nostratibus; præuio tamen consensu Reformatoris, atque vtriusque Abbatis, qui etiam inter nostros requiri solet. Vt Irantiensibus liceret quoscumque vellent mittere ad Collegia Congregationis sub obedientia Abbatum, & Collegiorum legibus victuros. Vtque soluto alimentorum prætio, quæ in ipsis insumerent; cætera immunes, neque vlli exactioni obnoxij reputarentur.

XXIV. Hæc & alia sancita inter vtrosque, atque abs Rege firmata, mox ad Comitia Nauarræ delata sunt; quæ cum ibidem in dubium reuocarentur, Ludouicus de Estrada, libello edito, multis rationibus, vtilia esse monstrauit. Et nisi solus esset, prævaluisset: verum cum alia cœnobia eiusdem Regni similem obedientiam recusarent, suggestione Abbatum, vt credebatur, quos pacta illa præcipuè ab absoluto Dominio deturbabant: ne Irantium solum ab aliis dissideret, mansere irrita: quoad vsque omnia simul, non multò post Congregationi Aragoniæ vnita sunt, sub aliis conditionibus, quas infra fortè in tempore narrabo. Redeo ad Capitulum.

XXV. Actum deinde de constitutionibus polyticis, quarum meditationem ad hoc tem-

pus

pus integer annus indictus maturauerat;& Reformator,quod dudum insedisset ipsius menti,ante omnia proposuit : creuisse plurimum sumptus Congregationis ; & præter primitiuos inexcusabiles Procuratorum tam Religiosorum, quam secularium, aduocatorum, aliorumque officialium in Curiis Pontificia, Regiaque, atque aliis tribunalibus,sine quibus nec tractari lites possunt , nec sine litibus patrimonia conseruari. Præter hos inquam sumptus primitiuos,Complutense Collegium & Salmantinum pene ex integro, Conuentum Matritensem & Palaciola,maiori ex parte saltem , vélnt domos Communes , communibus expensis sustentari:quibus soluendis Ecclesias alias impares, aut sub onere gemere, aut debito splendore defraudari. Quippe opimas,pensionibus oppressas, in mediocres,aut tenues:mediocres in tenuissimas:& tenues tandem,in grangias penè redigi,pensiones ipsas,nunquam sine damno,aut creditorum solui,aut debitorum : horum , si vt soluant tempore præfixo , vtilius quos habent fructusagantur vendere;illorum, si quos non habent,carius emant,quia pretium quo empturi erant , tardius percipiunt.

XXVI. Tum inter nostros, iurgia litesque ex earumdem pensionum distributione , frequenter oriri ; & dum quisque pro domo sua zelat qui minus possunt, inuidia contra potentes,hos contra illos potẽtia debacchari.Esse in Gallæcia duas Abbatias,ex tenuibus,pingues breui effectas , sanctum Claudium nimirum , Melonemque , quæ nondum pro redituum quantitate suscepissent Cõuentus;impensis litium, quibus recepissent ingentes possessiones, feriatas hactenus ; exinde fructus amplos percepturas.Harum reditibus, communes omnes sumptus, suppleri posse, sine vlla Ecclesiarum aliarum diminutione.Neque vt annuis expensis reditus annui earumdem Ecclesiarum applicarentur , quod in Azebeyro , Franquera , & Pœna-maiori,consuetum fieri,commutabat Ecclesias,non promouebat : sed vt ex eis emerentur possessiones,quæ singulis in dotem cedere possent.Ad septem millia ducatorum auri, ex illis processura per annos singulos, quæ si indotatis ordine applicentur , breue intra tempus,dotatæ omnes manebunt. Et diminuto pretio contributionum per singula triennia, ipsa experientia euidentis vtilitatis,attrahendos haud dubiè successores ad dotes integras cunctis comparandas. Ita & alias Ecclesias indemnes fore;& duas ipsas, quæ cunctis subueniissent, post subuẽtionem integras,& iam omninò immunes,graues tandem conuentus suscepturas. Placuit consilium vniuerso Diffinitorio,placuit & Valeriano de Espinosa,plaudentibus certatim:nec dubitabant de vtilitate;sed quod antiquis nunquam occurrisset , quo ipsi fruerentur, lamentabantur.

XXVII. Actum deinde,eodem proponente,de Abbatiis tenuibus, quæ dum quatuor vel quinque Monachos alunt , nec pluribus sufficiunt , impares oneri Monastici rigoris , nec Deum cultu,neque Angelos consortio,neque homines exemplo sibi deuinciunt.Nam disciplina monastica laxata,& plerumque soluta, quid,nisi otium ? & ex otio mala cuncta facilè oriri.Tum semel suetos Monachos torpori desidiæque,ægrè ad morosas & continuas occupationes,atque grauia exercitia aliarum Ecclesiarum reduci posse.Sed nec si reducantur,vacat periculo:nam multorum feruorem zelumque,paucorum sæpè ignauia relaxari.Plus grauiores Ecclesias ab his differre, quam à conuentibus aliarum Religionum. Quam differentiam,eandem intra familiam,quis æquo animo possit tollerare?Prouisum iam multoties Cistercij legibus , ne vlla domus infra duodenarium numerum Monachorum , tertiodecimo Abbate superaddito, permanere in ordine:quin & conuersis quibusdam destinatis,per quos illi feriati ab exterioribus, soli obseruantiæ,& choro deseruirent. Hodie conuersis fermè relegatis,pauciores inter ministeria diuidi ; atque ipsos intentos choro & cantui ; torpori magis,quam feruori spiritus,oscitantiæ & desidiæ,quam deuotioni;demùm contemptui magis, quam aliorum exemplo idoneos,solo nomine Monachos, cætera seculares reputari.

XXVIII. Posse, si ad tempus ferientur hæc conuenticula emere sibi census,arua,vineas, quibus dotata , competentem numerum alant , atque condignè Cistercium expressurum. Nullius Sacræ familiæ grauitatem sanctitatemvè ex cœnobiorum numero pensari , quod Carthusiana probat ; sed ex rigore vitæ & disciplinæ. Cuius vt obseruantia Deum conciliat, Angelis placet , atque homines ædificat : ita neglectus cunctis inuisos reddit , despicabilesque ; neque dignos honore, aut laude, sed vituperio. Cœnobia illa, quandiu non extiterint, non nocitura nostris ; cum redierint, immensum profutura.Demùm iacturam illam,si quæ foret, temporalem,& leuem;lucrum ingens, & longè permansurum. Simili plausu admissa hæc propositio , nondum instantibus Abbatum electionibus, quas minui numero , semper ægrè ferent,non solùm eligendi,sed electores.

XXIX. Tertio loco proposuit Reformator,Concionatorum munus, & ministerium , ne ab antiquo Cistercio vnquam aliorũ;in nouo ferè proprium , certè perneccessarium omninò fore:cura animarum imminente multis Ecclesiis, neq; vlla iam relicta in obseruantia, quæ

populum

populum frequentem non admittat: in quo, neque enim id negare licet, à primitiuo rigore degeneramus. Tùm duo collegia in Academiis publicis, Abbatiam in Curia Regis Catholici, atque alias numeroſis vicinas vrbibus Prædicatores Verbi Dei petere, graues, & eloquentes, ſine quibus vix poſſint conſeruari Qui excellant in Scholaſtica Theologia, multos nobis ſuppetere: expoſitiuæ, qui velint ſe applicare, raros omninò, qui dignè munus impleant Apoſtolicum, longè rariores; & vix vnum, aut alium inueniri Non ingenia, ſeu dotes deeſſe noſtris, quæ muneri conueniant, ſed præmia tantum, quæ omnes bonas artes alere ſolent. Docentibus Theologiam, Magiſteria, & ſuffragia in Capitulis perpetua, atque id genus alia conceſſa eſſe. Concionatoribus, nullum priuilegium, præter laborem continuum, ſudoremque, & perpetuas vigilias deſignatum. Sperari poſſe, ſi vtriſque proponantur, vtroſque ſuffecturos; & neque minus inſignes euaſuros in vno, quam in alio; nec minus promoturos obſequium Dei, aut glorioſos futuros Congregationi. Placuit non minus propoſitio hæc, quia re vera in hac parte minor copia; etſi ad Scholaſticos velimus comparare, rariſſimi apparebant Prædicatores. Decretum eſt, Pontifici proponi, vt duo ex ipſis, qui miniſterio aptiores inuenti fuerint, deinceps inſtituantur, qui Concionatorum generalium titulo gaudeant, in Capitulis perpetuò ſuffragentur, & in omnibus Magiſtris ſint æquales; atque hi etiam eligendi veniant per ſuffragia totius Congregationis. Sed etſi alij in eo Miniſterio in locis publicis per duodecim annos inſudauerint & munus ſuum laudabiliter expleuerint, per eadem ſuffragia admitti valeant, nullo præfixo numero quò plures poſſint ad præmium aſpirare.

XXX. Propoſitio quarta Reformatoris pro conuentibus fuit. Manſiſſe omnino inermes contra Abbates, ex quo Procuratores ſublati ſunt; nullo pro eis in Capitulis agente, ſeu reſpondente, nullo cauſas eorum procurante: quas, ſi Abbates, qui ſoli aſſiſtunt, deſerant, (& deſerunt frequenter, imo inuertunt, quia frequenter in ipſos) indefenſi omnino, & inauditi, nonnunquam innocentes cadere poſſunt Eſto, non redeant eligendi per ſuffragia, ne pacem turbent: at aliquos pro eis ſubrogandos, qui negotia procurent Monachorum, nulla ratione, aut iure negari poſſe. Conuenit inter omnes, ex propoſitis, qui non eſſent electi, octo antiquiores omnium deſignandos, quibus hæc cura incumbat: Et diſtributa quaſi in octo prouincias Congregatione, ſingulis ſingulas debere deputari, vt earum Monaſteria diſcurrentes intra vltimum totius triennij menſem, petitiones ſuſcipiant, aliaque, quæ ad Capitulum deferant, omnium in tempore rationem reddituri.

XXXI. Cæterum occaſione Procuratorum actum de Abbatibus, & dubitatum eſt, an illorum vacatio expediens foret, inculcatis rationibus, quas olim Valerianus propoſuiſſet. Nam cur Eccleſiæ careant bonis Paſtoribus? ſi omnes æquè arceantur ab officiis, vbi præmium bonorum, aut quæ Diſcolos pœna manere poteſt? nam poſt triennium obliuioni vtroſque dari; & facilè hos admitti, illos repelli. Pondus authoritatis eneruari alternis vocationibus; & dum ſimiles ſibi Monachi vident, quos ſuperiores, imo Angelos putabant; reuerentiam exuere, ad quam non facilè poſtea reduci valeant. Prælatos ipſos, dum ſciunt ſe parituros vni ex his, quibus imperant, timidè agere: & ſæpè ſpe, vel metu ſucceſſoris, multa diſſimulare, multa permittere, quæ nunquam alias forent permiſſuri. Singulis gregibus, ſingulos paſtores, qui rectè curent oues, rarò inueniri: quantò rarius duplices: alios, qui vocent, alios, qui præſideant? Quin etiam Nos triplicibus egere, proponendis duobus ſingulis domibus, vltra eos, qui vacant: quot; quando dignos detur inuenire? Hæc & ſimilia perpenſa ſancto zelo (ſic enim par eſt credere) erant qui excogitata à perpendentibus continuando imperio iactitarent. Verùm Diffinitores eligibiles ad ſubſequens triennium in Abbates, re vera non tam ſibi prouidebant, quam quod rei publicæ vtiliùs iudicabant.

XXXII. Hæſere alij in hac propoſitione, maximè Reformator: non quod Abbatum continuationem, ſi caderet in probos prudenteſque, expedientiſſimam fore dubitaret: ſed duplicem ob cauſam vrgentem ſatis: prima, quod frequens reuocatio legum inconſtantiam argueret; & ſucceſſoribus mutandi exemplum daret, quo nihil perniciouſius: ſecunda, quod timendus prudenter eſſet huius abuſus; & ne ſemel obtenta poteſtate continuandi Prælatos, non meliores, probatioreſque; ſed qui ſuffragia, obſequentius contuliſſent, aut collaturi eſſent, continuarentur. Et quia vſquam nocentius publico bono, quam ſi Abbatiæ in pretia ſuffragiorum, quando electiones inſtant, proponi poſſint? Relinquendos meliores, quia integros; neque vlla ſpe, vllo metu vnquam mouendos: & ſolos conductitios, (ſi ita fari licet) continuandos; quo minus aptos gerendis Dignitatibus, eò plerumque earundem appetentiores.

XXXIII. Præualuit tamen ſententia Conſulentium, relegari interualla; nec Reformator reſtitit: alieno magis, quam ſuo iudicio deferens; ſeu cunctis bonis concordiam anteponas;

ſine

siuè tandem vt cætera, quæ ipse reputaret valde vtilia, quasi hoc hamo inescata, maiori omnium consensu, susciperentur. Itaque hæc quinque Romæ petenda, nemine discrepante sancita sunt: decretumque vt pro eorum obtentione Angelus, quem aptiorem iudicaret, Romam mitteret, cum Litteris Philippi Regis Catholici, apud Pontificem negotium promoturis. Anteuertendas querelas aliquorum, cuncta causantium: vt siuè ad Regem postea deferentur, siue ad Pontificem; neque hunc moueant, quem semel infirmaret Regia petitio, & ab illo præuento, instructoque, & veluti fautore; faciliori negotio repellantur. Hactenus concernentia polytiam.

XXXIV. Additum, pro conseruando iure Cistercij, atq; Cistercio nobis asseruando, vt qui ad Romanam Curiam mittendus esset; reditum per Burgundiam ita disponeret, vt Abbatem, conuentus Morimundi, super sacræ militiæ prioratu, qui à tringinta ferè annis iam vacabat, conueniret solerter, moneretque, ne tantum ius perire pateretur: sed vel sibi assereret, velut ad quem perpetuo pertinuisset; vel si de hoc omninò desperaret, ob dissidia nationum, Regumque, transigeret nobiscum; & iusta accepta recompensatione, institutionem Prioris Sacri Conuentus, cum iuribus annexis, ad nos transferret; quippe subditos Regis, & Castellanos; eoque facilius cum ipso, & cum sacra militia composituros.

XXXV. Quod si segregationem à Cistercio, & Castrorum ipsius desertionem nostris obiiceret, occasione arrepta, in spem induceret, fore (quod optimi quique desiderabant) vt, si æquas contritiones pati vellent, pro qualitate temporum, atque conuentuum, tum Galliæ, tum Hispaniæ; Cistercio, non sine magna vtrorumque vtilitate, atque mutuo prouentu, institueremur. Ita signatum tabulis Capituli: decretumque, vt si incideret tractatus, nec præsidentias Abbatis Cisterciensis in obseruantiæ Synodis, quoties præsens adesset; neque nostrorum ad Capitula Cistercij, per vnum, siue duos deputatos, opportunus accessus; nec demum obseruantia legum, in eisdem latarum, modo nostrorum haberent approbationem per suffragia ferendam, detrectarentur. Reliqua immota omnia permanerent: neque Abbas Cistercij cum præsideret, quicquam, sine approbatione Diffinitorij, siue Congregationis, innouaret.

XXXVI. Secretum iuramento cunctorum firmatum est: & Reformator, quæ Matriti curanda erant Magistro Fr. Thomæ Cano Nucalensi, tunc sanctæ Annæ Abbati, graui, & industria, commendans serio; Asturum ipse, & Gallæciæ visitationem circa eius mensis medium aggrediebatur. Cum ecce ab alma Academia Salmanticensi legatum suscipit, Magistrum Fr. Petrum de Andrada nostri Collegij Abbatem, atque insignitum Laurea Salmantina, cum litteris solemnibus, quibus ire Matritum, & pro Academia respondere in grauissima causa, præstiti iuramenti virtute, & tantæ Matris reuerentia, præcipiebatur. Stetit dubius inter duas obligationes; alteram strictiorem, quia magis propriam; alteram superiorem, quia magis publicam. Verùm cum hanc instare consideraret; illam tempus, induciasque permitteret, imo illam etiam promoueri posse, si pergeret Matritum; & quæ instabant negotia per seipsum, maiori authoritate solicitaret: dilata non omissa visitatione, perrexit Matritum; vbi vtrisque negotiis vtriusque Matris fœliciter peractis, Magistro etiam fratri Christophoro de Lazarraga Spinæ Monacho, & tunc recens Salmantina laureadonato, eum ob quasdam propositiones liberiùs pronuntiatas, afflictaretur, opportunam & certam opem tulit.

XXXVII. Verùm hæc inter læta prosperaque, illud triste, & dolendum illi accidit; quod Mag. Fr. Thomas Cano Matriti Abbas, quem Romam mittere ad instantia negotia deliberauerat, graui morbo correptus, atque ipso præsente, extinctus est, ingens sui desiderium multis relinquens; sed Angelo præ aliis, quippe à teneris annis, studiisque, arcta coniungebantur necessitudine.

XXXVIII Rebus confectis, Reformator repetiuit visitationem; & quia conuentus sanctæ Annæ Matritensis vacabat Abbate, cuius electio iuxta præscriptum legis, in Diffinitorio erat celebranda, Congregationem indixit in Gallæcia, Meyræ, intrante Septembri celebrandam. Quippe mense Augusto, qui tunc instabat, assignato pro termino; sibi, vt Asturum domus visitaret; cæteris, vt vocarentur, & conuenirent. Electus est, F. Vincentius Appario Nucalensis, qui Prioris, officio fungebatur sub Thoma Cano. Delatum id Valeriano de Espinosa, qui Matriti degebat; delatum defuncto, & ne si Abbas aliunde eligeretur, omnia simul cum ipso mutanda forent.

XXXIX. Qui negotia expediret apud Pontificem, Fr. Martinus Gutierrez Diffinitor, pro eodem Thoma Cano subrogatur; qui Regiis litteris, Ministrorumq; acceptis, atque aliis instrumentis, in quibus Capituli decreta continebantur, terrestre iter, dein nauigationem maturare iussus, quantocius potuit, ad Curiam properauit: Illud præcipuè attendens, intendensque,

densque, vt sequenti anno tempore Capituli, redux, quæcumque impetrasset, proferre posset. Hæc in hac Meyritana congregatione: nec quicquam aliud memorandum in hoc anno, nisi quod Reformator dum visitabat, clementiæ, quam iustitiæ longè propinquior, in quo ei à quibusdam derogabatur. Sed re vera, quæ posset sine tumultu, quantumuis grauia mala, impedire malebat, quam diuulgare.

M. DC. XXVIII. XL. Sequenti anno M. DC. XXVIII. dilatum Capitulum, tum vt Martinus à Romana Curia redux, quæ afferebat indulta, præsentaret; tum vt Reformator, qui fine proximi anni Salmanticam redierat, absoluta Gallæciæ visitatione, quatuor menses in legendo posset insumere; remissis aliis quatuor, Regis indulto, quibus sui muneris functiones exequi posset. Tandem indictum ad diem primam Iunij, solo Martino absente, congregatur in Palaciolis, atque tribus diebus cuncta expediuntur, quæ occurrerunt ex more pertractanda. Iussa cudi Breuiaria, Diurnaliaque, quæ iam non nisi rara inueniebantur. Quin etiam liber pro Pontificalibus functionibus, quas Abbates exercent; in quo Romam ritus vsu venirent, & nihilominus Cistercium retineretur. Breuiarij, atque Diurnalis editiones, variis occurrentes casus impediuere. Pontificale digessit Reformator vulgauitque, quod aliæ etiam suscepere Congregationes.

XLI. Die quarta Ludouicus de Estrada Abbas de Iranzu, Palaciola ingressus, dein Capitulum, iterum de vnione sui cœnobij multa disseruit; cuncta ex affectu, & charitate in nostros, neque minus in suos zelo iustitiæ: verum aliis Abbatibus Nauarræ contradicentibus, debito effectu omnino caritura; adeo tamen promouerat negotium vt vix nisi arte potuerit eludi. Qui prius omnem vnionem recusauissent, cum Castellanam imminentem intuerentur, Aragonensibus petierunt aggregari: non quia cuperant; sed vt noua propositione, nec nisi tardè & difficilè expedienda penè peractæ priori inducias darent; si posterior succederet, iterum ad hanc ipsam redditurі. Confirmata præcedentis anni decreta, & grates actæ Ludouico Estradæ sunt, pro eximia in Cistercium vniuersum, mox in Castellæ obseruantiam, veneratione.

XLII. Quinta die Martinus Gutierrez venit, expeditis negotiis, pro quibus Romam ante annum missus fuisset Lectis diffinitorio Apostolicis litteris, quæ omnia concedebant, in narratiua apparuerunt mutata quædam (casu an consilio inquirere non placuit) quæ expeditionis lætitiam temperarunt. Reliqua omnia indulta, vt petebantur; & designati ad executionem Episcopi, qui per censuras omnes Ecclesiasticas, & alias graues pœnas, Apostolica authoritate compellerent, si fortè quis auderet recalcitrare. Mutata, quod minoris momenti essent, seu ne cætera in dubium post se traherent, rata habere, conueniens visum est, ac si ex diffinitorij mandato proueniissent. Non nihil tamen dubiam reddiderunt Procuratoris fidem, causantibus quibusdam motiua quædam priuatæ vtilitatis: aliis è contra, sed præcipuè Reformatore, solam incuriam, eamque facilem, & leuem asserentibus.

XLIII. Nihil erat exequendum ante Capitulum, præter Procuratorum designationem. Qui nimirum, & quibus Monasteriis adscriberentur. Itaque, vt hoc faciliùs præstare possent, vniuersam Congregationem, atque eius Ecclesias, quasi in octo prouincias diuiserunt; Toletanam, Riuogiæ, Burgensem, Camporumque, Legionensem, & Asturum, queis aliæ duæ in Gallæcia sunt adiunctæ. Singulis attributa quinque cœnobia, aut cui plurimum sex, additis Monasteriis Monialium pro vt intra terminos cuiusque continebantur. Tunc designati singulis prouinciis, Procuratores singuli, id est octo antiquiores, qui nominati fuissent, & non electi. Decretum item, vt hanc indulti partem, quæ sola præmittenda erat Capitulo, Reformator in tempore, neque antea faceret per Conuentus publicari. Reliqua in proximam generalem Synodum, quam solam concernebant, remissa sunt: nolente Angelo vti coactione, sed remittens Abbatibus, vt vltro admitterent, quæ ex vsu esse viderent.

XLIV. Adduxerat Martinus quædam alia iussu Reformatoris, quæ videbantur obseruantiam promotura. Ne quis ad probationem, seu nouitiatum, nisi in Ecclesiis viginti Monachorum vt minus admitti posset: ne Theologi in Collegiis vacantes litteris, tempore vacationum, nisi simul, atque in domum vicinam, in qua cum suis lectoribus, litteraria exercitia continuarent, egrederentur. Atque his quædam alia non dissimilia, quæ collaudata ab omnibus, atque in sequens Capitulum remissa, dum priuatis attendimus, facilè euanuerunt, vt solent pleraque.

XLV. Tandem qui Reformatorem visitarent, designantur ex more Fr. Vincentius de Gueuara, Montis-rami, & Mag. Fr. Christophorus de Ouando Vrsariæ Abbates. Qua vltima expleta functione, soluta Synodus, & Reformator mansit in Palaciolis suæ domus negotia, atque Congregationis, si quæ occurrerent, promptiùs indè, & commodiùs expeditus. Maculauit hunc annum Angeli vltimum acerba mors Fr. Hieronymi à Serra Carracetensis, cum ageret Abbatem apud Iuncariam, fustibus agasonum interempti, dum fu-

rentes in socium eius Monachum (incertum qua occasione) tentat reprimere. Missus vnus è Regiis Consiliariis vlciscendo flagitio, multos attriuit: verum sceleśti, cum antea profugissent, quod meruerunt supplicium euasere. Contigitque, quod in his plerumque solet, non nocentiores plecti, sed ditiores.

XLVI. Non minus tristis Reformatori fuit mors Dominici Aldaue diffinitoris, quem ante annum correptum quartana febri, punctiqularius dolor tandem abstulit, ingenti omnium mœrore, quod viri nobilis, prudentis, litterati, nec minus Religiosi improuisa iactura, post magnas spes conceptas, ad deiectionem ferè præcipitabat. Sed multò magis, quod rumor increbuerit, non morbo ingruente correptum esse, sed dolo malo Hebræi cuiusdam medici, quem plures alios ad mortem adegisie, dum simulat curare Sacrosanctæ Inquisitionis tribunal, à quo postea, damnatus, manifestauit.

M.DC. XXIX. XLVII. Intrabat annus M.DC.XXIX. Et pro Capitulo instanti celebrando, pars illa indulti, quæ se ad Procuratores extendebat, per ordinis Ecclesias, non sine plausu, & fauore promulgabatur. Prospectum subditorum vtilitati: & iam non omnes leges contra ipsos, sed aliquam pro eis ferri posse, sera experientia, vt multis videbatur, sed eo magis læta, gratulabantur. Dari sibi, qui humilium Monachorum causas procurent, deferant petitiones, responsa referant; neque solis Abbatibus relinqui, quos per triennium iudices, quam Patres, nonnunquam etiam actores pertulissent. Hæc & similia multis proclamantibus, nullus fuit, qui in contrarium sese proderet.

XLVIII. Mense Aprili, post longam ægritudinem, quam per sex integros annos passus esset, octogenarius obiit Mag. Fr. Ludouicus Bernaldo de Quiros Spinæ Monachus, quondã Congregationis Reformator, & Sacrorum Bibliorum in alma Salmanticensi Academia interpres emeritus; vir inter paucos clarus, ingenio facilis, moribus ad candorem accedentibus, eruditione & notitia rerum præcipuus, eloquentiæ erumpens magis quam fluens; ad negotia promptus, sed aggredi paratior, quam vltimare; & qui haud dnbiè multa perfecisset, si authoritati, qua plurimum pollebat, addidisset constantiam, cuius defectu non nihil laborabat. Sepultus est in Collegio Salmantino iuxta Franciscum Nieto superposito sepulturæ illius lapide cum hoc modesto, atque humili epitaphio:

HIC IACET REVERENDISSIMVS D. FR. LVDOVICVS BERNALDVS DE QVIROS, CIST. ORD. GENERALIS EMERITVS, SACRORVM BIBLIORVM IN SALMANTICE ACADEMIA PRIMARIVS INTERPRES. OBIIT ANNO 1629.

Per idem tempus ad superos transfertur eiusdem, id est, Spinæ Ecclesiæ Monachus, & quondam etiam Abbas Fr. Laurentius de Cueto, patria Abulensis, genere nobilis atque fortis illius, insignisque Viraginis Dominæ Mariæ Vela, secundum carnem frater, verum adhuc coniunctior secundum spiritum, & ipse è Collegio illo Meyritano & cursu eius felici, ex quo tot viri insignes prodiere. Obiit cum magna opinione sanctitatis in oppido de Cardenosa, Patris ipsius dominio hæreditario; vbi hodieque memoria eius celebris, & reuerentiæ habetur eius sepulchrum.

XLIX. Inter hæc Reformator de successore, sine cura solicitus, sine solicitudine curiosus, quid sibi agendum foret deliberabat. Non quia Capitularibus diffideret, quos ferè omnes, negligentia, quam studium, natura, quam ars sibi conciliassent. Sed quia digniorem designare, arduum: etsi potentiam vellet retinere, quod malum commune; qui gratus beneficio responderet, aliquem inuenire, rarius, & difficiliùs iudicabat. Nempe maiores, gratiam non reputare; minores ferè illius pondere premi; & siue illi negent beneficium, siue hi excutiant, æquè vtrosque ingratos; nec quid, nisi obliuionem, contemptumque, si non etiam iniurias reddituros. Pares imperio, nolle ab alio regi; impares, vel rogari, ne parere putentur, erubescere. Demùm ab eo, quem alij sublimauerint, quo minus sperari, minus peti; & si quid præstet, pluris faciendum fore: vnde fauor, & gratia mutua consurgit. Quem ipse elegeris, & si cuncta donet, infra meritum semper; quare nec quæ concedat, reputari: & si quid neget acrius plerumque pungere, atque ex querelis, querelas excitare.

L. His veluti communibus rationibus, priuatæ aliæ ex tempore accedebant. Nam esse plures, quos aptos reputabat, nullum fortasse, qui aliis præemineret, Magistrum F. Gregorium Sanz præstare doctrina, nec pietate inferiorem apparere: sed minus gratum multis, & zelo validum, timeri, quam amari proximiorem. Magistrum F Nicolaum Brauo parem imperio, neque re vera posse esse timori: sed nescio qua fatali oppositione, vel his, à quibus laudatur, non placere. Magistrum F Christophorum de Ouando genere nobilem, formaque conspicuum, ingenium moribus, comitante præcipuum, & eloquentia: sed inæqualem dictis, factisque; & quæ multum Prælatos dehonestat, non nihil inconstantia laboraturum. Andream à Corduba, & Raphaëlem Astete, ætate maturos, experientia prouectos, authoritate

ritate graues,quam comparassent frequentibus functionibus:sed vtrumque inferiorem pondere officij; & alterum, dum minimis attendit, omittentem maiora: alterum vtraque ex æquo prætereuntem, & plus aliis fidentem, quàm sibi ipsi. Demum Martinum Gutierrez imperio parem sed minori experientia,ætateque,& validum affectibus; quibus,si semel rerum potiatur,difficile speretur imperaturus. Tum si ad priuata commoda respiciat, electionem non magis in promptu esse: quippe omnes amicos, & sibi charos; quorum tres primos, velut fratres habeat, quia condiscipulos; vltimum, vt discipulum, & filium; medios duos, vt Patres, Magistrosque totius Religionis prosequatur.

LI. Hæc & similia penè persuadebant in suspenso manere, neque vnum aliquem officio destinare. Quin electionem liberam relinquere his,quibus incumbebat; quò à pluribus faciendam, probandam pluribus; & quo minus ab ipso, & plus ab aliis, eò sibi futuram indemniorem. Affectus in Martinum efficacior, fortè quia paternus, seu verius, quia fatalis; & erant qui putarent, cum langueſceret, paucorum resistentia, sumpsisse vires; atque tunc demum obfirmato animo, stetisse pro ipso, cum quidam vulgauissent, Martinum solum supra omnem potentiam omninò fore.

LII. Habebat Ludouicus Bernaldo Bibliothecam multis refertam libris,quam annis quadraginta, plus, minusvè, magno pretio, & labore comparauerat. Hanc pertinere ad Collegium Salmantinum Congregatio vniuersa, sed Angelus præ aliis: Contra ad Spinam quicumque ex illa erant, sed præcipuè Martinus, multis vtrimque productis disceptabant. Itaque cum instantem illius mortem ætas & ægritudo prænuntiarent,Martinus,qui se Romam missum vidit, proximo voluit periculo occurſare Litteras à Vicario Christi obtinuit, queis serio cauebatur, ne de illius spolio coram Reformatore,Diffinitoribusvè,quos suspectos habebat;sed coram Apostolico Legato,quem vocant Nuncium,siue iudicibus ab ipso delegatis, qui extra ordinem essent, litigaretur. Fortè has litteras,mortuo Ludouico vt ad manum haberet,orta occasione,ab scrinio extraxerat Cum Reformator,quas impetrauisset in fauorem totius Congregationis produci iussit. Ille seu remordente conscientia, turbatus animo, seu verius immemor priuati illius rescripti, pro eo quod petebatur clausum obtulit, atque statim recessit, quædam alia negotia peracturus.

LIII. Tum vero Reformator chartam pandens,& propetitis in fauorem Congregationis contra eam obtentas litteras videns;hæsit re vera dubius,ancepsque, neque satis discernens, an qui in vno negotio prævaricasset, cæteris aliis tuto præfici posset. Missum ab vniuersa Congregatione,contra ipsam egisse:quidni,si eligatur Reformator Spinam anteferat; atque priuatæ illius vtilitati publicas omnes censeat post-habendas? Diploma pro diplomate,non casu, sed diuino consilio oblatum esse:nempe, vt ab illo errore casuali certius futura electio dirigeretur. Quippe ex præteritis, præcauenda esse futura; & in paucis inuentum minus fidelem, ne in multis præficiatur, repellendum.

LIV. Hæc in Martinum: sed pro illo stabat, quod negotia pro quibus missus fuerat fideliter expleſſet,à cæteris immunis exemptusque: & Spinæ velut propriæ matri obnoxius debuit,vt potuit pro illa procurare; procuraturus pro ordine vniuerso,vbi vniuersus incumbat illius curæ. Namque hoc esse,quod consulit Apostolus: Hominem domui suæ benè præpositum,seu benè prouidentem,vniuersali Ecclesiæ præficiendum Atque has rationes,aliasque nonnullas, vtcumque illi fauentes Angeli affectus in ipsum, seu fatalis impulsus, magnificabat.

LV. Itaque virum post triduum ad se vocatum grauiter alloquutus, in hæc verba prorupit satis amica. Si te alicuius flagitij manifestum conscius ad apicem rerum destinarem, graue à Deo supplicium,odium à fratribus: sed neque ad te vllam gratiam promererer. Ea quippe malefactorum ratio est, vt his etiam displiceant, pro quibus fiunt. Si ne leuiter quidem mihi suspectum, successorem eligerem; aliqua,neque exigua gratia esset,quod hominem iuniorem, (nam alias dotes lubens in te agnosco) tot atque tantis senioribus præferrem: & eos omitterem, post quos tibi accessus ad summam sedem,illis post te, nequaquam patere potest. Nunc deprehensum (& ostendit illi Diploma)non mea curiositate,sed tua siue sorte, siue incuria Congregationi aduersum, dum ageres negotia Congregationis, à perfidia excusare; & excusatum cæteris proponere, atque Congregationi ipsi perficere:mihi periculosum (non negabo) sed tibi in vincula, & catenas cedere debet Quas tamen non, vt te mihi obstringam, sed vt ordini paro; quem tuæ fidei committere intendo: vt sicut hactenus totus pro Spina, titulo filij, sic Patris nomine longe potentiori, pro bono publico totius Congregationis nullum prorsus officium prætermittas. Meliores semper, aut chariores habe,aut charioribus præfer: assentatores fuge; & nocentissimum venenum boni publici, priuatam tuam, seu tuorum vtilitatem. Executionem mandatorum Summi Pontificis, quanto

possum affectu tibi commendo: non quia, me authore petita sunt, nec quia te procurãt solicitata; sed quia cunctis vtilia, atque apud Deum simul hominesque nostram familiam, vt spero, promotura. Dixit, atque hominem flentem à se dimisit, multaque excusantem, & promittentem, quæ spes simul & metus, pudorque pro tempore dictabant, aut extorquebant. Atque hæc ad diem tertiam mensis Maij, antequam, nihil vnquam reclamauerat, aut ipsi, aut alteri; sed neque secum ineundi consilij certus erat.

LVI. Quarta sequenti egressus Palaciola, sanctum Andream ex more perrecturus ad Congium oppidum, vulgo *Cabezon*, multos inuenit occurentes capitulares, quasi ex eius arbitrio omnes penderent, etiam qui non pendebant; & scire vellent ex ipsius ore, quos iudicaret idoneos diffinitores, visitatoresque, & quem pro se vellet in officio subrogari. Ille prius ad ipsos cuncta referens, cũ acrius instaretur, tandẽ proposuit, quos aptiores putabat; si conuenirent, gratulaturus sibi quod cum tot, tantisq; viris sensisset; sin minus, seriò singulos obtestans, vt suum quisque iudicium, atque propriũ dictamen exequerentur. Sed nec quem vellet habere successorem occultauit, aut tacuit: palam professus Martinum sibi videri pro tempore occurrente magis idoneum; quanuis liberum omnibus relinqueret, vt pro quo vellent, aut digniorem sentirent, suffragarentur. Exinde ad sanctum Andream profectus est, comitantibus cunctis, quovsque eos Congium reuerti iussit, sequentem diem ibidem præstolaturos.

LVII. Sequenti mane, ingressis Palaciola, quo omnes concurrere Capitulares, (Missa de Spiritu S. decãtata, atque habita concione, cæterisq; quæ præcedere solent) diploma Pontificium productũ est, virtute cuius octo Procuratores ad suffragia admittuntur; cum litteræ ipsę prius examinatæ, nullius vitij suspectæ reperirẽtur. Processum inde ad eligenda officia, atque eo ordine officiales electi sunt, quo Reformator eligendos proposuisset, Diffinitores Mag. F. Valerianus de Espinosa Generalis emeritus, Fr. Raphaël Astete S. Petri ad Gumielem, Fr. Andreas de Corduua Vallis paradisi, F. Vincentius de Gueuara Montis Rami, Mag Fr. Christophorus de Ouando Vrsariæ Abbas, & Mag. Fr. Petrus de Andrada Salmantinus: visitatores Mag. Fr. Christophorus Martinez, & F Simon de Sepulueda, Complutensis ille Abbas, hic Toletanus, non vllum aliud Capitulum conformius, siue Capitulares inter se, siue cum proponente comparaueris, à multis annis retrò visum fuisse, serio protestabantur, qui obseruauerant. Quippe in aliis, vt pleraque non omnia iuxta propositionem: in hoc à primo officio vsque ad vltimũ, communi plausu cuncta concordarunt. Quod plerique in gratiam Reformatoris, alij ad personas propositas trahebant; quippe digniores totius Cõgregationis, quibus vix possent alij comparari. Sanè Astete, Corduua, & Ouando, tunc in Reformatores acclamabantur: Espinosa, Gueuara; atque Andradius, alter emeritus, alios idem officium præstolabatur; neque minus Christophorum Martinez, vt suis omnia locis dicenda erunt.

LXXXIII.

MARTINVS GVTIERREZ REFORM. XXXI.

I. Restabat vltimum, & omnium difficillimum, Reformatoris propositi electio: nempe Martinus multis, vt imperio, de quo non ambigebant; ita si ad cæteros, qui digni censebantur, compararetur; ætate iunior, obstinatione violẽtior, & propriis affectionibus obnoxior reputabatur. Atque ob hoc timebatur etiam ab his, qui illum diligebant: nec pauci ex intimis ipsius Reformatoris, etiamsi acclamarent, auersabantur. Præualuit tamen gratia proponentis, & die sexta Maij electus est, non sine magna multorum admiratione: qui tunc demum Angeli potentiam, quia ad summum peruenisset, vt ipsi loquebantur, non diu permansuram, diuinabant. Electus, Magisterij gradum suscepit primus Reformatorum qui sua laurea Palaciola illustrarunt. Inde venientem Angelum suscepit lætus, vt quidem interpretabantur, licet planè immerito. Quod præoccupatum febre, (nam febre ea die, dum nuntium præstolatur, correptus fuerat) minus sibi assistentem, minus intentum agendis esset passurus.

II. Octaua die diffinitorio interfuit Ludouicus de Estrada leuiter questus, quod suæ domus vnionem segniter, ne pro more antiquo Patrum Congregatio solicitasset. Responsum est, decuisse olim nostros, quandiu nondum adulti super vnionibus cum aliis litigare. Nunc iam ætatem illam prætergressis, & longè dilatatis, satis esse, si venientes admittant, etsi non querant. Iniunctum tamen nouo Reformatori, vt quantum, salua reuerentia Congregationis licere censuerit, adiuuet & promoueat Estradæ zelum.

III. Die nona, cum febris tertiana, qua laborabat, Angelo interstitium concessisset, actum de Bibliotheca Ludouici Bernaldo recens defuncti, quam Cõgregatio Collegio Salmantino,

Salmantino,Spinæ Monachi,suo Monasterio,zelo solicito vtrique procurabant Et suspectus Martinus in hac causa, cum sese recusandum cognouisset, quam iudicem actorem agere maluit. Iniunctis Angelo partibus aduersis,siue vt Congregationi satisfaceret, siue putaret parcius restiturum,qui sciret rem ad tribunal extraneum pertrahi posse:seu tandem ex dissidio viam parans ad futura dissidia, quæ iam tunc præueniret sequenda fore. Pro Martino faciebat ius commune, quod Monachus Monasterio suo adquirit, inter nostros omninò vsu receptum. Quare neque Cyprianus, neque Lorca, qui Cathedras Compluti regentauerant,Cõplutensi Collegio,sed Valli-bonæ adquisierunt,atq; Nucalibus. Ergo nec Ludouicus Bernaldo Spinæ Monachus,alteri poterit, quam Spinæ comparari. Pro Angelo & Collegio commune simul,municipaleque:quod Abbas Monasterio cuius est Abbas,non ei,in quo emisit professionem, debet acquirere. Et Ludouicus, terque quaterque Abbas Collegij Salmantini, maiorem Bibliothecæ suæ partẽ, Abbatiam administrans acquisiuisset:quod viribus pollentem Ludouicum,Salmantinum Collegium maiori sumptu,quam Complutense olim Cyprianum,atque Lorcam;deinde inutilem,& morbis iam confectum per integrum sexenniũ sustentasset: quod Monachum aliàs Spinæ alendum,soli illius seruitio deputatum, qualem non alius hactenus habuisset vltra quindennium aluit, vestiuitque. Demum quod iure etiam communissimo, qui portat onus,sentire commodum debet: nec quidquam posse iniquius reputari, quam si totum grauamen Collegio cedat,vtilitatem Spina sola reportet.

IV. Hæc pluribus vterque toto conatu,sed Martinus acrioris;vnde inualuit,quæsitam occasionem dissentiendi ab Angelo,vnde ad alia facilior,neq; omnino improuisus transitus esset. Diffinitores,vt vtrique satisfacerent, mediam in speciem viam velut ingressi, bibliothecam Collegio adiudicarunt, prætium tamen illius taxatum modicè conferendum Spinæ, & soluendum expensis Congregationis. Ita vtrique Ecclesiæ prouisum est, cæterarum dispendio,quod non rarò contingit, si fauor adsit, sed viluit tamen pecuniarum iactura cunctis, modo pax,& concordia,quæ scindi timebatur,conseruaretur.

V. Sequenti die, cum Angelum teneret tertiana febris,congregati Abbates; & præsentatis mandatis Apostolicis,quæ Martinus adduxerat, singula capita,per ordinem proposita,& seriò perpendenda oblata sunt,vt sponte acceptarentur, si expedirent, sine vlla violentia, siue grauamine:sin minus libere,& nullo perhibente, liceret singulis ab eis supplicare. Hoc Angeli consilium omnino fuit; quia Loreæ tempore violentiam auersatus in his,quæ attulit; quod damnauisset,nolebat vsurpare:ob quod etiam & ipse abesse voluit,ne quem sua præsentia mouere posset. Non tamen deerant, qui aliter putarent: ostentatam ab eo indifferentiam; quod nondum de Martino adhuc diffideret: si contigisset de ipso dubitare, præter reelectiones, quas non curabat, vt alia admitterentur, nullum non lapidem ab eo mouendum fore.

VI. Cunctis propositis,ne omnia admitterentur,sola suppressio Ecclesiarum tenuium, hoc fuit;vel ad tempus odiosa;siue intermissio in eis diuini cultus,quantunuis temporalis displiceret;siue efficacius aliud motiuum foret,quod spe concepta illarum Abbatiarum, quandiu supprimebantur,defraudarentur. Vtcumq;fuerit,dilata res per annum:& commissum vtrique diffinitorio,præsenti,atq; præterito,vt libratis vtrimque rationibus,quid magis expediret,maturiori consilio deliberarent. Interim præter octo Procuratores, qui iam admissi erant, suspensa cætera, atque longum examen subitura sub Martino Guttierrez,qui adduxisset,remissum eius erga antecessorem,aut omnino auersum, vt multis videbatur affectum manifestarunt. Quando enim,qui in publicis his deerat, in priuatis attenderet?Quando quæ sibi specialiter madata,& se agente obtenta perire patiebatur; aliis insisteret,in quibus ignorantiam,vel minorem notitiã posset prætendere? Quando quam recens accepto beneficio gratia nõ rependisset,obsolescenti iam,atque antiquato repensurus,prudenter speraretur?Ita qui rem attentiùs contemplabantur:nec dissentiebat Angelus,quamuis dissimulabat,ne ingratitudinem,vt multis videbatur,seu quẽ priorem omninò reputaret,publici boni incuriam,accusatione, & querelis præcipitaret.

VII. In hoc Capitulo primum excogitata,atque imposita est,quæ nunquam hactenus nostros grauauisset exactio triennij sancti Lamberti: & ex duabus,quibus intra mensem (dispẽsatione Eugenij Papæ IV.)singulis sacrificiis satisfacere licet obligationibus, alterius stipendium quæri iussum, & celebrari ab omnibus ad communes expensas subleuandas. Ita quæ intra prædictum tricennarium penetrari solebant obligationes,integræ remanserunt: & singulis viginti sacrificia iniuncta sunt, quæ sola pro stipendio iusto dicta cum ipso aniuersario penetrarentur. Atque hoc tributum, veluti per capita semel cunctis impositum, hodieque continuatur, & perseuerat; nulla exactionum aliarum, quod plerumque contingit diminutione.

VIII. Duodecima die mensis Maij, grauium, & spiritualium Monachorum petitio quædam diu & multum exercuit diffinitores. Orabant, assignari sibi domum, (& Sacramœnia specialius nominabantur) in qua simpliciùs, & sine vlla prorsus, aut saltem cum exigua dispensatione disciplina Monastica, primitiuum Cistercium obseruarentur. Inesse multis eum feruorem spiritus, quo ad omnia vocentur; neque otiosum mansurum sine piaculo: sed in Ecclesiis Ordinis, vt iacent, non vacaturum scandalo, si soli velint aliis discrepare. Inter remissos non remissè viuere, & sibi arduum & molestum cæteris fore: & singularitatis notam siue offensam, vix aliis obseruantiis compensari. Si feruentiores in vna domo coëant, vbi omnes insistãt rigori pristino, innocuum aliis, & sibi fructuosum; & neque remissiores grauari posse, & se multis exemplis profuturos. Neminem illic inuitum retinendo; neminem imbecillem, debilemve; ne vel hi laxamentis cæteris noceant, vel illi exemplis. Demum in aliis familiis religiosis & iam reformatissimis, vsurpatas has domos; neque esse cur à nostra, respuerentur.

IX. Materiæ grauitas, & authoritas petentium; quippe ex primis totius Congregationis, impulere Patres, vt Angelum, quem sanguine minutum liberum iam reliquisset tertiana febris, in negotio consulerent, atque eius sententiam audire vellent. Ille libratis circunstantis loci, temporisque, atque habita ratione eorum, qui subscripsissent, primi præcipuè, aliorumque motoris Petri de Oliuares, qui in Sacris-mœnibus Deo sacratus esset. Non ait, credo, tam ad obseruantiam (licet & eam quæri non negabo) quam ad Sacrorum mœnium indemnitatem, atque præseruationẽ, respicit hęc petitio Ne æstiuali Collegio in quo, qui in Palaciolis, Compluti operam dant Theologiæ, tempore vacationum degere possint, quod nobis fuit in votis, deputetur Neque omniũ, qui subscribũt, hæc cura fuit; sed Petri de Oliuares, qui imminens Ecclesiæ luæ exitium, nam sic ipse appellat, per speciem pietatis vitare parat Reliquis inuitatis, vt subscriberẽt, arrisit occasio: & dum maioris perfectionis viam, ad quam semper anhelant, ingredi liceat; quis, aut quo fine ianuam aperuerit, aut prudentes contemnunt, aut non inquirunt. Ego si expedire rem putarem, idem omnino facerem. Quid enim si alios iuuat, quod mihi prodest. Sed nec Collegium æstiuum, si semel decernatur, ideo cessat Quicquid in Sacris-mœnibus faciendum, admittens sanctus Petrus apud Guimielem vix a Compluto, vix à Palaciolis plus distans: aut Vallis viridis pro Palaciolensibus; pro Complutensibus Bona-vallis Montsionensis. Ædificare vbilibet mansiones, & præbere mansuris alimenta, quandiu aliunde non habent, necesse est: atque hos sumptus, vt inexcusabiles alicubi, sic nullibi maiores; neque ideo augendos, sed commutandos.

X. Itaque mihi in hac parte nullum obstaculum, nihil quod impellat, retardetve iudicium proponi potest. Verum in domo ipsa recollectionis (sic enim vulgo appellant) atque eius conuenientia, disconuenientiave, vix parti alteri ausim adhærere Nempe si indigemus reformari, cur non omnes ex æquo reformemur? Sin minus, cur remissi omnes videamur, vt pauci tantum apparent feruentiores? Tum, aut exigua, aut magna differentia secernentur ab aliis, qui reformantur? si exigua, non erit magna vtilitas; si magna ingruet diuisio, atque dissensio, quæ & olim Cistercium à Molismo, mox vniuersam nostram Congregationem; à reliquo Cistercio; demum alias familias recentiores nouissimè à se ipsis separauit. Nihil Cistercio antiquius, sacratiusve, quam morum disciplinæque vniformitatem; nihil ab ipso exordio commendatius, quam quod in cunctis ordinis Ecclesiis, idem & vitæ, & obseruantiæ tenor custodiretur Hanc vniformitatem rumpere, velle, hæc scindere decreta, quicumque ardent præ aliis reformari: & dum minora ad antiquum curant reducere, potiora inuertere; atque effossis ab imo fundamentis, muros superimponere, nulla vi, nulla arte permansuros.

XI. Non eo inficias, eos qui suscripserunt, eximios viros esse, & quibus gnarum omnia temperare: sed inde maiori angor solicitudine, nam necessarij ad alia ministeria, eisque destinati votis communibus; aut vitam reformatam relinquent aliis, qui minus sint idonei; aut si sequantur, & maneant, sine officiis, vix eorum iactura subrogatione aliorum suppleri poterit. Qui alios excitauit Fr Petrus à Huelguensibus petitur, neque facile eis negari potest: alij aliis Ecclesiis, quidam etiam lecturis præficiuntur. Quos reformatio habitura sit sectatores, qui pro ipsis succedant, ignotum adhuc. Etsi semel instituenda decernatur, quoscũque necessariò admittet, ne nullum habeat Cepta non dudum in eadem domo, decretave, permanere non potuit; fortè ob has causas, fortè & ob alias, quæ mihi non occurrunt Si nec modo permaneat, quanta leuitas? quæ nobis excusatio patere potest? Ego nec sanctum reformationis nomen, quod mihi proponitur, reprobare audeo, neque pro eius fructu fidei iubeo. Id vnum consulo, si incipienda

-da iterum ſit, parciſſimè incipere: vt nec ſequacibus inuidiam vllam pariat à ſingularitate; nec cæteros ab imitatione deterreat. Etſi fortè contigerit ceſſare, quo minor nouitas in principio fuerit, tanto minor in fine notari poſſit.

XII. Placuit Patribus hoc temperamentum; & cum iam de Collegio non tractaretur, vt de cæteris aliis, Sacra-mœnia deſtinata reformationi parciſſimè inſtituendæ, quæ omnem ſingularitatem & diſſonantiam in victu, ſeu veſtitu, prorſus excluderet; à laxamentis maximè priuatis abſtineret, atque omnia ſuperflua reſecaret. Nec defuere viri religioſi, qui ſequerentur: quanuis ex omnibus his, qui ſubſcripſerunt, vix, aut ne vix ingreſſus vnus, aut alter. Nempe omnes ex vtilioribus pro ſua quique ætate publicis miniſteriis deputabantur.

XIII. Reuocata Capituli præcedentis lex, qua omnes, quas vulgaret diffinitorium, poſt integrum triennium iubebantur proponi Congregationi, per ipſam admittendæ, aut repellendæ, provt experientia docuiſſet; nec facilè deinceps, ſi ſemel permanerent, mutari poſſe. Reuocationem variè interpretabantur, qui cuncta diuinant. Quidam, ſic minui poteſtatem diffinitorum, Reformatoriſque, atque hanc vnicam cauſam extitiſſe. Alij hanc legem ex mente anteceſſoris commendatam ab ipſo præ cunctis aliis, ideoque reprobatam diſceptabant. Nempe vt ipſa experientia edoceretur de ſucceſſoris animo, à quo vix aliquid poſſet ſperare.

XIV. Collegiis tamen Salmantino & Complutenſi ad illius inſtantiam dati Abbates, qui ante triennium priuilegiis aucti diffinitorum, Magiſtri Fr. Alphonſus Perez Humanes, & Fr. Athanaſius Cucho graues & docti, Abbatiæ Matritenſi deſignatur Fr. Didacus de Mandieta ex valle paradiſi, præter ſpem multorum, qui imparem putabant. Sed gratia pollens apud Valerianum, atque ab ipſo petitus, veluti ſuæ ſenectæ prouiſurus. Et Martinus, quò ab anteceſſore deciſcebat, ne ſolus remaneret, eò magis Valerianum proſequebatur.

XV. Reſiduo anni pacata cuncta fuere, nondum Martini coalita potentia, & rebus quaſi in ancipiti manſuris: niſi quod tamen in Valle-Eccleſiarum ſuſpenſus Abbas ob incapacitatem, vt ferebat ſententia, atque ipſa ſuſpenſio ferè per totum triennium continuata, eandem domum non parum labefactari; ſuccedentibus per menſes ferè Præſidibus, & pluribus extraneis, quod magna incommoda ſemper afferre ſolet.

XVI. Reformatio ex decreto diffinitorij in Sacris-mœnibus hoc anno initium habuit, ſub Fratre Gregorio de Aranda Morerolenſi, eximiè pio: & Monachis diſperſis per alias domos, qui arctiorem vitam ardebant, ſubrogabantur. Nihil in ipſis ſingulare permiſſum eſt, & ſingularia omnia: quippe in communibus prorſus obſeruantiis, pietas ſingularis, grauitaſque: vt non aliis meliores viderentur, ſed verè eſſent. Nec dubium nobis, ſi ita permanſiſſent, non vnquam ab incepta retroceſſuros. Sed dum ab aliis ſecerni poſtea geſtiunt, atque maiorem victus & veſtitus reformationem ſequi, extrema ſequentes, facile vel à mediis deuiarunt, vt infra dicam.

XVII. Obiit Franciſcus de ſancto Bernardo, aliàs de Riua de Neyra Monachus Hortæ, ex Præfecto equitum, atque à Conſiliis Belli Archi-Ducis Alberti, & Infantis Eliſabethæ Claræ Eugeniæ coniugum, vix planè pius, qui multa gloria in ſæculo ante ſuſceptum habitum pollebat, & multo apud Philippum Quartum fauore. Obiit ætatis ſuæ anno quinquageſimo quarto plus, minuſve, cum multa eidem Eccleſiæ, in qua dum puer eſſet, nouitium egerat, ſed ante profeſſionem retroceſſerat, continua largitione contuliſſet. Certus conſilij, ſi permitteretur, in ea domo ſe tamen conſumandum.

XVIII. Inter hæc Angelus Reformatorque omni ſtudio certare ferebantur; hic vt alienum ſe ab illo oportunè importunè demonſtraret quaſi minori gloria imperaturus, ſi alicui deuinctus, aut vinculis alicuius obſequiis obſtringeretur. Ille è couerſo occaſiones omnes fugere, quibus id à ſe ipſo, ne dum ab aliis poſſet ſuſpicari. Nec quia affectaret potentiam apud ipſum, parcus imperij, & qui onerum illius penè impatiens, priuatam quietem ſeriò anteponebat publicis curis: ſed ne electionis, quæ ab ipſo ſolo fuiſſet tam citò ſibi penitendum fore, alij, qui improbaui ſſent, coniectarentur.

XIX. Anno M. DC. XXX. in Palaciolis prima die Maij, iuxta præſcriptum generalis Synodus ad Apoſtolica mandata examinanda, duo diffinitoria conuenere, præſens, atque præteritum: niſi quod F. Angelus Mārique Salmanticæ remanſit, ſeu præuenit euentum, timuitve, ſeu liberiores voluit omnes eſſe, etiã ſibi obſtrictos, vt quę ſentirent, expeditius M. DC. XXX.

dicere possent. Nã sui muneris fuisse iudicabat, quod expediẽs putabat, attulisse; non tamen pertinaciter defendere, aut curare obtrudi etiã inuitis. Affuit & Mag. F. Christoph. Martinez à Reformatore vocatus, siue quia virum alias doctum prudentemque, & re vera inter primos Congregationis in his rebus audire, siue vt cæteros omnes consulendos, non quicquam decisuros aduenire (quod iam tunc intendebat) factis quam verbis ante demonstrare: siue tandem, nam omnia ferebantur, vt suffragio Christophori, suorum inæqualitatem, si qua esset, supplere, aut aduersantes, si pares fortè essent, vincere posset.

XX. Ergo hæc duplex, atque vtraque grauis, diffinitoribus cum Reformatore ante omnem tractatum dissensio fuit: altera, an Fr. Christophorus Martinez, qui visitator erat, non diffinitor, admitti deberet: cum res ad duo tantũ diffinitoria præteritum, & præsens remissa fuerit? Altera, an illi, quibus incumbebat ex decreto Capituli decisiuam sententiam, an tantum consultiuam proferre possent. Nihil omnino ab eis posset decidi, disceptabat Martinus; quod re vera in mandatis Apostolicis decisio ad solum Pontificem spectet. Quare quidquid dicatur, ab inferioribus, merum consilium esse, nec quicquam aliud potuisset illis iniungi. Atque hinc inferebat, permissum sibi quoscumque alios vocare: quia decidere arguit potestatem, quæ non omnibus patet: à consulendo nullus arceri potest, si modo prudens rerum, atque gnarus dubiorum, quæ consultantur.

XXI. Hæc contra alij, negotium non remissum Reformatori, cum consilio vtriusque diffinitorij, quo casu dubium irrepere potuisset: sed diffinitoriis ipsis, id est vtrisque triennij Generalibus atque vtriusque triennij diffinitoribus. Quare neque eis remissum ad consulendum. Quis enim esset, qui consilium ab illis petat, siue illo vtatur: sed ad decidendum; neque id contra, aut supra Summum Pontificem, in quem neque consilium locum habet. Sed quod Congregationi liberum erat, supplicare à mandatis, vel obedire: in quo quis neget decisionem permissam fore. Ideo nec admittendum vllum præter Reformatores, diffinitoresque, qui soli habent Capituli mandatũ: nec si admittatur, computandam eius sententiam, vt in numerum ponat, ex quo vna pars præualeat, alia succumbat. Hæc pluribus Mag. Fr. Gregorius Sanz, cui non pauci adhærebant: & disceptabant, compellendum Angelum, ne cõmuni negotio tanti præcipuè momenti se subtraheret.

XXII. Erant Martino curæ relectiones, quas vtiles putabat publico bono; siue vt alij volebant, quia congruas, alliciendis suffragiis per spẽ continuationis arbitrabatur. Contra eas cæteri abusus dominantium, & priuatos affectus obiectabant. Non meritis pensandas, sed obsequiis, nec permittẽdas his, qui melius regant; sed qui minus resistant; non his, qui oculati suffragentur, sed qui cæci sequantur potentium ductum. Transituras in prætium suffragiorum; eoque semper dandas deterioribus. Nam quotus quisque inter bonos reperietur qui in nullo dissentiat? Qui agere, cum debeat, malit agi? Si ad electiones omnes Capitulares, siue Reformatoris, diffinitorum, visitatorumque velimus attendere, nunquam magis immunes, suspicione, quam si ab his celebrentur, quos nec spes valeat, nec metus perturbare. Quod si ad alias conuertamus oculos, quibus Abbates per diffinitores eliguntur, siue eligendi Ecclesiis proponuntur; quando magis periculo vacabunt, quam cum minus obnoxiæ propriis affectibus? Certè, si qui diffinitores elegerunt, ab his quos elegerunt, statim in Abbates eligi possunt; auertet denegati suffragij dolor, si præsumatur, animum eligentis, vel à melioribus; & conciliauit suffragasse creditos deteriores quoscumque, recentis beneficij gratitudo.

XXIII. Ita plerique: nec dubitabatur, si res in publico peroranda foret, & decidẽda, vt solet, sententia plurium; supplicationem à reelectionibus longè præualituram aliis admissis. Verum Martinus, (cui præ illa parte mandati, cæteræ vilescebant) ne vinceretur; siue vt alij volebãt, vt is, qui se victores reputabant, serio illuderet, cum vim dominationis ostendisset, parumper: & iam timeri ceptam per speciẽ modestiæ temperauit. Se non passurum, vt aliquid deciderent, à quo proposito nullis argumentis, nullis rationibus vnquam auelli posset: sed neque velle cogere, vt consulant, quando plus aliquid cõmissum sibi fuisse, tanto conatu cuncti disputabant. Posse sine alicuius preiudicio, quod à Capitulo generali acceperãt, quidquid illud sit, ad Capitulum generale referre; atque hoc onus illi rursus imponere. Ita vtrorumque authoritati prospici, atque publicæ paci; & quod vtilius adhuc videbatur vitari exemplaria, quæ multum in futurum nocere poterant: si se violentiam, vel ab ipsis passum, caput à membris, vel ipsis intulisse comprobaretur.

XXIV. Assensere incauti propositioni, siue timidi magis, aut pacis cupidi. Certè qui rem attentius prospectabant, in ludibrium vertebant, quod decidendi, quam ipsi prætendebant, potestate ablata, quasi pro medio pacis concordiæque, etiam à consulendo, ad quod admittebantur, repellerentur. Adiecit etiam Angelo scribere, se in eius gratiam illis

illis restitisse, ne cuncta turbarent: sed solæ timebantur reelectiones, quas si ad Capitulum generale referrentur,& suffragia Abbatum,qui sine illis forent vacaturi,integras permansuras,non poterat in dubium reuocare.

XXV. Soluto cœtu vtriusque diffinitorij, processum ad Capitulum, in quo nihil memoria dignum inuenio: nisi quod florente vt ferebatur in Sacris-mœnibus noua reformatione,& petentibus ad eam multis admitti, quos capere non posset angusta domus: iussa in Gallæcia alia superaddi; & designata Hoia, quamuis in casum; dilato effectu ad subsequens triennium,& permutata in Generali Synodo domo,vt suo à nobis loco dicendum est.

XXVI. In hoc Capitulo Mag.Fr.Nicolaus Brauo Superatensis,cum iussus consuluisset iurisperitos super iure quæsito Reformatori ad visitandos Conuentus Monialium, qui Abbatibus subsunt; præse notauit responsa prorsus conformia. Abbates ipsos visitari posse in illis Monasteriis,si in eisdem deliquerint; cæterum Monasteria non visitanda, quasi omnino extra illius iurisdictionem. Atque responsa ad petitionem Abbatis Hortæ, in libro Congregationis adnotari; atque Capitulo generali proponi iussa sunt, prolixo dubio finem impositura.

XXVII. Sequens annus M.DC.XXXI Vallis-Ecclesiarum commiseratione, quæ sub extraneis Præsidibus gemebat,etiam aliis Ecclesiis tristis fuit. Cum iam biennium acephala mansisset illustris domus, atque Abbate suspenso per interualla, multos habuisset Præsides; tandem suspensio prorogata vsque ad Capitulum, & Abbas ad Vallem Paradisi missus est suspensionem ibidem peracturus: addito,siue temperamento, siue ludibrio, vt interim gauderet priuilegiis indultis his,qui in ordine quadraginta annis egissent. M. DC. XXXI.

XXVIII. Causantibus Sacrorum-mœnium filiis, quod inuiti exularent à propria domo, vel si in ea remanere vellent, ad maiorem rigorem obseruantiæ,quam professi fuissent, compellerentur; concessum est,vt si qui vellent adoptari in aliis Ecclesiis, atque ab eis spontanee adoptarentur,liberè possent Quod à multis admissum, matrem vt ita dicam,naturalem,& primitiuam illis ademit; adoptantes non satis conciliauit.

XXIX. Non multo post,defuncto Fratre Gregorio de Aranda in eodem cœnobio,nempe de Sacris mœnibus,eximiæ haud dubiè pietatis Viro & qui vitam in eo reformatam plurimum promouisset, Fr. Emmanuel de Cereceda Hortensis subrogatur, qui tunc Priorem Hortæ agebat; pietate,religionéque Gregorio par; neque impar,aut inferior cæteris donis. Obierat immatura morte raptus Malachias Portillo Hortensis Monachus, atque vnus è duodecim Magistris, quos generale Capitulum taxauerat;& prohibebat lex quempiam pro ipso, nisi in simili Synodo,id est,in generali subrogari. Sed nihilominus subrogatur in hac priuata Fr. Alphonsus Hurtado Mataplanensis,vir in Theologia Scholastica eruditus,sed in expositiua longè superior:atque editum decretum,& iussum scribi in libris Capitularibus, diffinitorium secum dispensasse, vt non obstante lege, quæ sibi facultatem adimebat eligendi Magistros,pro hac nihilominus vice facere posse. Hæc & similia Annalibus inter se, vt fugiant qui damnauerint; & quò magis de aliis lecta displicent,de se posse scribi reformident.

XXX. Visitatores Septem-Ecclesiarum Fr. Hieronymus de Montoya Morerolensis, tunc Abbas Carraceti,& Fr. Vincentius Aparicio Nucalium Abbas. Tum vero Fr. Valerianus de Espinosa,cum nihil iam agendum vltra restaret,vt ipse tunc putabat,abdicato officio diffinitorio,aliũ pro se substitui supplicauit, obtinuitque Fr. Thomam de la Peña Nucalensem & ipsum, qui reliquorum suffragiis electus fuit. Creditum est, nullam illi causam fuisse renuntiationis, & solo animo addendi illud suffragium parti Reformatoris,qui iam ab Angelo palam deciuisset,officio renuntiasse. Nempe Reformatori iam emerito interim remanebat suffragari; & alias Thomas diffinitoris iure, quod non habebat suffragium consequebatur. Illud compertum, siue hoc, siue alio fine fecerit, tunc primum factum in exemplum postea tractum non parum nocuisse; introductis sub ingressum Capitulorum, abdicationibus officiorum temporalium,ab his qui alias perpetuum suffragium habent, quæ vsque hodie turbant, & nonnunquam peruertunt electiones.

XXXI. Nec multo post Matritensis Abbatis mors Didaci de Mendieta, vt Valerianum pœniteret renuntiationis, neque leuis, neque tarda occasio fuit: eligendo per diffinitores successore; neque ipso præualente, vt se absente eligerent eundem, quem electuri forent, si præsens esset. Decima sexta die mensis Iunij,diffinitoribus congregatis Vallisoleti,Didacus Villasinda electus est, antecessoris subpar, aut subæqualis: quem Spinæ Monachum Martinus ad hoc euexit,quia dignum putabat,an vt ad omnia haberet deuinctiorem. Neque dissensit ab eo Valerianus, quia impedire non potuit:vel quia Martino in Capitulo adhæsurus, eandem causam vtriusque existimabat.

XXXII. Mẽse Augusto,petẽte Rege Catholico,vt Galleciæ cœnobia Cisterciẽsia ratione Dominij

Dominij tẽporalis ex his qui sibi vasalicio iure subsunt, delectum facerẽt, & propriis sumptibus milites deducerent vsque ad Brigantiũ (vulgò La Coruña) inde per mare in Belgiũ traiecturos: Reformator seruicio maturando, ad Gallæciam profectus, paucos in eius Ecclesiis menses fecit, non sine fructu; conductis, atque armatis centum militibus, & ad portum deductis, quibus non alij, aut robustiores viribus, aut proceriores corpore, aut pulchriores ornatu inter cæteros, qui illuc conuenere (& conuenere multi) conspiciebantur. Sed vltimo anno triennij occurrente, & capitulo instante, in quo successor per suffragia Abbatum, Diffinitorumque, qui plurimi Gallæciam inhabitabant, eligendus veniret; Martinum, quem iam ea cura solicitabat, non tam Regi, quam sibi quæsiisse milites, velut per iocum quidam murmurabant. Vnde inualuit dicterium apud vulgus, vt de Reformatore perconctantibus, vbi esset, aut quid faceret? Idiomate Hispano responderetur, *Esta haziendo gente*: quod æquè de vtrisque, non eo iocus tendebat, valet intelligi.

M. DC. XXXII. XXXIII. Sequenti anno M.DC.XXXIII. quo Synodus proximior, eò iam non clam, & in occulto, sed palam, & manifestè de successore tractabat. Et præferebat Fr. Petrum de Andrade Vallis-bonensem Magistrum Salmantinum, genere nobilem; ingenio promptum & acrem; pietate præcipuum: & qui ab aliquot annis, relicta laxiori disciplina, quam Collegia patiuntur, monasticum rigorem in Valle-bona, & vitam absteriorem, non sine exemplo & laude profitebatur. Huc inclinabat etiam Valerianus, à se, an ab illo tractus; nec credebatur Angelus discipulum (nam talis erat Petrus) quem à teneris annis promouisset, occasione imminente deserturus. Ergo Martinus vtrumque ad se vocatum, velut consultaturus, multis alloquitur: atque aliis laudatis leui manu, & tandem reprobatis, vltimum omnium vtroque Petrum ingerit; atque eius dotes præ cæteris commendat. Quod dum impensius, atque ingenti conatu præstat, Valerianum facillimè persuasit seu facilem suaderi, seu timentem, si à Martino fortasse diuideretur, in nullo, quem præferret, præualiturum. Angelum, siue serò pœnituisset, non alium sibi in officium subrogatum, quam sua culpa sublatum Congregationi, cum primum posset, vellet restituere; siue alias ob causas, quas non vulgauit, persuaderi non potuit: Quin cum sententiam suam ordine promeret, in hæc verba prorupit, aut his similia.

XXXIV. Et ego, Patres, si priuata quærerem, cunctis Petrum præferre non dubitarem. Quippe in quo gratus aliis, & mihi prouidus, accepta simul sperandaque, sed & à me collata beneficia, quæ præualent plerumque prosequi possem Auunculo illius Ferdinando Andradio in multis obstrictus, quod nunquam negabo; dulcissimum haberem, si quam vicem viuenti nunquam potui, defuncto rependerem; & beneficia, quæ non in conferentem, saltem in eius nepotem, compensarem. Atque hæc de acceptis: nam si ad collata beneficia vertar, quæ plerumque præferimus; quid mihi gratius, imò quid glorioſius posset contingere, quam si quem dudum à primis rudimentis Sacræ Theologiæ erudiendum suscepi, susceptum eruditui in quantum potui, eruditum euexi ad Magisterium, euectumque per continua incrementa, quantum tempus permisit, semper promoui; in supremo fastigio locatum cernerem, discipulum Magister, & Pater filium? Nec si ad futura attendam, plura ab alio, aut accipere possum, aut sperare. Longa assuetudine imbibit obsequium, quod non facilè excutiet, etiamsi velit. Et me iam de meipso nihil solicitum, (neque enim vltra, quo progrediar inter nos habeo.) De aliis communes amici securum reddunt; quippe pro nullo illi petere possem, pro quo non ego ab eo rogandus essem.

XXXV. Hæc me vel reluctantem ad Petrum traherent, si priuata respicerem. Sed viris bonis præferendum publicum bonum: neque hoc patitur, prætermissis senibus, Sanctis, & doctis, atque longo vsu rerum iam probatis, iuuenem anteponere, quem nulla nobis experientia adhuc commendat. Nam licet Abbatis & Diffinitoris officiis functus sit, quod eius, atque vestra venia dicam, in neutro excelluit: &, vt re vera valeat excusari, ab his, quibus impetitur calumniis (nam aliquibus in vtroque impetebatur) at vnde commendetur vix inuenio. Ergo viros, quos neque ipsa inuidia accusat, Congregationi dememus, vt præficiamus eum, cui non dabimus parum, si excusemus? Tres ante annos non pauci viri erant, qui cæteris veniebant anteponendi; quos inter Petrus nullum habebat locum. Si non aut illi tardius incesserunt, aut hic velocius, cur modo cunctis debeat anteponi? Et illos quidem non retrocessisse, compertum est. De hoc quid magnum, aut superexcellens ab eo tempore gesserit, neque ego hactenus noui; nec vos proponitis. Nam quod triennio absteriorem vitam egit; illi à suscepto habitu: nec notior; quia maior eius perfectio; sed quia sperata minus: & quod in illis vilescit, quia commune; in illo pro miraculo habetur præ nouitate. Ego electionem mihi non attribuo, neque author illius haberi gestio.

Hanc

Hanc vobis gloriam integram relinquo, quos lubens sequar: modo inter prouectiores, seniores, aliquem eligatis; iuniores reseruetis tempori congruo. Nec me terret: aut deterret, terrebitve, quod diuisus à vobis parum possim. Quippe de his, quæ ex eo solum omitto, quia facere nequeo, nulla mihi reddenda ratio erit: de his quæ fecero, si ab scopo deuiem, strictum, neque indemne iudicium manet.

XXXVI. Dixit, & multis hinc, inde replicatis, cum neutri desisterent, inuicem discessere. Prætermissis officiis diffinitorum, visitatorumque; seu desperarent, in illis conuenire, quandiu in Reformatore dissentiebant; siue minus curarent; velut leuiora; atque omnia suffragiis vellent permittere. Actum tamen de ipso Valeriano, conuentumque, nisi aliunde prohibeatur, quantum per breue, quod vacantium vocant, datur intelligi, iure in diffinitorem eligi posse. Quia in eo munere, non integrum triennium, sed biennium dumtaxat peregisset. Quod & si malo in futurum exemplo fieret, eo que lege cauendum: non tamen adhuc cautum, nec contra legem esse conuincebatur. Curandum tamen ne eo exemplo imposterum Capitula, & eorum electiones perturbarentur.

XXXVII. Inter hæc repentina correptus febre Petrus Andradius, quam sint incertæ prouidentiæ hominum, quam tenui pendeant filo nostra consilia, non obscuris indiciis manifestauit. Sed indiciis tantum: nam quatuor intra dies saluti redditus, licet sanguine, & viribus minutus, Capitulo opportunus adesse potuit quadriga vectus: quod aliqui ad victoriæ, triumphique, alij ad infausti alicuius euentus omen, veluti diuinantes retulere. Vtrique veridici, nam electio eius prævaluit: sed ipse in medio triennij, aut ante sublatus, vitam prius, quam officium consummauit, vt statim dicam.

XXXVIII Quarta die Maij, cum Martinus ad S. Andream pro more pergeret, Palaciola vacua relinquens Capitularibus, ad Congium oppidum inuenit Valerianum; cum quo diffinitores, visitatoresque, qui sibi aptiores esse videbantur, serio contulit, vt pariter ab vtroque propositi, maius pondus haberent in suffragantibus. Ergo ab vtroque propositi prodiere, diffinitores, Magister Fr. Valerianus de Espinosa, Fr. Franciscus de Neysa, Hortensis Monachus, Abbas Montis Rami, Magister Fr. Christophorus Martinez, Magister, Fr Nicolaus Brauo, de quibus supra, Fr. Hieronymus Montoya Morerolensis, & Fr. Petrus de Arceo Spinæ Monachus. Angelo quamuis capax esset, prorsus excluso, & subrogato in eius locum Neyla, eiusdem cum eo domus, siue vt personam, excluderent, non Ecclesiam; siue vt semel Francisco renuntiato, Angelus remaneret ineligibilis; siue tandem, quod verius apparebat, quia Franciscum digniorem reputabant. Visitatores Fr Antonium Gratianum Montis-Salutis, & Fr. ..... proposuerunt. Hi ab vtroque Martino & Valeriano.

XXXIX. Angelus, vt è contra alios proponeret, ægrè ab amicis seroque persuasus (nãque suffragia, non pro alieno iudicio, sed pro proprio dictamine efferenda; sæpius inculcabat: de quo, quis vspiam gnarior, quam quisque sibi?) ne tamen vagarentur quod electionibus nonnunquam obesse solet, tandẽ consentiens, tres ex propositis in diffinitores. Valerianum, Christophorum, & Nicolaum, dignos qui eligerentur, pronuntiauit; neque à se excludendos, quia aliis placent: pro Fr. Hieronymo Montoya, Magistrum Fr. Gregorium Sanz: Pro Fr. Petro de Arceo, Magistrum Fr. Alphonsum Perez tunc Salmanticę Abbatem subrogauit. Franciscum Neylam, qui sibi opponebatur, immotum reliquit, quia digniorem putauit; vel si non esset, ab aliis amouendum. Visitatores, quos censuit minus aptos, si ad alios digniores compararentur, vtrumque reiecit; & Fr. Froylanum de Vrosa Hortæ Abbatem, insignem pietate virum prudentiaque; atque Fr. Raphaëlem Calderon Abbatem Hoyæ, professum Monachum in Valle Paradisi ex suorum consilio subrogauit.

XL. Sequenti die Palatiola ingressis Capitularibus, ante omnia, dubia quædã, quæ occurrerunt, decisa sunt; ex bono, & æquo magis, quam pro iure. Quippe iudicium illud summarissimum, vix patitum exactam discussionem. Inde cum ad electiones ventum esset, euentus anceps, dubius; & quænam pars in electione Reformatoris prævalitura foret, non potuit, coniecturæ vlli subesse. Nam tres diffinitores ab vtrisque propositi, neutrius partis potentiam indicabant. E tribus reliquis, pro parte Angeli duo, ipse & Mag. Fr Gregorius Sanz; pro Valeriano & Martino vnus, Petrus de Arceo: Neque hic prævaluit suffragiorum numero, sed quod prior veniisset, quam Alphonsus, diffinitor ex lege renuntiatur. Quin & visitatores partiti sunt; & ex propositis à Martino & Valeriano, Fr. Antonius Gratianus, pro parte Angeli, Fr. Froylanus de Vrosa per suffragia electi declarantur. Creditum est, non defuisse, qui promediarent; ex conscientia digniorum; siue vt sese probarent arbitros rerum; & qui magis euentus in præcipua electione dubius esset, eò maiorem gratiam ab ea parte, in quam ipsi inclinarunt, promererentur. Quod vt non credam de viris religiosis, grauibusque, (& tales habebantur) ita tunc à quibusdam in vulgus sparsum, non debuit silentio præterire.

LXXXIV.

PETRVS DE ANDRADE REFORM. XXXII.

I. Sequenti die, cum Angelus Manrique priuato suo iudicio Fr. Gregorium Sanz cunctis præferret, eo, vel maximè, quod sæpius acclamatum Reformatores omnes, qui præcessissent, dum sibi retinere potentiam parant, penitus recusassent; quasi quia nullo alio regendus foret: ne tamen sibi, plus aliquid abrogaret, quam æquum, & par esset, consuluit suos: sed cunctis penè in ipsum consentientibus, ab omnibus proponitur, velut qui dignior ab eis iudicaretur. Integritati morum nulli secundus: doctrina, atque constantia multis superior; & quem semper potentibus suspectum, nam inuisum non dicam, reliquum vulgus eo impensius colebat, eò ardentiori studio prosequebatur. Augebant dignitatem viri spreti honores: nam ex quo Morerolam propriam domum sub Philippo de Thassis administrauerat, nullam aliam admisit præfecturam, cum præter vnam supremam Reformatoris, amplissimæ quæque vltro, atque etiam cum instantia oblatæ essent. Et erat spes eisdemmet suffragiis, quibus in diffinitorem promotus fuerat, aduersantibus Martino, & Valeriano, dum sua quisque beneficia amat, Reformatorem facilius euasurum.

II. Ergo Gregorius Petrusque vtrinque propositi, Congregationem in partes diuiserunt. Neque dubium Gregorium plausibiliorem; prævaliturumque, si solis suffragantium iudiciis res ageretur: sed prævalente duorum auctoritate, siue Petrus natura sua facilior, gratiorque; spei aliquibus; Gregorius aliis seuerior, timori foret: seu tandem arbitri, qui officia promediauerant, quod aliqui putabant, huc inclinarunt; Petrus de Andrade renuntiatus est, qui fungeretur officio Reformatoris. Gratulantibus cunctis vt ferebatur, nempe alios victoria delectabat, alios euentus. Nam nec Gregorius dignitatum auidus: & Angelus, quem iudicio refugiebat, affectu, & assuetudine longa prosequebatur.

III. Sequenti die, quæ ante biennium ad vniuersum Capitulum remissæ litteræ Apostolicæ, atque interim mansissent, quasi suspensæ; vt per singula puncta discuterentur; & pro maiori suffragiorum parte, impediendæ per supplicam venirent, an statim admittendæ, magno cum omnium plausu proponuntur. Damnantibus quibusdam suspensionem, vt valde scrupulosam, instante præcepto; & contendentibus acriter instare, donec legitime ab eo supplicaretur. Aliis dolentibus, differri executionem rerum, quas vtiles omnes iudicabant, & bonum publicum eximié promoturas. Sed pluribus, vt vulgo ferebatur, reelectiones cupientibus, siue etiam expedientes publico bono, seu commodis priuatis. provt quisque sperabat, inseruituras. Hoc primum Caput in suffragia venit, quod pauci respuerunt, dubium iudicio, an propriis affectionibus.

IV. Inde proposita reliqua hoc ordine. An continuandi, qui iam essent admissi Procuratores? An admittendi Prædicatores generales cum quibusdam indultis, quæ pariter in litteris eisdem continebantur: & fuerant petita simul cum aliis, promouendo tam Sancto Ministerio, quod inter nostros languere comprobabatur? An ex reditibus duarum Ecclesiarum, S. Claudij & Melonis possessiones venirent comparandæ, ex quarum fructibus communes omnes sumptus sine onere aliarum suppleri possent? Atque hæc omnia admissa publico plausu, atque exequi iussa; quamuis ab vltimo vtriusque domus Abbates, quasi à grauamine suarum Ecclesiarum supplicauissent. Vltimum omnium de domibus tenuibus supprimendis ad tempus caput prodiit: & ab hoc solo supplicandum decretum est; siue ita sentiret maior pars; siue minuto numero Ecclesiarum, distributuris æque, atque accepturis, his spes, illis potentia diminueretur.

V. Prædicatores generales, recens admissi, in illo ipso Capitulo creantur Magistri Fr. Christophorus Martinez & Fr. Nicolaus Brauo, Matæplanæ ille filius, hic Superati. De reditibus Melonis & S. Claudij, nihil prætisum, quin impedita exequutio ex parte fuit, vt statim dicam. Nec deerant, qui dolerent, & causarentur; ab vltimo Capitulo propositam, veluti per suffragia decidendam supplicationem; sed nunquam interpositam, nec suspensionem à Pontifice obtentam; idque scrupulo graui subiacere. Cum alij litteras facultatiuas magis, quam præceptiuas; atque obtentas per modum priuilegij, quo vtimur cum volumus, multis productis exemplis disceptabant.

VI. Inter hæc Valerianus de Espinosa correptus morbo, cum non posset adesse diffinitorio, vltro an persuasus officiũ abdicauit, subrogato Vincentio de Aparicio Nucalensi & ipso, qui Ecclesiæ S. Annæ Matritensis, deinde etiã Nucalibus præfuisset. Erant, qui dicerent, diuinam vltionẽ in Valeriano ostensam; siue in eo reluceret, quod ante annũ factã in fraudem legis renuntiationem, sine vlla prorsus causa; tunc morbo vrgente, replicare compelleretur,

siue

siue magis in eo,quod ea dignitate,quam veluti per fraudem comparauisset,prohiberetur frui;neque in ea permanere aduersus mentem legis permitteretur. Neutrum tamen istorum obstare potuit,quo minus id, quod semel vsurpasset, non sine scandalo, imitatum ab aliis,atque postea in exemplum adductum fuerit.

VII Florebant Sacramœnia,vt ferebatur, disciplinæ obseruantia,& Monasticæ vitæ reformatione:& adhuc erant plures,qui concupiscerent arctiorem illam semitam,quam domus alias tenuis capere posset. Itaque Petrus, quod diffinitor peroraſſet,post quam in Reformatorem promotus est,occasione arrepta,exequi iussit,nempe,vt noua alia domus in Gallæcia eidem instituto destinaretur. Tunc reprobata Hoia,Melon eligitur,non sine multa aliquorum contradictione. Quippe prohibita Apostolicis mãdatis,quæ semel iam Cõgregatio suscepisset,plus quam duodecim Monachos habere; ex quibus tres,vel quatuor,& sæpè plures,in externis negotiis occupantur:si vitæ Reformatæ destinaretur, aut trangressura in numero præceptum,aut in rigore obseruantiæ defectura, euidenti argumento comprobatur. Quod enim pondus pauci portare poterunt? An in reformationem eligemus eas Ecclesias, quas modo, vt solis laxamentis aptas, supprimendas, ad tempus tractabamus?

VIII. Sed præualuit sententia Reformatoris,vt solet plerumque,seu destinato præesse reformatis Fratri Alphonso Guerrero Vallisbonensi,pinguiorẽ domum, atque ampliorem Ecclesiam vellet:siue hac via,quod ipse non probasset,quamuis nec palam repellere ausus esset, contributio Melonis ad annuos reditus, Congregationi emendos, per speciem pietatis impediretur. Certè quandiu ipse, atque intra idem triennium,eius successor Christophorus Martinez in officio mansere; litteris quamuis admissis in hac parte, nullum prorsus obsequium præstitum fuit.

In hoc Capitulo Fr. Angelo Manrique iniunctum est, Cistercienses Annales consignare, & indulta subsidia, siue expensarum, siue Monachorum, quæcumque necessaria iudicaret. Quæ tributa ad annum. Mox substracta,proprio labore, & Cathedræ stipendio vtcumque suppleuit neque ante in eo opere cessauit, quam oculorum acie per continuam lectionem euetata,destitueretur. Iniuncta etiam collectio diffinitionum,vulgatioque. Sed eo in aliis negotiis occupato, ad Nicolaum Brauo translata est, per quem facilius, nec minori iudicio expediretur.

IX. Magisterium,quod promotione Reformatoris iuxta decretum Capituli vacauisset, Fr. Petro de Ouiedo Toletano, qui Theologiam Salmanticæ docebat, necessum est, per suffragia totius Congregationis : & laurea Salmantina illi permissa, quod ita mereretur & promptiores expensas habere posset. Michael Velcan Monsionensis,quasi duodennio in prædicatione expleto, per suffragia approbatur, atque in Prædicatorem generalem admittitur:non deficientibus, qui summurmurarent,nõ sine supplemento posse admitti.

X. In hoc Capitulo proposuit Reformator, Missas Matutinales,nam sic vocamus,quæ in diebus festiuis,post dictam Primam,conuentualiter solent celebrari;quia pauci admodum sueuissent illis assistere;multo grauius priuatim celebrandas. Et obtinuerat apud plures diffinitores,si non vnus ex eis in re antiquissima,nihil omninò innouandum peroraſſet,sine consensu totius Congregationis. Cui sententiæ,non cæteri adhærerent, decretum est, vt Congregatio, sine vlla mora, aut interuallo, ne quis negotiationi pro alterutra parte pateret locum per suffragia secreta consuleretur. Miram venerationem antiquitatis,qua omnes tenebantur, prodidit consultatio : cum hæ LXV. Capitularibus, tot enim erant,quæsiti per suffragia, tres soli, qui innouandum censerent, inuenti fuerint. Itaque ne ipsi,qui in diffinitorio,Reformatori detulerant,saltem non omnes cum eo perseuerarunt.

XI. Fuit etiam singulare in hoc Capitulo, quod vnus ex diffinitoribus, cum instarent nominationes, (sic enim vulgò vocant eligendorum pro singulis Ecclesiis propositiones) quas minus ex iustitia distributiua videret fieri,ne aut sensum sine fructu. Liberè prodere, aut omninò tacere contra conscientiam haberet necesse, collata suffragandi procuratione Magistro Fr. Gregorio Sanez, diffinitorium egressus est, ante perfectas non vltra rediturus. Quod variè interpretatum,apud aliquot laudi,quasi offensiones fugeret, vbi sciret se nihil profuturum,vituperio apud alios illi fuit;quasi,si quod in ipso erat,efficeret,cætera nihil aliud curanda forent.

XII. Soluta Synodo iterum ægrotauit Petrus de Andrado,& diu egit dubia valetudine,donec intrante Hyeme,febre tandem quartana correptus est, ex qua vix ante mortẽ satis conualuit. Tunc verò instante iam visitatione, cum imbribus & frigori impar esset, diffinitores per litteras consuluit,vtrùm lectica vectus visitaret,quando aliter non posset, nec iam prorogationis tempus subesset? Duo ex illis,Gregorius,atque Angelus,visitatio-

nem prius omittendam, aut alij delegandam, quàm id exemplar posteris relinqueret, hactenus inauditum consultauere. Reliqui quoquomodo visitandum: & pastorem pecoris sui vultum agnoscere de iure diuino esse; equo, aut lectica vehi, de humano; adeoque illud omnino referendum. Non deerant argumenta contrariæ parti: quin Gregorius Sanz scripsit opusculum graue de hac materia: prævaluit tamen, vt solet maior pars; vel minor, vrgente Reformatore, quod non semel contingit, prævalitura.

XIII. Ergo Visitationem lectica vectus, non sine lachrymis multorum aggressus est: non quod infirmitatis sui capitis minus compaterentur, quem proprio sanguine voluissent releuare: sed quod timerent, ex necessitate ab ipso cœptum, continuandum ab alio, vel sine illa: maximè exemplo in tantum inualescente, vt etiam ante eiusdem anni exitum, Abbas inuentus sit, qui publicè lectica vsus fuerit; Reformatore siue approbante in aliis, quod ipse faciebat; seu non audente palam reprobare, ne eiusdem ipse excessus argueretur.

XIV. Mense Decembri obiit in Belgio Chrysostomus Henriquez Hortensis Monachus, de vniuerso Cistercio optimè meritus, quod tot editis libris illustrauit; vir verè pius, & qui, si ita iudicio valuisset, ac labore & studio continuo valuit, magnos haud dubiè scriptores exæquasset. Sed neque inter minores numerandus, maximè à nobis, qui eius opera in multis vsi sumus. Obiit ornatus titulo Prioris sacri Conuentus, atque inclytæ militiæ Calatrauæ, quo eum ante annos quatuor, plus minusve Reuerendissimus Claudius Briffaultius Morimundensis Abbas cohonestauerat. Eius sepulchro pij Patres Alnenses hoc monumentum vitæ mortisque, viri re vera insignis, inscripserunt.

XV. Anno Dominicæ Incarnationis 1632. Decembris die 22 in Alnensi Ordinis Cisterciensis, Academiæ Louanien sis seminario, obiit R. Pater Frater CHRYSOSTOMVS ENRIQVEZ. Sacræ Theologiæ Magister, Hortensis sub Hispanica dicti Ordinis Congregatione Monasterij Professus Præsbyter, & eiusdem Congregationis Historiographus generalis: qui à teneris annis iugum Domini suaue complexus, vno semper tenore Sanctorum vitas legere, scribere & imitari studuit, à Superioribus missus in Belgium, pluribus doctis æquè ac piis voluminibus, tam Latino quam Hispanico idiomate editis, clarus, Religiosa conuersatione, vitæ innocentiâ, sapientiæ doctrinâ, omnibus charus, à Reuerendissimo Abbate Morimundensi Calatrauensis militiæ superiore, Magnus Calatrauæ Prior nominatus, dum præclarum aliquid, & spiritus sui feruore dignum ad Dei gloriam, & dicti Ordinis illustrationem meditatur, & in ipso fœliciter cœpti operis aggressu mortalis vitæ finem incurrens, immortalis inuenit initium, ætatis suæ anno trigesimo nono, Monasticæ conuersionis vigesimo septimo. Pro cuius animæ refrigerio, orationum vestrarum suffragio, religiosæ charitatis intuitu humiliter postulamus.

XVI. Infirma valetudo Reformatoris visitationem nonnihil retardauit. Vnde anno M. DC. XXXIII. Capitulum intermedium dilatum est, vsque ad XII. diem mensis Iunij. In ea, excepto Angelo Manrique, quem detinebat Febris cæteri alij interfuere diffinitores. Iiunctumque Fr. Froylano de Vrosa visitatori, viro re vera Religioso supra consuetum, vt instruendis Nouitiis tractatum ederet, ad cuius normam in Ecclesiis Congregationis omnes Magistri Nouitios educarent.

M. DC. XXXIII.

XVII. Collegio Complutensi, quod annuos reditus tenuiores haberet, quam peterent expensæ vnde crescebant debita, quibus soluendis, nunquam stare posset: addita quingentorum aureorum in annos singulos summa persoluenda, quæ videbatur æquare prouentus sumptibus. Diffinitiones per Nicolaum Brauo collectæ præsentatæ ab ipso, atque vulgari, & distribui iussæ sunt, quamuis in multis ab Actis dissentire, (quod eas Reformator inuertisset, aut inuerti iussisset) erant qui non obscurè submurmurarent. Atque his quædam alia addita sunt, quæ minoris momenti prætermittimus.

XVIII. Mense Septembri, cum vix dum Reformator conualuisset à quartana Febre, qua laborabat, & dimissa lectica, Ecclesias Asturum eques visitaret; ad Huelgas de Auiles tandem perueniens, vnde Gallæciam iter continuaret; dum montium abruta, valliumque conuexa, quibus ea pars Prouinciæ nimium abundat, vitare disponit; in ipso loci portu conscendens nauem, per mare terram sibi sepulchri parat; atque finem officij, simul & vitæ. Ex motu nauis continuo & inæquali, intestinis commotis, vt recens mare ingressus solet contingere, cum per vomitum alij purgarentur, solus ipse, aut tenacior, aut imbecillior, quæ mare commouisset, adhuc retinens, grauem sibi conflauit infirmitatem; à qua sola morte potuit liberari. Ad Riuadeum applicuit, post tres dies, quibus mere inquietum, atque ventos contrarios passus est: exinde ad Villamnouam breui itinere, mox ad Meyram delatus, statim sensit, se morbo prægrauari.

Suscepti

Susceptis cunctis Ecclesiæ Sacramentis, die XXII. mensis decessit in robusta ætate, cum nondum expleuisset annos XLVIII. ex quibus triginta & amplius in Monachatu, quinque sub arctiore eius vita peregerat: vir erga amicos supra mediocritatem benignus, in cæteros seuerior; alieni qualiscumque iudicij spretor, tenax sui. Qui dum in cunctis, quæ faciebat, dicebatve, exuebat timorem, ipsa securitate, quem præferebat, si quid sinistrum erat, dissimulabat. Cætera verè pius & Religiosus, neque impar imperio; aut si inæqualis, supra omninò fuit.

XIX Ad vndecimam diem mensis Octobris, cum mors illius breui diuulgatæ ad tristitiam cunctos, aliquos ad spem etiam commouisset, qui proximiores loco inueniebantur, tres ex diffinitoribus, Fr. Petrus de Arceo, Fr. Nicolaus Brauo, atque Fr. Vincentius Aparicio pariter conuenerunt in Palaciolis, præfuturi ex more, donec noua electio celebraretur. Atque hi vacante Ecclesia Vallis-paradisi per mortem Fr. Placidi de Aluarado, Abbates, qui electioni præessent; destinauerunt. Electo Fr. Lupo de Caueñas, de quo supra, qui tunc Huelgis ad Burgos, in excipiendis Monialium Confessionibus, ex merito obedientiæ detinebatur. Nec multo post ad primam diem Nouembris, diffinitores reliqui (Fr. Gregorio excepto, qui Vrsariæ ægrotans, Angelum pro se iussit suffragari) & cum eis Abbas Montis-Sion visitatoresque, & qui Reformatorio officio functi, Valerianus, & Martinus, suffragari debebant, comparuere. Non quod dies celebrandæ electioni præfixa fuerit: sed quod pro his, quæ extraordinariæ sunt, nec celebrantur à tota Congregatione, nihil legibus cautum inueniebatur. Vnde liberum erat vnicuique aduentus sui tempus anticipare: & credebatur præuia consultatio electionis euentum promotura. Quantum gliscat exemplum, tunc etiam patuit: qui calculo vesicæ laborabat, Valerianus de Espinosa; vnde ex præscripto legis abesse potuit, fortè & debuit, & per Procuratorem suffragari; lectica vectus venit, vestigia sequens, quæ in Petro cum aliis reprobasset. Et Petrus, quod fecisset, iure diuino vtcumque tuebatur, Valerianus, vt multis apparebat, nec positiuum humanum citare poterat. Verùm cum se videret; si interesset, arbitrium rerum fore; quippe pro parte Angeli non multi, pro Martino vix sperabatur, occisionem arripuit: & quem non potuit sibi subrogare, cum rerum potiebatur Chrysostomum Martinez; cum se putauit posse, nihil omisit, quo minus pro defuncto subrogaretur.

XX. Martinus interim in diuersa tractus; nec dubitans, vt se in illo conflictu, non posse Ducem agere; ita in quancumque inclinaret, etsi aliàs inferiorem, ipsius accessione præualituram; hærebat anceps animi, nec satis promptum erat, quid eligeret. Nam & Magistrum Christophorum Martinez, quod nullus ignorabat, auersabatur; & ad Angelum, quem dudum deseruisset, redire iterum, indignum reputabat. *Quin* & ignorans, quem esset propositurus, (nam absente Gregorio, in nullum alterum præ aliis inclinauerat) nunc huius, nunc illius spe, vel metu, & nunc remissius, nunc acrius, agitabatur. Præualuit tamen metus ex conscientia (nam aliunde non poterat) & quantumuis infensum sibi & suis, Christophorum elegit, siue digniorem aliis reputaret, siue sibi vtiliorem, si primus in illius obsequium iret. Hinc factum est, vt qui Matriti Abbas Valerianum tunc ibi commorantem detinere potuisset, debuissetque; magis ad illud iter inuitauerit; nec dubitauerit, lecticam ipsam offerre (nam Matriti vænalis habebatur) in qua Petrus de Andrade visitauisset.

LXXXV.

MAG. CHRISTOPHORVS MARTINEZ REFORM. XXXIIII.

I. Angelus vbi Valerianum, Martinumque conuenisse cognouit, cum parem muneri Christophorum Martinez non dubitaret, qui grauitate morum nulli secundus, doctrina inter primos etiam ferebatur, sponte an quia non poterat vitare, cum ipsis consensit. Et die sequenti, quæ suffragiis defunctorum adscripta est, non expectata ea, quam Montis-Sion Abbas præscripsisset, Christophorus Martinez renuntiatur Reformator generalis, cunctis penè suffragiis, eius triennij tempus expleturus.

II. Sequenti die, cùm à promotione Reformatoris diffinitio vacasset, atque item Prædicatio generalis & Magisterium, neque ad quos tunc electio pertineret, satis constaret, atque alia dubia occurrissent his similia, quorum decisio maturam deliberationem videbatur erigere: nouus electus, proposita vtrinque, atque vtrinque discussa, in alium decidenda reseruauit sequenti ordine. Diffinitorum officia iuxta leges, si in Capitulo vacent, reuocari ad suffragia Congregationis. Extra vacantia, solius Reformatoris, diffinitorumque permitti suffragij. Præsentem cœtum, etsi verè Capitulum non sit, Capituli generalis tamen supplere vices. An ad omnium suffragia reuocetur diffinitio va-

cans, an solis Reformatori diffinitoribusque, veniat permittenda? 2 Prædicatorum generalium Ordinis, & Magistrorum titulos, Reformatori & diffinitoribus negatos, atque soli vniuersæ Congregationi permissos esse. Prestolaturos, qui modo vacauissent Synodum generalem, an ibidem tribuendos suffragiis omnium? 3. Monachos à secretis Reformatoris, an eius morte vacent? an perseuerent? Vacare leges omnes antiquæ iubent: perseuerare in nuper promulgatis vulgatisque Petri de Andrade iussu per Nicolaum Brauo, expressè cautum, sed in protypo non potuit inueniri. 4. Atque hac occasione etiam propositum, tolerandæ ne essent illæ leges, quæ à libro Ordinis in multis discordabant: an retractandæ; iussis vulgari aliis, quæ in omnibus cum actis conuenirent? 5. Demum quod omnes penè Reformatores medio triennio electos angere solet, an vniuersam visitare deberet Congregationem; visitatoribus tantum visitantibus eas, quas Petrus Andradius omisisset: an integra eorum visitatione, Reformator inciperet, vnde anteccessor desiit, solas non visitatas visitaturus?

III. His dies integer collationi datus, & singulorum seorsim, siue aliis super singulis dubiis disquisitioni. Sequenti verò, quæ erat quarta mensis, cum altè omnia perpendissent; & pertractassent, tandem communi consensu ita sanxerunt.

1. IV. Electionem vacantis diffinitoris ad omnes congregatos pertinere. Non solum quia succedunt loco Capituli, & cum eadem omninò authoritate; sed etiam, quia diffinitoribus non competit ex primaria intentione talis electio, vi per se destinati ad eligendum: sed veluti in subsidium totius Synodi, quæ medio tempore nequit congregari. Quare vbi inuenitur congregata, vel quid, quod eius habeat similitudinem, electionem ad ipsam pertinere. Saluo tamen iure diffinitorum, si litigare vellent. Quibus ne in aliquo hic actus obesse posset, ad ipsorum instantiam prouisum est, vt ipsi sponte cæteros admitterent pro illa tantum vice; neque in futurum vllum aliud ius, quem quod ex lege haberent, illis tribuerent.

2. V. Prædicationem generalem, & Magisterium, quæ etiam vacauissent, Capitulum generale præstolatura, neque antea dari posse duplici titulo: primo, quia cœtus ille quantumuis grauis, in necessariis Capitulo succedit, id est, in his, quæ nequeunt expectare sine discrimine: non in his, quæ admittunt tempus, & moram. Quare nec leges condere, neque alia quæ non vrgent facere potest. Secundò quia suffragia totius Congregationis, quæ pro Contionatoribus, in litteris, pro Magistris in Actis requiruntur; nisi aliud aliunde probari valeat, aut declaratum sit, impropriè ad vndecim tantum referenda. Demum, si vtrumque officium differetur, nihil incommodi. Si statim detur, nullitatem habere posse.

3. VI. Leges, quamuis vulgatas, & distributas, si ab Actis discordent, non esse leges: quare nec obseruandas. Quippe ne à Capitulo intermedio, in quo vulgari iussæ, vllam vim habent. Inde quicunque aduertit discordare, quæ cogitur de Secretarij duratione, præmonere debuisse, vt nouus Secretarius ante nouum Reformatorem iuxta legum præscriptum eligeretur. Nunc loco & tempore debitis omissis, cœptum iam agi pro noua illa editione: & mutationem, & si ex noua notitia licita; at nunquam satis grauem, decoramve; sed obnoxiam iudiciis cuncta taxantium, quibus non facilè valeat satisfieri. Nam quid si post electum Reformatorem, quæ probauimus antea, reprobemus? Nonne aut ille violentiæ conuinceetur, aut nos incuriæ? Esse tamen quo possint cuncta componi, si idem Secretarius qui vacauisset, iterum per suffragia retineretur. In hanc sententiam itum à cunctis est; & Fr. Alphonsus Mondragonius, qui Anteccessoris, fuerat, Christophoro à secretis datur suffragiis omnium.

4. VII. Quod attinet ad diffinitoines sancitum est, vt quoniam semel publicatæ essent, vsque ad Capitulum generale, quæ recens prodiissent, permitterentur; examinandæ ibidem, probandæ, si expediens videretur Capituli plenaria potestate: secus reprobandæ, atque aliæ pro ipsis substituendæ.

5. VIII. Demum de visitandis per Reformatorem cunctis Ecclesiis totius Congregationis, placuit vocandos vel visitatores, & an cederent, vltrò, requirendos; neque aliàs spoliandos eo iure, quod semel accepissent, independens omnino, nec reuocabile. Ergo vocati requisitique, sponte cesserunt: ea tamen lege, ne Reformator, cum post eos visitaret, præcepta, quæ in Ecclesiis reliquissent, possent inuertere. Ita decisis dubiis, quæ occurrebant, pacificæ & concordis electionis, ad quam iustitiæ & æquitatis zelus sequutus est, non leuis, neque dubius effectus fuit.

IX. Sequenti die expedita reliqua omnia: Prudentius Plaza Sant-Prudentianus Diffinitor euasit. Reclamante Abbate Montis-Sion, quod in noua editione diffinitionum, multa contra ipsum, atque ipsius Ecclesiam irrepsissent; decretum est, vt Reformator pro

Congre

Congregatione duos, pro se, & conuentu suo totidem Abbas, visitatione instante, nominarent, qui amicè componerent: aliàs lis, quæ iam dudum incepisset: primum coram Capitulo generali, mox per appellationem, si partes vellent, coram Apostolica Sede terminaretur. Fr. Froylanus de Vrosa visitator instructionem Nouitiorum æducandorum, quam dudum consignare iussus fuerat, præsentauit Capitulo: quæ à cunctis approbata, laudataque, publicari mandatur, & distribui per Ecclesias Congregationis inuiolabiliter in cunctis obseruanda. Addita, & quædam alia minoris notæ, quæ consulto omitto, ne tædium pariant.

X. Soluta Synodo, Visitatores generales statim cœptam à Reformatore defuncto visitationem, continuauere, dum nouus Reformator inchoauit secundam; quas visitasset antecessor eius vice visitatorum iterum visens. Nec quicquam graue, dignumve Historia contigit in vtrisque: nisi quod tamen in Monte-Sion, timore euentus, an incuria Reformatoris, siue vt Abbatem Præsidem Capituli, à se non alienaret, nec de concordia actum, nec de litis incœptæ continuatione.

XI. Inter hæc Reuerendissimus Abbas Morimundi Frater Claudius Briffaultius, cum immaturam, & dolendam quibusque bonis Chrysostomi Henriquez mortem nouisset, de subrogando Priore sacri Conuentus, atque inclytæ Militiæ, per quem ius pristinum vtcumque conseruaret, solicitudine pia deliberabat. Notiorem aliis Angelum Manrique, non merita fecere, sed occasiones, & Salmantinæ Cathedræ ac volumina quædam, quæ publicauerat. Itaque ipsa die omnium Sanctorum pridie quam Reformator in Hispania eligeretur, litteras Morimundi dedit in hunc tenorem.

XII. *Frater Claudius Briffault Abbas Morimundi, Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Lingonensi, sacræ Theologiæ Doctor, Christianissimi Regis à Consiliis, & eleemosynis, Illustrissimarum, ac potentissimarum Militiarum, & Domuum de Calatraua, Alcantara, Montesia, Auis, & Christi, Caput, ac Superior*, &c. *Reuerendissimo Patri Magistro Fratri Angelo Manrique sacræ Theologiæ, in alma Salmanticensi Academia Cathedratico Professori, Congregationis Hispanicæ Præfati nostri Ordinis Cistercienſis, quondam eximia cum laude Reformatori generali*, &c. *Salutem in eo, qui est omnium vera salus. Non sine graui mœrore accepimus, Venerabilem, & nobis in Christo per dilectum filium Dominum Chrysostomum Henriquez, quem propter insignem suam pietatem, ac summam eruditionem, ante quatuor annos, inclytæ domus Calatrauæ Priorem instituerамus, ab aliquot retroactis mensibus supremum egisse diem, quo fit vt salus animarum ibidem Altissimo famulantium, & ab eodem, celeberrimo conuentu dependentium, periclitetur; nec desiderata conscientiæ quiete, & consolatione frui, ac portiri valeant, pastore orbatæ, & destitutæ: Ea propter, cum prædicta illa domus Calatraua, à primæua sua origine trecentis scilicet annis & supra, nostri Morimundensis cœnobij sit adeo specialis filia, vt nulli alteri ius competat, in eadem Priorem instituendi, dum vacat, præter quam Abbati Morimundi pro tempore existenti, pastoralis nostræ debet esse solicitudinis, qui nimirum meritis, licet nostris imparibus, huiusce dignitatis honore fruimur, tam graui incommodo, quam primum congruum adhibere remedium. De tuis itaque morum candore, angelica ferè, si non verè vita, summa eruditione, & in sacris litteris edocendis, indefesso studio ac labore, multiplicibusque aliis virtutibus, quibus apud omnes commendaris, vndequaque debitæ, & plenum informari, te Priorem ipsius domus, ac Conuentus Calatrauensis auctoritate nostra paterna instituimus, & creamus. Dantes tibi omnimodam iurisdictionem & potestatem, illam in spiritualibus, & temporalibus more maiorum regendi, & administrandi personas omnes in eo degentes, & ad illum spectantes, nominatim vero Illustrissimos & nobilissimos Dominos Commendatarios, ac Milites, quibusuis casibus in foro conscientiæ absoluendi, vel per idoneos & capaces Confessarios, per te substituendos, absolui faciendi, easque in debito suæ professionis officio, per censuras, & pœnas Ordinis, si opus fuerit, continendi; sub-Priorem, Cellerarium, cæterosque Conuentus officiales instituendi, & quando necessarium esse videris, destituendi, aliosque in eorum locum subrogandi; honores, honoraria, fructus, immunitates, & emolumenta quæcumque, ad dictam Prioralem qualitatem spectantia, percipiendi, ijsque fruendi & gaudendi, & generaliter omnia & singula agendi, præstandi, & exequendi, quæ Priores Ordinis nostri, maximeque dicti Calatrauensis Monasterij agere, præstare, & exequi possunt ac debent. Mandantes in virtute salutaris obedientiæ omnibus regularibus dicti Conuentus personis, alijsque ab eo dependentibus, nobis subditis, vt te in verum, ac legitimum suum de Calatraua Prio-*

rem recipiant, agnoscant, & reuereantur, debitamque tibi obedientiam præstent, & exhibeant. Si qua porro difficultas in præsentium executione oboriatur, quod Deus Optimus Maximus auertat, sacram, & Catholicam, Regiam Maiestatem, tanquam ipsius Militiæ Administratorem, ac summum Magistrum eiusque integerrimos officiales enixè deprecamur, vt te ad præmissa, præpotenti sua manu protectione iuuare dignentur. Datum Morimundi sub nostro Manuali signo, & maioris sigilli nostri appensione, nec non Secretarij nostri subscriptione, die omnium Sanctorum solemnitati sacra, quæ est prima mensis Nouembris, anni à partu Virgineo supra millesimum sexcentesimi trigesimi tertij Fr. Claudius Abbas Morimundi. De Mandato Reuerendissimi Domini mei, Fr. Duguey à secretis.

XIII. Has porrò patentes cum aliis clausis, interuentu Reuerendissimi Patris Hilarionis Rencati Cisterciensis, ex alma Lombardiæ Congregatione, qui sacræ Theologiæ olim in lycæo Salmantino sub eodem Angelo Manrique operam dederat, & tunc sanctæ Crucis in Ierusalem Abbas, atque in supremæ & sanctæ Inquisitionis Congregatione florebat Romæ sub initium sequentis anni accepit, & sibi soli ad tempus reseruauit.

XIV. Interim in Oliuæ Ecclesia obiit Frater Michael de Sada Regia præsentatione Abbas eiusdem domus, ex Monacho Spinæ; cum prius in Curia Romana Procurator generalis Congregationis, exinde Salmantini Collegij Abbas, atque Ecclesiarum Regni Lusitaniæ, Regia atque Pontificia authoritate cum Ludouico Bernaldo Visitator, mox propriæ domus Archymandrita, ac demum Oliuensi Ecclesiæ Præfectus esset. Vltimus hactenus illius Ecclesiæ Abbas perpetuus, atque gaudens tripartitione; cui sortita effectum aggregatione Ecclesiarum Nauarræ; ad Congregationem Aragoniæ, quadriennales alij, omnes ex nostris, breue post interstitium succedere.

M. D. XXXIV. XV. Sequenti anno M. DC. XXXIV. in Palaciolis celebrata est Synodus intermedia, cui omnes interfuere diffinitores. In ea porrò hæc gesta memoria digna. Fr. Ludouicus de Estrada Abbas de Iranzu, cum suæ domus vnionem videret protrahi, & timeret frustrandam, siue non in Castella, vt præoptauerat, sed cum Aragonensibus faciendam: in medio Patrum venerabilis apparuit. Et se, cui non licuisset, quod cupierat, Ecclesiam suam nostris aggregare, aut saltem eam Reformatori subdere; quod vnum reliquum putabat sibi licere, optare vt minimum in Congregatione mori, & cum his viris, à quibus accepisset, quid habebat, exitum præstolari, qui iam instabat, inter singultus, & lachrymas proposuit, quæ alias similes violenter extorserunt ex omnium oculis. Abdicaturum, vt hoc consequeretur, Irancienſem Ecclesiam; atque hoc vtinam opulentior esset; quo pinguiorem, libentiùs relinquendam. Nihil sibi præter cellam exiguam in Valle bona, in qua induisset habitum, atque vitam communem desiderare. Sed neque in hac futurum illi grauem: vltra ea, quæ dedisset (& multa dederat) vnde sustentaretur, allaturum. Restituatur modo pristino cœtui, & charæ Matris gremio foueatur. Exuat hominem, vbi induit Monachum; nec diu optata careat sepultura Plura dicturi, Reformator verba interrupit, & suo, & Diffinitorij totius nomine, non solum annuit, sed multas gratias egit, quod communis Magister, & Pater omnium restitui vellet filiis amantissimis, quos pasceret doctrina, foueret meritis, atque exemplo ad meliora prouocaret.

XVI. Angelus litteras Abbatis Morimundi, quibus Prior Calatrauæ designabatur, præsentauit Capitulo; non vt eam dignitatem sibi assereret; sed vt Congregationi, si posset, adderet: etsi quid in hac causa faciendum foret, maturiori consilio deliberatum per omnes, & cum omnibus, maiori authoritate, firmiori fiducia exequeretur. Munus id supra eius merita esse, eoque recusandum, vel si facilis ianua, sibi pateret. Cæterùm ab initio Calatrauæ Cistercio debitum, à tempore Beati Didaci Velasquez primi Prioris, ad nostram vsque ætatem, per quadringentos, & eis amplius annos continuatum in ipso; mox dissidio Gallorum cum Hispanis, à morte Ludouici de Solis, etsi nondum amissum, intermissum; quacumque via nostris aperiretur, si filiis Cistercij, repetendum. Multa nostræ cum aliis familiis sacris, contigisse communia: atque exempla virtutum, & pietatis, accepisse vicissim, dedisseque. Vnum esse, in quo (quod verè diceret) nec primam similem visa est, neque habere sequentem. Nimirum iura dare militiis sacris, atque ipsis præsidere, equitum crucibus cucullam imperare, nulli præter

Cistercium

Ciſtercium conceſſum fuit. Hanc gloriam dum in Hiſpania noſtra Galli, Regibus Catholicis inclytam Calatrauæ militiæ miniſtrantibus, integram & illæſam habere volunt; iam quatuor & triginta annorum ſpacio, plus minúſve, non nihil obſcuratam: ſi cederent, haud dubie reſtituendam. Quippe non hactenus recuſatum Priorem Monachum; ſed Gallum, atque Gallis pariturum. Aliàs Monteſiæ Monachum præeſſe, quem liberè inſtituit Abbas Sanctarum Crucium. Præfuturum non minus Calatrauæ, ſi à Reformatore Generali, ſiue à Diffinitorio inſtituatur, maximè ſi ad ipſorum Regum præſentationem. Demùm eſto, quod ſemel excuſſerunt iugum, Calatrauenſes portare fugiant; ſubeſſe multa, quæ vltro nobis offerant. Illuſtria, & honorifica; & monumentum tantæ dignitatis conſeruatura.

XVII. Vt enim turpe Ciſtercio videatur, deſtitui Prioratus ſacri Conuentus: at quantò turpius Calatrauæ eſt carere Priore? quanto indignius non habere paſtorem proprium; ſed per vicegerentes, aut ſubſtitutos, indigos poteſtatis, authoritatiſque, ſolos in orbe Chriſtiano adminiſtrari? Nihil recuſaturos, vt hoc dedecus, aut depellant, aut redimant. Sed & ſperandum, Abbates Morimundi facile ad nos ſua iura tranſlaturos, quæ in ipſis inania, dum aliquid retineant verum & ſolidum: & ne omnia penitus amittant, ſolo veſtigio antiquæ poteſtatis, & quacumque vel leui compenſatione, quæ à noſtris offeratur, contentos fore. Præbuit vigorem dictis aſſenſus omnium; & communi conſilio decretum eſt, vt Angelus expenſis Congregationis aſſumeret negotium, cum Catholico Rege Philippo IV. atque illius Miniſtris in Ordinum ſenatu pertractandum.

XVIII. Electi deinde Viſitatores ſeptem Eccleſiarum Abbates Meyræ & Hoyæ. Nouitiorum inſtructio, quam Froylanus de Vroſa conſignauiſſet, nondum typis mandata, ad petitionem multorum cœnobiorum, ſine vlla cunctatione mandari iuſſa: atque id genus alia prouiſa ſunt, quæ facilem habuerunt expeditionem.

XIX. Poſtera dies, non adeo concors fuit: penſionum Sancti Claudij atque Melonis, ex quibus reditus in communes ſumptus Congregationis comparari debebant, petita ratio: & excuſantibus, qui reddituri erant, præcipuè Generali Reformatore, tenuitatem prouentuum illius anni, qui ſummæ præteritæ, impares eſſent. Mox, cum dimidia ſaltem vel tertia pars peteretur ſoluenda; atque item aliquid, quodcumque illud eſſet, quod primo anno triennij reſponderet; nec quicquam promotum, aut eſſet, aut appareret: qui vtrumque Abbatem per præcepta & cenſuras, pro menſura accepti datique, ad ſoluendum compellerent, per ſuffragia deſignantur: nequicquam obſiſtente Reformatore; qui nihil prorſus ſoluendum ab his Eccleſiis (dubium quo fine) palam proclamabat. Sed deſignati qui rationem peterent, & quantumcumque ſummam poſſent, colligerent, ac poſſeſſiones emerent, ad redemptionem totius Congregationis (ſic enim loquebantur) fœlicibus auſpiciis inchoandam.

XX. Tum verò Reformator obdurans vultum, & quod celabat ſecretum aperiens palam; poſteris ſe libenter prouiſurum, cum poſſet, ait: ſic tamen vt præſentibus non deſit. Et ſummam illam, de qua deliberabant, neceſſariam in præſens, ideoque à ſe ſilentio prætermiſſam: ne aliæ domus exhauſtæ continuis ſumptibus, & temporum anguſtiis, nouis grauandæ veniant contributionibus. Et quænam inquit, aut æquitas permittit, aut charitas perſuadet, aut prouidentia dictat illorum commoda noſtris anteponi? Eſto alterutris tollerandum ſit, ſiue alterutris etiam pareundum; cur ne tollerent illi, nos feramus, aut pereamus, ne pereant? Cum maximè pauperies illis in incerto ſit, vt quæ aliunde interim valeat ſubleuari: nos verò dudum in arcto conſtitutos, omnis iam ſpes deſtituat, & ſola pœnæ maneat deſolatio.

XXI. Non qui poſt nos venturi ſunt ad Ordinem noſtræ curæ commiſſi, Patres conſcripti: ſed qui venerunt, & nunc in illo manent: imo neque hi omninò per totam vitam, ſed per triennium tantum, quod modo currit. Hoc intra tempus, curandum nobis eſt, conſeruare indemnes, quos ſuſcepimus: in poſterum ſeruabunt, qui nos excipiant. Num meliores quam Patres noſtri ſumus, prouidentioreſve, vt ſatius poſteris conſulere velimus, quam illi nobis? Sine reditibus, qui in communi ſeruiant, illi nos reliquerunt; neque periuimus. Relinquemus & nos ſine reditibus, quos habuerimus filios, neque ipſos ideo (haud dubiè) perituros. Duæ illæ Eccleſiæ iuſſu Pontificis, & cæteris ſubueniendis permiſſæ ſunt: & plus illis ſubuenient in hac anguſtia, quam ſi reditus pariant, vnde poſt ſubuenturi, cum minus egeant.

XXII. Hæc contra alij, non esse nobis liberum, pecuniam eam pro libito erogare, etiam in vsus totius Congregationis. In annuos reditus tantum deputatam; per quos earum, aliarumque abundantia æternum permansura comparetur; nisi omnino aberremus, in annuos reditus esse consumendam. Hanc Pontificis certam voluntatem, neque ignorari posse, nec cogitam infringi, sine piaculo. Quippe læsa obedientia, iustitiaque, nec pietate integra: prima in Vicarium Christi, cui non paremus; secunda in domos illas, quas spoliamus sine vllo iusto titulo; & tertia tandem in reliquas Ecclesias, quas pro paruo præsenti nostro commodo, perpetuis commodis omninò defraudamus.

XXIII. Iam, quod nec si licere, expediret, non minori efficacia disceptabant: cur enim differatur tantum bonum? An quia Patres nostri, vel minus prouidi, vel pluribus intenti non consuluerunt nobis in hac parte: Neque nos filiis sumus consulturi? Quantas nos gratias illis haberemus, si consuluissent; tantas nobis habebunt quicumque venient. An nobis ipsis hanc gloriam inuidemus, illis hæc commoda? Pereant, qui putant, sibi Ordinem datum, & non se Ordini; & vt recturi per triennium demur; non tamen damur ad triennium tantum, sed quam longè possimus prouisuri. Neque nos premunt maiores necessitates, quam vt earum remedio pares simus: sed minor tollerantia. Quid enim si non habuissemus hæc subsidia? an ideo oneri succumbendum statim foret? Vnde subueniremus, subueniamus: non aliter venturi ad latitudinem, quam si prius angustias superemus.

XXIV. His & similibus vtrinque disceptabatur, neque facilè erat conuenire. Reformatore acrius adnitente, vt quicquid exemptionis, quicquid leuaminis, aliquando euenturum speraretur, ab ipso inciperet; & sui triennij ad præsens angustias pelleret; in futurum memoriam illustraret: Diffinitoribus è contra contendentibus, spernenda hæc præsentia, quia leuissima, si ad instantia, & mansura comparentur. Atque hæc sententia debuisset præualere, si non ratione semper, potentia potior, astu, an arte, eluisset legem Pontificis; & pernicioso exemplo in ipso limine, publicam frustrauisset vtilitatem. Reformator, cum nihil aliud posset, proposuit saltem, vt si absolutè non licebat dari, mutuò saltem daretur id quod petebat. Ita quod ex pecunia sancti Claudij, Meloniſque, Congregatio illam summam mutuò acciperet; eandem prorsus cum opportunè posset, ad redituum eruptionem solutura. Et facilè præualuit, hæc sententia, non quia iusta, sed quia maioris partis, & ne nihil daretur Reformatori. Ita sub ipso ingressu delusa lex, & publica vtilitas, quæ nunquam hactenus potuerunt præualere: nunquam deficientibus (atque ô vtinam non nunquam defuturis,) Reformatoribus, qui abundantiam sibi, quam aliis malent; neque versutiis, quibus verba legis eludant, & mentem fraudent: demum nec (quod frequentius omninò est) diffinitoribus, qui pro qua parte caput stare vident rationem item & Deum facere credant; aut si quod fortè dubium eis occurrat, cedere satiùs ducant, contraire.

XXV. Intrante Autumno, Magister Frater Valerianus de Espinosa, ætatis suæ anno LXXIII. ab inito officio Reformatoris fermè duodecimo, ab absoluto nono: quod tempus ad Diuæ Annæ Matritensis, vbi etiam decessit, priuatus dixit. Patria illi Segouia, genus honestum, statura in proceram magis inclinans, quanuis nimia pinguedine deformis. Ingenium non tam promptum, quam maturum; doctrina & eruditio supra mediocrem; vultus longè, quam animus seuerior: antequam imperaret, timori omnibus; dum imperauit, reuerentiæ magis; sed post imperium contemptui quibusdam fuit. Siue re vera, minus aliquid haberet, quam putabatur; siue quæ habebat, conseruandæ paci, cum his, qui actu imperabant, dissimulabat: Honoris, & ferebant, nonnihil appetens; sed ne omni careret, contentus quolibet; quod aliqui segnitiem, inertiamve; alij prudentiam interpretabantur. Sepultus est in Capella Mariæ Virginis (vulgò del Destierro) perampla testudine, quæ ibidem dudum patet, nostris, & exteris.

XXVI Angelus seriem Priorum Calatrauæ, & ius Cistercij, atque Abbatum Morimundi pluribus instrumẽtis (quæ ex Vaticano & aliunde conquæsiuit) radicatum & firmum, ad libellum redegit: quem supplicem Philippo IV. tradidit. Ille primum ad Ordinum Senatum inuisendum remisit: mox, cum Calatrauenses causæ difiderent, ad eorum

rum inſtantiam, quatuor alios coniudices adiecit, ex ſupremo Caſtellæ, qui rem attentius, & altius perſcrutarentur. Neque enim ſibi derogare Ciſtercij iuribus, ſi firma & certa eſſent, vnquam placuiſſe. Sed nihilominus, exutam diu obedientiam Prioris Monachi, & vix ab aliquo, qui tunc maneret cognita, iterum reuocare, parituris haud dubiè durum forè. Quin & malitiam præ aliis Hiſpaniæ inclitam, (namque hic illi titulus) & cuius ipſe adminiſtrator eſſet, ad Galli Abbatis nutu regendam tradere, ſibi indecorum, atque infra maieſtatem arbitrabatur.

XXVII. Diu & multum certatum vtrimque eſt, & plura in lucem data non contemnenda, animos iudicum vtcumque perſuaſura. Nec deerant nonnulli, quibus placeret, Angeli petitionem, non quia iniuſtam, ſed quia ratione, vt vocant, ſtatus diſſonam, ſine diſquiſitione repellendam, quod inſtanter petebant Calatrauenſes; aliquibus exceptis, quos antiquum Ciſtercium, & ſancti Raymundi memoria delectabat. Verum cum hoc ſcrupulis refertum, & conſcientiæ contrarium appareret; & per hanc litem ampla pateret ianua alicui conuenientiæ, quam Philippus ſecundus præoptaſſet: poſt longam ſatis deliberationem, omnium penè ſuffragiis decretum eſt, vt quod ex bono, & æquo, quaſi inter Religioſos tractari cœperat, ad iuris apices, vt vocant reuocatum, per iuris terminos deinde tractaretur. Nihil in hoc ſcrupuli, aut periculi: & aliàs dari tempus in re ardua, non ſolum neceſſarium iudicaturis, ſed & partibus vtile: Calatrauenſibus, qua parte poſſidebant, ſi tunc experirentur, cauſa omnino caſuris vt credebatur: noſtris, qua ſemel & dudum ſpoliatis, ſiue propria in curia ſiue aliena violentia, ſeu caſu alio, admitti ad repetendam, pro gratia fuit. Creditum eſt, vlterius proſpectum fuiſſe, vt per incerta litium, moraſque, atque continuos ſumptus; conuentioni opportunior pateret locus; quam vtilem vtriſque, Regique, (nam præſens ſtatus ſcatet multis ſcrupulis) vtrique pariter, atque ipſi Regis Miniſtri, qui prudentiores erant, deſiderabant. Et prouenſſet ſanè, vt ſperabatur, ſi non bellum continuò denuntiatum Gallorum Regi, quod tot iam annos afflixit, vtrumque regnum, obſtitiſſet conatibus; cum par affulſerit, ſtatim reſumendis, ſi fortè ſit quem zelus Ciſtercij moueat; nec deerit, vt ſperamus, Deo authore

XXVIII. Inter hæc malè ſolers ingenium quorumdam iuuenum, dum volitare audacius, quam ſecuriùs, adhuc in rebus ſacris non formidant, Congregationem turbat; & grauiſſimos quoſque ac maturiores, vt eis reſiſtant, prouocant; maiori tolerantia Reformatoris, vt multis videbatur, quam expedire. Prodiit libellus de Officio Mariæ Virginis eximens noſtros ab illius obligatione. Et primò clanculum, mox non omninò palàm, ſed veluti ſecretò communicatus; dein publicè erumpens; quod nobis ſemper ſanctius, antiquiuſque ab initio Ciſtercij cunctiſque fuiſſet, quaſi per otium in dubium reuocauit. Quippe non lege nos ad id teneri, cum nulla, quam ſciamus, ſcripta extet, quæ id onus iniungat. Sed nec ſi extaret, obligare ad culpam poſſet; obſtante alia notiore & receptiſſima, qua generaliter de cunctis declaratur, inducere conſcientiæ obligationem. Multo autem minus teneri ex conſuetudine, quæ ſi quæ eſt, ſpontè à nobis cœpta, & ſpontè continuata, liberam & ſpontaneam deuotionem, non debitum præciſum valet inducere. Quod ſi aliquod induxiſſe vulgo credita eſt, (neque enim hoc negabant) non tamen ideo maiorem vim habere: quippe per ignorantiam introducta; quæ ſicut nunquam præſcribit contra legem, ſic nec vim legis valet obtinere. Quid enim refert, ſiue ignoretur lex, quæ verè extat, ſeu quæ non extat, extare falsò credatur? Certè ex errore introducta conſuetudo, eundem vtrobique effectum habere debet. Hanc porro ex tali errore proceſſiſſe, quod fuerit perſuaſum Patribus noſtris, teneri ſe ad Mariani officij penſum, cum non tenerentur: nunquam aliàs ſubituris vltro onus, à quo ſe poſſent indemnes conſeruare. Hæc pluribus doctrinis, & authoribus, aut miſcebat libellus, aut exornabat.

XXVIII. Et quidem, quandiu paucis res iſta nota, horrere primum, abiicere, reſpuere; nouitatis authores ſeuerius taxare, niſi quod quidam inuenili ardori, parcendum putabant; alij vel inde magis iraſcebantur. At cum per plures, præcipuè ex iunioribus diffunderetur nouitas, & quæplerumque mortalium conditio eſt, laxamentis faciliùs adhærere, non deeſſent nonnulli, qui approbarent. Tum vero vbi ad aures ſeniorum, doctiorumque dubitatio peruenit (nam qui aſſereret palam vix vllus erat) in audaciam authorum conſtanter inuehi, notare inſcitiam, temeritatē damnare; & virginis præ aliis Capellanis, famulis, filiis, nihil obligatorium, ſi non Virginis penſum, acrius, atque ſeuerius proclamabant. Magiſter inter alios Gregorius Sanz, & ſi iam morbis fractus, debiliſque, cum doctrina, & iudicio inter præcipuos, certè nulli ſecundus haberetur; pietate in Virginem, & quo feruebat, totius iuſtitiæ zelo; nec recuſauit, nec dedignatus

eſt,

est, respondere tyronibus: quin stylum velut gladium vagina exerens, doctum & elegans opusculum scripsit, quo non solum obiectis satisfecit; verum errores ex quibus procedebant, eruditè detexit, & impugnauit.

XXIX. Nam neque nobis spontaneam recitationem, vt falsò asserebatur; sed à principio obligatoriam fuisse, ex generali lege, quatuor ante Cistercium conditum annis, ab Vrbano II. in Claromontano Concilio promulgata, multis adductis, apertè demonstrabat. Hanc porrò tunc à Molismensibus admissam, sicut à multis aliis, inde ad Cistercium deriuatam, & continuatam hactenus vim obligandi semper retinuisse. Et de lege, ex Concilio ipso constare, ac de omnibus, quæ de eo tractant historiis: cuius reuocationem, siue, qui pariter derogare illi potuisset, contrarium vsum, ne ipsos quidem allegare, qui contra sentiunt. Deinde, esto præcepti in materia, nulla nobis notitia subueniret, consuetudinem à tam longo tempore tractam, & nobis congenitam, vim legis tenuisse; aut nullam prorsus esse, quæ obtineat: quo quod absurdius queat excogitari? Quippe hanc rationabilem, diuturnam, materiam eius piam, grauemque, & semper obseruatam, negari nequit. Sed neque vt voluntariam, liberamve, sed vt obligatoriam sub mortali peruenisse ad nos, traditione accepta quasi per manus à Patribus ad filios, qui nos docuerunt, constanter proclamasse, atque ita se accepisse professos esse.

XXXI. Quod autem consuetudo sub tali onere per ignorantiam introducta sit, & non magis per legem, aut pietatem; cum ad initium Cistercij referatur, vnde quæso probabunt hi, qui affirmant? Certè præsumptio stat pro possessione, quæ legitima creditur, maximè vbi excedit memoriam hominum. Quare, & si de Concilio Claromontano, nihil ad nostram notitiam peruenisset, cum hunc omnium consensum inuenerimus, atque hanc obligationem, veluti possidentem in nostris animis; aut præsumendam, quamuis aliam legem, à qua ortum habuerit, etiamsi ea à memoria nostra exciderit, aut Patres exhibuisse obsequium illud animo se obligandi, atque ad nos transmisisse cum tali onere. Cur enim quæso in cæteris negotiis pro immemoriali omnia præsumantur, quæ possessioni fauent; & non in isto? An consuetudini, vt vim legis obtineat, in hac sola materia obstabit antiquitas: & cum in aliis, dum initium ignoratur, omnia fauorabilia præsumantur, in hac sola, quæ oppugnant, sint credenda? Vt contra legem præscribat consuetudo, nunquam præsumitur ignorantia legis, nisi probetur. Cur præsumatur, ne vim legis obtineat error qui omnino nequit comprobari? His alia addebat, non minus efficacia, ex diuersis doctrinis, atque Doctoribus: ex quibus quosdam pro contraria parte immerito allegatos, eorum verbis productis disputabat.

XXXII. Potuit haud dubiè suboriens malum reprimi, erudito libello, doctoque; si non vt quidam interpretabantur, diuino iudicio reseruaretur. Neque in hoc aliquid ausim affirmare (nam Religiosos, & pro ætate doctos re vera fateor) illud tamen compertum cunctis fuit, ex duobus, qui authores se ostentarunt, alterum discessisse à nostris hoc ipso anno, nulla data occasione, nullo periculo, cum pro ætate, & supra fungeretur honoribus consuetis congregationis, atque in dies ampliores accepturus speraretur: alterum breui tot ac tanta passum, vt si præteritis præsentia conferamus, & his quæ de Ioanne Guzmanio vulgata olim, quæ in eo experimur, comparemus, absque vlla leuitatis nota Mariæ manum liceat coniectari; congratularique, quippe totius misericordiæ mater nonnunquam in hac vita filios punit, nisi vt in alia glorioſos, & saluos faciat. Sed de Mariæ officio iterum sermo: nunc quæ alia euenerunt, prosequamur.

M. DC. XXXV. XXXIII. Intrabat annus M. DC. XXXV. currentis triennij vltimus, idemque subsequentis primus futurus, & Reformator Christophorus Martinez ac Martinus Gutierrez de successore prouidi, dum suis viribus neuter satisfidit, vterque alterum per speciem consultantis solicitabat. Christophorus Chrysostomum Cabero Vallis-Ecclesiarum Monachum Complutensem Magistrum, & tunc in Cathedra Moralis Philosophiæ, nunc post duas alias, Vespertinam, & sacræ paginæ in primaria Scoti publicum Professorem, pro se substitui, si posset; desiderabat. Martinus à Chrysostomo auersus, quencumque alium malebat, sed quem præferret altiùs occultabat, seu nondum certus animi pro aliquo, seu quod volebat facilius prouenturum, quantò minus præuisum arbitrabatur.

XXXIV. Instabat in Spinæ Monasterio dedicanda Capella recens erecta ad multarum sacrarum reliquiarum, quibus domus abundat, venerationem. Ea opportuna occasio visa est, conueniendi ibidem: quin etiam Angelum Matriti tunc agentem, & Regium

à Philippo concionatorem ante non multos dies designatum, quasi consultaturi, conuocarunt. Erant qui dicerent, magis tentaturos, si ad suam quisque sententiam trahere possent. Nam Angelus, & si horum incuriosus, & suffragiorum contemptor quam adquisitor: at in re dubia, & vtriusque potentia penè æquali, parti in quam inclinaret, pondus dabat, facilè vt credebatur prævaliturum.

XXXV. Quid consultauerint, aliis in incerto, ipsis in lubrico: cum mutuò suspectantes, suspectique aliorum sensus singuli rimantur; proprios celant. Creditum est, ab his, qui cuncta notant, non tam vt consultarent conuenisse, quam vt quid singulis, & à quibus cauendum esset, ex his, quæ contulissent, perscrutarentur. Sed à Christophoro, quod semel mente conceperat, per multa signa dudum, & sæpè proditum, nullus labor eruere: ab Angelo, cui nihil adhuc fixum non tam quis placeret, quam qui non displicerent, elici poterat: in Martino, quod nullum designaret, sed viris primæ classis, quos proponebat, quosdam alios inferioris notæ subiiceret, quasi vtrosque coæquans, vtrique consultantium suspectum fuit. Quippe, quos tunc melioribus æquabat, si semel obtrusisset, timebatur minori nouitate antelaturus. Nihil in eo congressu conclusum est: nisi quod tamen de eligendis diffinitoribus, visitatoribusque, Angelus & Martinus conuenere. Erant qui dicerent, etiam cum Christophoro, conuenisse Martinum, designatis diuersis; & ex vtrisque postea, quos malet eligens, diffinitorium per omnia sibi assereret; ex quo ad electionem Reformatoris maiori vi potentiæ proueheretur. Quod, vt non possim mihi persuadere; at vulgò sparsum, & creditum à multis, non putaui silentio prætereundum. Ita discessum ex illa dedicatione; & cum in proximo Capitulo instaret, quippe intra mensem Maium celebrata, Vallisoletum petiere seorsim singuli.

XXXVI. Quinta die Maij, ingressis Palaciola ipsis simul & cunctis Capitularibus, diffinitores ante omnia electi, qui inter Angelum Martinumque conuenerant: ipse Martinus Guttierrez Matriti, Fr. Michael Belcan Montis Sion, Fr. Didacus Gonzalez, sancti Prudentij, Fr. Petrus Xalon Nucalium, Mag. Fr. Alphonsus Perez de Humanes Vallis Ecclesiarum omnes Abbates, & Fr. Froylanus de Vrosa Hortensis, tunc recens functus officio visitatoris. Deinde ad electionem visitatorum processum est, & hi etiam conformes prodiere M. Fr. Lupus Cauanas Vallis-paradisi, & Monachus, & Abbas, & Fr. Basilius de la Quadra Hortensis, qui hactenus Abbatiam Horæ moderabatur. Hæc illa die, dubiis adhuc cunctis, quis in Reformatorem designaretur? Quippe exclusis aliquibus, duo retinebantur, Mag. Fr. Nicolaus Brauo Superatensis, quem meliores optabant, & Fr. Michael Belcan Montis-Sion, de quo superius ad annum M. DC. XX. post importunam mortem Reformatoris Fr. Francisci Niceto, aliqua diximus.

LXXXVI.

MICHAEL BELCAN REFORM. XXXIV.

I. Sequenti die, cum videret Martinus, tutum sibi iam esse, quod mente concepisset, palàm facere, Michaelem Belcan solum proposuit, ipsius iudicio cunctis præferendum: & facilè obtinuit rem aliàs arduam, cum in Christophoro Martinez, Angeloque, à quibus solis timeri sibi posset, in altero nulla, aut exigua omnino potentia, in altero resistentia nulla maneret; propria natura auersante contentiones, & ne ordinem diuideret quod summum malum semper existimabat. Et Michaelem, nullo hactenus extra propriam domum officio functum, adeoque penè ignotum electoribus; (quamuis à tempore illius præsidentiæ suspectum multis) cæteris aliis meliorem persuadere, in promptu fuit. Innato hominum genio, ingeniove, vt meliora putemus, quæ nondum nouimus. Itaque Frater Michael Belcan & ipse ex illo cursu Meiritano, ex quo Philippus, & Angelus prodiissent, tertius Reformator electus est, sine vlla alicuius oppositione; tot suffragiorum numero, vt non indiguerit omnino confirmari. Nempe, & si quædam suffragia illa defuerant, tamen cum duas ex tribus partes habuisset, iuxta tenorem Apostolici indulti, confirmari non debuit; id quod Martinus solicitè obseruauit, atque obseruari fecit (hactenus, quod sciamus, nunquam in vsu) quo magis eius potentia palam fieret. Ex his qui nouum electum Reformatorem, & Magistrum creatum (nam & hic statim Magisterij lauream suscepit) intimius nouerint, non deerant, qui clam submurmurarent, quæsitum hominem amicis destitutum, & parum sociabilem, certè in eos, quos regebat, nimirum rigidum, à quo nihil Martino timendum foret: collaturo quippe omnia in eius assecias, cum proprios non haberet: nec si decisceret amicos conciliaturo, per quos ad se potentiam transferre posset. Ipsius loco, diffinitionem iniit Fr. Gabriel de Rozas Vallis-bonensis, qui tunc Ecclesiæ sanctæ Mariæ de la Vega Præfectus erat.

II. In

II. In hoc Capitulo salutaria quædam prouisa, quæ profutura haud dubiè sperabantur, si non obsoleuissent intra triennium. Sed planè Michael natura impetuosus magis, quàm facilis, & non nunquam violentus, quæ prouidè statuebat, priusquam exequeretur, si aliud occurrisset, præcipitabat. Vnde & suarum legum author subuersorque, multa in Capitulo generali sanciuit, quæ mox in intermediis, & si inferioribus, non nulla etiam solus retractauit. Nec Martinus Gutierrez obsistebat, qui posse, si vellet sperabantur. (Nam siue metu, siue gratitudine, seu fatali obsequio, illi quandiu vixit, subiectus fuit) magis præcipiti habenas relaxabat: gnarus non aliter potentiam suam melius, quam, illius impotentia formari posse; maximè Angelo cuncta hæc aspernante, Christophoro inualido, nec quamuis conaretur, præualituro.

III. Relatum est de officio Mariæ Virginis, & qualiter illius obligatio in dubium à quibusdam vocata esset. Et placuit multis acriter puniendo, quicumque dubitassent: quippe non aliter reprimendum malum impunitate gliscens, & nisi cohibeatur, latius fortasse, in breui grassaturum. Cistercienſem familiam primam omnium (sic nos iactamus) sacram Mariæ Virgini, illius obsequio præ cæteris obstrictam; vtpote dispensatæ Roberto Patri Alberici, Stephanique Procuratricis, nutricis Bernardi, atque vnicæ aduocatæ totius Ordinis. Hoc quotidianum pensum, si demamus, in quo illi nos gratos exhibebimus? Nam si quæstio de vinculo dicatur, non de penso suborta, verba magis, quam res esse videntur. aliàs immobili penso permansuro, quod onus vinculi? an specialis, & maior illa honestas, quæ ex vinculo consurgit, detrectatur? Eo speciali merito apud ipsam, & apud filium eius, quis cordatus, qui soluat cernere velit? Excutere à ceruice iugum, recalcitrantis esse, & nolentis arare; non araturi. Quod ne intra nostros vnquam reperiatur, ferro & igne secandum, si quid degenerat.

IV. Alij è contrario, multa si contemnantur, statim euanescere; aliàs à resistentia sumptura vires, & aduersus remedia valitura. In his silentio agendum, quam suppliciis, ne latiùs serpant, quo seuerius puniantur. Quid enim si per speciem miserationis, aliorum animi concilientur erga punitos? Quid si infrà pœnam quibusdam culpa appareat? Et tandem quid si plures exemplum moueat, quam pœna deterreat? Ad petulantia ingenia coërcenda, nihil magis valere, quam contemptum, & quod neque ex suppliciis innotescant. Ignorentur delicta, ne appetantur; & pœnæ, quo maiores semper timeri possint. Quid enim quæso iuuabit experiri, quibus malis medendis impares sumus? Fortunæ suæ, qui deliquerunt, deputent, quod ad nostram notitiam nõ peruenerint: non impotentiæ nostræ, quod post notitiam, remedia non habeamus. Emmendabunt fortasse, dum timent nosci: si nihil vltra maneat, quod vereantur, effrenatius, haud dubiè peccaturi. Atque hæc sententia seu sanior iudicata, seu reis fauorabilior, quos Martino percharos esse constabat, tandem inualuit. Decretum est, vt rumoribus incertis, & prorsus vagis, qui in hac materia nuper inualuissent, perpetuum in futurum silentium imponeretur. Quod inter acta Capituli vulgatum, cum variè acciperetur, qui Mariani officij obligationem cœperant impugnare, clanculum & secretò pro se trahebant. Quasi non ausis, qui rem iudicauissent debitum affirmare, sed nec volentibus illi contraire; silentium velut medium electum sit, quod neutri parti aut faueret, aut derogaret. Atque hoc vtcumque inter aliquos vulgatum magnam Martino inuidiam concitauit: nunquam ausuris vel leuiter nutrire, qui hæc iactabant, nisi eius vmbra, & fauore protegerentur.

V. Nouit & stomachum aliquorum contra Martinum, quod Prædicatio, vt vocant, generalis, quæ ab electione Christophori Martinez in Reformatorem, vocauisset, Magistro Fr. Petro de Ouiedo Montisionensi, qui tunc Thologiam Salmanticæ docebat, ipsius interuentu, collata est: viro alias docto, & planè Religioso; sed qui, vt in Scholastica excellebat, ita re vera expositiuam Theologiam, concionatoriamve, vix primis labiis adhuc degustauerat. Erat Mag. F. Chrystophorus de Ouando Morerolensis, acri ingenio, & viuido, nec iudicio inferiori, atque eloquentia longè præcellente, dudum in ea palestra exercitatus, quem suffragia poscebat, cum possent dare ingenti plausu, & communi acclamatione. Cæterum Petrus Discipulus Martini inter chariores, ad futura fidentior reputabatur. Magister Fr. Alphonsus Hurtado Mataplanensis, quasi annos duodecim Prædicatoris munus exercuisset, expositus suffragiis congregationis, & per ea admissus, in Prædicatorem generalem electus est; nulla maiori annorum discussione, quam quæ in Michaele Velcan præcessisset ante triennium.

VI. Magisterium, cum ne ipsius quidem potentia, conferendum, cui vellet, si daretur per suffragia Congregationis, speraret; in supenso reliquit: & Synodo soluta, per solos diffinitores collatum, dispensationibus ipsis, ne per Congregationem, cui competebat, sed per diffinitores, quibus denegabatur, eligeretur. Atque hæc & alia, cum suos

non

non haberet, pro quibus faceret, Michael pro Martinianis exequebatur; recenti gratitudine; siue vt alij volebant, proprio ingenio, non reputans imperium, cui violentiæ quidpiam admisceretur.

VII. Quæ in Melone cœpisset ante triennium ad Patrem instituta reformatio, occasum penè suum ortui coniunxit. Etenim quasi dudum euanuisset, extingui iussa, atque reduci ad communes Ordinis leges: seu verè languens, nocentior, quam vtilior; & quæ facilè in aliis toleramus, in his, quos reputamus sanctos, respuimus: seu experientia docuit, locum ipsum, atque eius circumstantias non congruere ad pristinum rigorem restituendum. Non tamen deerant, qui aliter coniicerent Ecclesiam aliàs pinguem, grauem, destinatam alicui, qui vitam reformatam aspernarentur: & qua facilitate ante triennium, vt iuueni daretur, suscepisset destinatam Hoiæ reformationem: eadem nunc ab illa desciuisse tradendam seni. Certè in hoc vltimo non nimium aberratum, demonstrauit euentus, quandiu, nec Sacra-mœnia permanere. Igitur illa sola relicta sunt primitiuo Cistercio representando: atque his datus Abbas, vir egregius, omni cum reuerentia nominandus Mag. Fr. Franciscus de Vibar, qui tamen breui extinctus, vt mox dicam ingentem luctum reliquit nostris & orbi.

VIII. Actum est de Collegiis sacræ Theologiæ quæ tempore lectiuo frugi habita; atque sanctè disposita, tempore vacationum, præ calore, & tenuitate fructuum, relaxabantur. Quippe dispersis per vicina cœnobia Monachis, dum Monachalibus disciplinis implicantur, & dum eunt, redeuntque, nihil minus agebant, quam Scholasticos. Vnde & quæ hyeme cum labore didicerant, dediscere in otio, dum ad alia attendunt in æstate compellebantur. Quancumque vagationem esse nociuam: sed & Collegia relinqui semiuacua; quod à grauitate omninò deuiabat. Decretum est, & sancitum publica lege, vt eadem Collegia aucta reditibus, (qui statim configuati) Monachos retinerent, quos sustentabant. Verùm hanc legem, vt alias huius anni, quantumuis sanctas, idem ipse, qui fecit, abrogauit.

IX. Matriti domus Alphonso Mandragonio, Monacho Spinæ, discipulo Martini, commissa est, qui ei Reformatori in socium datus, mox Petro Andradio, & Christophoro Martinez à secretis, Martinum ipsum Matriti permansurum, præ cæteris colebat, & affectu filiali prosequebatur. Decretumque, vt quæ hactenus caruissent debito effectu, litteræ Apostolicæ, de pensione Melonis, & sancti Claudij in reditus communes insumenda, exinde mandarentur executioni: inciperentque à cœnobio sanctæ Annæ, quod eorum tenori conformius esset. Verùm neque hoc decretum firmius fuit, vt inferius ostendam: Reformatore facili per omnia ad infringendas leges: neque aliquo obsistente aliis, ne sine fructu litigarent aliis, quia ita expedire iudicabant. Hæc in Capitulo.

X. Nec dissimilia, tranquilliorave, quæ ab ipso sequuta: nam Reformator successione rerum, euentuumque, non animum mutabat, sed materiam. Electo nuper per diffinitores in Ordinis Magistrum Fr. Philippo Henriquez Nucalensi; negata laurea; quasi irrita fuisset dispensatio circa electionis formam, adeoque electio ipsa sine valore. Sed verè vt dicebatur, quod Abbatem diuersum elegisset in sua domo, ab eo, quem optassent, qui imperabant. Mox Martini interuentu restituta, siue dolorem altius dissimulantis, siue alias via pacati, solum obtinuit, vt quam non leges nobis imperarent in publicum prodiret, sed nos legibus.

XI. Fine anni immatura morte præuentus, obiit Mag. Fr. Franciscus Biuarius Nucalensis, Abbas Sacrorum-mœnium, ex scriptis suis, sed præcipuè ex Flauio Dextro Commentario illustrato, sat orbi notus: relinquens absolutum Marcum Maximum, quem prope diem edendum speramus; opus æquè eruditum, eleganque, quo nullum aliud, hac nostra tempestate Hispaniæ illustrius prodiit, & vix prodibit. Reliquit & de veteri Monachatu, aliud maius adhuc, etsi absoluisset, vtrumque commentarium superaturum. Erat Franciscus ingenio prompto, & facili; extensiori nonnihil, quam profundiori; eloquentia affluente, continuaque; eruditione, maximè Ecclesiastica primus, vel inter primos nostræ ætatis, disciplina Monastica præcipuus indefesso labore, feruenti zelo, Magisterio ad regendas conscientias apto: nisi quod tamen diuinis reuelationibus, si quæ referebantur, facilius credere, & creditis tenacius adhærere, paruus in pulchra facie næuus fuit. Vixit annos ferme LIII. in sæculo XVIII. in Religione reliquos: in qua & præceptorem vt vocant artium, Theologiæque, & in Curia Romana Procuratorem generalem cum laude egit: mox Monasterio Monialium sanctæ Annæ apud Vallisoletum in sexu fragili primitiuum redden-

te Cistercij robur, à sacris Confessionibus: demum reformationibus Sacrorum mœnium,& Professor & Abbas. Hoc tandem anno vita functus est Matriti, (non longè à loco in quo natus fuerat) ingenti cum mœrore bonorum omnium.

XII. Hæc planè mors labantem alias vitam absteriorem in Sacris mœnibus, atque ab extincta in Melone reformatione, ab ipso exemplo ruinam minitantem velut impetu facto præcipitauit. Nam supra vires & robur huius ætatis, duo Abbates intra breue tempus extincti, Magister,& discipulus, Gregorius de Aranda, Franciscus Biuarius, neque ex Monachis pauci manifestabant. Alij labori penitus cedentes, atque de propria reuersi; & qui manebant, viribus iam fracti, neque pares labori, id ipsum dicebantur contestari: & prævalebat penitus hæc vox, cum facilè, exemplo debilium virginum ad sanctam Annam degentium, conuinci posset. His speciosa quædam alia addebant, quicumque diuisionem, atque intra idem corpus Religionis, diuersas leges, & diuersa exercitia reprobauerant. Illud compertum, à Francisci Biuarij morte, adhuc superstite Petro de Oliuares, adeo properè cuncta cecidisse, vt nihil penè in Capitulo statuendum relictum sit; sed mole sua pressam, oppressamve, seu sustinentium impatientia instabilem, fortè etiam voluntate Reformatoris, repente defeciisse vitam absteram ibidem agi cœptam; cum nondum annos nouem perseuerasset. Exemplo posteris, ne leuiter moueantur ad hæc aut alia inchoanda non permansura.

M. DC. XXXVI. XIII. Anno M DC. XXXVI. Reformatorem ex more visitantem in Valle-Ecclesiarum Febris inuasit, in qua vix euasurus creditus est, nisi qui eius salutem procurabant, genio hominis vsi, omnem vim morbi per artem elusissent Ferunt, cum premeretur graui lethargo, à quo nullis funiculis constrictus, nullis tormentis posset excitari; & aliàs vita eius, saluisque non alia via instauranda speraretur, suggessisse quorundam petitiones, quas vt negaret, quoties proponebantur, toties percitum zelo, quo plurimum pollebat, euigilasse: atque hac arte lethargum superatum, ipsumque restitutum saluti pristinæ. Occasione huius dilata Synodus vsque ad vltimam diem mensis Iunij, qua tandem congregata in Palaciolis, expedita negotia, quæ occurrerunt, nullo insigni euentu, quem sciamus: nisi quod quædam, quæ in Capitulo generali iussa fuissent, retractata leguntur in ipsis Actis, nulla omnino occurrente nouitate, ex qua posset præsumi ratihabitio; sed per merum abusum dominationis.

XIV. Obiere hoc anno duo viri Sanctissimi, Monachus, & Conuersus in propriis domibus: Hortæ Fr. Rodericus de la Cruz, post quinquaginta annos, plus minusve, in temporalibus ministeriis eiusdem domus, non minus sanctè exactos, quam fructuosè. Cum sæpius vacationem petiuisset, neque impetrasset, quippe sub cuius manu substantia Monasterij pollebat plurimum: tandem septuagenarius ante biennium quietè optata potitus, & soli Deo vacans, in senectute bona defunctus est, & sanctam vitam coronauit glorioſa morte. Multorum testimonio vulgatum est, è corpore defundi erupisse suauissimum odorem, qui multos post dies, in locis, in quibus corpus pausauit, vt in cella, & Capitulo, etsi quis alius fuit, perseuerauit. Quod, qui fœlici transitui affuerunt, Monachi graues, vsque hodie testificantur.

XV. In Valle-paradisi obiit Conuersus Fr. Lucas de Borsa eiusdem ferè ætatis, neque inæqualis zeli & Religionis: nisi quod ille, suæ tantum Ecclesiæ, cui semper inseruiuit; hic aliis etiam datus, multis per exempla virtutum vtilis fuit. Sacra-mœnia ab initio reformationis inter primos incoluit; neque deseruit, quandiu in eis permansit Cistercij vigor; vbi refriguit, ad propriã domum rediit, & in ea sibi fecit reformationem. Salmantinum Collegium pari exemplo, neque inæquali temporalium vtilitate pro status sui sphæra etiam adauxerat: demum hoc anno sanctè consumatur dignus profecto inter illustres viros nostræ Congregationis commemorari.

M. DC. XXXVII. XVI. Anno M. DC. XXXVII. currente Mense Martio, & suam Reformatore continuante visitationem, dum Moniales Iesuitas nimium zelat, aut se indiscretè zelantibu permittit XLV. præcepta in virtute obedientiæ illis imponit, quæ reliquas, (imò & eas ipsas, ad quarum petitionem posita sunt) dum supra modum grauant, atque in minimis etiam conscientias ligant; penè à Congregatione alienarunt cunctarum animos. Erant qui dicerent, ex quibusdam dicteriis Reformatoris, impotentia muliebri, percitas ira, grauiora alia in ipsum iactitasse: vnde erumpentem altius eius furorem, occasione arrepta, nulli grauamini omnino peperciisse, nulli rigori. Tentauere Moniales Regiam viam, appellantes ab eo diffinitorium. Sed cum ne ab illo quidem exaudirentur; noua interposita ad Sedis Apostolicæ Nuntium appellatione, à præceptis primum; deinde cum ab eis absoluerentur, etiam ab obedientia reclamarunt: quasi non obseruatis

condi

conditionibus, quas fundatrix iussisset, neque ipsæ ad obediendum teneri possent. Nouem iam anni hactenus transiere, & lis nondum decisa Romæ pendet, manutentis, in sua possessione Reformatoribus: sed iussis interim in duobus punctis supersedere; id est in electionum restrictione; & deputando Monacho, pro excipiendi illarum Confessionibus. Siue nullum indultum aduersus testamentum obtentum sit, cum impetrari iussum; siue amissum non potuit præsentari.

XVII. Eodem anno Synodus intermedia coacta est decima nona die mensis Aprilis, id est ante consuetam duodecimam; nulla, saltem quæ aliis innotuerit, occasione vrgẽte; sed animo inquieto Reformatoris, & propenso ad res nouas, quicquid inusitatum, facile fuit. In ea pleraque, quæ dudum præsumpsisset, in decreta Capituli, grata, & rata, habuerunt diffinitores; non parce, vt ante annum; sed larga manu, & sine vlla omnino, limitatione. Adrogata, (quod hactenus non visũ) Capitulo intermedio, aduersus generale, iurisdictione: Et quod admirationem magis auxit, retrotracta reuocatione legum, ad tempus primæ suæ promulgationis. Vt non solum deinceps non ligarent, sed neque antea ligauerint, & pro non latis reputandæ omnino forent. Appellationes, quæ multæ confluxissent ex diuersis Ecclesiis, misericordiam iustitiamve implorantium (nam in vtraque se læsos allegabant; pauci, quod essent, plures vt putarentur, quod in imperio turbido & præcipiti, facile se sperabant, consequi posse) ex mente Michaëlis cunctæ decisæ; qui resistebant, numero inferioribus, quamuis zelo præstarent: Annuentibus aliis, quasi timerent, neque quicquam auderent denegare.

XVIII. In hoc item Capitulo concessum, vt ex pecunia, quæ colligebatur, ex sancti Claudij, Meloniſque pensionibus, pro emendis reditibus, ad communes expensas Congregationis; ad octingentos aureos, plus minusve, in reparandis ædibus, quas vulgo Ordinis appellat Vallisoletum, insumi possent: petente Michaele Vallisoletano, quasi eo opere in natali solo aliquam sui memoriam relicturo. Neque Martinus cum posset, impediuit; siue eiusdem, pecuniæ liberum vsum introduci gauderet, quem ipse mox continuaret minori nota, si, vt optabat, in officio illi succederet: siue asserendæ successionis cupidus, à qua non dubitabat, si resisteret, facile posse impediri per Michaelem: non quia validum, suffragiorum numero, authoritateve: sed quia Martinus per legem incapax erat, cum nondum adhuc nouennium vacauisset: & impediendæ necessariæ dispensationi, quicumque obiret munus Reformatoris, facile videbatur suffecturus.

XIX. Visitatores septem Ecclesiarum Abbates Carraceti, & Saltus-noualis, Fr. Antonius de Vrueña, & Fr. Paulus de Arellano renuntiati sunt: & sperabantur, quod hactenus non visum, graues multorum querelas excepturi aduersus Michaelem, si non ipse inopia morte præuentus euasisset iudicium, vt dicemus; siue ad aliud tribunal appellasset longè tremendum.

XX. Vltimum omnium, cum se quemcumque vellet sine vlla resistentia subrogaturum, Martinus cognosceret, abdicabit officium diffinitoris, dubium qua causa; neque enim quid superesse videbatur agendum, vsque ad Capitulum, à quo alias nequaquam excusabat. In opinione omnium ea prævaluit, vt officium ad alium pertransiret, nulla propria iactura, quandiu suffragium semper retinebat; & aliàs qui pro eo subrogaretur, suffragia pro ipso; & ipse rursus in diffinitorem, cum nondum integrum triennium expleuisset, eligi posset. Quod à Valeriano de Epinosa, vt supra dixi, semel tantum, atque ex voto succedens. Pessimo omnino exemplo, sed nimium imitando cæteris fuit. Neque distulit Michael acceptare, quamuis essent qui arguerent, renuntiationem sine iusta causa, damnatam iure: Certus sibi si Martino obniteretur, nihil potentiæ; & aliàs fine triennij iam instante, quo magis se destituendum ab aliis omninò præsagiebat, eò sibi Martinum deuincire, quibus poterat mediis solicitabat. Frater Laurentius Baltanas suffectus est Carracetensis Monachus, atque olim eiusdem Ecclesiæ Abbas, nullis re vera internis dotibus degener, sed impeditus corpore, & qui vix muneri, præ imbecillitate suffecturus speraretur. Hæc & similia omitterem libenter, si non putarem documento futura posteris, æquè bona ac mala: illa vt probent qui legunt, & imitentur; hæc vt omninò fugiant, caueantque, ne ab alio scribantur, si quis fortè hos annales continuauerit.

XXI. Soluta Synodo, cum omnia sibi licere, ipsa experientia Reformator cognouisset, Mag. Fr. Placidum de Arbieto Superatensem virum doctrina insignem, & pietate post viginti annos continui Magisterij plus minusve, Compluto eliminat, nullo quæsito, obtentóve colore, nisi vt iunioribus aliis locum daret. Quod hactenus

non visum, ne in principio triennij, quanto minus in medio, aut circa finem, in posterum exemplo nociturum, creditum fuit. Quippe docentium crebra mutatione, nullus satis proiectus; nec coalita tempore authoritas eorum, qui amouentur, ad subrogandos valet deriuari.

XXII. Vallisoleti, occasione facultatis insumendæ pecuniæ in ædium, quas ordinis appellant, reparatione, noua habitacula erigenda à fundamentis, Reformator molitus pro octingentis aureis designatis, ad nouem millia & supra breue intra anni tempus ædificauit: opus amplum, & longè ac latè patens, & excipiendis hospitibus: verum non necessarium vt ferebatur, imo neque vtile: si pateat sæcularibus, prophanum, atque plenum incommodis: si solis Religiosis, vacuum futurum, aut vacuaturum Ecclesias Congregationis, quod longè debet deterius reputari.

XXIII. Interea vacans Abbatia Vallis-viridis, vulgò de Benauides, per mortem Fr. Simoniis de Sepulueda Mont-Sionensis Monachi, quam propria domus Abbatem semel & iterum & Congregatio habuisset visitatorem; cum inquam per illius mortem vacasset, longæ & prolixæ litis occasio fuit. Adnitente potenter Reformatore, vt vnus alius ex eadem domo Monte-Sion nimirum subrogaretur. E contra verò electoribus plaudentibus, Magistro Fr. Alphonso Hurtado Mataplanensi Concionatori Generali Ordinis, quam parum dignitati, vel etiam supra, vicinum loco, & sibi familiarem, Patrem item habere desiderabant. Quot & quantas procellas excitauerit, dum instaret electio non facilè quis facilè valeat expedire: nihil omninò omittente Michaele, quo ipsos flecteret: sed neque ipsis quicquam recusantibus aut agere, aut pati, ne à proposito dimouerentur. Illud compertum quem tot diffinitores, quem tot Abbates, quem vel ipse Martinus timuisset; à quinque vel sex Monachis (nam nec plures vocales in domo tenui) constanter spretum: & primo palam, dum se posse putarunt; mox vbi instare violentiam, si perstitissent, non leuibus indiciis cognouerunt, simulato consensu consequutos, vt Michaële deluso, Alphonsus in defuncti loco subrogaretur. Quod varie acceptum, alij irreuerentiæ, & in vltimo fraudis arguebant: zelo iustitiæ, atque constantiæ, quæ nulli passioni cedant deputabant. Neque accusabant dissimulationem à mendacio alienam, sine qua bonum, quod mente concepissent, perficere, aut non possent, aut vetarentur.

XXIV. Multum indignationis effusum est in electores simul electumque: quin ipsi flagitiorum aliorum rei, quæ hactenus latuissent. Electio nullitatis postulabatur. Nec deerant pro tempore rationes, aut quæsitæ, aut compositæ, quæ dum non solum factum in dubium reuocant, sed & authoribus supplicia comminantur; quantum eisdem timoris incutiebant, & demebant lætitiæ; tantum seu confusionis, seu mœroris in Michaële indicia releuabant. Et iam, dum huic potentia ratione (nam re vera innocuos exagitare publicè dicebatur) illis è contra ratio pro potentia in republica sancta, neque vllam manifestam violentiam tolerare, æquales fere vires ministrabat; inconcusso vtrinque, aut furore, aut tenore litigabatur. Cum ecce occulto, sed iusto Dei iudicio Reformator correptus acuta febre, neque minus maligna sententia se subtraxit simul & vita. Erant qui dicerent, quam non posset vindictam de aliis sumere, de se ipso sumpsisse: atque impatientem longæ dilationis morarumque quas lites habere solent, ardore animi occubuisse magis quam morbi. Nec dubium erat in homine feroci, & natura iracundo vires tracturum morbum ab his passionibus, queis segnis indulgere, seu quibus moderandis plurimum laboraret, & cruciaretur.

XXV. Obiit Vallisoleti natali solo, ætatis suæ anno LXVII. plus minusve: in vltimo pacatior, quam vixisset, nec quidpiam aliud, quam salutem æternum curans, pro qua, quantum humano iudicio dignosci valuit, nihil omnino omisit, quod posset facere. Animus illi, qualem Acta eius describunt; statura mediocris, & nonnihil proximior proceriori; gracilis facies, & in summo lata, in imo sublonga; canities vtrobique veneranda, sonora vox, conuersatio plerumque hilaris, nec destituta salibus: & si ludicris seria respondisset, inter meliores potuisset numerari. Funus ad Palaciola deductum, vbi cum aliis ipsius antecessoribus, qui in officio obiere sepultus manet.

XXVI. Eodem anno ad superos migrarunt insignes viri Fr. Andreas de Corduua in Valle-paradisi, cunctis muneribus Congregationis infra generalatum cum laude functus. Integritate morum nulli secundus, habitu corporis innataque modestia vel in exteris primus, aut inter primos; nec degener prudentia consilioque: nisi quod tamen qui imperitabant, facilem ad quæcumque vellent experiebantur. In Nucalibus pariter decessit Fr. Bernardus Villalpando, qui quondam Fiteriensis Abbatis iussu, pro eruendis antiquis monumentis familiæ Cistercienſis, vniuersam Hispaniam, & magnam partem Galliæ peragrauerat: vir indefessi laboris, studiique sed colligendis aptior, quam disponendis; & qui cum multa inceperit, nihil tamen perfectum nobis reliquit.

LXXXVII.

PETRVS XALON REFORM. XXXV.

I. Michaële defuncto sub finem anni M. DC. XXXVII pro eligendo, qui ei subrogaretur in residuum triennij, cœtus indicitur in secundam diem mensis Ianuarij anni M.DC.XXXVIII. in Palaciolis ex more celebranda. Eadem porro conuenere Capitulares, tribus exceptis, Fr. Angelo Manrique Reformatore emerito, Fr. Froylano de Vrosa, & Fr. Didaco Gonzales diffinitoribus: è quibus primi, Magistro Fr. Alphonso Perez vices suas; vltimus Fr. Martino Gutierrez delegauerũt. Non erat facilè ad quatuor tantum menses idoneum inuenire Reformatorẽ. Impares quippe neque ad vnum diem: pares eligere incongruum videbatur; cum ex præscripto legum semel electus, inhabilis ad nouenniũ efficeretur. Nec videbatur quadrimestri inutili, triennio vtili, cuiusuis magni viri, vniuersam fraudare Congregationem. Hæc palam in maiores, dignioresque sed Martinum potentẽ suffragiorũ, successionis cupido solicitabat: quam legibus prohibitam, & in ipso ob inclitam potentiam multis inuisam, & periculosiorẽ, à quocumque improbandam; etsi rerum vel ad horam potiretur, etiam impediendã suspicabatur. Multi ab eo ex minoribus proposiți; non vt eligeretur; sed vt plures in eis, repulsas passus, tædio negandi, quem vellet obtineret. Itaque tandem vltimum proposuit Petrum Xalonium Nucalensem diffinitorẽ, virum pacificum, mitem, paccatumq; de quo nihil siniștrum, certè nihil violentũ timeri posset. Hunc, siue vt aliquis esset, quẽ non repellerent seu quia Martino coniunctũ affinitatibus, quanuis repellerẽt, timuere prȩqualiturum; elegere cõformes: pauci quia vellent; plures, quia velle Martinũ non dubitabant; reliqui, ne se solos noluisse, atque vnionem turbasse, maximè sine fructu notari possent. M. DC. XXXVII.

II. Reformatori in diffinitione subrogatur Mag Fr. Philippus Henriquez Nucalensis, & ipse, quem à Capitulo generali antecedenti Magisterij licentia donatum; mox Michaële irato ab eo impeditum; sed tandem interuentu Martini potitum laurea anno M. DC. XXXV. commemorauimus; nec quicquam aliud gestum in hoc cœtu; instante iam Capitulo generali, aut si quæ alia Martinus disponebat, occulto mansuris, ne anticipata notitia præpedirentur.

III. Decessit interim Abbas Montisionensis Laurentius Alarconius, pro quo F. Martinus Garcias subrogatus senex & impeditus, sed quo impotẽte Capitulum adire, Prior quem elegisset, pro ipso in Præsidentia sufficeretur. Itaq; Fr. Thomam de Nieua Montisionensem, tunc Compluti docentem sacram Theologiam Priorẽ instituit, Reformatoris, Martinique consilio, an ardore assentandi, quia Thomas Martini consanguineus, vtriusque conterraneus, atque vtrique percharus habebatur. Certè non sine scandalo multorum, qui talem hominem assumptum in Abbatem, cui prius de substituto, quam de officio prouideri deberet, nec planè sine causa submurmurabant. Sed multo magis, ad eam subrogationem, id est ad præsidendum Congregationi, Thomã electum, ætate iuuenem, inexpertum rerum, impeditum officio, nempe lectura; & in quo, etsi ingenio alias polleret, tamen ad illud munus capessendũ, solus Martini fauor obtendi poterat.

IV. Mense Aprili decessit F. Didacus Gonzalez Sant-Prudentianus in Monasterio Saltus-noualis, vbi quartana Febri ab aliquot diebus afflictabatur. Inde occasio Congregandi diffinitores, vt pro eo subrogarent, nam & ipse diffinitor erat, quẽ aptiorem, dignioremve putarent. Non quod electio lege præscripta esset: quippe tres intra menses ante Capitulum, vel si vacent Abbates, aliorum subrogatio, relinquitur arbitrio Refomatoris. Sed siue placuit obtendere electionem ad alia pertractanda; siue etiam peragendis quæ tractarentur, & Martinus parabat, noua sẽper suffragia quærenda forent. Nec dubium erat, quencumque ipse eligeret, (nam poterat quem vellet) adeo recenti beneficio obstrictum, ipsius obsequio permansurum. Fr. Isidor. Salgado electus est Monachus Monasterij Saltus-noualis, qui Theologiam Salmanticæ docebat: electus aut in fine mensis Aprilis. Inde dicterium. Mutata repente omnia; & sub Reformatore quadrimestri, electos quatriduanos diffinitores.

V. Tunc primum quod conceperat Martinus soli Reformatori; ille diffinitoribus statim velut à se prodiret, propalauit. Esse in Congregatione multos dignos, sed paucos, qui placeant; dum in aliis clementia, in aliis rigor, in his prudentia vtriusque moderatrix, Monachalis simplicitas in illis, demum in aliis alia desiderantur. Aspernari imperium qui pares sunt, auidos eo ipso suspectos fore. Nondum probatos temere assumi, neque firmo iudicio; sed coniecturis, quæ plerumque decipiant: illis solis deferri supremum locum sine periculo, quos experientia idoneos comprobauit. Porrò

ex his,plures impeditos legibus; illa præcipuè, qua Reformatoribus indicitur vacatio per nouennium; quod tempus, quotusquisque erit, qui superuiuat. Consultius multo prouisum ab antiquis,quibus vel ad triennium vacauisse semel functos officio,pro magno fuit. Cupidine ambientium introductum, quod vacatio ad sexennium prorogaretur, idque fortè reuocari posset, iuramento firmatum, quasi non aliter diutius permansurum. Nempe vt probatis, penitus exclusis, probandi succederent; atque ex ipsa digniorum exclusione ad minus dignos pertransiret. Eandem cupidinem nouissimè inuentum nouennium:quid ni,vt latius patente impedimento, etiam indigni veniant assumendi?Esto,maneat sexennium,quia medium antiquum, quia iuratum: cui nihil horum suffragari potest,repellatur nouennium: aut si id ab eo cætu fieri nequit, saltem quod potest,dispenset in eius lege; monumento ad Capitulum futurum,& iam tunc instans, vt consultet de illius abrogatione.

VI. Censere omnes, Martinũ his verbis peti,qui sexennio iam vacans,& siue nulli satis, seu longè sibi magis quam aliis fidens, iterum in Reformatorem eligi vellet. Et effusi in obsequium, paucis exceptis, dispensationem, velut è re publica, nec solum vtilem, & necessariam; nouis causis inuentis proclamarunt. Creditum est, fuisse qui proferret, subtrahendam Capitulo electionem; & ab eis præueniendam, quandiu id æquè per dispensationem fieri posset:quod serio ne,an illudens pronuntiauerit,variè, qui audierunt fabulabantur. Concessa dispensatio in libro Ordinis statim scribi iussa, atque muniri cunctorum subscriptionibus. Tum vero ipse, velut gratiam reputans, sed qua non indiguisset, litteras Pontificias deprompsit sinu, ad instantiam defuncti Reformatoris,vt continebant, expeditas post eius mortem,quibus lex nouennalis vacaturæ reuocabatur. Se nihil aliud petiturum ab ea Synodo,nisi harum litterarum acceptationem; nec quia sibi vtilium,quod non curabat; sed quia re vera expedientium publico bono.Eligant postea Patres quem maluerint: neque enim huius, aut illius admissio infert cuiusuis alterius expulsionem. Pro libertate se Congregationis, non pro sua vtilitate illud exposcere;qui vel electus cedet,si ipsi placeat. Verba Martini communis omnium plausus,& gratiarum actiones sequuta sunt,velut eorum consilia præueniisset: & quod ipsi volebant, & effecerant, dubitantes an possent; ipse firmum & ratum adduxisset, vnde non posset potestas dubitari. Sed neque ad acceptandas eas litteras generale Capitulum requiri sufficere priuatum, siue intermedium, quale omnino esset illud,quod celebrabant.Nihil per legem reseruatum diffinitorio,cui Reformator præsidet; quare ab eo acceptari litteras illas, nomine suo & totius Congregationis. In hanc sententiam pro maiori parte discessum est, atque acceptatio scripta, subscriptaque,ne vnquam posset de illa dubitari.

VII. Transitum deinde ad electionem Vallis viridis, adhuc in suspenso,& electores sententiam spectabant. Ea pro electione lata est,atque ipsi absoluti: quod aliqui iustitiæ zelo factum,alij timore,Capitulum generale peruenit processus. Demum alij placandis multorum animis, qui pro reis zelabant, atque inuidia defuncti, Martino conciliandis submurmurabant.

VIII. Die tertia soluta Synodus est:& diffinitoribus Vallisoleti remanentibus,(nam ibi congregati) Reformator Palatiola repetiuit, sequenti eadem pro more relicturus. Diuinis interim, qui afforis adstabant, & quibusdam Martinum acclamantibus, siue quia vellent,siue quia velle se videri cuperent:aliis è contra in ipsum adnitentibus,nec pro aliquo certo,sed pro quocumque,modo ipse non esset:quod sub Præside graui doctoque Palentino Episcopo,quem rumor erat Capitulo affuturum missum à Rege; ne inutilis venisse videri posset,facilè se obtenturos arbitrabantur.

IX. Sequenti die Reformatore egresso Palaciola, Prior Montisionensis Thomas de Nieua, mox Palentinus Præsul, qui sperabatur, quamuis adhuc sub dubio,Dominus Christophorus Cuzmanius domum ingressi, alter alterius aduentum excusarunt. Nam neque Thomas de Nieua quantumuis iuuenis sub Præsule grauissimo immaturus; nec Præsul ipse superfluus videri potuit,vbi tot senes,prouecti viri,sanctique congregati sub iuuene, Præsidem maturiorem desiderabant. Erant qui dicerent hoc titulo petitum,atque indultum à Rege,quamuis nondum constaret quis petierit:quasi Pontificali authoritate, si quæ in Thoma erant experientiæ,siue ætatis defectus compensaturum.

X. Quinta die, congregatis Capitularibus,atque aliis præmissis,Episcopus patentes clausasque tunc Regis litteras,tum Legati Apostolici ostendit; id solum præcipientes, vt assisteret,amoueret violentias, si quæ instarent, & leges faceret reuerenter obseruari

seruari. Admissæ illæ sine vlla cunctatione: nam qui petierant, resilire nequaquam poterant: reliquis dum plus aliquid timebant, atque Martinum excludendum arbitrabantur, quidquid infra veniebat pergratum fuit. Dubitatum est, an præsidente Episcopo, cessaret Præsidentia Thomæ de Nieua? atque statim decisum per exemplaria: Præfuturum vtrumque, sed cum ordine, vt neque Episcopus Thomæ derogaret: quominus solita munia exequeretur: nec Thomas ideo ab Episcopi immunis iurisdictione, in his præcipuæ, quæ litteræ iubebant, censendus fore.

XI. Processum inde ad electiones officiorum: & ante omnia dubitatum est, an Martinus, qui triennio antecedenti diffinitorem egerat, sed in fine triennij renuntiauerat, tunc in diffinitorem eligi posset. Non enim expleuisse triennium integrum, quod vt excluderetur, requirebatur. Ex alia parte fieri fraudē legi, & vim eius eludi, si vel vnius mensis renuntiatione prorogatio ad triennium libera maneat. Perpetuandos potentes in his officiis parua aut nulla iactura: cui vni malo voluisset lex obuiare. Diffinitorum officia, functionesque, vel tunc cum expirabant in Capitulis, iterari nullatenus potuisse: quanto minus quando ad cætus intermedios, atque omnia incidentia se extendunt?

XII. Hæc & similia, nam multa allegabantur inclinabant Pontificem, vt in Martinum sententiam pronuntiaret: maximè cum persuasum satis haberet si semel pelleretur ab eo munere, neque in Reformatorem eligi posse. Et optabat, re vera quencumq; alium, non Martino infensus, quem nunquam viderat, & tunc sibi placuisse vltrò iactabat: sed ne ad illius potentiam infringendam petitus, & missus, nihil omnino egisse videri posset. Placuit quem loco proximum habebat consulere Angelum, qui in neutram hactenus partem inclinauisset; siue quo minus talibus intento, eò magis fidendum illi putaret; siue Martino infensum præsumebat, eoque si sententiam pronuntiaret, nunquam, nisi contrariam pronuntiaturum. Tum verò Angelus, si res integra foret, & neutri parti faueret consuetudo, aut dubiè crederem Martinum repellendum, maximè antiqua lege prohibente, diffinitorium immediatè repeti, cui non video recentes derogare. Verum, cum pro ipso consuetudo faciat, electo nuper Valeriano de Espinosa, simili præcedente renuntiatione, quomodo repellatur, non video. Nam nullus actus in contrarium est: & licet ad præscribendum contra legem, plures, requirantur: at ad interpretandum, vnum sufficere, si nihil aliud obstet, compertum habeo: Admissus ad suffragia Martinus est, & processum statim ad electiones, nemine reclamante, quippe qui resistebant, solo zelo, non liuore, aut inuidia mouebantur.

XIII. Tunc scrutatoribus, secretarioque ex more electis, diffinitores nunciati sunt Angelus Manrique; & Martinus Gutierrez; nec plures illa die, quod in occasum sole iam vergente, non videretur vlterius procedendum. Sequenti, Missa solemniter cantata atque habita concione iuxta consuetum, numerū compleuere Fr. Bartholomæus Gomez Vallis-paradisi, Fr. Alphonsus Guerreno Vallis-bonæ, Fr. Paulus de Arellano saltus-noualis, & Fr. Antonius de Vrueña Carracetensis. Tum in visitatores renuntiantur Fr. Vincentius Aparicio, & Fr. Isidorus de la Cuesta, ex Nucalibus ille, hic ex Superato, quos omnes quia peiores timebantur, plausus communis excepit Congregationis.

LXXXVIII.

MAG. MARTINVS GVTIERREZ II. REFORM. XXXVI.

I. Ventum deinde ad electionem Reformatoris: & dubitatum denuò de Martino, an ad eam dignitatem eligi possit? Namque lege nouennij prohibebatur; neque adhuc palam erant Congregationi, si quæ fortè amouebant illud obstaculum. Martinus primo dispensatione se tueri: quæ vel à solo indulta Reformatore, ne dū ab vniuerso diffinitorio legitimè sub ipso cōgregato, valorē obtineret, quod legibus productis cōprobabat.

II. Mox cum hæc insufficiens censeretur, ad Apostolicas litteras confugit: & legem illam, nouissima alia lege Vrbani Papæ VIII. reuocatam, ipso diplomate ostenso, contestabatur. Reuocationem, non ad ipsius instantiam, cui intererat, & cui fortè impetrare, lege prohibitum. Sed ad Reformatoris, qui obiisset, petitionem indultam cui talia petere, leges permittebant, dum non negabant. Quin iam admissam à Capitulo intermedio (de quo, potuisse petere, quis ambigat?) firmiorem inueniri: ratihabitione omnino retrotracta, quam non est dubium mandato comparari.

III. Res ardua nimis multis visa est, & quæ vix posset ibidem terminari: quippe iudicibus per legem designatis diffinitoribus; nec comperto adhuc quibus, recens electis, an his, qui expirauissent? illis, ante electionem noui Reformatoris, nihil potentiæ:

tiæ: sed neque his dudum functis officio suo, etsi ad Congregationem remitti placeat; neque hanc acephalam, sine Reformatore, Congregationem esse, quæ valeat, supplicare, siue admittere Conuentum est, vt Palentinus Præsul, adiunctis sibi vtrisque diffinitoribus, præteritis nimirum, atque futuris, ex bono & æquo inquirant, & deliberent, primum de litteris ipsis Apostolicis, an vicio aliquo obreptionis, aut subreptionis, vel simili laborent? Mox, an quantum ad earum acceptationem, supplicationemve, subituræ essent examen Congregationis. Demum, an id examen subire debeant, si subeundum sit, ante vel post celebratam electionem? & quidem si ante illam celebratam admittendæ venirent, compertum erat, quibus suffragiis eligendus Martinus foret, eisdem etiam admittendas litteras esse. In primo & tertio plura grauiaque, nec facilè expedienda dubia proponebantur: sed declarata in fauorem Martini cuncta, & quod mireris, Angelo agente; siue ita sentiret, seu fatali pro ipso velut impulsu, quem aliqui constantiam, alij vecordiam, neutri re vera ex ratione nominabant. Etenim ille, cum de his argueretur, hoc vnum se prouidisse testatus est, ne Martinus suffragiorum omnino potens, etiam si excluderetur, Michaelem alterum in sede collocaret: nec facilè inter eos inueniebatur, quos foret electurus, à quo non plus, quam ab ipso timendum foret.

IV. Vtcumque fuerit, approbatæ litteræ, atque acceptatæ à maiori parte Capituli; dein Martinus electus secundo est, ab Athanasio Morante Nucalensi, per quinquaginta annos plus minusve, non alias eam dignitatem repetiuisset. Sed ô! sortem humanam omninò cæcam! incertam omnino. Quod singularis in eo fælicitatis, multi inuidebant, quidam gratulabantur, stupebant omnes; singularis, vt non dicam miseriæ, at infælicitatis, atque multarum & grauium ærumnarum occasio fuit. Quippe potentia inuisa, quia longæua, instabili, quia summa; & quia violenta, nunquam permansura; ab intimis ipsius orta impatientia (neque enim zelum dicam, & non audeo appellare coniurationem) tot ærumnas, tot mala passus est, vt ingruentium, & superingruentium mole oppressus, sola morte potuerit eique acerba satis, & satis miseranda liberari. Fœlix, si quæ peccauit, his pœnis luit: sed fœlicior si tulit, cum non peccauerit. Illud compertum pro Deo patienter latis, oblatisque in eorum satisfactionem, quascumque pœnas potuisse compensare & Martinus, vt dominandi auidus, in quo forsan excessit; at à cæteris vitiis, quantum homines noscunt, immunis fuit.

V. Pro ipso in diffinitorem subrogatur Magister Fr. Athanasius Cucho, eximij zeli Monachus, & qui doctrina non minus præcellebat. Quam electionem, annuente Martino factam, vt se à priuatis affectibus purgatum ostentaret vtcunque, quidam multum laudabant, & mirabantur; alij, velut inanem irridebant: quippe vel Athanasio subrogato, ad quæcumque voluisset certus erat, maiorem suffragiorum partem non defuturam. Sed hinc ego, quæ reliqua euenerunt, tam in Capitulo, quam in toto triennio, sequentique, sub cuius tandem finem Martinus obiit, scribenda relinquo meliori calamo; acerba pleraque; sed lætis etiam mixta, quæ alternis documentis prodesse possint, quod magis scriptores decet, quam si delectent.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM,

Quæ in hoc Quarto Tomo Annalium Ciſtercienſium continentur.

A

ALBARRAZINVS, Aragonenſium vrbs, à Iacobo Rege obſeſſa, cito ab obſidione liberatur. An. 1210. cap. 7. num. 7.

Abbas Alcobaciæ, Perſe Arroucæ Cœnobium viſitari, à ſummo Pontifice petit, & impetrat. anno 1222. c.9.n. 10.

Abbas Altæ Cumbæ, pro componendis Franciæ, & Angliæ Regibus, ad eoſdem legatus à Gregorio. 9. mittitur. anno 1235. cap. 4. num. 10.

Abbas Altæ Ripæ, inſtituitur reformator Monaſterij S. Benedicti Lingonenſis. an. 1232. c. 6.num.2.

Abbas Altæ Syluæ, in cauſa Primiceriatus Tullenſis iudex datus, vna cum Bellopratenſi.an. 1216.c. 3. n. 2. & 3.

Abbas, S. Anaſtaſij, fert cenſuras in Clericos & Mariæ de Otbitello, ſibi ſubditos.an. 1230.c. 6.n. 12.

Ipſos per Cardinalem S. Prudentianæ ad eārum obſeruationem compellit. ib.

Prioratum S. Mariæ de Palatiolis prope vrbem, informandum Ciſtercio ſuſcipit. an. 1231 c.7.n.7.& 8.

Eundem in Abbatiam erigit.n.9.

Vide Iacobus de Patientia.

Abbas Andræouienſis, iudex delegatus in cauſa Henrici Barbati, & filij Odonis Ducis an. 1218.c.9.n.13.

Abbas S. Auguſtini. vide Abbas S Ricarij.

Abbas Bellæ Branchæ, iubetur ab Honorio. 3. vitare Monaſterium S. Petri de Burgolio an. 1218.c.8.n.4.

Abbas Belliloci, à Ioanne, Rege Angliæ, ad Innocentium 3. legatus mittitur an. 1213. c. 4. num. 1.

Pro Rege cum Pontifice paciſcitur. n. 4. & 5.

Contra Stephanum Cantuarienſem diſputat. num. 7.

Innocentij ad legatos literas impetrat, pro abſolutione Regis, & Stephani reſtitutione.n 8.& ſequentibus.

Romam ad Concilium generale ſecundo mittitur an 1215.c.5.n.10.

Accuſat Stephanum Cantuarienſem. ibid.

Suſpenſionis ſententiam, contra eumdē latam, per Pontificem confirmari impetrat.n. 11.

Cœnobium S. Benedicti Lingonenſis reformare iubetur an 1232. c.6.n.2.

Abbas Belliprati, in Officialem Tullenſem iudex datus. an. 1221. c. 8. n. 1. Vide Abbas Altæ Syluæ.

Abbas S. Benigni Diuionenſis, præficitur cum aliis electioni Archiepiſcopi Biſuntini an. 1228.c.7.n.1.

Paſtor Eccleſiæ Biſuntinæ eligitur. n.2.

Sed caſſata electio per Guidonem Morimundenſem. n. 3.

Abbas Bethaniæ, Eccleſiæ Luxouienſi iudex datur an.1232.c.6.n.3.

Abbas Bleſenſis, pro componendis Galliæ Rege, & Pariſienſi Epiſcopo, diſcordantibus, ad eoſdem legatus mittitur. anno 1222. cap. 8. num. 4.

Abbas Bocheti, duobus aliis illi adiunctis, Biuarienſem Eccleſiam viſitare, & reformare iubetur.an. 1220. c.7.n.4.

Abbas Bochienſis, de flagitiis Varadienſis Epiſcopi inquirere iubetur.an. 1218 c.9.n.12.

Abbas Bodeloenſis, à Claræ-Vallenſi mandata ſuſcipit, vt Moniales de Nouo-Voſco ad BiloKam tranſmittat.an. 1226.c.9.n.7.

Abbas Bolbonæ, teſtamentum Monfortij Comitis cuſtodiendum, aut, ſi in prælio decedat, confirmandum accipit.an.1213.c.7.n.12.

Abbas Bonifontis, iubetur inquirere de vita & miraculis S.Bertrandi.an.1220.c.1.n.9.

Et de criminibus Epiſcopi Laſcurrenſis. anno 1221.c.8.n. 5.

Abbas Boniradij, vna cum Abbate Caloceij, inquirere præcipitur de vita, & miraculis S. Guillelmi Archiepiſcopi Bituricenſis. an. 1217. c.1.n.2.

Immenſam ſegetem inuentam remittit Honorio. num. 7.

Abbas Boxeleiæ, vna cum Abbate Pontis Roberti, legatus Henrici, Regis Angliæ ad Honorium.an. 1235.c.4.n.10.& 11.

Cauſa legationis ibid.

Abbas Brumbacenſis, Incluſam Virginem ſuſcipit gubernandam.an. 1216.c.7.n.8.

Eandem à deſperatione liberat n.9.& 10.

Abbas Buchenſis, iudex delegatus à Gregorio 9. ſuper abſolutione quorumdam ſuſpectorum de hæreſi. an. 1235. c.3.n.1.& ſeqq.

Abbas Bullencuriæ, ne conuerſæ recipiantur in quadam grangia, Monaſterio vicina, impetrat à Gregorio 9. an. 1234.c. 2.n.10.

Index Rerum.

Abbas de Burgomedio, Legatus Honorij 3. ad Galliæ Regem missus. an. 1218. c.2.num.1.& seqq.
Plura ab eodem Rege obtinuisse Summo Pontifici creditur,n.11.
Non tamen Castri Soliacensis restitutionem ibid.
Iterum ad eumdem Regem legatus mittitur, ibid.
Abbas Caladienſis, quædam nigri Ordinis Monasteria visitare ab Honorio iubetur. anno 1222.c.8.n.7.
Abbas Caloccij,Vide, *Abbas Bonifradij*.
Abbas Campenſis, à Comitissa Geldriæ, partus difficultate laborante,vocatur. an. 1226.c. 1. num. 5.
Euassisse ipsam mortis periculum S.Engelberti precibus,cognoscit, ib.
Abbas Carolilocí, reformationi Cœnobij Corbeiensis præficitur.an.1216.c.5.n.11.
Et causæ Episcopi, & ciuitatis Suessionensis. an.1218 ci8.n.4.
Abbas Caſa Dei,vna cum Abbate Pontis Alti,pro intimandis Auritano Præsuli Honorij mandatis ab eodem eligitur.an.1217.c.8.n.3.
Abbas Caſamarij,Cœnobium S.Dominici de Sora informandum Cistercio suscipit. an. 1222. c.5.n.1.
Semel & iterum ad Fridericum Imperatorem legatus ab Honorio Papa mittitur.an.1231. c.1.n.3.& 7.
Honorifice ab Imperatore suscipitur.n.4.
Eiusdem dolosum responsum Honorio detegit, ibid. & Fridericum Ecclesiæ reconciliat,n.9.
Sifridus, Archiepiscopus Moguntinus, cœnobij S. Catheriuæ fundationem approbat, confirmatque. an. 1219. c. 7. n. 6 & 7.
Et plura alia, à Pontificibus indulta Cistercienſibus. n. 7.
Præscribit item quædam pro Monialibus, & conuersis ad habitum admittendis, atque pro eligendis Abbatibus. n. 8.
Et nonnulla alia circa obedientiam. n. 9.
De qua, & aliis aliqua notata. n. 10.
De vita, & miraculis S. Elisabethæ Hungaricæ inquirere iubetur. an. 1231. cap. 3. numero 9.
Remittit à se inuenta Gregorio IX. n. 8.
Principatum Imperialem Domus Lauriſenſis petit & impetrat. an. 1232. c. 4. n. 2. & 3.
Monachos callide induxisse, vt Monasterium suum vniri Ecclesiæ Moguntinæ postularent, dicitur. n. 4.
Quod & obtinuit. n. 6.
Eandem informandam Cistercio domum, satagit. n. 7. & 8.
Et introduci Cistercienses expulsis Nigris Monachis. n. 9.
Ad quod Gregorij IX. assensum impetrat. n. 7. & 8.
Quod impetrat etiam à Summo Pontifice confirmari. n. 10. & 11.
Expectato interim Capituli Cistercij generalis assensu. ibid.
Pulsos per violentiam Cistercienses iterum introducit. n. 12.
Vide *Laurissa*.
A Monasterio Reinsborn summam quandam pœcuniæ extorquet. an. 1234. c. 4. n. 2.
Abbatem recusantem graui subiicit culpæ. ib.
Ob id percussus à Cõrado Lãtgrauio fertur. ib.
Sigerus, Frater Hugonis de Gandauo, donationi Mathildi, Dominæ Teneremondæ, subscribit. an. 1223. c. 6. n. 9.
Sigerus, Prior Claræ-Vallis, caput Ioannis Monachi, sicut flamma, in choro coruscare visum, audit, & quid tunc ille meditaretur. an. 1222. c. 12. n. 2.

Camberonensis Abbas eligitur,remissiuè.ibid.
Sigerus Sacerdos, Crucis prædicationem ambit. an.1217.c.3.n.11.
A Bernardo Heisterbachensi, gemma eidem diuersi coloris oblata,quasi emere tentat.ib.
Sed absque vlla accipit commutatione. ibid.
Sermone à Bernardo ad populum habito, ipse repente corruit. ibid.
Et comperitur à Dæmone obsessus. ibid.
Cruce signatur à Bernardo,& adducitur in Ecclesiam. ibid.
Blasphemat in Deum, & Crucem signatorem. ibidem.
Ligatus, curruique impositus, ad eius notes deportatur. ibid.
Et quinta die à Dæmone extinguitur. ibid.
Sigillum Abbatis,& Conuentus, vnicum olim in Cistercio erat pro scripturis, & contractibus. an.1234.c.2.n.4.& 5.
Quod fidem facere statuit Gregorius IX. aduersas quorundam litigantium malitiam.ib.
Siluanectensis Episcopus. Vide e contra.
Siluanus Rieuallensis Monachus, doctrina,& pietate illustris. an.1231.c.6.n.1.& 2.
Accipit litteras à Gregorio IX. pro reformando Clero Angliæ quoad residentiam Ecclesiarum. ibid.
Simon, Abbas Claromarisconsis, iudex datus ab Honorio III. Ambianensi Episcopo, atque Abbati S.Ricarij. an. 1219. c.6. n.5.
Simon Fusniacensis Prior(postea Abbas) visitationi Abbatiarum, quæ Claræ-Valli subditæ per vtramque Germaniam visitat. an. 1218. c.6. num.8.
Secum ducit Simonem Alnensem, & prophetiæ dono ipsum gaudere cognoscit. ibid.
Simon conuersus Alnensis,ad Concilium Lateranense vocatur ab Innocentio III. an.1215.c.4. num.7.& 8.
Notario cuidam,ad eum venienti, peccata hactenus inconfessa, pandit. ibid.
Ab eodem celebratur. n.8.
A Pontifice, & Cardinalibus probatur,& approbatur. n.8.
Conuersi,spiritum eius condemnantis,interiores actus videt,& prodit. n.9.
Dæmonem,B.Lutgardis iussu sibi apparentem videt. an. 1216.c.4.n.9.
Aquiriam venit. ibid.
Et cum eadem Lutgarde illusorem Dæmonem fugat. n.10.
Et illusæ fœminæ ingentem vterque gratiam impetrat. n.11.
Simonem, Priorem Fusniaci, per Germaniam visitantem comitatur. an. 1218.c.6.n.8.
Quædam, indecentia corrigi, cuidam seniori Heisterbachensi propheticè indicat. ibid.
Et omnes Moniales cuiusdam cœnobij esse in peccato. ibid.
Pandit Mathildi de Sunthusen cordis cogitationes. n.9.
Et Nuntiis Colonienssibus, quæ sibi in suæ Legationis negotio Romæ euentura.an.1221. c.7.n.13.
A quodam Senatore ob flagitium sibi manifestatum procuratur occidi. an. 1229. c.6. num.1.
Diuinitus ereptus, eundem ad pœnitentiam trahit. ibid.
Sicut, & quendam militem, sibi mortem ob eandem causam machinantem. n.2.
Bis Romam adiisse fertur. n.3.
Et ad sacros Ordines promoueri, inuitatus à Papa detrectasse. ibid.
Sed amisisse, quosuis posse pœnitentes cuilibet absoluendos committere Sacerdoti. ibidem.
Vocat ad pœnitentiam duos Cardinales Nepotes,ætate, simul ac potentia lasciuientes. num.4.
Creditur futuram prædixisse Ecclesiæ perturbationem ab Imperatore Friderico. ibid.
Scientiæ etiam dono illustratur diuinitus. num.5.
Theologos Parisienses;de ineffabili S.Triados mysterio disputantes, audit,interrogatque. ibidem.
Difficilis cuiusdam argumenti solutionem apud Augustinum inueniendam, locum determinando,docet eosdem. ibid.
In difficillimis hinc difficultatibus ab illis consulitur. ibid.
Quandam enodans Sacerdoti difficultatem eundem ad Religionem vocat. ibid.
Eius miranda pœnitentia. n.6.
Videt in somnis, lectum, cui incumbebat, à quatuor venerandis viris leuari in cœlum: ibidem.
Suam mortem diuinitus prænoscit. ibid.
Ad quam totus orationi,pœnitentiæque deditus præparat se. ibid.& n.7.
ad mortem apud Viculum quendam ægrotat. num.P.
Ipsius iussu in Alnam inde defertur. ibid.
Et post Sacramentorum susceptionem ad Dominum migrat. n.9.
Præeuntibus reuelationibus subsequentibusque. n.8.& 9.
Vni ex Fratibus flentibus glorioſum se ostendit, & à planctu cessari præcipit. n.9.
In Cæmererio sepultus primo. ibid.
Dein ad sepulchrum VVerrici Prioris, & cuiusdam Sancti Nouitij translatus creditur. ibidem.
Inuocatus, salutem confert paralityco. numero 10.
Et multis aliis claret miraculis. n.11.
Vnde inter illustres sanctitate Cistercij viros, connumeratur. ibid.
Eius corpus venerationi publicæ infestis Ecclesiæ maioribus exponitur. ibid.
Dubium de eius ætate. n.12.
Simon Cornelius,Iacobo Regi assistit in Abarrazini obsidione. an. 1210.c.7.n.7.
Eundem cum aliis ludificat. ibid.
Et cum regni Proceribus nuptias Eleonoræ, Castellæ Regis filiæ, conciliat eidem. anno 1221.c.1.n.6.
Ipsum in Agredam euntem pro celebrandis dictis nuptiis,comitatur. ibid.
Simon Monfortius, de induciis ab Aragonio Rege rogatus consentit. an.1213.c.1.n.2.& c.2. n 2.
Apud Pontificem ab eodem Rege per nuncios accusatur. an.1213.c.2.n.6.
Innocentij, de articulis, super quibus accusatur,litteras suscipit. n.9.
A Petro Aragonio per litteras diffidatur. anno 1213. c.7. n.4.
Ab eodem nihilominus Rege lædendo abstinet. ibid.

Index Rerum.

Ad eundem super diffidatione Lambertum de Turreio Legatum mittit. n.5.
Omnem satisfactionem eidem offert. ibid.
Nullam acceptanti per eundem Lambertum bellum indicit. n.5.& 6.
Duos Abbates cum litteris Innocentij ad Regem iterum mittit. n.7.
Obsessis ad Murellum Castrum opem laturus aduenit. n.9. & c.9.n.2.
Bolbonam, Cistercium Abbatiam intrat. num.10.
Arma in hostes fidei de Altari Virginis suscipit. ibidem.
Aragonium Regem non timet, & quam ob causam. n.11.
Testamentum condit, &, si in prælio occumbat, ad Innocentium deferri iubet. n.12.
Castrum Murellum cum suis ingreditur. anno 1213. c.8.n.2.
Bello diem præfigit, & qualem. n.3.
Hostes aggreditur, & profligat. ibid.
Petrum Aragonium Regem occidit. n.4.
Contemnit omnia quæ multa aduersa præcesserant. n.5.
Quanta victoria? & per quam paucos parta. ibidem.
Totius victoriæ processus ab Episcopis scriptus. an.1213.c.9.per totum.
Facetum Comitis de Rege Petro dictum.n.11.
Ad Pictauiam cum Arnaldo patre diuertit. an. 1213.c.10.n.5.
Pictauiæ Comitem ab hæreticorum fauore reuocet. ibid.
Filij Amalrici cum filia Delfini nuptias tractat. ibidem.
Sed interim contra eum multi rebellant. num. 6.
Iacobum puerum in custodia tenet etiam post mortem patris. an.1213.c.10.n.7.
Ab auunculis pueri ad eum detinendum sollicitatur. ibid.
De eo reddendo à Proceribus regni conuenitur. n.10.
Sed dare recusat. ibid.
Multos absens rebelles experitur. an. 1214. c.1.n.1.& seqq.
Ad exercitum redit, & centum millia Cruce signatorum sub suis signis congregatos vider. n.10.
Eisdem ad S.Tiberij Castrum occurrit. ibid.
A Petro Beneuentano Cardinali abstinere ab omni hostilitate vsque ad eius aduentum præcipitur. an. 1214.c.1.n.1.
Et in quosdam alios grassari libere. n.3.
Guidoni Fratri, & Guidoni Carcasonensi tradit partem exercitus. ibid.
Ad Burgundiæ Comitem cum Arnaldo, & Amalrico filio diuertit, atque Delfini filiam filio accipit. ibid.
Carcasonæ vtriusque nuptias celebrat. ibid.
Et eis celebratis ad exercitum redit. an.1214. c.2.n.5.
Agennensem prouinciam intrat. ibid.
Multa in ea Castra dirui, iubet. ibid.
Marmandam Castrum obsidet, & capit. num. 6.
Anglos, in eo inuentos, illæsos abire finit. ibidem.
Castrum partim conseruat, & partim diruit. ibidem.
Ioannem Angliæ Regem, cum manu valida contra se venientem, spernit. n.9.
Casanolium Castrum obsidet, & habitatoribus occisis diruit. n.10.& 11.
Petragoricensem Prouinciam intrat. an.1214. c.3. n.1.
Inimicos terrore perfundit. ibid.
Domam Castrum, ab eisdem desertum, diruit. ibidem.
Et Castra Montisfortis, atque Benacij. num.2. & seqq.
Pulsis Tyrannis, Petragoricensem, & alias Prouincias pace donat. n.5.
Narbonensi arci, Tolosæ, custodiendæ, milites mittit. n.8.
In Concilio Monpesulaneo suffragiis omnium designatur terræ Dominus. an.1215.cap.1. num 3.
In Dominum postulatur, misso ad Innocentium Papam Legato. n.4.
Iacobum puerum Aragonensibus restituere recusat, & quas ob causas. n.5.
Guidonem Carcasonensem iterum crucis prædicationem rogat assumere. n.6.
Ab Innocentio confirmatur in Terræ Dominum. n.7.
Iacobum puerum iubetur restituere. ibid.
Eundem, Narbonam honorifice deductum, Aragonensibus, & Catalanis tradit. ibid.
Tolosanum Comitem ab Innocentio accipit tuendam vsque ad Concilium Lateranense. an.1215.c.2.n.1.
Eius graues, & gratulatorias litteras accipit. num.2.
Monetur continuare susceptum opus. n.3.
Et ab omnibus totius ditionis incolis obediri præcipitur. n.5.
Guidonem Episcopum prædicatum in Galliam mittit. n.6.
Eundem cum Ludouico, & aliis cruce signatis, reducem habet. ibid.& n.8.
Et Archiepiscopum Ebredunensem, à Curia redeuntem. n.9.
Ab Arnaldo Narbonensi discordat. n.10.
Hæreticorum terras de manu Petri Cardinalis accipit. n.12.
Tolosæ claues per Guidonem Fratrem accipit. n.12.& 13.
Eiusdem muros, & Narbonæ dirui spectat. n.11.13. & 14.
Comes Tolosanus in publicis instrumentis inscribitur. n.14.
Terras quas hactenus ab Innocentio habuerat. à Concilio Lateranensi accipit.an.1215.c.5. n.7. & 8.
Intra duodennium dicitur extirpasse Albigensium sectam. n.9.
Parisios ad Philippum Regem adit. an.1216. c.1.n.5.
Humanissimè ab eo suscipitur. ibid.
A populis & clero ei obuiam itur. ibid.
Obsessis ad Belliquadrum auxilio venit. n.8.
Obsidet obsessores, sed frustra, & quam ob causam. ibid.
Belliquadrum Raymundo Iuniori tradi deliberat. ibid.
Ad Tolosam transit, Raymundi Senioris ingressum impediturus. n.9.
Eundem fugat, & Tolosæ rebelles ferro & igne aggreditur. ibid.

Cum

Cum Ademario de Pictauia bellum gerit. anno 1217. c.3. n.2.
Hinc venit in Tolosates rebelles. n.5.
Vrbem obsidet, sed repulsam patitur. numero 6.& 7.
Eandem iterum expugnare tentat. n.7.
Sed dum nauim ascendere parat, præceps cadit in fluuium. ibid.
Nulla tamen vel minima accepta læsione. ibidem.
Arcem quandam cum Castris & Vallis adiacentibus, Ecclesiæ Tolosanæ donat. an. 1218.c.3.n.1.
Ingenti de Montalbanensibus potitur victoria. num. 2.
Et Tolosatibus in se venientibus occurrit. num.3.
Dum audit missam hostes, in sua irrumpentes Castra, patitur. n.4.
Sed eos, illa finita, in fugam vertit. n.5.
Non sine fœnore, ictu enim lapidis gloriosè occumbit. n.6.& 7.
Irruisse tunc temporis in hostes, fecisse contra proprium consilium, fertur. n.7.
Amalricum filium relinquit successorem. n.8.
S.Syri Monasterium Benedictinum, illustre Beatæ Franchæ Monachatu præfecturaque. an.1214. c.6.n.1.
Eiusdem, ad Cistercium transeuntis, absentiam dolet. ibid.
Et nihilominus sub fœminæ sanctæ cura remanet. ibid.
S.Syri de Fontanella cœnobium aliud Monialium Nigrarum in Diœcesi Parmensi. an.1233. c.8. n.7.& 11.
Ad Cistercium transit, & qua occasione. ibidem.
Eius translatio propter ciuium improbitatem. n.8.& 9.
Et exemptio à Iudicibus, præter Episcopum Brixiensem. n.10.
Vnde ipsius orta reformatio. n.11.
Producit Abbatiam S.Cerbonij. an.1234.c.8. n.1.& 2.
Sobeslaus, Castellanus Vratislauiensis, donationi Conradi, Massouiæ Ducis, subscribit. an.1222. c.4.n.3.
Soldanus, Friderici Imperatoris Legatos suscipit. an.1229.c.1.n.10.
Monetur publicè, vt illi concedat frui in pace Hierosolymæ regno. ibid.
Secreto tamen sponsionem ab eodem accipit tradendi sibi ciuitatem, si prius in ea ipsum coronari, pacifice permittat. ibid.
Quod eidem spontaneè concedit. ibid.
Soliacense Castrum. Vide *Castrum Soliacense*.
Soliers cœnobium Virginum S.Augustini Cistercium admittit. an.1230.c.9.n.6.
Prima Abbatissa Isabella de Bonem. numero 7.
Sophia Abbatissa Houennensis, feruens zelo obseruantia regularis. an. 1216. c.8. n.6.
Sanctitate illustris vsque ad miranda. ibid.
Sub eius Magisterio multæ sanctissimæ Virgines floruere. ibid.
Quo anno obierit? & quam habuerit sibi subrogatam? & an. 1221.c.5.n.7.
Ceruisia bis in vinum illi conuersa fertur. an.1221.c.5.n.7.
Et ipsa exiens de choro quadam nocte ab Angelo cum Lucerna præcedente illuminata. ib.
Sophia Abbatissa I V. Vallis rosarum, quandiu præfectura functa. an.1224.c.3.n.6.
Wastinam, & Stacideke Villas à Fratre suo emit. ibid.
Sophia, coniux Leonij, Bruxellensis Castellani, donationem filij confirmat. an. 1223. cap.6. num. 10.
Sophia, filia Bauariæ Ducum, nubit Baltholdo Duci de Haringen. anno 1223. cap. 3. num. 4.
Et post eum, morte sublatum, Leopoldo, Marchioni de Stira. ibid.
Ottocarum, primum huius nominis, Marchionem Stirensem ex illo suscipit. ibid.
Sophia altera, etiam Ducum Bauariæ filia, Virgo Deo sacrata. an.1218.c.9.n.12.
Electa in Abbatissam, diuisis Monialium suffragiis, cum æmula litigat. ibid.
Et Ebracensem Abbatem ab Honorio III. iudicem accipit. ibid.
Sophia Ludouici Thuringiæ Lantgrauij mater, nuntiat S.Elisabethæ illius mortem. an.1227. c.3.n.6.
Sorani Ciues, in quasdam Casæmarij Grangias violenter irruunt. an.1227.c.8.n.11.
Grauia eisdem, & conuersis inferunt damna. ibidem.
Sed Gregorio IX. præcipiente apud supremum Imperij Iustitiarium puniuntur. n.12.
S.Sozimæ corpus, vna cum aliis, ex vrbe Portuensi ad Claram-Vallem à Conrado Cardinali transmittitur. an. 1227.c.1. n.2.
Illustri ibidem gaudet sepulchro. n.3.
Speculum B. Mariæ cœnobium sacrarum Virginum Cisterciensium à Mathilde Comitissa de Senen ad Coloniam erigitur. an.1221.c.9.n.5.
Illustratur fundatricis sepulchro. ibid.
Sæpius Rheni molestatum inundationibus dicitur. ibid.
Spinæ Monasterium. Vide *S.Petri de Spina*.
Spinæ Abbas. Vide *Abbas Spinæ*.
Springamenses Fratres, ab Angliæ Præsulibus molestati apud Honorium III. conqueruntur. an.1221.c.8. n.3.
Et tres ab eodem Cistercij Abbates impetrant iudices. ibid.
Stanleyæ Abbas. Vide *Abbas de Stanleya*.
S.Stephanus, Biturigum Patronus. an.1217. c.1. num. 10.
Stephanus, vnus ex Discipulis S. Edmundi, qui Cistercium amplexi sunt. an. 1226. cap. 6. num.2.
Ex Abbate Sabigniaci electus Claræ-Vallensis commemoratur, remissiuè. ibid.
Parisiense Collegium Cisterciensis Ordinis primus extruxit. ibid.
Abdicauit præfecturam, contempsitque Episcopatum, quo à summo Pontifice donabatur. ibid.
Sanctè obdormit, & in Monasterio Vrsi-campi sepelitur, omnia remissiuè. ibid.
Stephanus Archiepiscopus Cantuariensis, cognomento de Languetona, exul Pontigniaci, in sede, & bonis restitui iubetur ab Innocentio III. an.1213.c.4.n.6.& 9.
A Ioanne Rege per litteras viginti quatuor Procerum sigillis signatas in Angliam vocatur. n.10.
Cum sociis Episcopis eò redit, & à Ioanne lachry

lachrymante ſuſcipitur. ibid.
Abſoluit eum, ſuaque ſede, boniſque pacifice patitur. ibid.
Quandiu exulauerit. ibid.
Comparatur S.Thomæ,Edmundoque. ibid.
Scripta eius varia. n.11.& 12.
A Legatis Innocentij, quod contra Regem Principibus faueret, ſuſpenditur. an.1215. c.5. n.10.
Ad Concilium Lateranenſe venit. ibid.
Ab Abbate de Bello loco, & ſociis accuſatur apud Pontificem. ibid.
Innocentium,ſæuerum experitur. ibid.
Confirmationem ſuæ ſuſpenſionis reportat. num.11.
Stephani Fortuna varia,& aduerſa. ibid.
Corpus S. Thomæ Cantuarienſis transfert ex Honorij III. auctoritate, eleuatque. anno 1220. c.5.n.6.& 7.
Morte ſublatus Richardum habet ſucceſſorem. an.1228.c.7.n.7.& 8.
Stephanus,Caſtellanus B.Boleſlauienſis,ſubſcribit donationi Conradi,Ducis Maſſouiæ. an.1222. c.4.n.3.
Stephanus,Epiſcopus Bracharenſis,Alphonſi Regis donationem confirmat. an. 1220. cap. 3. num. 9.
Stephanus, Epiſcopus Dienſis, virtutibus coruſcat miraculiſque. anno 1233. cap. 7. numero 9. & 10.
Exponitur à Viennenſi Prouincia Catalogo Sanctorum referri. n,9.
Et inquiſitio de vita ipſius, atque miraculis, Abbati Ciſtercij, & aliis à Gregorio IX. commiſſa. n.9.& 10.
Stephanus Epiſcopus Nannetenſis, multa à Britanniæ Comite patitur. anno 1220. cap. 2. num. 5.
Ipſum diris omnibus, atque eius terram mulctat interdicto. ibid.
Honorij interuentu cum eodem concordiam init. n.6.& ſeqq.
S.Stephani de Cornu Abbatia Benedictina, nigris expulſis Monachis,Ciſtercienſes admittit. anno 1231. c.7.n.5.& 6.
Ex Cerreto illuc tranſmiſſos. n.5.
Illuſtris Bonifacij Simonetæ, aliorumque pietate, doctrinaque excellentium, Monachatu. num. 6.
S.Stephani Abbas. Vide *Abbas S.Stephani.*
S.Stephani de Voſco Abbas. Vide è contra.
Stepo,Capellanus in Monte S.Saluatoris, ſanctitate illuſtris. an.1219.c.4.n.10.
De ſua gloria per Margaretam Monialem habet reuelationem. ibid.
Laborans phræneſi in Dominum blaſphemat. an. 1221. c.5. n.4.
Moritur & poſt mortem claret miraculis. ibidem.
Stolpi Abbatia Ciſtercienſis Valkenam, ſeu Valcanam, in Liuonia producit. an. 1234.cap.10. num.11.
Stratæ Floridæ Abbas. Vide *Abbas Stratæ Floridæ.*
Strauengrauienſis Epiſcopus. Vide *Epiſcopus Strauengrauienſis.*
Stymenu Abbas. Vide *Abbas de Stymenu.*
Suarius, Epiſcopus Eborenſis, Alphonſi Regis donationem confirmat. anno 1220. cap. 3. num.9.
Suercherus, Sueciæ, & Gothiæ Rex, Ioannem filium,ſucceſſorem in Gothia habet. an.1222. c.12.n.1.
Suerius ſiue *Seuerus*, Epiſcopus Vlyſſiponenſis Cruce ſignatos, eius vrbem appulſos contra Sarracenos Hiſpaniæ ſollicitat. an. 1217.c.4. n.1. & 2.
De eorundem aduentu, & parta miraculosè de Sarracenis victoria,ſcribit Honorio III. num.3. & ſeqq.
Redux de bello plura mala per Decanum patrata in Eccleſiam, & Canonicos inuenit. an.1218.c.8.n.7.
Conqueſtus apud Honorium, Abbatem, & Priorem Alcobaciæ, ab eodem iudices impetrat. n.8.
Patum ſibi gratum habuiſſe Alphonſum Regem,oſtenditur. n.11.
Eiuſdem donationem confirmat. an.1220. c.3.n.9.
Suerius Stephani, eidem donationi teſtis adhibitus. ibid.
Sueſſionenſis Archiepiſcopus. Vide *Archiepiſcopus Sueſſionenſis.*
Suinshede cœnobium Ciſtercienſe, in quo Ioannes, Rex Angliæ, mortuus dicitur. an.1215. c.9.n.3.
Veneno extinctus, an ægritudine. numero 3. & 4.
Suiuicanum cœnobium Virginum Ciſtercienſium, erigitur ad Teneremondam, dotaturque per Machildem eiuſdem oppidi Dominam. anno 1223.c.6.n.9.
Alio poſt quinquennium transfertur. n.10.
Et Grimbergæ Domini augetur dotatione. ibidem.
Sub-Prior Villarienſis, cuiuſdam conuerſi,Abbate abſente, confeſſionem audit. an. 1222. c.5. num.5.
Et pro abſolutione cuiuſdam reſeruati, Abbati,cum redierit,committit. ibid.
Suninshede. Vide *Suinshede.*
Sylua Lata Abbas. Vide *Abbas Sylua Lata.*

T.

Taraſia, Sanctij, Luſitani Regis, filia, cum Fratre Alphonſo litigans (de quo 3. tomo) Abbates de Spina, & de Vrſaria iudices accipit. an. 1213. c.5. n.1.
Abſolutioni Fratris excommunicati,dum non reſtituat,ſibi ablata, ſe opponit. ibid.
Rem ad Innocentium referri,patitur. ibid.
Sed ad eundem, ſuum procuratorem mittit. num.2.
Eoſdem iterum Abbates iudices accipit. ibid.
Montem maiorem recipit. an. 1214. cap. 5. num.12.
Et quod pro damnis,ſibi illatis,ingentem aliam ſummam accipiat à Fratre, iuſſum ab Innocentio. n.13.
Rege à ſolutione appellante ad Curiam ſuum mittit procuratorem. ibid.
Montem maiorem, ſuo nomine tenendum, Templariis iubetur tradere. an. 1216. c.2. num.10.
Eiſdem dari alia Fratris Alphonſi Caſtra, petit. n.11.
Pacem ab eodem,iuramento firmatam,accipit. ibidem.

Ciſtercium induit,& leuius cum Fratre litigat. n.12. remiſſiuè quoad primum.
Vnum ex ſacris corporibus Martyrum Marrochenſium ab Alphonſo Fratre dono ſuſcipit. an.1220.c.3. n. 6.
Cum Sanctio Nepote, iam regnante, concordiam init. an.1223.c.4.n.12.
Iubetur ab Honorio III. vt expelli faciat nefarios homines, manentes ad Alenquerium. an.1224.c.7. n.4.
A Sanctia ſorore,morti proxima,vocatur. anno 1229.c.3.n.2.
Rogatur ab illa,vt ſuis conſulat filiabus,quod promittit. n.4.
Defunctæ corpus,Monialibus Cellenſibus inſciis,Lorbanum,ibidem ſepeliendum,deducit. n.5.
Et in ſepulchro, quod ſibi conſtruxerat, mediocri ſepelit cum pompa. n.6.
Eandem Sanctiam, ſibi apparentem, videt. num.7.
Et audit multa reuelantem. ibid.
Ciſtercium ingredi meditatur. n.8.& 9.
Multa vtrique domui Lorbanenſi, Cellenſique,condonat. ibid.
Multa famulis, multa piis operibus diſtribuit. num. 9.
Sanctio Regi, Nepoti, Alphonſoque Legionenſi,ipſius olim coniugi,ſuum pandit propoſitum. ibid.
Calatrauæ militiam vſque ad Neapolim extendit. n.19.& 11.
Ab Alphonſo donatur oppido Villæ bonæ, in quo à Gregorio IX. confirmatur. an.1229. c.4.n.6.& 7.
In Lorbani cœnobio coram Epiſcopo Cardinali Sabinienſi Ciſtercium induit. ibid.
Quo anno. n.9.
Conſulit Sanctiæ Dulciæque filiabus, vt cedant ius regni Legionenſis Ferdinando. anno 1230. c.2.n.8.& 9.
Quod obtinet, & earum nomine concordiam cum Berengaria, Ferdinandi matre, firmat. num. 0.
Fundat filiabus Villæ bonæ cœnobium iuxta inſtitutum Ciſtercienſe. an. 1231. cap.8. num. 10.
Quod ab Gregorio IX. confirmari impetrat. num. 11.
Tharaſia Vidauria, pulchra, & nobilis fœmina,à Iacobo Rege deflorata ſpe futuri matrimonij. an.1234.c.5.n.3.
Et ex eo duos ſuſcipit filios, qui legitimi Regni hæredes ſunt declarati, ibid.
Quæ probant, eiuſdem cum Iacobo Rege verum fuiſſe matrimonium. ibid.
Id quibus poteſt viis ipſa demonſtrare intendit. n.6.& 8.
Et nuptiis Iacobi cum Iolante ſe opponit. ibidem.
Cuius occaſione turbata Catalonia fertur. ib.
Gregorium IX. adit. n.8.
A quo vera Iacobi coniux poſt Iolandis mortem declaratur. n.1.& 9.
Fundat in Valentina vrbe Virginibus Ciſtercienſibus Monaſterium S.Mariæ de Gracia (vulgo *de la Zaidia*) remiſſiuè. n.1.
Et Deo in eodem ſacrata, virtutibus illuſtris, atque miráculis ſanctè conſummatur. ibidem.
Tarouca Abbas. Vide *Abbas Tarouca.*
Tarraconenſis Archiepiſcopus, cum Toletano, & aliis, de primatia decertat. an. 1215. c.5. num.12.
Vide *Archiepiſcopus Tarraconenſis.*
Tellus Alphonſi, Gatſiæ Ferdinandi domum vendit. an.1223.c.6.n.2.
Tellus,Palentinus Epiſcopus,conſentit tranſlationi Monaſterij S. Andreæ ad Palazuelos. anno 1213. c. 12. n. 7.
Alphonſi Regis morti aſſiſtit. an. 1214. c.5. num. 4.
Funus cum aliis Burgos ad Huelguenſe cœnobium deducit. ibid.
Tempeſtas. Vide *Salue Regina.*
Templarij milites, Cruce ſignatos Orientales, Vlyſſiponem appulſos, ſollicitant aduerſus Sarracenos Hiſpaniæ. an. 1217. cap. 4. numero 1. & 2.
De eorundem in Luſitaniam aduentu, deque ingenti,miraculosè parta de Sarracenis, victoria, ſcribit ſuus Magiſter ad Honorium III. n.3.& ſeqq.
Cum Hoſpitalariis litigant. an. 1218. c. 7. num. 6.
Populeti Abbatem, atque Oſcenſem Epiſcopum,Iudices ab Honorio Papa ſuſcipiunt.ib.
Et ab eodem,ne ſuſcipiant Fratres vllos Grandimontenſium, iubentur. an. 1222. c. 7. num. 12.
Moleſtantur à Friderico Imperatore per Accerrani Comitem. anno 1229. cap.1. numero 6.
Gobertum, Aſperi montis Dominum, ſibi in auxilium vocant. n.7.
Et in Imperatorem prævalent. n.8.& 6.
Strenuè ſe gerunt in Balearica expeditione. an.1229.c.7.n.7.
Et ingenti manubiorum portio à Iacobo Rege donantur. ibid.
Bonis à Friderico ſpoliati conqueruntur apud Gregorium IX. an. 1222.c.1.n.1.
In eiſdem reſtitui, Imperatori etiam ſub cenſuris, fruſtra tamen præcipitur. numero 3.6.7.& 8.
Bona Chriſtianorum in Liuonia expilant & ipſi. an. 1232.c.6.n.6.7. & 8.
Per Ciſtercienſes reſtituere compelluntur. num.7.
De Colomano Rege apud Gregorium IX. quærelas fundunt, & quare. an. 1236. c.3. n.10. & ſeqq.
Abbatem de Cicado ſemel,& iterum iudicem impetrant. ibid.
Terhargen Monaſterium Virginum Ciſtercienſium ad Axellam erigitur per Margaretam, Flandrorum Dominam. an.1220.c.8.n.8.
Augetur in multis à quodam VValtero. ibid.
Eius prima Abbatiſſa. ibid.
Et tranſlatio, ſed remiſſiuè. ibid.
Tertij paſſus cœnobium. Vide *Plectole.*
Thadæus, Epiſcopus Neocaſtrenſis, conſecrationi Cuſſentinæ Eccleſiæ aſſiſtit. an. 1222. c.7. num 3.
Et litteris de eadem conſecratione datis ſubſcribit. n.7.
Theopoldus, Machildem, Bauariæ Ducum filiam, ducit vxorem. an. 1225. c.3. n.4.
Moritur. ibid.
Theobaldus, Abbas Euerbachenſis, Sanctitate,

& virtutibus illustris ad Dominum migrat. an.1221.c.5.n.5.
Nunquam post habitum carnes comedisse dicitur. ibid.
Conuerso, sanitatis dono illustri, præcepit, ne, ob Monachorum quietem, cuiquam manus imponeret. ibid.
Quo existente mandato, donum curationis in illo cessauit conuerso. ibid.
Sub eius regimine multi, Sanctitate floruisse referuntur. n.6.
Et alio translata S. Agathæ domus. ibid.
Vide etiam. an.1216.c.10.n.2.& 3.
Theobaldus, Archiepiscopus Rothomagensis, non affuisse Philippi, Regis Galliæ, funeri, verius. an.1223.c.2.n.9.
Theobaldus, Campaniæ Comes, morte consummatus, Henricum primogenitum accipit hæredem. an.1224.c.2.n.1.
Theobaldus alter Campaniæ Comes, cessione Fratris Blancham, Sanctij Nauarræi filiam, ducit vxorem. an.1224.c.2.n.1.
Moritur, & posthumum filium hæredem relinquit. ibid.
Theobaldus, Episcopus Monasterienſis, Frisonibus ingentem inundationem passis, pœnitentiam per Ididam, S. Bernardi Cellerarium, iniungit. an.1218.c.6.n.5.
Theobaldus, Theobaldi, & Blanchæ, Campaniæ Comitum filius. an.1224.c.2.n.1.
Hæres, nondum natus, instituitur testamento patris. ibid.
Aduersus Erardum, Campaniæ Comitatum ambientem, ab eius matre Blancha protegitur. n.2.
Et cum eadem sub Ecclesiæ, & Honorij III. protectione susciptur. n.2.
Atque Campaniæ comitatus hæres ab eodem Honorio declaratur. n.2.
Vide *Blancha, Sanctij, Regis Nauarræ, filia.*
Insigne priuilegium Claræ-Vallensibus concedit. an.1231.c.5.n.9.
Ascitus à Nauarræ Proceribus, Rex Pampilone coronatur. an.1234.c.6.n.3.
Agentibus Verolæ, & Oliuæ Abbatibus cum Rege Aragonensi concordiam init. n.1.& 2.
Cruce signatur. an.1235.c.4 n.7.
Regnum, eius absentia perturbari timens, transire in Orientem recusat. n.7.& 8.
Sed iubetur à Gregorio IX. sub illius patrocinio regno suscepto. ibid.
Super hoc ad se missis Abbate de Iranzu & duobus Prioribus. n.8.
A S. Ludouico, Galliæ Rege, dissidet. an.1236. c.3.n.1.& seqq.
Claræ-Vallis Abbatem à Gregorio IX. suscipit iudicem. ibid.
Quem solum, aliis exclusis in omnibus suis causis impetrat. n.6.& 7.
Theodoricus de Altena diploma Vltraiectense firmasse fertur. an.1221.c.9 n.8.
Quos genuerit filios. ibid.
Theodoricus, Aduocatus Ruremundensis, donationi Comitum Gelriæ testis adhibitus. anno 1218.c.13.n.10.
Theodoricus Archiepiscopus Colonienſis, translationem loci S. Mariæ retardat, & quas ob causas. an.1227.c.9.n.9.
Tandem consentit. ibid.
Theodoricus, filius Adolfi, Comitis de Altena, atque electus Monasterienſis. an.1221.c.9.n.8. & an.1225.c.1.n.9.
Morti Engelberti Colonienſis consensisse fertur. an.1225.c.1.n.8.& 9.
Comparet per litteras in Concilio Moguntinensi. an.1225.c.2.n.5.
Ad se ab Engelberti morte purgandum, vt admittatur, ab illo petit. ibid.
Et diem purgationi præfixum accipit. ibid.
Venit cum Engelberto Fratre, à Conrado vocatus, ad Concilium Leodiense. an.1226. c.2.n.2.& 3.
Non ritè purgatus, Romam ad Honorium III. suspensus cum Fratre transmittitur. ibid.
Nec in Romana Curia purgatus, præ dolore moritur. n.3.
Theodoricus, Lantgrauius Misnensis, Friderici Imperatoris donationi subscribit. an.1222. c.5.n.8.
Theodoricus miles Gerardi de Burbach, à contrariis capitur, & vinculis addicitur. an.1219.c.4. num.5.
Sub solutionis cuiusdam summæ promissione è carcere in alium locum minus horridum transfertur. ibid.
Et inde Virginis Heisterbachensis auxilio optatam libertatem obtinet. n.6.
Et vincula pro gratiarum actione super altare Mariæ Virginis collocat. ibid.
Theodoricus, Sacerdos, Essenum cœnobium Virginibus Cistercienſibus fundat. an.1216.c.10. num.6.
Theodoricus, Monachus Heisterbachensis, sub Theobaldo Abbate floret. anno 1221. cap.5. num.6.
Sacerdotem, dum communicat, carbones nigros masticare videt. ibid.
Multis aliis claruisse reuelationibus, fertur. ibid.
Theodoricus quidam, Balduino de Bocla, in eremo degenti, Guillelmum filium in ministrum tradit. an.1225.c.7. n.4.
Theodorus Castellanus Crusvicienſis Conradi Massouiæ Ducis, donationi subscribit. an.1222. c.4.n.3.
Theodorus, Palatinus, fundat cœnobium Sanctæ Mariæ in Montibus Sarmaticis, & haud exigua locupletat dotatione. an.1234. c.19. num.11.
M. Theodoricus, à Concilio Vaurensi ad Innocentium III. Legatus mittitur. an.1213.c.3. num.5.
Theophanium, filia Nicephori, Bizantini Imperatoris, atque Ottonis 2. coniux. an.1220.c.8. num.3.
Adiuuat B. Gregorium Fratrem, in extruendo cœnobio S. Saluatoris. ibid.
Et cortinam, eiusdem Fratris Gregorij vitam continentem, Ecclesiæ S. Mariæ Colonienſis offert. n.4.
Theutonici, à Massouiæ Duce aduersus Pruthenos sollicitantur. an.1224.c.4.n.9.& an.1227.c.8. num.7.
Tractum Culmensem sub certis accipiunt conditionibus. an.1227.c.8.n.7.
Et plura alia à Christiano Cistercienſi & primo Culmensi Episcopo. n.8.
In Prussiæ Barbaros fœliciter pugnant. numero 9.

Index Rerum.

S. Thomas, Archiepiscopus olim Cantuariensis, in Litaniis inuocari iubetur. an. 1215. cap. 10. num. 1.
Ipsius sacri corporis eleuatio. an. 1220. c. 1. n. 5. & seqq.
Thomas Cantipratanus, scribit vitam, & acta Sanctæ Lutgardis. an. 1215. c. 6. n. 1.
Illustre illi testimonium perhibet. an. 1215. c. 7. n. 3.
Fatetur, suum statum sibi à Sancta Lutgarde reuelatum. an. 1224. c. 6. n. 3.
Et ipsum eiusdem meritis fuisse liberum à tentationibus, quas in confessionibus audiendis solitus est pati. n. 14.
S. Thomæ de Ozech Abbatia Cisterciensis, Venetæ, an Treuirensis Diœcesis. an. 1222. c. 6. num. 11.
Consecratur ipsius Ecclesia, atque sacris Sanctorum exuuiis ab Honorio III. locupletatur. ibid.
Indulgentiis item, his, qui Ecclesiam visitauerint, concessis. ibid.
S. Thomæ de Torsilo, siue Torcello. Vide *Abbas S. Thomæ de Torsilo.*
S. Tiberij Abbas. Vide *Abbas S. Tiberij.*
Tileti Abbas. Vide *Abbas Tileti.*
Tinna, seu Cinna Abbatia ignota Cisterciensis, an. 1215. c. 9. n. 7.
Tirasonensis Episcopus. Vide *Episcopus Tirasonẽsis.*
S. Tirsi Abbas. Vide *Abbas Tirsi.*
Toletanus Archiepiscopus. Vide *Archiepiscopus Toletanus.*
Toletana Ecclesia. Vide *Ecclesia Toletana.*
Tolosa vrbs excommunicata. an. 1213. c. 2. n. 4. & c. 3. n. 3.
Viribus omnibus destituitur. an. 1215. c. 2. n. 12. 13. & 14.
Traditur Comiti Monfortio ab Innocentio. n. 7. & seqq.
In eundem rebellat. an. 1216. c. 1. n. 9.
Sed ab eodem expugnatur ferro, & igne. n. 10.
Interuentu Fulconis, ciuium suorum necem pretio redimit. ibid.
Quod factum in dolo. n. 11.
Iterum in Ecclesiam rebellat. an. 1217. c. 3. num 1. & 2.
Et Raymundum Comitem admittit. n. 2.
Obsessa à Catholicorum exercitu valide resistit. n. 4. & 5.
Obsidetur iterum à Philippi Regis filio Ludouico. an. 1219. c. 1. n. 4.
Erigitur in Academiam. anno 1228. cap. 3. num. 6.
Festum S. Dominici magna pompa celebrat. an. 1234. c. 3. n. 8. & 9.
Tolosani ciues sub Petri Regis Aragoniæ protectione suscipiuntur. an. 1213. c. 2. n. 5. & c. 7. n. 7.
Eundem adiutorem habentes, Murellum Castrum obsident. an. 1213. c. 7. n. 7. & 9.
Cruce signatorum victoriam, de Rege Aragonensi partam, diu ignorant. an. 1213. c. 8. n. 8.
A Fulcone Episcopo admonentur, sed frustra. ibidem.
Qualiter multis cæsis, & submersis, alij euaserint. n. 9.
Priorem Hospitalis ad Fulconem (obedire, vti dicebant parati) mittunt. an. 1213. c. 9. num. 3.
Ab eodem Fulcone conueniuntur. n. 4.
Et Regi se Aragonio obedire paratos, dicunt, ibidem.
Sui Episcopi ad se missam cucullam contemnunt, & eius latorem sauciant. n. 6.
Ab Episcopis, sed frustra, sollicitantur. numero 9. & 10.
Datis obsidibus inducias assequuntur. an. 1214. c. 2. n. 2. & c. 3. n. 7.
Narbonensem, suæ vibis arcem præcipuam tradunt. ibid.
Fulconem Episcopum vel inuiti suscipiunt, & reuerentur. an. 1214 c. 3. n. 7.
Castrum Narbonense eidem de mandato Legati tradunt. n. 8.
Militibus ad illius custodiam positis, stipendia soluere coguntur. ibid.
Et subduntur Monfortio Comiti vsque ad Concilium Lateranense. an. 1215. c. 2. n. 1.
Vrbis suæ muros demoliantur, licet inuiti. num. 13 & 14.
In Monfortium rebellant, reuocantque ex Hispania Raymundum Comitem. an. 1216. c. 1. n. 9. 10 & 11.
Et in suam vibem suscipiunt. an. 1217. c. 3. num. 2.
Nonnulli ex Raymundi iussu Montalbanensibus aduersus Catholicos adiuncti. an. 1218. c. 3. n. 2.
Sed per Francigenas superati dicuntur. ibid.
Deliberant, impetum facere in Comitem Monfortium. n. 3.
Machinarum custodes à gente Comitis profligantur. n. 4.
Reliqui, occiso tamen Monfortij Comite, fugere compulsi. n. 5. 6. & 7.
Vide verbo *Albigenses*, & verbo *Tolosa.*
Tolosa Ecclesia. Vide *Ecclesia Tolosana.*
Toparcha Oisiacensis, cœnobium Viridarij fundasse inter Duacum, & Cameracum Virginibus Cistercienſibus, dicitur. an. 1227. c. 10. num. 5.
Toparchæ Ottiniaci, Nechenarum, Bossuti, & Gresij, Vallem floridam, cœnobium Monialium Cistercienſium, in Brabantia fundant. an. 1218. c. 13. n. 1.
Toraldus, Abbas Fontanensis, vocatus ex Rie-Valle. an. 1216. c. 7. n. 7.
Mauritio succedit. ibid.
Doctrina & pietate clarer. ibid.
Tornacensis Episcopus. Vide *Episcopus Tornacensis.*
Tracton. Vide *Abbas Tractus.*
Trana, Matrona nobilis Gandauensis, construit, & dotat cum Fulcone Fratre Xenodochium Gandaui. an. 1226. c. 9. n. 5. & 6.
Et prope illud (alio tamen translatum) cœnobium Virginum Cistercienſium. n. 7.
Xenodochij curam Monialibus committit. ibidem.
Eius in eodem cœnobio sepulchrum, Epitaphium. n. 10.
Transitus Florenſium ad Cistercium sæuere prohibitus. an. 1234. c. 9. n. 5.
Minorum item; & Cistercienſium ad minores. an. 1231. c. 7. n. 1. & 2.
Translatio corporis B. Martini, Episcopi Seguntini, an. 1213. c. 6. n. 9. & 10.
Monasterij S. Andreæ de Valle-benigna ad Palazuelos. an. 1213. c. 12. n. 7.

Corporis Alphonſi, Regis Caſtellæ. an.1214. c.5.n.7.
Tranſlatio Kerkenſis domus in Rameyam. anno 1214. c.7. n.1.& 10.
Domus Sanctæ Agathæ. an. 1216. c. 10. numero 2.& 5.
Montiſlanæ in Plectolem. an. 1218. cap. 1. num.1.
Conuentus Pereyrenſis ad Alcantaram. anno 1219. c.6.n.7.
Sancti Felicis ad Burgos. an. 1219. cap. 8. num. 6.
Corporis B.Thomæ Cantuarienſis. an. 1220. c.1.n.5.6.& 7.
Vracæ, Reginæ Luſitanæ. an.1220. cap.3. num.11.
Domus S.Chryſtophori, ad Ieſu-Chriſti cœnobium. an. 1222. c.6.n.9.& 10.
Monaſterij Comencij. an.1222. c.6.n.11.
Eccleſiæ Alcobacienſis. anno 1223. cap. 4. num.7. & 8.
Eborenſis Militiæ, ad Auiſij locum. an.1223. c.5.n.1.& 2.
Cœnobij Villæ maioris. anno 1223. cap.6. num.7.
Et Suiuicani. n.10.
Vallis roſarumque. an.1224.c.3. n.4.
Tranſlatio Domus loci S.Mariæ. an. 1227. c.9. per totum.
Monaſterij Vallis Paradiſi. an. 1232. cap.5. num.1.& 2.
S.Syri Parmenſis. an.1233.c.8.n.7.& 8.
S.Matthæi ad Eccleſiam S.Paſtoris. an.1234. c.7.n.7.& ſeqq.
Tranſlatio Abbatiæ de Honore noſtræ Dominæ. an.1234.c.11.n.1.& 2.
Sacrorum oſſium B. Eliſabethæ Hungaricæ. no 1236.c.2n.2.& 3.
Trebniacum cœnobium, S. Heduuigis virtutibus, atque miraculis illuſtre. an. 1235. c.8. n.5.6. & 7.
In choro Imago Crucifixi S.Matronam benedicit. ibid.
Et ipſam orantem, exauditam eſſe, clara voce pronuntiat. ibid.
Trecenſis Epiſcopus. Vide *Epiſcopus Trecenſis*.
Tres-fontes, Abbatia Ciſtercienſis, producitur in Hungaria à Peliſio, & auget lineam Claræ Vallis. an.1232.c.7.n.8.& 9.
Donatur decimis ab Epiſcopo Agrienſi. n.9.
In quibus confirmari impetrat ab Innocentio. ibidem.
Fundat Abbatiam de Porno, ſiue Pernon. anno 1234.c.10.n.1.
S.Trinitatis Abbatia Ciſtercienſis, cognomento de Bridolo, ſeu Brandolo, producitur à Columba in Cluſienſi Diœceſi. an. 1229. c.8.n.11.
Aliæ eiuſdem Trinitatis nomine appellatæ domus, de quibus ſuis propriis in locis. ibid.
S.Trinitatis Abbas. Vide *Abbas S.Trinitatis*.
S. Trinitatis templum præcipuum in ciuitate Cracouienſi, Dominicanis ab Iuone Epiſcopo inhabitandum traditur. an. 1218.c.7.n.5.
S.Trinitatis Ordo. Vide *Ordo S.Trinitatis*.
S.Trudonis Abbas. Vide *Abbas S.Trudonis*.
Truſtinus. Archiepiſcopus Eboracenſis, valde Ciſtercienſibus addictus. an.1220.c.7.n.5.
Eorundem præclare geſta ſcripſiſſe dicitur. ibidem.
Tudeca prima Abbatiſſa Poundunenſis, in Domino obdormit cum magna opinione ſanctitatis. an. 1232.c.7.n.4.
Turiaſonenſis Epiſcopus. Vide *Epiſcopus Tiraſonenſis*,
Turonenſis Archiepiſcopus. Vide *Archiepiſcopus Turonenſis*.
Tutius, conuerſus S.Saluatoris de ſeptimo, animam S. Antonini videt cœlos aſcendere. anno 1236.c.8.n.9.
Tutores Alphonſi, Iacobi Regis filij, ex Populeto electi. an.1232.c.7.n.2.& 3.
Tyberis fluuius, Romam inundat. an. 1231. c.1. n.9.
Et Tumultuarios ciues, in Honorium Papam rebellantes, punit, ibid.
Tyronenſis Ordo, inteſtinis iurgiis laborans, Ciſtercij Abbatibus viſitandus committitur. anno 1231. c.6.n.9.

V

Vadacij Abbas. Vide *Abbas Vadacij*.
Vagadiuia, Monaſterium Camandulenſium, viſitationi Abbatis S.Thomæ de Torſilo ab Honorio III. committitur. an.1217.c.8. num.2.
Valachi, à Græcis aduerſus Latinos vocantur. an. 1223.c.3.n.3.
Vide verbo *Græci*.
Valadiſlauienſis Epiſcopus. Vide è contra.
Valcana, Abbatia Ciſtercienſis, ſiue *Valkena*, in Liuonia ab Stolpo producitur. an.1234.c.10. num.11.
Valcellenſis Abbatia, viris multis, ſanctitate illuſtribus claret. an.1232.c.3.n.1.
Valcellenſis Abbas. Vide *Abbas Valcellenſis*.
Valentia, Abbatia Ciſtercienſis, ſurgit in Pictauienſi Diœceſi. an.1230.c.9.n.4.
Monachis adductis ex Clara-Valle ſub Radulpho parente. ibid.
Valeria cœnobium Virginum Ciſtercienſium, ſub Abbatis Columbæ viſitatione in Placentina erigitur. an.1213.c.11.n.2.
A Francha, Carentiaque reſpuitur, & quas ob cauſas. n.2.
Moniales accipit. an.1214.c.6. n.2.
Vna cum cœnobio Montiſlanæ ad Plectolem transfertur. an.1218.c.1.n.1.
Valles Antillionius, aſſiſtit obſidioni Abarrazini. an.1220.c.7.n.7.
Vallis Benedicta, Abbatia Ciſtercienſis, conſecratur à Conrado Cardinali Portueſi. an. 1226. c.2. n. 12.
Vallis S.Benedicti Abbatia Ciſtercienſis fœminarum erigitur in Brabantia. an. 1235. cap. 9. num. 8.
Eius fundator, & fundationem approbantes ibidem.
Vallis Creſcentis Abbas. Vide *Abbas Vallis Creſcentis*.
Vallis Dei Abbas, Vide *Abbas Vallis Dei*.
Vallis Eccleſiarum, Abbatia Ciſtercienſis, à Ferdinando, Caſtellæ Rege, peramplo donatur. priuilegio. an.1218.c.4.n.11.
Multa paſſa à Sanct-Martinianis dicitur. ibidem.
Panis penuria laborat, & qua cauſa. an.1234. c.9. n.1.
Poſſeſſione de Alarza, Ferdinandi Regis interuentu,

interuentu, ab Abulensibus dono accipit. ibid.& n.2.
Et ab eodem Ferdinando, dicta *Nauas del Rey*. num.3.
Vallis Ecclesiarum Abbas. Vide *Abbas Vallis Ecclesiarum*.
Vallis florida, cœnobium Virginum Nigrarum in tractu Brabantino. an. 1218. cap. 13. num.1.
Eius fundatores. ibid.
Sub Genta, seu Gentina, Abbatissa, Cistercium amplectitur. n.2.
An ex Lintrensi Valle Moniales accitæ. ibidem.
Et an Bartholomæus Lanio, eius extitit fundator. ibid.
Ipsum tamen cum filio, & Tribus filiabus habitu donat. n.4.
Viros ad Capellanos, an ad conuersos, susceperit. n.4.
Beatricis illustratur sanctitate, & diuinis reuelationibus. an.1235.c.6.n.3.& seqq.
Vallis Paradisi cœnobium ad locum salubriorem transfertur. an.1232.c.5.n.1.& 2.
Nomen simul cum loco mutat, iussu Regis Castellæ & Legionis, Ferdinandi. ibid.
Vallis Paradisi Abbas. Vide *Abbas Vallis Paradisi*.
Vallis Scholarium Ordo, ad instar Cisterciensis confirmatur ab Honorio III. an.1218.c.10. num.10.
Vallis S.Petri Abbas. Vide *S.Petri Abbas, & Heisterbachum*.
Vallis Rosarum cœnobium Virginum Cistercienſium, ad Netam, fluuium Brabantiæ, erigitur ab Ægidio milite. an. 1224. c. 3 n. 1. 2. 3. & 4.
Vnde accitæ Moniales? incertum. n.4.
Dotatur à fundatore producto instrumento. num.5.
Et transfertur alio postea ob tumultus bellorum. n.6.
Illustre Monachatu B.Idæ Louanienſis, atque sepulchro. n.7.
Et duodenis vndecim Millium Virginum capitibus. n.8.
Ex quatuordecim enim à Comitissa Flandriæ, dono acceptis, duo Conciliario Brabantiæ concessit. ibid.
B.Idam hospitio, mox ad habitum suscipit. an.1226.c.7.n.4.& 6.
Vallis Virginum, cœnobium Ordinis Cistercienſis, fundatur in agro Thennensi à Bartholomæo Lanione. an. 1224.c.8. n. 8.
Vide etiam. an.1218.c.13.n.2.
Fundatorem cum eius familia, ex Valle florida se transferentem, suscepisse, ab aliquibus asseritur. n.9.
Transfertur ad Aldenardum, Flandriæ oppidum. an.1232.c.7.n.12.
Vallis Viridis (alias de Benauides) cœnobium Cistercienſe, Vegam in veteri Castella producit. an.1215.c.10.n.4.& seqq.
Varadiensis Episcopus. Vide *Episcopus Varadiensis*.
Vaurum Castrum. Vide *Castrum Vauri*.
Vda Inclusa venerabilis, super caput Vlrici, Missam celebrantis, igneum globum videt. anno 1220. c.5. n.1.
Vdardus, Episcopus Brechinensis, pie obdormit. an.1214. c.8.n.10.
Eius scripta. ibid.
Vdebolta, Monialis in Monte Sancti Walburgis, ad Dominum migrat. an. 1216. c. 8. num. 5.
Ab Angelo in cœlum deducitur. ibid.
Vdo, Præses Ecclesiæ de Mannendal, seu Mandal, & Archipresbyter. an.1219.c.7.n.1.
Aldeberto, ex morte ad vitam reuocato, accedit. n.2.
Fuerit ne vere mortuus? ab eodem scisitatur. ibidem.
Eundem, affirmanter respondentem, audit. ibidem.
Et mira de alterius vitæ statibus narrantem. num.3.& 4.
Quod vt etiam audiret, Rupertum, Abbatem Sponheimiensem ad se vocauit. n.2.
Iussus ab Aldeberto S.Catherinæ cœnobium fundat Virginibus Cistercienſibus in Moguntina Diœcesi. n.5.& 6.
Vega cœnobium Cistercienſe, in veteri Castella, fundatur à Valle Viridi. an. 1214. c.10. n.4. & seqq.
Pinguis initio domus, nunc tenuis. ibid.
Situs loci donatio, fundatores, & primus Abbas. ibid.& seqq.
Vela, Rex Danorum, magnificum concedit indultum visitatoribus Ordinis Cistercienſis. an.1229.c.8.n 8.
Inuadit bona, & possessiones Cistercienſium. an. 1236.c.3. n.10.
Sed quæ mox eisdem ex Gregorij IX. iussu restituisse coniectatur. ibid.
Vercellenses Ciues, & Vulterani, innodati censuris, per suum Episcopum, & Locedij Abbatem Ecclesiæ reconciliantur. an.1218.c.8. num.1.
Verolæ Abbas. Vide *Abbas Verolæ*.
Veronenses Ciues, mutuis flagrant discordiis. an.1232.c.1.n.10.
In Huelfos, & Gibellinos diuiduntur. ibid.
Ad pacem, sed non diu permansuram, per Iacobum de Patientia, & Ottonem, reuocantur. ibidem.
Vesprimiensis Episcopus. Vide è contra.
Vestitus Monialium Cistercienſium reformatur. an.1236.c.8. n.1.
Veteris montis Abbatia Cistercienſis, corpus Sancti Engelberti Martyris omni cum planctu simul ac solennitate suscipit. an. 1225. cap.1. num.12.
Expurgat illud conditque. n.11.& 12.
Atque eiusdem Sancti corde, apud se retento, ditatur. ibid.
Via cœli, Abbatia Virginum Cistercienſium erigitur in Duisserem à quodam Ciue Duisburgensi. an.1234.c.11.n.8.
Vice Comites Beamontij, cœnobium S. Mariæ de Monte Oliueti in Placentina Diœcesi fœminis Cistercienſibus ædificant. an.1223.c.6. num. 11.
Vichensis Ecclesia, S. Bernardum Caluonium ex SS. Crucium Abbate, sibi in Præsulem eligit. an.1234.c.3. n.5.
Victoria. Vide *Calatrauenses. Sanct-Iulianæi. Cruce signati: & Iacobus I. Aragonensis Rex*.
S. Victoris cœnobium, Episcopo, & Capitulo Narnienſi subditur à Gregorio IX. an. 1232. c.5.n.4.

Index Rerum.

S.Victoris Parisiensis Abbas. Vide *S.Victoris Parisiensis.*

Viennensis Archiepiscopus. Vide è contra.

Villa bona, Monasterium Virginum Cistercienſium, fundatur à Tharasia, Regina olim Legionensi, in Asturicensi Diœceſi. an. 1231. c. 8. num. 10.

Sub visitatione Abbatis Carraceti. n. 12.

Confirmatur à Gregorio Papa. n. 11.

Et illustratur Sanctiæ, & Dulciæ, Tharasiæ filiarum, Monachatu. n. 12.

Transfertur ad Monasterium S. Michaëlis. n. 14. remissiuè.

Et gubernandum traditum Priori Monacho, Collegio Salmantini S. Saluatoris sub pensione quadam vnitum est. ibid.

An in eo obierit S. Guillelmus, Dux Aquitaniæ. n. 13.

Villa Magnæ Abbas. Vide *Abbas Villa Magnæ.*

Villa maior, Monasterium in Diœceſi Burgensi, à Monachis desertum, dominio sæcularium subiicitur. an. 1223. c. 6. n. 1.

Garsiæ Ferdinandi ab eius possessoribus venditur. n. 2.

Traditur Abbatissæ Huelguensi, & per Garsiæ filias cum aliis fœminis, ex Huelguis transmissis, inhabitatur. n. 3.

Peramplis Regis Ferdinandi munitur priuilegiis. n. 4. & 5.

Breui abundat pecudibus, & gregibus. numero 6.

Illustratur sepulchro fundatoris. ibid.

Eius Ecclesia Mariæ, & Martyri Vincentio sacrata est. ibid.

In Lermam tempore Philippi III. transfertur. num. 7.

Sed Lermensi defuncto Duce, in pristinum refertur. ibid.

Villarium, cœnobium Cistercienſe, profert Grande pratum prope Namurcum. an. 1231. c. 7. num. 3.

Multis viris, Sanctitate illustribus, & Prophetia nobilitatur. an. 1214. c. 9. n. 3. & an. 1232. c. 3. n. 3.

Villarienſis Abbas. Vide *Abbas Villarienſis.*

Villena, Monasterium Virginum Cistercienſium, surgit opera Vrracæ Reginæ in Diœceſi Burgensi. an. 1222. c. 10. n. 2. & 3.

Ex Huelguensi cœnobio accitis Monialibus. ibidem.

Eius prima Abbatissa. n. 4.

Sub Honorij III. protectione suscipitur. num. 6.

Dono traditum ab Vrraca Regi Fernando, ab eo conceditur Eluiræ Abbatissæ. n. 7. & 8.

Et exemptionis simul priuilegium. n. 9.

Eius situs, & quædam alia de eadem notata domo. n. 10.

Vincentius, Archiepiscopus Gnesnensis, Episcopi, & Capituli Plocensis donationem confirmat. an. 1222. c. 4. n. 4.

Vincentius Cadlubeus, ex Præposito Sendomiriensi, Fulconi Cracouiensi succedit. an. 1218. c. 7. n. 1. & 2.

Polonorum historiam primus scribit. ibid.

Egregie iuuat Colomanum adipiscendo Haliciæ regno. n. 2.

Inungit ipsum, & coronat. ibid.

Consecratur per Archiepiscopum Gnesnensem. ibid.

In Ecclesia Kielcensi decem præbendas fundat, doratque. n. 3.

Vladislais, pacificandis præficitur. numero 1. & 2.

B. Iacinthum, S. Dominici socium, habet discipulum. ibid. n. 4.

Multa donat Basilicæ Cracouiensi incendium passæ. n. 5.

Multa ipsius collegio. ibid.

Præfecturam abdicans, in Andreouio Cistercium induit.

Sanctè consummatur, & eadem in domo medio choro sepelitur. an. 1223. c. 3. n. 7.

Eius scripta, & frequens apud auctores mentio. ibidem.

Vincentius, Decanus Vlyssiponensis, in Canonicos, & Ecclesiam atrocia, Rege permittente, flagitia committit. an. 1218. c. 8. n. 7.

A Decanatu amoueri per Episcopum procuratur. ibid.

Ira percitus crimina criminibus addit. ibid.

Episcopo Vlyssiponensi, comparere apud Compostellanum Antistitem, per falsas litteras præcipit. n. 9.

Vulnerat per suos Canonicum pro suo Episcopo comparentem. ibid.

Et in frustra diuidi clericum præcipit, ob protectionis litteras à Domino Papa Honorio III. obtentas. ibid.

Abbatem, & Priorem Alcobaciæ suscipit iudices. n. 10.

S. Vincentius Ferrerius, gloriam Alphonsi, Castellæ Regis per reuelationem agnoscit. an. 1214. c. 5. n. 7.

Eandem ad populum prædicasse dicitur. ibid.

Vincentius Mendez, confirmationi Alphonsi, Regis Lusitani, testis adhibitus. an. 1220. c. 3. num. 9.

S. Vincentij Abbatia Canonicorum Regularium, magnam in vtrisque bonis passa iacturam, malitia ipsam inhabitantium refertur. an. 1217. c. 8. n. 3.

Episcopo Diœcesano, & Abbati Longi-pontis reformanda ab Honorio III. cõmittitur. ib.

Vindicta. Vide *Deus.*

Vinea nostra, Monasterium Virginum S. Augustini, Cistercium admittit. an. 1230. cap. 9. num. 6.

Eius fundator, Raynerus, Prior Bellifageti. ibidem.

Violans, coniux Alphonsi, filij Ferdinandi Regis, credita sterilis, à toro seperari tractatur. anno 1219. c. 8. n. 8.

Grauida inuenta, nuptias Alphonsi secundas impedit. ibid.

Violans, coniux Comitis Petri Manriquij, cum eodem in Hortæ Monasterio iacet sepulta. an. 1223. c. 5. n. 7.

Inusta violatæ castitatis nota, in Cœmeterium translata ex Regis Alphonsi iussu fertur. ibidem.

Sed in pristinum relata sepulchrum, Imperatore Carolo V. præcipiente. ibid.

Virgo quædam sæcularis, impedita Religionem ingredi, qua potest Virgines Cistercienses æmulatur. an. 1232. c. 3. n. 9.

Dæmonem illudit, sibi illudere parantem. num. 10.

Patriam deserit, & ad Niuellam se confert, ibidem vsque ad mortem mansura. ibid.

Index Rerum.

Viridarium B. Mariæ, cœnobium Monialium Cistercienſium, erigitur inter Duacum, & Cameracum à Toparcha Oiſiacenſi. an. 1227. c. 10. n. 5.

Viſiones. Vide verbo *Apparitiones.*

Viſlaus, Epiſcopus Cracouienſis, cedendi Epiſcopatui, induendique Ciſtercium, licentiam impetrat. an. 1234. c. 6. n. 6. & ſeqq.

Populi obnitentia, Regis, & Principum, in ſede detinetur. n. 8. & 9.

Habitu induit ſe Monachali. n. 8.

Diuturnam ſuper electione litem paſſus refertur. n. 11.

Sicut & quod egregiè inſtaurauit Eccleſiam Cracouienſem. ibid.

Dotauit item abundè cœnobium Ciſtercienſe in Montibus Sarmaticis. ibid. & an. 1234. c. 10. n. 11.

Viſitatores. Vide verbo *Abbas. Ciſtercienſes. Epiſcopi.*

Vitalis, Abbas Bugeti, aſſiſtit donationi cœnobij de Villena, factæ Helguenſi. an. 1222. c. 10. n. 2. & 4.

Vitalis, Abbas 15. Populeti. an. 1231. c. 5. n. 5.

Illuſtris Sanctitate, præfecturæ cedit. an. 1236. c. 7. n. 10.

Vitalis, vnus ex diſcipulis S. Franciſci, qui apud Marrochium martyrij palma coronari meruerunt. an. 1219. c. 2. n. 9. & 10.

Vide verbo *Franciſcani Fratres.*

